25

73 B 2

Digitized by Google

HIERONYMI RVBEI HISTORIARVM RAVENNATVM

Libri Decem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HAC ALTERA EDITIONE LIBRO VNDECIMO aucti, & multiplici antiquitatis hiſtoria, Gothorum, Longobardorum, & Italicorum ab anno poſt diluuium centeſimo quadrageſimo primo, uſque ad annum CHRISTI MDLXXXVIII. ampliſſimè locupletati.

CVM. INDICE. LOCVPLETISSIMO.

AD. SIXTVM. QVINCTVM PONT. OPT. MAX.



VENETIIS, MDXC.

Apud Franciſcum Franciſcium Senenſem.

SANCTISSIMO D. N.

D. SIXTO V. PONT.

OPT. MAX.

S. P. Q. Rauen.

QVANTOPERE celſiſſimum Sanctitatis Veſtræ Pontificatum hæc perpetuò Ciuitas expetiuerit, & adeptum coluerit, adeò multis iam diu ſignificationibus, præclaroq. cultu teſtatum eſt, vt longioribus probare minime neceſſarium ducamus: Quem enim nocturni huiuſce Ciuitatis ignes, tubarum clangores, ſacri æris ſonitus, recurrente quotannis, creationis, coronationisq. Sanctitatis Veſtræ, die, non commouent? Quem, demiſſum ac planè libens in Sanctitatem Veſtram, omnibus in rebus, obſequium, & aſſiduæ, pro eius incolumitate, preces, certum non reddunt? Cui, fauſtum, felixq. SIXTI. V. PONT. OPT. MAX. nomen, tam dulce in ore noſtro ſonans, tam ſæpe in marmora inciſum, in celeberrimisq. portis locatum, non fecerit fidem? & quidem meritò, ac potius longè minus merito: quando nemo, ex nobis non dixerim, qui vix quidquam poſſumus, ſed vel ex potentiſſimis populis, reſpondere meritis queat, illius Principis, qui Chriſti Dei in terris Vicarius, molitur omnia pro ſalute populorum, paternè eos fouet, amantiſſimè tuetur: Qui felici ſuo Pontificatu, quaſi ſalutari, nobiliſſimoq. exorto ſydere optatiſſimam terris quietem, & vbertatem induxerit: Huius Ciuitatis parietes, tecta, fora, quotquot denique ſunt, omnia, geſtire ſumma lætitia, & in Sanctitatis Veſtræ ſeſe laudes effundere velle videntur. Quapropter cum Senatus noſtri iuſſu, Hieronymus Rubeus, ciuis noſter, flagitanti patriæ ſatisfacturus, ad ve-

terem Hiſtoriam ſuam, ſeptemdecim iam annis typographorum prœlo impreſſam, ex tabularijs potiſſimum huius Ciuitatis, & multiplici lectione collecta, multa addiderit, & ad hos vſque dies narrationem perduxerit, eiuſdemq. Senatuſconſulto, denuo ita auctam imprimi, decretum fuerit, viſum eſt in tuo id nomine facere, Pater Beatiſſime; eoq. libentius, quo nonnullam partem eorum, quæ Sanctitas Veſtra, eximia pietate, illuſtriq. ſtudio geſſit, de quibus nulla vnquam ætas conticeſcet, hæc ſuis locis attingit Hiſtoria. Huiuſmodi monumento noſtra Ciuitas Sanctitati Veſtræ nullum præſtantius in præſentiarum exhibere ſe poſſe putat, hanc penè immortalem eſſe ſtatuam ducit; Nam quæ ex ære ſtatuæ, aut etiam ex auro conflantur, & ſtatuuntur, hiſtoria ipſæ indigent, quæ explicet, cuius illæ ſint, & quæ illius acta fuerint: Hiſtoria ſtatuas non requirit. Fixæ, immobileſq. ſtatuæ permanent, at per ora virum, vt ille inquit, perq. manus volitat Hiſtoria, & longè diſiunctas terras, ipſi pænè famæ par, peragrat,

Ingrediturq. ſolo, & caput inter nubila condit:

Et cum ſtatuæ ruant, temporeq. excedantur, multò ſtabilior, & firmior reperitur Hiſtoria. Quamquam verò ea ſunt Sanctitatis Veſtræ facta, vt per ſe toto orbe illuſtria & glorioſa habeantur, ſintq. talia in perpetuum futura, maioremq. & luculentiorem narrationem poſtulent, tamen ſperamus Sanctitati Veſtræ gratam fore, hanc propenſi animi ſignificationem eius ſuæ Ciuitatis, quæ ipſo maxima quæq. ad tuam laudem audendi deſiderio, vt ſummè flagrat, ita nulli cedit, & interea, quod potuit, grati animi, ac debiti obſequij cauſa, contulit. A Sanctitate Veſtra etiam atque etiam petimus, hanc vt libenter, & benignè accipere dignetur, & vna ſecum, promptum, continenſq. fidiſſimæ huius ſuæ Ciuitatis cultum. Ita incolumem Sanctitati Veſtræ, Deus, diuturnamq. vitam ad ſui nominis gloriam, & Eccleſiæ vtilitatem largiatur.

Rauennæ. Sept. Idus Ianuarij. M D LXXXIX.

Sanctiſſimæ Maieſtatis Veſtræ

Humillimi ſerui, ac ſubditi

Sapientes ad vtilia Ciuitatis Rauennæ.

ILLVSTRISS.^MO ET. REVER.^MO

EPISCOPO . SABINENSI

S . R . E . CARDINALI . VRBINI

RAVENNATI . ARCHIEPISCOPO . SORAE

ARCIS . &. DVCI . AMPLISSIMO

IVLIO . FELTRIO

DE . RVVERE

Hieronymus Rubeus

S . P . D .

RAVENNAM *tuis maxime muneribus decoratam; Illuſtriſſime Cardinalis, & ampliſſime Princeps; his chartis a me deſcriptam, modo ad te venientem, quæſo, pro tua humanitate, libenter accipe: neque enim ulli, præterquam tibi dicari ipſa vult, qui eam, Archiepiſcopus, ſancte regis; patronus, ſtudioſe defendis; magiſter, religioſe inſtruis; in omniq. tandem munere, paterne tractas. Ipſe, ut in antiquitate inueſtiganda, ſatis; quod te quoque omnino non fugit; accuratus fui, veterumq. ſuperiorum Archiepiſcoporum gloriam, pro meis viribus, latiſſime explicaui, ita volui in tuis factis eſſe; ut omnes intelligent; parcus; quòd & ſingularem noui modeſtiam tuam, & eos videam patresfamilias optimos dici, quibus eſt ſemper, vnde ſumant; non qui, quæcunque habent, omnia ſtatim profundunt. Sic tamen parcus, ut ne quid omnino intactum; vt puto; quodq. ad hiſtoriæ veritatem faciat, omiſſum a nobis videatur. Cur autem hæc, ut non grauate accipias, pluribus a te contendam, non perſpicio: quando & quidquid huius vrbis eſt, pro tua bonitate, hilariter recipis; & meipſum; quæ in te ineſt benignitas; deſpicere non ſoles; & in hiſtoria, omni quidem, ſed ſacra potiſſimum, diu verſatus, eam cum optime calles, tum libenti animo complecteris. Pluribus igitur non utens, manusq. tuas ſacras humiliter deoſculans, ſupplex a Deo poſtulo, vti meos, iuuentutis quidem, ſed tamen plurimum infirmos, & imbecilles, annos proroget, vſque dum tempus abſconditum, tempus beneplaciti ſui adducat, quo pedes tuos beatiſſimos, feliciſſimus, & ſupra quam dici poteſt, contentus, exoſculer. Vale. ſept. kal. Mart. M D L X X I. Rauennæ*

HIERONYMI RVBEI
IN LIBROS
HISTORIARVM
RAVENNATVM
PRAEFATIO
Ad vrbem Rauennam.

AD ſcribendam tuam hanc Hiſtoriam perantiqua ciuitas, & illuſtris; multa me impellunt: Primum quòd patria es; cui eſt nemo, qui non plurimum ſe debere intelligat: Deinde quòd careas hoc genere ornamenti, quod pleroſque viros bonos, ac prudentes non minimi feciſſe, maxime autem ſemper appetijſſe conſtat. Scripſit quidem centum iam & quadraginta annis, Deſiderius Spretus, ciuis ornatiſſimus tuus, elegantiſſimum de tuis rebus libellum, ſed paucula tantum, eaq. ita ſtrictim attigit, vt unum Dominatus Veneti, in quo ſeſe latiſſimè effundit, initium, conſcribere voluiſſe demonſtret. Poterat etiam vir doctiſſimus, ciuis tuus, Lauellinatum Epiſcopus Ioannes Petrus Ferrettus hoc ſplendore te illuſtraſſe, ſed decedens, aut nihil reliquit; aut, ſi reliquit, id certe nimia aliquorum calliditate ſupprimitur. Ad hæc accedunt ueteris vrbanitatis, ac humanitatis tuæ in me ardens ſtudiũ, & beneuolentia, quibus arctiori quodam nexu, quàm patriæ ciues ſoleant, deuinctus ſum, putemq. tibi a me plurimum tribuendum eſſe officij. Illa autem ſunt, quòd cum Gentiles mei, Parma, ſedibusq. pulſi ſuis, ubi late dominatos fuiſſe, annales ac hiſtoriæ, ipſaq. tandem publica, nedum priuata, monumenta teſtantur; omnibus fortunis ſpoliati, incertis uagarentur ſedibus; fecit tua benignitas, vt ipſi vehementes, & deſperatos ærumnarum, inſidiarumq. impetus fortiter ferrent: quodq. Ferraria; quo ſe primum contulere; aut non potuit; aut minus tueti coacta pene fuit; Argenta autem, quæ illos excepit Ferraria profectos, certe non potuit; tu, patria,

tria, ſumma caritate, magnificaq. liberalitate ſuſcepiſti. Nam & maiores meos complexa es, & cum, pari quidem animi magnitudine, ſed de vetere potentia, claritudineq. deiecti, longe diſpari dignitatis condicione, anguſta admodum re familiari, viuerent, eos tu iuuiſti, & ornaſti: Iuuiſti, quod occaſiones, vnde commoda illis paterent, minime ſunt abs te prætermiſſæ: ornaſti, cum in Senatum cooptatos, ad eos omnes uocaſti honorum gradus, quibus afficere ceteros ciues tuos ſoles. Id vero ornamentum apud eos, qui ſapiunt, haud minimo loco poni conſueuit: licet enim miſera temporum calamitate, Senatus nunc tuus ſit in anguſtum adductus, ille tamen ipſe eſt, qui iam Cæſares, orbis Imperatores, quandoque etiam ex ſuis ipſis Senatoribus, creabat; & qui, ſi quis alius, Romanæ dignitatis æmulus, & ſimilis fuit: esq. tu illa ciuitas, cui aſſurrexerunt Exarchi, quæ feſſum eos recepiſti, quæ multis præſtantiſſimis rebus geſtis, gloriam conſecuta fuiſti eximiam: vnde ex Simonidis poetæ, Euripidisq. apud Plutarchum in Demoſthene ſententia, aditum ad felicitatem ciuibus tuis facilem paras. Quamquam minora ſunt hæc, ſi Romanam ſedem ſpectemus, de cœlo in terras demiſſam; cuius doctrina, nihil diuinius: cuius religione, nihil ſanctius; cuius imperio, nihil ſublimius. Hæc tibi attulit honotis, gratiæ, & dignitatis decus, & ornamentum omne firmum, ac tutiſſimum, dum te honorificis prçconijs, & nominibus iure appellauit, & ſecundo loco inter Italicas Eccleſias cõſtituit. His igitur; vt eos redeam, vnde diuerti; tuis in nos meritis compulſi, dum Franciſcus pater; qui primus ex noſtris in tuo ſinu eſt natus; cum aliquot grauiſſimis ciuibus, Senatus iuſſu, vt aliqua ex parte grati ciuis officio ſatisfaciat, non abſque ingenti labore, in recenſenda adminiſtrationis ſuperiorum ciuium ratione, inq. ſtatu fortunatum tuarum cognoſcendo totus eſt; & Ioannes Baptiſta patruus Carmelitanorum magiſter; qui in tuis cauſis & rerum occaſionibus apud Pontifices Maximos opem non mediocrem tibi, ciuibusq. tuis, priuatim & publice, tulit; non omni ſolum Italia, atque Sicilia, ſed in Galliam, & Hiſpaniam, ad ipſosq. huius orbis terrarum extremos Luſitanos, nomen tuum, ijs titulis, ea gloria inuehit, vt vel ob id ipſorum Regum voce felix, & clariſſima appelleris. Ego, ne ab illis, maioribusq. noſtris, qui deſiderari ab ſe grati animi officia numquam paſſi ſunt, degenerare viderer; quando, quod poſſim aliud, hoc tempore, non video; dedi me ad tuam hiſtoriam. In quo munere, quid, quantumq. aſſecutus ſim, iudicarint alij: qui ſi occurrerint, dictis non facile cedam. etenim ipſe illud affirmare pro certo auſim, veritatem me perquirentem, labores immenſos exhauſiſſe, cum perpetua, eademq. ſumma in te beneuolentia coniunctos. Quamquam quis eſt, quem fugiat; ſi modo animum mediocriter adhibeat ad rem;

ex

ex tantis tenebris, quibus adhuc circumfuſa es aliquid vindicanti, Herculeos pęne labores ſubeundos fuiſſe? Id qui minus putant, vtinam ipſi experirentur. Mihi quidem, vetuſtiſſimis libris ac monumentis euoluendis, & temporibus conciliandis, reiq. tandem omni tractandæ, nullum aliud in ſtudium tantus labor impenſus eſt. Quo etiam factum eſt, vt rerum ſecuta viciſſitudinis Hiſtoria, torrentis inſtar, fiuat plerumque humilis, modo exſiccato alueo conſpiciatur: nonnumquam pleno fluens, ipſas quaſi ſuperet ripas, aliquando varijs perinde ac ſaxis, ac ſcopulis illiſa, varios eodem anno ſucceſſus, atque interruptos, & exitu quandoque carentes percurrat. Quo caſu, cum de meo ſenſu addere, aut confingere nihil voluerim; rogatum lectorem; ſi quis erit, vehementer optem, ne me ea lege teneri uelit, cui aut ſui temporis Hiſtoriarum, aut ampliſſimæ, perpetuoq. florentis ciuitatis ſcriptores, ſeruiunt: id negat mihi patriæ caſus, de qua tamen, continuata rerum, ac temporum ſerie, quæcumque ea fuerit, & quæcumque cognoſci potuerit, ad hanc ætatem ſcribendum fuit. Licet autem adduci ad ſuſpicandum nullo modo poſſim, ex tuis ciuibus vllum unquam fore, apud quem ſine cauſa laborauerim, quiq. obtrectet, tamen, ut res erit; neque enim ſumus uno omnes ingenio nati; ſatis magnum, atque adeo optatum fructum tot laborum ac uigiliarum tuliſſe me putauero, quòd ſperem martyres illos, & uiros ſanctos, de quibus hic, ut potui, ſcripſi; & quorum felici cruore, uitæq. exemplis, ac aſſiduo apud Deum rogatu illuſtraris, & adhuc perſtas, hanc animi mei ſignificationem, bonitate ſua, probaturos. In tanta enim rerum obſcuritate, in pleriſq. moleſtiſſimis curis, in ualetudinis infirmitate, quod hæc ſcripſerim, illorum meritis, ac precibus dubio procul acceptum fero.

HIERONYMI RVBEI
HISTORIARVM
RAVENNATVM
LIBER. PRIMVS

VRBEM Rauennam a Noei nepotibus, & Theſſalis ædificatam, vetuſtis monumentis, & grauiſsimorum auctorum teſtimonio ſatis conſtat. Nam inter primas colonias per orbem a Noe miſſas, Gomer Gallus, qui & Comerus appellatur, Noei, ex Iapheto filio, nepos, Armenia profectus, anno poſtquam immenſa ui aquæ obrutus orbis eſt, iuxta Beroſum, centeſimo quadrageſimo primo, vnà cum Crano & Crana Noei filiis, eorumq. item filiis,& nepotibus in Italiam ad Tiberim venit: atque huius coloniæ populi, quòd in curribus habitarent; regione inundata fluminibus, habitationem non recipiente; Vei appellati ſunt, vocabulo Armeniorum ſago, id autem eſt, myſteriorum, quod nos currules interpretamur: idq. ducentis annis ab eadem terrarum eluuione, maximè contigit: cum tamen communi omnes vocabulo etiam Vmbri dicerentur, quod; vt teſtis Plinius eſt; imbribus atque inundationi ſuperfuerint. Paulo poſt, Cham, Noei quoque filius, cognomento Cameſes, & Saturnus Aegyptius, vti docet Macrobius,in Italiam profectus, cum abeſſet Comerus Gallus, regere populos, corrumpereq. prauis moribus, & impia diſciplina incepit; quem tamen Ianus anno a Diluuio CCLXVIII. in Italiam regreſſus, cum triennio; ut idem innuit Macrobius; ſuſtinuiſſet, tandem expulit. Pleriſque tamen veriſimilius videtur, diuiſionem linguarum, & gentium, anno ab eluuione orbis tercenteſimo, factam; oportuit enim iuſto aliquo tempore ſtirpes multiplicari,antequam tam uariis orbis partibus diſpergerentur: præſertim quòd hæc diuiſio tempore acciderit Phaleg, Heberi filii, uti habetur libro Geneſis: nam Phaleg, eſt diuiſio, idq. ſub Phaleg vitæ extremum, vt R. Ioſe tradit. Phaleg anno centeſimo primo ab eluuione, natus eſt: vitam ad annum a Diluuio CCCXXXIX. produxit, ut ibidem habetur. Hinc fit, vt a Cataclyſmo ad terræ diuiſionem, & linguarũ confuſionem annos CCXL. numeret auctor Seder Olam. Itaque putant, cum Noe huic migrationi gentium ſuperuixerit annis dumtaxat decem bis in Italiam traiicere non potuiſſe, & alias orbis partes viſere, ubi Regna conſtitueret,& leges daret,extrema iam, & præcipitata ætate. Cæterùm; ſi in tanta obſcuritate interponere ſententiam meam fas eſt; vt in extremam

vitæ Phaleg partem migratio hæc gentium coniiciatur, nulla, quod ſciam, auctoritas aut ratio cogit. ſatis tamen compertum videtur, fieri, illa ineunte, non potuiſſe, ſiquidem Phaleg, fratrem habuit Iectan, natu minorem. Is filios genuit, tredecim, qui; uti Moyſes in Geneſeos libro docet; & ipſi in orbis, gentiumq. diuiſione interfuerunt. Non potuit igitur, nato ſtatim Phaleg, anno à cataclyſmo, centeſimoprimo, fieri. Ianus hic, iuxta Beroſum, fuit Noe; a Scythis, Chaldæis, & Hebræis, Noe, appellatus: ab Arabibus, Trifilus; ab Aegyptiis, Oceanus; a Libycis, Celius; ab Aſiaticis, Arſa, id eſt Sol; ab Italis, Ianus; quæ vox, lingua Saga, Vitiferum, ſeu Viniferum exprimit; quia vitem ſeuerit, & vinum expreſſerit. Diodorus enim Tarſenſis epiſcopus, Noe, primum omnium iumenta aratro iunxiſſe ait, ac terram uomere proſcidiſſe. Hic igitur Ianus in Italiam profectus, & Cameſem eiecit, & harum regionum incolas, de Comeris Galli cognomento, Gallos nominauit, & ſtirpi ſuæ Ianigenum nomen impoſuit, & nepotes Chami, Gomerisq. dici Aborigenes iuſſit, a quibus Tyrrheni, & inde Romani egreſſi ſunt; quemadmodum ab Ianigenis Tuſci, quos nunc Etruſcos vocamus. Succeſſit Iano in his regionibus, Elerna Crana filia: nec diu poſt eodem Sabatius Saga peruenit, Nemrodi Saturni Babylonici frater, & filius Cur: qui Cur fuit Noei nepos, & Chami filius. Is igitur Sabatius, cum a Noe proauo, Armenia diſcedente, eiuſdem prouinciæ vicarius fuiſſet conſtitutus, metu Nini Aſſyriorum Regis, Tanaim traiecerat. Vnde anno ab vniuerſali terrarum orbis inundatione CCCII. ad Ianum in Italiam uenit; ibidemq. adepto Saturni Italici cognomento, poſtquam præfuit aliquot annos ſucceſſorem habuit Sabum filium, vnumq. poſt alium Cranum, Arumnum, ſiue Aruntem, Grifonem, & Auſonem; a quo Auſonia prouincia nomen ſortita eſt; & Malotum etiam, & Tagetem: cuius tempore: (fuit autem is annus ab eluuione terarrum quinquageſimus ſupra quadringenteſimum) Phaeton Aethiops, Noei, ex Cham filio, nepos, cum Aegyptia claſſe in Italiam profectus, ad paludes Veneras peruenit, vniuerſaq. regione a Pado ad Germaniam potitus, illi prouinciæ Phaetonteæ, de ſuo, nomen impoſuit. Hunc Phaetontem, Moyſes, pronunciatione Iudaica, vocat Phut, Aramei Phet; cumq. primus in Agyptum & Lybiam colonias deduxiſſet, Lybies iam Phutei, ſeu Phaetontei appellati ſunt, uti D. Hieronymus in Geneſim affirmat. Ortus eſt ex Phaetonte, Ligur, qui Liguriæ tribuit nomen. ex Ligure, Cidnus, & Eridanus, qui omni eo Italiæ tractu, quo multis poſt annis Cenomani Galli deſcenderunt, uſque ad Iſtrum anno ab inundatione vniuerſali, DI, dominati, Eridano, & iuxta aliquorum ſententiam, Cenomanis cognomentum dedere. Poſt quos Regnum Sicanus habuit: Quo tempore Gigantes, Titanorum, ab Noe, poſt orbis eluuionem genitorum, ſtirps, feroces homines, ac nefarii, qui ceteros inuſitata corporis magnitudine excedebant, Italiam ſubegerunt: quos tamen Oſiris, Chami ex Rhea filius, & Noei nepos, ab Italis in ſubſidium accitus, repreſsit: cumq. deinceps aliquot ipſe annos Italiæ dominatus fuiſſet, Oros Hercules Aegyptius, eius ex Iſide filius, in eius locum ſucceſsit. Hic antea ex Aegypto profectus in Germaniam, ex Ilea, Agathyrſim, Tuſcum, Gelonem, & Scytham filios genuerat. Ipſa autem Ilea alterius Scythæ, & ſororis Filimeris Getarum Regis cum eſſet filia, ſucceſſerat auunculo in

Geticum Regnum. Poſtquam igitur Oros Hercules Aegyptius triginta annos Arniis, Liburnis, & Muſaoniis in Italia præfuit, ſucceſſorem ſibi Tuſcum fecit filium, è Scythia in Italiam euocatum anno ab inundatione D C X X X V. Ab hoc Ianigeni, atque Vmbri, vt Mirſilus Lesbius, & in Originibus Cato, teſtantur, deinceps Tuſci appellati ſunt. qui cum Regis, & Barbarorum, quos ſecum è Scythia eduxerat, dominatum ferre non poſſent, ad maris ſuperi litora confugientes, vnà cum Theſſalis, qui & Pelaſgi, Strabone auctore uocantur, Rauennam, ut Dionyſius quoque Halicarnaſſeus confirmare uidetur, condiderunt, anno ab eluuione orbis terrarum, ſexcenteſimo quadrageſimo: ante conditam Troiam a Dardano, ipſiusq. Troiani Regni initium, centeſimo octuageſimo octauo, ante excidium Troiæ, annos quadringentos octuaginta octo; licet Manethon tres annos addat, ante primam Olympiadem D C C C X C. ante Romam conditam DCCCCXIII. ante partum Virginis M D C L X V. ab Orbe condito M M C C X C V I. iuxta Philonem, & Ioannem Lucidum, cuius annorum ſummam, & rationem, perinde ac multis de cauſis probabiliorem ſecuti ſumus: non ignorantes, Hebræos; quibuſcum Ioannes Picus Mirandulanus ſentit; Nicetam Græcum, Paulum Oroſium, Bedam, Euſebium, Alfonſum Hiſpaniæ Regem, aliter opinari, atq. ipſos inter ſe, diuerſa conſcribentes, non conuenire. Incidiſſe Rauennæ ædificationem in tempora Heberi, qui ſextus Noe fuit, nonnullorum opinio eſt. Verum id quomodo fieri poſſit, cum Heberus, anno ab eluuione orbis terrarum D X X X I. obierit, planè, fateor, ignoro: Niſi forte dixerimus a Phaetonte Aethiope, Nemrodi patruo, aut a Nemrodi filiis; uti auctores plerique ſunt; qui cum Phaetonte eſſe potuerant; extructam, anno a Cataclyſmo C C C C L. Quo tempore, Phaeton ad Padum venit. Sed ſi hanc ſequamur ſententiam, & quibus illa vetuſtis auctoribus, aut certis fundamentis nitatur, incertum eſt, & nulla erit neque Tuſcorum, neque Theſſalorum mentio: de quibus tamen grauiſſimus auctor Strabo, cuius apud uiros doctos, ob antiquitatem, & eximium antiquitatis ſtudium, auctoritas maxima eſt, meminit. Quocumque autem excitata Rauenna tempore eſt, illud patet, quemadmodum teſtantur omnes, uetuſtiſsimam eſſe, & multò ante conditam, quàm Spina a Pelaſgis: ut Dionyſius idem Halicarnaſſeus eſt auctor; ad Padi oſtium extrueretur, & a Diomede inſtauraretur. Sæpius enim, diuerſiſq. temporibus in Italiam Pelaſgi profecti ſunt, atque in alias etiam regiones; adeò ut cum; auctore Strabone inſtar auium, quò fors vocaret, huc atque illuc errabundi commearent, pro Pelaſgi, Pelargi, id eſt, Ciconiæ uocarentur ab Athenienſibus. Cum autem non ii modo Pelaſgi, qui Rauennam condidere, ſed qui deinceps anno a Diluuio DCCC X X V I I. cum Tyrrheno, Atydis Meoniæ Regis filio, in Italiam uenerant, & Agyllam Cæres uocatam, ædificarent, aſſidua moleſtia a Tuſcis, multis poſt annis afficerentur, cum illorum iniurias; vt Strabo memoriæ prodit; ferre non poſſent, Vmbros alios vltro aſſumpſerunt, qui & Strabonis tempore vrbem hanc inhabitabant: ipſi uerò domum rediere; atque hac ratione Vmbrorum colonia Rauenna facta eſt: hancq. ob rem Vmbria, quæ in Sabiniæ, ac Tuſciæ medio, ortum a Tiberi ducit; montes tranſgreſſa, uſq. Rauennam per Camerinum, Senam, Ariminum, Saſſinamq. procedit. Cur

A 2 autem

autem Rauenna appellata ſit, cauſam non vnam auctores referunt. Sunt qui velint, ſeptem ex Armenia Duces in Italiam poſt eluuionem terrarum circiter ducentos annos, profectos, cum ad Padum, in ipſo Hadriatici maris litore, perueniſſent, nauibus deuectos, vrbem hanc ædificaſſe, Nauennamq. a nauibus appellaſſe, quam deinde corrupto vocabulo, Rauennam poſterioribus ſeculis homines dixerint. Sed Gomerum,& cæteros Armenia profectos Duces, Tiberim ingreſſos, ibidem, vti memorauimus, habitaſſe, Beroſus & reliqui tradunt: ad ſuperi maris litus, ad Padiq. oſtia, eo tempore, perueniſſe non reperio. Accedit ad hæc, naues, nequaquam latina hac uoce, ab Armenis tunc appellatas, hoc vrbi nomen imponere nequiuiſſe. Id igitur putarim, aut fortaſſe ab alicuius Theſſalorum, Vmbrorum ve Ducis nomine, aut ob aquarum fluxum, quibus alluebatur, contigiſſe. Nam quod ad Ducis nomen ſpectat, id Mantuæ, aliquot poſt annis, accidit,ab Ocno Bianoro,cognomento Mantua: Fæſulis a Nicio Fæſulano: Piſis a Piſeo:Bononiæ a Bono: Hadriæ ab Hadrio: qui cum Tuſcorum Reges eſſent, eas vrbes condiderunt, & de ſuo nomine vocarunt: uti Manethon,& reliqui ueteres auctores memoriæ prodiderunt. Quamquam, qua ratione Cymaclum;quod a Pelaſgis ædificatum eſt, iis, qui Spinam condidere; ἀπὸ τῦ κύματος, aut κυματίν, quaſi undam, aut undoſum dixeris, ſiue undabundum, ſua voce, ab ipſa natura loci appellarunt,quod & de Cumis in Campania affirmant, ita fieri potuit, vt ἀπὸ τῦ ῥέειν, quod eſt fluere, Rauennam vocitarint, cum eſſet inter marinas vndas, & in æſtuariis ſita, & quinque fluminibus, Pado, ſcilicet, Anemone, Montone, Viti, & Sapi, circa eam olim confluentibus, cincta. Hinc Zoſimus, cuius extant a Diocletiano Cæſare, ad Romanam Alarici obſidionem, hiſtoriæ, hanc Vrbem, Metropolim ſcribit Flaminiæ, Rhene dictam, quòd eam aquæ ab omni parte circumfluant: non autem propterea velut Olympiodorus Thebanus ait,quod Remus, Romuli frater, huius conditor vrbis fuerit. Hoc enim Quadrato relinquere debuerat, qui de hac vrbe in hiſtoria Marci Principis commemorauit. Hæc Zoſimus. Quod ſi ita eſt, melius fortaſſe Rheuennam dixerimus, quàm Rauennam: cui tamen uetuſta monumenta, & antiqui lapides repugnant: quemadmodum Mediolani in ædibus Io.Iacobi Triuultii, hoc pacto legimus.

AVE . ALCIMAE
BENE . TIBI . SIT
D . M
C. IVLIO . ALCIMO
RAVENNATI
COMPARATORI. MERCIS . SVTORIAE
ET . VIRIAE . MARCELL
CONIVGI . OPTIMAE . ET
HERMIAE . LIB . ET
CETERIS . LIBERTIS
LIBERTABVSQVE . MEIS
ET . VIRIAE . MARCELLAE
H.M.H.N.S

Mutinæ

Mutinæ etiam, in hoc fragmento ita legitur.

M. PAPIO. M. F. ROM. SABINO
EQ. ROM. CVRAT. VIAE AEMIL
IIII. VIRO. RAVENN.......
PATRONO. COLON........

In alio item antiquo lapide, cuius meminit Aldus Manutius iunior, libro de Orthographia, ſic habetur.

L. FVRIO . L . F . PAL . VICTORI
PRAEF . PRAET . IMPERAT . OMNIVM
HONORATO . ET . DONATO . IN
PROVINCIAM . PARTHIAM
ET . VER...... CORON . MVRALI
VALLARI
HASTA . PVRA . SINE . VEXILLIS
OBSIDIONALI
QVE . CORONA . DONATO . PR . AEGYPTI
PREF . VRB.
PROC. A. RAT. PRAEF . PRAETOR . MISSV..
RAVENNATIVM . PROC . LVDI . MAGNI
PROC . PROVINCIAE
HISPANIAE . ET . GALL . PRAEF . ALAE
FRONTONIANAE
TRIB . LEGIONIS . II . ADIVTRIC . 7 . COH
BRACARVM . IN . BRITANNIA

Quamquam non fuit difficillimum, Vmbros, ceterosq. Ianigenas, Tuſcosq. Græcum nomen, ob ignorantiam; ut diuerſæ linguæ vulgus ſæpe ſolet; corrupiſſe. Nam de notis Romanorum ſcribentes Valerius Probus, & Petrus Diaconus, cum aſpiratione etiam quandoq. ſcribi teſtantur. Stephanus Byzantius in Onomaſtico auctor eſt, uocari ab Hermippo Berytio, Ruennam. Eodem autem hoc nomine; vti Ptolomæus eſt auctor; Præturam in Armenia minore, iuxta Euphratem, & in Liguribus lacum eſſe, non ignoramus, ob id fortaſſe ita vocatum, quod aquæ defluentes de vicinis montibus, in illum confluunt. Multis deinde poſt annis, cum Galli in Italiam erupiſſent; vt Liuius memoriæ prodit; Senones ab Vſente ad Atheſim incolentes, Rauennam etiam, poſt Vmbros, tenuere: quod & Polybius affirmat, ſcribens, inter Apenninum, & Padum, primo Ananes, poſt Boios, inde Euganeos, poſtremo Senones, expulſis Tyrrhenis, iuxta Hadriaticum mare, extremos omnium Gallorum incoluiſſe. ut Rauennam a Senonibus habitatam affirmare poſſimus: uocatamq. hanc regionem a Gallis Galliam, Ciſpadanam autem quòd citra Padum ſit, vt aliam Tranſpadanam, quæ a Pado ad Alpes pertinet. Qua autem ratione hanc Galliæ Ciſpadanæ

partem,in qua Rauenna eſt,plerique; in quibus eſt Ptolemæus,ac Leander Albertus; etiam Boiis adſcribant; ſi uera ſunt, quæ a Polybio, & Liuio traduntur; neſcio. Quamquam enim Boii, Linguonesq. Pado ratibus traiecto, non Etruſcos modò, ſed etiam Vmbros, agro eiecerint, ſeſe tamen ad maritimam oram non effudere Eam Senones;uti ex Polybio viſum eſt; incoluerunt. Hanc autem vrbem nemo, Strabone; qui temporibus Auguſti, & Tiberii uiuebat; antiquior,& diligentior deſcripſit. Intra paludes,inquit,vrbs maxima Rauenna poſita eſt, tota ligneis compacta ædificiis, aquis diffuſa, pontibusq. ac lembis peragrata. Cum a mari fiunt inundationes, non mediocrem accipit maris partem, adeo ut uniuerſa cœnoſitas, hinc fluctu marino, hinc fluminibus alluentibus, tætrum medicetur odorem. Hoc pacto igitur ſaluberrimus comperitur locus. Vnde gladiatoribus educandis, ac exercitatione erudiendis,hunc idoneum magiſtri locum deſignauerunt. Inter cetera eius loci mirabilia, illud eſt, quod paluſtribus in locis aer innoxius eſt, quemamodum ad Alexandriam Aegypti paludis uitium æſtate propulſatur propter amnis incrementum, ſimul etiam euaneſcente cœno. Quid quod uitibus euenit quàm ad mirabile?Eas palus creat,celeriter perficit,&multum fructum edit:annis verò quattuor; aüt quinque corrumpuntur. Hæc Strabo de iis fortaſſe uitibus intelligens,e quibus uua oritur Spinia,his a Plinio deſcripta uerbis. *Aeſtum fert Spionia, quam quidam Spiniam vocant: autumnisq. & imbribus pingueſcit: quinimo nebulis vna alitur, ob id Rauennati agro peculiaris.* Quamquam verò nebuloſum Plinii tempore erat Rauennæ cælum, noſtro tamen non eſt, ſiccato iam ſolo, & abducto mari. Quo efficitur, vt Iulius Cæſar Scaliger, tempora Plinii ad noſtra deducens, dum ſe aduerſus Hieronymum Cardanum in uentis, & aere humido exercet,talem nunc Rauennæ eſſe aerem & quidem iniuria,affirmet. Et ſi eo tempore vixiſſet,ſcripſiſſetque,pari iniuria damnaret;ut facit, & odio haberet: quando,auctore Strabone,hic erat aer innoxius.Adiungit autem Victruuius cauſam ſalubritatis eſſe,quoniam fluxu aquarum, ac refluxu, agitatur aer, atque expurgatur, & quicquid eſt corruptius, in mare procul aſportatur: quamquam & maris ſalſedinem,& liberum ventorum perflatum, atque apertum adſcribere Victruuius poterat. Hac de cauſa, ſcriptum ab Vlpiano Iuriſconſulto, Celſi auctoritate, ſcimus, Aurelium Quietem, Medicò hoſpiti ſuo, mandaſſe, vt in hortis, quos Rauennæ habebat, ædificari ſphæriſterium, ſua impenſa, curaret,atque hypocauſtum: nam tuendæ valetudinis cauſa,conſumere maximam hic anni partem conſueuerat.Sunt etiam qui ſcribant,in quibus eſt Aelius Phlegon Trallianus Hadriani Cæſaris libertus. cuius, & Origenes meminit, hac in vrbe. C.Iulium Pætum annos centum uixiſſe: & L. Antidium Sotericum, centum & tredecim. De mari verò quod celebres ii ſcriptores, in vrbem influente aiunt, illi occaſionem dedit, quod à noſtris hominibus ſæpiſſime uſurpatum eſt, iamq. in prouerbii conſuetudinē uenit, cum res, aut manifeſtas,in medioq. poſitas, aut quas fieri non poſſe certiſſimum eſt,inani labore conquirimus,vt Rauennæ maria quærere dicamur. Huius noſtræ vrbis incrementa, an ex ciuitatis Spinæ ruinis,quæ ad Spineticum Padi oſtium, nunc Primarium,quòd ſit primum,appellatum,ortum duxerint,ut aliqui affirmant,non decerno,cum nullus ſit mihi certus auctor:neque huius rei veſtigium vllum apud Halicarnaſſeum, Strabonemve, qui ædificationem

tionem Spinæ nouerunt, eamq. iamdiu dirutam ſciebant, reperiam. Et licet Blondus putet Martialem innuere, Rauennam ex huius Spinæ ruinis ædificatam, aut certe auctam, illis fortaſſe carminibus ductus,

Mollis in æquorea quæ creuit Spina Rauenna,
Non erit incultis gratior aſparagis:

nihilominus cum mollis cognomentum adſcribat, & cum aſparagis comparet, non vrbem forſan, verum herbam intelligit, vel cultos ipſos aſparagos. Illud vero ſatis patebit, poſterioribus annis ab Auguſto, Tiberio, Valentiniano, & Theoderico nobilitatam, ipſasq. Spinæ adhuc florentis diuitias; vt ſcribit Dionyſius; Delphum allatas, vbi Spinenſium theſauros ſeruari dicebatur. Quod vero fuerat reliquum, a Barbaris exportatum eſt. Vtcumque tamen ſit, Quam vrbem Iligneis compactam ædificiis tradit Strabo, paludibusq. cinctam, vti etiam Silius Italicus, cum ait,

Quiq. graui remo limoſis ſegniter vndis,
Lenta paludoſæ proſcindunt ſtagna Rauennæ.

& quam Martialis vocat æquoream; eam modo a mari, qua parte Septemtriones reſpicit, bina paſſuum millia: ad Orientem vero hibernum, quattuor abeſſe videmus, pauciſſimis, iiſque remotis paludibus circumdatam: Scuti militaris oblonga forma: agro tritici, ſegetumq. omnium feraciſſimo: pulcherrimis Pinuum ſyluis, vndique conſpicuam, quibus ingens nucleorum pineorum copia omni Italiæ communicatur: minime alicui cedentem amœnitate villarum; quam duo flumina ita ambiunt, vt facilè appellare illam μεσοποτάμιαν poſſimus; alterum qui ab Occidente, & Septemtrionibus fluit, Montonem veteri vocabulo appellant: alterum Roncum, ab opido, quod alluebat, vel vt alii, Aquæductum; quem nonnulli, ut Blondus, ex antiquis, Plinioq. præſertim, Vitim fuiſſe teſtantur. Hic e ſummis Apennini iugis, ex latere Tiberi aduerſo, ad Septemtriones, ortum ducit; Bidensq. ab incolis appellatur, & vbi Sanctam Sophiam, Galeatam, Ciuitellam Meldolam, opida haud omnino obſcura, præterfluxit, Rauennæ muros lambens, paulo infra vrbem, Montoni iunctus, defertur in mare, & portum vſque ad noſtram ætatem conſtituebat ad Orientem hibernum, quem Plinius Beſedum appellauit: Blondus ſcribit, Theoderici Regis tempore vocatum Portilium. Montones ex Apennino iuxta Vitim naſcens, Forum Liuii primum, deinde Rauennam præterfluit: infra quam cum Viti coniunctus, vti memorauimus, primi omnium, poſt Padum, in Hadriaticum mare, recto, integroq. curſu influunt, ad Orientem hibernum olim, paucis tamen abhinc annis, ad æſtiuum; quòd portus hibernus arena pæne obrutus, non exciperet naues. In hac fluminum deſcriptione Leandrum Albertum cæcutiuiſſe miror. Hunc tamen curſum Montones nequaquam perpetuo habuit, ſed per Gattinellam villam ſecundo ferme ab vrbe lapide, in paludes influebat: cuius rei, cum vetuſta ipſa monumenta ſane multa fidem faciunt, quæ nos anno a partu Virginis MCCLIIII. ſcripta, in Diui Vitalis tabulario legimus, tum fluminis ſepta, & molæ frumentariæ, iuſta Diui Michaelis uiam, ſecundo ab vrbe milliario, dum ad coquendos lateres fornax ab illis monachis effoderetur, repertæ. Ad portam autem vrbis Hadrianam noſtra ætate foſſa pertinebat, ab antiquis, vt Plinius tradit, Meſſaniam vocatam, qua ſpatio duodecim milliariorum ex Pado Rauennam adnaui-

adnauigabatur. nunc diſtat ſecundo ferme ab vrbe lapide. eam ambit Paduſa, antiqua ſane palus, quam hiſtorici eſſe in Italia ſolam ſcribunt, cuius & meminit Virgilius, cum ait,

- Piſcoſoue amne Paduſæ.

Sic dictæ, quòd; ut Vibius Sequeſter eſt auctor; Pado propinqua ſit. In hanc confluebat quicquid per millia paſſuum quinquaginta aquarum, & paludium circa ipſam eſt. licet, ſi etymologiam, & notationem animaduerterimus, quam Vibius Sequeſter affert, poterit non iniuria fortaſſe affirmari, paludes omnes propinquas Pado, a mari diſtantes, Paduſas eſſe: a mari diſtantes inquam; quæ enim iuxta marinum litus exiſtunt, ab eo perinde ac nobiliori nomen ſortitæ, a Strabone, & aliis Hadriatica ſtagna appellantur. Aliter tamen ego, Virgilii, Pliniiq. verbis impulſus, ſenſerim, id ſcilicet quod Paduſam ipſi uocant, nequaquam paludem eſſe, ſed modicum riuum, & foſſam, atque amniculum, quo Padi aqua Rauennam deriuabatur, olim Meſſanicum appellatum: atque hac de cauſa amnem vocat eam Virgilius. Quod ſi Ioannes Boccatius; qui horum locorum fuit maxime peritus, & frequentare conſueuerat vrbem hanc, vbi Boccatiorum familia Rauennas erat; in eo libro, quem ſcripſit de fluminibus, eſſe illum foſſam potius quàm amnem putet, eius ſententiæ fuit cauſa, quòd ſuo tempore oſtio eius riui, in quod Padus influebat, obſtructo, alueus remanſerat, paluſtris aquæ plenus; quod & nunc cernimus. Palus autem hæc ingens circa Padum, cum iam uniuerſum tractum illum amplecteretur, quod inter Padum eſt, & uiam Aemiliam, & in Occidentem ad quinquageſimum lapidem producitur, multorumq. fluuiorum curſum exciperet, nunc magnam partem eſt imminuta, quod ſucceſſione temporum, dum Apenninum excoleretur, torrentes, & flumina terram ſecum deuehentes, eam ita compleuerint, ut in fertiliſſimos agros, pæne tota, mutata ſit; aliquo tamen adhibito artis auxilio: cuius auxilii primam gloriam apud Rauennates extare, foſſis, quæ aquas ad humiliora loca perducerent, plurimis factis, ſuo loco oſtendemus. Ceterum ex tot fluminibus, vnus Anemo, quem Fantinum, Lamonem, Rafanarium, & Santernum vocant, in Paduſam cum influeret, auorum noſtrorum ætate in Padum eſt traductus: licet neque hunc ſemper alueum influxerit, quem nunc habet: nam vi aquæ; ripas ſuperantis erumpens per viam cognomento Piangipanam, in Paduſam effluxit: vnde paulo ante noſtra hæc tempora denuo in ſuum alueum, & in Paduſam retractus eſt. Fantinum autem hoc flumen; quemadmodum & uia, quæ ab Hadriana porta ad Diui Michaelis recta progreditur; appellata ſunt, quod per illa ſit, Rauenna proficiſcentibus, communior ad Fauentiam via. Fantina enim corrupto vocabulo, Fauentinam ſignificat: ipſeq. Anemo vrbem Fauentiam diuidit. Abeſt autem nunc Rauenna, locis patentibus ſita, a mari ſupero, quod ad Orientem Solem ſpectat, millia paſſuum duo: Ab ea, aperto, ac plano litore, ad Foſſam Clodiam, Septentriones uerſus, hieme, ad ſummum, bidui; æſtate, unius diei itur ſpatio: mox flexo inter Orientem Solem, & Septentriones, curſu, uigintiquinque paſſuum millibus nauigato mari, Venetias peruenitur. Roma illi a meridie ferè eſt, niſi quod ad Orientem Solem nonnihil deflectitur. Huius eſt longitudo itineris ducentorum uiginti millia paſſuum. Et cum quadraginta quattuor gradibus ſublimem polum arcticum ſpectet, in totius

centro

centro Flaminiæ, æqualiter ferè diſtat a montibus Apenninis, quibus omnis Prouincia ad ingentis pulcherrimiq. theatri ſimilitudinem, obuerſa in Septentriones ſcena, præcingitur.

De Rauenna vſq. ad Cæſaris tempora mihi multa legenti, & quæ ad eius dignitatem facerent, multa quærenti, nullibi quidquam occurrit, quod dignum memoratu videretur. Cum verò, uti docuimus, Senones illam incoluerint, in Romanorum ditionem, & poteſtatem redactam tunc puto, cum Gallia Ciſalpina, in qua Rauenna eſt, quamq. Cicero florem Italiæ, firmamentum Imperii Romani, ornamentum dignitatis appellat, eiusq. plurimum extollit cum virtutem, tum conſtantiam, & grauitatem; facta fuit prouincia: contigit autem id, cum M. Marcellus, is, qui conſul quinquies fuit, primusq. Hannibalem acie vicit, Virdumarum Gallorum Regem, ſingulari certamine occidit, deq. Gallis Inſubribus triumphauit, anno ab vrbe condita D X X I. Patet enim prouinciam eſſe factam, quia coloniæ plures annis ſequentibus eo deductæ. Anno autem ab vrbe condita D L X I I I. ante Chriſtum Deum e Virgine natum, C L X X X V I I I. pulſis omnino Gallis è togata Gallia, cunctaq. hac regione in prouinciæ formulam redacta, Romani Prætorem, cum imperio, miſere, qui ius diceret, & conuentus haberet. Conuentui verò agendo, ipſa eſt deſtinata Rauenna. Et quo anno M. Cicero Ciliciam proconſul adminiſtrauit, qui fuit ab vrbe condita D C C I I. ſeu vt alii ex Liuio putant D C X C I X. M. Marcello, Ser. Sulpicio Coſs. prouinciæ X V. fuerunt in populi Romani ditione: in quibus Gallia Ciſalpina, quæ Rauennam continet, numeratur. niſi forte dixerimus, cum Ariminum colonia facta eſt, & Vmbri in deditionem accepti ſunt, vt memoriæ Liuius prodit, Rauennam poteſtati Romanæ ſubiectam fuiſſe. Illud conſtat, Rauennam, tametſi, auctore Strabone Romanos acceperit inquilinos, municipium tamen Romanorum, non coloniam extitiſſe, atque ob id cum ſuo iure, & legibus vteretur, muneribusq. populi Romani, & honoribus fungeretur, nulla tamen tributorum collatione, & huiuſmodi, quæ malo, & damno ſunt, muneribus vexari ſolitam. Cuius rei extat etiam Mutinæ in monumento peruetuſto inſigne teſtimoniũ eiuſmodi.

P . VETTIO
P . FIL . CAM . SABINO
EQ . P . IIII . VIR
AED . POT
ET . MAG . MVN . RAVEN
CORNELIA . MAXIMINA
MARITO . INCOMPARABILI
ET . SIBI . VIVA . POSVIT

Cum uero ſcribat in vita C. Marii Plutarchus, ſe Rauennæ ſtatuam illius truci vultu, atq. terribili uidiſſe; & paucis ab hinc annis in Caſtrutiano agro, ſepulcrum ex marmore, ſit repertum, quod adhuc extat, in quo inciſum eſt, ſibi illud C. Marium, C. Libertum, vxoriq. & liberis, viuum poſuiſſe, facit vt opiner vrbem hanc non fuiſſe incelebrem, præſertim cum eandem Strabo & maximam appellet, & aliis præeſſe opidis, in quibus fuit Butrium, ſcribat.

Licet

Licet autem hanc Plinius Sabinorum opidum appellet, non eſt tamen idcirco exiſtimandum, caſtrum illam, & quod Italice caſtellum nominamus, fuiſſe, non vrbem, ac Ciuitatem: nam præterquam quòd id patet luculento Strabonis, & aliorum teſtimonio, quo Rauenna, vrbs, eaque maxima ſcribitur, uti docuimus; apud ueteres etiam compertiſſimum eſt, omnes vrbes, ac Ciuitates; una Roma excepta; propterea opida uocari conſueſſe, qui a excellentis quaſi pronominationis cauſa, Roma orbis caput, ac princeps, vrbs, uel nullo adiecto alio nomine, numquam uerò opidum, diceretur, dicaturque: ceteræ ciuitates, etiam opida appellarentur, quod minoris eſſent dignitatis, & neutiquam cum illa conferendæ. Hinc apud Plautum, Victruuium, Plinium, & eius ætatis reliquos, eundem locum, modo ciuitatem, & vrbem ſcribi, modo opidum, legimus: ipſeq. idem ſæpe teſtatur Cicero: qui de Diuinatione potiſſimum ſcribens, poſtquam Pheras, vrbem in Theſſalia nobilem dixit eſſe, eandem mox opidum appellat. Ita Ser. Sulpitius Aeginam, Megaram, Corinthum, quod dicitur a Cicerone, totius Græciæ lumen; opida uocat, cum alioqui vrbes ſint nobiliſſimæ. Quapropter Vincentius Borghinus, dum apud Coſmum Mediceum, magnum, & omnibus inclytum ſeculis, Etruriæ Ducem, de Originis Florentiæ pictura, qua ob Regias Franciſci Filii, Auguſtalesq. nuptias, ſapientiſſimus ille magnus Dux præclare exornari Prætorii aulam iuſſerat, diſſereret, & memoriæ proderet, poterat, mea ſententia, maiorem habere, maximæ huius vrbis Rauennæ rationem, neque ipſum Sabinorum opidum, Italicè Caſtellum, id autem fere eſt, caſtrum, ab vrbe, ac ciuitate penitus diuerſum, interpretari: cum præſertim in aliorum quorundam verborum latinorum interpretatione, quæ longè minoris momenti uidentur, anxium ſe, & maximè accuratum præſtare contendat. Non deſunt etiam ex grauiſſimis uiris pleriq. affirmantes, in quibus eſt Paulus Manutius, Cæſarem ex Gallia, Rauennam ad conuentus agendos quotannis venire ſolitum: Erant autem Conuentus, in quibus Conſul, Proconſul, aut Prætor iura in prouinciis dicebant. Huius autem anniuerſarii aduentus, conuentuumq. coniecturam facilem putant. Si enim Cæſarem, cum utriq. Galliæ præeſſet, in citeriore, conuentuum agendorum cauſa ſæpe hibernaſſe concedimus; id quod ambigere non licet; quis dubitet, quin Rauennæ, quo nullum in ea prouinciæ parte nobilius opidum inuenimus, conuentum egerit? Accedere ad hæc poteſt Lucii Flori teſtimonium, ſcribentis, quo tempore Vercingentorix omnes pariter Aruernos, atq. Biturigas, Carnutes ſimul, Sequanoſq. contractos, ad ius priſtinum libertatis erexit, abfuiſſe tunc Cæſarem, Rauennæ delectum agentem: unde per inuios, duriſſimo tempore anni, montium tumulos, per intactas uias, niues expedita manu emenſus, occupat Galliam; ex diſtantibus hibernis caſtra contraxit, & ante in media Gallia fuit, quàm ab ultima timeretur. Conſtat autem ex commentariis Cæſaris non ſolum delectum tota prouincia Cæſarem tunc habere inſtituiſſe, ſed conuentus etiam egiſſe. Neque uerò nobiliſſimum tantum opidum Galliæ Ciſalpinæ Rauenna fuit, ſed caput etiam Piceni: quod uel colligi ex uetuſto maxime lapide poſſumus: quod extat Romæ in ædibus Auguſtini Maſæi, cuius quoq. meminit Iacobus Mazochius in eo libro, quem de antiquæ vrbis inſcriptionibus edidit. is autem ſic habet.

CRONIO. EVSEBIVS. V. C. CONSVL. ORD. CVR. AEMILIAE ADDITA. PREDICTAE. PROVINCIAE. CONSVLARI. VIGILANTIAE. ET IVSTITIAE. EIVS. ETIAM. RAVENNATIVM. CIVITATE. QVE. ANTEA PICENI. CAPVT. PROVINCIAE. VIDEBATVR. VICARIO. ITALIAE QVAE. POSTEA. SVPRADICTO. VIRO. OB. TESTIMONIVM. ANTE. ACTI HONORIS. EST. ADTRIBVTA. PETITIONE. SENATVS. CONTEMPLATIO NAE. VITAE. ADQ. AELOQVENTIAE. EIVS. AB. INVICTISSIMIS. PRINCIPIBVS. EST. DELATA.

Quibus omnibus facile nobilitatem huius vrbis intuemur. Adiungi ad hæc poteſt, Martini Poloni, ordinis Dominicani, in ſuo chronico teſtimonium, ſcribentis. D. Apollinarem a D. Petro Rauennam miſſum, vrbem tunc, omnium, quæ in Italia eſſent, poſt Romam, & magnitudine, & populi frequentia celeberrimam: quæ cum Strabonis dicto conueniunt. Romani etiam ciues plurimi domos hic, & villas habuere, ſæpiusq. huc aduentare conſueuerant, hoc maxime tempore, militesq. ibidem, perinde ac opportuno inter Gallos, Romanosq. loco, habebantur, in ſociata, ac fideli, potiſſimum ciuitate. Nam ex his, quæ tunc gerebantur, fœderatum Romano populo Rauennatem, facilius coniicitur, quàm ex iis, quæ nonnulli ex oratione Ciceronis pro Corn. Balbo adducunt, cum ille locus non vna explicetur ſententia. Alii enim ſcribunt: Cn. Pompeius pater, rebus Italico bello maximis geſtis, P. Cæſium, equitem R. virum bonum, qui viuit, Rauennæ natum, fœderato ex populo, nonne ciuitate donauit? In vetuſto codice manuſcripto, legi. P. Cæſium, equitem R. virum bonum. Q. Iubium Rauennatem, fœderato ex populo. Atque ita legiſſe ii videntur, quos adduxit hæc ſententia, vt Rauennates fœderatos Romanis crederent. Hoc ſolum intereſt, quòd ille Iubium, Iunium hi habent. Alii ab his omnibus diuerſum afferentes, ſic ſcribunt. P. Cæſium, equitem R. virum bonum, qui uiuit Rauennæ, fœderato ex populo. In qua diuerſitate ſententiarum, quid certi dicam non eſt. Hunc locum tamen, ſuffragantibus doctis quibuſdam viris, & vetere libro, ita legerem. P. Cæſium, equitem R. virum bonum, qui viuit, Rauennatem, fœderato ex populo. Vt primum patria, deinde patriæ conditio oſtendatur. Nam ſi legamus, Qui viuit Rauennæ, fœderato ex populo; fœderati populi nomen, id eſt P. Cæſii patria ignorabitur: in quo repugnat Ciceronis conſuetudo: neminem enim ciuitate Romana donatum appellat, quin patriam ſimul nominet. Q. Iubium, ſeu, Q. Iunium, cur non placeat, eadem ratione adducor: nam ſi hunc Rauennatem eſſe dicemus, P. Cæſio quid fiet? an ſolus patria carebit? Quamquam etſi locus hic non adeſſet, non video, de fœdere, cur in dubium vocetur. Vrbs enim primo Vmbrorum, qui & Sabini aliquando appellati ſunt, colonia, mox Ciſalpinæ Galliæ Rauenna fuit: at Sabini, & Galli fœderati: cuius argumento etiam eſt, Romanos, vti memorauimus, crebro ad hanc vrbem aduentaſſe. Vt vero minoris famæ ciues taceam, de M. Cicerone, de Planco, de C. Cæſare, Rauennam veniſſe conſtat. De Cæſare dictum eſt, & apud ipſum primo libro de bello ciuili, ſcribitur, hac in vrbe conſtitiſſe poſt Galliam deuictam, expectans ſuis leuiſſimis poſtulatis reſponſa, quibus

bus ab ſenatu Romano petebat,ſui abſentis ratio,comitiis conſularibus vt haberetur; cum non modo negare illi conſulatum L. Lentulus, & C. Marcellus conſules conſtituiſſent, ſed ſenatus decreuiſſet, M.Marcello conſule referente, ut Cæſari Gallias obtinenti ante tempus ſuccederetur. Interceſſerunt autem Tribuni pl. præſertim C. Curio; quorum interceſſio armis notata eſt, & tota Italia delectus haberi, arma imperari,pecunias a municipibus exigi cœptum. quibus rebus cognitis, Cæſar Rauennam euocat tertiam decimam legionem, & pleraſq. alias; progreſſibusq. Senatus, ac potius inimicorum aduerſus ſuam dignitatem perſpectis, apud milites concionatus eſt, querens tribuniciam interceſſionem, nouo exemplo, oppreſſam armis, & obtrectatione laudis ſuæ, & dignitatis, iniuriis inimicorum Pompeium deprauatum; poſtulans tandem, ne cuius Imperatoris ductu nouem annis Remp. feliciſſime geſſerint, plurimaq. prœlia ſecunda fecerint, omnemq. Galliam, & Germaniam pacauerint,eius exiſtimationem,dignitatemq. ab inimicis lædi paterentur.Quo loco cum tertiæ decimæ legionis milites conclamaſſent, ſeſe paratos eſſe Imperatoris ſui, Tribunorumque pl. iniurias defendere, cognita militum uoluntate, præmiſſis; vti Suetonius eſt auctor; clam è Rauenna cohortibus, ne qua ſuſpicio moueretur, & ſpectaculo publico per diſſimulationem interfuit, & formam, qua ludum gladiatorum erat ædificaturus, conſiderauit; & ex conſuetudine frequenti ſe conuiuio dedit.Deinde poſt Solis occaſum,mulis è proximo piſtrino ad vehiculum iunctis,occultiſſimum iter,modico comitatu, intempeſta nocte eſt ingreſſus; uiaq. diu errabundus,tandem illuceſcente die, duce reperto, per anguſtos tramites pedibus euaſit, cohorteſq. conſecutus ad Rubiconem, quòd ibi eius prouinciæ finis erat, conſtitit. Ibi quantum facinus moliretur reputanti,tandemq. cunctanti,cum oſtentum apparuiſſet, Eamus, inquit, quo Deorum oſtenta,& inimicorũ iniquitas vocat: iacta eſt alea: Atque traiecto exercitu, & Tribunis plebis,qui ſuperuenerant,adhibitis, lacrymans, veſteq. a pectore diſciſſa,pro concione fidem militum inuocauit. Hæc Suetonius: qui ex Cæſaris nocturna quaſi fuga, & diſſimulatione, Rauennatum potentiam, & cum Romano populo fœdus videtur maxime ſignificare: neque enim fortiſſimus Imperator Cæſar, tanta animi demiſſione, Rauennates, proficiſcens, metuiſſet, neque Rauennæ commorans, tot militum legionibus ſtipatus, de occupanda Republ.adeo diſſimulanter cogitationem omnem celauiſſet. Ad Cæſarem Cicero Rauennam venit, conſule tertium Pompeio, quo anno Tribunus pl.fuit M.Cœlius amiciſſimus Ciceronis; de quo rogauit illum Cæſar,vt induceret hominem ad ferendam legem de habenda Cæſaris abſentis ratione, vt poſſet abſens conſulatum petere; quod & factum eſt. De L.Planco ita Cœlium ad Ciceronem ſcripſiſſe non ignoramus. Plancus quidem tuus Rauennæ eſt,& magno cõgiario donatus a Cæſare,nec beatus,nec bene inſtructus eſt.Sed inutile,& minime iucundum fuerit longioribus hæc verbis deſcribere,quæ per ſe ipſa ſatis conſtare poſſunt.Omittimus id etiam, quod pleriq. affirmant,Cæſarem ſupra portam,cui nunc Aureæ nomen eſt, eo tempore Aſiana vocabatur, ex auro portam feciſſe, & ſub aurea porta, domunculam, cuius valuæ ex auro omnes conſtarent: in ipſoq. muri medio, ſupra portam, ſtatuam ſuam æneam,ſedi aureæ inſidentem,collocaſſe, cuius caput ex gemma admodum præſtanti conſtaret: venter,auri plenus

eſſet;

eſſet; in manu ingentis item pretii, maximeque micantem gemmam haberet: ante vero ſtatuam, mille auri pondo, ad regiam menſuram poſuiſſe; atque ob id portam illam, cum Aſiana ante diceretur, Auream deinceps appellatam. Statuæ ita inſcriptum ferunt. kalendis Maii, Oriente Sole, caput aureum habeo: quod cum diu latuiſſet, tandem inuentum hominem aiunt, qui cum fuiſſet interpretatus, theſaurum ibi fore, quo oriente kal. Mai. Sole, umbram ſtatuæ caput deiiceret, theſaurum, fodiens, inuenerit. Adiiciunt præterea ad portam illam Aſianam, ſimulacrum Apollinis fuiſſe, quod gentes impiæ uenerarentur, & tamquam Deum colerent. Hæc quamuis ipſa tradat antiquitas, tamen ut minus uera putem eſſe, portæ ipſius inſcriptio facit, grauiſſimis præſertim auctoribus aſſerentibus a Tiberio Cæſare conſtructam, cum uniuerſam urbem muro quoque circumdediſſet. Illud omittendum non eſt, Rauennates in ſuffragiis Romanorum comitiorum ferendis ius habuiſſe, cum id iuris uniuerſæ Galliæ togatæ eſſet: inde frequentes, appropinquante comitiorum die, Romam conueniebant: maximeq. ciues Romani, noſtratium gratiam, ſummo ambitu rogantes, captabant. Statuam etiam Cæſaris a Rauennatibus in theatro ſtatutam, hæc indicat in uetuſtis monumentis reperta inſcriptio. *Diuo C. Iulio Cæſari Tr. pl. Pont. Max. cos. totius orbis Imp. clementiſs. ac liberaliſs. Qui e Gallia ſuperata cum exercitu Romam pergens, hicq. ſubſiſtens, theatrum hoc ampliſs. populo ſuo fœderato, deſignauit. Rauennates P. R. fideliſsimi, ſtatuam hanc celeberrimam, ære publico ob eius merita poſuer. In cuius dedic. Decurionib. ſing. *. V I I I. plebi. viritim *. I I I I. Colon. cenam deder.* Sed veniamus ad Auguſtum, qui Cæſari in Imperium ſucceſſit: neque enim de Cæſare, quod Rauennam ſpectat, plura legimus. Auguſtus hac in vrbe aliquandiu eſt commoratus, cum potiſſimum aduerſus Germanos, & Pannonios bellum gereret: ad Candianumq. portum claſſem habuit. Cum enim; uti Blondus eſt auctor; in eam Candiani paludem, Sapis fluuius ſeptingentis abhinc annis; qui amnis modo millia paſſuum octo abeſt, conflueret, omniumq. qui eſſent in Italia, nobiliſſimum, & pulcherrimum portum conficeret, ductus ea commoditate Auguſtus; ut Suetonius Vegetius, Cornelius Tacitus, teſtantur; M. Antonio & Cleopatra bello ſuperatis, pacatoq. imperio claſſem ibi inſtruxit, quæ in eam incumberet curam, ut Hadriaticum, Ioniumq. mare, & omnem eius regionis, Ponti, Armeniæ, & Aegypti tractum, tueretur: cum alteram Miſeni ad mare mortuum poſuiſſet, quo Italiæ inſulas, & mare Gallicum, Hiſpanum, Africum, & Mauritanicum, & Septentrionale etiam Oceanum defenderet. Non ignorantes ante Octauiani de M. Antonio Victoriam, in Rauennati portu claſſem quoque fuiſſe: cum apud Appianum Alexandrinum memoriæ traditum ſit, Octauianum, ut Sex. Pompeium debellaret, Magni filium, qui erat in Sicilia, vbi ad ſe venire Brundiſium Athenis. M. Antonium iuſſiſſet, naues Rauenna longas quamplures adduci curaſſe: Nec diu poſt, Cornificium Rauenna proficiſci, & cum claſſe, Tarentum venire, vt maturaret, mandaſſe: quo in itinere cum magnam fuiſſet tempeſtatem paſſus, tota claſſe diſiecta, ea tamen ſola periit nauis, quæ Octauiano iam deſignata fuerat. Idq. initium eius cladis habitum eſt, qua Octauianus paucis poſt diebus, bello nauali, a Pompeio, egregie ſuperatur. Militabant autem; ut ex vetuſtis marmorum inſcriptionibus didicimus, in hac Claſſe, Pannonii, & Dalmatæ, Claudiæ

potiſſimum legionis, âtque etiam tribus: cum aliquando etiam aut tota ipſa Claſſis, aut inſignis pars, Antoniana vocaretur; quod declarat hæc in marmore inſcriptio, in pauimento Vrſianæ ædis adhuc extans.

M . AVRELI . VITA
LIS . MILITIS . CL
PRAET . ANTONI
NIANAE . RAVENN.
NATIONE . PANN
IIII. PROVIDENTIA
STIP . XXVII
VALERIA . FAVSTI
NA . FOCARIA
ET . HERES . EIVS
BENE . MERENTI
POSVIT.

Adſcribit Plinius ad huius celeberrimi portus focem, turrim exædificatam inſignem, Pharon appellatam, quæ perpetuo nocturno lumine, certum nauigantibus, opportunumq. inter cæcas noctis tenebras ſignum, & remedium præberet; ea magnitudine, ut maiorem ullam Imperium Romanum non haberet. Cum uero claſſis adeo magna; in eum enim portum naues ſupra CCL. recipi tuta, & commoda ſtatione poterant; ſatis numeroſo exercitu neceſſario conſtaret, Romæq. eſſet conſtitutum, ne qua multitudo ſe illuc reciperet, niſi datus eſſet locus ad habitandum, Rauennatibus militibus eſt conſtituta Tranſtiberina ad Ianiculum regio, quæ hac de cauſa Rauennatum ciuitas deinceps vocata eſt. Vbi quo loci Caliſtus primus Pont. Max. Diuæ Mariæ, quam in Tranſtiberi appellant, ædificandum templum iuſſit, antea templum Rauennatum fuerat; e quo, nocte illa, ſumma veneratione colenda, qua Chriſtus Deus e Virgine natus eſt, magna olei copia manauit. Inſequentibus etiam temporibus, D. Petri baſilicæ ad Vaticanum, quæ Tranſtiberinam regionem ſpectat, porta Rauennatium appellata eſt. Onuphriusque Panuinius auctor eſt, Rauennatum nomine, Tuſcos etiam, & qui ultra Padum incolunt, comprehendi: quod ſi ita eſt, ut doctiſſimi uiri iudicio, eſt exiſtimandum, magnam arguit Rauennatis nominis dignitatem, ſecum inſignes populos, quaſi mare flumina, inuoluentis: quod in Italia patria, maximum putatur. In tanta autem portus celebritate, non modo a militibus claſſis, verum etiam ab iis mercatoribus, qui illuc conueniebant, pulcherrima, & opulentiſſima ædificata ciuitas fuit; cuius meminit, in Didio Iuliano, Spartianns, eamque ob rerum ſecuritatem muris cinctam, Claſſem, minime obſcura deriuatione uocarunt. Quæ cum quater capta fuerit, primum a Iuliano Seuero; ut Aelius Spartianus eſt auctor; deinde a Clephi Longobardorum Rege; poſtea a Spoletinorum Duce Feroaldo; vt Paulus Diaconus memoriæ prodit; tandem Liuthprando; Lon-

Longobardorum item Rege ; quemadmodum memorabimus ; ita defecit, uix ut ulla nunc eius appareant ueſtigia ; turriſque omnino euerſa, & deleta ſit ; portus fermenullus : palus ſenſim ipſa quoque in continentem degeneret. Quamquam enim Beuanus, & Auella, ſeu ut aiunt, Beuanella, parui torrentes, aliquot aliis in ſe exceptis torrentibus, in hanc confluant, & uicini in eam agri aquas emittant, ipſa tamen maris contractione, deleto ferè omnino, uti docuimus, portu, exigua palus reliqua eſt, quæ in dies minuitur. Quòd autem Claſſis, Diui Gregorii tempore, atque etiam antea Epiſcopum habuerit, Blondo ſcribenti non aſſentior, cum non Claſſi, ſed Rauennæ Epiſcopi præfuerint, uti memorabimus ; tametſi in opido Claſse aliquandiu habitauerint, quemadmodum autem Auguſtus claſſem, copiasq. maritimas ibi habebat ita in altero ſuburbio, cui Cæſareæ nomen erat, C. Cæſaris, dum in Germaniam iret, terreſtres copias hibernare conſueſſe tradunt. Ceterùm Octauianus Auguſtus, deuicto ad Actium Antonio, non ſolum Candianum portum, vti diximus, reſtituit, & claſſem ibidem locauit, & turrim excitauit, ſed cum dominari ſolus cepiſſet, totam Italiam, vti etiam Plinius auctor eſt, in vndecim regiones diuiſit octauam, Galliam Ciſpadanam uocauit Pado, Arimino, atq. Apennino definitam : eamq. in duas regiunculas, a Placentia Bononiam, a Bononia Ariminum diſtribuit, Metropoli Rauenna relicta. Reliqua bella, Suetonio teſte, per legatos adminiſtrauit. Verùm vti quibuſdam Pannonicis, atq. Germanicis aut interueniret, aut non longe abeſſet, Rauennam progredi interdum conſueuerat ; uti etiam aliquando Mediolanum, & Aquileam. Inſequentibus temporibus, Tiberius Claudius Germanicus, quartus ab Auguſto, Rauennam, cum vel ſine muro, aut, quod eſt credibilius, diruto eſſet, eo muro cinxit, quo cinctam illam adhuc videmus, uti Blondus, & plerique alii grauiſſimi auctores ſcribunt. Id autem nequaquam temere coniiciunt ex literis inſcriptis Portæ aureæ, quam huius tempore conſtructam miro opere Ricobaldus teſtatur. eæ autem ſic habent.

TI. CLAVDIVS . DRVSI . F . CAES . AVG . GERMANICVS . PONT. MAX . TRIB . POT . II . COS . DES . III . IMP . III . PP . DEDIT

Ex hac autem inſcriptione conſtat Claudium portam hanc, & muros vrbis inſtauraſſe, anno ab vrbe condita DCCXCV. A partu autem Virginis XLIII. quo anno rebus eius auſpiciis, in Africa, Mauritania, Tingi, & Cæſarienſi, a Suetonio Paullino, & Cn. Sidio Geta bene geſtis, Imp. III. appellatus eſt : cumq. eodem hoc anno conſul. II. eſſet, cum C. Largo deſignatus fuit, cos. III. ſequentis anni : Quæ eo magis uera apparent, quod Dionis teſtimonio non ignoremus, anno inſequenti, qui primus belli Britannici fuit, Imp. IV appellatum. Deinde Imp. V. VI. VII. VIII. IX. vſque ad XXVII. Verum ut eo redeamus vnde diuertimus, ſi Rauennatum rerum ſcriptori grauiſſimo Agnello aſſentimur, Valentiniano Cæſari, Gallæ Placidiæ filio, eiuſdem muri aut inſtaurationem, aut maiorem ambitum ſumma cura, ac diligentia, necnon pulchritudine acceptum feremus ; qui cum motus timeret,

hic ſe muniendum curauerit· quod tamen Blondus etiam memoriæ prodit. Fertur eundem Tiberium, Nicoſtrato, & Apollonio celeberrimis Architectoribus huc miſſis, ad portam Auream aduerſus hiemis, æſtatisq. incommoda admirabili opere, teſtudinatam domum conſtruxiſſe; cuius uolunt eſſe ueſtigia, quæ adhuc extant: tametſi eadem alii, Theoderici Regis domus admodum egregiæ affirment; nec fortaſſis immerito, cum ex ea teſtudinata domo, Theodericum templum, atque ampliſſimas etiam ædes ſibi ædificaſſe fama ſit. Non eſt autem incertum, Tiberium in hac vrbe ſæpius ac diu commorari ſolitum, multisq. illam muneribus exornaſſe, & uehementer dilexiſſe: atq ob id patris ſui memoriam ibidem anniuerſaria celebritate, renouari uoluiſſe. quod ex hoc lapide uetuſto, Rauennæ olim reperto, conijcere, non eſt, ut puto, difficillimum, ſic autem habet.

TI . CLAVDIVS . DRVSI . F . CAES . AVG
GERM . PONT . MAX . TRIB . POT . Ī
COS . DESIG . ĪĪĪĪ . IMP . III . P . P . DEDIT
OB . MEMORIAM . PATRIS . SVI . DEC . ṼĪĪ
COLLEGI. FABR . M . R . HS . ∞. N̄ . LIBERALITATE
DONAVIT . SVB . HAC . CONDICIONE . VT
QVOTANNIS . ROSAS . AD . MONVMENTVM
EIVS . DEFERANT . ET . IBI . EPVLENTVR
DVMTAXAT . IN . V̄ . ID . IVLIAS
QVOD . SI . NEGLEXERINT . TVNC . AD . VIII
EIVSDEM . COLLEGII . PERTINERE . DEBEBIT
CONDICIONE . SVPRADICTA

Idem Tiberius extructo Herculi fano, eo loco, ubi nunc ſacrum D. Agneti martyri templum eſt, columnam ante fores templi erexiſſe, Soliq. dedicaſſe fertur; illiq. ſtatuam ex marmore impoſuiſſe, dimidium globum; capite, & manibus adnitentibus; collo geſtantem: in quo hemiſphærio, die, Solis; noctu, Lunæ umbra, perſpicua, ſubtiliq. ratione horas indicabat. Hancq. ſtatuam ob id Herculis horarii appellatam. Cum uero, ubi nunc D. Agneti eſt templum, uti memorauimus, collocata eſſet, a porta Aurea haud procul, illi vrbis regioni, Herculanæ nomen impoſuit; itaque magicis artibus extructam adſcribunt columnam fuiſſe; ut deſtrui abſque ingenti ignis periculo non poſſet: quod tamen, euentus falſum, ut puto, iudicauit. Hæc ſtatua, cum diu in foro Senatorio perſtitiſſet illuc ab Hieronymo Donato, ciue Veneto, Præſide, ex regione Herculana tranſlata, ſuperioribus annis, in Aſinarii fori medium traducta fuit. Non deſunt etiam ſcribentes, ad portam Auream, Mercurii ſtatuam fuiſſe, ad quam ſi quis vrbe egrediens, humeros conuertiſſet, e ſtatua ingentem clamorem prodire confeſtim ſolitum, qui vniuerſæ ciuitati magnum timorem iniiceret: eiq. qui egrediebatur, faciem ad Mercurium omnino conuertendam fuiſſe, niſi mortis ſummum diſcrimen, perpetuamq. uocem illam mallet. His autem temporibus, cum nondum

Chriſti religio eſſet inuulgata, aut certe parum, Rauennates falſa Deorum religione tenebantur: quamobrem non hoc modo Mercurii ſimulacrum habebant, ſed, ut ex D. Apollinaris uita cognoſci poteſt, erat hic Capitolium percelebre, cui & Pontifices adſcripti, qui ſacra facerent. Aderat quoq. Iouis templum, cum Antiſtite, & ſacerdotibus: neç non & Apollinis. Hoc eo loci conſtitutum fuit; uti ex uetuſtis accepimus monumentis; ubi D. Apollinaris in claſſe ædem ſacram Iulianus Argentarius Iuſtiniani Cæſaris iuſſu deinde extruxit: Illud ubi Petrianum templum a Petro Archiepiſcopo excitatum, ac dedicatum potius, memorabimus. In eo ſacerdotes ſacra Ioui faciebant, eratq. tercentis aris præditum, ut ex D. Apollinaris uita, a D. Eleocadio, eius primum diſcipulo, mox ſucceſſore, deſcripta perſpicuum eſt; ipſeq. Petrus Archiepiſcopus a Theoderico Rege impetratum dedicauit, & ad Chriſti Dei cultum, regionemq. reduxit, & de Petri Apoſtoli, atque item ſuo nomine appellauit, ut non immerito hac de cauſa ab eo ædificatum dici non ſit nefas. In ſenatu duplex erat ordo, Senatorum, & Patriciorum: qui cum non niſi in nobilioribus eſſet ciuitatibus, colligere hinc facile etiam Rauennæ nobilitatem poſſumus. Certus quoque locus erat, ubi ſepeliri omnes ferè conſueuerant, ab vrbe haud procul: quem ab iis, quæ ſepulcris inſcribebantur, Dis, ſcilicet, manibus; hactenus Diſmanum, corrupta voce appellamus: quemadmodum & Campianam villam, inde dictam plerique putant, quod ibidem Campus Iani, ut Romæ Campus Martis, extaret. Erat etiam collegium Fabrum militiæ Rauennatis, & templum Neptuni, ab L. Publicio Italico, uigeſimæ octauæ decuriæ, militiæ Rauennatis, Decurione, extructum: in quo Neptunalia celeberrimis ludis agebantur, eo loci, quo nunc Diui Franciſci templum exædificatum eſt. Id ex iis cognoſcitur, quæ uetuſto ſepulcro ſunt inſcripta: quod olim Dantis tumulo proximum, nunc ſub porticu ædis Diui Franciſci, ubi antea erat reductum, cernimus. Ea autem hæc ſunt.

FLAVIAE · Q · F · SALVTARI · CONIVGI
RARISSIMAE . L . PVBLICIVS . ITALICVS . DEC . ORN
ET . SIBI . V . P . HIC . COLL . FABR . $\overline{\text{M}}$. $\overline{\text{R}}$. HS . $\overline{\text{XXX}}$. $\overline{\text{N}}$. VIVVS . DEDIT . EX . QVOR
REDITV . QVOD . ANNIS . DECVRIONIB . COLL . FABR . $\overline{\text{M}}$. $\overline{\text{R}}$. IN . AEDE . NEPTV
QVAM . IPSE . EXTRVCXIT . DIE . NEPTVNALIORVM . PRAESENTIBVS . SPORT . * . BINI . DIVIDERENTVR
ET . DEC . XXVIII . SVAE . * . CENTENI . QVINQVAGENI . QVOD . ANNIS . DARENTVR . VT . EX . EA . SVMMA . SICVT
SOLITI . SVNT . ARCAM . PVBLICIORVM . FLAVIANI . ET . ITALICI . FILIORVM . ET . ARCAM . IN . QVA . POSITA . EST . FLAVIA
SALVTARIS . VXOR . EIVS . ROSIS . EXORNENT . DE . X . XXV . SACRIFICEN . QVE . EX . X . XIIS . ET . DE . RELIQ . IBI . EPVLENTVR
OB . QVAM . LIBERALITATEM . COLL . FABR . $\overline{\text{M}}$. $\overline{\text{R}}$. INTER . BENEMERITOS . QVOD . ANNIS . ROSAS . PVBLICIIS . SVPRA . S
ET . FLAVIAE . SALVTARI . VXORI . EIVS . MITTENDAS . EX . X . XXV . SACRIFICIVMQVE . FACIVNDVM . DE . X . XIIS
PER . MAGISTROS . DECREVIT.

Quoniam verò Claſſis,& militia Rauennas omnium erat, quas haberet Imperium Romanum, florentiſſima, idcirco non ſolum collegium Fabrum habebat, ſed & inſtructiſſimum nauale, præclarumq. armamentarium, necnon eius cuſtodem, & Nauarchos, ac Trierarchos, ceteroſq. eiuſmodi, dignitate plurimum, aliis, ceterarum claſſium, nauarchis, trierarchisq. præſtantes: vt ex iis, quæ ſequuntur, lapidum antiquorum inſcriptionibus patet.

Ad ſacrarium D. Apollinaris in Claſſe.

C. IVL. PRISCI
VIX. ANN. VI. M. X. D. VIII
IVLIVS. GERMANVS
ARMORVM. CVSTOS
ET. VAL. MARTIANA
PARENTES

In vico Portiolo, in ſacello quodam

M. COCCEIVS. M. F. CAM
EROTIANVS. DEC. COL. CENT
M. R. SIBI. ET. VALERIAE
BENIGNAE. CONIVGI
INCOMP
CVM. QVA. VIXIT. ANNIS. XX

Ad D. Agnetis.

D. M
M. VALERIO
M. F. CLAVD. CO
LONO. LIBVRN
VARVAR. SCRIB. CL
PR. RAVEN. VIX. ANN. L
MIL. ANN. XXVI
VALERII. COLONVS. ET.
. . . .

Ibidem

D. M
P. PETRONI AFRODISI....
EX TRIERARCHIS NAVARC...
ET PRINCIPE. CL. PR. RAVEN...
ET GAVINAE GORGONIAE EIVS.
AELIVS GARPOPHORVS
PARENTIBVS

Con-

Conſtare autem hinc poteſt etiam, apud Romanos, claſſi præſertim Prætoriæ, Principem fuiſſe præfectum; vti etiam in Senatu, ac reliquis ordinibus: potiſſimum autem legionibus, in quibus acies erant, triarii, principes, haſtati, velites, atque hinc ad Brutum ſcribit Cicero, *Naſennius Cretenſi bello, Metello imperatore, octauum principem duxit.* quod interpretantur, octauam Principum centuriam, ſiue ordinem. Adfuiſſe etiam Rauennæ, ærarium militare, hæc, in regione D. Agnetis in muro locata inſcriptio, docet.

M. APPVLEIO
PROCVLO. L. F
CLAVD.
TI. CAEPIONI
HISPONI. COS. PONT.
PROCOS. PROVINC. ASIAE
ET. HISPANIAR. BAETICAE
PRAEF. AERARI. MILITARI.

Vrbis quoq. huius nobilitas, dignitasq. intelligi ex eo poteſt, quòd Tiberio Nerone poſt Auguſtum imperante, Druſo Cæſare, & C. Norbano coſs. anno

AN. XVI. a partu Virginis XVI. cum Germanicus in Segeſtem & Arminium Cattorum principes, maxime potentes, atq. infidos, qui ſæpius a Romanis defecerant, arma mouiſſet; Segeſtesq. ſeſe cum Romanis coniungens, vna cum vxore Arminii, eademq. filia ſua, vtero gerente, in Germanici poteſtatem veniſſet, virilis ſexus ſtirps, quam edidit vxor Arminii, Rauennam eſt miſſa, ibiq. puer educatus: quandò non omnis ciuitas opportuna, & huic apta cuſtodiæ videbatur, ſed ea tantum, quæ maxime fidelis eſſet, ciuiumq. potentia, & auctoritate plurimum munita. Erat enim Arminius homo violentus, & vehemens, turbator, & liberator haud dubie Germaniæ, Sueuorum, Semnonum, & Langobardorũ ad eum defectionibus illuſtris, ac præpotens; qui non primordia populi Romani, ſicut alii Reges, Ducesq. ſed florentiſſimum Imperium laceſſierit: prœliis ambiguus, bello numquam victus; quique omni ſtudio, fraude bonis, & malis artibus, nihil atrox, nihil aſtutum omiſſurus; omnes, prece, pretio, omnibusq. promiſſorum generibus ſollicitaturus credebatur, vt ſpem poſteritatis ſuæ reciperet, & apud ſe haberet; aut ſaltem ne coniux, & filius, ingenti dedecore, in ſeruitute eſſent, & ludibrio haberentur. Ob eandem vrbis auctoritatem, ac robur, paulo poſt M. Silano L. Norbano coſs. anno ab ortu Chri-

AN. XX. ſti XX. Marobduus Sueuorum Rex, Arminii, Semnonumq. & Langobardorum primo, mox Catualdæ iuuenis inter Gotones nobilis, armis oppreſſus, & vndiq. deſertus, cum Tiberio ſcripſiſſet, non ut profugus, aut ſupplex, ſed ex memoria prioris conditionis, ſe a multis nationibus vocatum, Romanam amicitiam prætuliſſe, reſponſumq. fuiſſet a Cæſare, tutam ei, honoratamq. ſedem in Italia fore; eo cum veniſſet, illi Cæſar Rauennam conſtituit, vbi & per duodeuiginti annos fuit, conſenuitq. & ſi quando inſoleſcerent Sueui, quaſi rediturus in Regnum, oſtentabatur; erat enim Marobduum Regis nomen inuiſum popularibus. Qua autem dignitate, qua amplitudine, fide, & robore eſſe vrbs debebat, Marobdui Regis in Italia domicilium, vel ex teſtimonio ipſius

ſius Tiberii Cæſaris conſtat, qui; vti Cornelius Tacitus auctor eſt; diſſeruit, non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum, aut Antiochum populo Romano perinde metuendos fuiſſe: extabatq. Taciti ætate oratio, qua magnitudinem viri, violentiam ſubiectarum ei gentium, & quàm propinquus Italiæ hoſtis, ſuaq. in deſtruendo conſilia extulit. Haud ita diu poſt Ser. Cornelio Ser. F. Cethego L. Viſellio C. F. Varrone coſs. anno ab vrbe condita DCCLXXVII. a partu Virginis XXV. filii Q. Vibii Sereni aduentus, ob miſeriarum, ac ſæuitiæ exemplum atrox, Rauennates plurimum perturbauit. Reus enim pater erat, accuſator filius: & ambo Romam in Senatum inducti: pater ab exilio retractatus, illuuieq. ac ſqualore obſitus, & tunc catena vinctus: filius perorans. Præparatus adoleſcens, multis munditiis, alacri vultu: ſtructas Principi inſidias, miſſos in Galliam concitores belli, index idem, & teſtis dicebat: adnectebatq. Cæcilium Cornutum prætorium miniſtrauiſſe pecuniam: qui tædio curarum, & quia periculum pro exitio habebatur, mortem in ſe feſtinauit. At contra reus nihil infracto animo, obuerſus in filium, quatere vincula, vocare vltores Deos, vt ſibi quidem redderent exilium, vbi procul tali more ageret, filium autem quandoq. ſupplicia ſequerentur. Adſeuerabatq. innocentem Cornutum, & falſo exterritum: idq. facile intellectu, ſi proderentur alii; non enim ſe cædem Principis, & res nouas vno ſocio cogitaſſe. Tum accuſator Cn. Lentulum, & Seium Tuberonem nominat magno pudore Cæſaris, cum primores ciuitatis, intimi ipſius amici, Lentulus ſenectutis extremæ, Tubero defecto corpore, tumultus hoſtilis, & turbandæ Reipub. accerſerentur. Sed hi quidem ſtatim exempti: In patrem ex ſeruis quæſitum, & quæſtio aduerſa accuſatori fuit: qui ſcelere vecors, ſimul vulgi rumore territus, robur, & ſaxum, aut parricidarum pœnas minitantium, cedens vrbe, Rauennam, vbi ſe tutum putabat, aufugit; incertum an conſilio Cæſaris. Pleriq. affirmant parum abfuiſſe, quin Rauennates, infamem hominem, & adeo ingratum ferre intra ſuos parietes, nequeuntes, eum trucidarent, omninoq. futurum, vt impetu facto è medio ſuſtuliſſent, niſi accurrens cum armatis Claſſis Præfectus, aliquorum popularium cæde, tumultum compeſcuiſſet, & inter obſtantes, ac armatos ferro via patefacta, oſtendiſſet, Cæſari id maxime odioſum futurum, quando iudicia corrumpere, & perduelles fouere viderentur. Quamquàm autem in præſentia motus, ac perturbatio nonnihil quieuit, tamen ex inſidiis, & ex occulto interficere hominem, tanto flagitio notatum, quotidie Rauennates nitebantur: erat enim Sereni patris hac in re innocentia admodum perſpecta, neq. erat cui non eliceret lacrymas tanta innocentis viri calamitas. Vtcumque, nam huius Rauennatis tumultus nullus mihi vetuſtus auctor eſt; illud eſt perſpicuum Cornelii Taciti teſtimonio, filium retractum Rauenna, exequi accuſationem adactum fuiſſe, non occultante Tiberio vetus odium aduerſus exulem Serenum: nam poſt damnatum Libonem, miſſis ad Cæſarem litteris, exprobrauerat ſuum tantum ſtudium ſine fructu fuiſſe, addideratque quædam contumacius, quàm tutum eſſet apud aures ſuperbas, & offenſioni proniores. ea Cæſar octo poſt annos retulit, medium tempus varie arguens, etiam ſi tormenta, peruicacia ſeruorum, contra eueniſſent. Dictis dein ſententiis, vt Serenus more maiorum puniretur, quo molliret inuidiam, interceſſit Gallus Aſinius, Gyaro, aut Donuſa clauden-

AN. XXV.

dum

[library stamp]

dum cenſeret; id quoq. aſpernatus eſt, egenam aquæ vtranque Inſulam refe rens, dandosq. vitæ vſus, cui vita concederetur: ita Serenus Amorgum reportatur. Et quia Cornutus ſua manu ceciderat, actum de præmiis accuſatorum abolendis, ſi quis maieſtatis poſtulatus ante perfectum iudicium, ſe ipſe vita priuauiſſet; ibaturq. in eam ſententiam, ni durius, contraque morem ſuum palam pro accuſatoribus Cæſar, irritas leges, Rempubl. in præcipiti conqueſtus eſſet: ſubuerterent potius iura, quàm cuſtodes eorum amouerent. Sic delatores, genus hominum; vt inquit Tacitus; publico exitio repertum, & pœnis quidem numquàm ſatis coercitum, per præmia eliciebantur. ex his adeo uehemens Tiberio apud Romanos, Rauennatesq. odium conflatum eſt, vt quamquam deinceps Vibius Serenus fictis compertis criminibus in Fonteium Capitonem, eſſet etiam accuſatus, eum tamen odium hoc publicum tutiorem faceret. Mortuo Tiberio C. Caligula ſufficitur, Germanici filius; cuius tempore, quod ſcribendum de vrbe Rauenna videatur, habemus plane nihil. Maiora attulit Claudii, qui eſt Caligulam inſecutus, imperium: nam cùm primo Imperii anno Rauennam muro, & porta vti ſupra memorauimus, exornaſſet, nequaquam diu diuinis etiam caruit ornamentis. Huius enim ſecundo anno, qui a Chriſti die natali fuit quartus & quadrageſimus, cum ſe Romam Petrus Gallileus, Chriſti Eccleſiæ in terris caput, eiusq. Chriſti Dei Vicarius, contuliſſet, Chriſtianam religionem diuino iuſſu propagaturus, haud ita multò poſt, Apollinarem ſelegit virum Antiochenum, vitæ innocentia, religioneq. clariſſimum: manusq. illi, ſupra caput, imponens, Surge, inquit, accipe Spiritum ſanctum, ſimulq. Pontificatum, & perge ad Vrbem, cui nomen Rauennæ eſt, ibiq. Chriſtum, & eius Euangelium, ac myſteria diuulga. Mittat angelum ſuum Deus, qui tibi monſtret viam, comesq. ſeſe adiungat. His dictis, & omnia, quæ agenda illi erant, præſcripſit; & vti Petrus Damiani, grauiſſimus auctor, docet, Patriarchali modo, dignitateq. Antiſtitem ab ſe creatum, trigeſimo ab vrbe milliario, comitatus eſt; & ab eius congreſſu diſcedens, non abſque lacrymis, atque oſculis, vrbem hanc illi plurimum, religionemq. Chriſtianam commendauit. Hunc Apollinarem ex LXXII. Chriſti diſcipulis vnum fuiſſe tradunt, & ab ipſa Antiochia Petrum magiſtrum ſecutum, Romam veniſſe. Huius autem Rauennam aduentu, Rauennam, ſecundam Romam in Italia factam, Petrus idem Damiani, de D. Apollinari concionem habens, teſtatur. *Si enim*, inquit, ***Conſtantinopolitana ciuitas, quia Romanos in ſe tranſtulit ciues, ſecunda Roma eſt nuncupata, quanto magis hæc, quæ tantum Principem è Roma ſuſcepit, ſecunda Roma verius eſt appellanda? Numquidnam glorioſius eſt Quirites de Romana curia, quam Martyrem de Romana Eccleſia ſuſcepiſſe?*** Hæc ille. Cum primum Rauennam attigit, in ſuburbio Cæſarienſi ab vrbe haud procul, cum apud Hireneum militem diuertiſſet, filium eius cæcum, oculis, manu in crucis effigiem ducta, obſignatis, viſui reſtituit. Quod admirabile facinus, cum Tribunus de milite accepiſſet, iubet Apollinarem accerſiri, vt vxorem ſuam Teclam, iam diu morbo difficili laborantem, ab omnibus medicis deſperatam, ſanaret: quod Apollinaris tunc primum, ea nobis feliciſſima occaſione, vrbem Rauennam ingreſſus, effecit: cum enim apprehendiſſet manum Teclæ, Surge, inquit, in nomine I E S V, atque

ANN. XLIIII.

in

in eum crede; continuoq. morbo ſoluta eſt. Quamobrem non ipſa modo fœmina, ſed Tribunus, Hireneus, eorumq. familia omnis ad Apollinarem accurrentes doceri Chriſtianam religionem poſtulant: quibus ipſe poſtulatis commotus, intuens incredibilem miſericordiam, bonitatemq. Dei, & lacrymans, primum quidem, ipſis audientibus, & collacrymantibus, genibus innixus, gratias Deo agit, qui illos a ueritate, & ſincera diuini cultus ſanctitate procul aberrantes, in viam reducere ſit dignatus; mox omnibus conſidentibus explicat, Deum mundi parentem, vbique præſentem eſſe, fulcientem, regentemq. omnia, neque eſſe quidquam, quod illius obtutibus non pateat. Principio autem hominem, huic medio mundi globo, & tot generibus, tamque diſparibus beſtiarum cicurum, ferarumq. tamquam mortalem aliquem Deum propoſitum, ea lege condidiſſe, vt præcepto ſibi tradito pareret. Sed ille; inquit Apollinaris; dum cupiditati ſuæ potius, quàm diuinæ voluntati obtemperat, & maiorem teterrimo hoſti, quàm optimo parenti fidem habet, Diaboli ſæuiſſimam tyrannidem incurrit, præſtantiſſimumq. illud imperium, & libertatem, cum duriſſima, turpiſſimaq. ſeruitute commutauit: qua etiam fuit ſemper acriter oppreſſus, donec IeſumChriſtum, Vnigenitum filium ſuum verum Deum, miſit; qui vi ſpiritus ſancti, homo verus, in vtero virginis factus, & in lucem editus, ac ſuſceptus, noſtræ libertatis cauſa, formam, & condicionem ſerui ſuſcepit, & vt nobis immortalitatem ſuam impartiret, mortalitatem noſtram induit, adeo, ut inter homines vitam degens, non modo nos amicos appellare, fratresq. ſed & famulatum nobis præſtare voluerit: cúmque ipſe innocentiſſimus, peccata generis humani, pro ſuis agnoſceret, tandem poſt frigora, ſitim, famem, æſtus, & alia huiuſmodi corporis incommoda exhauſta, a rabioſis hominibus dilaniatus, & in crucem actus, ea noſtra crimina ſupplicio, ac ſanguine ſuo luerit. Mortuus, ad inferos deſcendit, vt nobis Diaboli Regnum, ac vires effringeret. Tertio die, ab inferis exurrexit: nec diu poſt, cum apoſtolis ſuis, atque item multis aliis, ſeſe uidendum, ac tractandum præbuiſſet, inſpectantibus omnibus, in ſuperas ſedes aſcendit: vnde Spiritum ſanctum demiſit ad apoſtolos die feſto Pentecoſtes, futurumq. vti nouiſſimo tempore idem Ieſus e cælo deſcendat ad iudicia exercenda: omnesq. tum mortales, totius vitæ rationem redditurі, reuocentur ad vitam, & qui iuſte vixerint, operatiq. recte fuerint, vna cum corporibus penetrent in cæli regiones, vbi beati æuo ſempiterno fruentur: ceteri omnes vna cum Diabolo, & angelis eius relegentur in tartara, vbi nullus ſuppliciorum, & miſeriarum modus erit, aut finis. Hæc autem, aliaq. complura Apollinari explicante, cum omnes præ gaudio lacrymarent, ſuppliciterq. ſe Chriſtianos fieri peterent, ſacra baptiſmatis vnda ab Apollinari abluti ſunt: inter eos tunc, ad medicinam huic mulieri faciendam accitus, Vrſicinus Ligur Medicus aderat, qui cum omnia ſumma & maxima artis remedia inani labore expertus, omnino deſperatam iudicaſſet, hoc ductus miraculo, Chriſti Dei legem amplexus eſt, & ſacra vnda ablutus. Sunt etiam qui arbitrentur, Vitalem Mediolanenſem, huius commilitonem Tribuni, tanto impulſum miraculo, cum Valeria coniuge, Geruaſioque & Protaſio filiis, Chriſtianum factum: tum que repudiatis ſacrificiis antiquis, ritus ſacrificandi nouus, & Chriſtianæ religionis proprius, inſtitui cœptus. Licet non deſint, qui affirment, ante

Petri,

le apud opidum, cum nollet, quoad eius fieri poſſet, gregem deſerere, in tugurio latens, Chriſtianis ſe illuc recipientibus, & Chriſti inuulgabat religionem, & optimi Archiepiſcopi munere fungebatur; vniuerſamque Aemiliam docendo Euangelio, atq. ob id inſtituendis Eccleſiis peragrans, Chriſtianam vbiq. religionem prædicabat; cum interea Rauennati Eccleſiæ, Calocerus, Apollinaris Vicarius præeſſet. iamq. Chriſtianam religionem multi fuerant amplexi, in quibus Vrſicinus maxime fuit, natione Ligur, medicus egregius, vti ſupra docuimus, qui medicinam Rauennæ faciebat. Hic ad Suetonium Paulinum virum conſularem, multis Taciti, & Plinii laudibus celebrem, qui Saturnino tunc primum erat ſuffectus, Neronis, qui Claudio in imperium ſuccefferat, vicarium, quod Chriſtianus eſſet, delatus, cum inter pœnas, ac tormenta Chriſtianum nomen integrum ſeruaſſet, pœna tandem capitali damnatus, cum ad mortem duceretur, nonnihil commoueri, animumq. demittere viſus eſt, vt D. Ambroſius, ex libello Philippi, eſt auctor. Quapropter Vitalis Mediolanenſis, qui erat ex Paulini familia, eiusq. prætorianus miles, Chriſti tamen aſſecla, & apud Paulinum, pro Vrſicino dixerat, conſpicatus metum hominis, cœpit hortari, ne qui in ſanandis aliorum corporibus tam ſtrenue inſudaſſet, propriæ animæ ſalutem, quæ longe antecelleret corpori, parui duceret: recurreret mente ad cogitationem iucundiſſimam numinis diuini: ſic futurum, vti ea calamitas in ſanctiſſima, ſuauiſſimaq. illius memoria conquieſceret. Huiuſmodi verbis magis animatus Vrſicinus, ad Palmam; qui locus, ſeu quòd ibi Palma arbor olim fuiſſet, ſeu quòd a victoriæ palma, ex religionis Chriſtianæ hoſtibus adepta, ita dicebatur; prompte, alacriterque accedit, ac intrepide mortem ſubiens, ad decimumtertium kal. Quinctil. obtruncatus, euolauit in cælum. Statim autem perinde, ac viueret, cadauer ſanctum ſeſe ex humo erexiſſe, caputque ambabus manibus apprehenſum, ad locum vbi ad ſepulturam dandum erat, attuliſſe a pleriſque memoriæ proditum eſt: aliqui etiam addunt ex eius collo tres palmæ ramos enatos: cuius admirabilis rei memoria cum plane interiiſſet, Diuo Vrſicino Rauennatum Archiepiſcopo, ad eius martyris ſepulcrum oranti, Vrſicinum hunc martyrem, caput manibus geſtantem, tribus ex collo palmæ ramis prodeuntibus ſeſe oſtendiſſe; quamobrem ab eo die iuſſiſſe Archiepiſcopum ſanctum, quo perpetuo memoria ſeruaretur, eius imaginem hoc modo pingi; quod & ad hanc diem cernitur. Aliquorum eſt etiam ſententia, Vrſicinum hunc V. kal. Mai. capite abſciſſum, diemq. XIII. kal. Quinctil. eum eſſe, quo e D. Vitalis templo, vbi diu iacuerat, ad D. Ioannis Baptiſtæ, multos poſt annos translatus eſt. Nam poſtridie eius diei Vitalis, ſanctum cadauer, ſumma veneratione, ipſa in vrbe ſepulturæ tradidit: maioremq. deinceps Dei amorem animo concipiens, mortalia, & caduca, ipſumque Paulinum Dominum, deſerit, nulli rei, extra cæleſtem patriam, inhians. Quapropter cum a Paulino accitus, accedere recuſaſſet, iratus Paulinus, præſertim cum illum & Chriſtianum iam eſſe, & quo minus Vrſicinus Diis ſacrificaſſet, feciſſe cognouiſſet, in carcerem Vitalem iubet contrudi; tormentis exquiſitis ſubiici, & in eculeo poni: quæ cum omnia patienter, fortiterq. tuliſſet, ad Palmam ductus, cum ſacrificare Diis renuiſſet, ipſumq. Martis ſimulacrum, contumelia affeciſſet, Paulini iuſſu, & ſacerdote Apollinis conſulente, in foſſam con-

ictus, in cuius fundo erat aqua, terra, & lapidibus obrutus, quarto kal. Mai. ad cœleſtis vitæ premia migrauit. Is autem, qui illud necis genus conſuluerat, Apollinis ſacerdos, cacodæmone per ſeptem dies miſerabiliter cruciatus, & ſe a Vitale exuri vociferans, octauo tandem die ſeſe in flumen dans præcipitem, miſere interiit. Hunc feliciſſimum martyrem, Montis ſancti Sabini incolæ, quod eſt opidum in Tuſcia, haud procul Aretio, tutelarem ſibi, & apud Deum patronum adiunxerunt, inde moti quod, nocte quæ D. Vitalis diem feſtum proxime antecedit, cum eorum hoſtes, improuiſo opidum adorti, illud acriter oppugnarent, & ſcalas ad muros admouiſſent, ſtatim toto opido ingens ſacri æris campani, nullo mouente, ſonitus, armorumque in aere ſtrepitus, & ciues ſomno exciuit, & hoſtes ab incepto deterruit, quod maximam in armis multitudinem eſſe putarent. Itaque opido ciues ſtatim egreſſi, irruptione in hoſtes facta, eos, nullo penè negocio fuderunt, & in fugam egerunt. Hinc poſtridie mane ſupplicatione habita, & ſummas Deo gratias egerunt, habueruntq. & communi conſenſu decreuerunt, ad DD. Sabinum, atque Egidium, patronos ſuos, vt D. Vitalis tertius adiungeretur, eiusque ageretur dies feſtus, anniuerſaria celebritate, perpetuo, ſolennis. Quo etiam fortaſſe factum eſt, vt Antonius Montes Cardinalis, ex hoc opido oriundus, & Rauennæ ab Iulio. II. Pont. Max. in purpuratorum Patrum Collegium cooptatus, vetuſtiſſimo D. Vitalis Romæ titulo, inſigniri ſtuderet: Idemq. Ioannes Maria faceret, fratris filius, qui deinde Iulius III. Pont. Max. fuit. Quod & in Petro Donato Cardinale Cæſio nunc videmus, cum intelligat priſcos Cæſios Rauenna duxiſſe originem, & huius vrbis ciuis, Senatorq. ac pater patriæ habeatur. Valeria Vitalis vxor, quam tunc temporis pleriq. Mediolani cum Geruaſio, & Protaſio filiis fuiſſe, Rauennamq. veniſſe ſcribunt: alii Rauennæ habitauiſſe affirmant, ibidemq. Geruaſium, ac Protaſium filios enixam; cum e foſſa detrahere uiri corpus contenderet, ab ipſo monita per quietē, ne a facinoroſo viro optime poſitum, loco dimoueret, Mediolanum contendit: Vrbem autem ſibi ingredienti, cum multi Siluano Deo ſacrificantes occurriſſent, iuberentq. vti ſecum appoſitis Deo carnibus, more gentium impiarum, veſceretur, & ipſa renueret, ac ipſorum potius ſtultitiam acerrime increparet, adeo illam verberibus impii male affecerunt, vt in ædes importata; cum vtero gereret, geminos adhuc immaturos, in lucem ediderit, viuos, quos Caius Mediolanenſis epiſcopus ſacro baptiſmate expiauit, & alterum Diogenium, Aurelium alterum vocauit, ad cœleſtem mox gloriam, prius martyres, quam nati, abeuntes. Huius erat rei teſtis per vetuſta in D. Vitalis templo pictura, in qua cum D. Valeriæ ducitur funus, duo ſecum, eodem feretro infantes faſciis inuoluti, efferuntur: ipſiq. Monachi, tradita ſibi continenti a ſuperioribus monachis diſciplina, qui ordinis ſui habitum, in hoc cœnobio, induunt eos pleroſq. Diogenii, & Aurelii, hac de cauſa nominibus appellant. tertio poſt die, Valeria mater ſanctam animam exhalauit. Filii decimo deinde anno, eodem genere necis, ob Chriſtum trucidati, cum D. Paulum Apoſtolum, ut D. Ambroſius, & Petrus Damiani teſtantur, magiſtrum habuiſſent, ſacris aſſidue lectionibus vacaſſent, & bonis omnibus diuenditis, ac in egentium uſus diſtractis, Monachorum vitam, vt D. Auguſtinus ſcribit, egiſſent.

egiſſent. Sub id tempus Q. Voluſio. P. Cornelio Scipione coſs. qui annus fuit ab vrbe condita D C C C I X. a partu autem Virginis L V I I. Clodii Quirinalis mors, viri auctoritate grauis, gloria clari, maxime Rauennates perturbauit. Is enim, quod Præfectus remigum qui Rauennæ haberentur, uelut infimam nationum, Italiam, luxuria, ſæuitiaq. afflictauiſſet, veneno damnationem anteuertit. Cum vero Paulinus ſucceſſorem accepiſſet Meſſallinum Prætorii Præfectum, quem Rauennam Nero miſerat, Apollinaris Rauennam reuertitur. Vbi acceſſitus ab Rufo viro patricio, & exconſule, militiæ Rauennatis Duce, ad eius filiam, Rufinam nomine, morbo perdifficili liberandam, cum ædes ingrederetur, puella, quæ tamen omnino deſperata ante Apollinaris aduentum non erat, animam exhalauit. Itaque Rufus pater, id ſibi exiſtimans Deorum ira contigiſſe, quòd ſpretis illis, alienæ, & nouæ religionis hominem ad ſanandam filiam vocaſſet, Apollinarem excepit inuitus; iamque illum e domo eiicere animo verſabatur, cum Apollinaris, fuſis Deo precibus, puellam ad uitam reuocauit. Cuius tantæ rei miraculo Rufus, & vxor obſtupuere: ſtatimque vna cum vniuerſa familia, & quadringentis fere hominibus Chriſti ſunt religionem amplexati, ſacraque vnda abluti: Puellam, quam ad vitam reuocauerat, virginitatem cum vouiſſet, Apollinaris velo, aliiſque cærimoniis venerabilem, ac ſanctam fecit; Rufum Capuæ Epiſcopum, creauit. Interea Nero omnium ſcelerum labe conſpurcatus, cum ea fuiſſet libidine, vt neque a ſorore, & matrè temperaſſet; duxiſſet virum, vxorem; Romam culpa in Chriſtianos reiecta combuſſiſſet; plurimam ſenatus partem interfeciſſet; equeſtrem pene ordinem aboleuiſſet; vxorem, fratrem, matrem, ceteroſq. fere omnes agnatos, & affines trucidauiſſet, ne quid ſcelerum reliquiſſet intactum, primus Chriſtianos proſequitur. Itaq. acceptis quæ Rauennæ ab Apollinari gerebantur, Meſſallino mandat, coniiciat in carcerem hominem, & ni reſipiſcat, mittat in exilium. Meſſallinus, Apollinarem ſacrificare iuſſum, ac renuentem, fuſtibusque ob id cæſum, in eculeum tollit; vulneribus confodit; efferueſcentem aquam in vulnera iniicit. Quibus Apollinaris nihil commotus, ſed conſtantior factus, ita, vt firmiſſimi montis inſtar haberet, ſtultam illam iudicis ſuperbiam, & arrogantiam ſic excitauit, vt nihil cunctandum Meſſallinus ratus, ſtatim exquiſitis pœnis miſere afficiendum iuſſerit; quibus dum cruciaretur, ex miniſtris vnus repente interiit. Cum vero Meſſallino Chriſti nomen obiiceret Apollinaris, & eius crudelitatem, ac ignorantiam proſcinderet, os illi lapidibus contuſum, in carceremque denuo coniectus eſt: quo tamen Angelus e cælo deſcendens, innocentiſſimum, optimeque de Chriſti religione meritum Archiepiſcopum ſanauit, aluitq. donec quarto poſt die in exilium naui miſſus eſt, vndiq. cathenis obſtrictus. Pleriq. ſcribunt, id ab Meſſallino bis pertentatum, ſed Chriſtianorum impetu prohibitum, qui in eius adminiſtros irruentes, ducentos amplius viros trucidauerint. Verum, vt apud me hæc minus conſtant, ita id patet, cum Apollinaris nauigaret, coortam ingentem tempeſtatem; cuius vi, omnes ferè ſubmerſi; præter Apollinarem, duosque ſacris initiatos, quos ſecum habebat, & ex militibus item duos, qui cuſtodes illi ab Meſſallino traditi fuerant. Sub id fere tempus Nero Petrum, ac Paulum, gemina Chriſtianæ religionis lumina,

multis antea verberibus, innumeriſque præterea ſuppliciis cruciatos, è medio tollit, anno ab ortu Chriſti. LXVIII. nec ita diu poſt fœda fuga ſibi conſulens, ad quartum ab vrbe lapidem ſibi manus conſciuit, cum ageret annum trigeſimum ſecundum. Galba ſucceſſit, qui crudelitate,& auaritia animos optimatium ab ſe cum alienaſſet, occaſionem præbuit Othoni, vt ab exercitu facile impetrauerit, coniuratione facta Galbam occidi, & Cæſarem creari. Verum nec diu tanto ſcelere parto Imperio, nec tranquille Otho eſt potitus: nam eodem fere tempore, quo hic Romæ Cæſar eligitur, Vitellius apud Germanos; Veſpaſianus in Syria Imperium arripuere. Cumque Vitellium ab Germanis legionibus Cæſarem creatum accepiſſet, copias inſtruit, tribusq. commiſſis prœliis, Rauennatum maxime, eiusque vrbis Claſſiariorum opera, ac labore, victor rediit. Quarto apud Bebriacum, Paulini, ac Celſi conſiliis, qui illum prœlio abeſſe Brixellum compulerat, ſuperatus; ſeipſum enſe transfodit annos natus octo & triginta. Vitellius cum haud temperantius, quàm ſuperiores, viueret, legionibus quibuſdam in Syria Veſpaſianum Cæſarem clamantibus, cum accedentibus hoſtibus, inops conſilii, ſe in domunculam contruſiſſet, turpiter inde detractus, & nudus per viam ſacram in forum ductus, ab cunctis fimo in os coniecto conſpurcatus eſt; tandemque octauo poſtquam imperare cœperat menſe, iuxta Gemonias ſcalas plurimis ictibus vulneratus, atque inde tractus vnco, merſus eſt in Tiberim. Succeſſit Veſpaſianus, vir religioſiſſimus, & moderatus, minimeque ambitioſus, cui nihil magis Imperium conflauit, quàm Rauennatium, Rauennatisq. Claſſis ſtudium: nam cum Veſpaſiani virtutem Rauennates, & Vitellii ignauiam perſpectam haberent, prouiderentq. fore, vt in tanta Imperatoris, nulla militari fama, ſed tantum Galbæ odio prouecti, ſocordia, qui torpebat, & condicionem Principatus inerti luxu, ac prodigis epulis præſumebat, medio diei temulentus, & ſagina grauis, ardore, & vi militum vltro Ducis munia implente, vt facile, Barbaris præda, aut certe Tyrannis, Romanum Imperium pateret, quemadmodum Othoni, aduerſus eundem fauerant; vti Cornelius Tacitus auctor eſt; ita Lucilium Baſſum Rauennati, ac Miſenenſi claſſibus a Vitellio propoſitum, priuatim, ac publicè diligenter hortantur, Reipubl. Romanæ amorem, & amplitudinem ne parui faceret, quæ breui eſſet in tanta ignauia Principis, præceps lapſura. Neminem enim in eius aula probitate, aut induſtria certare; vnum eſſe ad potentiam iter, prodigis epulis, & ſumptu Caianæ aquæ ſatiare inexplebiles Vitellii libidines, ipſum abunde ratum, ſi præſentibus frueretur, nec in longius conſultantem, nouies millies ſeſtertium pauciſſimis menſibus interuertiſſe; & ſi quid ardoris, ac ferociæ miles habuit, popinis, comeſſationibus, & Principis imitatione deteri. Fl. Veſpaſianum contra, vigilantia, parſimonia, ſapientia, & multa ante omnes experientia præſtare; cuius ſatis argumento eſſent eius legiones non diſcordia corruptæ, ſed militibus inſtructæ, vſu firmatis, & belli externi domitoribus. Neq. eſſe quemquam, qui non prouideat, ſolum Veſpaſianum ob inſignes virtutes, Imperium Romanum poſſe, poſt tot clades, decertantium inter ſe Cæſarum, reſtituere, & confirmare. His a proceribus, vrbis, & claſſis, qui maximam partem Rauennates erant; quemadmodum eiuſdem gregarij, plurimum Dalmatæ, & Pannonii: ſumma contentione

dictis,

dictis, Baſſus, quamquam primo recuſans, ad extremum tamen aſſentit: eo etiam libentius adductus in hanc ſententiam, quòd Rauennatium potentiam vereretur, & nonnihil iracundiæ in Vitellium, occultum retineret, qui poſt Præfecturam alæ, non ſtatim Præfecturam Prætorii tribuiſſet. Rebus igitur per hunc modum compoſitis, Baſſus, & Rauennates A. Licinium Cæcinam iam dudum, vt creditum eſt, Fl. Sabini conſiliis, miniſtro ſermonum Rubrio Gallo, a Vitellio abalienatum, cu m exercitu Cremonam contendentem, Rauennam aduocant, eſſe quòd cum illo conferendum, maxime Imperio Romano opportunum, atque vtile, putarent. Cæcina oblatam ſibi, quam deſiderauerat, pertentandi Baſſum, & Rauennates, occaſionem ſtatim accipiens, accelerare legiones Cremonam, pars Hoſtiliam petere iuſſus, prætextu claſſem alloquendi, Rauennam diuertit, negocioque omni defectionis tranſacto, legiones aſſecutus, centurionum, militumque animos obſtinatos pro Vitellio, variis artibus ſubruebat. Interea Antonius Primus, Veſpaſiani Dux acerrimus, Cornelius quoq. Fuſcus procurator, Titus Appius Flauianus, Aponius Saturninus, & reliqui Flauianarum partium Duces, cum Italiam ingreſſi, Aquileiæ proxima quæq. & Opitergii, & Altini occupaſſent, nihil magis, quàm Rauennates metuentes, Altini præſidium relinquunt, aduerſus Claſſem Rauennatem, nondum defectione eius audita. Rauennæ noctu Trierarchi, qui; vti memorauimus; magnam partem Rauennates erant, magno tumultu Vitellii imagines inuadunt, & paucis reſiſtentium obtruncatis, ceterum vulgus rerum nouarum ſtudio in Veſpaſianum inclinabat: qua accepta propenſione Lucillius, qui pudore, ſeu plebis metu, quis nam exitus foret, intra domum opperiebatur, progreſſus, auctorem ſe palam præbet; claſſis Cornelium Fuſcum Præfectum ſibi deſtinat, qui propere accurrit. Hanc autem defectionem vt Flauiani acceperunt, nihil iam timentes, Veſpaſianum lætis vndique vocibus, Imperatorem Auguſtum, Vitellium plane oppreſſum conclamare: tantum erat in Rauennatibus, & claſſe eorum momenti, adeoque quo ſe vertebant, illius partis animi confirmabantur. Hinc factum eſt, vt commiſſo deinde ad Forum Alieni prœlio, paucis licet Vitellianis interfectis, tamen ceteri pauore fidem mutauerint, duæq. legiones Septima Galbiana, Tertiadecima Gemina cum Vedio Aquila legato, Patauium, vbi erant Flauiani, alacres adierint: & Cæcina palam defecerit, primoresq. Centurionum, & paucos militum allocutus, eos in verba Veſpaſiani adegerit. Baſſus Rauenna profectus, honorataq. cuſtodia Liburnicis nauibus Hadriam pro uectus, a Præfecto alæ Mennio Rufino, præſidium illic agitante, vincitur: ſed exoluta ſtatim vincula, interuentu Hormi, Cæſaris liberti: Vitellium in nemore Aricino deſidem, & marcentem proditio Lucilli, Baſſi, & defectio Claſſis Rauennatis perculit: Fabiusq. Valens, Dux Vitellianus, cum multa, & varia conſilia agitaret, illud tamen vnum ſemper cetera anteibat, vt vitaretur Rauenna: quod & fecit: nam plurimum metuens, cohortibus Ariminum præmiſſis, ipſe flexit in Vmbriam, inde in Etruriam; & quidem in tempore. Cornelius enim Fuſcus Rauenna ſtatim proficiſcens, trepidos, qui Ariminum tenebant, admoto exercitu, & miſſis per proxima littorum Liburnicis, terra, marique circumuenit; occupanturque plana Vmbriæ, & qua Picenus ager Hadria alluitur; omnisque Italia inter Veſpaſianum, ac Vitellium

Apennini iugis diuidebatur. Nec diu poſt, cum eſſent ad ceteras copias e Claſſicis Rauennatibus, legionariam militiam poſcentibus, optimi quiq. adſciti, Claſſemq. Dalmatæ ſuppleuiſſent, exercitus, Ducesq. ad Fanum Fortunæ iter ſiſtunt, de ſumma rerum cunctantes. Sed breui, accepta ab omnibus Rauennatis Claſſis defectio, Miſenenſem Claſſem, & pulcherrimam Campaniæ oram, omnemq. Italiam; præter id quod inter Tarracinam, Narniamq. iacet, ad defectionem illexit. Quamobrem procedente exercitu Flauiano, Romamque ingreſſo, & interfecto, vti docuimus, Vitellio, Veſpaſianus Imperator Auguſtus conclamatus, & habitus eſt. Hic cum Iudæi ab Romanis, Prætoribus interfectis, defeciſſent, ab Nerone miſſus cum exercitu, vt eos motus compeſceret, Titum filium maiorem inter legatos habuit; cumq. Iudæos, qui ob diem feſtum celebrandum Hieroſolymis conuenerant, obſideret, cognita Neronis morte, plurimorum hortatu Imperium eſt adeptus. Id ſibi ab Ioſepho multo ante prædictum Suetonius ſcribit. Itaq. relicto Tito ad obſidionem, Romam profectus; tametſi accepta Vitellii morte, pauliſper ſubſtiterit Alexandriæ. Titus tandem Hieroſolymis potitus, templum ab Salomone Dei iuſſu ædificatum incendit, & ab exercitu Cæſar acclamatur, & una cum Veſpaſiano patre, nouo ſpectaculo, vrbem triumphans ingreſſus eſt. Apollinaris interea Myſiam peragrans, & Thraciam cum duobus militibus, quos ſibi ad cuſtodiam ab Meſſallino traditos, ad Chriſtum conuerterat, homines, qui præſertim ad Iſtrum incolunt, ad Chriſti Dei cultum, & venerationem cohortabatur; neque quamdiu ibi fuit, reſponſa Deorum vlla accepta. Id cum incolæ ab eis ſciſcitarentur, vix tandem de vno cognouerunt, virtute id Apollinaris fieri; neque futurum, vti quicquam ipſi reſponderent, donec ibi ille fuiſſet. Hoc maximam inuidiam conflauit apud eas gentes Apollinari; quapropter & male tunc audiebat, & tandem ſacerdotibus Deorum id ſuadentibus, fuſtibus cæſus, & naui impoſitus, mittitur in exilium. Quod neq. præter ſanctiſſimi viri ſententiam euenit, qui, audita Imperii commutatione, reuerti ad Eccleſiam ſuam decreuerat. Itaq. tertio poſt quam exulauerat anno Rauennam ingreſſus, exceptus eſt ſumma omnium Chriſtianorum gratulatione, præſertim quod Meſſallino, qui Capuam, Præfectus Vrbis, miſſus ab Veſpaſiano fuerat, Taurus vir egregius, & optimorum morum ſucceſſiſſet. Aliquot dies Rauennæ Apollinaris commoratus, & tum docendo, tum agendo Chriſti Euangelium in dies magis ac magis inuulgans, Tribuni domum ad Arietem amnem, iam diu a ſe templum conſecratam, D. Euphemiæ dicauit. Rediens enim ab exilio, & Aquileia tranſiens, cum Hermachoram eius vrbis Epiſcopum inuiſiſſet, D. Marci Euangeliſtæ diſcipulum, illumque reperiſſet diem feſtum Euphemiæ, paulo ante ibidem cum ſorore, & fratribus, martyrio, ad cæleſtis vitæ præmia vocatæ, celeberrimum agentem, paternamque Euphemiæ domum, conſecratam, illius nomini dedicaſſe, Apollinaris eo ſancto cadauere ab Hermachora imprtrato, Rauennam regreſſus, templum a ſe iam; vti memorauimus; excitatum, Euphemiæ nomini conſecrauit, ibidemq. corpus ſanctum locauit. Is autem locus extra vrbem dicebatur, quòd vrbs ab ea parte nequaquam mœnibus erat circumdata. Itaq. ab hac Euphemia; cuius dies feſtus Tert. Non. Sept. agitatur; nuncupatū eſt templum, non ab ea, quæ Diocletiani tempore, multos poſt annos,

nos, ob Chriſtum Chalcedone interfecta eſt; licet errore ducti, huic templo Præfecti perinde ac magis notam, Chalcedonenſem hanc XVI. kal. Octobr. celebrent, quia poſt Chalcedonenſe Concilium, inſtantibus Leoni primo Pontifici Max. eius Synodi patribus, Romano kalendario eſt adſcripta: Huius uetuſtiſſimi templi dedicatio kal. Maii ſolennis agitur. Quidam autem arbitrabantur, cum D. Apollinaris baptiſmatis locum conſtituere decerneret, ne amplius, incerta ſede, baptizare cogeretur, Deum cum ſuis rogauiſſe, vti aptum, & opportunum locum moſtraret, repenteq. viſum Arietem, qui & locum deſignauerit, & loco, atque etiam vicino flumini nomen præbuerit. Altera etiam fuit D. Euphemiæ ad mare ædicula, ac potius porticus, ab hoc templo longe diuerſa. Sed, ut redeamus ad hiſtoriam; cum haud ita diu poſt, Apollinaris coram Chriſtianis Rauennatibus in ſuburbano Cyrenei Senatoris ſacra ſolennia faceret, de eo inter ſe gentes impiæ, quæ falſa Deorum religione tenebantur, diſſentientes, repentinam ſeditionem concitauere. Quamobrem in eum irruentes, vinctum, aſtrictumq. in forum deducunt, vbi a Deorum cultoribus captus, ad Apollinis pertrahitur, uti ſacra faceret, Deumq. veneraretur. At cum eorum ille inſaniam irriſiſſet, & ad eius, in ſtatuam Dæmonis, contumelias, ſtatua perfracta corruiſſet, ab Pontificibus maxima ira incenſis ad Taurum iudicem deducitur; qui Taurus filio cæco ad uiſum ab Apollinari reſtituto, ſtatim ob Archiepiſcopi diſciplinam religione ſancta imbutus, illius dicto obediens, ſuppliciter hominem ueneratus, ex Pontificum manibus deductum, honorifice excipit, inq. ſuo prædiolo annis quatuor aluit; ubi de more & ſanandis ægrotis, & prædicando uerbo Dei, ab ſtulta Deorum religione, & plurimos traduxit ad longe præſtantiorem Dei colendi rationem; oſtenditq. Deo non iam uitulos, aut hircos immolandos, ſed hoſtias ſanctas, puras, & uiuentes afferendas. Taurus ad Veſpaſianum delatus, quòd de Apollinari, cum Apollinem effregiſſet, minime ſupplicium ſumpſerit, reſpondit eum ſibi magiſtratum demandatum credidiſſe, uti hominum iura, legesq. ſeruaret, non Deorum iniurias ulciſceretur: cum id ipſi, qui Dii ſint, facilius, ſi uellent, eſſent effecturi. Aſſenſus fuiſſet facile Cæſar, neq. in Apollinarem quæſtionem amplius exercuiſſet, ſed cum impii illum aſſidue docentem, & ſaluberrima præcepta edentem, omnes ab eorum religione alienare conſpicerent, non deſiſtere, quin Cæſarem fatigarent. Quapropter Veſpaſianus mandauit Demoſtheni Rauennati patricio, viro ſingulari, uti cauſam omnem cognoſceret, & ut leges ferret, Apollinarem pœna afficeret. Pontificum perſuaſione Centurioni Apollinaris in cuſtodia habendus ab Demoſthene traditur. Centurio Chriſtianus cum eſſet, conſuluit Apollinarem, uti ſe ad Claſſenſe opidum conferret, in uicum, cui Leproſorum cognomentum erat: Quod occulte dum efficeret, ut ibi latens, furorem uitaret improborum, ac flagitioſorum, nefarii ea cognita profectione Apollinarem adorti illuc proficiſcentem, fuſtibus cæſum ſic affecerunt, ut ſeptimo poſt die uir innocentiſſimus ad beatam uitam migrauerit, decimo kal. Sextil. Sepulchro ex marmore, ſub terra, propter Pontificum metum, conditur extra mœnia Claſſis, ANN. LXXIIII.
cum annum iam nonum & vigeſimum Rauennati Eccleſiæ præfuiſſet: annum a partu Virginis circiter ſeptuageſimum quartum: paulo poſt, quam Rufus eius diſcipulus, Capuæ, cuius vrbis erat Antiſtes, ab Meſſallino ob Chriſti religionem

ligionem, ſexto kal.Septemb. interficeretur. D.Apollinarem, Petrus Damiani, non ſolum martyrem appellat, ſed Apoſtolicum martyrem eſſe dicit. Peractis in funere ſacris, cum Chriſtiani omnes ſucceſſorem Apollinaris electuri conueniſſent, ignaris, incertiſq. illis, quem tanto viro ſufficerent, omnibus ferme id renuentibus, quòd ſe tanto muneri impares faterentur, e cælo columba deſcendens, Aderiti, quem & Abderitum plerique, ab Thraciæ forſan vrbe, Abdera, vocant, ſacerdotis ſanctiſſimi capiti incubuit; quapropter continuò clamare omnes, Deum commonſtraſſe, quem eligerent Archiepiſcopum. Itaque omnium conſenſu prouinciam Archiepiſcopatus ſuſcepit Aderitus, vir Græcus; Huius Archiepiſcopatu, Titus, Veſpaſiano
AN.LXXX. patre in villa circa Sabinos, ventris profluuio, nono anno Imperii mortuo, ſolus Imperium adminiſtrauit; tametſi ille biennio poſt in eadem ſit patrem inſecutus: cui Domitianus frater ſucceſſit ab vrbe condita anno octin-
ANN. LXXXII. gentesimo trigeſimo quinto: ab Chriſto nato octuageſimoſecundo. Hic cum acerrime Chriſtianos iterum perſequeretur, Iudæorum etiam gentem, generis præſertim Dauidici; quòd accepiſſet regem naſciturum ex ea gente, qui orbis imperium ſibi aſciſceret; multa nece cruentauit, & quamquam illum Melito Sardenſis ſua ad Lucium Verum Apologia, cum Nerone coniungat, fortaſſe tamen & eum ſuperauit, quod apertius in Chriſtianos egerit: & cum ante hæc tempora nullum publicum, perpetuumq. in Chriſtianos edictum legamus, hic primus publicè ſanxit, Chriſtianos vbiq. terrarum conquiri, neque vllam aliam ob cauſam, quàm quòd Chriſtiani eſſent. Hoc tempore Plinius Rauennate vinum, & Aſparagos, ac Rhombos piſces laudat; quæ omnia adhuc vigent, nec minori laude. Pleriſq. enim locis agri Rauennatis, ut iuxta vrbem, in Palatiola villa, & ſancti Petri in Vinculis, generoſa vina naſcuntur; quorum multa, ubi vua maturuerit, tenuia ſunt, odorata, ſtomacho vtilia, nec caput lædunt. De illis ſic Martialis ſcribens, aſſerit.

Sit ciſterna mihi, quàm uinea, malo Rauennæ,
Cum poſſim multo uendere pluris aquam;
Callidus impoſuit nuper mihi Caupo Rauennæ,
Cum peterem mixtum, uendidit ille merum.

Quo loco non vinum vituperat Rauennate, vt Leander Albertus opinatur, ſed aquam; cuius inopia laborabatur in ea ciuitate, quam omnem aqua alluebat marina: Quod his etiam temporibus Venetiis contingit. Id facile conſtat, cum ait poſſe multo pluris ſe aquam uendere. De Aſparagis item loquens in xeniis ſic ſcribit.

Mollis in æquorea, quæ creuit ſpina Rauennæ,
Non erit incultis gratior Aſparagis.

Aſſeritq. ranis abundare; quod ſignificare his verſibus videtur.

Cum comparata rictibus tuis ora
Niliacus habeat Crocodilus anguſta.
Meliuſq. ranæ garriunt Rauennates.

Quas etiam adeſſe, licet multo minori copia ob exiccatas paludes, noſtra ætate cõſpicimus Quemadmodum & Onocrotalos, de quibus idem Martialis in Lydiam ſcribens, ait, *Turpe Rauennatis guttur Onocrotali*: habent enim hæ uolucres guttur maximum, quod, turpe, apud Poetas exprimit. De Rhombis

bis, non omiſerim, eam tunc fuiſſe Rauennæ dignitatem, vt Hadriatici maris ad ſe nomen traxerit: ita enim iuuat Ouidianum illud, è Plinii dicto, interpretari,

- Hadriaco mirandus littore Rhombus,

id eſt Rauennate, quod nequaquam de magnitudine, ſed de ſapore libenter acceperim, cuius inſit maior Rauennatibus gratia, quam in ceteris Rhombis mediterraneis: alioqui tradunt plerique, piſcium magnitudinem, aquarum reſpondere copiæ, Oceaniq. piſces cum liberiore fruantur cælo, motuq. ac pabulo, maiores videri, cum præſertim in minore maris ambitu, frequentiores exerceantur prædæ, & fuga moram, mora laxitatem pariat: tametſi id non omninò ſit perpetuum, cum ſquatina in Mediterraneo maior, quàm in Oceano reperiri ſcribatur: ſunt enim propria alicubi pabula, quæ alant, atque augeant. Quod ſi dicat Horatius,

- Magiſve Rhombus aut ſcari,
Si quis Eois intonata fluctibus,
Hyems ad hoc vertat mare, -

id de ſcaris ſolis, qui proximè numerati ſunt, intelligendum uidetur, quos e Cilicia Varro apud Gellium maximè probat. Sunt etiam qui putant, inter quos eſt Blondus, Fauſtinum Martialis amiciſſimum, ut complura ad eum ſcripta epigrammata teſtantur, Rauennatem fuiſſe. Dioſcorides grauiſſimus rei herbariæ ſcriptor, Erithrodanum, quod noſtri Rubiam uocant, Rauennæ ſeri, fœliciterq. naſci tradit, maximumq. Rauennates ex ea ſentire fructum: cuius quidem herbæ ad hæc uſq. tempora ager Rauennas feraciſſimus eſt: ſed pauci admodum in eam mercaturam incumbunt. Lugienſes & Tiberiani, qui tamen Rauennatibus finitimi, iiſdem ſubiecti erant, & in agro Rauennati numerabantur, mercaturæ diligenter id genus exercent. Domitianus, interea cum multis Romanorum ciuium cædibus, plurimorum ſibi odia conflauiſſet, eaq. ſuperbia fuiſſet elatus, ut diuinam adorationem exigeret, & Flauium Clementem, collegam propinquumq. ſuum, Glabrionem Conſulem, & innumerabiles præterea, quia Chriſtiani eſſent, morte mulctaſſet, ab ſuis in cubiculo interfectus, ſucceſſorem accepit Neruam, qui cũ ſe ob deuexam ætatem impare tanto regendo Imperio conſpiceret, Traianum in Imperium adoptauit, virum Hiſpanum, qui anno elapſo, Nerua fato functo, omnium conſenſu Cæſar factus, apud Agrippinam Galliæ vrbem inſignia Imperii ſuſcepit. Huius tempore Aderitus, perfunctus abſoluti, optimiq. Antiſtitis omnibus muneribus, cum multos ad uerum Dei cultum ab falſa Deorum religione auocaſſet, moritur. V. kal. Octobr. ſepulturæ traditus in opido Claſſenſe, eo loco, quo deinde non multo poſt Diuo Probo templum eſt exædificatum; circiter annum domini centeſimum. Aderito mortuo cum Rauennates conueniſſent de Antiſtite eligendo tractaturi, Deumq. precarentur, uellet eum eligi, qui populo ex diuina ſententia præ eſſet, ſtatim, uti in Aderito contigerat, deſcendens columba è cælo, capiti incubuit Eleocadii uiri Græci, ſummiq. philoſophi, quem iam Apollinaris ſacris initiarat: Hic Græce, latineq. doctus, interpretatus eſt grauiſſime ex diuinis libris complures; elegantiſſimeq. conſcripſit de Chriſti conceptu, atq. ortu ex Virgine; deq. ipſius nece; quæ omnia iniuria temporum exhauſit. Petrus Damianus, qui hunc miris extollit ANN.C.

tollit laudibus, ſcribit ſumma fuiſſe pietate, atq. ita uirtutibus floruiſſe, ut in humano corpore uitam cæleſtem, ac diuinam imitaretur. Anno duodecimo ſupra centeſimum ab Chriſti ortu XVI. kal. Mart. obiit. Sepultus extra muros Claſſis; vbi non multo poſt ædificatum eſt eius nomini templum, quod Petri Damiani tempore adhuc extabat, inq. eo anniuerſaria ſacra fiebant. Eius oſſa deinde, vt pleriq. opinantur, ab Aſtulpho Longobardorũ Rege Ticinum tranſlata ſunt, & in D. Michaelis poſita. In cuius templi libro quodam, vbi de reliquiis Diuorum, quæ ibidem locatæ ſunt, fit mentio, hæc de Eleocadio leguntur: *A parte dextra, in cornu ipſius templi eſt corpus ſancti Eleocadii Archiepiſcopi Rauennatis, qui dum ob philoſophiam, cuius erat peritiſſimus, fidem Chriſti ſtudioſiſſime impugnaret, tandem ſuperatus, & conuerſus eſt a Beato Apollinari, diſcipulo Principis Apoſtolorum, & cæleſtis clauigeri Petri; qui poſt eiuſdem conuerſionem de fide Chriſti mirabiliter ſcripſit & diſputauit, adeo ut tempore ſuo appellaretur hæreticorum metus, & primus in Italia ordinauit officium nocturnum pariter & diurnum, ſolenniter diſtinguendo libros noui & ueteris teſtamenti, ut hodie per totam Eccleſiam leguntur in matutinis; & Rauenna huc translatum fuit per Chriſtianiſſimum Imperatorem Conſtantinum, natum ſancta Helena; qui hanc Baſilicam fundauit, anno natiuitatis Domini CCCXV. propter glorioſum triumphũ, quem tunc obtinuit contra Gallicos, Imperium non uerentes, precibus ſigniferi S. Michaelis.* Hæc ibi. Pontificem gerebat eo tempore Anacletus Athenienſis, Clementi, & Cleto ſuffectus; iamq; Traianus tertio perſequi Chriſtianos aggreſſus, Anacletum ipſum interficiendum curauit. De hoc Eleocadio mentionem fieri in marmore, quod in ſacra turri D. Caſſiani, Cymacli, adhuc habetur, his inciſis litteris, pleriq. putant.

ANN. CXII.

†TENP . DOMI . ELL . TREB . ARCHE . SAC . EECC
RAV . EADEM . VICENSIVS . PRIMV
EPC : ECC . SCI . CASSIANI . CI . CVM.
PRIM . AEDIFIC . P . I . N . D . VI . IND . . . . . .
FELICIT . . . . .

Sed quia Archiepiſcopos Rauennates diu epiſcoporum tantum inſignitos titulo, noui, & hoc tempore, nobilia templa, ſacraſq. turres editas, ab commentitiorum Deorum cultoribus ædificare, chriſtianis, nequaquam permittebatur, neque ullus erat, quod ſciam, Indictionum vſus, in annis numerandis, non poſſum cum doctiſſimis alioqui viris ſentire. Corruptum autem Archiepiſcopi, in hac inſcriptione, nomen, vt etiam alia obſcurum reddit, quis fuerit. Sufficitur Eleocadio in Rauennati Archiepiſcopatu Martianus, a Deo, demiſſa columba, electus; natus ſublimi loco, uir in primis pie, iuſte, ac temperanter uitam degens; tanto concitus ardore animi, ut Chriſtum prædicans, in animis Rauennatum ardentes amores excitaret omnium uirtutum: multiq. nullis rerum aduerſarum ictibus frangi, neq: oppugnationibus nefariorum de gradu pietatis deiici potuerint, ſed calamitates omnes, tandemq. necem pro Chriſto libenter pertulerint. Plurimos ſacris initiauit; cumq. rerum admirabilium gloria clariſſimus eſſet, cæleſtem in patriam abiit XI. kal.

Iun.

lum.atq. vti ex uetuſtiſſimis ſcriptis collegimus, in D. Eleocadii ſepulturæ traditus; anno domini ſeptimo & uigeſimo ſupra centeſimum; dum Aelius Hadrianus, imperaret. In uetuſtiſſimo tamen manuſcripto codice, de vitis ſanctorum, quod penes Franciſcanos D. Petri maioris fratres, Rauennæ adhuc habetur, in uita D. Probi Archiepiſcopi, traditur, Martianum hunc Rauennatem Archiepiſcopum, Dertonæ, ob chriſtianam fidem, martyrium inuicto animo ſubiiſſe: quod & Ioannes Rap. è Muta, Eremitani ordinis cucullatus in Martyrologio ab ſe in D. Nicolai Rauennæ, nonaginta iam annis, compoſito, & in Carrarii bibliotheca ſeruato, confirmat. Petruſq. Natalis in ſanctorum virorum catalogo, ſcribit, Martianum in carcerem a D. Secundo milite, quem Aſtæ Calocerus Chriſti religionem docuerat, viſitatum. Fieri enim haud difficillimè potuit, in tanta chriſtianorum Antiſtitum, ac ſacerdotum penuria, quantam peperiſſe aſſiduas chriſtianorum moleſtias, ac innumerabiles neces, eo tempore, veriſimile eſt, ut Rauennates Antiſtites, eorumq. adminiſtri, prouinciam ſuam, more D. Apollinaris, peragrantes, vlterius quoq. proueherentur: Indeq. ſanctum Martiani corpus, a Calocero, & ceteris adminiſtris, & ardente illius ſeculi religionis ſtudio, moreq. Rauennam ad ſuam Eccleſiam fuiſſe adductum. Hadrianus Cæſar cum a Quadrato Apoſtolorum diſcipulo, & Ariſtide Athenienſe de Chriſtiana religione plurima cognouiſſet, vti Paulus Oroſius eſt auctor, cauit edicto, ne quis Chriſtianus impunè, indictaq. cauſa trucidaretur: Cum ſolis Iudæis bellum geſſit, quos etiam ſuperatos fugauit. Non potuit tamen in tanta Eccleſiæ tranquillitate Alexander ſummus Pontifex; qui Euariſto ſucceſſori Anacleti ſubrogatus fuerat; & magnam Senatus partem, Hermemq. Vrbis Præfectum, ac eius familiam Chriſto Deo adiunxerat, calamitates, ac necem euadere, paulo poſt quam Calocerus Græcus in Martiani locum, Rauennatum Archiepiſcopus eadem ratione ab columba ſuffectus eſſet. Qui cum rerum omnium ſub Hadriano quietem fuiſſet nactus, aſſiduo hortatu, Deo verbis efficaciam, ac robur tribuente, omnes ferme Rauennates relictis falſis Diis religioni ſanctæ adhærere ſic perſuaſit, ut admodum pauci fuerint, qui non acceperint cultum, & cognitionem veri Dei. Sub id tempus Xyſtus Romanus Pontifex trucidatus eſt; quem non multis poſt annis Hadrianus Cæſar eſt inſecutus, diuerſo, ut par eſt, euentu. Hadriano Antoninus Pius Gener ſufficitur, quem in filium Hadrianus adoptauerat. Xyſto Pontifici Teleſphorus in Pontificatu ſucceſſit. Nequaquam tamen me fugit, Pontificum Romanorum tempora pleroſque ſecus digerere, ſed nobis modò ſat fuit aliquem ſequutos fuiſſe grauiſſimum ſcriptorem. Teleſphori Pontificatu Rauennatum Archiepiſcopus Calocerus cum annum ætatis centeſimum viridi ſenecta ſuperaſſet, mortem cum vita cōmutauit Tertio Id. Feb. ſepelitur haud procul ab Aderito. Proculus ſextus ſubrogatur ab columba præmonſtratus; natione Syrus, cuius parentes ex Antiochia vna cum D. Apollinari venerant. Qui in D. Theodori conuentum pro deligendo Archiepiſcopo haberi tunc temporis aſſerunt, in ſumma hiſtoriarum ignoratione verſantur, cum illud templum ædificatum adhuc non eſſet. Aliquorum tamen ſententia eſt, in domo Theodori ciuis Rauennatis locum publicum ab Apollinari conſtitutum, vbi ii Rauennates, qui Chriſtum ſequebantur, quæ ad eius religionem, ac fidem pertinerent, edocebantur, & Sa-

ANN. CXXVII.

cram

cram Euchariſtiæ hoſtiam ſumebant. Alii uero templum illud, S.Theodori, id autem eſt, ſancti Dei doni, Græca voce dictum, perinde ac ſancti Spiritus arbitrantur, ab eo admirabili cæleſtis, ac diuini Spiritus aduentu. Neq. enim eo tempore adhuc D.Theodorus, Amaſiæ Marmaritanorum erat natus, nedum ob Chriſtum trucidatus: id enim Maximiani Imperio contigit. Proculus cum ad Chriſti præcepta vitæ ſuæ curſum accommodaſſet, iuſteq. cum fide uixiſſet, optimè de Rauennati Eccleſia meritus, deuexa iam ætate kal. Decemb. uitam cum morte commutauit: Sepultus prope ne Aderitum, Calocerumque, an in D. Eleocadii, incertum. Id conſtat, Obiiſſe ſub id fere tempus, quo Iginius, qui Teleſphoro in Pontificatu ſucceſſerat, obtruncatus eſt; eiq. ſucceſſor datus Pius Aquileienſis; quemadmodum Proculo apud Rauennates, Probus; qui mirabilium rerum ſplendore clariſſimus, cacodæmone agitatos ſanitati reſtituebat; valetudinem aduerſam, morboſque difficiles, quique curari non poterant, propellebat ingenti miraculo. Cum ad extremum perueniſſet, Angelorum agmina vidiſſe teſtantur, illiſq. comitem in cælum euolaſſe Quarto Idus Nouembr. Sepultus in eo templo, quod ab ſe conditum in Claſſenſi opido fuerat; quo loco Aderitus, & Calocerus ſepulturæ locum habuerant, a mari haud procul. Eorum Antiſtitum cadauera cum honeſte collocaſſet, inſtituit ut ibi aſſidue fieret res diuina. Fuit autem M. Aelii Aurelii
ANN. Antonini temporibus; Pontificatu Pii, Aniceti, Sotheris, ac Eleutherii,
CLXXV. annum ab ortu Chriſti circiter centeſimum ſeptuageſimum quintum. Id D. Probi Claſſenſis templum auguſtiſſimum, noſtra ætate ſolo æquatum eſt, nec vlla tanti operis ueſtigia apparent. Illud tamen poſterioribus ſeculis maxime exornauerat Maximianus Rauennatum Archiepiſcopus, ac deinde Sergius item Archiepiſcopus; qui, vti in eius geſtis narrabimus, D.Apollinaris templum ab Argentario exædificatum, ab ſacerdotibus ad monachos traduxit; qui tamen ſacerdotes aſſidui in D. Probi, & Eleocadii templis, rem, ut antea, diuinam, poſtea fecerunt. Valerius tandem Archiepiſcopus, teſtudinem ſupra aram D.Probi extruxit. Verum cum paulo poſt Agareni uniuerſa Adriatici maris littora deprædarentur, Diuiq. Apollinaris templi ornamenta omnia, quæ ſumma, & maxima erant, ſuffurati eſſent, & pleriq. præterea ſanctiſſima hæc cadauera ſuffurari tentauiſſent, Petrus Bononienſis Rauennatum Archiepiſcopus, ne quid accideret mali timens, ſanctiſſimo conſilio optimum fore iudicauit, in vrbem illa comportari. Ceterum cum incertum eſſet, ubi reconderentur; & pridie kal. Feb. ad D.Apollinaris primo, mox ad D.Probi, Deum ſuppliciter eſſet precatus, ut ſibi, quo eſſent loco ſanctiſſima illa cadauera, commonſtraret; ab eo defodi cœptum tametſi ſuſpenſo, atq incerto animo, quo coniectura eos maxime deduxit: reliqui omnes ſacerdotes ſumma ueneratione fodientes Archiepiſcopi incœptum perſequuntur; nec multum foderunt, cum ſacerdos ligone lateritium lapidem percutiens, arcæ latentis aditum ſub ara patefecit. Quapropter ſublata menſa ex marmore, quæ aram conflabat, detectoq. ob id ſepulcro, uas ligneum carie ob uetuſtatem corroſum, inuentum eſt: in quo loculi ſeiuncti uiſebantur. In altero bina erant cadauera; in altero, unum; nullo ſcripto, quod nomina ſignificaret. Veniunt tamen in coniecturam, gemina cadauera illa, eſſe Aderiti, & Caloceri; tertium Probi. Nonnihil itaq. reliquiarum, ob Diuorum memoriam ibi relicto,

cadaue-

cadaueribus in Antiſtitis ſede poſitis, continuo cum magno imbri fœdum eſſet cælum, inclaruit, & ſerenum eſt factum. Moyſes prætere quidam ex monachis Claſſenſibus Diui Apollinaris, cum febri multos iam dies laboraret, tacta ſede, reſtitutus eſt ſanitati. Itaqne delata primum ſumma omnium ueneratione,nec ſine lacrymis ſancta cadauera ad Diui Apollinaris; mox ad Diui Seueri; cuius poſtridie dies feſtus erat;tandem hymnis,& lacrymis, ingentiq. gaudio in Vrſianam ædem transferuntur. Vbi miraculis compluribus Deus eorum ſanctitatis eſſe teſtis uoluit;Tertioq. Non.Mart.Petrus Archiepiſcopus eis aram dicauit. Quinto ab hinc die Vrbano Rauennati patricio per quietem fuit declaratum, quinque præterea Antiſtitum Rauennatum cadauera eodem in templo occultari. Quo factum eſt, vt cum denuo illuc ſe Petrus recepiſſet, perueſtigaſſetq. diligenter,duo inuenerit ſepulcra; in quorum altero bina cadauera erant; tria in altero: quæ dubio procul, ſi antiquitati credimus, Proculi, Dathi, Liberii, Agapiti, & Marcellini Rauennatum,uti narrabimus,Antiſtitum credenda ſunt. Ea,cum admirabilia complura edidiſſent, in Vrſianam ædem importata ſunt. Honeſtus deinde,qui in Archiepiſcopatu Rauennati Petro ſubrogatus eſt, Benedicto.VI.Ro.Pontifice,& Othone ſecundo Imperante, Probi cadauer in ara ex marmore maxima, ſub mole teſtudinata Vrſiani templi, honorifice manibus propriis collocauit, eiusq. nomini aram dicauit; quæ nunc temporum decurſu ſolo æquata eſt. Huic Probo; ut ad cœptum hiſtoriæ ordinem reuertamur; Dathus ab Spiritu ſancto per columbam Rauennatibus præficitur, cuius faciem diuino ſplendore,ſupra quàm dici poteſt,illuxiſſe ferunt. Nouem annos cum adminiſtrauiſſet Eccleſiam, obiit V. Non. Quint.Sepulturæ locus datus in D.Probi; Pontificatu Eleutherii, qui Sotherem fuerat inſecutus; dum Commodus Antoninus fœde conſpurcaret Imperii dignitatem, omni uitiorum labe; & animi cauſa gladiatorios ludos exerceret, ſeq. feris obiiceret in Theatro. Interfecit hic complures ex omni nobilitate, quod ea ſibi antecellerent. Subſtructiones autem hoc tempore ad Claſſem opidum factas,lateres quadrati ingentes, qui nunc propè D. Seueri effodiuntur, declarare ſatis poſſunt, in quibus ita impreſſum grandioribus litteris legitur. Imp. Ant. Com. Datho in Rauennatum Archiepiſcopatu ſufficitur Liberius, philoſophus maximus, Græce, Latineq. doctiſſimus; qui religione ſic animum imbuerat, ut per unum & uiginti annos, quibus Rauennati præfuit Eccleſiæ, ex Deo toto animo, totaq. cogitatione pendens,cumq. ſibi doctorem, ac ducem habens, ita retraxerit multos aberrantes a ueritate,& ſincera diuini cultus ſanctitate,ac uitiis, & perturbationibus obcæcatos, ut nihil rectius ducerent, nihil aut facilius, aut iucundius, quàm honeſtam uiuendi rationem ſequi, & curſum conficere præceptorum diuinorum; cum tamen ipſa Cæſaris intemperantia omnes ad exemplum deduxiſſet. Ceterum poſt paulo & Commodus ſtrangulatur, & poſt illum a Senatu Cæſar Aelius Pertinax creatur.Qui ſexto quàm imperare cœperat menſe, Iuliani iuriſconſulti ſcelere interficitur. Arripit Iulianus Imperium; uerum ſeptimo poſt menſe ad Pontem Miluium ab Septimio Seuero Afro militum claſſis Rauennatis ope, ſuperatus illi ad eam dignitatem aditum parauit. Scribit Aelius Spartianus; uti memorauimus; ab Iuliano Claſſenſe opidum captum. Septimii Seueri Imperio, & Pontificatu Zephyrini,

qui Eleutherium, & Victorem fuerat in Pontificatu Max. ſecutus, moritur Liberius Archiepiſcopus Rauennatum, Tertio kal. Maii; Sepultus in D. Probi, cum Datho. Agapitus ſufficitur, cuius ea ſemper fuit bonitas, ut numquam ſuos deſtitueret, numquam uiolari ſuſtineret, quoad eius fieri poterat. Hoc tempore Seuerus Cæſar, cum Feſcennium Nigrum, qui in Aegypto, & Syria ad Tyrannidem aſpirauerat, apud Cyzicum ſuperatum trucidaſſet, Iudæosq. noua molientes compeſcuiſſet, ſuperatis Parthis, Arabibus, & Adiabenis, Chriſtianos acerrimè perſecutus eſt. Eo mortuo, Aurelius Antoninus Baſſianus Caracalla filius ſucceſſit; qui non minori, quàm pater, impietate ſæuiens in Chriſtianos, Zepherinum Pont. Max. trucidauit; cui Caliſtus ſubrogatur. Hic Domitii filius ex vrbe Rauennatum fuit: quæ vrbs utrum ne Rauenna ipſa ſit, an Tranſtiberina regio, incertum eſt apud aliquos. Sub id tempus Rauennæ D. Theodoro martyri, & D.Mariæ Virgini in Coſmodim templa exædificantur. Quod autem nunc D. Mariæ in Coſmodim vocamus, fons erat, quo aqua ſacrata baptiſmatis abluebantur pueri; ſequentibus temporibus, Theodorico Regnante, ab Arrianis, ut putant aliqui, extructus. Eius rei rota ex marmore, quæ in pauimento eſt, & D. Ioannis Baptiſtæ Chriſtum Deum baptizantis imago, in teſtudinis centro, argumento ſunt. D.Theodori templum, nunc Spiritus ſancti appellatur, quòd eo in templo, columba cælitus demiſſa, aliquot Archiepiſcopos Rauennatibus dederit. Exarchorum tempore, domum hoſpitalem ibi ædificatam ſcribunt, & prouentibus ditatam; ut Græci, qui egentes; religionis cauſa Romam proficiſcerentur, per aliquot dies gratis exciperentur, & alerentur. Caracalla Cæſar, qui nouercam uxorem duxerat, ſeptimo anno Imperii moriens, ſucceſſorem habuit Opilium Macrinum, cum Diadumeno Antonino filio. Sed hic, poſt annum, militari tumultu trucidatus cum fuiſſet, eligitur in Cæſarem M. Aurelius Antoninus, Heliogabalus appellatus; ſub id fere tempus, quo Vrbanus, Caliſto iam ab Chriſtianorum aduerſariis impie interfecto, ſucceſſit in ſummo Pontificatu. Nec multo poſt, anno quarto Imperii Heliogabalus, cum inauditis libidinum generibus in omnium odium incurriſſet, eſt interfectus. Subrogatur Aurelius Alexander Seuerus Mammæus, lacte chriſtiano; ut Tertullianus de Antonino Cæſare ſcribit, educatus, & a chriſtianis non auerſus: quo imperante, Agapitus Decimus Rauennatum Archiepiſcopus X V I I I. kal.April. moritur: Sepultus cum reliquis in D.Probi. Quidam cenſent, Conſtantino & Conſtante imperantibus circiter annum domini tricenteſimum quadrageſimum primum, Agapitum ſub Iulio primo Ro. Pontifice fuiſſe, & in Concilio Romano ſediſſe; uerum ob Agapitos Archiepiſcopos, qui plures fuerunt ſunt decepti. Hoc tempore Aſpaſius Sophiſta Rauennas, Demetriani filius, vti Suidas eſt auctor, Romæ florebat, ſumma omnium admiratione; cum aliquanto, quàm ceteri ſophiſtæ, grauius, & nobilius artem tractaret. Præceptores habuit Pauſaniam, & Hippodromum. Aduerſus Ariſtonem, ceterosq. maledicos orationes ſcripſit, quæ erant in manibus doctorum hominum frequentes. Alexandro Mammææ ab Epiſtolis fuiſſe, Philoſtratus auctor eſt: quamquam cum genere orationis uteretur contentioſo, ac minime perſpicuo, nec pro dignitate Auguſtali, ſatis graui; cum talium Principum litteræ leges contineant, a Philoſtrato per litteras

teras de recta ſcribendarum earum ratione, edoctus eſt: neque enim enthimematibus, aut epicherematis complēdas. Byblum cognomento appellatum tradunt, quod de byblo, ideſt papyro librum condiderit: Agapito, Marcellinus ſucceſſit Rauennatum Archiepiſcopus, alterum & trigeſimum circiter annum ſupra ducenteſimum ab ortu Chriſti; Vrbano adhuc Romano Pontifice. Quinquaginta annis Rauennati Eccleſiæ præfuit Marcellinus, tanta ſanctitate, atque innocentia, vt vel ſola opinione, homines a maleficio deterreret, & ad leges diuinas ſeruandas, ac colendas inflammaret. Sæpius cacodæmonum furorem; tanta in illo fuit magnitudo, & præſtantia benignitatis diuinæ; nullo labore compreſſit; cumq. virum ſanctum illi, diſpoſitis inſidiis, vallatum tenerent, ac circumueniſſent, eo Deum ſuppliciter inuocante, ſtatim proſtrati, miſereq. afflicti ſunt. Huius tempore, Alexandro, apud Maguntiacum militari tumultu e medio ſublato, Maximinus ab exercitu; ſenatu rem haud cognoſcente; Cæſar eligitur: ſed cum bello aduerſus Germanos feliciter geſto, ſextus Chriſtianos acriter perſequeretur, iamq. Aquileiam premeret obſidione, ab exercitu trucidatur. Caput ad Pupienum primo, qui Rauennæ erat, mox Romam delatum. Arripiunt tres ſimul Imperium, Pupienus, Albinus eius frater, & Gordianus, vir ex omni nobilitate, Gordiani filius, qui erat procōſul in Africa. Sed Albino, & Pupieno interfectis, ſolus Gordianus Cæſar conclamatur; cuius tempore Pontianus Romanus Pontifex, qui ſucceſſerat Vrbano, eſt ob Chriſtum interfectus. In eius locum creatus eſt Antherus Græcus; deinde Fabianus; in quo eligendo, columbam cælitus demiſſam, uti in Antiſtitum Rauennatum electione contingebat, pleriq. ferunt. Huius Pontificatu Gordianus Cæſar interficitur; Philippusq. ſucceſſit cum Philippo filio; qui primus Chriſtianam religionem cum filio eſt amplexatus, ſacraq. vnda ab Pontio ablutus. Hos Decius Auguſtus, ex inferiori Pannonia ortus, inſecutus eſt, acerrimus religionis Chriſtianæ, & immaniſſimus hoſtis, ab Nerone ſeptimus; cuius iuſſu Fabianus trucidatus eſt: quo eodem acerbiſſimo necis genere, illum, Cornelius, qui in eius locum Pontifex Maximus ſubrogatus fuerat, duobus poſt annis inſequitur. His acceſſit Fuſca virgo nobilis, quæ per idem tempus Idibus Febr. ſub Quintiano Præſide, qui in Sicilia Agatham trucidauit, ob Chriſti religionem Rauennæ interfecta eſt. Hæc enim Syroo patre orta viro nobili, annos nata quindecim, audiens Chriſtianam religionem, eius amore infinitum in modum inflammata, cum Maura nutrice id negocii communicauerat. Nutrix putans tantum facinus, inſciis parentibus, minime perpetrandum, occulte omnia matri patefacit, quæ, quòd diu Chriſtianæ militiæ nomen dare optauiſſet, non ſolum filiæ aſſenſit, ſed laudauit vehementer conſilium, ad Hermolaumq. ſacerdotem Rauennatum, virum ſanctiſſimum, profectæ, ab eo edoctæ ſunt, quæ facienda Chriſtianis eſſent, & ſacra vnda ablutæ. Hæc cum pater reſciuiſſet, qui ex omni nobilitate Rauennati eminebat, id ſibi, multis de cauſis, dedecori, & calamitoſum ducens, ſæpius tentauit, irrito tamen labore, ab Chriſti fide auertere filiam; tandem vero in carcerem contruſam, triduo abſque cibo eſſe voluit. Quibus tamen diebus non deſtitit pater, quin per matronas nobiles, eiusq. familiares adoleſcentulas hortaretur, ut ab Chriſtiana religione deficeret: quibus tandem cum nihil efficeretur, ipſeq. met pater omnibus blanditiis, ac ſpe-

ANN. CCXXXII.

cioſis uerbis, atq. etiam lacrymis filiam demulcens, immotam filiam conſpiceret, in tantam iram exarſit, ut, niſi mater interceſſiſſet, e carcere eductam enſe omnino confoſſurus uideretur. Iubet tamen adigi ad ſacrificandum Diis. Sub id tempus Quintianus Rauennam ingreſſus, his acceptis, mandat ad ſe Fuſcam, Mauramq. & parentes uinctos adduci. Sed cum apparitores eam deprehendiſſent orantem, cælitemq. iuxta eam ſummo ſplendore fulgentem conſpexiſſent, adeo territi ſunt, ut nihil auſi, inanes ad Quintianum redierint. Interea Fuſca, & Maura, quæ hæc acceperant, adeunt ad Quintianum, ſeq. Chriſtianas profitentur. Adductum Syroum patrem cum Quintianus interrogaret, cur filiam Chriſtianam eſſe ſit paſſus; ipſeq. id ſe inuito ab ea factum reſpondiſſet, adiectis teſtibus, qui referrent, quibus eam, ob id, pœnis affeciſſet, Fuſcam & Mauram, Deorum religionẽ falſam ſpernentes, verberibus affectas innumeris, iubet in teterrimum carcerem contrudi; ubi cum dies aliquot acerbe vixiſſent, Quintiani iuſſu, extra vrbem, Fuſca gladio in latus infixo, cum antea cælitus emiſſa vox illam eſſet ad necem fortiter ferendam hortata, confoditur. Maura nutrix, cadaueri, quod aſſidue amplexabatur, illacrymans, rogata carnificem, ut ſe eadem ratione gladio confoderet, illam inſecuta eſt. Cadauera ab Chriſtianis nautis noctu rapta, ad Sabratam prouinciæ Tripolitanæ vrbem importata, pulcherrimo ſepulcro condita. Multis deinde poſt annis, cum eam ciuitatem piratæ deprædati eſſent, Vitalis ciuis Venetus ad vrbem deſertam, diuino afflatus ſpiritu, adnauigans, ad Torcellum Venetiarum Inſulam, ea inuexit; ubi nunc honorificentiſſimo templo, ac ſepulcro; religione ſumma ab incolis coluntur. Hæ mulierum ſanctiſſimarum neces contigerunt, non ante multo, quam Decius tot ſcelerum daturus pœnas, vna cum filio, quem Cæſarem deſignauerat, trucidatur. Gallus Hoſtilianus cum Voluſiano filio in Imperium aſciſcuntur; poſt quos Aemilianus. Quo mortuo gemini Cæſares creati ſunt; alter in Rætiis cum exercitu, Valerianus; Romæ alter a Senatu, Galienus. Quorum temporibus adeo in Chriſtianos eſt ſæuitum, ut pauciſſimæ eorum familiæ, nedum ciuitates eius calamitatis expertes fuerint. Lucius Pontifex Maximus, cum mortuo Voluſiano, a quo fuerat relegatus, Romam rediiſſet, Valeriano iubente interfectus eſt. Qui Valerianus in bello Perſico uictus, ad manus hoſtium viuus peruenit: apud quos tam fœda vixit ſeruitute, vt Pacorus Perſarum Rex, quoties equum conſcenderet, eius dorſo perinde, ac ſcabello vteretur. Lucio Pontifici, Stephanus ſucceſſit, qui etiam Valeriani, & Galieni temporibus, anno Pontificatus octauo trucidatur; cum Germani alpibus, Rætia, uniuerſaq. Tranſpadana Gallia penetratis, Rauennam vſq. facta excurſione omnia deprædati eſſent; & vndiq. nouæ gentes finibus egreſſæ, ipſum orbem vniuerſum perturbaturæ uiderentur. Nam Gothi in Græciam, Macedoniamq. & Aſiam erumpunt: Quadi, & Sarmatæ Pannonias depopulantur: Germani occupant Hiſpaniam; ipſumque Imperium ab Tyrannis triginta arripitur. Tandem Galienus, cum Mediolani Aureolum obſideret, interficitur; cum antea illius iuſſu Xyſtus ſecundus, qui in Pontificatu Romano, Stephano ſucceſſerat, & hæreſes, voce, & ſcripto oppugnabat, Dionyſiumque Alexandriæ Epiſcopum, id per litteras petentem, ſententiam Eccleſiaſticam docuerat, fuiſſet obtruncatus. Illi ſubrogatur primo Dionyſius mox Felicius Romanus, eodem ferè tempore,

pore, quo Aurelianus, Claudio ſuffectus, Cæſar factus eſt; qui nonus Chriſtianos afflixit, præſertimq. Felicium, ac Eutichianum Pontifices Maximos; quos & interficiendos curauit. Sub id tempus Marcellinus Rauennatum Antiſtes, in tanta perturbatione vario rerum euentu miſere, grauiterq. affectus, animam exhalauit, Tertio Non. Oct. Dum extremum ſpiritum duceret, eius cadauer ferunt vnguentorum ſuauiſſimorum diuinum odorem afflauiſſe. Sepultus eſt in D. Probi. Vrbem Rauennam in ſeptem hoc tempore diuiſam regiones tradunt. Prima erat ad Orientem, prope portam Aſianam uocatam, ab ipſo, vt aiunt, Apolline ſortita uocabulum: ſed hoc modo, Actiana, non Aſiana dicenda eſſet, quod ſciamus Apollinem, Actium, ab Actio, loco Acarnanum ad ſinum Ambracium, appellatum: hincq. eius ludos, Actios celebratos ſciamus, & ſcribat Suetonius Auguſtum, ampliſſimum reddidiſſe uetus Apollinis Actii templum. Cuiuſmodi Rauennæ etiam fuiſſe, hæc regionis appellatio, ab eo forte templo perſuadet: cum ex D. Apollinaris, & D. Vitalis actis, templum hic Apollinem habuiſſe ſatis conſtet. Altera erat regio Herculana, quam diximus, ab Herculis ſimulacro è marmore columnæ impoſito, medium orbem humeris geſtante, quod horas indicabat, nomen ſortita. Tertia dicebatur Miliarium aureum ad meridiem, ubi celeberrimum fuiſſe Saturni templũ affirmant, & in eo è ferrea catena pendentem ſphæram argenteã maximam, cui affixæ ſphærulæ aureæ mille, eſſent, ſtellarum modo, inerrantium, ac uagarum: ex inerrantibus autem ſummã, & maximam ita cultus in hoc fano dæmon torquebat, ut aliis motum impartiret. Quarta regio ad Occidentem, ſummus uicus appellabatur. Quinta ad forum Hyppodromum, vnde erat Circenſibus curribus, ac ludis locus, ad cuius latera, rerum uenalium inſtitores cauſas agebant. Sexta Martia, ubi Martis fanum inſigni opere, ornatuq. a Pontificibus Capitolii, quod proximum erat magna diligentia ſeruabatur. Septima ad Veruecem, ac potius Arietem, quod in ea regione aureum defoſſum Arietem dicerent: Inde autem uicino deinde flumine Montonis impoſitum nomen plerique putant: cum alii contra exiſtiment, uti ſupra diximus.

HIERONYMI RVBEI

HISTORIARVM

RAVENNATVM

LIBER . SECVNDVS

CVm e vita migraſſet Marcellinus, ita vti ſupra demonſtrauimus, ſacerdotes, populusq. Rauennas in D. Theodori conueniunt, ut de more ſuppliciter Deum precati, ſibi per columbam ſignificaretur, quis eſſet Archiepiſcopus futurus. Hæc res longius eſt protracta, quàm conſueuerat: Itaque plures illuc conueniebant duplici miraculo impulſi. Factum eſt ob id, vt Seuerus, vir ex infima quidem plebe, ſed innocentia, & ſimplicitate nobiliſſimus, cum lanam expurgaret, quæreretq. ſibi, & familiæ inde victum, rei nouitate commotus, præſertim cum e templi, in quo fiebat conuentus, regione habitaret, poſita lana, ſe ad profectionem pararet; quem Vincentia vxor, cognita profectionis cauſa, irridens, ac increpans; Sede, inquit, & in comparandum vnde uiuas, incumbe; Deſine quibus id per opes licet, eos in eligendum Archiepiſcopum eſſe intentos. Cum tamen Seuerus ſancto Spiritu impulſus, nihil uxoris uerbis commotus tandem proficiſceretur in templum, Abi, inquit vxor; cum primum enim acceſſeris, Antiſtes creabere; id unum populus curat ſcilicet. Ille abiens, cum eſſet pannoſus, & demiſſi animi, & templum ſacerdotum, ac populi multitudine plenum, per primam, quæ minor eſt, portam ingreſſus, in angulum ad dextram pone murum ſe coniecit, ſuppliciter petens, vt Deus optimum populo patrem deligeret. Vix ibi conſtiterat Seuerus, cum in feneſtram inuolans columba, parumq. in lapide ſubiecto commorata; quem nunc lapidem ob rei memoriam, atque reuerentiam ab Conrado Graſſo Bononienſi, eius templi Abbate; qui templum illud mirifice inſtaurauit; honeſto loco poſitum uidemus; ad aures Seueri conuolauit. Seuerus, quòd ſe tanto myſterio minime dignum iudicabat, eiicere columbam; quæ circumuolans ad illum denuo rediit. Protinus populus vniuerſus clamare, ne illam eiiceret; fineret quid uellet efficere. Quod cum permiſiſſet columba, immiſſo in aurem illius roſtro, inde ſublimis abiit. Quo eodem genere prodigii haud multo poſt, tempore Conſtantini, Euurcium in Aurelianenſium Epiſcopum creatum ſcribunt. Stupentes omnes ob rei nouitatem accurrunt; Seuerum pannoſis veſtibus, & ſordidis expoliatum, veſtiunt ſacro pallio, quo Antiſtites vti conſueuerant. Ille confeſtim in alium mutatus, & diuino miraculo ſumma præditus ſapientia, continuo ſuggeſto con-

ſcenſo, concionem habuit; pietatis,doctrinæq. pleniſſimam, in qua prædixit, ne amplius diuinitus columbæ miniſterium expectaretur in creandis Rauennatibus epiſcopis. Pontifex erat, cum hæc acta ſunt, Caius Dalmata; Cæſar, Probus, ſeu, vt alii, Carus, cum filiis Carino, & Numeriano; annum circiter ducenteſimum octuageſimum quartum. Caius Pontifex trucidatur ab Diocletiano, qui poſt Aurelianum, ac varios rerum euentus, Cæſar, vna cum Maximiano Herculio fuit, & per decennium Chriſtianos acriter perſecutus eſt. Caio ſubrogatus Marcellinus, & Marcellino, Marcellus fuit; quo tempore Seuerus Rauennas, alius ab Archiepiſcopo, e medio ſublatus eſt ab Maximiano Auguſto; qui decimus, & poſtremus in Occidente Chriſtianos, perſequebatur. Viri enim ſancti prodigia, & vitam innocenter actam cum Maximianus accepiſſet, ob inueteratum in Chriſtianos odium, captum, & ſacrificare falſis Diis renuentem, vti diximus, interfici iuſſit kal. Ian. cuius cadauer nunc ſumma religione in Orbito, quam plerique veteribus Herbanum fuiſſe putant, ab incolis conſeruatur, & colitur. Hoc loco, mea quidem ſententia, Franciſcus Maurolicus Meſſanenſis Abbas, manifeſte aberraſſe deprehenditur, qui in ſuo Martyrologio, hunc fuiſſe Epiſcopum ſcribat: & longe magis Ferrettum, qui hunc Seuerum cum illo confundat, qui fuit Eccleſii Archiepiſcopi fratris filius. Paulo poſt Seueri necem, Diocletianus à Maximiano impetrauit, vti ſimul & purpuram, & Imperium deponerent: quod & factum eſt eodem die ab Dioclitiano apud Nicomediam, & ab Maximiano, Mediolani. Galerius, & Conſtantius poſt hos, Auguſti, duas in partes diuiſo Imperio, adminiſtrationis negocium inter ſe partiti ſunt. Decernitur Conſtantio Italia, Africa, & Gallia: Galerius Maximianus Illyricum, Aſiam, & Orientem obtinuit: & non multo poſt, Italiam etiam, atque Africam, tradente Conſtantio: qui Auguſtali contentus dignitate, Gallis, atque Hiſpanis dominabatur. Galerius duos adoptauit, anno CCCVI. ſororum filios, Seuerum, & Maximianum; quem, Oroſius, Maximum vocat, alii Maximinum. Illum præfecit Italiæ, & Africæ: Hunc Orienti: ferme ſub id tempus, quo Conſtantius Auguſtus, vir humaniſſimus, ac modeſtiæ ſingularis, in Britannia decedens, Conſtantinum ex Helena; quam alii concubinam, alii vxorem dicunt; filium Cæſarem reliquit. Romæ autem Prætoriani, Cæſarem fecere Maxentium, Maximiani Herculii filium, non abnuente Senatu; quem cum fugeret Seuerus, Maximinum petens, qui in Illyriis erat, Rauennæ captus, cæſusq. eſt. Quamquam ſcribunt alii, Maximianum, Maxentii patrem, qui Auguſtalia ornamenta, iam poſita, reſumpſerat, Rauennæ; quo, a Maxentio fugatus, ſe receperat; cum exercitu obſediſſe Seuerum, circiter annum CCCVII. Sed cum vrbs ipſa, opere, ac præſidio munita, aduentu Seueri, munitior eſſet reddita, ſenſit Maximianus, maioris, quam putarat, negocii, huius expugnationem vrbis eſſe. Itaque Seuero perſuaſit, vt accepto incolumitatis Sacramento, Romam repeteret. Ita Seuerus Maximiani fidem ſecutus, Rauenna exceſſit, atque ad tres tabernas, quod opidum non longe ab vrbe, via Appia, aberat, ſeſe contulit, haud dubia ſpe ductus, vrbem ſe Maximiani opera recepturum: Maximianus autem promiſſorum conſtantiam nequaquam ſeruans, mediis ipſum in caſtris, inſidiis circumuentum, extinxit, menſe Aprili, anno ſeptimo ſupra trecenteſimum ab ortu

ANN. CCCIIII.

ANN. CCCIIII.

ANN. CCCVI.

ANN. CCCVII.

tu

ANN. tu Chriſti. Duobus poſt annis, Marcellus Romanus Pontifex, a Maxentio, CCCIX. in viuaria, ad curam publicarum beſtiarum coniectus eſt; vnde quamquam, nono menſe, per ſacratos viros, eximeretur, tamen denuo, iuſſu Maxentii, iumenta curare, impulſus, tandem poſtero anno pœdore confectus, & ſitu, ANN. nudus, ac vix cilicio tectus, obiit: cui ſucceſſit Euſebius Græcus, patre Me- CCCX. dico natus. Hoc tempore, Sauina, Treca, vrbe Galliæ nobili oriunda, virgo, Roma rediens, quò, Sauino fratre, ob Chriſti fidem contrucidato, ad limina Apoſtolorum, ſe contulerat, cum Rauennam veniſſet, ſpecimen ſanctitatis ſuæ dedit: Diuertit enim ad Rauennatis viri diuitis ædes, hoſpitioq. accipi, ab ancilla, quæ occurrit ad fores, petit: Verum negante illa, ob eam cauſam, quòd grauiſſimo filiæ herilis morbo, quo nulla ſpe vitæ, animam agebat, perturbata omnia illis in ædibus eſſent, Sauina, Diuina bonitate, clementiaq. freta, ac eam ſibi a Deo oblatam, illius familiæ conſolandæ, occaſionem rata, poſtulat introduci in ædes, ad moribundam: Quod cum fuiſſet factum, manu ægrotantis apprehenſa, eam ſanitati reſtituit. Interea Euſebio Pontifici mortuo, Melchiades, qui, & Miltiades appellatur, ſucceſſerat, & Licinium ſuffecerat Galerius, Seuero interfecto. Galerio Chriſtianos acriter perſequenti, haud data eſt diu ſcelerum impunitas: nam vndique putredine, ac vermibus abſumptus, & eo furoris actus, vt Medicis etiam intulerit manus tam iis, qui de ſalute deſperauerant, quam qui rem aggreſſi, promiſſa non præſtiterant, quamquam edictum, ſuo, & Conſtantini nomine edixerit, vt Chriſtianis parceretur, veritus, ſe propter iniuſtas Chriſtianorum vexationes, a Deo iuſtè mulctari, tamen haud ita diu poſt, ſummis cruciatibus deceſſit. Rediit res ad Quateruiros, Conſtantinum, & Maxentium filios Auguſtorum, Licinium, & Maximinum, nouos homines. Romæ interea Melchiades Pontifex deceſſit, multa, ob Chriſti Dei fidem ab Vrbis Præfecto, paſſus: Huic ſufficitur Syluester Romanus: cuius Pontificatu, Chriſtiani toto orbe pacem habuerunt: Cum tamen in hac poſtrema a Dioclitiano inita rabie; quæ ad hæc tempora deſæuiit; innumeras neces, ac contumelias fuerint perpeſſi. Et, vt innumerabiles taceam, qui in omnibus ciuitatibus paſſim trucidati ſunt; quo factum eſt, vt præter eos, qui partim ſunt in Inſulas relegati, partim ad metalla damnati, ſeptem & decem millia hominum Chriſtianorum, diuerſis in prouinciis, triginta dierum ſpatio, matyrium obierint, imò vno die tantum, qui fuit Natalis Chriſti Domini, viginti millia pro fide, incendio combuſta, beato illi, ſempiternoq. æuo felices, initium dederint, vrbesq. & opida ſæpe tota, quia in fide permanerent, inflammata; Rauennæ, Ediſtius, quarto Id. Octobr. interficitur: Sepultus in via Laurentina, quæ ad Claſſem tendit, nuncupatam autem Lauretinam, non Laurentinam, viam illam tradunt, a nemore Lauris conſito, quod ibi aderat: fuiſſe namque gemina loca iuxta Rauennam perhibent, hunc ad Orientem Solem, Lauris ſatum: ad Occidentem alterum, vbi erat Palma, Campum Martium vocatum: quibus lauro, Palmaq. Rauennates Duces, cum aliqua pro Rauennati, aut Romana Republica egregiè geſſiſſent, Rauennam venientes, coronari conſueſſent, ad Capitoliumq. adduci, vbi ſacra Ioui, tercentis victimis, ad tercentas eius templi aras, mactatis, fierent. Solitos præterea Rauennates, ludos publicos equeſtres committere, atque etiam pedeſtres apparatiſſimos, magnificentiſſimosque,

que, quibus victores, tum Lauro, tum Palma coronati incederent: ſpectatoresq. in collibus exiguis, ſuo quiſque loco, conſidere; ſic vt alius eſſet Senatorum collis, alius virorum equeſtris ordinis, alius plebeii: adhucq. collis perſtat, non longe ab D. Apollinaris in claſſe, quem, Montem equitum, uulgo appellant: Quamquam cum multa ſuperioribus annis ſepulchra teſtacea vetuſtiſſima, eo in colle reperta ſint, ſepulturæ locum equeſtrium aliquot virorum fuiſſe, non eſt abſurdum. Quòd autem Campus Martius Palma conſpicuus, extra vrbem eſſet, ex D. Vrſicini martyris hiſtoria colligitur. Sed vt; iis omiſſis, quorum teſtes ſcripturas aliquot Rauennates, nullum autem fide dignum habemus, quem inuenerim auctorem; ad ordinem hiſtoriæ redeamus, eadem hac calamitate, quam Diocletianus Chriſtianis intulit, Rauennæ interiere Valentinus, & Solutor, ac Victor, Idibus Nouembr. quibus Rauennæ templum ædificatum eſt, quod adhuc ſupereſt, iuxta portam Anaſtaſiam, ab D. Ioannis baptiſtæ haud procul. Quo loco aliquorum eius templi Rectorum imprudentiam mirari fortaſſe poſſumus, qui hoc Victore, & ſociis prætermiſſis, quibus dedicatum templum fuit, ex veterum ſcriptorum Rauennatum ſententia, ſolum feſtum agunt diem, octauum Id. Mai. quo die Victor Mediolanenſis, Maximiani rabie, eſt obtruncatus. Rauennates quoque martyres per hoc idem tempus fuere Felicianus, Victorinusq. Tert. Id. Nouembr. Alius etiam Valentinus, cum Nouali, & Agricola, XVII. kal. Ianuar. ob Chriſtum acerbiſſimam necem ſubierunt. De Valentino in vita D. Dalmatii Epiſcopi, & martyris Ticinenſis, in hanc ſententiam legimus. Ad Dalmatium; cum is eſſet in vrbe Alba, patre Senatore, & occultè primum Chriſtianus, mox omnibus ſtatim relictis, palam Chriſtum Deum prædicare, & miracula edere cœpiſſet; Valentinus magiſter militum, cùm ad eius aures fama perueniſſet, Rauenna profectus, venit; eum rogans, vt filio graui morbo laboranti, ac iam deſperato, ſuppetias ferret. Deum precatus Dalmatius, Valentino renunciat, Concordium eius filium, qui erat Rauennæ, conualuiſſe, virumq. ſanctiſſimum, item Rauennatem, nomine Antonium, eadem die obiiſſe: quæ omnia cum Valentinus, Rauennam regreſſus, vera comperiſſet, denuo ad Dalmatium rediens, vna cum Concordio filio ſacra baptiſmatis vnda ablutus eſt. Cœpit ab eo die Valentinus Chriſtum Rauennæ profiteri, multisq. ad veram religionem eius adductis, tandem pariter cum filio Concordio, & Nouali, Agricolaq. ſociis, ob Chriſtum vti memorauimus, necatus eſt, & vitam ſanctè actam, felici hoc exitu, & beato concluſit. In aliquot etiam vetuſtis Martyrologiis ita lege: *xv. Kal. Iulij. Rauennæ, ſanctorum martyrum ſeptem fratrum, Nicandri, Cardri, Blaſtri, Doroſtri, Phioni, Abenæ, atque Tphici.* ii autem qui fuerint, quæq. illius acta, aut necis genus, apud me incertum hactenus eſt. Deo, & beatæ illè vitæ notiſſimi ſunt. Quamquam enim hac tempeſtate Chriſtiani, hominum oculis miſeri viderentur, qui honoris, vitæ, ac bonorum ſumma omnia detrimenta ſubirent, fuere tamen, ſuntq. & ab illorum temporum æqualibus ſcriptoribus Chriſtianis, beatiſſimi, fortiſſimi, fideliſſimi, &; vt verbis Tertulliani vtar; benedicti appellati. Sed non fuerit, vt puto, ab re, qua, hoc tempore, viuendi ratione, inter tot certa, infamiæ, ac perpetua capitis pericula, Chriſtiani vterentur, breui deſcribere. Nocturnis maximè congregationibus, ieiuniisq. Solemnibus, & inhumanis;

vt

vt uidebatur, cibis addicti, non ſolum non optabant, ſed miſerabantur ſacerdotum, qui Diis commentitiis ſeruiebant, honores: & purpuras deſpiciebant, ſeminudi: Amantes mutuò, penè antequam nouiſſent: ſe promiſcue appellantes fratres, ac ſorores; cum odiſſe, non noſſent: de rebus cæleſtibus, ac futuris colloquentes, ſpernebant præſentia. Et cum in altiſſimæ noctis ſilentio, ad laudandum Deum, ſacraq. facienda conuenirent, hinc latebroſa, lucifugaxq. natio dicebantur, & fama increbuerat, eos turpiſſimæ pecudis, caput Aſini conſecratum, venerari: cum alii etiam affirmarent, eos, ipſius Antiſtitis, ac ſacerdotis colere genitalia, & quaſi parentis ſui adorare naturam. De initiandis verò tyrunculis, falſa quoque hæc ferebantur. Infans farre contectus, vt decipiat incautos, apponitur, ei, qui ſacris imbuendus eſt: Is infans a tyrunculo, farris ſuperficie, quaſi ad innoxios ictus prouocato, cæcis, occultiſq. vulneribus occiditur. Huius ſitienter ſanguinem lambunt, huius certatim membra diſpertiunt; hac hoſtia fœdus ſanciunt, hac conſcientia ſceleris, ad ſilentium mutuum pignerantur. Accedebat ad hæc conuiuii calumnia: Ad epulas enim ſolemni die conuenire dicebantur, cum omnibus liberis, ſororibus, matribus, ſexus omnis homines, & omnis ætatis Illic poſt multas epulas, vbi conuiuium incaluiſſet, & inceſtæ libidinis feruor, ebrietate exarſiſſet, canem, qui candelabro annexus erat, iactu offulæ, vltra ſpatium lineæ, qua vinctus erat, ad impetum, & ſaltum prouocari: ſic euerſo, & extincto conſcio lumine impudentibus tenebris, nexus infandæ cupiditatis inuolui, per incertum ſortis: & ſi non omnes opera, conſcientia tamen pariter inceſtos. Ceterum neque vita ſolum, ſed mors, ſed tormenta, ac cruciatus, ignominiæ, iniuriaq. plena, Chriſtianis tum adhibebantur, equuleus, fuſtes, vngulæ, laminæ, candentes, plumbatæ: quibus, iure Romano veteri cautum erat, plebem, infimæq. condicionis homines affici, & poſterioribus Cæſarum legibus, Decuriones, primarioſq. uiros torqueri vetitum, cum tamen per id temporis nobiliſſimi viri complures, ciues Romani; vt Plinius ſecundus Proconſul ad Traianum Imp. ſcribit; quiq. ipſos Cæſares arcta affinitate attingerent, & clariſſimis eſſent honoribus perfuncti, Chriſtiani eſſent, & his tormentis acerrimè cruciati, ciues ſanctorum, & domeſtici Dei, facti, in cælum abierint. Nullus tamen ex Chriſtianis, temporibus illis, in carcere habebatur, niſi reus Chriſtianæ religionis, aut profugus. Egeſtate gloriabantur, ſic, vt neque a Deo opes poſcerent. Vnius matrimonii vinculo libenter ali qui inhærebant: cupiditate procreandi: aut vnam ſciebant, aut nullam. Conuiuia non tantum pudica colebant, ſed, & ſobria, nec enim indulgebant epulis, aut conuiuium mero ducebant, ſed grauitate, hilaritatem temperabant; caſto ſermone, corpore caſtiore: pleriſq. inuiolati corporis uirginitate perpetua, fruentibus potius, quam gloriantibus: Tantum denique aberat inceſti cupido, vt nonnulis rubori eſſet etiam pudica coniunctio. Hæc ferè ex Arnobio omnia, qui tum uixit, ſcripſitq. cum ſub Diocltiano, omnium, qui ante ſe regnauerant, in Chriſtianos ſæuiſſimo, apud maiorem mortalium partem, pro deliramento, religio Chriſtiana haberetur. Quamquam, & multò ante Corn. Tacitus, vocet Chriſtianos, humani generi odium: cum tamen multitudinem eos copioſam ſcribat, nulliſq. infamiæ, aut tormentorum acerrimis cruciatibus; quibus narrat eos viuos, vel comburi, vel a beſtiis laniari; poſ-

ſe a fide abduci.Ipſeq.Galenus de pulſuum differentiis,Antonini Cæſaris tem pore differens, Chriſtianorum patefaciat Conſtantiam planè Diuinam. loca autem quò conuenire Chriſtiani conſueuerant,ea potiſſimum,vt D. Clemens Pont. Max. & martyr teſtatur; cœmiteria erant: quæ quamquam Rauennæ fuiſſe nuſquam repererim, cum tamen hic adeò frequens eſſet Chriſtianorum numerus, & diligens,planeq. ardens in Deum cultus, celebri præſertim ciuita te, fieri uix poſſe puto, quin adeſſent; potiſſimum cum tam multa nempe tria & quadraginta Romæ fuerint, atque etiam in Africa, vt è D. Auguſtino cognoſci poteſt, ac ab Optato Mileuitano, qui Catholicorum cœmiteria a Donatiſtis occupata conqueritur. Antiochiæ item cœmiterium Euagrius memi nit: Alexandriæ in Aegypto idem memoriæ prodit D. Athanaſius: In omni Gallia, Gregorius Turonenſis:In omni denique prouincia Chriſtiana,D.Ioan nes Chryſoſtomus. Cum enim cœmiteria, vt eſt apud Athenæum, nominarentur ædes,Cretæ, publicæ, quibus hoſpitio peregrini excipiebantur, & iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ extrui illa non in vrbe,ſed extra vrbem cepiſſent antea ſcilicet quam Baſilicæ, templaq. magna; nam. DD. Innocentibus, Apoſtolos templum excitaſſe, auctor eſt in Matthæum ſcribens, Origenes; in vrbibus extruerentur, legamusq. ſacratos viros,ceterumq. populum Chriſtianum ſacris illis locis anniuerſarios ſanctorum martyrum dies natalis celebraſſe, ad ſacra conueniſſe, ſtationes, & vigilias, certis hebdomadæ diebus, egiſſe, ſacramenta epiſcopos miniſtraſſe, imò verò D. Petrum Apoſtolorum Principem in cœmiterio Oſtriano, quod tertio lapide ab Roma aberat, via Salaria, baptizaſſe; & Maximinum Cæſarem; ne ad cœmiteria noſtri conuenirent; vti penes Euſebium habetur; cauiſſe, facile adducor, vt credam, cœmiterium Rauennæ fuiſſe, inter cetera, locum vbi prope vrbem, D. Apollinaris in tugurio latebat, & Chriſti fidem, multis eò conuenientibus, diuinaq. myſteria explicabat: Atque item ſuburbanum Cirenei Senatoris, vbi cum ſacra ſolemnia faceret, ab Deorum cultoribus captus eſt, & Pontificibus Dæmonum traditus, ita vti ſupra memorauimus. Illud quoque extra mœnia Claſſis, quo ad ſepulturam, ipſe, datus eſt: inde D. Eleocadius, multiq. poſt eum, illorum temporum Archiepiſcopi,tumulo compoſiti: vbi, vt D.Probus Archiepiſcopus, ædificauit ædi culam, a Maximiano deinde Archiepiſcopo auctam,ornatamq. Subſtructiones enim in cœmiteris fieri conſueſſe vel ex D. Damaſo Pont. Max. conſtat, qui multas ſcribit, beatiſſimi Pontificis Fabiani iuſſu in cœmiteriis factas. Felicia ſecula, quibus inter tot incomoda vitæ, tot capitis pericula, & quæ ſibi continenter imminebant,cruces, necesq.tanta tamen animi contentione,tanto pietatis ſtudio, tam ſincera beneuolentiæ coniunctione,ſpretis caducæ huius vitæ bonis, animoq. ſupra omnes fluxas mortalium dignitates, honoresq. magnificè elato, aſſidua in cælo cogitatione Chriſtiani verſabantur,ſempiternisq. illis, & perpetuo duraturis bonis in hiabant. Conſtantinus, occupata Gallia, Germania ſuperata, quibus in locis, poſt patris interitum, ſex ferè an nis ſe continuit,Romanorum precibus, qui Maxentii tyrannidem amplius fer re ſe non poſſe, per legatos aſſeuerabant, & vt rebus ſuis conſuleret, obſecrabant, in Italiam deſcendit. Itaque Seguſione, Vercellisq. expugnatis, Brixia, Verona, Aquileia, Placentia, Parma, omni tandem circumpadana Italia,op-

pugnando,

pugnando, & prœliis nonnumquam conſerendis, in poteſtatem adducta, Maxentio Romæ ad pontem Miluium debellato, atque extincto, cum tot bellorum felicitatem acceptam ferret diuinæ ſigni crucis virtuti, quod ſibi in Gallia, expeditionem Italicam molienti, ac meditanti, atque ob id Deum precanti, a meridie, Sole iam ad veſperum inclinante, ex lucis ſplendore confectum, in cælo, Soli imminens, ſeſe obiecerat, his verbis cinctum: *In hoc vince*; quod & omnis vidit exercitus; quo vno ſigno in bellis vtebatur, occaſionem præbuit Syluestro Pontifici, vt relicto Soracte monte, ad quem, imperatorum moleſtias, ac vexationes fugiens, ab Tyrannis relegatus, ſe contulerat; Romam veniret, & Conſtantinum iam in Chriſtianos bene animatum, magis incenderet, ad optimè de Eccleſia Dei merendum. Hoc autem tempore, eam inſcriptionem Rauennæ inciſam in marmore putamus, quæ ad D. Apollinaris noui adhuc legitur, his verbis. *Propagatori Romani Imperij, fundatori quietis publicæ. D. Flauio Conſtantino Maximo. Victori ſemper Aug. Diui Conſtantij filio, Soterius Silanus. V. P. Præpoſitus fabricæ Diuotus N. M. Q. E.* Quamquam eo deinde

ANN. CCCXV. de Roma abeunte, vt aduerſus Licinium Auguſtum, qui illum, prouinciarum partem, quas Licinius ademerat Maximino Auguſto, per legatos poſtulantem, reiecerat, arma in Pannoniam ferret, cum adhuc Chriſtianæ fidei hoſtes multi, auctoritate plurimum poſſent, & apud Conſtantinum Magiſtratus gererent, & in vrbe uigerent, accidit, vt nec contumelias Chriſtiani, nec tormenta, ſed neque ob Chriſtum neces plerumque effugerent: quod inter ceteros Timotheus oſtendit, qui per hæc tempora, Romæ, XI. kal. Septembr. a Tarquinio vrbis Præfecto, ad Idolorum cultum impulſus, cum eam impietatem deteſtaretur, poſt ſummos cruciatus, ſuppliciaque ſecuri feritur: Quamobrem Syluester Pontifex, in Soractis ſe denuò latebras abdidit, cum præſertim noſſet, neque ipſum Conſtantinum ſacra baptiſmatis aqua adhuc ab-

ANN. CCCXXI. lui ſe, multum curaſſe, & pleraq. facere, quæ falſorum Deorum cultum ſaperent: Nam anno a partu Virginis CCCXXI. Serdicæ, XVI. kal. Ianuar. Criſpo II. & Conſtantino. II. conſulibus, edixit, vt ſi quid operum publicorum fulmine tactum fuiſſet, retento more veteris vſus, quid portenderetur, ab aruſpicibus requireretur, & diligentiſſime ſcriptura collecta, ad ipſum referretur: idem ceteris liceret. Quamquam anno eodem, Romæ lex illius ad populum V. Non. Iul. lata fuiſſet, qua concedebat, vt quiſque decedens, bonorum quod optaret, relinquere *ſanctiſſimo*, vt eius vtar verbis, *Catholicæ, venerabiliq. Concilio poſſet*. Neque tamen ob id ſæuiri in Chriſtianos ceſſabatur, ſed ad falſam commentiriorum Deorum religionem cogebantur: quod patere vel

AN. CCCXXIII. ex eo poteſt, quod duobus poſt annis. VIII. kal. Iun. Sirmi, Seuero & Rufino conſulibus, Conſtantinus ad Helpidium ſic ſcribit. *Quoniam comperimus, quoſdam eccleſiaſticos, & ceteros Catholicæ ſectæ ſeruientes, a diuerſarum religionum hominibus, ad luſtrorum ſacrificia celebranda compelli, hac ſanctione ſancimus, ſi quis ad ritum alienæ ſuperſtitionis cogendos eſſe crediderit, eos, qui ſanctiſsimæ legi ſeruiunt, ſi condicio patiatur, publicè fuſtibus verberetur: Si verò honoris ratio talem ab eo repellat iniuriam, condemnationem ſuſtineat damni grauiſsimi, quod rebus publicis vindicabitur*. Vt autem ex hac lege, Conſtantini ad Chriſtianam religionem propenſio conſtat, ita firmis eam, & veris adhuc radicibus, in eius pectore, defixam non fuiſſe, leuior, quam pro tanto crimine, pœna appoſita,

ſignifica-

ſignificare forſan poteſt : cum præſertim ſæuiſſimis tormentis, Chriſtiani, & tandem morte, ab illis, mulctarentur, & Licinius Imperator, cum adhuc uiueret, falſo cultui Deorum addictiſſimus, acre bellum Conſtantino inferret, ac ſuarum partium ſtudioſos, in vrbibus, Romæ præſertim, multos haberet. Eandem in Conſtantino ad Chriſti fidem propenſionem, ſed nutantem, & quæ certum ad ſe tutumque aditum præbere Chriſtianis non poſſet, edictum declarat, quod ad Ablauium, præfectum Prætorio, ſe ſeptimum, & Conſtante Cæſare Conſulatum gerente, dedit, cauens, ne quis progenie municeps, vel patrimonio idoneus, ſacris initiaretur, ſed cum defunctus eſſet clericus, ad illius vicem alius allegaretur, cui nulla eſſet ex municipibus proſapia, neque ea eſſet opulentia, quæ munera publica ferre facile poſſet. *Opulentos enim*, inquit, *ſeculi ſubire neceſsitates oportet, & pauperes, Eccleſiarum diuitijs ſuſtentari*. Quid verò cum in domum ſuam tam efferate ſæuiit? Criſpo filio, eximiæ indolis iuuene, qui ſe bello Liciniano fortiſſimè geſſerat, in opido Iſtriæ, Pola, verbis Fauſtæ vxoris, perimi iuſſo, Paulino, & Iuliano Conſulibus, ipſaque, duobus poſt annis, Fauſta vxore, in balneas ardentes immiſſa, & nimio æſtu animam præcludente, fœde interempta. Cum autem lepra indies magis premeretur, qua etiam laboraſſe Conſtantiam filiam, ſcriptorum eius ætatis teſtimonio compertiſſimum eſt, & Medici, poſt alia tentata fruſtra remedia, conſuluiſſent, ex humano puerorum ſanguine balneum, quo vti Aegyptios Reges aduerſus eundem morbum conſueſſe, Plinius teſtatur, Conſtantino, tum quòd plurimum conſcientia afflictabatur, filii, & vxoris nece, tum quòd crudele nimis remedium uideretur, animo anxio, dum nocte ſecum hæc reuoluit, in ſomnum delapſo, Petrus, & Paulus Apoſtoli adſtiterunt, & ut lauationem a Syluestro, qui cum ſuis in Soracte monte latitabat, certum morbo remedium peteret, edicunt. Id cum ille effeciſſet, a Syluestroque edoctus eſſet tunc primum, repudiatis omnino: vti etiam Zoſimus, quamquam alienæ religionis, & Chriſtianis aduerſus, ſcriptor, affirmat; commentitiorum Deorum ſacris omnibus, plenè Chriſtianam fidem amplexus eſt, & ſacra baptiſmatis vnda ablutus, ſanitatem accepit. Ab eo die, & gentilium ſacris inexpiabile bellum indixit, vt Cedrenus affirmat, & magnis opibus Eccleſiam ditauit, & Romam, inter cetera, Pontifici Max. reliquit: Quod præter multa grauiſſimorum auctorum teſtimonia, ex eo etiam cognoſci poteſt, quòd cum hactenus ventitare Romam conſueſſet; nam anno ſupra tercenteſimum, quintodecimo, decimo octauo, vigeſimo ſecundo, & vigeſimo ſeptimo Romam repetiit; poſt hac numquam eo rediit, omnemque deinde curam in excolendo Oriente, ipſaque vrbe Conſtantinopoli poſuit, ſic vt poſtero anno, eius ambitum vrbis dilatauerit, muros extulerit, ædificiis publicis, priuatisque ornare inſtituerit, & Virgini Deiparæ dicauerit. Cum autem vniuerſum Imperium, Licinio iam alterum annum ſuperato, ſolus adminiſtraret, Italiam in regiones XVII. diuiſit. Nam Liguriæ, Mediolanum adſcripſit, Ticinum-

ANN. CCCXXVI.

ANN. CCCXXVII.

ANN. CCCXXVIII.

que Cottiis Alpibus, Derthonem, Genuam, & Sauonam. Aemyliæ vrbes a Placentia ad forum Cornelii. Flaminiæ a foro Cornelii, vſque Ariminum. Venetiæ ab Abdua, vt ante, vſque in Iſtriam. Vt autem regiones nouas deſcripſit, ſic nouos inſtituit etiam Magiſtratus, Conſulares, Correctores, & Præſides: nam cum Præfectum Prætorio Italiæ, Præfectum Prætorio Galliarum, & Præfectum Prætorio Vrbis inſtituiſſet, tum vero Præfecto Prætorio Italiæ, tres prouincias ſubdidit, Italiam, Illyricum, & Africam, atque Italiæ regionibus, præfecit Conſulares, Venetiæ, Aemyliæ, Liguriæ, Flaminiæ, Tuſciæ, Piceno ſuburbicario, Campaniæ, atque Siciliæ: Ac Flaminiæ quidem Conſularem, Rauennæ Conuentus agere, & ius dicere iuſſit, vt Tuſciæ, Piſis: Liguriæ, Mediolani. Venetiæ, Aquileiæ. Ceterum cum poſt tot ſecula, Dei munere, & beneficio, ſedatis hoſtium motibus, populus Chriſtianus, tam pio Imperatore, pace, & tranquillitate frueretur, Ecce Arius, Alexandrinus ſacerdos, Chriſti Dei diuinitatem impiè oppugnans, tetram peſtem per vniuerſum ferè orbem ſparſit. Itaque, fecit Deus, vti Concilium illud celeberrimum Niceæ, quæ Bithyniæ ciuitas eſt, haberetur: quo cum. C C C X V I I I. Epiſcopi conueniſſent, & Conſtantinus, qui iam Imperii ſedem, Byzantium, a ſe Conſtantinopolim vocatum, tranſtulerat, interfuiſſet, Vincentio, & Victore, Pontificiis legatis, præſidentibus, Arii doctrina, atque item Sabellii, improbata eſt. De moribus etiam Eccleſiæ multa decreta ſunt ſalutaria. De Paſchate quoque celebrando actum, atque aduerſus eos, qui illud quotannis in quartamdecimam diem lunæ, more Hebræorum, coniiciebant, decretum, Sanctæ Reſurrectionis commemorationem, quotannis die Dominico, inter quartamdecimam, & vigeſimamprimam lunæ diem, peragi. Quamquam vero Syluester Pontifex, conuentu Romæ, anno eodem habito, cui Seuerum Rauennatem interfuiſſe veriſimile eſt; nam Epiſcopi ducenti ſeptuaginta ſeptem Occidentales, ſua ſententia, pro Romanæ Eccleſiæ auctoritate, quæ fuerant in concilio Niceno acta, confirmauit, Ariani tamen nihilominus furere, ac Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum, quod acerrimus, & conſtantiſſimus Niceni Concilii vindex eſſet, Catholicæque veritatis propugnator, inſidiis appetere, de Alexandrina Eccleſia deturbare, aſſiduis contentionibus, cum magna Eccleſiæ clade, fatigare: præſertim cum Conſtantino Magno anno Domini. C C C X X X V I I. vita functo, Imperium ad Conſtantinum, Conſtantem, & Conſtantium fratres, Conſtantini Magni filios, deueniſſet: ipſeque Conſtantius ab Arianis deprauatus, Orientale Imperium iniiſſet, cum Conſtantinus in Gallia, Conſtans in Italia, ex teſtamento patris imperarent. Conſtantem Rauennæ fuiſſe, anno CCCXLII. reperio, ibiq. XII. kal. Aug. Conſtantio III. & ſe iterum Conſulibus, edictum ad Taurum Præfectum Prætorio, de Decurionibus, in hæc verba edixiſſe. *Curiales plerique, ad inane vocabulum militiæ cucurrerunt, ac tanta arte rem gerunt, vt nec munijs militaribus obſequantur, nec oneribus opidaneis proſint. Igitur vniuerſi nulla prærogatiua de uocabulo dignitatis in militia conquiſitæ, nulloque ſtipendiorum numero ſuffragante, reſtituantur,*

tur Ciuitatibus. Hæc Conſtans. Cum autem Ariani in dies magis debaccharentur, Iulii Pont. Max. iuſſu, qui Marco Syluestri ſucceſſori, fuerat ſuffectus, Concilia Romæ duo ſunt habita, alterum, Arianorum legatis petentibus, cum tamen deinde ſuæ cauſæ diffiſi, non adfuiſſent, alterum poſtquam ipſi, Antiochiæ habito Conuentu. D. Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum damnauerant. Itaque cum hoc anno acceptis Iulius ab Antiochia litteris, Concilium aduocaſſet, ibi D. Athanaſium, & aliquot alios Epiſcopos, Romam fuga elapſos, cum eos Catholicos comperiſſet, recepit, & cum litteris in ſuas Eccleſias dimiſit. Quibus omnibus interfuiſſe D. Seuerum Rauennatem Archiepiſcopum, ea verba Iulii declarant, quæ apud D. Athanaſium leguntur, cum ad eos. qui ex Antiochia ad illum ſcripſerant. *nam tametſi Solus ſim*, inquit, *qui ſcripſi: non meam tamen Solius ſententiam, ſed omnium Italicorum, & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi*. Sed pergebant adhuc Ariani vexare Catholicos, aliamq. Antiochiæ Synodum habent, cum D. Athanaſius interea ob eorum inſidias latitare cogeretur: itaq. eiuſdem iuſſu Iulii Pontificis in Datia mediterranea, cis Iſtrum, anno. CCCXLVII. Sardicenſe Concilium tercentorum Epiſcoporum celebratum eſt, vti Creſconius in magno Conciliorum libro, Rauennatis Eccleſiæ teſtatur. Ad illud Concilium Seuerus Rauennatum Archiepiſcopus, diuinitus, ex lanario, ſummus, vti memorauimus, repente Theologus factus, cum ſe recepiſſet, Oſio Gordubenſi Epiſcopo, Pontificis legato, Præſidente, aduerſus Conſtantium Auguſtum, ceteroſque Arianos, pro Athanaſio, acerrime, ſtrenueque pugnauit, & ſubſcripſit. Sub id tempus, kalen. Mai. D. Petro templum ædificatur, in armentario, vel vt alii aiunt, in Etemitario: nam dici vtrumque vulgo loquentibus poteſt: locus enim ille, qui in Paduſa eſt palude ſitus, prope foſſam Meſſaniam, ſolitudo, & Eremus quidam eſt, ac armentorum pabulum. Seuerus interea Rauennam è Concilio reuerſus, Heraclianum ſibi diſcipulum, Piſaurenſem Epiſcopum ſacrauit. Quod verò referunt. D. Geminiani, Mutinenſis Antiſtitis funeri interfuiſſe, cum rem ipſe diuinam Rauennæ faceret, & in extaſim eſſet raptus, Rauennatibus, ad miraculi fidem aſtruendam, illuc mittentibus, qui explorarent, qua hora D. Geminianus ſepulturæ traditus fuiſſet, & Mutinenſibus id teſtantibus, omnino ego de illo Geminiano falſum putauerim, de quo omnes id aſſerunt, quique Athilæ aduentum, atque impetum ingenti miraculo eluſit; Neque enim potuit Seuerus, quo tempore. D. Geminianus obiit viuere. Siquidem hunc ferant ſub Iouiniano Cæſare, e cuius filia cacodæmonem expulit, floruiſſe: nam abeſt id tempus, ab eo, quo creatus Seuerus Rauennæ Archiepiſcopus fuerat, annos circiter nonaginta: adſcribuntque Siricii Pont. Max. tempore fuiſſe, &, quod adhuc magis dedecet, obiit Geminianus, ſi vera ſunt, quæ de illo affirmant, poſt Athilæ in Italiam aduentum. Ferunt enim Geminiano petente ſuppliciter, Deum Athilæ oculos ſic præſtinxiſſe, vt Mutina tranſiens, quo loci eſſet, ignoraret. Ab creatione autem Seueri in Archiepiſcopum, ad Athilæ aduentum in Italiam, quem fuiſſe ferunt ad annum domini CCCCL. interceſſerunt anni CLXXIII.

ANN. CCCXLVII.

& totidem annos in Archiepiſcopatu Seuerus vixiſſet; quod tamen nullis monumentis eſt traditum; neque ſi rationem, resq. geſtas conſideremus, conſtare vllo modo poteſt: nam interceſſerunt plures Archiepiſcopi,& cum Athila per Italiam vagabatur, Ioannes præerat Rauennæ Antiſtes, vti ex omnium hiſtoriographorum ſententia videbimus; quem tamen Ioannem Seuerus nullus eſt inſecutus. Verum, vt eo redeamus, vnde diuertimus, cum Seueri Archiepiſcopi Innocentia filia mortua eſſet, & in matris monumento ſepulturæ tradere virginem Seuerus conſtituiſſet, patefacto ſepulcro, cum Vincentiæ vxoris cadauer, per illud ſparſum, non relinqueret filiæ locum, Seuerus ad vxorem verſus, Quid, inquit, moleſta eſſe pergis? onus tuum ſuſcipe, neque velis eſſe pertinax. Ad cuius vocem, omnibus, qui aderant, ſtupentibus, ingenti prodigio, cadauer vxoris ſeſe colligens, filiæ locum fecit. Ipſe tandem ſenio confectus, cum de certo die, quo eſſet ex corpore in cœlum migraturus, diuinitus certior factus fuiſſet, peractis ex more ſacris, conuocatisq. omnibus ſacerdotibus, & vniuerſis Rauennatibus, apud eos concionatus eſt, grauiſſime diſputans de cæleſti illa felicitate; hortansq. omnes ne explerentur fallacibus bonis, & celeriter interituris; Iuſtitiam, & pietatem colerent; & ſolida illa, & vera, atque æterna bona conſectantes, ſeſe ipſos plene, ac perfecte, quoad eius fieri poſſet, excitarent. Fugerent voluptates corporis, & ſenſuum, quibus dulci illo quidem, ſed peſtifero ſomno conſopitur animus, & noctem luci anteponit: Nullis rerum aduerſarum procellis deiicerentur; futurum enim vti poſt maximas ærumnas, & labores exhauſtos, tranquillum, & quietum ſpiritum ducant: neque etiam grauius commoueantur dum in hac vita fragili, miſeraq. improborum res ſecundas, & hominibus cum fide, iuſtitiaq. vitam colentibus calamitates intuentur; nam pios tandem, exitus proſperos conſequi; impios vero ex illuſtri, & florenti rerum ſtatu in maximas miſerias, & illas quidem perpetuas, præcipitari. Petere tandem ab omnibus vti ſui memoriam in animis integram conſeruarent, perinde, ac amantiſſimi patris; iam enim inſtare mortis diem, exiſtimarent, illos ab ſe vnice ſemper in oculis geſtatos. Collacrymant, qui aderant omnes; ſeſeq. paratos eſſe Antiſtitis ſui memoriam perpetuo in animis conſeruare, efficereq. quæ præceperat omnia, pro virili, conclamant. Laudata Rauennatum voluntate, veſtibus ſacris adhuc indutus, ad ſepulcrum proficiſcitur, ibiq. vxori, & filiæ medius, flexis genibus, manibusque, & oculis in cælum ſubductis, tamquam preces Deo ſuppliciter fundens, animam, ſumma vultus hilaritate kal. Febr. exhalauit. Sepultus eſt in Claſſe opido, haud procul a regione, quam ſalutarem vocabant; quo loco a Petro Seniore Rauennatum Archiepiſcopo in ſequentibus temporibus eius nomini erectum templum eſt, cum multa prodigia ad viri ſancti tumulum aſſidue ſuccederent. Qui autem huius ſancti Archiepiſcopi vitam, quam è D. Donati cœnobio, Senis allatam, legi, auctor mihi adhuc ignotus, ſcripſit, is cum miracula cetera ſummatim narret, vnum, quod ſuo tempore teſtatur accidiſſe, luculenter explicat: Henrico Imperatore, Bonifacium Tuſciæ Marchionem, cum exercitu, circum diruta opidi Claſſis mœnia, caſtra locaſſe. Milites, cum propè D. Seueri templum Cœnobiumque, quod inde haud procul aberat, loca, infeſta redderent, in hortumque monachorum, qui erant Ciſtertienſis ordinis, ingreſ-

ingreſſi, olera, porrosq. præſertim, abſtuliſſent, accidit, vt cum ſub cineribus coctos, comederent, cruor ora perfunderet, ex ipſisq. cultris, quibus inciderant porros, & manibus, quibus tractauerant, ſtillaret. Itaque tanto prodigio perturbati, ac planè confuſi, Diuinam primò vltionem vereri, mox ſalutari accepto conſilio, in templum ſancti Archiepiſcopi accurrere, opem, veniamq. ſupplices petere, munuſcula afferre. Quibus tandem exiccatus, abſterſusq. cruor, veniam impetratam ſignificauit. Huius miraculi, ipſos monachos, & quamplures populares, qui interfuere, iuratos teſtes, auctor ille adhibet: ad ſcribit etiam. D. ipſum Seuerum, poſtquam a columba Archiepiſcopus factus eſt, Romam ad Pontificem Max. abiiſſe, eiusq. Pontificis nutu, atque aſſenſu, Rauennam rediiſſe, & Archiepiſcopatus munera obire cœpiſſe. Tanti Archiepiſcopi ſui corpore, Rauenna caret: nam circiter annum domini octingenteſimum, & vigeſimum quartum ab Othgario Maguntino Antiſtite, importata Maguntiam fuerunt Seueri, Vincentiæ vxoris, & Innocentiæ filiæ cadauera, collocataque in Herfordienſi templo. Moritur Seuerus ſtatim ferè a Concilio Sardicenſi reuerſus, incommodo itineris, extremaque ætate, malè habitus. Interea Agapitus ſecundus in Archiepiſcopatu Rauennati anno eodem quadrageſimo octauo ſupra trecenteſimum, Seuero ſuffectus eſt: non quidem per Columbam cælitus demiſsam; quod adlectionis genus iam diximus in Seuero deſiiſſe, ſed ſacerdotum, populiq. conſenſu. Hic Concilio Romano, a Iulio primo Pont. Max. menſe Septembri hoc anno celebrato, ſimul cum Benedicto Aquileienſi, Rufo Carthaginienſi, Iulio Mediolanenſi, Luciano Maurianorum Antiſtitibus, & reliquis aliis C X I. Epiſcopis interfuit. Neque verò ineptum, mirumue cuiquam videatur, quòd Concilium Romæ ab Iulio celebratum, in quo Agapitus Rauennatum Archiepieſcopus adfuit, poſt Sardicenſe habitum ſcribam. Id me ratio, & coniectura docet. Primum quidem illud, omnium Rauennatum ſcriptorum conſenſu, atque etiam in choro Vrſianæ ſacræ ædis, & Spiritus ſancti picturis ſanè veteribus, conſtat, Marcellinum Archiepiſcopum, Seuerum proxime in Archiepiſcopatu anteceſſiſſe, ſatisq. diu vixiſſe. Is igitur, non autem Agapitus, eius Romani Concilii tempore fuiſſet. Verùm cum plura Iulius Pontifex Concilia Romæ habuerit, illudq. quod Sardicenſe anteceſſit, quinquaginta tantum Epiſcoporum fuiſſe, ex Conciliorum libris pateat, certum quoque eſt, illud non eſſe, cui interfuit Agapitus, cum ad illud centum, & viginti vnus Epiſcopi conuenerint. Deinde, Concilium ad quod acceſſit Agapitus, Indictione ſexta habitum eſt, vt in ipſius actis Concilii legitur: ea autem indictio in hunc annum quadrageſimum octauum ſupra trecenteſimum cadit. Numerandorum verò annorum per indictiones ratio, certiſſima omnium, & minus fallax haberi, vel ex eo poteſt, quod; vti animaduertit Panuinius; in Concilii Nicæni canone præcipiatur, vt addatur ſingulis Epiſcoporum diplomatibus, annus, menſis, dies, & quota ſit indictio: itaque magna in ea diligentia eſt adhibita: videmusq. non D. Gregorium modo, ſed qui illum longe anteceſſit, Caſſiodorum, in Theoderici Gothorum Regis Epiſtolis, hanc vnam annorum numerandorum formam ſeruare: idemq. facere D. Athanaſium, qui æqualis fuit horum temporum, eiusq. hæc agebatur cauſa, dum X I I I. indictione Concilium Antiochenum fuiſſe habitum, atque ita de reliquis ſcribit

Marcellinus etiam Comes, qui paullo poſt hæc tempora ſuum orditur Chronicon, per indictiones, & Conſules progreditur, ſed primò ponit indictiones, & quandoque per indictiones quaſi certiores, ac notiores, Conſulum annos declarat. Imperatorum enim, & Conſulum in concilijs, & Pontificiis litteris deſcribendis, adeo incerti atque inconſtantes anni habentur, vt facile id omnibus pateat, nec noſtris indigeat, quibus monſtretur, rationibus: tametſi in multis exciderit indictio, appoſitis deinde, multis, vt puto, poſt annis, Conſulibus Imperatorum verò nomina, atq. anni, vtrum ne eo tempore, tabulis addi publicis, Eccleſiaſticisq. præſertim conſueſſent animaduerterint antiquitatis ſtudioſi. Præterea interfuit Concilio Sardicenſi, cum Seuero Archiepiſcopo Rauennatum, Protaſius Mediolanenſis Archiepiſcopus: in Romano, cum Agapito, Iulius: perſpicuum autem ex iis eſt, qui nuper ſumma cura, ac diligentia collegerunt Archiepiſcopos Mediolanenſes, & redegerunt in ordinem, viri doctiſſimi, & omnis antiquitatis benè periti, Protaſium ante Iulium, Mediolanenſi Eccleſiæ præfuiſſe. In Romano, quod Sardicenſe præceſſit, Arriani communione remoti, quod citati, præſto non affuiſſent, & D. Athanaſius omni crimine liberatus ſcribitur, quorum nihil in eo, cui Agapitus interfuit, actum eſt. Itaque cum viderim, Syluestrum Pont. Max. Concilio Romæ ducentum ſeptuaginta ſeptem Epiſcoporum Occidentalium, habito, ea probaſſe, quæ fuerant in Concilio Niceno, eodem anno decreta, vt Diuus ſcribit Athanaſius, de Iulii Pontificis Concilio ſcribens: & conſtet deinde Damaſum ad examinanda ſynodi Conſtantinopolitanæ acta, indixiſſe Romæ Concilium, idque pro Eccleſiæ Romanæ more, atq. auctoritate fieri, in ipſis Conciliorum libris ſcribatur: ipſeq. met Iulius Pontifex hunc morem laudet pluribus verbis, & perantiquum eſſe in Eccleſia affirmet, ea ſua Epiſtola, quæ legitur apud D. Athanaſium, ad Orientales, non fuit difficillimum idem ab ipſo de Sardicenſi fieri: cum præſertim D. Athanaſius, quamquam Sardicenſis decreto Concilii liberatus, tamen ſedem ſuam, etiam Conſtantis Imperatoris litteris munitus, non repetierit, ſed Aquileia, vbi tum erat, Romam, ad Iulium Pontificem ſe contulerit. Quemadmodum autem D. Athanaſio in ſedem deinde ſuam reuertenti, cum Hieroſolyma adiiſſet, Maximus vrbis Epiſcopus, conuentu Epiſcoporum è Syria, & Palæſtina coacto, communionem, dignitatemq. reſtituit, non erit, vt reor, abſurdum, idem ab Iulio factum, accedente ad eum Athanaſio: atque hinc illud eſſe, quòd Athanaſium cum litteris ad ſacratos viros, populumq. Alexandriæ dimittens, in ipſosq. litteris de Athanaſio ſcribens Iulius Pontifex, *non a nobis tantum*, inquit, *ſed a cuncta ſynodo receptus eſt*. licet autem in Sardicenſi Concilio Fortunatianus Aquileienſis antiſtes, & Gratus Carthaginienſis interfuerint, vt plerique putant, quos deinde multis poſt annis uixiſſe ſatis patet, ſic vt in Romano fuiſſe illos neceſſe eſſet, ſi poſt Sardicenſe fuiſſet habitum, tamen dicimus, Gratum, nequaquam ibi Carthaginienſem Epiſcopum appellari, ſed Epiſcopum tantum: itaque potuit alterius eſſe tum ciuitatis Epiſcopus, ac deinde Carthaginienſis fieri. Fortunatianum verò non vnum eſſe, ſed duos, inter quos, medicus, Benedictus inciderit, ex iis fateri operæpretium eſt: præſertim quòd in aliquot vetuſtis, & manuſcriptis codicibus, in Sardicenſi Concilio qui interfuit, non Fortunatia-

nus,

nus, ſed Fortunatus appelletur. Quamquam neque nouum eſt, Epiſcopos eodem nomine, duos, tam paruo interiecto interuallo, ſibi ſucceſſiſſe: cum, nullo etiam interiecto, id factum, & quidem ſæpe videamus. & ut prætermittamus reliquas minores Eccleſias, ipſa Romana omnium maxima, Cletum, & Anacletum ſucceſſores habuit, qui ob ſimilitudinem nominis, unus habiti ſunt, ab Euſebio, & cæteris Græcis; a D. Auguſtino, ab Optato Mileuitano, ab Irenæo. cum tamen duo fuerint, ut Damaſus, Rufinus, Epiphanius, Methodius, & innumeri præterea, ipſaque rei ueritas teſtantur. Vt omittam Bonifacios tertium, quartum, & quinctum: Gregorios ſecundum, & tertium: Stephanos, Ioannes, & alios: noſtraq. ætate Pios, quartum, & quinctum: è quibus etiam nonnulli cum duo eſſent, vnus habiti ſunt. Ita Ianuarium Epiſcopum Beneuentanum Sardicenſi ſubſcribentem, annis haud ita multis, Ianuarius alter, Epiſcopus item Beneuentanus, ſed martyr, præceſſerat. Quod ſi in Romana ſynodo, de Nicæna fit mentio, nulla de Sardicenſi, præterquam quod eo loco neceſſarium uidetur non fuiſſe, id fortaſſe propter eam cauſam accidit, quia omnia ferè, de quibus præſertim tum Iulius ſcribebat, in Sardicenſi, ex Nicæna ſunt excerpta: ut luculenter Alfonſus Piſanus, eximius ſocietatis Ieſu Theologus comprobat. Quibus uerò annorum ſexaginta quattuor numerus, quibus Seuerus in Archiepiſcopatu uixit, nimium diuturnus uidetur, iis forte excidit, quod & ipſi aliis locis ſcribunt, Diuinum Remigium in Epiſcopatu Rhemenſi, ut Sigebertus eſt auctor, ſeptuaginta atque amplius annos uixiſſe: Zenonem Epiſcopum Tyrium interfuiſſe, ſubſcripſiſſeq. Concilio Niceno, Conſtantino magno Imperatore, atque item Conſtantinopolitano, Theodoſio Auguſto, cum anni inter utrumque intercidant circiter ſex, & quinquaginta, & per id tempus Iulianus apoſtata ſæuiſſimè Chriſtianos afflixerit, multosq. Epiſcopos ob Chriſti Dei fidem occidi iuſſerit. Vt omittam Seuerinum Epiſcopum Colonienſem, qui ſexaginta ſaltem præfuit annos, quod & ipſi, quibus uidetur. D. Seueri Archiepiſcopatus diuturnior, alio loco teſtantur, Diuus etiam Pharon Epiſcopus Meldenſis, ſex & ſexaginta annos ipſi præfuit Eccleſiæ, ut, qui uitam eius ſcripſit, Falcuinus docet: Quid uero? D. Memmium ciuem Romanum Epiſcopum à D. Petro Apoſtolorum Principe Catalonenſibus in Gallia datum nonne octuaginta annos ipſi præfuiſſe Eccleſiæ tradunt? Quod etiam aliqui ſcribant, Conſtantio IIII. & Conſtante III. conſulibus. D. Seuerum fuiſſe Archiepiſcopum Rauennatem factum, ii neque uerum dicere, neque ueriſimile uidentur, cum, hac ratione, uix annum in Archiepiſcopatu uixiſſet: quo tempore, cum ad Concilium Sardicenſe iuiſſe, & ibidem perſtitiſſe, ac Rauennam inde remigraſſe neceſſe ſit, uix fuiſſet à Rauennatibus viſus, nedum ut ea egiſſet, quæ traduntur. nam ii Conſules, eo qui anteceſſit Sardicenſe Concilium anno, ut diligentiſſimè docet Onuphrius Panuinius, inierunt quidem, ſed circiter anni medium. Atque hæ quoque me rationes adducunt, ut putem duos fuiſſe Agapitos Archiepiſcopos, alterum, qui Marcellinum præceſſerit, alterum qui Seuerum ſit ſequutus: cuius cum exigua ſit mentio, parum admodum in Archiepiſcopatu uixerit, quemadmodum & Liberius ſecundus illi ſuffectus, qui optime de Eccleſia Rauennati meritus, muneribusq. perfunctus, quæ ad egregium Antiſtitem ſpectare

uide-

uiderentur, cum deceſſiſſet pridie Id. Quinctil. ſepultus in DD. Petri ac Pauli Apſtolorum templo, Probum ſucceſſorem accepit, ſenem omni uirtutum genere cumulatiſſimum. Romanus Pontifex erat adhuc Iulius, in exilium a Conſtantio Cæſare, qui fauebat Arrianis, miſſus; Conſtans enim frater in Gallia, Magnentii iuſſu interfectus fuerat; ſed Iulio non multo poſt mortuo,
ANN. CCCLIII. ſufficitur Liberius Romanus, qui cum acriter Arrianos inſectaretur, Conſtantius Arimini; quæ nobiliſſima eſt Flaminiæ ciuitas, Romanorum poſt eiectos Gallos, colonia; Concilium indixit, cui præfuit Taurus, Conſtantii legatus; interfuiſſeq. D. Hieronymum Stridonenſem, uirum eximiæ ſanctitatis,
ANN. CCCLIX. atque doctrinæ, plerique auctores ſunt: qui & diſputans aduerſus Luciferianos, fallax in hoc Concilio Valentis Murſæ Epiſcopi, Arriani, commentum pluribus verbis expoſuit. Nam Valens, & ſecum vnà Vrſacius eiuſdem ſectæ uir cum uiderent, Occidentales Epiſcopos Catholicam fidem egregiè retinere, neque deterreri minis poſſe, dixerunt, ſe, ſi quid fidei ab Orientalibus propoſitæ, qua filius patri ſimilis dicebatur, ipſi addidiſſent, conſenſum præbituros: quam condicionem catholici propenſis omnium animis acceperunt; Itaque conceptæ a Fægadio, & Seruatione Tungrorum Epiſcopo profeſſiones ſunt editæ: in quibus primùm damnabatur Arrius, totaq. eius perfidia: deinde non patri æqualis, ſed ſine initio, & ſine tempore Dei filius pronunciabatur. Quibus auditis Valens, quaſi pro Catholicis aduerſus Arrianos contendens, ſubiecit, filium Dei non eſſe creaturam, ſicut ceteras creaturas: ſefellitque; ut docet horum auctor Seuerus; audientes fraude profeſſionis: nam cum ſimilem eſſe ceteris creaturis filium negaret, creaturam tamen, ſed potiorem ceteris aſſerebat. Ita neutra pars uiciſſe ſe penitus, aut uictam putans, è Concilio abiit. Interea cum Liberius ſummus Pontifex decreta, quæ, contra religionem Chriſtianam pro Arrianis facere uidebantur, probare noluiſſet, Roma fuerat eiectus. In eius locum ſacris initiati omnes, Felicem uirũ probum delegerant, qui habito triginta octo Epiſcoporum Concilio, damnataq. Arrianorum ſententia, paulo poſt ab aduerſariis trucidatus eſt. Reuocatus interea ab exilio Liberius fuerat Conſtantii iuſſu, Romamq. reuerſus, formulam protulit, qua interdixit eis communionem, qui patri filium conſubſtantialem abnuerent: ſciebat enim paulo ante fuiſſe Eudoxium, & factionis eius ceteros, haud ita pridem Antiochiæ, propter hæreſim Aetii Antiochiæ congregatos, qui falsò dixiſſent illum, conſubſtantiale negaſſe, isque adeò increbuerat rumor, ut nonnullos etiam probatos uiros, rem uti erat, minime cognoſcentes, deceperit: Ammianus Marcellinus, quamuis a Chriſtiana religione alienus, ſcribit, Conſtantium Cæſarem optaſſe uehementer, ut ſententia aduerſus Athanaſium, iudicio Liberii Romani Pontificis cõfirmaretur, *propter auctoritatem*, inquit, *in qua potiores ſunt æterna vrbis epiſcopi*. Sed omninò renuit Liberius. Rauennæ ſub id tempus Probus Archiepiſcopus deceſſit pridie Non. Mart. ſepulturæq. traditus in monumento Liberii. Florentius ſucceſſit, per idem ferè tempus, quo Iulianus Cæſar, ſolus, poſt Conſtantium, regno potitus, acriter Chriſtianos oppugnans, edixit, ut ne quis eorum, artes liberales publice profiteretur: & quo facilius rem Chriſtianam euerteret, Iudæos contra noſtros concitauit, admirabiliq. calliditate, non ipſe tantum foedis, horrendisq. ſuppliciorum generibus, excruciauit fidei cultores, verum

etiam

etiam Prouinciarum Præfectos, quos omnia barbaræ immanitatis exempla contra noſtros edere cognoſceret, non modò nulla pœna coercuit, ſed ampliſſimis honoribus, dignitatibusq. ornauit. Quo factum eſt, ut illi grauius, atque adeo tetrius, quàm vnquam antea, noſtros affligerent. Quæ illius & uita inique acta, & deteſtabilis a fide defectio,& omnis contra populum Chriſtianum pugna, duabus Gregorii Nazianzeni præclaris concionibus uberrimè exponitur. Illo autem miſerè extincto, data eſt Eccleſiæ pax: nam ſucceſſit Iouinianus, qui & Iouianus dicitur, Chriſtianis amicus, poſt quem Valentinianus cum fratre Valente, Chriſtianus optimus, Cæſar factus eſt. Iamq. Romæ, Liberio Pontifici, Damaſus Hiſpanus fuerat ſubrogatus, qui delectatus ocio litterario, omnium ſuperiorum Pontificum acta, libro, quem miſit ad D.Hieronymum, eloquentiſſimè conſcripſit. Ad Florentium quoque Rauennatem Archiepiſcopum litteras dedit, quibus petebat, aliquid reliquiarum ex uirorum ſanctorum cadaueribus, quos Rauennæ innumerabiles, uia præſertim Lauretina, trucidatos ob Chriſtum nouerat, ad ſe tranſmitti: cum præſertim ipſius ſtudium Damaſi imitatus Florentius, multa ſanctorum uirorum corpora, diligenter perquiſita, reperiiſſet, in locumq. honeſtiorem tranſtuliſſet. Fecit igitur imperata Damaſi Florentius, & reliquias miſit, easq. ab Damaſo honeſto loco, ſumma ueneratione poſitas,& carmine celebratas, ſatis conſtat: quod feciſſe etiam de DD.Petri,& Pauli ſancti cadaueribus non ignoramus. Per id tempus Valentinianum Imperatorem Rauennæ aliquando commorari ſolitum, reſcriptum etiam illud declarat, quod anno tercenteſimo ſexageſimo quinto, dum conſulatum cum Valente gereret, Rauennæ, ad Rufinum Præfectum Prætorio X I. kal. Iulias dedit, his uerbis. *Ordines Curiarum, quorum nobis ſplendor, vel maxime cordi eſt, non aggregentur, niſi nomi nati, niſi electi, quos ipſi ordines cœtibus ſuis duxerint aggregandos, nec quis ob culpam, ob quam eximi deberet, ex ordine mittatur in curiam.* Florentius cum Rauennatem Eccleſiam piè adminiſtrauiſſet, Damaſi Pontificatu, Flauiis Valentiniano, Valente,& Gratiano Imperantibus, ex hominum uita migrauit XVI. kal. Decemb. ſepultus in D. Petronillæ templo, quod non longè aberat ab Diuorum Petri, & Pauli. Eius tumulo ſic eſt inſcriptum: Liberius, Florentius. Fuiſſe autem ſcribunt, admirabili uirum eloquentia, cuius concionibus, eximia ſpiritus concitatione pronunciatis, adeo eorum qui audiebant, animi flectebantur, ut pœnitentiæ ardorem conciperent, & ad cæleſtem diſciplinam aſciſcendam adducerentur. Pauperibus ſuſtinendis, uiduis tutandis, in omniq. tandem Archiepiſcopali munere obeundo, ſummam laudem conſecutus. An uero Concilio interfuerit, quod Damaſus ad Nicænam de conſubſtantiali ſententiam confirmandam, Ariminenſe Concilium, ut teterrimum, abrogandum, & Auxentium Epiſcopum Mediolanenſem damnandum, qui ſolus in Italia Concilium Nicænum oppugnabat, Romæ habuit, aduocatis ex Italia, & Gallia Epiſcopis, qui nonaginta conuenere, quamquam incertum eſt, cum eius non extent acta Concilii, tamen adfuiſſe, pro ea quæ ſibi cum Damaſo intercedebat familiaritate, proq. religione Florentii,& locorum propinquitate, credibile eſt. Florentio in Archiepiſcopatu Rauennati, Liberius tertius ſucceſſor eſt datus, quem plerique Liuerium, Oliuerium alii appellant: ſumma uir ſanctitate, aureum orationis flumen fundens, cum

ANN. CCCLXIII.

ANN. CCLXV.

cum ad populum concionaretur. Fotinus, Paullinus, & Apollinaris hæretici hoc tempore innotuerunt, Chriſti Dei Diuinitatem oppugnantes, & quò facilius uenenum lateret ſuum, cum ſummam eſſe, ſemperq. fuiſſe Apoſtolicæ Romanæ ſedis auctoritatem non ignorarent, in eadem ſe eſſe, in qua Damaſus Pontifex erat, ſententia, ſimulabant. Sub idem tempus complures ex Burgundionibus, Chriſtianæ militiæ dederunt nomen. Anno autem vndecimo poſtquam Valentinianus imperare cœperat, bellum in Sarmatas parans, qui ſe per Pannoniam diffuderant, apud Brigittonem opidum, uti a Paulo eſt Oroſio ſcriptum, Apoplexia, uel peſtilentia potius, qua cum plerique ibidem milites laborabant, correptus, liuentibusq. maculis, quæ fortaſſe peticulæ, ſeu peſtichiæ, noſtro iam familiares ſæculo, fuerunt; interiit: cuius mortem miror plerosq. ſcriptores Rauennatum Antiſtitum, aſſerere, prope Rauennam contigiſſe, extra portam Artenectorum, ab ſtadio Tabulæ haud procul, iuxta Campum Coriandri; eiusq funeri Liberium Archiepiſcopum interfuiſſe. Hæc enim ex omnium hiſtoriographorũ ſententia cum falſa ſint, non eſt quod longiori oratione reiiciamus: Nam qui iuxta Rauennam graue accepit vulnus, Valentianus, is non Auguſtus, ſed patricius Rauennas fuit, & Pentapolis Præſes: maximusq. ex ea perturbatione tumultus inter Rauennates eſt excitatus, & plurimis uulnera inflicta, eo loco, cui Puteus benedictus tunc nomen erat. Dum autem Rauennam adduceretur, exhalauit in manibus ſuorum animam, eiuſq. funeri Liberius Archiepiſcopus interfuit Corpus terræ redditum, in cœnobio D. Pullionis martyris, in regione portæ nouæ, ubi Diuinorum Apoſtolorum baſilicam cernimus, iuxta quam D. Pullionis ædes extabat. Huic Valentiniano patricio, ſucceſſit Felix, qui & ipſe Ioannis, qui Angelum uidit, Archiepiſcopi tempore, a ſuis municipibus, Rauennatibus, ut infra docebimus, è medio ſublatus eſt. Poſt Cæſarem Valentianianum, Gratianus filius Occidentis Imperio præfuit: Valens, Orienti: is per legatos, innumerabiles chriſtianos trucidauit, qui ſe in Aegypti uaſtas ſolitudines, Deo ſeruientes, coniecerant. Gratianus paulo poſt miſere a Barbaris oppugnatus, Theodoſium Hiſpanum, in Imperium aſciuit, & diſputari de fide noluit, edicto propoſito, ut qui ſuo Imperio parerent, omnes, eam religionem tenerent, quam Apoſtolorum culmen, princepsq. Petrus initio tradidiſſet, ac tum Damaſus Romanus Epiſcopus cuſtodiret: Fuit autem id non multò poſt, quam Rauennatum Archiepiſcopus Liberius vita decedens, tert. kal. Ian. in D. Pullionis, quod ſuo tempore fuerat exædificatum, ſepulturæ locum habuit. Illi ſubrogatur Vrſus, cuius religio, ac feruens ſtudium clariſſimæ memoriæ commendatum eſt: nam magnifico animo, templi, quod adhuc extat, ædificationem aggreſſus, vt reliqua taceam ſancti, optimiq. Paſtoris munera, ſucceſſoribus ſuis, certam Archiepiſcopatus ſedem reliquit. Vrſianum templum ab hoc Vrſo appellamus auctore, in Herculana regione, haud procul a poſterula, quam Vincilionis, a Vincilio ædificatore uocant, quadrupli; ex marmore præclaro græco, columnarum, ordine conditum. Eius parietes ferunt gemmis, nouo eximiæ animi pietatis exemplo, ornatos: quorum alteram partem Euſerium, & Paulum, alteram Satium, ac Stephanum, artifices ea ætate egregios, admirabilibus animalium, & hominum imaginibus pinxiſſe cõſtans fama eſt. Ei templo Αʼγιος Αʼναςάσιος nomen, ab ipſo, ut puto, dedicationis die,

ANN. CCCLXXVIII.

qui

qui fuit Id. April. cum Chriſti reſurrectionis memoria celebraretur, anno domini CCCLXXXIIII. eſt impoſitum. Non me præterit, pleroſque ſcribere, hunc Vrſum, templi ædificatorem non fuiſſe, ſed reſtitutorem, atque antea Rauennatem Eccleſiam Ἀνάςασιν uocatam, quod dogma Niceni Concilii, iam ferè emortuum, ibi quoque reuixerit, perpetuo integra fide deinceps ab Rauennatibus conſeruatum: Vel quòd ob merita uirorum ſanctorum Eccleſiæ Rauennatis, plurimi iam mortui ad uitam redierint. Vtrumq. illud conſtat, hoc Ἀναςάσιος nomine, tres tantum Eccleſias inſigniri, Lateranenſem, Rauennatem, ac Hieroſolymitanam, ſic ut dignitatis id potius, quam meriti nomen eſſe uideatur. Per hæc tempora Theodoſius Cæſar, Arcadium filium natu maiorem in Imperium adſciuit. Duas enim habuit vxores; ex priore Placida, Arcadium & Honorium ſuſtulit; ex poſteriore Galla Valentiniani maioris filia, Placidiam, quam de matris nomine, ac prioris uxoris Gallam Placidiam poſtea appellarunt: quamquam ego ex nonnullorum uirorum doctorum ſententia putauerim, rectius fortaſſe Placidillam, blanda uoce, ut ab Placida maiore differret, uocatam: quod ipſis Cæſaribus non inſuetum fuiſſe conſtat ſub id tempus, Vrſus cum Rauennati Eccleſiæ iam uigeſimum circiter annũ præeſſet, multisq. urbem ædificiis auxiſſet, ipſo die Reſurrectionis domini noſtri feſto, quo die templum ab ſe ædificatum, dedicauerat, uitam cum morte commutauit; Deo uiri ſancti religioni, pietatiq. dante, ut, quod myſterium maxime fuerat ueneratus, in ipſius celebratione in cælum euolaret. Aliquorum eſt ſententia, Vrſum hunc Siculum fuiſſe, uiri principis filium, cuius cauſa, iure hæreditariò, Eccleſiæ Rauennati, id patrimonii; ſic enim appellant; obuenerit, quod ibi hæc Eccleſia habebat, & de quo inferius, Exuperantii Archiepiſcopatu, atq. item aliorum dicemus; meminitq. in Regiſtro Gregorius Magnus, qui ad Alexandrinum Præfectum ſcribens, Ioannem illi commendat, Rauennatis Eccleſiæ Diaconum, quem Marinianus Rauennas Archiepiſcopus, illuc ad patrimonium Eccleſiæ Rauennatis regendum, adminiſtrandumq. miſerat. Alterum quoque ibidem erat Romanæ patrimonium Eccleſiæ, quemadmodum ex eodem Regiſtro, litteris ad Iuſtinum Siciliæ Præfectum ſcriptis, colligere, difficile non eſt. Ad hunc Vrſum Archiepiſcopum, Baſſianus Syracuſanus, eius affinis, Romæ cælitus monitus, aufugit: cum enim eum decennem pater, ut inſtrueretur ſtudiis liberalibus, Romam miſiſſet, ipſe uerò, Gordiano ſacerdote inſtituente, Chriſtianus eſſet factus, Sergius pater, qui Deos impios uenerabatur, re accepta, uehementer commotus, legatos miſit, qui aut captum ad ſe adducerent, aut ſi fieri ſecus non poſſet, interſicerent. Itaque Baſſianus, Rauennam ſe ad Vrſum Archiepiſcopum, affinem ſuum contulit. Cum verò iam Rauenna quindecim paſſuum millia abeſſet, quo loco eſt Phycocle, vrbs vetuſta, Ceruam, cum duobus catulis, quam venatores fuerant perſecuti, conſpicatus, naturali commotus miſericordia, ad ſe, in nomine Domini, accedere eam iuſſit. quamobrem cerua, ad pedes iuuenis ſancti prouoluta, eos lingebat: aduenientibus autem interea uenatoribus, & aſſidue Ceruam præberi ſibi flagitantibus, cum eorum unus, uiro ſancto negante, ac Ceruam pro uirili parte tuente, in eum irruens, abſtrahere Ceruam conaretur, cumq. impelleret, repente a Dæmone ictus, cæcusq. factus, parum omnino abfuit, quin animam exhalaret.

AN. CCCLXXXIIII.

laret. Ceteri ob id ſibi metuentes, ad pedes iuuenis ſancti proiecti, ueniam poſtulabant. Verùm eos Baſſianus oratione benigna conſolatus, Deumque pro eo precatus, quem Dæmon arripuerat, cacodæmone abire iuſſo, ſtatim incolumen ſociis illum reſtituit, Ceruа latibula ſua repetente. Ob hoc miraculum, vrbem Phycoclem, appellatam deinde Ceruiam ferunt. Quamquam Pyrrhus Lygorius, uir antiquitatis cognitione plurimum præſtans, Cæreuiam priſcis dictam fuiſſe in epiſtola ad Carrarium putat, ea inſcriptione ductus, quam Romæ inter fori Traiani ruinas repertam teſtatur. ſic autem habet.

IMP. CAES. NERVAE
TRAIANO. DACICO. GER
MANICO. PARTHICO
PONT. MAX. TRIB. POT. XVIII.
IMP. VII. COS. VI. P. P. OPTIMO
PRINCIPI
RAVENNATI. CAERE
VIANI. CAESENNATI
CVR. VIAR. TRA....
FLAMII........
D.D.

Vrſus benigne, atque amanter Baſſianum complexus, eo ſic, ut deliteſceret, obſecrante, in templo ſatis exiguo, & ignobili D. Apollinaris in claſſe illum conſtituit. Vbi maiores quotidie progreſſus, in uia Domini faciens, enituit. uel eo maxime prodigio, cum mandauit Cæſar Bythimnium, Vrbis Rauennæ iudicem, maieſtatis reum, capite mulctari. Baſſiani enim precibus apud Deum factum eſt, ut carnifice ictum in ceruicem Bythimnii intendente, ex eius manibus ſecuris, non ſemel modo, uerum bis ac ter, deſiluerit. Quam obrem territus Præſes, ſaluum abire Bythimnium, atque integrum uoluit. Tandem uerò Baſſianus ab Exuperantio Rauennatum Archiepiſcopo, ſiue ab hoc Vrſo, ut alii arbitrantur, Laudis Pompeiæ Epiſcopus factus, cum Mediolanum uocatus ad Diuum Ambroſium ægrotantem, diem certum, quo ille ex hac uita migraret, ante ſignificaſſet, & iuſta piè perſoluiſſet, ad ſuam Eccleſiam reuerſus, miraculorum multitudine, & uitæ exemplo inſignis XIIII. kal. Febr. ad Chriſtum migrauit. Plerique exiſtimant, Vrſum, ædem Vrſianam ædificaſſe de fructibus patrimonii Siculi, atque ab eo die, Diuos Siculos Rauennæ in honore plurimum habitos: nam & Diuis Agathæ, ac Luciæ, Siculis uirginibus, martyribusq. templum dicatum eſt, & D. Eupli Catinenſis martyris dies feſtus agi ſolennis conſueuerat, eiusq. adhuc geſta in Eccleſiæ Rauennatis libris, accurate ſcripta, habentur. Huius Vrſi non omnino diſſimilis euentus, haud ita multis abhinc annis Romæ contigit Diomedi Carafæ Cardinali Ariani uiro nobiliſſimo, ſummaq. doctrina exculto. Is cum D. Martini in Exquiliis ædem ingenti pietate inſtauraſſet, ductus etiam loci amœnitate, ac ſolitudine, quæ certe ibi eſt non iniucunda, in qua & nos multa ex his conſcripſimus; cum D. Stephanum peculiarem patronum coleret,

araque

araq. illi dicata in eo templo, id declaraſſet, non multo poſt, febre incenſus, obiit. Cum autem ageret extremum ſpiritum, & Ioannes Baptiſta Rubeus, ei Carmelitanorum conuentui ab Paulo III. Pont.Max.præfectus; quem Cardinalis vnicè diligebat; ſupplicationes, quas appellant Græcè Letanias, pronuncians, Diuum Stephanum bis ſupplex inuocaſſet, quòd præcipuam noſſet Diomedis in eum animi pietatem, dum tertio adhuc illum imploraret, Cardinalis in Rubei oculos intuens, ac ſubridens, ſumma hilaritate animam exhalauit: non diſpari, ut diximus, pietatis euentu ab Vrſo Archiepiſcopo, qui non ſine Rauennatis populi multis lacrymis, in Vrſiana ab ſe extructa æde, ſepultus eſt, ſub Porphyretica rota, cui innititur, cum rem diuinam facit, Antiſtes: ante illam molem bracteato argento incruſtatam, quam Victor Rauennatum Antiſtes, uti narrabimus, extruxit. Huius imago in teſtudine templi Diui Apollinaris in Claſſe conſpicitur, muſiuo opere picta. Cadauer inſequentibus temporibus, in ſuperiorem cadauerum ſanctorum aram, importatum creditur: Cum enim anno a partu Virginis MDXVII. eius oſſa diligenter ſub eo porphyrite lapide perquirerentur, inuenta non ſunt. Huius Archiepiſcopatu Vrſi, Theodoſio Auguſto vita functo, Arcadius, & Honorius filii in Imperium ſucceſſerunt: cumque Arcadius Orientem, Honorius Occidentem accepiſſet, is verò adhuc Mediolani eſſet anno nonageſimo ſexto ſupra tercenteſimum, nobilitate vrbis Rauennæ ductus, cum in ea commorari AN.CCCXCVI.
cogitaret, domum ſibi extruendam Lauritio mandauit, uiro non minus nobilitate, quàm religione præſtanti, quiq. ſibi perfamiliaris a cubiculo operam nauabat. Lauritius Rauennam profectus, in Cæſarea, quæ, uti diximus, inter Claſſem, ac Rauennam ſita erat, vrbs ſanè egregia, de qua pauca omnino leguntur, D. Laurentio martyri templum: Opilione, ingenioſiſſimo Architecto deſignante, ac præſcribente, exædificare cepit: quod quattuor annorum, menſium ſex abſolutum ſpatio eſt. Vrſo Rauennatum Archiepiſcopo ſubrogatum Petrum Antiſtitem, Agnellus, quique eum ad uerbum ferè deſcripſit, Ferrettus, falsò putant: quod rerum geſtarum ordinem minus, vt videtur, animaduerterint; nam debetur Exuperantio hic locus; qui nihil diſſimulanter, nihil ex occulto agens, ſincerum, ſimplicem, & apertum animum geſſit: & præſidio diuino ſeptus, vitam traduxit placidè, tranquillè, leniterque. Lauritius interim Honorio refert, ſe, quod imperauerat, feciſſe. Cæſar videndæ domus, inhabitandæq. vrbis auidus, Rauennam ſtatim uenit, templumq. ingreſſus, cum illud de eodemmet Lauritio accepiſſet, pro domo, quam ſibi magnificam imperauerat, conſtructum, ob intempeſtiuam; ut videbatur; pietatem hominis, adeò commotus eſt, vt, diſtricto enſe, omninò Lauritium confodiſſet, niſi Honorio, Lauritium, ad aram D. Laurentio ſacram, confugientem, inſequenti, D. Laurentius fuiſſet uiſus, qui, manu capiti Lauritii impoſita, Honorium acriter reprehendit. Non ſum neſcius, pleroſq. ſcribere, Honorium, Romæ cum eſſet, id reſciuiſſe ab obtrectatoribus, qui inuidiam Lauritio conflare conabantur: Honoriumq. Rauennam profectum, ut opus uideret, præter omnem ſententiam, ædificationem probauiſſe. Vtcumque: ab eo tempore Lauritius ſummo in honore ab omnibus habitus, maximeq. Honorio carus fuit. Egregium hoc templum, ſuperioribus annis; duodecimus autem, ni fallor, agitur; demolitum fuit: quippe anno a partu Vir-

ginis M D L I I I. Canonicis Portuenſibus, lapides, & ornamenta, ad ædificationem noui templi, quod Rauennæ extruunt; adhibenſibus. Huius uetuſti templi, perinde, ac tum nuper ædificati, & eorum, qui illud uel è remotiſſimis regionibus inuiſerent, frequentia celeberrimi, Chriſtianæ Doctor Eccleſiæ Diuus Auguſtinus, in iis concionibus meminit, quas paucis ante annis legimus, Ioannis Vlimerii ſtudio, Louanii editas. Erant eo tempore fratres è Cæſarea Cappadociæ, minime ignobiles, decem: mares ſeptem, fœminæ tres: ex his vnus, matrem, recenti patris obitu deſtitutam, cum & magna iniuria, & uerberibus, coram aliis, qui ne uerbum quidem pro matre fecerunt, male habuiſſet, illa abiens, ut filium execraretur, cacodæmonem, eorum patrui ſpeciem referentem, obuium habuit, & quo iret, quærenti, quæ accidiſſent, quaq. moliretur, aperuit. His ille ſe maxime permotum ſimulans, omnibus ut male precetur, auctor eſt. Itaque incitata magis mulier, ad ſacrum baptiſmatis fontem, capillo paſſo, admotis ad ubera manibus, ante Deum proſtrata, ſupplex petiit, ut filii, omnibus exemplo, toto orbe diſperſi, errantesq. uagarentur: Nec uanæ fuere maternæ execrationes: inſignis filiorum membra tremor occupat, cumq. a ſuis uideri, eos puderet, diu peregrinati ſunt, ab iis opem depoſcentes, qui uitæ ſanctitate, diuiniſq. meritis, in Diuorum beatas ſedes eſſent recepti: & quo edi miracula, per uiros beatos, accipiebant, eo ſe ſtatim conferre, ac tanto malo, ac dedecore, ſanctorum illorum uirorum rogatu, liberari, ſuppliciter poſtulare. Ex iis fratribus, vnum, D. Auguſtinus loquentem inducens *Ex, nobis*, inquit, *decem fratribus, qui naſcendi ordine primum ſequitur, ad glorioſi martyris Laurentij memoriam, quæ apud Rauennam nuper collocata eſt, ſicut audiuimus, meruit ſanitatem.* Horum mentio fit etiam in Poſſidonii indiculo, qui eiuſdem opera Vlimerii editus eſt: eandemq. hiſtoriam Diuus idem Auguſtinus libris de ciuitate Dei habet, ubi ex his fratribus, Paulum, & Pauladiam, Hippone, in D. Stephani, cum ipſe adeſſet, ſanitati reſtitutos, ornatiſſimè, ut ſolet, & latiſſimè explicat. Sermo de Synalectica in uitis patrum habetur ſanè celebris. ea quæ fuerit, ubi uixerit, nihil compertum eſt: niſi quod eius nos docent præclara ad pietatem monita, magna fuiſſe uirtute. Quoniam uero ex Aegypti ſolitudinibus, & ex aliis regionibus orbis terrarum longè remotis, ſatis conſtat, pleroſq. Rauennam ueniſſe ad loca ſacra viſenda, an hæc ea fuerit, cuius è marmore ſepulcrum in D. Laurentii, dum rudera reiicerentur, inuentum eſt, aliorum fuerit iudicium. Inciſa illi ſepulcro hæc verba legebantur.

SYNCLETICENIS
MERITAE
L, S. ZOSIMVS. POSVIT.

ANN. CCCXCIX Anno ab ortu Chriſti CCCXCIX. Theodoro conſule, Honorius Rauennæ fuit, cumq. legem de ſacrificiis commentitiorum Deorum abrogandis, tuliſſet, ob idq. multi ipſorum Deorũ templa diruerent, & opera publica euerterẽt, Rauẽnæ, IIII. kal. Feb. ad Macrobiũ Præfectum prætorio Hiſpaniarũ, & Procliano Vic. quinque prouinciarũ, reſcripſit, ſe, vt ſacrificia prohibebat, ita uelle operũ publicorum ornamenta ſeruari: Quod ſi quam quis legem, reſcriptumue prætenderet,

tenderet,quibus eã ſibi euertere licere perſuaderet,ea ad ſe mitterentur. Cum autem Mediolanum deinde abiiſſet,ubi Aprili, & Iunio fuit, quemadmodum octauo Idus Iunias Brixiæ,pridie Idus Veronæ, ſeptimo kal.Iulias iterum Brixiæ,menſem Auguſtum Pataui traduxit; Septembri, Altinum adiit, Nouembri,Decembriq. Mediolani fuit: Vnde inſequenti anno, menſe Ianuario,Rauennam remigrauit Stilichonis, atque Aureliani conſulatu: Hicq. cum eſſet, pridie Non. Febr.lege cauit,ut qui reſidentibus ſacerdotibus,ſede, nomineq. Epiſcopali deiectus fuiſſet, quid uel contra cuſtodiam, uel aduerſus quietem publicam moliri fuiſſet deprehenſus, rurſusq. ſacerdotium petere, a quo uideretur pulſus, procul ab ea vrbe,quam infeciſſet,iuxta Gratiani Auguſti legem,centum millibus paſſuum,uitam ageret:neq.ei ſacra Auguſti Cæſaris adire ſecreta liceret, nec reſcripta impetrare: inde Subdit, *ſcituris his, quorum defenſione nituntur, abſque ſui reprehenſione non futurum, ſi hoc eis pollicentur ſuffragium, qui Diuinum non uidentur meruiſſe iudicium.* Hæc autem Hadriano præfecto prætorio ſeruanda mandauit. Eodem anno, cum adhuc Rauennæ eſſet, Quincto kalen. Martias, intelligens, Donatiſtas hæreticos ſæuire, Iulianiq. Principis reſcripto niti, ut Anaſtaſio Pontifici Max. qui id maximè curabat, ſatisfaceret, & ſuopte etiam ingenio,ad catholicæ religionis ſtudium propenſo,incenſus, ad eundem Hadrianum ſcribens,*Reſcriptum*, inquit, *quod Donatiſta a Iuliano tunc Principe impetraſſe dicuntur, propoſito programmate celeberrimis in locis uolumus anteferri,& geſta, quibus eſt huiuſmodi allegatio inſerta, ſubnecti, quo omnibus innoteſcat, & catholica confidentia ſtabilita conſtantia, & Donatiſtarum deſperatio fucata perfidia*. Hæc ibi: Ceterum cum interea Gothi in Dalmatiam acPannoniam irrupiſſent,quamquam Rauenna ſitu,& munitionibus firma ad modum erat,tamen ut Italiæ,ceteræq. ditioni ſuæ proſpiceret.ipſe primum urbes circumire: quamobrem ſexto kal. April.Altini fuit; menſe Iunio toto, Mediolani: inde cum ſe Rauennam recepiſſet, omnes exules, damnatosq. ad metalla, & in Inſulas deportatos, aut in ſolitudines relegatos liberauit, iis exceptis,qui contra Iudicum ſententias, ad locum pœnæ deſtinatum, proficiſci noluiſſent, idque edicto firmauit, ad Romulum P. P. Octauo Idus Auguſti, Rauennæ ſcripto: Qua in Vrbe Tertio Non. Octobris, ut pecuniam cogeret in futurum bellum, ſciuit, ut ex omnibus, quæ ubique eſſent, horreis, dum locarentur,balneis,officinis,tabernis, domibus,cœnaculis, ſalinis,vnius anni, id autem eſt, tertiæ indictionis penſio conferretur, excepta Roma, *quam*, inquit, *ab huiuſmodi munere, reuerentia propria maieſtatis excuſat*. Cum autem plerique id expedire tardarent, Idibus Nouembr. Rauennæ cum eſſet Mediolano, reuerſus Saluinum Comitem R. P. iuſſit, ut ab opulentis, quadruplum, a mediocribus ſimplam ſummam redhiberi curaret, Mediolanum mox rediit. Ceterum Alaricus poſtero anno,menſe Sextili, pulſo,ad Noricas alpes, Honorii præſidio, per Tridentinum ſaltum in Venetiam deſcendit, eius vrbes Prouinciæ, breui oppugnatione, in poteſtatem redegit, mox traiecto Pado, in Liguriam abiit, Haſtam vrbem, in qua tum Honorius erat, obſedit. Verùm Stilichone, qui Larium lacum nauicula emenſus, ſæuiente hyeme, per alpes gelu, ac niue rigentes, omnia perpeſſus incommoda, è Rhetis exercitum adducebat, propius accedente,motis caſtris,Pollentiam, quæ ab Haſta aberat ſeptem paſſuum millibus, ab Rauenna, uiginti, abiit. Manus ibi con-

ANN. CCCC.

ANN. CCCCI.

ANN. CCCCII.

 ſertæ,

ſertæ, & prœlium atrox commiſſum, atque ita anceps, ut penes quem fuerit Victoria, neque tum ſatis conſtiterit, neque adhuc pateat, ſcriptoribus eius ætatis æqualibus, contraria ſcribentibus. Nam uictos Romanos, Caſſiodorus & Oroſius teſtantur: Claudianus, uictorem Stilichon em laudibus effert. Itaque hæc idcirco ſcribuntur, quia, ut auctor eſt Proſper, magna utriuſque partis clade pugnatũ eſt; præſertim quod Saulus uir Hebreus, uel ut alii ſcribunt, paganus, cui ſummam rerum, Stilicho, in caſtris mandauerat, ut imparatos Gothos offenderet, ipſos die feſto Reſurrectionis Chriſti Dei, magna manu adoritur. Qui omnes, & præſertim Alaricus ignari quid rerum eſſet, primum cunctari, mox armatum hoſtem conſpicati, petere abſtineant eo die, ob religionem, prœlio: poſtridie manus, ut uellent, conſerturi. At Iudæus magis inſtare, Gothosq. non arma capientes, ſed cælum, paſſis manibus, intuentes, cælitusq. opem ſibi ferri, in tam ſancti myſterii celebratione, poſtulantes, tum interficere, tum miſerabil iter uulnerare. Alaricus ubi acrius rem agi in horam uidet, religioni ſatis eſſe factum prædicans, hortatusq. ſuos, uti ſtrenue ſequerentur, primus cum globo militum in hoſtes fertur, acriterq. pugnans, Romanos tandem profligauit, & niſi cum altera copiarum parte Honorius, & Stilicho ſubſidio accurriſſent, eo omnino die, de Roma, orbis terrarum domina, quæ uictori premium erat futura, actum fuiſſet. Quamobrem Gothi relictis caſtris, pedem referre tandem coacti, & uaria ſtrage conciſi, Italia, trans alpes, abire. Hanc ſignificare uictoriam, numiſma illud argenteum puto, quod, poſtquam hæc ſcripſiſſem, & templi D. Laurentii in Cæſarea ruinæ effoderentur, ſecundum parietem, qui reſpicit Orientem ſolem, repertum eſt. Ab uno latere, ipſius caput Honorii uidetur, laurea corona redimitũ, porrecto naſo, nulla, aut raſa barba, niſi pili ſint, quod e ſummo mento, eminere cernitur: in ambitu hæ leguntur literæ. DN. HONORIVS. P. F. AVG. Aduerſum latus, ſimulachrum habet, paludamento militari: dextra manu haſtam ad terram ob longam, ſiniſtra paruam imaginem alatam, quæ uictoriam referre creditur, geſtantem: prementem uero ſiniſtro pede hominis ſimulacrum ſeſe ex humo tollere adnitentis. In dextro latere ſimulacri paludati eſt littera. R. in ſiniſtro. V. ſub pedibus ita legitur. HONOR. In ambitu uerò, VICTORIA. AVGGG. Erant enim hoc tempore tres Auguſti, cum Arcadius, Theodoſium filium, Auguſtum declaraſſet. Circiter id tempus Rauennam uenit Firmus presbyter a Diuo Hieronymo Stridonenſe, magna tum doctrinæ, ac ſanctitatis fama, apud Bethlehem agente, a Paula item, & Euſtochio, Romanis mulieribus, ſummo lo co natis, apud Bethlehem ipſis quoque ſanctiſſime degentibus, miſſus, ut res earum inuiſeret, ac procuraret, quas hic habebant, ut litteris ad D. Auguſtinum ſuis, D. Hieronymus ſcribit. Honorius ita compoſitis, pacatisq. rebus, Rauennam eodem anno regreſſus eſt; quod lex ea declarat, quam Rauennæ edidit Octauo Idus Decemb. ad Decium. P. V. ſe, & Arcadio Augg. quinctum Conſulibus, de iunioribus, ad quorum collationem eos tantum tenendos iubet, quos conſtet dignitates legitimas beneficiis conſequutos, non tamen iuſta priuilegia ſuffragari. Inſequentem annum ferè totum Rauennæ etiam traduxit, quod multæ ab eo latæ per id tempus leges ſignificant. Nam X. kal. Martii ad Septiminum Proconſulem Africæ ſcripſit, ad ſuſcipiendam, tuendamq. aurariæ rationem, ex negociatorũ, quolibetve alio corpore, idoneũ adhi-

adhibendum. Sexto kal. grauiſſimè in deſertores cauit, & qui occulte illos apud ſe ſeruarent, litteris ad Hadrianum Præfectum Prætorio ſic ſcriptis. *Si qui deſertores oberrare in prouincijs fuerint comprehenſi, eos & comprehendi protinus volumus, & ad iudicem deduci, vt auditi, cum de crimine deſertionis ſua confeſſi fuerint, carceris cuſtodiæ deputentur; de quorum nominibus ad tuam ſublimitatem ſubditis confeſſionibus referatur, vt inſtructi magiſtri militum, quid de his fieri oporteat, pro ſui auctoritate conſtituant. Sin verò inuenti, reſiſtendum, atque armis obtinendum putauerint, tamquam rebelles, in ipſis temeritatis ſuæ conatibus opprimantur. Ita tamen, vt prouinciarum iudices, ſollicita cautione diſquirant, ne ſub falſarum tractoriarum nomine, deſertionis ſuæ crimen defendere moliantur, ne ſuppoſitis, aut commentis epiſtolis, euadendi habeant facultatem: Deſertorum quoque occultator iuxta promulgatas leges, ſeueriſsime vindicetur* Octauo autem Idus Mart. ad Vitalem ſcribens Præfectum annonæ, edixit, ne piſtori cuiquam, eiusve poſteris, in priuatas perſonas, uel thymelicas, uel eas, quæ aurigandi ſtudio detinerentur, coniugii ſocietate tranſire fas eſſet, etiam ſi ab ipſo Imperatore reſcripta obtinerent. Factum autem id coniicio ob eam cauſam, quod piſtorum collegia, rariora, minoraq. in dies fierent: quo circa & multa illis tunc temporis tributa priuilegia legimus. Vt autem ob collationum Africanarum curam, ad eum, quem ſupra diximus, Septimium Proconſulem Africæ, Sept. kal. April. ſcripſit, curaret, omnes deuotionem aurariæ functionis agnoſcere, quos diuerſæ mercaturæ cura afficeret, ut quibus erat negociandi ſollicitudo, ad ſolutionem tenerentur, ita Strategio Africæ Vicario, Tertio kal. Iun. præcepit, ut quacumque eſſent per ambitum, & quaſi obrepentia acquiſita munera, & abrogarentur, cum non abſque publicæ dilacerationis incommodo, officia pertractari petantur. kal. Iul. Hadriano P.P. edixit, ut Agentibus in rebus, qui poſt aſſiduæ militiæ tempus, uelut premium laboris exacti, principatum geſſiſſent, etiam illud beneficii adiungeretur, ut collationes iuniorum, qui nuper Honoratis indicti erant, ea dumtaxat condicione expertes eſſent, ſi poſt Principatus munus, nulla fuiſſent alterius honoris adminiſtratione perfuncti. Quemadmodum autem optime meritos, his, ceteriſq. ornare beneficiis ſtuduit, ita deſertores ut exemplo in poſterum alii eſſent, genus hominum militiæ pernicioſum, acerrimo ſupplicio uindicauit. Quo factum eſt, ut, illis non contentus, quæ ſuperioribus menſibus edixerat, etiam octauo kal. Auguſti, ad ipſum Hadrianum rurſus ſcripſerit, ſi quo in fundo deprehenſus deſertor fuiſſet, fundus fiſco Auguſtali addiceretur, ſi id ſciente domino fundi accidiſſet: quod ſi inſciente, ſaltem in actorem conſcium ſeuerè animaduertendum. Atque hæc omnia Rauennæ Honorius. Interea hic eum Legati Romani conuenerunt, Romanam penè ſolitudinem deplorantes, ut Romam poſt multos annos reuiſeret, ciuitati antiquam formam, & meritum honorem reſtitueret, decennalia ibidem ſua ſolueret. Id Honorius tandem eſt pollicitus: paulloq. poſt Rauenna digreſſus, itinere per Vmbriam ſuſcepto, porta Flaminia, triumphans, inaudita iamdiu pompa, mortaliumque frequentia, Romam ingreditur, cum eodem curru ſecum Stilichonem deueheret. Tot tamen Stilicho honoris, & beneuolentiæ ſignificationibus nequaquam permotus, affectare Imperium credebatur, atque ob id occultè cum Alarico, ab ſe in Italiam euocato, ſentire, & conſultò bellum malè

F 3 gerere,

gerere, ut diutius gereret. Quò etiam inclinare credita pax fuit, quam hoc tempore cum Alarico fecit, Aetio ipſo Duce, obſide, inter ceteros dato, clam præcipiens, ut in Arcadii ditionem irrumperet. Cum autem accepiſſet Honorius, Radagaiſum, hominem Scytham, qui cum Alarico fuerat, in Italiam, cum ducentis armatorum millibus, uel vt alii, quadringentis, irruiſſe, Rauennam rediit: Hic dum commoratur, communicato conſilio cum Stilichone, ingentem Alanorum, atque Hunnorum manum, ſtipendio militari conduxit, & quæ uidebantur ad tantam irruentis belli molem neceſſaria, parauit. Poſtero
ANN. CCCCV. anno, qui fuit quintus ſupra quadringenteſimum, pro magno ſuo religionis ſtudio, quæ in ſacerdotes cauerat ſuperioribus annis, ea hoc etiam anno, pridie Non. Febr. Rauennæ edixit, Sthilicone iterum, & Anthemio conſulibus. Ceterum quo Honorii magis conſtet pietas, & quam ſe obſequentem epiſcopis præbuerit, & in ſacratorum uirorum iudicio ſibi nihil arrogauerit, operæ precium me facturum putaui, ſi ipſa edicti uerba adſcriberem. *Vt veneratio*, inquit, *ſacerdotibus debetur innoxijs, ita & pœna moderata, inquietis, atque deiectis, quemadmodum enim Deo ſeruientes, & Diuini ſacerdotij integritate lucentes, non ſolum vitam ſuam proprio præſtant ornamento, ſed etiam ſubiectæ plebis, atque obedientis exemplo, ita ij, quorum indigniora ſunt ſub integritatis profeſſione peccata, ſi excluſi deprauatiq. ab epiſcopis comprobentur, qui reſupinos ſpiritus aduerſum definita retulerint, ſeparati ab his urbibus, quas errore proprio tenuerunt, & ſibi debent eſſe parti ..... & alijs conſtituta obligatione terreri: plurimos enim bonos faciunt, & ueneratio optimorum ſacerdotum & notabilis reprehenſio peſſimorum. Suggerentibus Epiſcopis didicimus, quoſdam ſacerdotes Chriſtianæ legis, quorum delicta cœtu Epiſcopali deprehenſa fuerint, iterum ſententia uindicata, in ſinu earum vrbium, in quibus talia commiſſa ſunt, permanere, & quærere turbas populi conuocare, turbatores quietis exiſtere, tumultus popularis auctores, innocentes ſe poſt iudicium dicere, plebem colligere, & uelut adhuc Epiſcopos ſalutari, comitatum ſacrum petere, mereri mendacijs oracula, & furtiua reſcripta. Sancimus itaque hac lege, ut quicumque reſidentibus ſacerdotibus fuerit Epiſcopali loco detruſus, & nomine, ſi aliquid vel contra quietem moliri fuerit deprehenſus, rurſusq. ſacerdotium petere, a quo uideretur excluſus procul ab ea vrbe, quam tenuit, ſegregetur ..... quam, meneſtus uita præcepta, infecit: ſit huiuſmodi perſonis, tenore huius legis, inlicitum ſacra noſtra adire ſecreta, & impetrare reſcripta .... omnia abiectis per culpam ſacerdotio perſonis, quæ impetrarunt, uel quæ impetrata fuerant, infecta permaneant: ſcituri, his, quorum defenſione nituntur, abſque ſui reprehenſione non futurum, ſi hoc eis polliceantur ſuffragium, qui Diuinum non uidentur meruiſſe reſcriptum, Hadriane parens cariſſime. Hanc igitur legem ſublimis magnificentia tua, cunctis per Dioceſes ſibi creditas, publicabit edictis, ut id quod pro quiete repertum, pro iudicij Epiſcopalis confirmatione conſtitutum, pro reprimendis culpis inuentum eſt ab omnibus excolatur, ſacerdotibus reſeruetur.* Hæc Rauennæ, ad Hadrianum Præfectum Prætorio, Honorius, qui etiam hoc alterum edictum, pridie Id. Febr. edixit. *Nemo Manicheum, nemo Donatiſtam, qui præcipue, ut comperimus furere non deſiſtunt, in memoriam reuocet: una ſit catholica veneratio, una ſalus ſit, Trinitatis par, ſibique congruens ſanctitas expetatur. Quod ſi quis audeat interdictis ſeſe, inlicitisq miſcere, & præteritorum innumerabilium conſtitutorum, & legis nuper a manſuetudine noſtra prolata, laqueos non euadet: Et ſi turba fortè conuenerint, ſeditionis concitatos*

citatos: aculeos acrioris commotionis non dubitet exſerendos. Huic addidit edicto Honorius alterum, eodem die Rauennæ item datum, quo eorum, qui ſacrum iterabant baptiſma, crimen, toleranter ferre ſe omnino negauit: Vt enim litteris ſuis ad Hadrianum Præfectum Prætorio, hac de re, eodem tempore, Rauennæ ſcriptis, teſtatur, eò ſceleris progreſſi ii ferebantur, quos Donatiſtas vocabant, vt ſacroſanctum baptiſma, repetitis myſteriis, temere iterarent. *Ita*, inquit Honorius, *contigit, vt hæreſis, ex ſchiſmate naſceretur: Inde malè credulas mentes, ad ſpem ſecundæ indulgentiæ, blandus error inuitat: Facile eſt enim perſuadere peccantibus, veniam prius præſtitam, denuò poſſe præſtari, quæ ſi concedi iterum eodem modo poteſt, non intelligimus, cur tertiò denegetur: Hi verò, & ſeruos, vel homines iuri proprio ſubditos, iterati baptiſmatis polluunt ſacrilegio. Quare hac lege ſancimus, vt quiſquis poſt hac fuerit rebaptizaſſe detectus, Iudici, qui Prouinciæ præſidet, offeratur, vt facultatum omnium publicatione mulctatus, inopiæ pœnam, qua in perpetuum afficiatur, expendat, ita, vt filijs eorum, ſi a paternæ ſocietatis prauitate diſſentiunt, ea, quæ fuerint paterna, non pereant, vt ſi ipſos forſitan ſanitas paternæ deprauitatis..... in iudicantis, ac reuerentiæ ad Catholicam religionem malunt, adipiſcendorum his bonorum copia non negetur. Ea præterea loca, ſeu prædia, quæ feralibus ſacrilegijs deinceps conſtiterit præbuiſſe ſecretum, fiſci iuribus applicentur, ſi tamen dominus, aut præſens fortè fuiſſe, aut conſenſum præſtitiſſe probetur, quos quidem, iuxta etiam præſentiam, notauit infamia. Si verò his neſcijs, per conductorem, procuratoremvè eorum in domo agitatum huiuſmodi facinus comprobetur, præiudicio a prædiorum publicatione ſuſpenſo, impliciti ſceleris auctores, coerciti plumbo, exilium, in quo omni vitæ ſuæ tempore afficiantur, accipient. Ac ne forſitan ſit liberum, conſcientiam piacularis perpetrati, intra domeſticos parietes, ſilentio celare ſecreto, his, qui forſitan ad rebaptizandum cogentur, refugiendi ad Eccleſiam Catholicam ſit facultas, vt eius præſidio, aduerſus huius criminis, & ſocietatis auctores, attributæ liberalitatis præſidio defendantur: liceatq. ijs, ſub hac conditione, fidem tueri, quam extorquere ab inuitis domini tentauerint: nec aſſertores dogmatis Catholici, ea quæ ceteros, qui in poteſtate ſunt poſiti, oportet, ad facinus, lege conſtringi: & maxime conuenit omnes homines, ſine vllo diſcrimine condicionis, aut ſtatus, infuſæ cælitus ſanctitatis eſſe cuſtodes, ſciant ij verò, qui a ſupradictis iterare baptiſma non timuerint, aut qui, conſentiendo, hoc facinus, propria huius ſocietatis permixtione damnauerint, non ſolum teſtandi, ſibi, verum adipiſcendi aliquid ſub ſpecie donationis, vel agitandorum contractuum, in perpetuum, copiam denegatam, niſi prauæ mentis errorem, reuerendo aduerſus fidem conſilio, emendatio correxerit. Illos quoque par nihilominus pœna conſtringit, qui memoratorum interdictis cœtibus, ſeu miniſterijs, præbuerint conibentiam, ita vt moderatores prouinciarum, ſi in contemptum ſanctionis huiuſmodi, conſenſum putauerint, commodandum, ſciant ſe viginti libris auri mulctandos: officia etiam ſua ſimili condemnatione ſubiuganda: Principales, vel defenſores Ciuitatum, niſi id, quod præcipimus, fuerint exequuti, vel his præſentibus, Eccleſiæ Catholicæ uis fuerit inlata, eadem mulcta ſe nouerint attinendos.* Hæc Honorius, qui & aliam legem, tanto flagrabat Catholicæ religionis ſtudio, eadem de re, in eandem ferè ſententiam, ſciuit. Inde tert. Non. Mart. Rauennæ item, ad Diotimum Proconſulem Africæ, *Edictum*, inquit, *quod de unitate per Africanas regiones clementia noſtra direxit, per diuerſa proponi volumus, vt omnibus innoteſcat, Dei omnipotentis vnam, & veram fi-*

dem

dem Catholicam, quam recta credulitas confitetur, eſſe retinendam. Ceterum ad alia quoque verſus, X I I. kal. Mai. Gildonis, Satellitumve eius bona, ab iis, qui vſurparant, recuperata, iuſſit, ad Cæſarianum patrimonium aggregari, dupli pœna, iis, qui ad Calendas Octobris ea non reſtituiſſent, propoſita. Hunc Gildonem, eſſe illum puto, qui cum pro Honorio, nonum iam annum, Comes, & magiſter vtriuſque militiæ in Africa eſſet, eam prouinciam, Eutropii Eunuchi ſtudio corruptus, occupauerat, & Arcadii ſe nomine tenere affirma uerat. Sed ab Honorii copiis in fugam actus, & tandem captus, ſtrangulatus eſt. Honorius ad Diotimum Africæ Proconſulem X I. kal. Aug. Rauennæ, de prouocationibus ſcripſit, vt ſi quando prouocatio a gentilibus, vel a Præfectis eorum fuiſſet, ſacra ſolenniter, hoc eſt, proconſularis cognitionis diſquiſitio expectaretur. Ad Hadrianum etiam Prætorio Præfectum, octauo Cal. Octobr. ſcripſit, iis, qui loca publica ab ſe impetrarent, ſic obtinenda, vt tamen ne quid vſui, aut ornatui, commodove ciuitatum detraheretur, nec niſi adiecta ipſius Hadriani auctoritate. Tandem, vt initio anni reſponderet exitus, ſexto Id. Decembr. Diotimum, quem ſupra diximus, iuſſit, vt Donatiſtæ ſuperſtitionis hæreti.os, ita enim eos appellat; quocumque loco vel fateren tur ipſi, vel conuincerentur, ſeruatis legibus, pœnam ſtatim ſubire curaret. Dum autem hæc Rauennæ pro re publica, & Catholica religione ſtatuit, inſignem illi Deus, nec abſque ingenti miraculo, victoriam de Radagaiſo, contulit, qui tranſacta, nullo occurrente, Venetia, Aemiliaq. dum Florentiam obſideret, ab Stilichone perſequente circumſeſſus, eò deductus eſt, vt ad Feſulas, cum filiis captus, obtruncatusque fuerit: cetera exercitus infinita penè multitudo, partim cæſa, partim, pecudum inſtar, vendita. Poſterum etiam

ANN. CCCCVI. annum Rauennæ egit Honorius, quod leges ab eo latæ declarant: nam tert. Id. Ianuar. Arcadio. V. & Probo conſulibus, quoniam naues ſuas, variis nominibus, tituliſque, ne publicæ neceſſitati inſeruirent, complures tuebantur, edixit, ad Longimanum ſcribens Præfectum Prætorio, vt huiuſmodi ſi deprehenderetur fraus, ea nauis fiſco addiceretur. Multos etiam, per illud quinquennium, Comites, & peræquatores, diſcuſſoreſque; ita magiſtratus quoſdam, & adminiſtros vocabant, qui prædia prouincialium, pro imponendo tributo, inuiſebant; in prouincias dimiſerat, qui cum publicæ vtilitati nihil proſpexiſſent, ad eundem Longimanum, Quincto Idus Feb. ſcribit, vt eius ſublimitas; hoc enim ornabatur inſigni titulo; Prætorio Præfectis, & eorum, cum actus diſquireret, tum negligentiam, duplo; rapacitatem, ſi quid a prouincialibus abſtuliſſent, quadruplo mulctaret. Mox ſuſcepta rerum bellicarum cura, iuſſit nono kal. April. vt qui ad deprædationes ſe, relictis caſtris, aut latrocinium contuliſſent, publicam ſecuritatem ne euaderent. Quinctodecimo autem kalen. Mai. ſeruos hortatus eſt, vt quàm primum ſeſe ad bellicos labores darent, fore enim, vt libertatem, ſi apti ad militiam arma ſuſcepiſſent, adhæc puluerarici nomine; eorum hæc vocabula temporum ſunt; binos ſolidos, premium acciperent: eorum præſertim ſerui, *quos militia*, inquit, *armata detentat:* fœderatorum nihilominus, & dedititiorum etiam, quoniam & ipſi, vna cum dominis, bella tractarent. De ingenuis nihil decernit, quòd incitari illos caritate patriæ crederet. Verum neque his contentus, ad XIII. kal. omnes prouinciales ita allexit. *Prouinciales*, inquit, *pro imminentibus neceſſi-*

tati-

tatibus omnes inuitamus edicto, quos erigit ad militiam innata libertas. Ingenui igitur, qui militiæ obtentu arma capiunt, amore pacis, & patriæ, ſciant ſe denos ſolidos, paratis rebus, de noſtro percepturos ærario, quibus tamen ternos, ex ſumma ſupradicta, iam nunc ſolidos præberi mandauimus: nam optimos futuros confidimus, quos virtus, & vtilitas publica, neceſſitatibus obtulit. Quæ autem Honorium hoc anno impulit neceſſitas, ut adeò accuratè rem militarem adminiſtraret, vt vel ſeruos ad bellum hortaretur, ea Vandalorum, qui erant in Scythia, ad Meotidem, inſignis motus fuit: ii Godigiſilo Rege, Duce, & ex Sarmatia in Germaniam inierunt, & ſecum innumeram eius gentis multitudinem adduxerunt, Francosque, qui ad Rhenum occurrerant, fuderunt. Ceterum, & ciuiles curas Honorius ob id minimè intermittens, cum aliquod reos in Tripolitana Prouincia prouocare intelligeret, quo effugerent pœnam, ad Neſtorium Comitem, ac Ducem ſcripſit, ut manētibus illis, quæ de audientiæ diſcretione: vtor eius verbis; ſuperioribus præceptis fuerant decreta, inconuictos, tamquam confeſſos, ſententia pronunciaretur: ea tamen condicione, vt nulli prouocare, fas eſſet, antequam diſquiſitio rei ſuſcepta, ad iudicii formam adducc retur. Atque hæc ab Honorio hoc anno Rauennæ acta ſunt. Inſequenti, qui fuit ſeptimus ſupra quadringenteſimum, Honorio ſeptimum, Theodoſio iterum conſulibus, cum ſeptimo Id. April. vetera vrbis Romæ Decuriæ priuilegia, & Idibus Octobris, ſcriniorum prærogatiuas, atque immunitates, multas, magnasq. tametſi ad altiorem gradum prouеherentur, confirmaſſet, vt Gallicos tumultus, Vandalis eò irrumpentibus, accepiſſet, & Conſtantinum neſcio quem Imperatorem, a Britannis militibus, Vandalorum arma veritis, creatum nouiſſet, Romam abiit, eoque euocatum paulo poſt Rauenna Stilichonē communicato conſilio, iuſſit, Sarum cum firmo exercitu in Galliam mitti: quod, & factum eſt. Stilichone Rauennam reuerſo, Honorius anno Quadringenteſimo octauo, Thermantiam, Mariæ, quæ exceſſerat è vita, ſororem, Romæ ſibi deſpondit vxorem. Eas Serena, Stilichonis vxor, nuptias conciliarat, vt apud Imperatorem, priſtinam gratiam, potentiamq. retineret. Sub id fermè tempus, Rauennam, Alarici ad Stilichonem Legati veniunt, pecuniam Alarici nomine, pro ea mora, quam rogatu eius, in Epiro interpoſuiſſet poſcunt: ni daret, ſe in Italiam deſcenſurum, ac damna ſua, prædandis agris ſarcturum. Stilicho legatos Rauennæ relinquit, Romam ipſe ad Honorium profectus, oſtendit in Senatu, Alaricum, Honorii commodo, vt Illyricum eius Imperio adiiceretur, in Epiro ſubſtitiſſe: quod, & fuiſſet, niſi eum Honorius inde deterruiſſet per eas litteras, quas protulit, culpa in Serenam coniecta, quæ vtriuſque Principis gratiam cuperet. Senatus quadraginta librarum millia, nomine pacis, decreuit perſoluenda Alarico, qui quamquam firmauit pacem, ex Norico tamen, quò redierat, non ceſſit. Magna hinc habuit Honorii animum ſuſpicio, ac proptereaRauennam ſe redire dixit velle, vt exercitum recenſeret, ſibique in tanta imminentis exercitus vicinitate, conciliaret. Id conſilii a Serena datum Honorio fuit, quæ, ſi Alaricus, violata pace, in Italiam deſcendiſſet, Honorium tutiore, ac munitiore vrbe, qualis tum Rauenna erat, cupiebat contineri. Verum Stilicho, ſiue quid maius in Honorium moliretur, optaretque eum longius abeſſe, ſiue ita ſentiret, eam profectionem improbauit, & ne fieret, Sarum Alanorum Ducem, ad tumultum in exercitu

ANN. CCCCVII.

ANN. CCCCVIII.

tu concitandum, impulit. iis tamen nihil retardatus eſt Honorius. Itaque Rauennam iter intendit, quò etiam Stilicho ipſum inſecutus eſt: cumq. iam Rauennam perueniſſet, de morte Arcadii Auguſti, qui kal. Mai. obierat, nuncius aduenit. Quamquam autem Arcadius, hoſtium fide potius, quàm ſuorum, aut voluntate, aut opibus fretus, Theodoſio filio propè infanti, Iſdigerdem Perſarum Regem, olim hoſtem, teſtamento tutorem dederat, attamen Conſtãtinopolim cupere ſe, Honorius adnauigare, ad res eius Imperii, & Theodoſii pupilli perſpiciendas, cum Stilichone communicauit: verum is, cauſis quibuſdam in ſpeciem probabilibus, cum veras occultaſſet, quibus ſe, perempto Theodoſio, Orientale Imperium, Eucherio filio conciliaturum putauit, illud etiã improbauit Honorii conſilium. Quæ cum poſtea Honorius, dum Ticinum, paucis deinde diebus, adiret, ad ſedandos Conſtantini, de quo diximus, in Gallia motus, ex Olimpio accepiſſet, in eoq. grauiſſimo tumultu Ticinenſi, quo, & ciuitas direpta eſt, & Honorius mortuus eſt creditus, re ipſa perſpexiſſet, propterea quòd Stilicho, eius tumultus nuncio Bononiæ accepto, non ſolum Ticinum, opem laturus, non accurrerit, ſed Rauennam reuerterit, nulla de Honorio, puniendisque iis, qui ſeditionis auctores fuerant, ſuſcepta cura; cum etiam ob id de Vandalis ab eo in Galliam immiſſis, quæ pridem acceperat, vera fuiſſe iam Honorius crederet, familiariſſime Olimpio vti ad omnia cepit. Quamobrem plurimum de immutata animi voluntate vereri Stilicho, & ſibi metuere, angoreq. & ſolicitudine conſcientiæ vexari: militibus autem monentibus, vt tutis in locis conſiſteret, dum Honorii animum erga ſe exploratum haberet, Sarus, qui dignitate inter ceteros eminebat, interemptis per quietem, militum ſuorum opera, Hunnis omnibus, qui aſſiduè Stilichonis latera ſtipabant, ad tentorium eius acceſſit. Hac barbarorum diſſenſione, quos ſecum habebat, Stilicho vehementer commotus, maioremq. in ſuſpicionem adductus, Rauennam iter magis intendit, & qua ibat, ciuitates, vbi barbarorum coniuges, & liberi conſidebant, admonebat, ne quem barbarum, ad ſe venientem, admitterent. Vbi Rauennam Stilicho venit, Honorii litteræ, ad exercitum Rauennatem, ab Olimpio miſſæ, quibus mandabatur, Stilichonem comprehenderent, atque in cuſtodiam darent. Re percepta Stilicho, per noctem, in templum, ſalutis cauſa, confugit. Ceterum cum id Exuperantius Archiepiſcopus reſciuiſſet, ne violaretur militum iniuria templum, accurrit; Stilichoni, & militibus, vt abſque tumultu res ageretur, perſuadere nititur, quando nec Stilichoni tandem ad reſiſtendum vires eſſent, & nihil aliud poſſet, quàm magis Honorium perturbare, exulceratumq. eius animum exagitare, præſertim quòd ædem ingreſſi milites, coram Exuperatio, iureiurando affirmarent, non eſſe ſibi, ut illum perimerent, a Principe imperatum, ſed tantum, ſeptum cuſtodia tenerent. Hac fide egreſſus Stilicho, ſeſe militibus dedit. Ceterum haud ita diu poſt, alteræ ab Honorio litteræ, ab eo, qui priores attulerat, redditæ, quibus præcipiebatur, vt Stilichoni ob delicta aduerſus Rempublicam, vita eriperetur. Id cum accepiſſet Eucherius filius, nullo ſubſidio patri eſſe poſſe perſpiciens, ſibi fuga conſuluit, Stilicho ad capitale ſupplicium abſtractus eſt. Plerique auctores ſunt, ſeruos illius, familiareſque impetum facere in Rauennates milites uoluiſſe, vt Stilichonem tuerentur, illum autem, ſiue quòd iam tot rerum mortalium viciſſitudinis, & inconſtantiæ

tiæ tæderet, ſiue quòd fruſtra id niti intelligeret, neque aliud, niſi maius odium, ac ſupplicium quæri, ab huiuſmodi eos propoſito auocaſſe, & ſe vltro occidendum dediſſe. Interfectus eſt Calendis Septembris, ab Heracliano Comite, vir militiæ, & domi inſignis, ingenii ſolertia ſingulari, fortis, manu promptus, quemq. ſi affectati Regni, atque ob id perfidiæ ſuſpicionem remoueas, ſummis dignum laudibus cenſeas. Principum ſibi virorum, longeque magis militum, conciliandæ beneuolentiæ peritiſſimus: & quamquam domo Vandalus, tamen cum Imperatoribus affinitate coniunctus: nam, & Theodoſii fratris filiam, Serenam, vxorem habuit, & Honorio duas filias, ita vti ſupra memorauimus, in matrimonium collocauit. Sæpe conſul, ceteros omnes belli, paciſq. magiſtratus iniit; Præturam in exercitu per annos tres & viginti geſſit, & cum poteſtate pene Auguſtali, poſt Theodoſii mortem in Occidente verſatus. Honorius Rauennam reuerſus, hoſtem publicum, Stilichonem, declarauit, Thermantiam ſponſam, dignitate Auguſtali ſpoliatam, ad Serenam matrem, Romam remiſit, filium Stilichonis, Eucherium, veſtigari, & repertum iugulari iuſſit: inde quæſtiones de familiaribus Stilichonis ſeueriſſimas habuit. Hæc autem dum aguntur, ad componendas etiam reliquas Regni partes animum intendit: itaque pro perpetuo veteri ſuo Catholicæ religionis ſtudio, ad Olimpium magiſtrum officiorum, & Valentem Comitem Domeſticorum ita ſcripſit. *Eos, qui Catholicæ ſectæ ſunt inimici, intra palatium militare prohibemus, vt nullus nobis ſit aliqua ratione coniunctus, qui a nobis fide, & religione diſcordat. Dat. XVIII. Kalen. Decembr. Rauennæ, Baſſo, & Philippo Conſulibus*. Octauo autem poſt die, qui fuit X. kalen. ita de teſtimonialibus ſanxit. *Eos, qui teſtimoniales, non ſuo merito, ſed eorum contemplatione ſunt adepti, qui pro his noſtram clementiam ſunt precati, par ſeueritas perſequatur: eos tamen eſſe in vrbe ſacratiſſima non vetamus, qui poſuerunt illic larem, atque domicilium*. Eodem etiam die, Stilichonem, & Eucherium, vt puto, damnauit, his edicti verbis. *Qui ſuas opes prædoni publico, vel eius filio, ceteriſq. Satellitibus dederunt, uel iure, vel corpore, quibus ille uſus eſt ad omnem diſtandam, inquietandamq. barbariem, his omnem repetendi viam iubemus eſſe præcluſam*. Mox ſeptimo kal. Decembr. ſanxit, tyrones in Scholis poſteriore ſemper loco poni; & cum pridie eius diei, ita ad Donatum ſcripſiſſet, *Aue Donate cariſſime nobis. Donatiſtarum hæreticorum, Iudæorum noua, atque inuſitata detexit audacia, quòd Catholicæ fidei velint ſacramenta turbare. Quæ peſtis, atque contagionis ſi latius emanet, ac profluat ..... In eos igitur, qui aliquid, quod ſit Catholicæ ſectæ contrarium, aduerſumq. tentauerint, ſupplicium iuſtæ animaduerſionis, expromi præcipimus*, ad Theodorum Præfectum Prætorio II. eadem ferè repetens, V. kal. ita cauit. *Defenſorum, Curialium, omniumq. officiorum ſpecula cuſtodiat, ne quis intra aliquam ciuitatem, uel ulla territorij parte ſecreta, qui ab Eccleſia Catholico Sacerdote diſſidet, inlicitæ cohibitionis habeat facultatem. Ipſa etiam loca iuri publico ſociari, ſecluſa omni excuſatione, cenſemus, & proſcriptos eos in exilium detrudi, qui audent diſputare, ea, & aſſerere, quæ inſtitutio Diuina condemnat*. Hæc Honorius. Vt autem, & componeret, quæ ſuo ſtudio corrupiſſe Stilicho viſus fuerat, ſic ſanxit. Dat. Rauennæ, Quarto Id. Decembr. *Cum per Illyrici partes, barbaricus ſperaretur incurſus, numeroſa incolarum manus, ſedes quæſiuit externas, in cuius ingenuitatem, aſſidua petitorum ſolet libido graſſari, eiq.*

in-

inlicite iugum ſeruitutis imponere. Itaque praſcripeum tua Sublimitas recognoſcat, ut Illyricianos omnes quos patria complectitur, uel alia qualibet terra ſuſceperit, perire non liceat. Item eodem die in hunc modum decreuit. *Hoſtis publicus Stilicho, nouum, atque inſolitum repererat, ut litora, & portus, crebris uallaret excubijs, ne cuiquam ex Oriente, ad hanc Imperij partem, pateret acceſſus. Huius iniquitate rei moti, & ne rarior ſit diuerſarum mercium commeatus, pracipimus hac ſanctione, ut litorum deſiſtat, ac portuum pernicioſa cuſtodia, & eundi, ac redeundi libera ſit facultas.* Stilichonis morte accepta, Alaricus, inducias cum eò pactas etiam finem habuiſſe ratus, legatos de pace ad Honorium mittit, certam pecuniæ ſummam, & Actium, Iaſonemq. Gaudentii, & Iouii filios, obſides petit: contra, ipſe quoque alios pollicetur. Verum Honorius, ſiue quòd eam ſibi condicionem indecoram putabat, ſiue quòd erat aſſiduo bellorum ſumptu exhauſtus, eam non accepit. Poſtero anno ineunte, cum Hæretici, ut eſt

ANN. CCCCIX. genus hominum contumax, & ſeditioſum, putantes Honorium bellorum periculis abſtractum, parum, quæ religionis eſſent, curaturum, noua molirentur, Honorius ad Theodorum Præfectum Prætorio II. ſcribens ita ſanxit. *Ne Donatiſtæ, uel ceterorum uanitas hæreticorum, aliorumq. error quibus Catholicæ communionis cultus non poteſt perſuaderi, Iudæi, atque gentiles; quos uulgo Paganos appellant, arbitrentur legum, ante, aduerſum ſe datarum, conſtituta tepuiſſe, nouerint Iudices vniuerſi, præceptis, eorum fideli deuotione, parendum, & inter præcipua, quidquid aduerſus eos decreuimus, non ambigant exequendum. Quòd ſi quiſquam Iudicum, loco conhibentia executionem praſentis legis omiſerit, nouerit, amiſſa dignitate grauiorem motum ſe noſtra clementia ſubiturum. Officium quoque ſuum, quod ſaluti propria contempta ſuggeſtione defuerit, punitis tribus primatibus, condemnatione uiginti librarum auri plectendum. Ordines quoque uiri, ſi in proprijs ciuitatibus, uel territorijs, commiſſum tale aliquid ſiluerint, in gratiam noxiorum, deportationis pænam & propriarum amiſsionem facultatum, ſe nouerint ſubituros. Dat. XVII. Kal. Febr. Rauennæ, Honorio VIII. Theod. III. AA. coss.* Mox duodecimo kal. Febr. cauit, ne Defenſores ciuitatum, Curatores, Magiſtratus, & ordines, in carcerem, oblatos ſibi reos, coniicerent, ſed in ipſo maleficio deprehenſos, cum accuſatoribus, in iudicium vocarent, nec ad arbitrium aduerſariorum, in ciuitatibus retinerentur. Quòd ſi qui rei triginta dies, moderata, ac diligenti cuſtodia ſepti, vt domum ſuam inſtituerent, & ſumptus ſibi pararent, commorari in patria vellent, id eis ne denegaretur, quod, & Theodoſius pater conceſſerat. Ad hæc, vt a die inſcriptionis, intra anni curriculum definirentur, quo elapſo ſpatio, accuſatori, quia deſtitiſſet, mulcta legibus conſtituta irrogaretur. Quicumque autem teſtes neceſſarios, eoſdemque idoneos haberet, iis ſumptus ab accuſatore, vel iis, propter quos fuiſſent poſtulati, Iudex præbendos curaret. Cauit etiam accuratè, ne prouincialibus, qui conteſtari de iniuriis ſuis litem cuperent, actorum confectio negaretur. Sin eorum interdiceretur actorum exemplum, querelæ libellum, ita vti antea fuerat, conteſtarentur, frequentioribusq. ciuitatum locis affigerent. Tandem eodem hoc die decreuit, ne quis ex Curialibus, aut poſſeſſoribus, plebeisve, filios paſtoribus nutriendos traderet, cum aliis ruſticanis, vt fieri conſueuerat, dari alendos non uetaret. De his verò, qui in carcere habebantur, ſic ſtatuit. Iudices, omnibus Dominicis diebus productos reos è cuſtodia carcerali videant,

ant, interrogent, ne his humanitas clauſis, per corruptos carcerum cuſtodes, negetur: Victualem ſubſtantiam non habentibus, faciant miniſtrari, libellis duobus, aut tribus, diurnis, vel quot exiſtimauerint, ut commentarienſi, decretis, quorum ſumptibus proficiant alimonia pauperum, quos ad lauacrum, ſub fida cuſtodia, duci oportet: mulcta, Iudicibus, viginti librarum auri, & officijs eorum, eiuſdem ponderis conſtituta. Ordinibus quoque trium librarum auri mulcta propoſita, ſi ſaluberrime ſtatuta contempſerint. Nec deerit Antiſtitum Chriſtianæ religionis cura laudabilis, quæ ad obſeruationem conſtituti iudicis hanc ingerat monitionem. Dat. VIII. Kal. Febr. Rauennæ, Honorio VIII. & Theod. III. AA. Coss. Edixit etiam eodem die, vt Mathematici, niſi parati eſſent, libris de errore illo ſuo, ſub oculis Epiſcoporum, in concione combuſtis, Catholicæ religioni cultum, fidemq. tribuere, numquam ad errorem priſtinum reuerſuri, non modò vrbe Roma, ſed omnibus ciuitatibus pellerentur: ſi non paruiſſent, deportarentur. De abolitione etiam ſanxit, vt ſi eam accuſator intra triginta dies, poſtquam reus in cuſtodiam fuiſſet traditus, petiiſſet, daretur, etiam inuito reo; ab eo tempore, niſi aſſentiente reo, non daretur. Teſtes ingenui, ab accuſatore, qui inducti fuiſſent, & in cuſtodia habiti, eorum accuſator ſumptibus conſuleret: qui ſi tormenta tuliſſent, quamquam plebei, dummodo ingenui, etiam reo, accuſatoreq. aſſentientibus, abolitionem tamen denegaret iudex, verum aut in accuſatum, pœna, ſi fuiſſet cōuictus, aut in accuſatorem ſi non conuiciſſet, intorqueretur. Harum omnium ſeruandarũ legum curam, Cæciliano Præfecto Prætorio mandauit. Cum verò quidam, hoc tempore, prætermiſſo vetuſti iuris ordine, quas non merebantur, nuptias, precibus, ab ipſo Honorio aſſequi niterentur, puellas aſſentiri confingentes, ipſis Calendis Febr. ad Theodorum Præfectum Prætorio ſcribens, ſciuit, mulcta bonorum, ac deportationis indicta, huiuſmodi ſponſalia ne fierent, quiq. filii inde naſcerentur, legitimos non habendos, nec umquam huius facinoris veniam impetrandam, præterquam ab iis, quibus, quarto affinitatis gradu iũctis, Theodoſius, pater, ſuppliciter petere non interdixerat: item illis, qui cuperent parentum ſponſionem, de nuptiis filiarum, impleri, vel ſponſalia, id eſt, arrarum data nomine, ſibi reddi, præcepto legum, cum quadrupli pœna, depoſcerent. Dum autem hæc, Republica optimè, ciuilibus negociis, ac pace, adminiſtranda, Rauennæ Honorius ſtatuit, Alaricum noua moliri, & Italiæ imminere intelligens, ne bello deeſſet, tractare militaria, & exercitus inſtruere, & qua poſſet ratione, prouidere. Itaq. poſtquam cum Theodoſio fratris filio egit, vt omnes aditus, ſi fieri poſſet, intercluderentur, cũ nouos milites, neceſſitate aſtrictus, imperaret, qua erat in ſubiectos ſibi populos clementia, exemit quoſdam ab eo munere, quod lege XV. kal. Mar. his verbis, Rauennæ, ad Melitiũ PF. data, ſatis conſtat. *Tirones*, inquit, *quorum pretia exhauſti ærarij neceſsitas flagitauit, præbere noluimus illuſtris viros præfectos, cum gerunt inſulas dignitatis, vel cum ſublimem egerint præfecturam: non magiſtros militum, vel Comites Domeſticorum ſimile munus adſtringat; neque enim tirones de facultatibus eorum poſcendi ſunt, quorum virtus, triumphis noſtris ſubiugat de hoſte captiuos; non Præpoſitum, vel Primicerium ſacri cubiculi, non caſtrenſem, non Comitem ſacræ veſtis, non ceteros cubicularios, nõ Magiſtrum officiorum, Quæſtorem, vel Comites ſacri, ac priuati ærarij inluſtres, non virum ſpectabilem Primicerium notariorum, non conſiſtorianos Comites, ac ſcriniorum Magiſtros, vel Tribunos, & notarios eadem damni mulcta percellet: non uiros ſpectabiles Comites Archiatrorum, non Comites ſtabuli, curæ palatij, Scholares, proximos ſcriniorum,*

eademque ſcrinia, Comites diſpoſitionum, Decuriones, Magiſtrum admisſionum, & ceteras ſimiles Comitum, laboris noſtri ſocias, dignitates, eiuſdem præſtationis ſors teneat: non Tribunos, vel Præpoſitos militares, poſt teſtimonium inueteratæ militiæ, habeant in commune omnes, ſiue dum adminiſtrant, ſeu poſtquam adminiſtrauerint, debitum Regiæ liberalitatis officium, nemo Tirones, equos, vel præſtationem auraria vereatur, quem ſub legis noſtræ ſanctione proſequimur. Illos tantum Tironum atque auri munus adſtringat, quos Honorarios vocauit antiquitas, vel qui faſces ciuilium partium conſecuti, nulla prius laboribus rudimenta poſuerunt. De ipſis etiam militaris nominis uiris, eos Præpoſitos, vel Tribunos, a priuilegijs eſſe conuenit alienos, qui caſtrorum expertes habentur, nec in hoſtem, Martio ære caluerunt. Hæc Honorius, qui irruente iam in Italiam, cum magno barbarorum exercitu, Alarico, bellica aſſiduè negocia, conſiliaq. tractans, cum non ſolum Senatores pagani, Sacrorum Chriſtianorum cultum deſerendum contenderent, ſed etiam pleriq. Chriſtiani Iudaicam perfidiam cogerentur, nomenq. induere, quos Cælicolas, inaudito, vt ipſe inquit Honorius, nomine appellabant, Honorius grauiter hac de re cõmotus, affirmans grauius morte eſſe, & immitius cæde, ſi quis ex Chriſtiana fide, incredulitate Iudaica pollueretur, kal. April. Rauennæ, edixit, niſi in tra anni terminos, ad Dei cultum, venerationemq. Chriſtianam cõuerſi fuiſſent, his fore legibus obnoxios, quas in hæreticos tulerat: Qui autem abducere ad Iudæos, chriſtianũ hominem, coegiſſet, maieſtatis eũ crimine teneri, ſanxit etiam haud ita diu poſt, ne Iudæi, feſtis eorum diebus, Sabbatho præſertim, iudicio conuenirentur: eo tẽpore requietem haberent litium, vt operum, & laborũ habebant. Adhæc VI. kal. Iul. adiecit, ſi quis contra ea, quæ multipliciter, pro ſalute cõmuni, hoc eſt, vt ipſemet interpretatur Honorius, pro vtilitatibus Catholicæ ſacroſanctæ Eccleſiæ, aduerſus hæreticos, & diuerſi dogmatis ſectatores, cõſtituta fuerant, quamquam addita vel ipſius Honorii notatione, ire tentaſſet, impetratis careret: Eccleſiarũ autem negocia, Iudices, celeri legum ordine ſeruato, finirent: *Nec enim decet*, inquit, *defenſione loci; nominisq. venerabilis ſuſcepta, publica diu Secretaria præſtolari:* Inde ſeptimo kal. Octobr. ad Bonoſianum Præfectum vrbis ſcribens excuſauit ſe, quòd Decuriæ priuilegia non augeret; propterea quod iniuriæ genus eſſet, quidquam cũ antiquitate ſociare: ea tamen ſe confirmare, atq. vti emolumenta omnia, varie extorta, atq. erepta, redhiberentur, iubere. Hæc Honorio Rauennæ agente, Alaricus Aquileia, Concordia, Altino, ac Patauio a læua dimiſſis, traiecto Pado, ad Oecubariam, Bononiæ caſtellum, mox in Rauenatem agrum venit, & inter Rauennam, & Claſſem opidum, ad pontem Candidium, quem, & Candidianum ſcribunt, omnia diripiens, ac vaſtans caſtra locat. Inde legatos ad Honorium iterũ de pace mittit. Honorius, tũ quòd vrbis Rauẽnæ munitione tutus, ſperare quidquam ſyncerũ a barbaro Rege nec poſſet, nec verò deberet, cũ ingenti præſertim barbarorũ exercitu, in Italiam, ad direptiones, ac cædes, profecto, ne maiori dedecore illuderetur, tũ quòd ex Oriente copias, iam ab ſe accitas, propediẽ affuturas intelligebat, idẽ Legatis, quod prius, reſpõſũ dedit. Itaq. Alaricus recta Romam cõtendit, & circũfuſo vndiq. exercitu, cinxit. Aduenere interea Rauẽnam Arſacius, & Terẽtius Eunuchi, qui Eucheriũ in Piceno inuentũ, Romamq. reductũ, iuſſu Honorii, iugulauerant, & Thermantiam Serenæ reddiderant, maritimoq. itinere, vt Alaricum vitarent, Rauennam ſe receperant. Obſidente Romam Alarico, res acciderunt, quæ mirum in modum Honorii animum pupugerunt,

duæ,

duæ,altera,Senatorum perfidia fuit,qua cōtendebant,immolationes reuocandas,& ſacrorum Chriſtianorum cultum deſerendum;altera,ipſum ſacrilegiū, cum Senatus in Capitolio, quamquam populo auerſante ſacrificia fecit. Quæ rei indignitate Innocentius Pont.Max. pro ſuo pietatis ſtudio,quo, paucis ante annis inuicto,vereq. Pontificio animo,Ioannis Chryſoſtomi,Epiſcopi Conſtantinopolitani,cauſam aduerſus Arcadium Imperatorem,& Eudoxiam Auguſtam, ſuſceperat; ſupra quàm dici poteſt, commotus, & capitis periculum nihil veritus,quando aliud in tanta perturbatione non poterat,prætextu legationis,vt plerique ſcribunt; quod tamen diuturna,Rauennæ, deinde mora fortaſſe arguere falſum poteſt;Roma egreſſus eſt,Rauennamq. ad Honorium venit. Religioſiſſimus,& eximia in Chriſtum pietate Princeps, Honorius; tali enim illum titulo,Diui Hieronymus,& Auguſtinus,hoc loco appellant,ſummis officiis Pontificem Max.excepit: & eius,vt credi poteſt, hortatu,communicatoq.cum eo cōſilio,iuſtis Senatū Romanum pœnis mulctaturus,Romam,vt in Hiſtoria Principum Eſtenſium ſua Ioannesbaptiſta Pigna quoq. ſcribit, ſede Imperii Occidentalis priuauit,& Rauennam, illam tranſtulit: Adhæc, neq. ob fides præbere Alarico iterum petenti,neque munera, neq. pacē voluit, neque Legatis Romanorū,ſæpius ad ſe miſſis,quidquam conceſſit.Precibus tamē Innocentii Pontificis fatigatus,qui Italiæ,atq.adeò Romæ procurabat incolumitatē,Olimpium miſit, Magiſtrum officiorū,vt Ataulfo, coniugis Alarici fratri, in Venetiam,ſuperatis Alpibus, irruenti, copiis ex opidis coactis, occurreret: quod & factum eſt,adeoq.felici prœlio,vt Olimpius,ſeptemdecim tantum ex ſuis deſideratis,mille,& quingentos Gothos trucidauerit. Interea Honorius, Legatos Cōſtantini,qui ſe in Gallia pro Imperatore gerebat,Rauennam profectos, benigne audiuit, veniamque Conſtantini nomine poſtulantibus,quòd a militibus coactus, inſignia Auguſtalia ſuſcepiſſet, tribuit, & trabeam, quod veſtis genus eſt; Imperatoriam, ad illum miſit. Adhæc nouis creatis Romanis magiſtratibus, ac Præfectis,legem tulit, ne quis in aula cingulum militare indueret, qui Chriſtianus nō eſſet: Erant enim adhuc inter Romanos Senatores, pleriq. cultui falſorum Deorum addicti, Deorumq. illorum templa, & ſigna aurea,argenteaq. Romæ extabant.Inter hæc,milites, Rauennæ, ſeditione graui excitati, arma rapere, occupare portū, & percunctantibus, quid rerum molirentur, & quò tam grauis ſpectaret tumultus, Honorium ſibi oſtendi, vt alloqui eum poſſent, poſtulare. Id cum Honorius renueret, Iouius Præfectus Prætorio,idemq. Patricius, ſocio Ellobicho, Comite Domeſticorum,aſſumpto,blande eos appellitans,tandē impulit, vt tumultus cauſam aperirent.Tradi ſibi Turpilianū, & Vigilantium Præfectos militū,cum Terentio,& Arſacio, ſacri cubiculi præpoſitis,depopoſcerunt.Quod vbi audit Honorius maiorē ſeditionem veritus,in exilium eos egit.Verum Turpilio,&Vigilantius in nauim impoſiti,ab iis,qui auehebant,Iouii mandato,necati: Terentius in Orientem, Arſacius Mediolanum relegati. In Terentii locum,Euſebius Cubiculo Præpoſitus,ſufficitur: Turpilionis præfectura, Valenti: Vigilantii,Ellobicho datur.Iouius,cum maxima apud Honoriū auctoritate polleret,auſus etiam eſt,nullo cū eo communicato conſilio,de pace cum Alarico tractare, qui eius nuncio permotus, Ariminum venerat, vt corā cum Iouio, qui Rauenna profectus, Arimini ipſe quoquę erat,negocium conficeret. Quæ tractata ſunt, ea per litteras

Idus, edixerit, quoſcumque barbari, captiuos abduxiſſent, eos nemo inuitos, vt retineret: Quòd ſi iis quidquam in veſtitum, victumq. fuiſſet datum, repeti non poſſet, extra illos, quos emiſſent a barbaris, a quibus ſtatus ſui pretium, propter vtilitatem publicam, emptoribus æquum erat redhiberi. Itaque aut precio, aut obſequio, laboreve, aut opere quinquennii, vicem referre beneficii iuſſit: Hoc autem, vt facilius edictum obſeruaretur, Chriſtianorum, qui in propinquis locis eſſent, voluit curationis eſſe: Curiales quoque vicinarum ciuitatum monuit, vt naſcentibus huiuſmodi cauſis, ſcirent Honorianæ legis auxilio vtendum, ita ut Rectoribus, ſi negligerent, decem librarum auri, atque item apparitoribus eorum, mulcta eſſet indicta. Poſtero ineunte anno, ut legionibus ſupplementa accederent, Machedonio Comiti rei priuatæ, ſexto Id. Febr. Varane Conſule, ſcripſit, poſtulare, ſe ſuperioris temporis exemplo, tirones, tricenis ſolidis æſtimatos, ab omnibus officiis Iudicum Africæ, ſimul etiam ab Honoratis ipſarum prouinciarum, Sardiniæq. Siciliæ, & Corſicæ: extra illos, qui aut tum munus publicum gererent, aut in Italiæ, vrbisve ſolum barbara feritate eſſent depulſi. Interea Alaricus, vt Honorii ſibi animum conciliaret, Attalum, ſuis inſpectantibus, Auguſtalibus inſignibus ſpoliauit, eaq. ad Honorium miſit, cuius Ducibus, militiæ cingulos deponentibus, veniam Honorius impertiuit, paſſus in eo, quem ante habuerant, honore eſſe, deq. ea re ad Gaiſonem Comitem, & Magiſtrum officiorum, ita decreuit. *De his, qui tyrannicæ præſumptionis ſacramenta ſectati, ad noſtrum Imperium redierunt, hanc volumus eſſe ſententiam, ut quos inter incendia tyrannidis aſſumpta, fidelis pœnitudo reuocauit, ordinem, & fructum militiæ non amittant: Eos verò, quibus lentum regreſſum neceſſitas deſperationis indixit, ſoluto cingulo, matricula conuenit aboleri, ita ut illud quoque par reuerentiæ forma cuſtodiat, ne redire ei ad priſtinam militiam liceat, qui aliud militandi genus elegerit. Dat. pridie Id. Febr. Rauennæ, Varane. Coſ.* Alaricus, Attalum cum Ampelio filio apud ſe habuit. Honorioq. tandem aliquando annuente, cum paucis, Rauennam, pacem compoſiturus, venit, atque ad alpes, locum, ut inquit Sozomenus, ſtadiis ſexaginta, ab hac vrbe procul, cum Honorio congreſſus eſt. Ibi demum res tranſacta, fœduſq. his condicionibus ictum: Socius Honorii Alaricus eſſet, aduerſus Honorii hoſtes pugnaret in Galliis, ibi ſedem ſibi, ſuiſq. locaret. Colloquio Reges digreſſi, Alaricus Romam ſtatim contendit, & circumſeſſam, noctu kal. Apri. ingreſſus; ſunt qui proditione patefactam ſibi Aſinariam portam dicant; deprædatus eſt, ſacris tamen Apoſtolorum ædibus, atque vaſis illæſis, Fl. Varari, & Tertullo Coſs. qui Tertullus, paucis ante diebus, auſus fuerat in Senatu ita concionem inire. *Loquar vobis, Patres conſcripti, vt Conſul, & Pontifex, quorum alterum teneo, alterũ ſpero.* Quo fortè factum eſt, vt ſuis legibus, quas hoc anno Honorius tulit, vnum Varanem Conſulem, nuſquam Tertullum adſcribat. Innocentius Pont. Max; cuius ſanctitatem in Epiſtolis ad eum ſcriptis. D. Baſilius Magnus admiratur; adhuc Rauennæ apud Honorium erat, indeq. Epiſtolas ab eo datas legimus. Hoc capta Romæ nuncio, adeò parum curare ſe vrbem illam Honorius oſtendit, ut dictum de Gallo gallinaceo putare ſe aut ſimulauerit, aut verè dixerit, cognomento Roma appellat, ex iis uno, quibus eo tempore ad pugnæ ſpectaculum, animi a grauibus curis laxandi cauſa, vtebantur, adeoq. repente obiiſſe illum, vehementer mirari ſe, affirmauit, quem paulò ante acriter pugnare cũ

ANN. CCCCX.

aliis gallis gallinacčis cōſpexerat. Quamquam verò affirmare nō auſim, Romamanā hanc direptionē, aſtentienti Honorio, ne dicam iubente, accidiſſe, tamen huius initio anni, cum per id tēpus, Heraclianus Africæ pro Honorio Comes, portus Africæ ea diligentia cuſtodiſſet, vt nihil inde, quod faceret ad vičtū, aduehi Romam poſſet, ac tanta fame laboratum Romæ fuerit, vt matres aliquod in paruos infantes deſæuierint, & ludis Circenſibus exclamauerit populus, pretium humanæ carni, vt imponeretur, Honorium litteris, Rauenna, ad Macrobium Proconſulem Africæ, ſeptimo kal. Iul. ſcriptis, ita conſtat edixiſſe. *Conſiderantes Africæ deuotionem, uſque in initium fuſtionis quinctæ, uniuerſa reliqua, quæ tam ad arcem ſublimium poteſtatum, quàm ad largitiones pertinent, relaxari præcipimus. Priuatæ quoque rei debita ſimiliter relaxamus, chartis abolitis, quibus debita publica continentur.* Honorius reliquum anni, Rauennæ, cum Innocentio Pontifice confecit, atque inde ad Palladium Præfečtum Prætorio, Očtauo Id. Aug. de Attalo tyranno ſublato, ſic ſcripſit. *Republica tyrannidis iniuria liberata, criminum reos relaxari præcipimus*: & Decimooctauo kal. Septembr. ne iudices in portubus ſuæ diœceſis, onuſta nauigia, cum ſecundi flatus inuitant hiemis prætextu, immorari permitterent, cauit. Quoniam verò hæretici cauſam ſuam iterum agere apud Honorium tentabant, ipſe ad Heraclianum Comitem Africæ ſcriptis litteris, ſic ſtatuit. *Oraculo penitus remoto, quo ad ritus ſuos hæreticæ ſuperſtitionis obrepſerat, ſciant omnes ſanctæ legis inimici, plectendos ſe pœna, & proſcriptionis, & ſanguinis, ſi ultra conuenire per publicum, execrandæ ſceleris ſui temeritate, tentauerint.* Septimo quoque kal. Očtobr. ad Palladium Proconſulem Africæ ſcribens, decreuit, vt Principes agentes in rebus, adiečtione dignitatis Proconſularis cohoneſtarentur. Adhæc XVI. kal. Decembr. cū equi, & alia huiuſmodi indicerentur, haberi immunes, in ſacris ſcriniis militantes, &

ANN. CCCCXI. in militia, & poſt militiam, iuſſit. Alaricus inſequenti anno, qui fuit vndecimus ſupra quadringenteſimum, Roma digreſſus, dučta ſecum Placidia, quam honeſtiſſimè habuit, Campania, Lucaniaq. cum toto exercitu peragrata, morbo correptus, apud Coſentiam interiit: Cui ſufficitur Ataulfus Alarici, vt diximus, uxoris frater, ex eadem, qua Alaricus, Balthorum familia. Hic Gallam Placidiam, Honorii ſororem, vxorem ſibi accepit, quam illi Alaricus, vt colligi ex Marcellino poteſt, deſponderat, fœminam forma, & moribus præſtantiſſimam: Romamq. è Calabris rediens, cum ſolo æquare Romam conſtituiſſet. Placidiæ vxoris verbis emollitus, ab eo facinore abſtinuit, pacemq. cum Honorio facere, & in Gallias, vti cum Alarico conuenerat, abire decreuit. Innocentius interea Pontifex, Romam reuerſus, quocum abiiſſe etiam Honorium, & Vicennalia vno anno anticipata peregiſſe, nonnulli tradunt; cum ornamentis Eccleſiarū reſtituendis operam daret, Romanis, inſtaurandæ vrbi intentis, Honorius Rauenna litteras tertio kal. Decembr. ad Bonoſianum Præfečtū vrbis, dedit, ne quid ex iis, quæ inſtaurationi, ornatibusq. ſingulis deputaſſet antiquitas, vllius colore occaſionis, pateretur auferri. Ataulfus, Roma ſtante, & in-

ANN. CCCCXII. columi, per Picenum, in Flaminiam ad Honorium contendens, fori Cornelii conſedit, ibi magno apparatu, cum Placidia nuptias celebrauit, & poſtero anno, cum omni Gothorum exercitu, in Galliam tranſgreſſus, ſedem Narbone, atque in proxima regione locauit. Rauennæ Honorius Reipublicæ conſtituendæ intentus, tertio kalen. Febr. Theodoſio quinčtum, & ſe nonum Conſuli-

ſulibus, ad Præfectum Prætorio ſcribens, edixit, vti niſi ex die prolatæ legis, omnes Donatiſtæ, tam ſacerdotes, quam Clerici, Laicique, Catholicis, ea, qua ſacrilegi deſciuerant, reddidiſſent, illuſtres ſigillatim, pœnæ nomine, fiſco Auguſtali, auri pondo quinquaginta penderent: ſpectabiles, quadraginta: Senatores, triginta: Clariſſimi, uiginti: ſacerdotales, triginta: principales, uiginti: Decuriones, quinque: negociatores, quinque: plebei, qui nque: circumcæliones, decē: Vxoribus quoq. eorum, maritalis ſeparatim mulcta eſſet: *Eos enim,* inquit Honorius, *quos nequaquā illata damna correxerint, facultatum omnium publicatio ſubſequatur. Seruos etiam, dominorum admonitio, uel colonos uerberum crebrior ictus a praua religione reuocabit, ni malunt ipſi ad prædicta diſpendia, etiam ſi ſunt catholici, retineri. Clerici uero, miniſtriq. eorum, ac pernicioſiſſimi ſacerdotes, ablati de Africano ſolo, quod ritu ſacrilego polluerunt, in exilium uiritim, ad ſingulas quaſq. regiones, ſub idonea proſecutione mittantur: Eccleſiis eorum, uel conuenticulis, prediiſq., ſi qua in eorum Eccleſias, hæreticorum largitas praua contulit, proprietati, poteſtatiſq. catholicæ; ſicut iamdudum ſtatuimus, uindicatis.* Hactenus Honorius, qui mox pridie kal. Eucharium Proconſulem Africæ, iuſſit, ut tributum auri, argentive omne, a poſſeſſoribus poſceretur in vrbe Carthagine, ubi oportune adiri ad Iudicem poſſet, ne cui facultas eſſet apochas abnegari, & ii remouerentur, qui ad exactione prouincialium captare lucra conſueuerant, & cum plerique ad munera obeunda, parum illis decora, adigerentur, edixit, ſcriptis ad Melitium. PP. litteris XV. kal. Mart. ut ab illuſtribus uiris ſordida munera, & extraordinariæ neceſſitatis damna remouerentur. Biduo poſt, qui dies XIII. kal. fuit, ſtatuit, ut impetratū ius cōmunium liberorū, ſuperſtite Catullino clariſſimo uiro, minus propoſitum, nec ſuccedenti obeſſet, nec ulli vmquam, ſimili in cauſa, noceret. Cum autē aduenifſet dies pridie kal. eum diem Rauennæ quoque legibus ferendis totum dediſſe, multæ leges latæ declarant. Primo quidem ad Conſtantium Magiſtrum militum ſcribens, Tribunos remouit, qui per Africam, uagorum, & deſertorum requirendorum munus ſuſceperant, ne huiuſmodi prætextu, prouinciam uaſtarent: in futurumq. iuſſit, capitis pœna propoſita, tale uocabulum, munusve in Africa ne eſſet. Mox Euchario Proconſuli Africæ mandauit, quoniam plurimi conſuetum Proconſulare, ceterorumq. Iudicum munus; militiam appellabant; fugientes, diuerſis ſe palatinis, aut inluſtrium poteſtatum officiis coniunxerant, omnes cingulo militiæ abſolutos, ad ſuas quemq. partes reduci: in poſterum cauens, ut qui ad militiam palatinam aſpirare, aliquot indiciis probaretur, in perpetuum mancipio ſociaretur, uel ſuſceptioni: Adiunxit ad hæc, ut pars tributi tertia fundorum priuatorum, uel ſexta Emphyteuticorum, ex kal. Mar. de more, reliqua uero ſumma ex kal. Iul. poſtularetur, ne præpoſtera exactione poſſeſſor, ad redimendam conuentionis iniuriam cogeretur. Ceterum ne qua eſſet occaſio, vnde populi, præter id quod deceret, deberetve, opprimerentur, uoluit, conſtituto tempore; publice, Carthagini, in ſecretario admiſſo, idoneos, ſtrenuoſq. uiros deligi, qui exigerent. Hi, ſi populari quapiam accuſatione notarentur, in eorum ſufficerentur locum alii: Sin poſſeſſores per cuſſiſſe, aut quidquam ab eis extorſiſſe fuiſſet compertum, & pœna tenerentur, quæ eſt de capite, & quadruplo mulctarentur: Iudices autem, triginta auri libras penderent, niſi hæc iuſſa compleſſent. Decreuit etiam ne idem municeps,

niceps, ciuitas neceſſitatem, & exactoris publici munus obiret. Ceterum, quia humilibus officiis, aut extraordinariis oneribus occupari Curiales non patiebatur, ne publica, cuius erat maxime ſtudioſus, utilitas uacillaret, cenſuit, ſuſceptionem ueſtium, æquius eſſe ab officio Proconſulari, uel ab his, qui in eodem meruiſſent ſolemniter procurari; quod horum intereſſet, huiuſmodi rationem explorare, & quærere, quales'nam ii eſſent, quorum ad contuendum cura commodior eſſet. Ne uero Africani poſſeſſores, pro deſtitutis poſſeſſionibus tributa ferre cogerentur, Seleucum iuſſit, Præfectum Prætorio, ſpectatores mittere, ut eorum relatione æſtimaretur, quantum eſſet de tributis ſtatuendum. Ad eundem quoque Seleucum edixit, ut quicumque poſt Prouincialis officii munus, uel certe dum adhuc munere perfungeretur, in altiorem dignitatis quaſi locum, ſpoliis prouincialium ditatus, aſcendiſſet, is ſacramento eius muneris abſolutus, in natale ſolum, atque ſtatus ſui obſequia reſtitueretur: neque in poſterum iiſdem ulla attentandi maioris ſplendoris officii, atque ſacramenti; facultas eſſet. Tam ſeuere Honorius ambitionem putauit, auaritiamq. uel in prophanis dignitatibus caſtigandam. Mandauit item Probo Comiti ſacrarum largitionum, ut quiſquis in officio palatino, apparitor, uel eodem exutus munere, ex Proconſulari officio, uel ordinarii Iudicis, potuiſſet reperiri, is, ſublatis militiæ priuilegiis, functioni propriæ, & regioni redderetur. De nauiculariis ſanxit, ut uniuerſi, quos nauiculariæ condicioni antiquitas obnoxios inueniſſet, ipſi muneri operam darent: Itaque eos homines perſequendos, eorumq. hæredes, ac prædia, pridie Non. Mart. decreuit, ut urbis Romæ tributo, uel portuum expeditionibus ſatiſficeret. Eucharium deinde Proconſulem Africæ monuit ad VI. Id. Mart. ne Duumuiris, extollere poteſtatem faſcium impune liceret, extra limites ſuæ ciuitatis: Curiales ſacerdotio Prouinciæ, ſed & filios propriæ Ciuitati reddi præcepit. Nauiculariis per Africam, priuilegia XVI. kal. April. confirmauit, auxitque, & de naufragiis ſciuit, niſi cauſæ intra biennium, ut ueteri lege præſcribebatur, cognitæ fuiſſent, præiudicium cognitoris ita noceret, ut nauiculario, propter uitium Iudicis abſoluto, dimidia pars oneris, cuius amiſſionis comprobandæ cauſa, legitimo dumtaxat tempore cognito petebatur, a indice adſcriberetur. Quarto kal. Palmato Præfecto vrbis ſcribens, edixit, ut corporati vrbis Romæ, qui peregrinarentur in aliena ciuitate, à Rectoribus Prouinciarum redire cogerentur, ut ſeruire functionibus, quas impoſuerat antiqua ſolemnitas, poſſent. In tot tamen Reipublicæ curis, exigendiſque, ærario bellorum ſumptibus exhauſto, tributis, ita de Eccleſiarum bonis, ad Melitum præfectum Prætorio, ſtatuit. *Placet rationabilis conſilij tenore perpenſo, diſtricta moderatione præſcribere, a quibus ſpecialiter neceſſitatibus, Eccleſiæ vrbium ſingularum habeantur immunes. Prima quippe illius uſurpationis contumelia depellenda eſt, ne prædia, uſibus cæleſtium ſecretorum dicata, ſordidorum munerum faſce uexentur: nulla iugatione, quæ talium priuilegiorum ſorte gratulatur, muniendi itineris conſtringat iniuria: nihil extraordinarium ab hac, ſuperindictitium ve flagitetur: nulla pontium inſtauratio, nulla translationum ſollicitudo gignatur: non aurum, ceteraq. talia poſcantur: Poſtremo nihil, præter canonicam inlationum, quod aduentitiæ neceſſitatis ſarcinam repentina depopoſcerit, eius functionibus adſcribatur. Si quis contrauenerit, poſt debita ultionis acrimoniam, quæ erga*

ga ſacrilegos iure promenda eſt, exilio perpetuæ deportationis uratur. Dat. VIII. Kal. Iul. Rauennæ, Honorio IX. & Theodoſio V. Augg. Coss. Poſtero menſe X. kal. Iul. decreuit, ut eorum, quæ nuptiarum tempore mulieres accipiunt, tametſi ad ſecundas nuptias, extantibus ex priore matrimonio liberis, forte migraſſent, in diem uitæ uſusfructus illis duraret, ſalua iis proprietate, quibus ius integrũ, poſt earum obitum, leges ſeruarunt. Quamquam uerò hac ratione omnes Reipublicæ partes componere, Honorius, & pacem tueri nitebatur, diligentioriq. ſtudio, ita uti uiſum eſt, Africanam prouinciam curabat, non potuit tamen nõ incurrere in Heracliani Comitis temeritatem, qui propter defenſam, aduerſus Attalum, prouinciam, Conſulatus honorem in inſequentem annum adeptus, adeo elatus ſuperbia eſt, ut aduerſus Honorium, cum Sabino genero, coniurarit. Hinc Honorius, & ipſum cum ſuis pronunciauit hoſtem, & tert. Non. Iul. Rauenna, ad Honoratos, & prouinciales Africæ, de illo in hæc uerba ſcripſit. *Heraclianum hoſtem publicum indicantes, digna cenſuimus auctoritate puniri, ut eius reſecentur infauſta ceruices: Eius quoque ſatellites pari intentione perſequimur. ſed hanc in omnibus priuatis, atque militantibus licentiam damus, ut omnes prodendi in medium habeant liberam facultatem: nec inuidiam metuat, qui ad publicum deduxerit crimino ſum: cum illud ſpecialiter caueamus, ne ullus, aliquem eorum aut ſubtrahendum iudicet, aut celandum, neue ex eorum facultatibus, uel depoſita deneget, uel accepta non prodat.* Paucis etiam poſt diebus, ad Sept. kal. Auguſti, edicto cauit, ne quis uiolaret, occuparetve loca, quo Iudæi conuenire conſueſcunt; ſynagogas appellant; neve die Sabbatho, negocii prætextu, ipſi uexarentur. Mox VI. Idus Aug. ad Eucharium Proconſulem Africæ, ſcripſit, ut uniuerſa compulſorum genera ex Africanis prouinciis pellerentur. Idibus Octobr. de comitibus uacantibus ad Epiphanium Præfectum vrbis, ut nullam Honorabiles uiri in publicis ſalutationibus paterentur iniuriam, neve ſe illis, ullus anteferret ex iis, qui primi ordinis Comitiuam, aut pretio, aut gratia impetraſſet: licet enim vnum eſſet nomen, tamen, meritis æſtimandum eſſe, eosq. ſolos tempora obſeruare decere, qui poſt probatos labores, in Auguſtali palatio Comites eſſe meruiſſent. Ad Iulianum quoq. Proconſulem Africæ, eodem die, de numero dierum poſt prouocationem interpoſitam in fiſcalibus cauſis, conſtituendo, quem numerum ipſe, ut prouincialium commodis ſatisfaceret, extraxit, ampliouemq. duplo fecit. Sexto autem kal. Decembr. Collegiatos, Vitutiarios, & Nemeſiacos, ſigniferos, Cantabrarios, & ſingularum vrbium Corporatos, reuocari, ad ſuam quemque originem, præcepit, edicto ad Liberium PP. ſcripto. Quicunque etiam ex diuerſis officiis, contra iuſſa, ac uetita, altiorem muneris, ac dignitatis gradum, iniuſtè obtinuiſſe noſcerentur, ii ad priſtina munia reuocarentur. Pari ſtudiò, Namatium Magiſtrum officiorum, curare iuſſit, vt omnes omninò Agentes in rebus, qui uel ſpatium commeatus, uel impoſiti ſibi negocii tempus præteriiſſent, ad Comitatum reuerſi, certas, neceſſariasq. tarditatis cauſas probarent, ut conſtaret, qui tenere ordinem ſuum mererentur. Quod niſi intra diem calendarum Februar. feciſſent, in perpetuum ex albo eximerentur: idq. etiam Rectores prouinciarum, in ſua quiſque prouincia, ut accurate præſtarent, mandauit. extremo tandem anno, ad Melitium. PP. ſic de clericis ſciuit. *Clericos non niſi apud Epiſcopos accuſari conuenit: Igitur ſi Epiſcopus, uel presbyter,*

Diaconus,

Diaconus, & quicumque inferioris loci Christianæ legis miniſter, apud Epiſcopum, ſiquidem alibi non oportet, a qualibet perſona fuerint accuſati, ſiue ille ſublimis uir honoris, ſiue ullius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis intentionis arripiet, nouerit docenda probationibus, monſtranda documentis, ſe debere inferre. Si quis ergo circa huiuſmodi perſonas, non probanda detulerit, auctoritate huius ſanctionis, intelligat, ſe iactura famæ propriæ ſubiacere, ut damno pudoris, exiſtimationis diſpendio, diſcat, ſibi aliena uerecundia impune inſidiari, ſaltem de cetero, non licere. Nam ſicut Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, ceterosque, ſi his obiecta comprobari potuerint, maculatos ab Eccleſia uenerabili æquum eſt remoueri, ut contempti poſthac, & miſeræ utilitatis inclinati deſpectu, iniuriarum non habeant actionem, ita ſimilis uideri debet iuſtitia, quod petita innocentia moderatam deferri iuſſimus ultionem: Ideoque huiuſmodi dumtaxat cauſas, Epiſcopi. ſub teſtificatione multorum actis audire debebunt. Dat. Tert. Id. Decembr. Rauennæ. Honorio. IX. Teod. V. AA. Coſſ. Po-

ANN. CCCC XIII.

ſtero anno incunte VI. kal. Febr. adhuc Rauennæ cum eſſet, ad Iulianum II. Procos. Africæ ſcripſit, ut iis exceptis, qui Carthaginienſi curiæ, ſacerdotii munus tranſegerant, omnes, quicumque ex aliis prouinciis, atque Ciuitatibus, eo honore decorabantur, ad ſuas quiſque vrbes, redirent:& quod prouinciarum nomine plures ſacerdotes agere conſueuerant,id ille,qui ſacerdotium redditurus eſſet,ſuo tempore,impleret. Ne uero quid feſtis,ac legitimis diebus ſubtraxiſſe uideretur,uoluit,qui ob illius diei pompam,Carthaginem forte conueniſſet, intra quinque dies domum abiret. Adhæc, triginta librarum auri, & abdicationis priuilegii dignitatis mulctam illi propoſuit, quam Proconſul ſtatim exigeret,qui in vrbe Carthagine,extra ipſius Decuriæ uirum, habitandi cauſa reſidere uoluiſſet.Inhibuit præterea,ne quis, comparatis ſacerdotalibus ſtatim ædibus, domicilium ſe habere confingeret. Ciuilibus poſtea rebus proſpiciens,de inofficioſo teſtamento cauit,ne congruentibus actionibus iter obſtrueretur. Hæc autem Rauennæ XII. kal.Mart. ſcripta ſunt, poſt conſulatum Honorii IX. & Theodoſii V. nullo adſcripto conſule, quod idcirco ab Honorio factum puto, quoniam de Conſulibus huius anni, qui fuit a partu Virginis, Decimuſtertius ſupra quadringenteſimum nihil adhuc conſtituiſſet,ob eam cauſam quòd Heraclianus deſignatus,dignitate, ob coniurationem ſpoliatus eſſet, & comparata ingenti claſſe, ex Africa,non modo ſeſe infeſtum Latii littoribus intuliſſet,ſed in littus egreſſus,cum agmine militum, ad vrbem Romam, ubi ob id magnopere trepidatum eſt, ire pergeret. Verum eius breui conatus repreſſus,& Marino Comite, cum ualido robore Romanæ iuuentutis, ſeſe obiiciente, in turpem fugam actus eſt; cumq. ſolus, arrepta nauicula, Carthaginem rediiſſet, militari tumultu oppreſſus, interiit. Itaque Honorius, bellorum procella ferè undique ſedata, edicto ad Ioannem PP. ſcripto, Campaniæ, Tuſciæ, Piceno, Samnio, Apuliæ, Calabriæ, Britiis, Lucaniæ, quartam ueteris tributi partem condonauit, uoluitq. ut ex Indictione Decima, quinque annorum indulgentia contributa, partem publicæ functionis ſoluerent. Mox Sept. Id. Iun. Palatinis, qui ſacrarum remunerationum rationem tractantes,ad muneris calcem integerrime,caſteq. perueniſſent,ea priuilegia tribuit Adiutori,& Primicerio diuerſorum officiorum, quæ nuper Agentum in rebus ſcholæ tribuerat. Quemadmodum autem iis,qui operam Reipub. dederant,Honorius grati animi ſignificationem,

magna

magna uoluntate, præbuit, priuilegiis, premiisq. tribuendis, itaq; qui ignauia torpuerant, & in communi negocio, turpiter quieuerant, ut exemplo aliis eſſent notandos aliqua ratione cenſuit. Hinc Gaiſoni Comiti, & Magiſtro militum ſic ſcripſit. *Qui ſine commeatu aliquo, annum in penatibus propriis, uel in quibuslibet locis deſidioſa quiete tranſegerit, decem ſequentibus poſtponatur: in quo uerò biennium talis culpa deprehenditur, uiginti ſibi antepoſitos ingemiſcat: Tertius autem annus, triginta prælatos iure defleuit, ita ut quartus exempto matriculæ, nulli ueniam derelinquat. Dat. prid. Id. Iun. Rauennæ, poſt Coss. Honor. IX. & Theodoſ. V. Augg.* Decreuit contra VIII. Id. Iul. qui ſtrenuè ſeſe geſſiſſent, ut in ſcriniis memoriæ, Epiſtolarum, libellorumq. ab exceptoribus, uſq. ad melloproximos, dignitatem clariſſimorum, honoremq. perciperent, & ut reliqui, qui in iiſdem ſcriniis militabant, facilem & liberum cum ordinariis Iudicibus aditum, confeſſumq. haberent. Tandem ter. No. Decemb. conſtituit, ut Heracliani nomen ex omnibus publicis, & priuatis monumentis tolleretur, delerenturq. quæ ſub eo geſta eſſe dicerentur, omnia. Quo factum eſt, ut leges aliquot ex iis, quæ ab Honorio hoc anno Rauennæ ſunt editæ, ſolo Lucio conſule datæ legantur. Inſequens annus Conſules habuit Conſtantem, & Conſtantium, quibus conſulibus, Rauennæ V. Non. Mart. Honorius ad Hadrianum Præfectum Prætorio ſcribens, Curioſos ſanxit remoueri: Curialibus inſuper, & nauiculariis, omnibusq. corporibus ita ſubueniri, ut apparitoribus iudicum nihil liceret, qui ex collecta prouincialium præda, ad maiores dignitates properabant: Ne uero interiecti æquoris tractu querelæ prouincialium perirent, Flauianum, & Cæcilianum uiros illuſtres, per Africam audire cunctos iuſſit, ſuis ad Hadrianum Præpoſitum Rauennæ datis litteris. Militarem annonam, quæ intra Africam contubernalibus erogabatur, eorum diligentia indagari, ut nihil illis, poſt eorum diſquiſitionem adderetur, præcepit. Pridie autem Non. & mulieribus, & minoribus, in his quæ, uel prætermiſerint, uel ignorauerint, eſſe conſultum iuſſit. Nauiculariis intra Africam, ex quartadecima Indictione conſulatus Valentiniani Aug. Tert. & Eutropii, ad Indictionem quartam ſui conſulatus, ſepties, & Theodoſii iterum, omnia quæ reliqua eſſent, indulſit, idq. litteris ad Seleuchum Præfectum Prætorio Rauennæ, Ter. Non. April. ſignificauit. Quoniam uerò Hæretici nequaquam adhuc furere intermittebant, ad Iulianum Proconſulem Africæ, edictum de illis habuit, quod, ut ſit perpetuum Catholici Principis teſtimonium, ſuis hic uerbis inſerere, haud ab re duximus. *Donatiſtas, atque Hæreticos, quos patientia clementiæ noſtræ nunc uſque ſeruauit, competenti conſtituimus auctoritate percelli, quatenus euidenti præceptione ſe agnoſcant & inteſtabiles, & nullam poteſtatem alicuius ineundi habere, ſed perpetua inuſtos infamia, a cœtibus honeſtis, & a conuentu publico ſegregandos. Ea uerò loca, in quibus dira ſuperſtitio nunc uſque ſeruata eſt, Catholicæ uenerabili Eccleſiæ ſocientur, ita ut Epiſcopi, Presbyteri, omnesq. antiſtites eorum, & miniſtri, ſpoliati omnibus facultatibus, ad ſingulas quaſque Inſulas, atque prouincias, exulandi gratia, dirigantur. Quiſquis autem hos, fugientes propoſitam ultionem, occultandi cauſa, ſuſceperit, ſciat, & patrimonium ſuum fiſci noſtri compendijs aggregandum, & ſe pœnam, quæ his propoſita eſt, ſubiturum. Damna quoque patrimonij; pœnasq. pecuniarias euidenter imponimus uiris, mulieribus, perſonis ſingulis, & dignitatibus, pro qualitate ſui, quæ debeant irrogari. Si igitur Proconſulari,*

conſulari, aut Vicariano, uel Comitiuæ primi ordinis quiſque fuerit honore ſuccin-
ctus, niſi ad obſeruantiam catholicam, mentem, propoſitumq. conuerteris, ducentas
argenti libras cogatur exſoluere, fiſcis noſtris utilitatibus aggregandas. Ac ne id ſolum
putetur ad reſecandam intentionem poſſe ſufficere, quotieſcumq. ad communionem
talem acceſſiſſe fuerit confutatus, toties mulcta exigatur: & ſi quinquies eundem
conſtiterit, nec damnis ab errore reuocari, tunc ad noſtram clementiam referatur;
ut de ſolida eius ſubſtantia, ac de ſtatu, acerbius iudicemus. Huiuſmodi autem condi-
cionibus, etiam Honoratos reliquos obligamus; ſcilicet, ut ſenator, qui nullo muni-
tus extrinſecus priuilegio dignitatis, inuentus in grege Donatiſtarum, centum libras
ſoluat argenti: ſacerdotales, eandem ſummam cogantur exſoluere. Decemprimi Cu-
riales, quinquaginta libras argenti .... addicantur. Reliqui Decuriores, decem ſol-
uant libras argenti, quicumque in hæreſi maluerint permanere. Conductores autem
domus noſtræ, ſi hæc in prædijs uenerabilis ſubſtantiæ uti permiſerint tantam penſionē
pœnæ nomine cogantur inferre, quantum in conductione penſitare conſuerunt. Ea-
dem quoq. Emphyteuticarios auctores ſacræ definitionis adſtringet. Conductores uerò
priuatorum, ſi permiſerint in ijſdem prædijs conuenticula haberi, uel eorum patien-
tiæ, ſacrum myſterium fuerit inquinatum, referetur per iudices, ad ſtientiam domi-
norum, quorum intererit, ſi pœnam nolunt ſacræ iuſſionis euadere, aut certantes
corrigere, aut perſeuerantes commutare: ac tales prædijs ſuis præbere Rectores, qui
Diuina præcepta cuſtodiant. Quod ſi procurare neglexerint, hi quoque in penſiones,
quas accipere conſuerunt, prolatæ præceptionis auctoritate mulctentur, ut quod ad
compendia eorum peruenire poterat, ſacro iungatur ærario. Officiales autem diuerſo-
rum iudicum. ſi in hoc errore fuerint deprehenſi, ad triginta libras argenti, inlatio-
ne pœna nomine teneantur: ita vt ſi quinquies condemnati, abſiſtere noluerint, coerciti
verberibus, exilio mancipentur. Seruos verò, & colonos, coercitio, ab huiuſmodi auſi-
bus, ſeueriſsimæ vindicabit. Ac ſi coloni, verberibus, coacti in propoſito perdurauerint,
tunc tertia peculij ſui parte mulctentur, atque omnia, quæ huiuſmodi generibus homi
num, locisq. colligi poterunt, ad largitiones ſacras illicò dirigantur. Dat. XV. Kal. Iul.
Rauennæ, Conſtantio, & Conſtante Coss. Religioſum Principem Africana maxime
cura fatigabat, quòd eam prouinciam religionis ſtudio, iam inde ab initio na
ſcentis Eccleſiæ, florentem; ut Saluianus de prouidentia Dei ſcribens, eſt au
ctor; conſeruare niteretur: cum & Getulos, & Mauros, quiq. interiorem il-
lam regionem incolunt, Chriſtianam fidem amplexos fuiſſe, Tertullianus, ve
tuſtus Eccleſiæ ſcriptor affirmet, Eccleſiarumq. Lybiæ, Apoſtolorum penè
æqualis, martyr, ſcriptorq. Ireneus mentionem faciat. Vnde ex D. Cypriani
libris, martyrologiisq. tot extitiſſe martyres, ac viros ſanctos nouimus. Cum
tamen contra non deeſſent, qui Diuinam veritatem oppugnarent, Hæretici:
In quibus Donatiſtæ, quos diximus, qui ob Cæcilianum, Carthaginienſem
Epiſcopum, inuitis illis, factum, primùm quidem in ſchiſma, mox pertina-
ci diſſenſione in hæreſim incurrerunt, perinde quaſi Eccleſia Chriſti propter
crimina, Cæciliano ab ipſis, obiecta, ſeu uera, ſeu, quod magis uidebatur
iudicibus, apud quos dicta cauſa, eſt, falſa, è toto terrarum orbe deturbata
eſſet; ubi tamen futura promiſſa eſt; atq. in una Africana Donati parte reman-
ſiſſet. Audebant etiam; cum id, uel in hæreticis, Eccleſia catholica numquam
probauerit; ſacra baptiſmatis unda catholicos rurſus, ut ſupra memorauimus,
inficere. Huius princeps hæreſis Donatus fertur, qui è Numidia profectus, cū,

in

in Cæcilianum, populares incitaſſet, adiunctis ſibi eiuſdem factionis Epiſcopis, Maiorinum Carthagini Epiſcopū præfecit. Maiorino, Donatus Epiſcopus alius in eadē diuiſione ſubrogatus eſt: Is autē eloquentia, hæreſim ita confirmauit, ut multi ipſius potius cauſa, Donatiſtas eos vocatos putarēt. Fuere & in hac hæreſi Circūcelliones, genus hominū agreſte, & famoſiſſimæ, ut D. inquit Auguſtinus, audaciæ, qui per varias neces, modò ſe præcipites dabant, modò aqua, aut igni ſibi mortem conſciſcebant, ceterisq. idē vt facerent, aut ab aliis occidi ſinerent, non ſolum perſuadebant, ſed ni facerent, mortem intentabant. Ruſticana etiam per id tempus hæreſis ibidē viguit; quamquam in agro tantū Hipponenſi fuit & breui durauit. Abelonii vocabātur, Punica inflexione nominis, ab Abelo Adæ filio, ut pleriq. putabant: Nō miſcebantur uxoribus, cum tamen abſq. uxoribus uiuere, per ſuam ipſis ſectam, nō liceret. Habitabant ſimul mares, & fœminæ, continentiæ profeſſione; puerū, puellamq., eodem coniunctionis pacto, ſucceſſores ſibi futuros, adoptabant. Morte præuentis, ſingulis ſufficiebātur alii, dū tamen duobus, diſparis ſexus, duo ſuccederent. Alterutro.n. de parētibus mortuo, ei, qui in uita remaneret, uſq. ad eius obitum, filii ſeruiebant: poſtea puerum etiam ipſi, puellamq. pari ratione adoptabant. Pelagianorum ibidem hæreſis, omnium recētiſſima, a Pelagio monacho fuit, quem magiſtrum Cæleſtius ſic ſecutus eſt, ut ſectatores eorum, Cæleſtiani etiam dicerentur. Hi Diuinæ gratiæ adeo ſe infenſos præbuere, ut hominem abſq. illa, poſſe Diuinis omnibus mandatis ſatisfacere, temerariè crederent. In hos omnes Honorius, rei indignitate motus, has leges Rauennæ tulit, exq. leges ſunt, de quibus. D. Auguſtinus, libros ſuos retractans, meminit, additq. miſſum ab Honorio, in Africam, Dulcitium tribunum, & notariū, qui Auguſtalia hæc iuſſa executioni mandari ſtuderet. Quod fecit Dulcitius, & D. Auguſtini opera, ad eos refellendos, maxime utebatur, ſcripſitq. ad Gaudentium Tamugadenſem, Donatiſtarū Epiſcopum, litteras, ad unitatē Catholicam hortatus hominē, ab incēdioq. reuocare nixus, quo ſe, ac ſuos, cū ipſa, in qua erat ſacra æde, abſumere minitabatur: ſed cum reſcripſiſſet Gaudentius duabus Epiſtolis, eas ambas, uno libro, D. Auguſtinus, Dulcitii hortatu, redarguit, & poſt datas ab Honorio leges, aduerſus Creſconium Grammaticū, Donatiſtam, quattuor libros exarauit. Paucis poſt diebus Romam Honorium abiiſſe edictum teſtatur, quod ibidem tert. kal. Sept. habitū legimus, de Marcellino, cuius ſumma diligentia, cū aduerſus Donatiſtas præclarè acta multa fuiſſent, ſtatuit, ut publicis commendata monumentis, perpetuā firmitatē haberent: paulo tamē poſt remigraſſe Rauennam ſignificat lex, qua ad xv. kal. Oct. Rauennæ ſciuit, ne Africani nauicularii detrimenti quidquam in portu Romano paterentur, diſſimulationi, & corruptelæ Vrbani, Annonariive officii proſpiciens. Tandem. vi. kal. Ian. Rauenna ad Epifanium P.V. ſcripſit, ut Domeſtici, atq. protectores, cum primum ad Decēpri matus gradum, ordinatim, ipſa die, perueniſſent, ſtatim ſibi præter Primicerium, decem ſequentes, Senatoriam uindicarent dignitatem, & Clariſſimorū collegio iūgerentur. Cum uerò Dalmatiæ littora, omnesq. inſulas, eorum, qui ſibi curam uendicabant, immanibus commodis, ita grauaricō periſſet, ut auderet loca tutiora, vel aduerſo tempore cogēte, nemo ſuccedere, omnes inde magiſtratus, qui tū erant, abdicari, litteris, inſequenti anno, Rauēna, Honorio. X. & Theo. VI. Coss. ANN. CCCCXV.
ad Palladium Præfectū Prætorio datis, magna propoſita pœna, iuſſit. Inde XII. kal. Feb. Seleucho Præfecto Prætorio ſignificauit, Senatus conſulti Claudiani ſe auctoritatem confirmare, ingenuā ſtirpe profectos, quorū maiores curiæ ſeruiiſ-

H ſent,

ſent,ciuitatibus redhibendos. Vacantes, Curiæ, atq. Collegiis ſingularum ciuitatum ſubiiciendos. Suis quemque inſeruire muneribus debere: Seruum actorem, procuratoremve flammis ultricibus tradendum. Ex matre ingenua natos, maiorum ſuorum dignitatibus honeſtandos: Compluraq. præterea, quæ è iuſtiſſima optimi Principis mente manabant, decreuit, ſic ut quam non reſtitueret, ac confirmaret, nulla Reipublicæ pars eſſet: nam & de præſcriptionibus fori V. kalen. Septemb. Rauennæ, iuſſit,eorum, qui litigarent, prouocationem, intra tempus, iure præſcriptum, ſuſceptam, ad annalia anneсti, & promiſſam relationem intra triginta dies legibus definitos,ad ſacra ſcrinia allegari. Tert. autem kalen.Sacerdotales paganæ ſuperſtitionis,iuſta pœna coerceri præcepit, niſi intra diem kalen. Nouemb. è Carthagine decedentes, ad ſuas urbes rediiſſent: quod & tota Africa fieri, niſi è Metropolitanis Ciuitatibus abiiſſent, & ad ſuas remigraſſent, uoluit. Erant enim in Africa Metropolitanæ vrbes,Eccleſiæque complures: & ex ſynodo Mileuitana, atque Optato, quinque fuiſſe colligimus:quamquam Iuſtinianus,ſeptem prouinciis, ſeptem item Metropolis, in ſuo Codice, de officio Præfecti Prætorio Africæ ſcribens, reſpõdere oſtendat, idemq.innuat Oroſius.Vt maxime dolendum ſit, Gregorii ſeptimi Pont. Max.tẽpore,eò deductam fuiſſe;quod ſuis ad Cyriacum Carthaginenſẽ Epiſcopum litteris ſcribit; ut in conſecrando Epiſcopo, tunc tantum tres,imo neque tres Epiſcopos habuerit,poſtea uerò etiam totam periiſſe. Loca omnia,quæ nõ modò in Africa,ſed toto orbe,ſacris,error ueterũ,addixerat,& Frediani,Dendrophori,& ſingula nomina eius ſuperſtitionis tenuerunt,Epholis,uel ſũptibus deputata,iuxta Gratiani Auguſti decreta, ſuæ rei Honorius addixit, ſic ut ab eo die tert.kal. vectigalia,& fructus,in ærariũ Principis inferrentur.Chiliarchas etiam,& Centonarias,uel qui ſibi plebis diſtributionẽ uſurpare dicebantur,iuſſit remoueri:Mox de iis,qui caducorũ ſpecie,bona ab ipſo Auguſto Cæſare impetraſſent,& in prouincias ſuas reuerſi,opponi ſibi dominum uidiſſent, Quincto Id. Octo.decreuit, & ad Largum P.V.Africæ ſcripſit,ut ne quid,impetratum, proficeret,ſed ad priuatæ rei Comitem,vnà cum repugnante domino adiret, quem tamen intra anni ſpatium non vrgeret: eo elapſo,ſi non acceſſiſſet, ſcire uoluit,ſeipſum in ſe tuliſſe ſententiam. Octauo Id. Nouemb. Annati didaſcalo, & maioribus Iudæorum ſcripſit, Iudæi domini, ut ſeruis Chriſtianis,abſq. calumnia, uterentur, & ſuam eos religionem ſeruare permitterent,nec ab ea diſcedere, aut precibus; aut ſuaſionibus allicerent, alioqui in eos, perinde, ac ſacrilegos iturum. Hæc Rauennæ hoc anno ab Honorio conſtituta. Inſequens hæc Rauennæ item habuit annus. Ad VII. Id. Ianuar. Palladio Præfecto Prætorio edixit, ut omnes omninò,quocumq. titulo poſſiderent, quod delegatio ſuperindicti nomine uideretur amplexum fuiſſe, uelut canonem inferre in ærariũ cogerentur: nec quiſquam, tametſi priuilegium in ſe irrogatũ de ea re doceretur, uacaret ab ea neceſſitate,quæ iam non extraordinarium,ut ad illam diem contigerat,ſed ipſis facientibus,Canonicum nomen accepiſſet.Hanc neceſſitatem Honorio intulerant motus Gallici,qui bus omnia miſcuerat Ataulfus Gothorum Rex ſuperiore anno, cum Attalum adduxiſſet, quem ſecum habebat, ut Auguſtalia inſignia reſumeret. Quamobrem Conſtantium Honorius miſerat,qui obſeſſum Narbone Ataulfum,inde abire, & in citeriorem Hiſpaniam migrare tandem coegerat. Vnde Attalus captus, ad Conſtantium deductus, & a Conſtantio ad Honorium miſſus eſt, qui in cuſtodia habitum, poſt bellum Gothicum confectum, ad triumphum reſeruauit.

Cum

Cum uerò Ataulfus, quod Placidiæ uxoris precibus, ad pacem cum Honorio ſeſe propenſum ſignificaſſet, Barcinone a Gothis, ocium timentibus, per fraudem interemptus eſſet, illi, quod filios non haberet, Sigericus Rex ſubſtituitur, qui cum & ipſe ad pacem inclinaret, hoc anno interfectus, Valliam ſucceſſorem habuit. Is autem ad Pirenæum obuiam Conſtantio factus, cum uideret ſibi ſuperiorum Regum ueſtigiis inſiſtendum, & pacem ab eo ſupplex, per legatos, petiit, & impetrauit, reſtituta, quam apud ſe honeſtiſſime habebat, Placidia, Honorii ſorore. Honorius ad Conſtantium, quem Comitem, & Patritiũ appellat; ita ſcripſit. *Sub clade barbarica depopulationis ſi qua aut per fugam, aut per congregationem infelicium populorum, indigne, inuidioſeq. commiſſa ſunt, ad inuidiam placatarum legum, a callidis litigatorum obiectionibus, non nocentur. Habeant omnium criminum impunitatem, qui euadendi forſitan non habuerunt facultatem, niſi eos eadẽ crimina iuuiſſent: Non enim crimen dicitur, quod mortis adegit impulſus: ex quo animaduertere cunctos litigatores congruum eſt. ſi quid deprædationis agnouerint, ſe recepturos: ſi tamen in eorum, quos pulſauerint facultatibus abundare, aut reſidere, id potuerint comprobare. Dat. Kal. Mart. Rauennæ. D.N. Theod. A. VII. & Palladio. V.C. Coſſ.* Eodem menſe, Idibus, ſtatuit, ut ſi quis Proconſularem, aut Vicariam poteſtatem, uel Conſularitatis faſces, aut uexilla præſidiaria, atq. in diſcuſſionibus Comitiuas, uel Officia principatus iterare tentaſſet, eius omne patrimonium ærario addiceretur. Mox Quincto Non. Mai. decreuit, ut ſi quis Decurionem ſuum uindicare uoluiſſet, nec iudex adeſſet, in eundem iniicere manus liceret, & ad cognitoris diſquiſitionem deducere, ſic tamen, ut Moderator Prouinciæ, intra tres menſes, cauſam perficeret. De Curiæ etiam obnoxiis haud fere diſſimilia ſtatuit. Quarto autem Non. Iul. Peræquationem Agapii manere in perpetuum cenſuit, edicto ad Vrſacium Comitem rei priuatæ miſſo. Adhæc Quincto Id. Septemb. iuſſit, ut qui Decuriones, patre, atq. maioribus, approbabantur, & armatam, quacumque occaſione, adeptos fuiſſe militiam, abſoluti ſacramento militari, ut conſtitutũ erat, ad munia Ciuilia reuocarentur. Reliqui etiam municipes, palatinis addicti muneribus, abſoluti cingulo militari, muneribus ciuitatis redderẽtur. Addidit etiam, numquam ob unius litigatoris querimoniã, ſuggeſtionem; ita ſupplices quoſdam libellos appellabant; Auguſtalibus altaribus offerendam. Decreuit item. X. kal. Octob. ut quocumq; ex munere prætoriano, ad quamcumque quis Reipublicæ neceſſitatem profligandam, miſſus fuiſſet, is intra anni ſpatium, collectis rationibus, ad ſuum iudicẽ rediret, quid factum, quid infectum eſſet, oſtenderet, quid in nominibus haberet, penes quos reſediſſet, cuiuſve cauſa, aut culpa, in eadẽ prouincia fuiſſet relictũ. Exacto ſpatio, ſi eius regionis uiſceribus, prædator, imminens, remorari deprehẽſus fuiſſet, nulla accepta excuſatione, abſolutus cingulo, magiſtratu deiiceretur. Ad finem anni de Iudæis multa conſtituit, ad Annatem Didaſcalum, & maiores Iudæorum ſcribens. Pridie autem Idus Dec. maiores crines, ac indumẽta pellium, etiam in ſeruis, in urbe ſacratiſſima uicinisq. regionibus, inhibuit; nec quẽquam poſſe impune, illo deinde habitu uti, decreuit. Hoc anno Placidia, iubente Honorio, Conſtantio nupſit, claro, uti diximus, uiro. Honorius Cõſtantium in concione laudauit, & quod tyrannos tanta uirtute ſuſtuliſſet, & quòd barbarorum ingentem uim, fame atq. armis tentatam, domuiſſet. Acceſſerunt ad hæc laudes Placidiæ, quæ barbarum Regẽ, cui nupſerat, tempeſtiuẽ

H 2 mol-

molliterq. tractando, Italiam calamitoſiſſimo bello liberaſſet. Poſtero anno Honorius XI. conſulatum gerens, Conſtantium Placidiæ maritum, conſulem iterum, ſibi collegam declarauit, & Rauennæ, pridie Id. Mart. de prædiis deſertis, ad Sebaſtium Comitem primi ordinis ſcripſit, tribusq. edictis cauit, ut quicumque aliorum fundorum dominus, deſertum prædium ſuum inſpici forte uoluiſſet, vniuerſa quæ poſſideret loca, etiam ſi idonea eſſent, peragrari ſineret, ut ſarcina deſtitutæ poſſeſſionis, poſſet melioribus ſociari, peræquatoq. omni patrimonio, nihil de deſertis poſtea conquereretur. Penes eum autem poſſeſſio firma permaneret, cui a Peræquatore ſemel eam traditam fuiſſe conſtitiſſet. Ipſe quoque Comes poſſeſſiones ſtudioſe peragraret, quæ ante uiginti annos præcipuum beneficium de reciſione meruiſſent, ut recte æſtimari poſſet, utrumne ueræ petitiones eſſent, an addi quidpiam oporteret. Pridie Id. Mai. ad eundem ſcripſit, naualem hæreſim in omnibus ſeruari curaret, ut quæcumque præconi ſubiectæ poſſeſſiones, diſtractæ fuiſſent, & ſtipulatione publica, nauali fuiſſent hæreſi ſeparatæ, ſi id oneris, ante, eas ſuſtinuiſſe conſtitiſſet, reſtituerentur. Eodem die ad Vrſacium Comitem R.P. ſcribens, edixit, Emphyteutici iuris prædia ita locari, ut ceſſante, illuſtris priuatarum Comitis, iuſſu, quanta ſors in aliis functionibus ſubleuata fuiſſet, tanta etiam in penſione demeretur. Quod ſi quis reſcriptum de Auguſtalibus altaribus meruiſſet, quo alius ſpectator loca poſſet diſcutere, ſanxit, hæc ut ſubreptio inanis haberetur, & illud ualeret, quod probatiſſimi peræquatores definiiſſent. Ad Sebaſtium autem reſcripſit, ſi quis deſertam poſſeſſionem ſub peræquationis ſorte percepiſſet, is, a præſtatione glebæ ſenatoriæ, etiam ſi antiquitus id oneris fundum manebat, uacaret: Quæ uerò prædia, in deſertis, nauali functioni eſſent obnoxia, ea ab aliis releuari præcepit: tanta Honorius in exigendis tributis moderatione, ac æqualitate utebatur. Ad excludendas quoque patronorum caudicariorum fraudes, & portuenſium furta menſorum tollenda, VII. kal. Ianuarii, ad Palladium P.P. ſcribens, decreuit, uti unus è patronis, totius conſenſu corporis eligeretur, qui per quinquennium cuſtodiam portuenſium conditorum ſuſciperet, miſſurus ad collegas clandeſtinum digna, ne quid ex ſpecie, fraus occulta, uectorum peſſimæ qualitatis immutaret: ea lege, ut qui id muneris recte adminiſtraſſet, is poſt quinquennium ſuum, Comes tertii ordinis foret: Qui fraudem feciſſet, admiſiſſetve, is, amiſſo patrimonio, ad piſtrini munia prima reuocaretur. Sanxit etiam, ut qui illuſtris vrbanæ ſedis, uel annonariæ poteſtatis apparitor, clandeſtina fraude, piſtorem concuſſiſſet, accuſatus, conuictusq. perpetuis panificii nexibus addiceretur. Innocentius Pont. Max. hoc anno moritur, qui cum Rauennæ, bellica Romanæ obſidionis, direptionisq. pericula, uitaſſet, dum Romam reuerſus, multa inſtauraret, in iis, militari uiro, martyri beatiſſimo, Rauennæ tutelari, D. Vitali, Diuisq. Geruaſio, & Protaſio eius filiis, templum dicauit, quod ex teſtamento Veſtinæ, nobiliſſimæ fœminæ, per id tempus, Romæ excitatum fuerat: neque hoc contentus, titulum illud ſacerdorum Cardinalium fecit, eoq. Vrſicinum, & Leopardũ, qui in ea ædificatione, vnà cum Diacono Liuieno, laborauerant, cohoneſtauit. Zoſimus in Pontificatum ſufficitur. Cum autem VI. Id. Mart. inſequenti anno, Honorius ſcriptis, Rauenna, ad Palladium. P.P. litteris, edixiſſet, ut in Iudaica ſuperſtitione uiuentibus, attentandæ in poſterum

ANN. CCCC XVII.

ſterum

ſterum militiæ, gerendorumq. magiſtratuum aditus obſtrueretur. Qui ſortiti fuiſſent, iis ut adducere ad finem poſſent, dedit, *ignoſcens*, ut ille inquit, *facto potius, quam fauens*. Qui armatam militiam gererent, abſolui eos cingulo iuſſit: liberalibus ſtudiis inſtitutis, exercendæ aduocationis libertatem non præcidit, & Curialium munerum onere uti permiſit, eos quæ prærogatiua natalium, & ſplendore familiæ ſortirentur. Decimo autem kal. Iul. ne quis poſt diem mortis, ſcriptis ante decennium teſtamentis, aſſenſus præſtaretur, cauit. Ceterum ut in Republica ordinanda Honorius ſumma ope laborabat, extinctis iam vndique in Gallis, Hiſpaniisq. & Lybia ſurgentibus tyrannis, Vallia, ac Viſigothis, auxilium Conſtantio, qui per hos dies in Luſitania erat, ferentibus, ita Zoſimus Pontifex multa in Eccleſia catholica inſtituere, reſtituereq. ſumma cura nixus; hanc ad ſacratos uiros, qui Rauennæ *erant*, ſcripſit Epiſtolam. *Zoſimus Epiſcopus: commonitorium Presbyteris, & Diaconibus, qui Rauennæ ſunt. Ex relatione fratris noſtri Archidami presbyteri, qualiter ſuſcepti ſitis, uel quid egeritis, cognouimus, uel qualiter illi ſuſcepti ſint, qui contra Canones aduerſum nos ad Comitatum, neſcio qua audentes temeritate; ire noluerunt. Ad quos hæc, quæ nunc miſimus, olim ſcripta feceramus, eorum, quas iniurioſè miſerant, reſpondentes epiſtolis: Sed quoniam non potuerunt rei, in ſua, hoc eſt, in noſtra Eccleſia Romana, cum noſtris compresbyteris commorari, has ad nos, illis tradendas, litteras deſtinauimus, in quibus Decreto noſtro ſanximus, memoratos perturbatores, omnium, ab Apoſtolica noſtræ ſedis communione, alienos fuiſſe, atque noſtra ſubſcriptione prolatam ſententiam ſuſcepiſſe. Illos etiam qui effrenato huic facto, conſilioq. aſſenſum commodare voluerunt, veſtra charitatis eſt, æſtimare, qualiter habeantur. Quibus hoc obijcere vos debetis, quod iuxta canonum præcepta fortiter incurrere, & qualiter presbyteros non decebat, rebelles exiſtere tentauerunt. Vos tamen monemus in ſpeculis eſſe debere, ne qua eorum prorumpat audacia, quos anathematizatos ſcit ſancta, & Apoſtolica Eccleſia. De ijs verò, qui eorum ſe ſocietati iunxerunt, quid agere debeamus, cum reuerſi fueritis, conſilio meliori tractabimus. Dat. V. Non. Octob. Honorio XII. Theod. VIII. Augg. Coss.* Sub id tempus Exuperantius Archiepiſcopus, Zoſimi Pontificatu, Tert. kal. Iun. deceſſit: ſepultus eſt in D. Agnetis, ſub Porphyrite lapide ante aram maximam. Inſequentibus temporibus in medio eo templo, ſub ara illi dicata, in monumento ex marmore cum uiſeretur, noſtra ætate, ara ſolo æquata, ſiniſtrorſum ingredientibus, ſepulcrum eſt collocatum. Opidum Argenta, quod ante id tempus ultra Padum erat, eo loci, quo nunc templum uetuſtiſſimum Diuo Georgio dicatum uiſitur, ab eo exædificatum eſt. Ita autem uocatum plerique ferunt, ab argenti penſione, quam opidi incolæ Rauennati Archiepiſcopo quotannis perſoluere tenebantur. quod ad hanc diem, cum ex ipſius Eccleſiæ ſit iuribus, ſeruatur. Tametſi Blondus eo nomine appellatum ſcribat, quòd Archiepiſcopi Rauennates tribus ſibi ſubiectis Eccleſiis, quas præcipuas tunc habebant, trium metallorum nomina, quæ maxime nobilia uidebantur eſſe, impoſuerint. Quapropter Aureolum, quod opidum eſt in amœniſſimo Foroliuienſi colle, ab auro; Argentam ab Argento, & Ferrariam a ferro uocatam. Huius tempore Gemellus, D. Agneti, in regione Herculana, templum extruxit: quod ſacrauit deinde Maximianus Tertio Id. Oct. Hoc ferunt multis poſtea muneribus ab Gemello ditatum, Siciliam que tunc Rauennati Eccleſiæ ſubiectam, & eius Præfectum pro Archiepiſcopo

Rauennati, Gemellum fuiſſe: a quo etiam D. Agathæ virginis, & martyris templum, ſuperioribus annis ædificari cœptum, huius Archiepiſcopi tempore abſoluitur. In Exuperantii locum, Ioannes, primus hoc nomine, ſubrogatur, quem ea ſanctitate fuiſſe ferunt, ut, quòd cælites ventitare ad eum familiariter conſueſſent, ad hæc uſq. tempora, Ioannes qui vidit Angelum uocetur; tuncq. Græca uoce Ἀγγελόπτην appellatum. Honorius interea Reipublicæ curam non intermittens, cum eſſet Rauennæ, ad largum P. V. Africæ V. Id. Octobris ſcribens, decreuit, incoporationem bonorum: his enim utar eius ſæculi uerbis, ut res melius pateat; anteferendam competitionis effectui, & de poſſeſſore iam fiſco, ad priuatarum largitionum Comitem referendum. De delatoribus etiam, ſine quibus, iuſſit, nullam petitionem aut inchoari, aut peragi, ignoſcendum illis ſciuit, ſi ſemel probaſſent delata, periculoſam verò illis fore uictoriam iteratæ proditionis abrupto periculo: ſin uerò tertia uice detuliſſent, id minime probandum eſſe, ſed pœnam potius illis ſubeundam. Tandem X V I I. kal. Decembr. Italica tributa compoſuit, his litteris ad Palladium P. P. ſcriptis. *Præter cenſuales functiones, Campania, quam & vetuſtatis grauior onerat adſcriptio, & poſt hoſtium vaſtauit incurſio, peræquatis territorijs, nonam partem tantummodo præteriti aſsis, publicarum toleret functionum. Picenum vero, & Tuſciam, ſuburbicarias regiones, ſeptimam tributorum, ad ſupputationem profeſsionis antiquæ, per vniuerſos titulos iubemus agnoſcere, ut reciſo antiqui cenſus onere, is tantum modus, quem ſuperius comprehendimus, chartis publicis inſeratur, hac condicione, vt omnis, ſuper deſertorum nomine querela, in poſterum conquieſcat. Dat. X V I I. Kal. Decemb. Rauennæ, Honorio X I I. & Theo-*

AN. CCCCXIX. *do. VIII. AA. Coss.* Poſtero anno, Rauennæ, ut Marcellinus Comes tradit, ſexto Non. Quinct. Conſtantio, ex Placidia uxore, natus puer eſt Valentinianus, Moma, & Plinta conſulibus: Sunt tamen qui Quincto Non. natum ſcribant, Momamq. Conſulem, Monaxium appellent. Proſper, qui Marcellino eſt paulò antiquior, in ſuperiorem annum id retulit. Duas tantum leges Rauennæ ab Honorio latas hoc anno legimus, alteram de Inquilinis, & Colonis VI. kal. Iul. de Suariis alteram, quarto kal. Aug. ad Palladium Præfectum prætorio utramq. De Colonis, & Inquilinis conſtituit, poſt annos triginta, uiros, poſt uiginti, fœminas repeti non poſſe. De Suariis, ut illis pecuarii iungerentur, reſtituerenturq. uetera priuilegia omnia, tresq. ex illo collegio principes, tertii

ANN. CCCCXX. ordinis comitiuam reciperent. Inſequenti anno, quo conſules fuere Theodoſius Aug. IX. & Conſtantius III. Octauo Id. Mar. Rauennæ, Honorius acriter in eum cauit, qui dicatam Deo Virginem, prodigus ſui raptor, ambiiſſet. Mox octauo Id. Mai. decreuit, ne ſacris initiati, extranearum mulierũ contubernio uterentur, eo tantum illis dato, ut matres, filias, ac germanas, intra domorum ſepta continerent. *In his enim nihil ſæui criminis æſtimari, fœdus naturale permittit*, inquit Honorius. Tandem Quincto kal. Octobr. Maximiano Præfecto Vrbis edixit, ne in auiarum ſucceſſione, capitis diminutio materna quæreretur. Sub id tempus Attalus, quem iam Honorius, Imperium occupantem, & captum, obtruncata manu, in Lyparim Inſulam relegarat, denuoq. noua moliebatur, ab Romanis uinctus deducitur Rauennam, ad Honorium. Illi læua manus, quæ vna reliqua fuerat, diſſecta, Conſtantii iuſſus mox Byzantium pro ludibrio miſſus. Vt uerò omnem deinde huiuſmodi defectionum occaſio-

nem

nem Honorius tolleret,& maiori tractaretur in externis regionibus auctoritate Reſpublica,neque omnino præter dignitatem nupſiſſe Placidia ſoror uideretur, Conſtantium, Rauennæ, Cæſarem Auguſtum, & conſortem Imperii ſimul facit: Inde Valentiniano puero, Nobiliſſimi dignitatem præbuit, & imaginem Conſtantii Auguſti, Conſtantinopolim ad Theodoſium collegam, & per prouinciam miſit: ueteri eorum temporum more, quo huiuſmodi ad populos Cæſarum, Auguſtorumque imagines mittebantur, & ubi plurium aut Regum, aut fratrum tabulæ pingebantur, vt inter vtroſque inſignia conſentientis voluntatis declararentur, fœmineo habitu, pictor, vtrique a tergo Concordiam ſtatuebat, quæ brachiis ſuis vtrumque complexa, indicaret, eos, qui corporibus ſeparati viderentur, ſententiis, & voluntate conuenire: quod Archiepiſcopus Rauennas, Petrus Chryſologus teſtatur. Tradunt nonnulli, Theodoſium, vbi Conſtantium ab Honorio Auguſtum factum accepit, neque id factum probaſſe, neque imaginem eius accepiſſe. Eodem hoc anno, pridiè kal. Octobr. D. Hieronymus Stridonienſis, doctrina, & ſanctitate toto orbe clariſſimus, multis laboribus in ſacrarum litterarum interpretatione perfunctus, in cælum abiit, Poſtumianus, Gallus homo, qui vixit hoc tempore, & in Orientem nauigans, loca ſancta, hominesque vitæ continentia, ac ſanctitate celebres inuiſit, referente Sulpicio Seuero, in Poſtumiani, & Galli collatione a ſe ſcripta, de D. Hieronymo, quem in opido Bethlehem, ſexto ab Hieroſolymis lapide, conuenit, hæc loquitur. *Ego*, inquit, *vt dicere inſtitueram, apud Hieronymum ſex menſibus fui, cui iugis aduerſus malos pugna, perpetuumq. certamen, conſciuit odia perditorum. Oderunt eum hæretici, quia eos impugnare non deſinit: oderunt clerici, quia uitia eorum inſectatur, & crimina, ſed planè eum boni omnes admirantur, & diligunt: nam qui eum hæreticum eſſe arbitrantur, inſaniunt. Verè dixerim, Catholica omnis ſcientia, ſana doctrina eſt. Non die, non nocte requieſcit: aut legit aliquid ſemper, aut ſcribit. Quòd niſi mihi fuiſſet animo fixum, & promiſſum, Deo teste, propoſitum Eremum adire, uel exigui temporis puncto, a tanto viro diſcedere noluiſſem.* Poſtero anno Honorius, & Conſtantius Auguſti, Rauennæ, Euſtaſio, & Agricola conſulibus, V I. Id. Mart. de repudiationibus multa ſanxerunt, ac diuortiis. Adhæc, Octauo Id. Iul. ad Palladium Præfectum prætorio, de petitionibus ſanxerunt, vt nemo homo competitioni ſubiiceretur, niſi qui capitali, ob crimen, ſententia, ademptis bonis, deportandus eſſet: de quibus tamen competi, per biennium, nihil iuſſerunt. De caducis etiam mortuorum bonis, ad competitores transferendis, cum nullus ab inteſtato hæres eſſet, ſciuerunt. Ad Proculum quoque Comitem rerum priuatarum, edixerunt, qui ærario Auguſtali, tamquam quæſita bona, poſtularent annuum illis ſpatium, ad ea, quæ dicerent, quæque uellent, probanda, daretur. Decreuit etiam Honorius, ut eorum bona, qui ob crimina mulctati, abſque parentibus, liberisve deceſſiſſent, ærario Auguſtali addicerentur: in ſcelere quod eſſet de maieſtate, tametſi adeſſent parentes, liberiq. tamen idem fieret. Adhæc, perpetua per quinquennium poſſeſſio, competitorem extruderet. Quincto autem kal. Auguſti, Rauennæ, Honorius, Conſtantiusq. de chyrographis mortuorum, ad Palladium P.P. ſanxerunt, vt qui inter abſentes, intra illud continens quinquennium, inter præſentes verò, biennium, nec publicaſſet cautiones, nec conueniſſet hæredes eius,

ANN. CCCCXXI.

eius, qui pecuniam deberet, actione priuaretur: deq. eo toto caſu, multa ſigillatim decreuerunt: quæ in Codice Theodoſiano, vnde hæc excerpſimus edicta, habentur. Ceterum cum hoc tempore à Gothis acerrimũ in Hiſpaniam bellum cum Vandalis gereretur, Honorius, communicatis cum Conſtantio de ſumma rerum conſiliis, eam nequaquam deſerendam prouinciam decernens, ad Conſtantium, eorum parandorum, quæ ad illud Hiſpanienſe bellum neceſſaria viderentur, negocium detulit. Sed Conſtantius immatura morte, in ipſo medio apparatu, exceſſit è vita, anno nondum perfecto, poſtquam Cæſar Auguſtus fuerat appellatus. Itaque illi Caſtinum Magiſtrum militum, & Bonifacium Comitem Africæ, viros bellica laude præſtantes, ſuffecit. Atque tot habuit hic annus Rauennæ: Inſequens pleraque etiam ab Honorio reſcripta Rauennæ item, habuit, ipſo Honorio XIII. Theodoſio X. Augg. Conſulibus. Nam X. kal. Mart. in prouinciis Proconſulari, & Byzacena, quæ, & quot nomina induci, remittiq. vellet, maxima humanitate decreuit. Octauo Idus Iul. ſanxit, vt pecunia, cum ex ſtipulatione poſtularetur, ſequeſtri locus non eſſet. Sexto Id. de pecunia, ſeruo, & ceteris huiuſmodi, inſciente domino, commodata, ſciuit, dominum haud teneri, tametſi per litteras, dominus, ſeruum illi ſuum commendaſſet, niſi tamen ſi pecuniam ſigillatim nominaſſet. Poſtridie eius diei, iuſſit, vt qui nomina, cautiones appellata, ad potentes detuliſſet, quod haberet in nominibus, perderet: neve cuiuſquam poſſeſſio, pro alterius ære alieno publico, conueniri vlla poſſet. Quarto Nonas Nouembr. ad Marinianum Præfectum prætorio ſcripſit, quod pater pactum de nuptiis filiæ iniiſſet, ſi obiiſſet ante, quam puella matrimonio iungeretur, id tamen inter ſponſos ratum permaneret. Quòd ſi conſtante matrimonio, maritus interiret, dos, quæ data, quæve promiſſa fuiſſet, ad vxorem rediret: ſin maritus eam vxori refudiſſet, vxore mortua, marito, ab eius hæredibus, cum fructibus a die refuſæ dotis, reſtitueretur. Interea Placidia, quam ob cauſam, incertum eſt; ſcribit tamen Caſſiodorus, ob ſuſpicionem incitatorum hoſtium, ab Honorio fratre vexari, maleq. haberi cepit: quamobrem ipſa, poſtero anno, ad Theodoſium, Arcadii Fratris filium, qui Byzantii imperabat, ſeſe cum Valentiniano, atque Honoria filiis, recepit. Honorius ad Rempublicam conſeruandam intentus, ſexto Id. Februar. ad Rufinum Comitem ſacrarum largitionum, Rauenna ſcribens, circa largitionales, vt vocabant, titulos, plurima liberaliter indulſit. Mox V. kal. Mart. ſcriptis ad Criſpionem Comitem, & Magiſtrum equitum litteris, iuſſit, vt qui militarent, ſi in ſolo publico vel ædificaſſent, vel ſeptis ſpatia includerent, ea perpetuo iure poſſiderent. Qui miles antea loca publica occupaſſet, quæ nemo ad eam diem poſſediſſet, inde ſi quo fuiſſet iudicio retractus, reſtitueretur. Septimo autem Id. Mart. edixit, Decuriones, & Silentiarios, ſiue deinde a muneribus quieſcerent, ſiue altius proueherentur, nihil, quod Honoratis, pro rerum neceſſitate imponebatur, exſoluerent, Tyrones, & equos non conferrent: Nudum tributum, quod plerumque poſcebatur, conficerent. Quinctodecimo kal. Iun. Proculo P.P. edixit, vt qui homines, quæque prædia, in Africa, per quinquaginta annos, a tributis, muneribusq. naualibus vacaſſent, ea ne vexarentur. De priuatis deinde faciendis iudiciis, ad Conſules, Prætores, Tribunos plebis, Senatumque ſuum, ita ſcripſit. *In criminalibus cauſis, Senatus,*

ſtatu-

ANN. CCCC XXII.

ANN. CCCC XXIII.

*ſtatuta iamdudum Quinqueuiralis iudicij forma ſeruabitur. In quo cum perfacile
eſſe credamus, optimos legere de ſummis, ſortito tamen ad iudicium uocabuntur, ut
de capite, atque innocentia, alterius iudicio electi, iudicent. Dat. VIII. Id. Aug.
Rauennæ, Aſclepiodoto, & Mariniano Coſs.* Adiecit etiam, ne liberti, non ſolū
contra patronos, ſed nec contra patronorum hæredes audirentur. Ingratos, e-
tiam ab hæredibus in ſeruitutem reuocandos: Delatores contra patronorum
hæredes, antequam audirentur, puniendos. Qui crimen alicui inferret, quo in
periculum capitis arceſſeretur, is in iudicium veniret, rei nomen indicaret, in
cuſtodia pari, pro dignitate tamen, haberetur, ne impunita eſſet mentiendi li-
centia. Qui de ſe in quæſtione crimen confeſſus, in alios paratus eſſet dicere,
non audiretur. Septimo autem Idus, libertorum aduerſus patronos impro-
bas voces, pœnis graui edicto propoſitis, præcluſit, ſic, vt non modò ſponte
prodire non auderent, ſed ne vocati quidem in iudicium venire cogerentur.
Atque hæc poſtrema fuit Honorii lex, quam ego Rauennæ datam, repererim.
Scribunt plerique, cum mox grauiſſimo aquæ inter cutim morbo tentatum,
Romam ſe vehendum curaſſe, ibique XVIII. kal. Septembris, eo conſumptum
interiiſſe, ac iuxta baſilicam D. Petri, in monumento repoſitum: Sed cum a po
ſtremo de libertis reſcripto Rauennæ dato, ad diem, quo exceſſit è vita, Se-
ptem tantum dies intercidant, quibus talem, tantumq. Principem, graui præſer
tim morbo oppreſſum, tantum itineris confeciſſe, ſummis æſtatis caloribus, ſed
neque in viam ſe dediſſe, difficile creditu eſt, libentius illis aſſentior, qui Rauen
næ mortuum ſcribunt. Eius interitum crinita ſtella per multos dies præceſſit.
Vixit Honorius annos XXXIX. tribus, & viginti diebus minus: quem vtrum-
ne infelicior fuerit, tot vndique, & perpetuis domeſticorum inſidiis, & externo
rum bellis grauiſſimis oppugnatus, an felicior, tam ſecundo curſu, ac planè in-
terdum miraculo, liberatus, haud facile dicas: niſi quòd ob religionem, pieta-
temq. cum prudentia, & conſilii maturitate, magnitudineq. animi; vel in tene-
ra, imbecilliq. ætate; coniunctas, immenſam gloriam, & a ſanctiſſimis, doctiſ-
ſimisq. eius ſæculi, viris, laudem ſingularem meruiſſe, certiſſimum eſt. Caſti-
nus Scytha copiarum Honorianarum Imperator, ab Romanis partes ſuas ſe-
quentibus, Ioannem quendam, qui Rauennæ erat, & Honorii commentarios
ſcripſerat, curauit Imperatorem eligi: quod Caſtino ipſo Scytha, & Aetio item
Scytha, ſummæ ſolertiæ, magnæq. virtutis viris iuuantibus, factum eſt: eiq. Ita-
liæ multi populi, Rauennates præſertim, penes quos Auguſtalia inſignia, ſolē-
ni pompa, ſuſcepit, aſſenſi ſunt. Theodoſius quinctumdecimum iam annum
Cæſar Auguſtus, accepta Honorii morte, inſequenti anno, menſe Septembri, ANN. CCCC XXIIII.
Conſtantinopoli profectus, Theſſalonicam acceſſit, ibiq. Placidiam, amitam,
Valentiniani matrem, Auguſtum nuncupauit, & Valentinianum, Cæſarem de
clarauit, ipſius Placidiæ amitæ, ex Conſtantio, vti docuimus, filium, Rauennæ
natum. Ioannes Archiepiſcopus Rauennas, Valentiniani perpetuò partes fo-
uit, vel ea maximè de cauſa, quòd Ioannes Tyrannus, Eccleſiæ parum addictus
videretur, libertatem Eccleſiaſticam impiè oppugnaret, priuilegia reſcinderet,
ſacris initiatos, ad prophanos iudices deducendos edixiſſet: Valētinianus, Cæ
ſar creatus, Eudoxiam, Theodoſii Imperatoris filiam, ſibi deſpondit: Placidia,
Theodoſio iubente, cum Valentiniano, & Iuſta, Grata, Honoria filiis, adhuc
pueris, cumq. optimo exercitu, traiicere in Italiam parant. Iubet interea Theo

doſius,

doſius, Ardaburem, Ducem ſtrenuiſſimum, mari, in Italiam, maiori qua poſſet, copiarum multitudine, traiicere; antequam Placidia, ac pueri peruenirent; curareq. Ioannem è medio tollendum. Ardabures Theodoſii imperata confeſtim facit. Sed in mari adeò ingenti iactatur tempeſtate, vt prætoria eius nauis, aberrãs ex aliarum agmine, in oram Rauennatem eiecta, eò decurrerit, vbi facile ipſe captus, Tyrannoq. traditus, & vinctus ferro, Rauennam deductus eſt. In eadem maris ſumma tẽpeſtate, cum parum abfuiſſet, quin colliſæ naues, in quibus erant Placidia, & Aſpar, Ardaburis filius, mergerentur, Placidia, ſi incolumis Italiam appuliſſet, D. Ioanni Euangeliſtæ templum Rauennæ vouit. eoq. ab omnibus, hortante Placidia, in maxima deſperatione ſalutis, patrono apud Deum inuocato, ipſe D. Ioannes ingenti miraculo aduenit, ſuiq. præſentia, conſolationem, ac remedium nautis, gubernatoribusq. qui vim tempeſtatis amplius pati non poterant, adhibuit; continuoq. ſedata eſt increbeſcentis uenti, & maximos iamdiu voluentis fluctus, tempeſtas; exaſperatumq. fluctibus mare, quieuit. Quamobrem Italiæ oram cum feliciſſimè tenuiſſent, exceptus eſt Placidiæ aduentus, ab omnibus ciuitatibus, incredibili honore, atque amore, extra Rauennam, quòd Tiranni partes defenderet, & ibidem ipſe commoraretur. Placidia cum filiis Aquileiæ conſedit, ibiq. omnia, quæ ab Ioanne tyranno, aduerſus Eccleſiæ libertatem edicta fuerant, poſtero anno, qui fuit a partu Virginis vigeſimus quinctus ſupra quadringenteſimũ, Theodoſio XI. &
ANN. CCCCXXV. ſe conſulibus, edicto, VIII. Id. Octobr. Promulgato, conſulente Placidia, quæ pro arbitratu Imperium adminiſtrabat, abrogauit, Eccleſiis, ſacratisq. viris in priſtinam libertatem vindicatis. Interea Aſpar de capto patre certior factus, adeò nixus eſt, diligentemq. ac ſtrenuam operam nauauit, ut per paludes, quæ propè Rauennam erant, paſtore quodam Duce, profectus, quarum traiectio nulla ratione poſſibilis credebatur, ingenti prodigio, vrbem ingreſſus, nihil tale metuentem Tyrannum, poſtquam per menſes decem, & octo Imperium, Rauẽnæ, obtinuerat, & ceperit, & trucidauerit: ſi Freculpho Epiſcopo, Procopio, Caſſiodoro, Marcellino Comiti, multisq. præterea hiſtoriarum ſcriptoribus grauiſſimis aſſentimur. Patrem deinde liberauit ipſe. Per idem tempus ab Ioanne Archiepiſcopo ſacellum conſecratur, quod cum tẽplo D. Laurentii martyris, iuſſu Honorii, ab ſe ædificato, Lauritius coniunxerat, & Diuis Stephano, Protaſio, & Geruaſio dicauerat: Neque enim de toto eo D. Laurentii templo intelligi hæc dedicatio poteſt, & quòd tempora non conſentiunt; neque enim Honorius, cuius tempore dedicatum eſt, ad hanc diem vixit; & quia id ſacelli inſcriptio, aureis litteris, apertè indicat: Hæc autem eſt. *Stephano, Protaſio, & Geruaſio, Beato martyrio, & ſibi memoriæ, Lauritius dedicauit, ſub die III. Kal. Octobr. Theodoſio X I. & Placido Valentiniano Coſs.* Is autem Lauritius, anno ætatis ſexto, & nonageſimo ſanctè decedens, iuxta ædificatum ab ſe templum, tumulo componitur, in ipſo Diuorum Protaſii, & Geruaſii ſacello. Rauennam interea Placidia adueniens, de factionis proceribus ſupplicium ſumpſit, & vrbem Rauennam diripiendam militibus dedit, ob id ciuibus vehementer infenſa, quod eos Ioanni Tyranno ſtuduiſſe comperiebat. Voti autem nuncupati non immemor, admirabilis templi exædificationem aggreditur; cumq. Ioannem Archiepiſcopum ſumma veneratione ſalutaſſet, omnemque ſuam operam illi fuiſſet pollicita, deq. propenſa in eam, ac Valentinianum filium voluntate gra-

tias maximas egiſſet, lucernam vna cum ceroſtrato ex auro optimo, pondo ſeptem, Rauennati Eccleſiæ dono tradidit, propria imagine adiecta, cui circum ſcriptum erat, *parabo Lucernam Chriſto meo* mirabili arte: Cum Theodoſius etiã ipſe, de hac Rauennati victoria, ab Aſpare, per litteras, certior factus, Circenſibus ſtatim ludis, quos Conſtantinopoli ſpectabat, omiſſis, in templum, ad gratias Deo agendas, proceſſerit, atque eò etiam vniuerſum populum inuitauerit. Haud ita multos poſt dies Valentinianus, Idibus Octobris, Rauennæ, decreto Theodoſii, inſignibus Auguſtalibus, ſumma pompa, ſeptimum agens annum, ornatus eſt, & Auguſtus appellatus. Placidia non deſerens, quæ ad Imperii adminiſtrationem facere videbantur, aduerſus Caſtinum noua moliẽtem, apud pleraſque Italiæ vrbes, Ardabure cum copiis miſſo, hominem com miſſo prœlio ab Vercellis haud procul, ſuperauit: deſeritur enim a ſuis Caſtinus, & Rauennam ad Valentinianum deducitur, iiſdem ferme diebus, quibus, & Aetius, qui Romæ fuerat captus. Caſtinus in exilium miſſus, Africam deinde, licet infelici exitu, violatis finibus, perturbauit. Aetius apud Valentinianum remanſit, quòd pollliceretur, quos Hunnos ex Pannonia ſubſidio Ioanni tyranno futuros, euocaſſet, facere, vt inde ne diſcederent, cum adhuc caſtra non mouiſſent: quod, & factum eſt. Hac ratione cum ſe Placidiæ, & Valentiniano purgauiſſet; nam antea, cum Honorius illum, in Conſtantii, qui Placidiam vxorem acceperat, locum, vnà cum Caſtino, ſuffeciſſet, in ſuſpicionem rei minus fideliter adminiſtratæ venerat, eius conciliata ſibi beneuolentia, præficitur iis Galliæ municipiis, quæ nec Gothi poſſiderent, nec Burgundiones. Valentinianus non multo poſt, eodem, quo in Italiam venerat, anno, Romam vocatus, illuc ſe cum Gallia Placidia matre contulit. Cum verò religione eſſent in cenſi, non defuerunt Placidia, & Valentinianus, cui ab matre, Placidi prænomen adſcripſerant; quin inter tot felices, ac ſecundos exitus, ſummaque de Imperio negocia, loca ſancta Romæ, hominesq. Sanctitate, ac innocentia vitæ inſignes, inuiſerent. Enitebant eo tempore, ſacerdotes Antiocheni, Romæ, duo, Timotheus, & Barbatianus: Ad hos cum adiiſſent, ſolus Barbatianus viuere inuentus, in cœmiterio Calixti, via Appia, altero ab vrbe lapide; loco, & ſanctorum virorum habitatione, corporibusq. & D. Cypriani teſtimonio, celebri. Ibi cum Placidiæ puella, acerbiſſimo oculorum dolore laboraret, vir ſanctus, dominæ precibus commotus, vbi Deum precatus eſt, ventrale, quod habebat, in aquam merſum, puellæ tradidit, iubetque oculos, vt extergat: quo facto, morbo ſoluta eſt. Nec multo poſt Calogenes, græcus adoleſcens, Valentiniani ſeruus, cum ſcalis deſcenderet, decidit, oſſibusq. confractis, & pede comminuto, cum parum abeſſet a morte, ad uirum Dei importatus, ab eoq. ſigno crucis obſignatus, ſtatim conualuit. Iſidorus etiam cum ex pulmonis ulcere ad extremum laboraret, adductus ad Barbatianum, vir ſanctus, cum Deo ante, preces, vt conſueuerat, fudiſſet, porrexit nonnihil Citri, quod ſibi forte ad manus fuit; cuius eſu morbo liberatur. His, plurimisq. præterea prodigiis clarus, Rauennam ab Galla Placidia non multo poſt deducitur, quo ſe Valentinianus cum matre recepit. Interea edicta multa, ad nouum conſtituendum Imperium edicturus, cum ab eo incepiſſet, quo Hæretici, & ſecta omnis, inimica Catholicis, Ciuitatibus pellerentur, Rauennæ, anno a Chriſto nato vigeſimo ſexto ſupra quadringen- ANN. CCCC XXVI.
teſi-

teſimum, ſe iterum, & Theodoſio Aug. XII. Conſulibus, poſtquam Romã rediiſſet, vbi menſe Ianuario fuiſſe, lex de conductoribus domus Auguſtæ, ad Senatum ibidem lata, tert. Non. Ianuar. declarat, ad Baſſum Præfectum Prætorio, pridie Non. Mart. de conductoribus, hominibusq. domus Auguſtæ, iterum ſanxit, ne vllum cuiuslibet magiſtratus, militiæve nomen vſurparent, alicuius cingulo dignitatis ne vterentur: Si qua lis incideret, quæ ſpectaret ad Regiam domum, æquali, cum ceteris, iuris ordine tenerentur. Mox Ter. kal. April. libertis, omnem, ad honores, palatinamq. vt tum vocabant, militiam, aditum interdixit. Ex manumiſſis natos, ad Protectoris locum proximum, quod ad eam diem non licuerat, prouehi poſſe permiſit, ita vt patronis, patronorumq. hæredibus reuerentiæ priuilegia conſeruarentur: Ingratos, licet militarent, in ſeruitutem reuocari voluit. Septimo autem Id. April. in Apoſtatas, qui nomen Chriſtianum amplexi, ſacrificia feciſſent, & grauiſſimum ipſe edictum habuit, & ſuperiorum Auguſtorum edicta probauit, ne qua, poſtquam a fide deſciuiſſent, teſtandi, donandive facultas illis eſſet, ſed nec uenditionis ſpecie, facere legi fraudem liceret: Totum ab inteſtato ad Chriſtianos, propinquos potiſſimum, deferretur. Ad hæc eorum poſt mortem perfidiam plectendam, teſtamentis, ac donationibus reſcindendis, duxit. Poſtridie decreuit, ſi Iudæi, vel Samaritæ filius, filiave, aut nepos, vnus, vel plures fidem eſſent Chriſtianam induti, non licere eorum parentibus, id autem eſt, patri, matri, auo, aut auiæ, exhæredare, vel in teſtamento, ſilentio præterire, vel minus quidquam eis relinquere, quam adipiſci poſſent, ſi ab inteſtato uocarentur; alioqui eos ab inteſtato, voluntate reſciſſa, ſuccedere: Si quod maximum in eos crimen commiſiſſe probaretur, manẽte in eos vltione legitima, parentes ſolam eis Falcidiam, amplexæ religionis cauſa, relinquerent. De bonis quoque maternis multa decreuit. VIII. Id. Nouem. & poſtridie eius diei, ad Senatum, decretione, & bonorum poſſeſſione, in patre, moriente infante filio, ſtatuens, vt nec petitione, nec creatione ſolemni adhibita, hæres tamen ſuccederet. Adhæc, qui filio, filiæ, nepoti ex filio, vel pronepoti ex nepote, mancipationis tempore, quidpiam donaſſet, id, niſi probatis in iudicio manifeſtis ingrati animi cauſis, reuocare non poſſet. Sexto autem Id. omnes quaſi leges, vnico, ad Senatum vrbis Romæ, edicto promulgans, ſic ſtatuit. *Papiniani, Pauli, Caij, Vlpiani, atque Modeſtini ſcripta vniuerſa firmamus: ita ut Caium, atque Paulum, Vlpianum, & ceteros, comitetur auctoritas lectionis, quæ ex omni opere recitatur: Eorum quoque ſcientiam, quorum tractatus, atque ſententia prædicti omnes ſuis operibus miſcuerunt, ratam eſſe cenſemus, ut Scæuolæ, Sabini, Iuliani, atque Marcelli, omniumq. quos illi celebrarunt: ſi tamen eorum libri, propter antiquitatis incertum, codicum collatione firmentur. Vbi autem diuerſa ſententiæ proferuntur, potius numerus vincat auctorum: Vel ſi numerus æqualis ſit, eius partis præcedat auctoritas, in qua excellentis ingenij uir Papinianus emineat: qui, vt ſingulos vincit, ita cedit duobus: Notas etiam Pauli atque Vlpiani, in Papiniani corpus factas, ſicut dudum ſtatutum eſt, præcipimus infirmari: Vbi autem pares eorum ſententiæ recitantur, quorum par cenſetur auctoritas, quod ſequi debeat, eligat moderatio iudicantis. Pauli quoque ſententias ſemper valere præcipimus. Dat. VI. Id. Nouembr. Rauennæ, Theodoſio VII. & Valentiniano. II. Coſs.* Per id tempus in ædificationem templi D. Ioannis Euangeliſtæ incumbente matre, Valen-

Valentinianus filius, ut expugnaret barbaros, qui Britanniam omnem diripie
bant, Gallionem Rauennatem; vti etiam Sabellicus eſt auctor; Ducem ſtre-
nuum, militari gloria florentiſſimum, in Gallias miſit. Hic educta ex Lute-
tia, vbi ſe in præſidio iuſſu Valentiniani, locauerat, tradita ſibi legione, ita
fortiter, atque egregiè ſe geſſit, vt inde coerciti Scotorum, & Albienſium ani-
mi fuerint, maximumq. illud bellum, quod exardeſcere tum plurimum vide-
batur, reſtinctum. Interea cum Bonifacii, Cæſarianarum copiarum in Afri-
ca ductoris, vires ita creuiſſent, vt facile prouinciam reſtituere Valentiniano
repoſcenti, recuſaret, Gallionem eundem Rauennatem è Britannia, & Ma-
hertium, qui Rauennæ erat Valentinianus magno cum exercitu aduerſus Bo-
nifacium miſit; qui Gallio, & Mahertius acies vix inſtruxerant, cum repen-
tino Bonifacii aduentu, qui Genſericum Vandalorum Regem cum magna ma
nu, ex Hiſpania, ſubſidio acciuerat, cæſi, fugatiq. ſunt. Ceterum Siſulpho e-
gregio Duce adueniente, Bonifacius tandē ſuperatus eſt, & in extremas oras
Mauritaniæ coniectus. Ad hæc fœliciter geſta Valentinianus, animi grati in
Rauennatem Eccleſiam, ac Ioannem Archiepiſcopum ſignificationem præ-
biturus, maximum beneficium adiecit. Nam pallio non illo quidem, quod
Pontifex Max. è D. Petri corpore ſumptum, præbere conſueuit, ſed quodam
quaſi paludamento, quo in ciuitate, & pompa tunc vti ſoli Cæſares conſue-
uerant, vniuerſali, & perpetua omnium deinde qui ſuccederent Archiepiſco
porum prærogatiua, Ioannem donauit; atque vti meminit Blondus, Rauen-
nati Archiepiſcopatui duodecim Epiſcopos ſubiecit; tametſi non deſint; e qui
bus eſt ſuis in Enneadibus, Sabellicus; qui quatuordecim dicant; ii autem
ſunt, Arimini, Cæſenæ, Fori Liuii, Fori Pompilii, Fauentiæ, Fori Cornelii,
Bobii, Bononiæ, Mutinæ, Regii Lepidi, Parmæ, & Placentiæ; Eccleſiamq.
ipſam Rauennatem infinitis propemodum muneribus exornauit. Sed quot
Rauennati Eccleſiæ Epiſcopatus ſubiunxerit, eius priuilegii antiquiſſimum
exemplum, quamquam magna vetuſtate aliquot locis corruptum, quod in
tabulario Vrſiano adhuc ſeruatur, optimè declarabit. Sic autem ſe habet. *In
nomine Domini Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Fl. Valētinianus fidelis Ieſu Chriſti
mator Imp. Aug. Ioanni uiro ſanctiſsimo Archiepiſcopo Rauen. ciuitatis. Si Redempto
ris noſtri plena pietate clementia dignos ſuæ maieſtatis honorificat ſacerdotes, & Chri-
ſmatum dono clarificat, quanto magis nos, qui ab eius pietate Regalia ſupra gubernan
da ſuſcepimus, cultum religionis, & reuerentia, honorificentius debemus impendere,
eis maximè, qui virtutum experimento, Deo cognoſcimus propinquantes: vt inde il-
lis etiam præſtet augmentum, unde eos probabiliter Dei clementiam..... Salute impe-
trare confidimus: Ac proinde Imperiali auctoritate ſancimus, ſanctitatem tuam, &
ſanctam tuam Rauennatem Eccleſiam, atque vniuerſos poſtea Deo..... Præſules,
Archieratica dignitate erectam, Metropolita decore ſublimandam, ſeu Archiepiſco-
pali faſtigio.....præponendam. Conſtituimus ſub ſacroſancta eius Eccleſia ditione, or
dinationem totius Aemiliæ noſtræ prouinciæ, ciuitatum omnium Deo amabilium Epi-
ſcoporum creationes, id eſt, Sarſenæ, Caſenæ, Forumpopuli; Forumliuij, Fauentiæ, Fo-
rum Cornelij, Bononia, Mutina, Regij, Parma, Placentia, Brixilli, Vicohabentia, Ha-
driæ, omniumque Monaſteriorum, ſub eius diſpoſitione reiacentium, & in eis ſeruien-
tium monachorum. Conferentes ei, ob decorem Apoſtolicæ dignitatis, honorem palij,
& omnem Pontificalis decoris vſum, ſicut ceteri ſub noſtra Chriſtianiſsima poteſtate*

ſæpe degentes, fruuntur Metropolita: Condecet enim nos ad honorem ſacerdotis efficaciter proper. ... & maximè vbi Serenitatis noſtræ præfulget præſentia, quatenus ſecuritate ſuffulta ſanctitas tua, ſanctaq. tua in perpetuum Eccleſia, cum meritis uirtutum, honoris etiam noſtræ ſerenitatis dono, & in poſterum fulgeat. Dat. V I. Id. Ian. Rau. Atque hinc duxit ortum inſolens altercatio illa de principatu Rauennatum Antiſtitum, Romano, Maximoque, & ſummo Pontifici, Chriſti in terris Vicario, adæquari temere poſtulantium. Mœnia quoque vrbis ab Cl. Cæſare erecta, vti ſcribit Agnellus, & inſtaurauit Valentinianus, & ampliauit; Rauennam etiam, poſt Romam, caput Italiæ conſtituit; ſi Agnello grauiſſime Rauennatium Antiſtitum vitas ſcribenti, aſſentimur. Anno quadringen-
ANN. CCCC XXVIII. teſimo uigeſimo octauo, quo fuere Conſules Felix, & Taurus, Rauennæ etiam fuiſſe Valentinianum oſtendit lex ab eo hac in vrbe V. kal. Mart. lata, de Proconſulari prouincia, quæ cum omnium in Africa prouinciarum, principem locum haberet, illiusq. ſacerdotes maioribus expenſis premerentur, iuſſit, ad Voluſianum Præfectum Prætorio ſcribens, vt præbendis tyronibus ne grauaretur: ſi quidem per id tempus, vt Vandalos ex Africa, ipſaque Mauritania pelleret, Bonifacius, qui iam cum Placidia, & Valentiniano redierat in gratiam, milites ſcribebat, firmumque exercitum parabat. Poſtero item anno
ANN. CCCC XXIX. multa Rauennæ edicta Valentinianus fecit: nam XVI. kalen. Mart. iuſſit, vt Prouinciales, quæ debebant, tributa, antequam elaberetur Indictio, expedirent: Vrgebatur enim non in Africa modò, Genſerico Rege, tota ea prouincia furente, ac vrbes, domos, templa, immani cede, ac direptionibus vaſtante, ſed etiam in Britannia, quam Picti, & Scoti hoſtiliter aggreſſi fuerant. Quincto autem kalen. decreuit, vt in priuatæ rei cauſis, præter penſionum, & competitionum negocia, de ceteris titulis ex prouocatione a rationalis iudicio, Proconſul cognoſceret: ius enim ſibi cum priuatis eſſe commune non dedignabatur. Tertio kalen. ad Voluſianum Præfectum Prætorio, cauit, vt dum aurum, argentumve a poſſeſſore conferretur, ne quid illi ab arcario, vel ſuſceptore diſpendium, ex imparibus, inæqualibusque ponderibus inferretur: idque prouinciæ Moderator ſtuderet. Celeri autem Proconſuli Africæ. V. kalen. Mai. ſcripſit, ne ſemel amiſſa de refuſione munerum ſecuritas, ab alio Proconſule refricaretur. Quoniam uerò Bubulcus vir clariſſimus, Comes, a proconſulari Prouincia Legatus, Rauennam, ad Valentinianum miſſus, conqueſtus fuerat, Curiales, pro aliis, qui eodem in agro poſſiderent, ad ſoluendum cogi, id ne fieret, ſed ut municipes, pro gleba quiſque ſua, conuenirentur, edixit. Ceterum magnam inſe-
ANN. CCCC XXX. quens annus perturbationem Rauennatibus attulit, cum Theodoſius X I I I. Valentinianus I I I. conſulatum gererent. Felix enim Patricius vir Rauennas inſigni nobilitate, dignitateque, de quo ſupra diximus, cum vxore Paduſia, Rauennæ, ad gradus Eccleſiæ Vrſianæ, Aetio Magiſtro militum iuuante, a Rauennatibus interficitur. Quæ fuerit cauſa, incertum: magna certe, in viro tot laudibus claro, putanda eſt: nam & Magiſter militum, & Conſul fuit, & ſuperiore anno, illum, Placidia, patricium fecerat: niſi ea forte dicatur, quòd in Gallia ipſe quoque, quartum iam annum, cum Magiſter militum eſſet, Patroclum Arelatenſem Epiſcopum, trucidari, vt vulgo creditum eſt, iuſſerit, & eius impulſu Titus etiam Diaco-

nus

nus, vir ſanctus, Romæ pecunias pauperibus diſtribuens, interfectus eſt. In D. Apollinaris Claſſenſis æde, ſepulcrum erat, in quo hæc legebãtur, de hoc forte Felice. *In nomine Dei. Val. Felix Proc. Rau. locum dulciſsimis, tum vetuſtate conlapſum reſtituit, atq. adampliauit, & libens animo Iduum Maiarum die dedicauit.* Poſt quam uerò Valentinianus Auguſtus, ſæpe ſui patrimonii vectigal, in neceſſitates publicas impendebat, impenderatq. poſtero anno, Baſſo, & Antiocho Con- ANN. CCCC ſulibus, Rauennæ Tert. kal. Mai. ad Flauianum Præfectum Prætorio ſcripſit, XXXI. vt extra ſuum patrimonium, qui bona aliqua poſſiderent, certum omnes tributum expedire, abſque vllius, beneficii exceptione, cogerentur. Hoc tempore celebratum eſt apud Epheſum Concilium aduerſus Neſtorium, & Pelagianos, in quo ducenti Epiſcopi interfuere. Anno inſequenti IX. kal. April. Decurio- ANN. CCCC num, & ſilentiariorum, ſiue magiſtratibus abdicaſſent, ſiue ad maiores aſcen- XXXII. diſſent, priuilegia, firma eſſe iuſſit: neque illis angariæ, perangariæve, aut parauere di; vt illius vtar vocabulis; imponerentur: præterea a ſordidis muneribus, excoctione calcis, & ſuperindictitiis titulis vacarent: ad Comitatum adire, præter euocatoriæ ſecuritatem: ita enim appellat Valentinianus poſſent. Haud ita multos poſt dies, Ioannes Archiepiſcopus, dum in D. Agathæ ſacra faceret, pronunciato ad populum Euangelio, cum diuinam hoſtiam ſigno crucis obſignaſſet, repente illi Angelus ex altera parte aræ adſtitit; cumq. expletis myſteriis, ſanctiſſimum Chriſti corpus accepiſſet, volens vrnam ſacram, in qua ſanguis erat, demore adminiſter porrigere, præripuit Angelus, Ioanniq. præbuit. Id omnibus ea ratione innotuit, quod vrnam viderint ſponte eleuatam ex ara. Non multo poſt, cum mortis diem ſibi imminere diuinitus cognouiſſet, eneruato inedia, ac precationibus corpore, omnibus compoſitis, ex hac vita migrauit Nonis Quinctil. non vt alii putant, & quidem falſo, vndecimo cal. Decembr. id enim eſt Ioanni Archiepiſcopo, qui in ſolitudinem Arretinam ſe abdidit, adſcribendum. Sepultus eſt in D. Agathæ, ſecus aram, vbi Angelum conſpexerat. Eius imago videbatur in eiuſdem templi teſtudine, atque etiam Vrſiani. Omittendum hoc loco minime putauerim, quod de Ioanne Rauennatum Antiſtite ſcribitur. qui tamen cum alius fuerit ab eo, cuius nunc meminimus, quo loco reponendus ſit; cũ multi huius nominis Archiepiſcopi ſint inſecuti; adhuc clam me eſt. Ferunt autem cum de more, ſacro confirmationis Chriſmate inungeret pueros hic Antiſtes in D. Vitalis templo; quod erat ignobile; eodem, quo nunc celeberrimum videtur, loco; viduam præ multitudine non potuiſſe filium, graui morbo laborantem, adhibere, vt inungeretur, Itaq. cum domum reuertentem Archiepiſcopum ipſa inſequeretur, ab ianitoribus portis excluſa, expectabat, ſi quis forte illi ad Archiepiſcopum aditum pararet. Moritur interea ſubito caſu puer; quamobrem, cum elato clamore mater vociferaretur, atq. eiularet, accurrens Archiepiſcopus, req. cognita, in ſe culpam omnem transferebat; ſtatimq. ad Deum conuerſus, petere, vt ſe quaſi inexpiabili illo ſcelere obſtrictum ne deſereret; excitaret miſericordiam, qua vti in ſupplices ſolet. Miſericors Deus affectionem animi fracti, afflicti, & proſtrati inſpiciens, virum ſanctũ conſolaturus, exanimem puerum ad vitam reuocat, quẽ ſtatim perunctũ Chriſmate, matri Archiepiſcopus reſtituit. In huius prodigii memoriam adhuc viſitur in Archiepiſcopatus domo ſacellum, quod anno a partu Virginis MDLXVIII. Iulius Feltrius ab Ruuere, Cardinalis Vrbinas, Ar

chiepiſcopus Rauennatum, in elegantem faciem reſtituit, & Tert. kal. Iun. eodē anno ſacrauit. Illi ſacello Ἁγίας, Ἀναστάσιος ob id titulum adſcriptum ferunt; atque inde in ædem Vrſianam translatum. Cum vero increbeſcente huius prodigii, ac ſanctitatis fama, Ioannes in dies celebrior haberetur, id ipſe ægreferens, ſubduxit ſe ex oculis hominum, inque Pirchiniani, Capraſiique montis alpes, contruſit; extructoque in iugo Capraſii montis, D. Mariæ Virgini templo, ab hominum frequentia ſemotus, tranquille uitam dicauerat Deo; a cœlitibuſque ſæpius viſebatur. Ferunt, cum ſibi Michael, unus ex cælitibus in Pirchiniani iugo viſus fuiſſet, templum ibidem illi erexiſſe; & apud Taurinum exædificaſſe ædem D. Solutori, Victori, & Valentino, qui Rauennæ ob Chriſti religionem trucidati fuerant. Sed hæc in obſcuritate antiquitatis ſumma verſantur, cum multi putent geminos fuiſſe hoc nomine inſignitos; alterum Archiepiſcopum, qui apud Taurinos obierit; ibidemque in D. Solutoris, quod ædificauit, templo, ſepultus, adhuc ſumma veneratione ab incolis colatur: alterum ſacerdotem, nulla dignitate Archiepiſcopatus inſignem, qui apud Arretinos vndecimo kal. Decembr. vitam cum morte commutauerit; ab illiſque ſummo in honore habeatur. Sed is mortis dies, Archiepiſcopo ab Arretinis feſtus adſcribitur. Qui autem putant, Ioannem Archiepiſcopum Eremitam factum, poſt annum ab ortu Chriſti DCCCCLXVI. cum illo anno Hugo Marinus, Aluernus, Montis Buceri Regulus Roma rediens, D. Michaeli templum, ad montem Capraſium extruxerit, aliquotque poſt annis, Silueſtro II. iubente, Ioannes hic Archiepiſcopus, & Eremita ſubſtructionibus ornauerit, ii recte, ut puto non ſcribunt, cum per ea tempora, ullus neque eſſet, neque poſtea fuerit Ioannes, Archiepiſcopus Rauennas, quem in ſolitudinem abiiſſe compertum ſit: ut inferius dicemus. Non deſunt quidam, qui poſt Ioannem hunc Archiepiſcopum Rauennatem, qui vidit Angelum, reponant in numero Archiepiſcoporum, Sulpicium. Quem tamen nullus inter Archiepiſcopos numerauit, propterea quod inuitis ſacerdotibus ſuis, ac populo, Eccleſiæ adminiſtrationem deſerens, cum pleriſque aliis Epiſcopis, atque ipſo etiam, vt fertur, Cyriaco Romano Pontifice, Vrſulam cum millibus vndecim virginibus fuerit inſecutus, interfectuſque a militibus Athilanis cum Vrſula, & ceteris, vti Vincentius in ſpeculo ſuo Hiſtorico auctor eſt. Sunt tamen qui Sulpicium, non Archiepiſcopum Rauennatem, ſed Archidiaconum, ab Archiepiſcopo, quemadmodum, & Cyriacum non Romanum Pontificem, ſed a Pontifice, Comitem illis adiunctum virginibus, affirment. Succeſſor itaque Ioannis qui vidit Angelum numeratur Petrus, Rauennas vocatus, cognomento Chryſologus, quod ea fuerit ſuauitate ſermonis, ut aureum orationis flumen funderet. Blondus hunc patria Rauennatem fuiſſe ſcribit, & Fori Cornelii Epiſcopum, ſed fallitur; cum ex Foro Cornelio, vbi natus erat, in Archiepiſcopum Rauennatem fuerit electus. Nam Rauennates cum Archiepiſcopum, vt moris erat, ab eis creatum, Romam ad Xyſtum Tertium Pontificem, qui Celeſtino ſucceſſerat, vna cum Cornelio Fori Cornelii Epiſcopo, & Legatis ſuis miſiſſent, vt confirmaretur electio; Xyſto ferunt per quietem Petrum Apoſtolum, atque Apollinarem ſe oſtendiſſe, qui medium ſibi adoleſcentem haberent, prædicerentque illum Archiepiſcopum Rauennatem, vt crearet; ab Rauennatibus electum,

non confirmaret. Quapropter cum poſtridie Rauennates adeſſent, primo reiicit, quem elegerant; iubet deinde ad ſe omnes accedere, qui illic eſſent, vt eum Archiepiſcopum faceret, quem Petrus, & Apollinaris præmonſtraſſent. Sed cum ex Rauennatibus neminem illius ſimilem fuiſſet conſpicatus, Cornelio Epiſcopo mandat, vti ſuos in medium proferat. Eminebat inter ceteros vitæ innocentia, ac doctrina Petrus, Cornelii Diaconus, qui a Cornelio ſacris initiatus, omnia ab eo paterna officia; vt ipſemet teſtatur, de D. Proiecto Epiſcopo Forocorneliano loquens, Chryſologus; ſanctaq. inſtituta acceperat. Hunc cum illius ſimilem cognouiſſet Xyſtus, quem in ſomno viderat, Archiepiſcopum Rauennatibus præficit; Rauennatibus autem id ægre ferentibus, rem omnem aperit; unde maxima reuerentia apud omnes Petro conflata eſt. Petrus inuitus, & non abſque ingenti moleſtia Archiepiſcopus factus, Rauuennam reuerſus ſumma gratulatione ab Valentiniano primum, & Galla Placidia, mox ab omnibus Rauennatibus excipitur. Ille ab eis id vnum petere dixit, vt, quando tantum oneris pro ipſorum ſalute ſubire non recuſauit, ſtuderent ipſi monitis ſuis obtemperare: præceptiſque diuinis non obſiſterent. Interea Galla Placidia Rauennæ iam D. Ioanni Euangeliſtæ templum extruxerat, iuxta Aureliani pomarium, quo loco palus aderat; ad portam, quæ Artemeduli vocabatur, ad Orientem ſolem, quò omnia pænè vetuſta Rauennatia templa obuerſa ſunt, ob eam fortaſſe cauſam, qua; vt libro Quæſtionum ad Antiochum D. Athanaſius ſcribit; templa Apoſtoli in Orientem verſa, vt ſimus Paradiſi memores, ædificarunt. miſſis qui vndique lapides elegantes ſecarent, & aptas columnas fabricarent; pauimento, teſſellato opere elaborato; in parietibus verò naufragii, votiq. hiſtoria ſimili opere picta; ad Orientem erexit teſtudinem duabus maximis innixam columnis, quas bracteato argento incruſtauit. Videbatur autem in maieſtate Deus, libellum Ioanni Euangeliſtæ porrigens, cui erat ſubſcriptum; *Sanctus Ioannes Euangeliſta*. Hinc atque inde mare vitreum, in quo duæ naues turbulenta tempeſtate, & ventorum impetu agitatæ; in altera Diuus Ioannes Placidiæ opem ferens, aderat, ſeptemque candelabra, & non nulla præterea ex iis, quæ in Apocalypſi deſcribuntur, myſteria. Aderant quoque Conſtantii, Valentiniani, Gratiani, & ceterorum eius familiæ Auguſtorum imagines; iiſque erat inſcriptum: *Galla Placidia Auguſta pro ſe, & ijs omnibus uotum ſoluit*. Erant autem hæ imagines in arcu teſtudinis ad dexteram quinque; quibus ſic erat adſcriptum: *D. Conſtantinus, D. Theodoſius, D. Arcadius, D. Honorius; Theodoſius Nep.* Ad læuam, *D. Valentinianus, D. Gratianus, D. Conſtantius, Gratianus Nep. Ioannes Nep.* Circa ſubſellia vero ad dextram in extrema parte: *DN Theodoſius, & DN Eudocia*; Ad læuam, *DN Arcadius, & DN Eudoxia Aug.* In teſtudinis templi medio, Dei imago erat pulcherrima, ſedentis in ſolio, toto templo admodum refulgens, duodecimque diuinis libris, undique obſignatis, circumſepta; ab ea, quamcunque in partem templi quis reſpiceret, inſpectabatur: cui ſic erat inſcriptum: *Sanctiſſimo, ac beatiſſimo Apoſtolo Ioanni Euangeliſtæ, Galla Placidia Auguſta cum ſuo filio Placido Valentiniano Auguſto, & filia ſua Iuſta grata Honoria Auguſta, liberationis maris uotum ſoluit*. Ipſe Chriſtus Deus apertum in manu habebat librum, in quo ſic ſcriptum erat: *Beati miſericordes, quoniam*

ANN. CCCC XXXIII.

I 3 *miſe-*

miſerebitur Deus, Videtur etiam, vti diximus, Petri Chryſologi Archiepiſcopi imago ſacra facientis, & ſtupentis ob cœlitis præſentiam, preces de ore illius accipientis. Auguſtorum, Auguſtarumq. imaginibus ſic erat inſcriptum: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, a templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem, tibi offerent Reges munera*. Nonnullæ præterea columnæ, ipſaque maxima ara, tota argenteis laminis exornata, accedebant adhæc valuulæ etiam quædam circa eam aram, ex argento; immixtis gemmis; in quarum limine ſcripta hæc legebantur: *Sancte Ioannes arca Chriſti, accepta tibi ſit oratio ſerui tui*. ſupra aram teſtudo ex præſtanti marmore; quatuor ex argento columnis ſuffulta, pendentibus vtrinq. aureis, argenteisque uaſibus; ex ipſo uero cacumine crux eminebat inter poma, & lilia. Prætermittenda argentea columba non eſt, quæ uolitare inter uaſa illa uidebatur. Id unum autem tanto operi, ac Auguſtæ religioni deeſſe putabatur, quod nihil haberetur reliquiarum D. Ioannis, quibus ara dicari more maiorum poſſet. Hæc res mirifice Auguſtæ animum angebat, & ob id ſacra inedia, ſummis precibus, ac uigiliis ſuppliciter petere, vti, ſi quid inter homines ipſius eſſet, ſuo templo daret dedicando. Barbatianum interea conſulit, petitq. quid agendum putet. Ipſe, vt erat ſumma in Deum fide, non ignorans quantum fidei, quæ eius eſt munus, tribuere Deus ſolitus ſit, conſulit in ædificato ab ſe templo, vt vigilet; Deumq. ac Apoſtolum de re illa obnixè roget. futurum enim, vt tantam animi pietatem Deus ne parui faciat: ſeq. Barbatianus in hac re Auguſtæ comitem pollicetur. Quod cum ipſa feciſſet, tertia nocte, cum ambos leuis ſomnus haberet, poſtquam preces Deo fuderant, vidit Barbatianus, cum nec penitus dormiret, nec integrè vigilaret, veneranda canicie virum, Pontificiis veſtibus candidiſſimis indutum, ac mitratum, deambulantem, & thure templum ſuffientem; cuius facies diuino ſplendore fulgens, cœleſtem lucem inferebat. Tanto prodigio commotus vir ſanctus, ſeipſum excutiens, ac plene vigilans, vix ſibiipſi in eo aſſentiebatur, quod aperte videbat: quapropter tacitis veſtigiis ſe ad Auguſtam conferens feſtinanter, ſomno excitatam de omni re commonefacit, ipſumq. Antiſtitem per templum deambulantem commonſtrans: En, inquit, hic ille eſt, cui templum dicaſti. Placidia, religionis feruore incenſa, ſe ad Euangeliſtam, qui iam ad aram maximam peruenerat, celeriter accurrens, recipit, ad pedesq. eius prouoluitur. Tum ille ex oculis elabens, ſandalium dextri pedis in Auguſtæ manibus reliquit. Ipſa voti compos, ſumma geſtiens lætitia, cum Dei benignitatem voce, & lacrymis prædicaret, rem omnem, vbi illuxit, Placido Valentiniano filio, omnibusq. Rauennatibus ordine exponit. Inde dedicatio ſumma pompa acta eſt, tertio die antequàm menſis Februarius elaberetur; cuius memoria adhæc vſq. tempora dies ille ſolennis anniuerſaria viciſſitudine celebratur.

ANN. CCCC XXXIIII. Interea Areobinda, & Aſpare Coss. Honoria Placidiæ filia ab Eugenio procuratore ſuo ſtuprata, concepit; ſtatimque re deprehenſa, cum male audiret, dedecoreq. impelleretur ad noua aduerſus occidentis Remp. molienda, Prætorio, & vrbe Rauenna pulſa, ad Theodoſium Cæſarem Auguſtum Byzantium ſe contulit. ANN. CCCC. XXVII. Tertio poſt anno, conſulatu Aetii, & Sigeuultis Valentinianus Imperator ad nuptias cum Eudoxia Theodoſii Cæſaris filia matrimonio coniungendas, Byzantium quoque profectus eſt: vbi confectis nuptiis, in Ita-

in Italiam rediens, Theſſalonicæ hyemauit; inſequentisq. anno initio Theodoſio XVI. & Fauſto Coſs. una cum uxore Rauennam ingreſſus, nuptias denuo, ſummo Rauennatum ſtudio, & magnifico apparatu, celebrauit. Nec multo poſt Barbatiani rogatu, Placidia D. Ioanni Baptiſtæ egregiam ædem, iuxta domum ſuam, extruendam cūrauit; uniuerſæ ædificationis negocio demandato, Baduario Patricio Rauennati. In eo templo Barbatianus Deo ſeruiens multis prodigiis innoteſcebat in dies magis, ac magis: ex quibus illud maxime commendatur, quo Iuliani Rauennatis nobiliſſimi viri filium, ſtrumis ita laborantem, ut ab omnibus eſſet iam deſperatus, ſanauit; cum ſacris peractis, cubiculum ingreſſus, mox ex cera emplaſtrum, imminutumque panem cum oleo mixtum, vlceribus impoſuiſſet, ſignoq. crucis obſignauiſſet. Repente enim diſruptis illis, vermes egreſſi ſunt, & puer ingenti miraculo in ſanitatem reſtitutus. Pari fœlicitate, ac prodigio Theodoram primariam mulierem refractario ſanguinis fluxu ad deſperationem laborantem, ſanauit: cum enim uir ſanctus deductus ad eam, in qua expreſſa mortis effigies uidebatur, eam intuens dixiſſet; Chriſtus, qui hoc morbi genere laborantem liberauit mulierem, te ſanet; quamobrem eius nomine tibi prædico, ſurge, & ambula; Theodora ſtatim ad ſanitatem reducta eſt. cuius beneficii magnitudine commota, frequens deinde uirum ſanctum conueniebat ab eoque de Chriſti religione docebatur. Verum Vrſicius Theodoræ maritus in tantum ob id Zelotypiæ cæco furore exarſit, ut quadam die ſub auroram in Barbatianum, qui orabat in templo Deum, diſtricto enſe impetum fecerit; ſed continuo aruit manus, immobiliſque permanens, viro ſancto orante, Deus illi reſtituit ſanitatem. Per idem tempus Petrus Archiepiſcopus ad Eccleſiæ adminiſtrationem conuerſus, Tricollim aggreſſus eſt; quod ædificium ad trium collium ſimulacrum extructum, ſacerdotibus Vrſiani templi, ſtationem tutam, aſſiduamq. præbebat. Id à ſucceſſoribus admirabili ædificatione abſolutum, nunc non extat. Eius uicem reddunt horti, qui circa Vrſianam ædem conſpiciuntur. Templum præterea ſacrauit, quod D. Ioanni Baptiſtæ Baduarius, iuſſu Placidiæ, ædificauerat. Cumq. Placidia Ariminum ſe contuliſſet, incumbens in ædificationem templi D. Stephano, haud procul ab vrbis mœnibus dicati, incidiſſetque Barbatianus in leuem quidem morbum, ſed pertinacem, qui illi poſtremus fuit, Petrus certiorem fecit Placidiam, quæ omnibus repente relictis, Rauennam conuolauit: ubi non multo poſt Barbatianus tranquillè, & placidè animam exhalauit. Ab Petro Archiepiſcopo ablutus, & unguentis conditus, ſepultus eſt, pridie kal. Ianuar. in monumento iuxta aram maximam D. Ioannis Baptiſtæ, Temporum ſucceſſu, cum eius nomini erectum fuiſſet templum, haud procul ab D. Zachariæ, illuc cadauer importatum fuit. Ceterum tandem corruente templo, ac potius ædicula, in Vrſianam ædem eſt tranſlatum. Non deerat interea Valentinianus, quin omnem operam, conſiliumq. ad Imperii prouincias conſtituendas conferret, matre præſertim Placidia, ad æquum, rectumq. aſſiduè hortante. Itaque Theodoſio Aug. XVIII. & Albino Conſulibus, qui annus a partu Virginis numeratur quadrageſimus quartus, ſupra quadringenteſimum, legem Rauennæ Tert. Id. Septembr. tulit, qua cauebatur, ne uxor, uiro mortuo, fructus, quos, conſtante matrimonio, expenſos conſtaret, a communibus filiis repetere, hære-

ANN. CCCC XXXVIII.

ANN. CCCC XLIIII.

hæredibusve poſſet. Idem uiro, mortua uxore, interdiceretur. Aliquot poſt annis Valentinianus Romæ fuit. Cum uerò per hæc tempora Hunnorum Rex Athila, Bleda fratre interfecto, Theodoſio, ac Valentiniano Imperatoribus acerrimè minitaretur, & iam in citeriorem Datiam impetum feciſſet, Theodoſio de pace ad eum legatos mittente, ipſe quoque Valentinianus ad pacem petendam oratores miſit Carpilionem, Aetii patricii filium, & Caſſiodorum, Caſſiodori ſenatoris Rauennatis auum, qui modo mollioribus uerbis illi obſequens, nunc aſperioribus ſeſe aduerſum conſtituens, & rationibus illius refellendis, & uiribus, ac potentia Valentiniani exaggeranda, fecit, ut quamquam Athilæ, pacem non habere, utile erat, loco tamen gratiæ duceret, ab armis diſcedere. Poſtero anno, qui fuit quadrageſimus Octauus ſupra quadringenteſimum, Valentinianus cum a Theodoſio Auguſto, Nouarum uolumen conſtitutionum, quas ad ſuum codicem adiici, & Nouellas appellari uoluit, accepiſſet, eas Nonis Mai. Rauennæ, Albino Præfecto Prætorio, patricioq. obſeruandas, mandauit. Acceſſit Rauennam ad Valentinianum hoc tempore, Germanus Altiſiodorenſis Antiſtes; ut Armoricis, Gallis populis, qui ab Imperatore defecerant, ueniam impetraret; eximia uir ſanctitate; ab eo, Placidiaq. matre, & Rauennatibus; quamquam nocte ingrederetur, ut obuios uitaret; honorifice exceptus. Vbi cum in argenteo uaſe ad eum miſiſſet aliquando Placidia lautiſſimos cibos, quibus cœnaret, ita munus accepit, ut ſeruis præbuerit cibos, uas argenteum apud ſe uoluerit eſſe, egenis uiris diſtribuendum: Ipſe Placidiæ panem ex hordeo in ſcutella lignea remiſit: quod illa uiri ſancti munus, uenerabunda, acceptum, ſumma ſemper apud ſe ueneratione habuit, ſcutellamq. ligneam auro circundedit. Cum uerò ſemel ad cœnam Germanum inuitaſſet, ille benignè aſſenſus, uectus aſello, ob id, quod uix pedem mouere poſſet, confectus inedia, ac caſtigationibus corporis, contigit uti Aſellus, qui nihilo, quàm Germanus, firmiori ualetudine erat, inter cœnandum moreretur. Quod cum reſciuiſſet Placidia, iuſſit generoſum equum, maximæ manſuetudinis adduci: ſed Germanus, cum ſuum ſe aſinum uelle diceret, peteretq. uti ſibi locus, in quo cadauer eſſet, indicaretur; ad illum perductus, ſurge, inquit, reuertamur ad hoſpitium: ſtatimque aſellus, & rediuiuus ſurrexit, & Germanum reuexit, unde diſceſſerat. Dum autem Rauennæ Germanus manſit, multos ægros ad priſtinam ualetudinem reuocauit: Inſignia uerò illa, quòd Acholii Eunuchi, præpoſiti ſacri cubiculi alumnum, maligni ſpiritus uexatione liberauit, & Voluſiani filium, qui Sigeuultis patricii cancellis præerat, ad depellendum febrim accitus, cum mortuum inueniſſet, uitæ reſtituit. Verùm non multo poſt Germanus, multo ante ab ſe præmiſam, atque prænunciatam mortem, Rauennæ, cum uita commutauit, pridie kal. Auguſti, ſeptimo poſtquam laborare ex febre cœperat die, cum illum Placidia ægrotantem inuiſiſſet, atque aſſidue Rauennates, die, noctuq. officii cauſa, domum complerent. Eius cadauer à Petro Chryſologo, Rauennatum Archiepiſcopo ita conditum, ut in Galliam importari; quemadmodum moriens Germanus a Placidia petierat, poſſet: quod & Valentinianus curauit faciendũ. Petrus uiri ſancti cucullam, & cilicium ſibi habuit, ac ne quid pius hæres ex inteſtati bonis non poſſideret, ſibi uendicauit. Placidia capſulam cum ſanctis reliquiis ſibi aſciuit: ſex Antiſtites, qui aderant, & perpetuo

ANN. CCCC XLVIII.

petuo ipſi, dum Rauennæ fuit, aſſidebant, unus pallium, alter cingulum, duo tunicam, duo ſagulum aſſumpſerunt. Acholius præterea aromatibus corpus condiuit, Placidia ueſtiuit, Valentinianus comites, qui proſequerentur, attribuit. Poſtero anno XV. kal. Iul. Acturio, & Protogene conſulibus Rauennæ, ANN. CCCC XLIX. ſcriptis ad Firminum Præfectum Prætorio litteris, de triginta annorum præſcriptione, omnibus cauſis opponenda, ſanxit. & Tert. Id. Sept. ad Opilionem, Magiſtrum officiorum, de Principe Agentium in rebus, edixit, ne eo inconſulto primores deſignati officii, quicquam uſurparent, neque Præfectianus aliquis, ſuæ militiæ ſacramenta præſumeret, neque albo, eo inſciente, diſſentienteve, eximeretur: Quando enim huiuſmodi, ad obſequia Præfecturæ Prætorianæ, poſt innumera diſcrimina, & contrito opportuniore ætatis tempore, peruenerat, *debebat, plurimis remedijs*, inquit Valentinianus, *adiuuari quem nouerat, ut ad illud ueniret: plurima pericula ſuſtinere.* Paulo poſt, Romam cum Placidia matre, & Eudoxia coniuge profectus, poſtridie, quam vrbem iniit, inſigni pompa, ad uenerandam toto orbe D. Petri baſilicam, vna cum eiſdem, proceſſit. Illis Leo Pont. Max. & Epiſcopi, qui Romæ, Leonis accitu ex Italia conuenerant, ut de Epheſino, quod tunc, a Theodoſio Cæſare indictum, habebatur, conuentu, tractaretur, occurrerunt. Precibus autem ad Deum fuſis, ueneratoq. ab Auguſtis D. Petri ſepulcro, primiſq. habitis inter ſe uerbis, ſummis ab eis precibus, Epiſcopi, & lacrymis cõtenderunt, agerent cũ Theodoſio, ut fides à maioribus tradita, ac paulo ante Epheſino illo Conuentu firmata, conſeruaretur. Flauianuſq. Conſtantinopolitanus Antiſtes, ac ceteri Epiſcopi iniuſte damnati, reſtituerentur. Valentinianus, & Auguſtæ, id ſe libenter facturos prolixe polliciti, re ipſa, quod polliciti ſunt, præſtiterunt, iis litteris, quæ adhuc extant. Quibus tamen Theodoſius haud recte reſpondit, quia cum ingenti ſuo dedecore, Concilium alterum Epheſinum foueret prædatorium ob eam cauſam appellatum, quod Eutyches hæreticus abſolutus in eo fuerit, Epiſcopi autem Catholici damnati; Dioſcoro Epiſcopo Alexandrino, Eutychiana labe infecto, rem totam pro ſua libidine adminiſtrante; & Hilarius Leonis Pont. Max. legatus, ne uim aliquam pateretur, inde ſe Romam recepiſſet. Cur autem Placidia tam ſæpe Romam adiret, ſuis ipſa ad Pulcheriam Auguſtam litteris teſtatur, cum ait, *Vt Romam frequentibus concurſibus adæque deſideremus inſpicere, cauſa nobis eſt amplectenda religionis, ut terminis ſanctorum, noſtram exhiberemus præſentiam, quos certum eſt, pro ſua uirtute, in cæleſtibus conſtitutos, neque inferiora diſpicere. Nos itaque ſacrilegium eſſe credimus, ſi ſolemnium ordinem denegemus.* Hæc Placidia. Erant autem omnes, non Romæ ſolum, ſed ubique, in rebus Diuinis maximè frequentes, & ſacris aſſidue cerimoniis intererant. Itaque cum Rauennæ conſecraretur Epiſcopus, qui in ſolemni ea pompa concionem habuit, Chryſologus, *Orate*, inquit, *fratres ut Chriſtiani Principes, qui pia deuotione dignantur noſtris occurrere gaudijs, noſtris ſolemnitatibus intereſſe, ipſos quoque pari gratia omnium ſacerdotum, longo in tempore, obſecratio deuota commendet.* Theodoſius Auguſtus breui poſt, uita decedens, ſucceſſorem habuit Martianum, Catholicæ pietatis ſtudio incenſum. Interea Petrus Chryſologus, Archiepiſcopus Rauennas ædificationi intentus, in Claſſe extruxit mirabilis magnitudinis fontem, duplici alto muro excitato. Diuo etiam Andreæ Apoſtolo, iuxta Vrſianam ædem,

haud

haud procul ab Poſterula, quam Vincilionis appellant, ædificauit egregium templum, ligneis tamen columnis ſuffultum: ſupra ualuas, eius imago, Emblematico, uermiculatoq. opere conſpiciebatur, his adiectis carminibus, quæ quamquam interrupta ob antiquitatem, & conciſa, tamen ut certiores teſtes huic ſubſtructionis accedant, ex Andrea Agnello, qualiacumq. ſint, adſcribere hic placuit.

Aut lux hic nata eſt, aut capta hic libera regnat,
Lex eſt, ante venit cœli decus vnde modernum:
Aut priuata diem pepererе tecta nitentem,
Incluſumq. iubar, ſecluſo fulget Olimpo.
Marmora cum radijs vernantur, cerne, ſerenis,
Cunctaq. ſydereo . . . . in mirice ſaxa.
Auctoris pretio ſplendeſcunt munera Petri:
Huic honor, huic meritum, tribuit ſic condere parua,
Vt valeant ſpatijs, amplum ſuperare coactis.
Nil modicum Chriſto eſt, arctas benè poſsidet ædes,
Cuius inhumano conſiſtunt pectore templa.
Fundamenta Petrus, Petrus fundator, & aula.
Quod domus, hoc dominus, quod factum, factor & idem,
Moribus, atque opere Chriſtus poſſeſſor habetur,
Qui duo conſocians, mediator, reddit & vnum.
Huc veniens, fundat pariturοs gaudia fletus,
Contritam ſolidans percuſſo in pectore mentem.
Ne iaceat, ſe ſternat humo, morbosq. latentes
Ante pedes medici, cura properante, recludat.
Sæpe metus mortis, vitæ fit cauſa beatæ.

Cum autem in iis carminibus, pateat, medici nomine, mentionem de ſacerdote fieri, qui uetuſtiſſimo ritu, Chriſtianos in templo peccata illi ſecretò confitentes expiaret, & pro qualitate criminis, piaculum præſcriberet, illud etiam conſtat falſum eſſe, quòd ſcribunt Socrates, & Sozomenus, Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, paulo ante id tempus, ſacerdotes huiuſmodi pœnitentibus addictos, ita a ſua Eccleſia remouiſſe, ut illum omnium ferme Eccleſiarum Præſules imitati ſint: neq. id Eccleſiæ fuiſſe uiſum, ut ait Socrates. Sed aut ab ipſis, id, ut Nouatianis fauerent, confictum, aut a Nouatiano quopiam additum: præſertim cum neq. grauiſſimi, ac diligentiſſimi eorum temporum ſcriptores DD. Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, quidquam de tantæ mutatione rei ſcripſerint. Vt uero ex Chryſologi concionibus cognoſci poteſt, Rauennæ, ludi hoc tempore fieri a pleriſque, quotannis, kal. Ianuar. conſueuerunt, quibus homines commentitiorum Deorum ſimulacra; quos ſtultiſſime coluit, ante Chriſti Dei aduentum, antiquitas; perſonam induti, curſitabant per urbem, idq. eo geſtu, ac modo, ut quæ de illorum inceſtibus, adulteriis, & ceteris improbè actis tradita ſunt, ea ferè omnia, uiderentur ſub oculis poni. In hos acerrima inuectus concione Chryſologus Archiepiſcopus, *Chriſti*, inquit, *exuti ſunt indumentum, qui ſe ſimulacrorum formis ſacrilegis formauerunt. Sed dicet aliquis, non ſunt hæc ſacrilegiorum ſtudia, uota*

ſunt

ſunt hæc iocorum, & hoc eſſe nouitatis lætitiam, non uetuſtatis errorem, eſſe hoc anni principium, non gentilitatis offenſam. Erras homo: non ſunt hæc ludicra, ſunt crimina. Quis de impietate ludit? de ſacrilegio, quis iocatur? piaculum, quis dicit riſum? ſatis ſe decipit, qui ſic ſentit. tyrannus eſt, tyranni habitum qui præſumit. Qui ſe Deum facit, Deo uero contradictor exiſtit. Imaginem Dei portare noluit, qui Idoli uoluerit portare perſonam: Qui iocari uoluerit cum Diabolo, non poterit gaudere cum Chriſto: Nemo cum ſerpente ſecurus ludit, nemo cum Diabolo iocatur impune. Hæc Chryſologus, quæ in hunc locum libenter tranſtulimus, quod, aliqua ex parte, noſtri ſæculi ineptiis, cum perſonati incedunt homines, accommodari poſſe uideantur. Magnopere autem hortatus eſt, ſanctiſſimus Archiepiſcopus, ut neque etiam aſſentiretur quis, facientibus, & pater, filium, ſeruum dominus, cognatus cognatum, ciuem ciuis, homo hominem, Chriſtianus, Chriſtianum, ab impio illo uſu, qui falſorum Deorum cultum redolebat, abduceret. Conſueuerant enim, qui uerum Deum ignorabant, fictos, & impios colebant, illum ipſum kal. Ianuar. diem omni luxu, ac ſuperſtitione, ſtrenis dandis, præbendo epulo, ſaltationibus, & ceteris huiuſmodi, fœdare. Quamquam ludos illos, quos diximus Rauennæ fieri ſolitos, toto ferè orbe Chriſtiano, hoc tempore fieri etiam conſueſſe, declarant Diuorum Ambroſii, & Maximi, & Auguſtini, in eum deprauatum uſum, conciones, & ipſius inſtitutum Eccleſiæ, quæ ut iis, remedio contrario, occurreret, epulo, ſacram, hoc die, inediam, curſitationi per urbem, concurſum ad templa; tridui ſupplicationes, ſaltationibus oppoſuerat. Interim cum Entyches Byzantius, Abbas, factioſorum ope, diſſeminaret falſam doctrinam, aſſeuerans, in Chriſto, Diuinam naturam, cum humana in idem receſiſſe, Leoq. Pontifex, qui Xyſto ſucceſſerat, tercentorum & ſexaginta Epiſcoporum ad Chalcedonem conuocato Concilio, eam peſtem reſtinguendam ſumma ope niteretur, Petrum Chryſologum iuſſit ad Concilium aduerſus Eutychen, quæ uiderentur, ſcribere. Quod Petrus, litteris etiã, quas ad eum Eutyches dederat, excitatus, fecit adeo luculenter, grauiterq. & pie, ut ad hanc ætatẽ, eas litteras, quæ extant, uiri omnes docti mirentur, & primo loco habeant Paulo ante id tẽpus, Placidia religioni admodum intenta, ſanctiſſimæ Cruci templũ exædificauit; dicauitq. haud procul ab eo, quod iiſdem diebus, Syngledia, Placidiæ neptis D. Zachariæ erexit. Diuis etiam Nazario, ac Celſo elegantiſſimam extruxit ædiculam, in qua ſepeliri uoluit, ab Crucis haud procul: parietes præclaro marmore vndique incruſtati pauimentum, ipſaq. ædiculæ teſtudo, uermiculato opere pulcherrime exornata. His abſolutis; nam omnibus non ſolum interfuit, ſed præfuit; Chryſologus, cum imminere ſibi extremum uitæ diem diuinitus intelligeret, decimumq. iam & octauum annum Rauennati Eccleſiæ præfuiſſet, contulit ſe ad Forum Cornelii: cuius Eccleſiæ quo amore flagraret, ipſemet teſtatur, cum ait. *Omnibus quidem Eccleſiis uenerationem debere me profiteor, & fideliſſimam ſeruitutem. ſed Cornelienſi Eccleſia inſeruire peculiarius ipſius nominis amore compellor. Cornelius namque memoriæ beatiſſimæ, uita clarus, cunctis uirtutum titulis ubiq. fulgens, operum magnitudine notus vniuerſis, pater mihi fuit: ipſe me per Euangelium genuit: ipſe pius, piiſſime nutriuit: ipſe ſanctus, ſancta inſtituit ſeruitute: ipſe Pontifex, ſacris obtulit, & conſecrauit altaribus: & ideo mihi carum, colendum, mirabile Cornelii nomen. Amor ergo cognominis, me compellit, Cornelienſis*

ſis Eccleſia deſiderijs deſideranter occurrere. Ibi D.Caſſiani martyris templum ingreſſus, Cratere aureo, patera argentea, Diademate aureo magno, gemmis diſtiˉcto clariſſimis, muneribus, tributis, atq. aræ maximæ impoſitis Deum precatus, atque ipſum Caſſianum martyrem, qui benignè eius animam exciperent, hortatusq. Rauennates, qui illum fuerant inſecuti, ut in deligendo optimo paſtore inuigilarent, nec diſcederent ab Diuinis mandatis, Pontifice adhuc Leone primo placidè, ac tranquillè ex hac uita migrauit Tertio Non. Decembr. annum Domini circiter quinquageſimum ſupra quadringenteſimum. Sepultus eſt ibidem iuxta aram D.Caſſiani, ubi & nunc quieſcit: Eius tamen brachium auro, ac gemmis ornatū, in Vrſiana æde ueneramur. Inter alia, quæ reliquit, doctrinæ monumenta, eius ad populum conciones, diuino ſpiritu, & eximia pietate, religioneq. illuſtres ab omnibus bonis, & doctis iudicantur. Communi omnium conſenſu in Diuos relatus eſt, eiq. anniuerſarii honores eodem die ob id decreti. Quo fit, ut neſciam, qua nonnulli auctoritate ducti, illum Quarto Non. adſcribant, cum in Rauennati Eccleſia tert. Non. perpetuo fuerit is dies celebris habitus, atque in omnibus, quos uiderim, manuſcriptis codicibus, ita legatur. Scio hic pleroſque non defuturos, quibus mirum, ac fortaſſe falſum uideatur, Chryſologi uitam ad Symmachum Pont. Max. me non producere, cum non ſolum penes Agnellum, ac Ferrettum, Rauennates ſcriptores, ſed apud exteros etiam, poſſit colligi, ad quingenteſimum a partu Virginis annum perueniſſe, Concilioq. Symmachi Pont. interfuiſſe, & ſubſcripſiſſe. Sed ii, ut initium recte adſcribunt, ita in fine, ut puto, falluntur. De initio, omnium ſententia eſt receptum, Chryſologum Gallæ Placidiæ, ac Valentiniani Cæſaris tempore uixiſſe: nam & Barbatiano tumulum compoſuit, & Germani cadauer condiuit, cucullamq. accepit. Cur autem ad Symmachi tempora illum perueniſſe minus putem, facit, quòd inueniam Leonem primum ſummum Pontificem, Neoni Archiepiſcopo Rauennatum ſcribentem: & Simplicium primum, Ioannem, Rauennatem item Archiepiſcopum corripientem, qui Gregorium, Mutinenſem Epiſcopum fecerit inuitum. Hi autem Romani Pontifices, cum inter Xyſtum Tertium, a quo Chryſologus, Archiepiſcopus factus eſt, & Symmachum, uixerint, dubio procul alium eſſe Petrum fateamur neceſſe eſt, qui Symmachi Concilio interfuit, ab hoc Chryſologo: Neonemq. & Ioannem ſecundum, inter hoſce duos Petros interciſſe. Quæ omnia eo etiam confirmantur, quod inter hæc tempora, Odoacris, & Theoderici fœdus incidit, quod Ioannis Archiepiſcopi opera factum, omnes teſtantur: Quod tamen, ſi Agnellum ſequeremur, Petro Chryſologo, contra omnium ſententiam, ferendum acceptum eſſet. Illud præterea mirari non deſino, quod Agnellus, nominis deceptus ſimilitudine, eundem Ioannem Archiepiſcopum fuiſſe putet, qui Angelum uiderit, fueritq. a Valentiniano, pallio, & reliquis muneribus affectus, cum hoc ſecundo, quem Athilæ obuiam proceſſiſſe narrabimus: cum inter Valentiniani, & Athilæ tempora, de Petro Chryſologo, & Neone geſta habeantur. Quod verò de Agnello dixi, idem de Ioanne Petro Ferretto, qui Agnellum ad uerbum deſcripſit, deq. ceteris dictum uelim, qui cum hæc non animaduerterint, quaſi fecerunt, ut ipſe quoque eorum auctoritate motus, cum illis errare decreuerim, ſed, conſcientia tandem deterritus, ab illis ſic diſſenſi, ut iis, qui legerint, omne iudicium relinquam.

ANN. CCCCL.

relinquam. Mihi quidem, multa ac multum legenti, aſſidueq. uetera hæc repetenti, ſic tandem eſt uiſum. Satis autem conſtat, litteras a Leone Pont. Max. ad Neonem Archiepiſcopum ſcriptas, nono kal. Aug. Martiano Aug. conſule, qui eſt a partu Virginis annus quinquageſimus primus, ſupra quadringenteſimum: quo fit ut iam neceſſe ſit, è uita exceſſiſſe Chryſologum. Genere orationis uſus eſt Chryſologus, planè, ut uerbum exprimit, aureo, non tam ſententiis utilibus, ac neceſſariis frequentato, quam uerbis uolucri, atque incitato, cum ſumma grauitate coniuncto: ſtudio interdum pietatis adeo flagrans, ut cum acerrimus eſſet in dicendo, & furore quaſi raperetur Diuino, in ipſo tamen ardore dicendi, uox illi extingueretur: Quod in ea maximè concione contigit, qua de muliere fluxu ſanguinis laborante dicebat. Quo loco facile potuit cognoſci, quantopere a Rauennatibus amaretur, quando hoc caſu Archiepiſcopi, uehementer omnes commoti ſunt, inſignemq. beneuolentiam; ut ipſiuſmet, qui hæc ſcribit, Chryſologi, uerbis utar; *pallor omnium prodidit, teſtatus clamor, oſtenderunt lacrimæ, oratio offuſa monſtrauit*: ita ut gratias Deo ſuo ageret, qui illi in amoris lucrum, uerterit damnum ſermonis. Quamquam haud ita diu poſt, de ſilentio D. Zachariæ diſſerens, qui dum ſummi ſacerdotii munus impleret, obmutuit. *Videtis ergo*, inquit, *quia ſilentium meum, quod antea contriſtauit nos, uenit de antiquo pontificali uſu non de nouitatis incurſu*. Floruit etiam hoc tempore Marcellinus, Epiſcopus Vicohauentinus, ab D. Petro Chryſologo, Rauennæ, ipſis Domini natalitiis conſecratus, tanta omnium lætitia, ut unus Marcellinus, eo die, ut ipſe inquit Chryſologus, uernaculi partus, totum rapuerit, & conquiſiuerit affectum. Fuiſſe autem Rauennati Eccleſiæ ſubiectum, inde cognoſci facile poteſt, quòd eum Rauennatis Eccleſiæ filium appellat, cum ſuam, in tanti diei celebritate, concionē, ita Chryſologus exorditur. *Omnium quidem rerum primordia ſunt dura, ſed duriora ſunt omnibus primordia generantis. Sancta Eccleſia Rauennas, ut primum pareret, uim fecit, angores pertulit, ſenſit dolores.* Horū æqualis fuit Proiectus Epiſcopus Foro Cornelianus, a Chryſologo itē conſecratus, & in concione laudatus. Petro Chryſologo uita functo, Neon ſubrogatus eſt, quē Leo Pont. Max. cuius ad Neonem extant; ut diximus, litteræ, confirmauit. Illis autem litteris Leo, Neonem docet Concilii nuper habiti ſententiam, qua decretum fuerat, ut iis, qui capti ab hoſtibus, ea ætate, qua cognoſcere non potuerunt, ſacra'ne vnda baptiſmatis eſſent abluti, cum domum rediiſſent, nihilq. eius rei meminiſſent, impartiri baptiſma poſſet: ſi modo, qui ablutos illos fuiſſe, aſſereret, ſupereſſet nemo. Summa alacritate Archiepiſcopatum aggreſſus Neon, ædificauit D. Petro templum, quod maius uocant, eo loco ubi Neptuni Fanum fuiſſe memorauimus: iuxta Brachium forte: cui id nominis propterea fuit, quod ibi Chriſti Dei imago uerenda admodum conſpiciatur, & utrimq. Petrus, ac Paulus Apoſtoli: de qua in annalibus Rauennatibus mira legebantur, D. Petri templo, cū nunc incolatur ab Franciſcanis, D. Franciſci titulus eſt. Antea tamen ſacerdotes non cuculati, certis, conſtitutis uectigalibus, rem ibi diuinam faciebant. Sunt tamen, qui ſcribant, D Petri maioris templum a Petro Chryſologo inceptum, Neonem abſoluiſſe: ſic ut cœpti operis laus, Chryſologū; abſoluti, Neonem attingat. Propè Vrſianum templum. D. Ioanni Baptiſtæ ædiculam erexit; ad fontes uocatam; quòd ibi unda ſalutari baptiſmatis omnes abluerentur; emblematicoq. opere elegantiſſime pingēdam curauit his additis carminibus.

ANN. CCCC LI.

K Cede

Cede uetus nomen, nouitati cede uetuſtas,
Pulchrius ecce nitet renouati gloria fontis
Magnanimus hunc namque Neon, ſummusq. ſacerdos,
Excoluit, pulchro componens omnia cultu.

Quibus uerſibus, cum renouatum fontem dicat, excultumq. patere uidetur, eam ædiculam Neonem potius reſtituiſſe, quam nouam a fundamentis excitaſſe. Hæc extat adhuc, eodemq. uſu Eccleſiæ Rauennati inſeruit. Tricollim, in qua ſacerdotes, canonicos uocant, habitarent, maximam partem auxit. Tandē, tertio Archiepiſcopatus anno, Leone adhuc ſummo Pontifice, Quarto Id. Feb. moritur. Sepultus in D. Petri, quod extruxerat; in cuius teſtudine ipſius imago emblematice picta uidebatur, cui ſic erat inſcriptum: *Dominus Neon ſeneſcat nobis.* Inſequentibus annis eius cadauer in brachium forte importatū ferunt. Succedit in Archiepiſcopatū Ioannes hoc nomine ſecundus, qui undique, & uniuerſali temporum calamitate, & propriis miſeriis, atque incommodis male affectus fuit. Nam hac tempeſtate Athila Hunnorum Rex, adiunctis Herulorum, Alanorum, Gepidarum, & Turcilingorū copiis, in Gallias tranſgreſſus, quamquam ab Aetio Romano Duce, apud Toloſam in campis Catalaunicis, maxima clade ſuperatus eſt; illi tamen haud ita diu poſt animus denuo rediit, euocatisq. ad colloquiū, apud Curtam, quam hodie uocamus Budam, barbaris Regibus, hortatus eſt uehementer, Italiæ prouinciam uti aggredi ſecum uellent; cui cum multis de cauſis eſſent aſſenſi, omnem penè Aquilonem ſecū trahens, per Aquileienſem regionem in Italiam iter parat. Aduentu adeo ferocis Tyranni, potētisq. exercitus, ita animi Italorum deterriti ſunt, qui præſertim Venetiam incolebāt, ut relictis omnes nobilioribus ciuitatibus, in uicinas Adriatici ſinus inſulas ſeſe receperint. atq. hinc præcipua eius urbis origo fuit, quam nunc ingenti prodigio poſt mille & centū amplius annos, rebus, uirtutibusq. omnibus florentem uidemus; antiquoq. uocabulo regionis, appellamus Venetias. neq. uero, quod pleriq. ſcribunt, uerum eſt, aut uerſimile, eius initiū ab oſcuris, infimæq. plebiculæ hominibus ductum; cum non ii, ſed quos nobilitas, & fortunarum amplitudo Athilano furori maxime ſubieciſſet, propriæ ſaluti conſulerent. Athila procedens in dies, Concordia primum ferro, igniq. euerſa, mox Opitergio, Altino; quæ urbs antea ad Rauennæ ſpeciem tota inter paludes erat, tunc tota fere in continentē redacta; Patauio, & Vicetia pari clade occupatis, Aquileiam obſiſtentem exercitu circumſedit. Longum eſſet, ac noſtro ab inſtituto alienum, eius obſidionis acta conſcribere. Illud non omittendum, per totum tempus, dum Aquileia obſeſſa fuit; quod pleriq. trium annorum, alii tres æſtates fuiſſe ſcribunt; Valentinianum Rauennæ commoratum: tranſmiſiſſe reliquis urbibus obſeſſis, Aquileiæ præſertim, ſubſidia. Rauennam autem ipſe firma, egregiaq. munitione confirmauit. Sed Athila, Aquileia tandem capta, Mantuaq. & Brixia, Cremona, Bergomo, & compluribus urbibus præterea ferro miſerabiliter cruentatis, ac demolitis, Rauennam, ductus nobilitate urbis, profectus eſt. De qua re, Ricobaldus Ferrarienſis, Rauennatis Eccleſiæ Canonicus Cardinalis, grauiſſimus hiſtoriarū ſcriptor, eo libro, quem Pomeriū inſcripſit, In aduentu Athilæ, inquit, de Rauenna ſic legi in cōmentario Pontificio eius vrbis. Rauennæ Athila hoc pacto pepercit; Ioannes urbis illius Epiſcopus, ſacris uiris comitatus, ueſtibus ſacris indutus, in albeſcente cœlo, extra urbem ad Athilam obſidentē peruenit; orauitq. urbi &

& ciuibus ut parceret. Rex, audita uiri ſancti poſtulatione, Deo ſic animum inclinante, ac flectente, ſe ſine maleficio quidem, reſpondit, ſed deiectis tamen in terram poſtibus, ab exercituq. & equis conculcatis, ingreſſurum; ne forte Rauennates ſuis id uiribus, aut conſilio adſcriberent. Eam conditionem libenter Ioannes, & Rauennates ſunt amplexi; Athilæq. aditum permiſere; qui nihil contra fidem perpetrans, mediam per urbem tranſiit. Mox pari calamitate, atque Aquileiam, & reliquas ſuperiores urbes affecerat, deuaſtatis Ticino, Placentia, Parma, ſuperato Apennino in Etruriam ſe confert, Romam profecturus: ſed aruſpicibus monentibus, uti exemplo Alarici, qui Roma capta, non multo poſt interiit, eam urbem caueret, in Galliam reflectit iter. Incertus tamen animi, ſibi dedecori eſſe putans, quod inani ſuperſtitione ab ſempiterna gloria nobiliſſimæ urbis abduceretur, ſuſpenſis itineribus ſubſtitit. Quæ cum eſſent Valentiniano renunciata, qui ad rumorem aduentantis Barbari, Rauenna profectus, Romam confugerat, Leonem Pontificem, uti ad Regem adeat, hortatur, petatq. abſtinere ab ea urbe, quam religionis Chriſtianæ caput Deus conſtituerit. Rauennatis Archiepiſcopi exemplum animos addebat. Itaque Leo multis, ſed Aurelio præſertim candido Rauennate, ſcriba ſuo comitatus, Athilam ad Mincium adhibet, perſuadetq. ne ulterius progrediatur; quod & fecit Athila. Ducibus uero ſuis tantam clementiam, qua bis præter morem uſus fuerat, admirantibus, reſpondit, Rauennatem Archiepiſcopum ſibi cælitem uiſum fuiſſe; dum uero ſe Leo Pont. colloqueretur, duos ſupra illius caput ſibi uiſos homines, qui diſtrictis gladiis, niſi pareret, mortem minarentur. Nec multo poſt in Pannonias reuerſus, cui ibidem exiſtenti, Honoria Valentiniani ſoror, per Eunuchum ſignificauit, cupere ſe uxorem eius fieri: quapropter efficeret, ut ab Valentiniano fratre, aut uolente, aut inuito, id impetraret. Quod cum multis modis Athila tentaſſet, omninoque ſeſe pararet ad rem efficiendam, noctu repente ex profluuio ſanguinis de naribus moritur, cum ad multas uxores, quas habebat, aliam adoleſcentulam adiunxiſſet; quam tamen pleriq. Honoriam falſo putant, ab Valentiniano traditam: annum domini circiter quadringenteſimum quinquageſimum quartum. Eius equeſtre ſimulacrum e marmore, auorum noſtrorum ætate, iuxta ædem Vrſianam, barba caprina, magno capite, paruis oculis, lato pectore, uiſebatur; ſed illud Hieronymus Donatus, patricius Venetus, quo tempore fuit Rauennæ Præſes, *Venetias exportauit*. Quod & ab aliis Venetis, de pleriſque aliis uetuſtis, marmoribus factum eſt: Nam qui in D. Mariæ ad miracula, Venetiis, ſubter Organa Muſica, è marmore, pueri extant, illi, & Rauenna deducti; & Praxitelis, opificis nobilis, & uetuſtiſſimi, opus ſunt. Quod conſtans fama, & egregiorum artificum iudicium teſtatur. Hic idem annus, Aetii patricii; qui magna Occidentalis Reipublicæ ſalus, & Regis Athilæ terror fuerat, interitu, inſignis eſt habitus. Is Valentiniani iuſſu, ſeu ut Caſſiodorus, & Marcellinus comes, memoriæ prodiderunt, ipſa manu Valentiniani, Romæ, in Prætorio, una cum Boetio amico, Præfecto Prætorii, trucidatur, Aetio ipſo, & Studio conſulibus. Necis cauſa fuiſſe ſcribitur Petronius Maximus, qui dum Valentiniani molitur necem, nec illum ſe, uiuente Aetio, ſine certo periculo conſequi poſſe, intelligeret, Valentiniano perſuaſerat, Aetium, rebus geſtis inflatum, nouas res in Gallia meditari. In Aetii locum Valentinianus Ricimerem Sueuum, magi-

ANN. CCCC LIV.

ſtrum militum ſuffecit. Per hæc tempora Leo. Pont. Max. ut ex D. Gregorii Magni Pont. Max. diplomate colligitur, Epiſcopos Rauennati Eccleſiæ a Valentiniano Imperatore ſubiunctos ſimili ratione comprobauit. Quod, quo modo ipſi acceperint ſubiuncti Epiſcopi, ex eo poteſt coniici, quòd uir ſanctitate, ac doctrina inſignis, qui Leoni ipſi Pontifici ab Epiſtolis fuit, Regienſis epiſcopus Proſper Aquitanicus, prope vrbem Regium D. Apollinari, Rauennatum, atque omnis huius Prouinciæ Archiepiſcopo templum dedicauit, & moriens VII. kal. Iunii, ſepeliri in eo voluit. Chriſtiana autem in dies pietate, & ſacrarum ædium amplitudine creſcentibus, cum ipſum D. Apollinaris templum, ignobilius iam uideretur, Thomæ eius tum vrbis Epiſcopo, per quietem iuſſit, templum laxius, & ſepulcrum nobilius fieri, & in illud transferri, quod Luitprando Longobardorum Rege florente, deinde factum eſt.

HIERONYMI RVBEI HISTORIARVM RAVENNATVM

LIBER . TERTIVS

ATHILA mortuo, in libertatem ſe Valamir, Vuidemir, & Theodemir Oſtrogothorum,& Ardericus Gepidarum Reges vindicarunt: quod etiam factum eſt ab Quadis, Herulis, Turingis, qui omnes cum Athila militauerant. Tulere id Hernachus, & Heurichus Athilæ filii, moleſtè; cumq. ob id in eos arma mouiſſent, ſuperantur. Poſtero mortis Athilæ anno, Valentiniano Aug. VIII. & Anthemio Coss. XVI. kal. April. Oſtilas, & Trauſtilas, ſeu, ut alii, Tranſilas miles, Aetii ſatellites, Petronio Maximo Patritio, cuius etiam fraude perierat Aetius, uti diximus; & vxori Valentinianus obtulerat ſtuprum, ſuadente, Valentinianum, Romæ, eo loco, qui tunc ad laurum dicebatur, in campo Martio, annos natum XXXVI. inermem, pro tribunali concionantem, nihilq. tale metuentem, Heraclio Eunucho, qui ſe illis obiecerat, obtruncato, gladio confoſſum, interficiunt, anno poſtquam imperare cœperat, trigeſimo: ab ortu Chriſti CCCCLV. cum paucis ante annis Placidia mater V. kal. Dec. obiiſſet. Cuius Placidiæ cadauer in D. Nazarii, & Celſi, uti conſtituerat, ſepulturæ traditum. Ingredientibus autem id ſacellum, duo ſtatim ſepulcra apparent, dextra unum, alterum ſiniſtra: in quibus ſepulti feruntur Valentiniani,& Honoriæ nutricii. In ipſo deinde ſacelli corpore, alia uidentur gemina ſepulcra, in quorum altero, quod eſt dextrorſum, Honoriam eſſe putant, ſed, ut opinor, ſimilitudine nominis falluntur, quemadmodum & ii, qui alium Honorium Placidiæ filium tribuunt. Nam Honorii Cæſaris cadauer ibi eſt incluſum, Rauennæq. uti memorauimus, Honorius ſupremum diem clauſit. Honoria, uti docuimus, Byzantium pulſa, Rauennæ, neque deceſſit, neque ad ſepulturam data eſt: in altero ad ſiniſtram, Valentinianum Cæſarem, eius cadauere, Roma, Rauennam importato: Quamquam neque ab illis diſſenſerim, qui malunt, Conſtantium, maritum Placidiæ, ibi ſepultum. In fronte ingens ſepulcrum ex marmore adeſt, eleganter fabricatum: ibi ſepultam tradunt Placidiam, non, ut moris eſt, iacentem, uerùm ſedentem in præclara ſella: quemadmodum plurimi ſe uidiſſe affirmant: nam in parte ſepulcri poſteriore, foramen aderat, quod nunc gypſo obſtructum eſt. Placidia inſigni prudentiæ, ſanctitatisq. opinione, migrauit ex hac uita. Quod autem plerique, remiſſius eam adminiſtraſſe, pro filio Imperium ſcri- ANN. CCCCLV.

bunt, ditionemq. ſub ea imminutam, tametſi barbarorum eo tempore, Theoderici præſertim Gothorum, Clodionis Francorum, Gundicarii Burgundionum, Athilæ Hunnorum Regum, in Galliam irruptiones, ut ceteras taceam, & bella geſta, domitasq. gentes memoria repetamus, cum aliisq. Orientis, atque etiam Occidentis Imperatoribus conferamus, maxima illam, & ſingulari laude bene geſti Imperii, condecorabimus. Illyricum ſibi, id autem eſt, Occidentali Imperio ademiſſe, & Theodoſio dediſſe, ut uxorem filio compararet, uehementer Caſſiodorus conqueritur: ſed quæ vtilitas ad Rempublicam, ex hac coniunctione affinitatis manauit, eam alii putant, Illyrici amiſſionem; quod tamen neque extero Principi, neque alieni ſanguinis, aut fidei, traditum fuit; longè ſuperare: cum grauiſſima bella, coniunctis hac de re ſtudiis, copiisque, feliciſſimè partim confecta, partim repreſſa fuerint, quæ alioqui infinitam propè perniciem attuliſſent: præterquam quòd cum Valentinianus a Theodoſio Imperium habuerit, huius fuerat magis, quod uellet, tribuere, quàm quod Placidiæ videretur, accipere. Valentinianus, ut conſtat ex Codice Iuſtiniano, ſumma Senatus Rauennatis celebritate, & publico ciuitatis luctu, inter Diuos eſt relatus. Hoc tempore uires adeò Rauennatibus creuerant, ut eorum Senatus, ac milites, plures Cæſares delegerint, multos interfecerint: quod ut dilucidius pateat, non ab re fore putauimus; ſi res vniuerſa ordine breuiter perſtringatur. Itaque Valentiniano ſublato, Maximus patricius, Cæſar eligitur, qui ut Tyrannidem redderet firmiorem, ac tutiorem, Eudoxam, Valentiniani iam uxorem; tametſi alii ſororem falsò putent; ſibi in matrimonium, violento auſu, collocat. Ipſa cum ferre indignitatem Maximi non poſſet, multis de cauſis, euocat in Italiam ex Africa Genſericum Vandalorum Regem, qui Romam accedens, cum ingentibus copiis, eum terrorem incuſſit, ut omnes, relicta urbe; ſaluti fuga conſulerent. Interficitur in eo tumultu ab Vrſo milite, & in Tiberim proiicitur, Maximus. Leo Pontifex idem cum Genſerico conatus, quod cum Athila fecerat, irriſus eſt. Romam miſerè deprædantur ubique Vandali, Afri, & Mauri, a prima Alarici direptione anno quinto & quadrageſimo: a partu Virginis, quinquageſimoquinto ſupra quadringenteſimum: ibiq. Eudoxia, quæ Valentiniani uxor fuerat, unà cum Placidia, & Eudoxia filiis, Regiis iuuenibus, Rauennæ natis, capitur. Vandalus urbe profectus, Latio omni direpto, Capua ui capta, & ſolo æquata, nauibus Italica præda onuſtis, in Africam traiecit, & Eudociam, licet penè puellam, Tranſimundo filio, quem Procopius Hunericum appellat, nuptui tradidit, cum abſtinere uiro, Placidia, Olibrio, qui in eo tumultu Conſtantinopolim abierat, iam deſponſa, conſtituiſſet. Romam, unde quattuordecim dies abfuerant, omnes reuertuntur: Cæſarem eligunt, Auitum, Senatorii ordinis uirum, Aruernum, Sidonii Apollinaris eius Ciuitatis Epiſcopi, laudibus clarum: qui eodem anno, Gothis, Theoderico Rege, in Gallia rem Romanam turbantibus Toloſæ Theodericum Regem adhibuerat, & per hos dies de pace cum illo agebat. Ceterum Auitus, cum Romam ueniſſet non eo Romanos in ſe animo reperit, quo putauerat: ſecum tamen Martianus, qui Orientis Imperatorem gerebat, pacem fecit, ac fœdus iniit: nec poſt multos dies, Martianus obiit diem ſuum, cui Leo ſubrogatur, primus, qui ex Græcis aſſumptus, ad Im-

perium fuerit, tametſi Beſſicum plerique eum dicant. Huius anno primo Aui- ANN.
tus, poſt varios rerum euentus, moritur, & XV. kalen. Octobris, Remiſcus CCCC
ex eadem parte Patricius, in Palatio Claſſis, apud Rauennam, occiſus eſt. In LVI.
Auiti locum, Senatus, militesque Rauennates, Leoni poſtulanti, vt ſatisfa-
cerent, ſexto ab Rauenna lapide, in campo ad Columellas, Conſtantino, &
Ruſo Coss. kal. April. anno CCCCLVII. Cæſarem ſubrogant Fl. Iulium Va- ANN.
lerium Maiorianum, qui ſtatim creatus, cum Ricimere Sueuo, de quo dixi- CCCC
mus, conſilia Regni adminiſtrandi iniit, & claſſem in expeditionem Africanam LVII.
adornans; nam Genſericus denuò Campaniam vaſtare, inſtructis nauibus,
parabat; exercitumq. ex omnibus barbarorum nationibus ingentem, compa-
rans, has ad Senatum litteras, Rauennæ, dedit. *Imperatorem me factum. P. C.* ANN.
veſtræ electionis arbitrio, & fortiſſimi exercitus ordinatione agnoſcite. Adſit ordina- CCCC
tioni hominum propitia diuinitas, quæ Regni noſtri augeat, pro veſtra vtilitate, & LVIII.
publica, ſucceſſus, qui ad ſuſtinendi Principatus apicem, non uoluntate mea, ſed obſe
quio publicæ deuotionis acceſſi, ne aut mihi ſoli uiuerem, aut ingratus Reipublicæ, cui
natus ſum, ſub hac recuſatione iudicarer. Dicatis quoque Iano Kalendis, ſuſcepti fe-
liciter Conſulatus ereximus faſces, ut præſens annus, naſcentis Imperij noſtri incre-
menta ſuſcipiens, noſtro etiam nomine ſignaretur. Fauete nunc Principi, quem feci-
ſtis, & tractandarum rerum curam participate nobiſcum, vt Imperium, quod mihi,
uobis adnitentibus, datum eſt, ſtudijs communibus augeatur. Præſumite, iuſtitiam
noſtris vigere temporibus, & ſub innocentiæ merito, proficere poſſe virtutes. Nemo
delationes metuet, quas, & priuati, in aliorum moribus condemnauimus, & nunc ſpe-
cialiter perſequimur. Nullus calumnias reformidet, niſi quas ipſe commouerit. Apud
nos, cum patre, patricioque noſtro Richimere, rei militaris peruigil cura. Romani
orbis ſtatum, quem communibus excubijs, & ab externo hoſte, & a domeſtica clade li-
berauimus, propitia Diuinitate, ſeruemus. Puto inſtitutionis noſtri vobis ineſſe
notitiam, quam mihi amore veſtrum vitæ, & periculorum quondam ſocius indubitan
ter expondeo: enitar tamen rebus communibus, ſi ſuperna conceſſerint, auctoritate
Principis, & obſequio collega, ut veſtrum in me vobis non poſsit diſplicere iudicium:
& manu Diuina optamus uos feliciſsimos, & florentiſsimos per multos annos. Bene
ualete, ſanctiſsmi ordinis patres conſcripti. Dat. Id Ianuar. Rauennæ, Maioriano
A. Conſule. Mox octauo Id. Mart. de Ciuitatum Defenſoribus, ad uniuer-
ſos prouinciarum Rectores ſcribens, Cauit, ut viros prudentia, & moribus
ſpectatos, quæque ciuitas vnum, legerent, qui vetere reuocato more, iure-
que, auctoritatem tuendæ plebis acciperent: priuilegia ciuitatibus per
leges conceſſa exequerentur, vel Imperatori inſinuarent. Ipſos enim pro-
uinciales, propter expenſas, itinerisve labores, ad ſe venire Maiorianus
nolebat: Magna enim erat, tum, in omnibus prouinciis vrbium ſolitudo, fu
gientibus inde ciuibus, & rura, ſolitariaq. loca ſectantibus, quòd Defenſori-
bus, qui eos ab improborum inſolentia uindicarent, deſtituerentur. Poſtri-
die eius diei, qui dies VII. Id. Mart. fuit, edicto ad Baſilium Præfectum Præ
torio ſcripto, quæ tributa ab iis, qui bona poſſiderent, varia, & multiplici exa
ctione iam diu feſſis, ad præſentis vndecimæ Indictionis initium debebantur,
relaxauit, extra ſuarii canonis rationem, cui, propter vrbis venerabilis copiam
nihil detrahi voluit. Quoniam verò mitti ab ipſis Auguſtalibus ædibus, in pro
uincias conſueuerant, qui tributa exigerent, Canonicarii, a Canone, id au-
tem

tem eſt, tributo, vocati, iiq. ita inclementer, iniurioſeq. ſe gerebant, vt prouinciarum Rectores, Canonicariorum auctoritati cedere cogerentur, & in prouinciales, ii, non ſolum bonorum mulctatione, ſed tetro carcere, & crudelibus ſuſpendiis ſæuirent, prouincialesq. ipſi eorum auctoritate, & itineris incommodo, ſumptuque deterriti, ad Principem non adirent, ſed de ſuo potius iure decederent, ſtatuit Maiorianus, tributa per locorum iudices exigi: utque fruges opportunè vendere quiſque poſſet, tribus penſionibus quotannis perſolui. Sexto Id. Iulias, ſanxit, ne antiqua ædificia Romæ publica, quæ paſſim diruebantur, & in priuata extruenda, vel publica reſtituenda conferebantur, vllo quis prætextu diſſolueret: eius rei cura Aemiliano Præfecto Prætorio mandata. Quoniam verò per eos dies, Seuerina quædam mulier, in Piceno, maritum interfeciſſe dicebatur, ipſa quidem meritas pœnas morte dederat, eius autem bona nonnulli in ærarium Principis, per fraudem occultata, inferre negabant, Maiorianus ad Ennodium Comitem rerum priuatarum ſcribens, iuſſit, vt bona caduca, proſcriptorumve, & eorum, quos in ſcelere deprehenſos, abſque legitimo hærede, ſummum ius inſequebatur, priuato Principis ærario addicerentur, prouinciarumq. iudices acriter monuit, id ut diligenter curarent, neu quid occultum ſinerent: quod potiſſimum in Piceno factum eſt. Poſt hæc vero Sept. kal. Nouemb. eloquentiſſimo ad Baſilium P.P. ſcripto decreto, ſtatuit, ut Virgines a parentibus Diuino cultui dicatæ, continuata virginitate, in beatæ vitæ propoſito, ſuſceptoq. conſilio permanentes, non ante, accepto velo, conſecrarentur, quàm quadraginta annos natæ, inoffenſa obſeruatione, tali infula decorari meruiſſent: Qui parentes, id ante curaſſent, parte bonorum tertia mulctarentur: Quæ parentibus orbata, idem feciſſet, eandem mulctam ſubiret: Quæ per vim, & metum parentum, propoſitum ſeruandæ virginitatis induiſſet, ea, parentum interitu, metu liberata, nec dum annos quadraginta ætatis, quibus velari nequiſſet, egreſſu, nubere poſſet, neque exhæredatio illi, ob eam cauſam, a parentibus vehemens, nec ſola Falcidiæ legis portio relicta, noceret. In eos autem, qui violare ſacram virginem tentaſſent, ſeueriſſimè cauit. De Viduis, quæ nulla ſuſcepta prole, non religionis, pudicitiæve cauſa, ſed potentiæ ambitum captantes, effuſam in intemperantia libidinem malebant, ſciuit, vt quadragenaria minor, intra quinquennium nuberet, alioqui, eo elapſo, cum germanis fratribus, ſororibusve, eorumque filiis, vel propinquis, per quos familiæ origo reſtituitur, aut hi ſi deſint, cum ærario Principis, ſua bona partiretur: neque tamen intra quinquennium alienare illi quidquam ex ipſis ſex vnciis liceret: *quæ tamen*, inquit, *ſe probare potuerit, ſtudio caſtitatis, ſecundas nuptias reſpuiſſe, cum liberalis fuerit in propinquos*. Qui ſine dote matrimonium contraxiſſent, eis, eorumq. parentibus infamiæ maculas ita inurendas uoluit, vt nec matrimonium iudicaretur, nec legitimi ex illis filii procrearentur. Adhæc ſanxit de illis, qui ab iis donari ſibi quidquam curabant, qui filias, vxores peterent: de illis item, quibus, a teſtatoribus, nulla ſibi propinquitate coniunctis, relictum aliquid eſſet, quos iuſſit tertiam partem in ærarium publicum inferre. His temporibus multi, iudicum, exactorumq. iniqua venalitate pulſi, patriam deſerentes, familiæ ſplendore neglecto, occultas latebras, & iuris alieni habitationem eligebant, dumque uti potentium patrociniis vellent, colonarum, ſe ancillarumq. con-

iunctio-

iunctione fœdabant: Quo acciderat, ut Magiſtratus, atque Ordines in ciuitatibus perirent, & per contagionem contubernii deterioris, pene amitterent plerique libertatis ſtatum. Id malum latius ne ſerperet, nec deinceps liceret, Maiorianus, lege, ad Baſilium Præfectum Prætorio. VIII. Id. Nouembr. ſcripta, ſanxit, ut vbicunque iam inde a triginta annis inuenti Curiales fuiſſent; quos Maiorianus appellat hoc reſcripto, neruos Reipublicæ, ac ciuitatum viſcera, quorum cœtum, veteres, minorem Senatum dixerant; procuratoribus, conductoribusve prædiorum coactis, dominisque conuentis, ad quas deſeruerant vrbes, reducerentur: Hoc autem edicto, neque Auguſtalis ipſa domus excluderetur, ſic vt mares, patrem ſequerentur; fœminæ, prædiorum dominis relinquerentur. Ex colonabus nati, Curiæ: ex ancillis verò, Collegiis infererentur, ne materni ſanguinis vilitate, ſplendor ordinum pollueretur. In poſterum, qui actor, procuratorve, inſciente domino, Curialem ſuſcepiſſet, aut intra annum ciuitati ſuæ non reſtituiſſet, is, ſi eſſet ingenuus, Collegiis addiceretur, ſi ſeruus, fuſtuario ſupplicio necaretur, ſi dominus id reſciſſet factum, iuſſiſſetve, nec reſtituiſſet, prædio, in quo hoc contigiſſet, mulctaretur. Plura alia in hanc curam, ut vrbes ciuibus ſuis augeret, ſanxit. Quoniam verò occurrendum eſſe cenſebat eorum dolis, qui nolebant eſſe, quod nati erant, decreuit, ut qui ſe nomine ſacri ordinis, quopiamve religionis prætextu, de Curia, aut Collegio ſubduxiſſet, ſi intra Diaconatus gradum eſſet, ad originem ſuam reuocaretur: ſin Diaconus fuiſſet, aut ſacerdos, Epiſcopusve, cum lex hæc lata eſt, nihil de patrimonio ſuo alienaret: Cui ſi mares filii, propinquive eſſent, qui operam Curiæ nauarent, bonorum ſuorum dimidiam illis partem traderet, ſibi ſex uncias, quæ reliquæ fuiſſent, ad uſum fructum retineret. Si mares deeſſent, adeſſent verò fœminæ idem in filiabus ſeruaret, dum tamen in Curialium familias nuberent. Si careret filiis, patrimonium, ad ciuitatis ſuæ ordinem ſpectaret. Si quis, originis ſuæ vinculis obligatus, ex iis, quos iubebat ad ordines reduci, diuini myſterii occaſione, intra templum ſeſe occultaſſet, eum coactus Archidiaconus præſentem tamquam in manu daret. Adhæc plurima de prædiorum diſtractione adiecit, de ponderibus, de tributis: Ad extremum, ne ciuitates, ordinesq. curiarum, ac negociatores nimium premerentur, ob Iudicum aduentum, quos in ocio plerumque viuentes, delitiis exquiſitis, quadam quaſi lege cogebantur, ſciuit, Rectori Prouinciæ, toto anni tempore, ne amplius, quàm triduo, una Ciuitas epulum daret. Si ſupra hunc modum a Curialibus, negociatoribusve, quidquam, Iudex poſtulaſſet, liberalitatisve nomine accepiſſet; *quod magis* inquit Maiorianus; *extorſiſſe credendum eſt*; adminiſtratione pelleretur, dignitatis priuilegio mulctaretur, proſcriberetur. Hæc Rauennæ hoc anno a Maioriano decreta ſunt, cum interea ad Claſſem profectus, exercitum, quem ex omnibus, vti diximus, barbarorum nationibus ingentem contraxerat, in naues impoſuiſſet, ac res omnes ad bellum Africanum neceſſarias comparaſſet; Aliqui etiam tradunt, eum, hoc eodem anno, Ligurnum progreſſum, inde mutato habitu, ac nomine, in Africam, ut Vandalorum apparatum exploraret, quaſi ab Imperatore de pace legatum, traieciſſe, ab Genſerico eorum Rege acceptum, & in interiorem ædium partem, in qua arma, ceteraq. pretioſa erant, ſi fas eſt credere, introductum: mox ad Claſſem reuertiſſe,

cam-

eamq. terreſtri itinere ad Columnas Herculis duxiſſe, fretum tranſmiſiſſe; Mauritaniæ littus tenuiſſe, indeq. in Africam Claſſem appuliſſe, Carthagini oppugnationem admouiſſe, ſed morbo grauiſſimo oppreſſum, eam vrbem non cepiſſe: ab eo recreatum, in Italiam, Rauennam rediiſſe. Verum hæc vtrum'ne fieri hoc anno potuerint, cum menſe Martio, Iulio, Septembri, Octobri, ac Nouembri Rauennæ fuerit, quod legibus, quas hic tulit, declaratum eſt, alii iudicent. Illud conſtat, anno altero, poſtquam hæc Rauennæ ab eo acta ſunt, in Gallia fuiſſe, quod lex ſignificat, Magno, & Apollonio Conſu-
ANN. CCCCLX. ſulibus. V. kal. April. Arelate data, de Epiſcopali iudicio, & ne quis inuitus ſacris initiaretur: Theodericus enim Gothorum in Gallia Rex, Romanis rebus in eo Regno, bellum facere inceperat, Lugdunum diripuerat: quo factũ eſt, vt Maiorianus, aſpera adhuc hieme, cum exercitu, traiectis Alpibus, eò contenderit, & pulſis magna felicitate Gothis, pacem dederit. Inde autem
ANN. CCCCLXI. cum in Italiam ueniſſet, poſtero anno, qui fuit ſalutis noſtræ primus, & ſexageſimus, ſupra quadringenteſimum, illum, tertio anno poſtquam imperare ceperat milites Rauennates, Dertonæ, quò ſe tum primum contulerat, excitato tumultu, trucidant. Quapropter Seuerianus, vel, vt Pomponius Letus ſcribit, Seuerus, Rauennæ Imperium itidem, XIII. kal. Decemb. arripuit; cum Dertona, Rauennam veniſſet Ricimer, eius tumultus, ac necis; ut vna cum Seuero Imperium adminiſtraret; auctor Seuerus ſuperato Biorgo Rege Alanorum, qui per Tridentinas alpes in Italiam iam irruperat, Lauream meruit, ſed breui gloria; occubuit enim anno tertio. Huic ſufficitur Anthemi-
ANN. CCCCLXVII. us, Martiani iam gener, anno. CCCCLXVII. quo anno, Hilario Pont. Max. qui Leoni fuerat ſubrogratus, demortuo, Simplicius Tiburtinus ſucceſſit, & Rauenna; vt ſcribit Marcellinus terræ motu quaſſata, magna clade affecta eſt Puſæio, & Ioanne Conſulibus: Quo tempore, cum Sidonius Apollinaris, Aruernorum Epiſcopus, ſuæ legatus Ciuitatis, Romam contendens, Rauennam veniſſet, eam, ad Heronium de hoc itinere ſcribens, deſcribit: nam ea in Epiſtola, vbi Lambrum amnem, uluocum appellauit. *Brixillum*, inquit, *dein opidum, dum ſuccedenti Aemiliano naute, decedit Venetus remex, tantum, ut exiremus, intrauimus: Rauennam paulo poſt curſu dexteriore ſubeuntes. Quo loco veterem ciuitatem, nouumque portum, media via Caſaris, Ambigas vtrumne connectat, an ſeparet. Inſuper opidum, duplex pars interluit Padi, certa pars alluit; Qui ab aluco principali, molium publicarum diſcerptus obiectu, & per eaſdem, deriuatis tramitibus, exhauſtus, ſic diuidua fluenta partitur, ut prabeant, manibus circumfuſa, praſidium: infuſa, commercium. Huc cum per opportuna cuncta mercantium, tum pracipua quod eſui competeret, deferebatur: niſi quod cum ſeſe hinc ſalſum portis pelagus impingeret, hinc cloacali pulte foſſarum, diſcurſu lintrium, ventilata, ipſe lentatis languidus lapſus humeris nauticis cuſpidibus, foraminato fundi glutino, ſordidaretur, in medio vndarum ſitiebamus: quia nuſquam aquaductum liquor integer, uel ciſterna defacabilis, uel fons irriguus, vel puteus illimis. Vnde progreſsis, ad Rubiconem ventum.* Hæc Sidonius, qui iiſdem de cauſis ad Candidianum Cæſenatem ſctibens, & eum eo iocans, quòd relicta Cæſena, ab eo ſurnum vocata, Rauennam incoleret, ubi illum, auribus, Padano culice, perfoſſis, municipalium ranarum loquax turba circumſiliret: *In qua palude*, inquit, *indeſinenter rerum omnium lege peruerſa: muri cadunt, aqua ſtant: turres fluunt, na-*

nes

nes ſedent: ægroti deambulant, medici iacent: algent balnea, domicilia conflagrant: ſitiunt uiui, natant ſepulti: vigilant fures, dormiunt poteſtates: fœnerantur Clerici, Syri pſallunt: negociatores militant, milites negociantur: ſtudent pilæ ſenes, aleæ iuuenes: armis Eunuchi, lituis fœderati: litteris quoque ad Felicem ſuis, penuriam aquæ, qua hic laborabatur, eo explicat verſu, cum inquit: Vluoſæ petiiſſe ſitim Rauennæ. Vluoſam autem appellat, quot hic cœno, atque alga ſolum perfunderetur. ob miſtam autem, cum dulci, ſalſam aquam, & ob id corruptam, ſiti laborabant. Atque hæc ex Sidonio. Ceterum ſi tum aquæ poculentæ laborabatur penuria, nunc abundat, duobus, quæ diximus, cincta fluminibus, Viti, & Montone, ſed Montone potiſſimum: cuius aqua faci le clara redditur, refrigeraturq. & caleſcit, ac omnis expers qualitatis, non hæret in præcordiis,& leuis omnino eſt.Quamquam autem initio nonnihil vergat in Septentriones, tamen in Orientem æſtate ſolem deinde torquetur, alueoq. nuſquam ſuapte natura lutulento, aut impuro, ſatis longo curſu, & mediocri uelocitate, in mare influit, & aut nullas, aut pauciſſimas, easq. ſalubres in ſe aquas recipit, quas facile in ſuam conuertit naturam,quæ ob id vna habetur, ac ſimplex. Accedit ad hæc, non pertranſire illum ciuitatem magnam, vnde multæ eum ſordes, ac colluuiones inficiant.Quæ ſummam omnia bonitatem aquæ docent. Nam, & oriens ſol, & prodeuntes inde venti, cum ſaluberrimi, habeantur, benignum aquis teporem afflant. Illud etiam plurimum conducere creditur, quod nequaquam magnus eſt fluuius, quem alia flumina ingrediantur: Magnorum enim huiuſmodi fluuiorum aquam deteſtari plurimum Hippocrates conſueuit. Nilus autem; quem Gihon a Moiſe appellatum plerique putant; tametſi diuerſum a Nilo uideatur illum facere Auicenna; quamquam eſt maximus fluuius; nam poſt Gangem, & Indum, tertio ſcilicet loco magnitudinis, ab Arriano, & ceteris antiquis ſcriptoribus, qui Maragnonum in noui orbis Peru ignorauerunt, ponitur; eius tamen adeo ſalutaris aqua ſcribitur, vt Peſcennius Niger Imperator, apud Spartianum, in Aegypto cum eſſet, militibus vinum petentibus, reſponderit, Nilum habetis, & vinum quæritis? Philadelphusq. Aegypti Rex ad Berenicem filiam, Antiocho Syriæ Regi, nuptui datam fœcunditatis conciliandæ cauſa, magni loco muneris, plenam eius aquæ nauem dono miſerit: Eulei etiam magni fluminis, qui per Suſianam è Zagro monte profluit, aquam, & bonitate fuiſſe, atque eſſe tradunt, vt eam Perſarum Reges ſecum deferre in expeditionibus conſueuerint. Sed de Nilo quod dicitur, eſt ſingularis eius longiſſimi in Septentriones curſus,æſtuoſo cælo, ac planè igneo ſole, prærogatiua, qua tẽperatur, & coquitur: ſic, vt fortaſſe iniuria Seneca dixerit, cur Nili aqua fœcundas reddat fœminas, adduci rationem minus poſſe; & quia aluum ſoluat, idcirco, contra Galeni, & reliquorum ſententiam, eam non eſſe optimam putarit Atheneus. Nam, & in Aegypto, eadem magni caloris cauſa,qui octauo menſe naſcuntur, uiuere, vti docet Ariſtoteles, & adoleſcere poſſunt, & quibuſdam aliis in locis, vbi mulieres fertiliores ſunt. De Euleo flumine, id commoditatis'ne an bonitatis cauſa factum a Perſis fuerit,incertum:cum omnino improbanda Raſis medici ſententia videatur, qui contra quàm ſenſerit Hippocrates, magnorum omnium fluminum laudet aquam, & Aetii, qui omnium fluuiatilem improbet. Nos noſtri fluminis Montonis probamus, quia

nequa-

nequaquam magnus eſt, & Orientali aſpectu, ac ventorum tepore fouetur: quemadmodum, & vrbs ipſa Rauenna. Sed iam eò recurrat, vnde diuertit oratio. Anthemius Auguſtus Geruandũ, quem Aruandum vocant alii, Narbonenſis Galliæ Præfectum, a quo fuerat ea Prouincia occupata, ſuperauit: Genſericum quoque Vandalorum Regem, qui in Italiam denuò traiecerat magna manu, ad Populoniam, iuncta ſibi Leonis claſſe profligauit. Per idem tempus Leo oppreſſit Byzantii inſanam Aſparis Patricii coniurationem, qua dum agitaretur, Valamir, & Theodemir, Oſtrogothorum, vti ſupra ſcripſimus, Reges, occaſionem nacti Imperii turbandi, Illyricum, & pleraſque regiones alias cum deprædarentur, Pannonia, & Myſia ab Leone impetrata, pacem faciunt, tradito Leoni, fidei cauſa, Theoderico, Theodemiris filio, quem ex Arilena concubina ſuſtulerat. Valamir cum non multo poſt, bellum Scythis intuliſſet, interfectus, Regnum, Vuidemiri quidem, & Theodemiri, nomine, ſed re ipſa, vni Theodemiri reliquit. Quapropter Leo, hominem ſibi magis conciliaturus, Theodericum filium, apud ſe obſidem, reſtituit. Theodericus cum eſſet adhuc adoleſcens, annum agens decimum octauum, a patre, in Sarmatas miſſus, proſpere dimicauit, Babaccho, eius nationis Rege, prœlio ſuperato. Interea Anthemius, ab Ricimere patritio, cui filiam in matrimonium collocauerat, Romæ obſidetur. Quamobrem Leo Cæſar Olybrium ſtrenuum Ducem; eum cui Eudociam, Valentiniani Imperatoris filiam, deſponſam memorauimus; cum copiis in Italiam ad Anthemium tranſmittit. Olybrius, vbi Rauennam peruenit, de aduentu certiorem facit Anthemium: iubet bono animo eſſe; futurum, vt paucis diebus, ſuo ad Vrbem acceſſu, obſidione liberetur: ſubſediſſe Rauennæ ſe tantiſper, dum reficeretur exercitus a maris iactatione. Verum interea Vrbe Ricimer potitur, & præ ceteris Anthemium ſocerum, impiè, atque atrociter iugulauit, cum adhuc Olybrius Rauenna pedem non extuliſſet, eo conſilio, ut vrbem ipſam, & vicina loca, aduerſus Ricimerem, firmaret, ac tueretur. Ceterum Deus, uindex iuſtus ſcelerum, atroci morbo, tertium, poſt Soceri necem, menſem, Ricimerem iam cruciatum, interemit. Olybrius Romam accerſitus, a populo in Cæſarem Occidentis eligitur, Gundibare eius nepote, quem Rauennæ cum exercitu reliquerat, Patricio creato. Quarto poſt menſe Olybrius. X. kal. Nouembr. decedit: & exercitus, Rauennæ; vti Caſſiodorus, Marcellinus, & reliqui eius ætatis ſcriptores tradunt; Glicerium, Comitem Domeſticorum, quem Senatorem Rauennatem fuiſſe, Sabellicus eſt auctor, Cæſarem anno CCCCLXXIII. Tert. Non. Mart. ſalutat, Gundibare id ſuadente. Rem hanc a Leone Auguſto minime probatam, ex eo coniici poteſt, quòd Marcellinus Comes, qui Byzantii per id tempus viuebat, plus præſumptione, quam electione, Glicerium, Cæſarem factum ſcribit, & Leo ipſe Auguſtus, Leonem iuniorem, Zenonis Iſaurici filium, ſuum ex Ariadna filia nepotem, Auguſtum appellauerat, & Imperii conſortem fecerat: & quidem opportunè, quando ipſe poſtero anno exceſſit è vita: Ceterum Leo iunior, quamquam adoleſcens, morbo tamen impeditus, & penè intabeſcens, Zenonem patrem conſtituit. Iulius Nepos; ſic erat illi nomen; Nepotiani filius, Rauenna cũ exercitu ingreſſus, Regno Glicerium pellit: & VIII. kal. Iulias Imperium Romæ arripuit. Glicerius, in vrbe Portu, Salonis Epiſcopus creatur, cum antea Rauennam muniiſſet, arma

ANN. CCCC LXXII.

ANN. CCCC LXXIII.

ANN. CCCC LXXIIII.

ma veritus Vuidemiris Oſtrogothorũ Regis: qui ab Theodemiri fratre venia impetrata, in Italiam cũ exercitu properabat. Verum Glicerius, ita muneribus eum ab incœpto abduxit, vt in Galliam itinere arrepto, non multo poſt decedẽs, vni Theodemiri fratri Regnũ reliquerit. Fuiſſet Glicerii iniuria, magno Italiæ motu, vindicata, Gundibare, quem Gundibatũ vocat Caſſiodorus; & Rauẽnatibus, in quibus Senator Glicerius; vti ſcripſimus; fuerat, aliiſq. pluribus tumultuantibus, niſi Epiphanius Ticinenſis Antiſtes, inſigni vir pietate, gliſcentẽ diſcordiam, ſua auctoritate, cõpreſſiſſet. Nepos Rauennatum, & Gundibari motibus iam ſedatis, dies aliquot Rauennæ, vt Rauennatũ magis animos pacaret, & res Italicas cõponeret, moratus eſt: & in Galliam, cum exercitu, aduerſus Viſigothos, Oreſtem patricium, Roma accitũ, contendere iuſſit. Oreſtes Roma profectus, cum Rauennam proximè acceſſiſſet, hanc ingrediendam ſibi, officii cauſa, vt Imperatorẽ ſalutaret, & coram tractaret, quæ ad rem facere maximè videbantur, negocia, ſimulat: Vrbẽ ingreſſus, Nepotem ipſum imparatũ, & ab eius inſidiis nihil ſibi metuentem; V. kal. Septemb. eiicit; is verò Rauennatum animis ab ſe plurimũ abalienatis nequaquam fidens, fuga ſe ad Dalmatas recepit. Oreſtes Rauẽnæ ſolus rerum potitus, Romulũ Momyllum filiũ, adhuc puerum, Rauennatũ ſtudio, vt inquit Sabellicus, militariq. fauore, eodẽ anno, pridie kal. Nouembr. Rauennæ Auguſtũ declarauit: Hunc, ob ætatem, Auguſtulũ dixere. Per idem tempus Heruli, & Turingi, Athilanarum copiarũ reliquiæ, irruptionem in Italiam fecerunt, Duce Odoacre, viro nouarũ rerum percupido, cui egregii ſpiritus militares inerant. De illo ſic apud Othonẽ Friſingẽſem legimus, *Hic a terra ſua egreſſus, dum per inferiores Noricas partes, vel ſuperiorẽ Pannoniam tranſiret, virũ Rauennatenſium Epiſcopum, qui verbum Dei prædicans; iuxta radices Comogenis cellã conſtruxerat, adijt, eumq. de euentu rei conſuluit. Qui propheticо, ut erat plenus ſpiritu, omnia, quæ poſtmodũ exitus declarauit, veraciter ei prædixit.* Quoniam verò hoc tẽpore omnium ſententia, Archiepiſcopus Rauennatum Ioannes erat, & præſcripta Archiepiſcoporum ſeries, nulli locum Seuerino reliquit, nec de illo vſquam Rauẽnates meminere ſcriptores, facile adducor, vt credam domo, Rauennatẽ illum fuiſſe, ſed alterius ciuitatis Epiſcopum, vnde in ſolitudinẽ deinde abierit. Noricos fidei Chriſtianæ ſacris primum ab hoc Seuerino inſtitutos tradunt. Odoacer apud Ticinum ſuperato ingenti clade, Oreſte, Auguſtali patre, & Placentiæ interfecto, Rauennam, vbi Auguſtulum morari didicerat, motis caſtris, venit: eaq. in poteſtatem adducta, pridie Non. Septembr. ibidem Paulum Oreſtis fratrem, qui relictus in præſidio fuerat, interfecit, Baſilisco. II. & Armato Coſs. Nam Romulus Auguſtus, quem iam non ætatis modo, verum contemptus etiam cauſa, Auguſtulum vocabant; metu ferè exanimatus, quod perpuſillo erat animo, Rauenna proficiſcens, Romam cõtendit. Vbi cum a Senatu receptus non fuiſſet, depoſita purpura, & Auguſtalibus inſignibus, aufugit in Lucullanum; Quingenteſimo anno, poſtquam Octauius, ex Munatii Planci ſententia, quod Rẽpublicam auxiſſet, reuerſus ex Oriente victor, primũ Auguſtus eſt appellatus. Hunc exitũ Auguſtorum inuictum nomen ſortitum eſt. Odoacer poſtero anno, qui fuit a partu Virginis ſeptuageſimus ſeptimus ſupra quadringenteſimũ. V. Id. Iul. Brachila Comite, Rauennæ itẽ occiſo, cũ Regis iam nomen, abſq. tamen purpura, & Regiis inſignibus, aſſumpſiſſet, Romam profectus, exceptuſq. magno apparatu, Romæ, Italiæq. Rex conclamatur.

ANN. CCCCLXXV.

ANN. CCCCLXXVI.

ANN. CCCCLXXVII.

tur. Simplicius Pōtifex Max. Chriſtianæ Eccleſiæ præerat. Extant huius Pontificis ad Ioannem Archiepiſcopum Rauennatem litteræ, quibus hominem acriter increpat, quod Gregorium quendam, Mutinenſem Epiſcopum feciſſet inuitum: minaturq. ſeueriori ſe in eum ſententia vſurum fuiſſe, niſi cauſis eſſet iis retractus, quas Proiectus Epiſcopus; is autem Forocornelieñſis forte eſt, ab Petro Chryſologo conſecratus, qui ab hoc Ioanne Archiepiſcopo ſepulturæ traditus putatur; præſens eſſet allaturus, mandari enim litteris illæ cauſæ ob turpitudinē non poterant: edicitq. niſi abſtineat, inuitis conſecrandis, ſe illi ordinationes Rauennatis Eccleſiæ, atq. Aemilienſis erepturum. Vt autē, ea quæ Ioannis Archiepiſcopi cauſa, ferre Gregorius cogebatur, incommoda, aliqua compenſatione leniret, decernit, ut prædio refuſo, quod datum ſibi, ante annū, fuiſſe Gregrorius aiebat, ad Eccleſiamq. denuò Rauennatem adiuncto, poſſeſſionē in Bononienſi, vnde liberum triginta ſolidorum vectigal excipiebatur, aſſignaret Gregorio, dum viueret. Eccleſiæ tamen Rauennatis, iure proprietatis, vt ipſe appellat, integro ſeruato, ad quam, Gregorio vita functo, rediret. Scriptæ ſunt hæ litteræ Tertio kal. Iun. Seuerino Cōſule, qui annus eſt a Chriſto na-

ANN. CCCC LXXXII. to quadringenteſimus octuageſimus ſecundus: Nec multo poſt Simplicius deceſſit, illiq. Felix tertius Romanus ſufficitur, Odoacre adhuc Italiam regente, qui eam tenuit quattuordecim annis, præcellentiſſimi Regis titulo inſignitus, sūma tyrannide; cum Rauennæ ſedem Regiam poſuiſſet: Quò etiam uenit Epiphanius Epiſcopus Ticinenſis, poſſeſſorum Liguriæ precibus, & ſuapte ſponte, incitatus; cum enim illis Pelagius Præfectus Prætorio tributa duplicaſſet, vir ſanctus Rauennam venit, & ab Odoacre remiſſionem oneris impetrauit. Interea Oſtrogothorū Regis filius, Theodericus; patre decedente, Rex appellatur: quod gratum Zenoni Auguſto ſic accidit, vt iuuenem ad ſe vocatum, maximo honore exceperit, diuitiis extulerit, & uti etiam Ricobaldus teſtatur, e-

ANN. CCCC LXXXIIII. queſtri ex ære ſtatua in ipſo foro, patriciaq. dignitate exornauerit, Conſulēq. fecerit, & magiſtrum militiæ Orientalis creauerit. Theodericus verò nihilo demiſſior animo, quibuſcunq. grati animi officiis poſſet, non ipſum modò Cæſarem, ſed & Senatores, & Romanam iuuentutem, non minus urbanis, quam militaribus ſtudiis amplectebatur, ac deuinciebat. Quò factū eſt, vt tum Oſtrogothis, qui ſub eo erant, Herulorum felicitatē iniquo animo ferentibus, & ob id Regis ſui deſidiam incuſantibus, tū Romanis opem ab Zenone aduerſus inſolentē Odoacri tyrannidem petentibus, Theodericum huius prouinciæ deſideriū tenuerit: ſed, vt erat ingenuus, quo minus poſtularet ab Zenone id ſibi muneris dari, pudore impediebatur. Ceterū vndique tandem compulſus, delecto ad eam rem, quod uiſum eſt opportunum, tempore, Zenoni ſuorum militum voces, ac conatus, & Italiæ miſeriam exponit, animumq. in ea re ſuū explicat. Aſſenſus eſt Zeno, vniuerſusq. Senatus, prouinciaq. ingenti plauſu Theoderico decreta. Qua igitur die Bizantio Theodericus diſceſſit, deduxit eum Cæſar extra vrbem, amictu Regio indutum, & ſacro velo contectum; quod erat maximi honoris inſigne; magna Senatus parte comitante, & totius populi multitudine effuſa. Coactis autem Theodericus amicorum auxiliis, maturauit profectio-

ANN. CCCC LXXXIX. nē, & Probino, Euſebioque Conſulibus, anno a partu Virginis quadringenteſimo octuageſimo nono, Italiam intrauit. Illi obuius Odoacer procedit ad Sontii amnis ripas, in quarum altera Theodericus conſederat. Concurſum eſt collatis

latis

latis ſignis,& Odoacris exercitus cæſus,& profligatus eſt. Theodericus ad Vero nam caſtris poſitis, ſponte ſe dedentem, vrbē obtinuit. In eius vrbis, campis de nuò, refecto exercitu, Odoacer Theoderico occurrit, ſed ſuperatur: Romam que fugiens; cum ibi, portis excluſus, inimica omnia comperiſſet: deprædatis ſuburbiis, Rauennam ſe recepit. Cum autem, & hanc vrbem, Libella, magiſter militum, caſtris ante vrbem, poſitis, pro Theoderico ſibi cuſtodiendam ſumpſiſſet, ipſe caſtris ſuis in Pineto, vt auctor Chronici incertus, æqualis temporum illorum, ſcripſit, locatis, caſtra ea oppugnare adortus eſt: prœlioque commiſſo, in quo multi ab vtraque parte ceciderunt, ea cepit, ac Libella interempto, inde Rauennam VI. Id. Iulias, eodem anno CCCCXC. iniit, magniſq. pollicitationibus, nonnullos ex Flaminia ad ſuas partes illexit. Theodericus Galliæ Tranſpadanæ receptis vrbibus, auctoq. ob id exercitu, Ticini, quod optime muniuerat, matre, & filiis relictis, cum expeditis copiis, Rauennam Odoacrem inſecutus eſt: & cum oppugnare vrbem, ob paludes, æſtumque maris, non poſſet, obſidere inſtituit. Sunt qui ſcribant, millia peditum ducenta in Theoderici exercitu fuiſſe. Caſtrametatus autem eſt eo loco, cui, vt Paulus Diaconus ſcribit, Pinetum nomen eſt: quod eſt ſecus oram maritimam per quam longinqui temporis tractu, excelſam, denſamq. Pinuum materiam natura ipſa prouexit. Nonnullorum opinio eſt, hanc ſyluam, ad uſum Claſſis, a Romanis ſatam, Neptunoq. & Iſidi dicatam: cuius rei teſtem, vetuſtam inſcriptionem Romæ effoſſam, adferunt, qua legitur, L. Antidium Ferocem. L.F. Præfectum Claſsis Rauēnatiū, Neptuno conſeruatori, & Iſidi, Deum matri, ſyluam hanc Claſſis Rauennatis, ſacraſſe. Conſtitit Theodericus in Candianis campis. Dum autem obſidere vrbem aggeribus, & caſtellis pluribus locis parat, Odoacer, antequam ad iuſtam obſidionem deducatur, tentare belli rurſus caſum decreuit. Exploratis itaq. per ſpeculatores Gothorum caſtris, qua parte magis paterent, minuſq. præſidium agitaretur, irruptione facta, intempeſta nocte, vti memoriæ prodit Caſſiodorus, ad pontem Candidium Olybrio Iun. Coss. tumultum haud mediocrem excitauit. Multi vtrinque cæſi, ſed tandem Odoacer, detrimento maiore accepto, quàm illato, memorabiliq. vt idem ait Caſſiodorus, certamine, in urbem reiectus. Itaq. Theodericus caſtra alia in Pineto, tertio ab vrbe lapide, alia ad Palatiolum, alia ad pontem Candidiani locauit. Poſt eam pugnam, Ariminum confeſtim ſeſe Theoderico dedidit. Aderant ibi naues aliquot caſtellis munitæ, Dromones Græci vocant: aduehi illas in Rauennatem portum Theodericus imperauit, quo ab ea etiam parte obſidio acrius inſtrueretur. Per id tempus Zenoni Imperatori mortuo, Ariadnes Auguſtæ Studio, ſufficitur Anaſtaſius, cognomento Dicorus, Epirota, Dyrrachio ortus, qui nec dum Senator, verum Silentiarius Palatii tantum erat, Eutychiana perfidia maculatus. Hunc tamen Euphemius Patriarcha uir ſanctiſſimus, ſacerdotis ſummi locum tenens, vt ait Euagrius, quaſi Epiſcopi Romani vices gereret; cum, Leone, & Nicolao primo teſtibus, Orientis prouinciæ, a Romana ſede per Epiſcopos, qui eius obtinerent vicem, gubernatæ fuerint; numquam ornare corona, vt inquit Zonaras, purpuraq. voluit, donec conceptis verbis, religionem tueri, & edito Chirographo, fidem Catholicam ſeruaturum ſe, pollicitus fuerit. Vnde etiam patet, falli eos, doctiſſimos alioqui viros, qui noſtra ætate de Comitiis ſcribentes, affirmarunt, Iuſtiniani

ANN. CCCC XC.

ANN. CCCC XCI.

tempore, vel ab eius interitu, coronandorum Cæſarum morem, ſeruatum. Paucis poſt diebus Rauenna erumpere iterum Odoacer auſus, denuò in vrbem repulſus eſt. Quibus rebus compertis, Africæ Rex Gundamundus, legatis miſsis, pacem a Theoderico poſtulauit, atque inde finem populandæ, vt cœperat, Siciliæ fecit. Poſtero anno continuata obſidio eſt: atque multa quidem; ſed parua, ac tumultuaria prœlia edita; cum Odoacer partem quotidie militum emitteret: Interea Theodericus, ne militem in ocio haberet; vix enim ſatis erant leues eæ pugnæ, ad exercendam unam, aut alteram copiarum ſuarum partem; ad occupanda vicina opida abducit magnam manũ, resq. optimè ex ſententia accidit, omnibus, quæ adiit, magna felicitate, vna excepta Cæſena, quæ firmiſſimo Odoacris præſidio tenebatur, potitus. Inde IIII. kal. Septembr. in caſtra ad Palatiolum poſita rediit, eoq. familia ex vrbe Ticino traducta, arctiore vrbem premere obſidione peregit. Itaque Albino Conſule, Odoacer poſt multas, ſed inanes ex vrbe eruptiones, cum in eas iam anguſtias adductus eſſet, vt conſumptis, quæ mandi poterant, omnibus, ſummam inopiam metueret, vniuerſum exercitum eduxit: omnibusq. coactis viribus, neceſſitate etiam animos, ac virtutem augente, expedita ſelectorum militum cohorte, ſecum ad primos excipiendos, inferendosq. impetus, euocata, tam acri in Theodericum impreſſione mouit, vt tandem, poſtquam diu æquo certamine pugnatum vtrinque eſt, referre Theodericus pedem cogeretur: forſitanq. ſoluta fuiſſet tum obſidio, niſi inclinanti iam, & ſe recipienti Theoderico; tanti interdum paruula occaſio momenti eſt; mater increpitans, in ipſa caſtrorum porta occurriſſet: Quæ vbi fugientem filium vidit, Quò tendis, inquit, fili? niſi ſi ueſte ego ſublata, eò te recipiam, vnde in lucem prodiiſti, quò te recipere ex fuga poſſis, certè locus non ſupereſt. His verbis, & matris aſpectu, Theodericus, verſa facie, cum expeditis militibus, in medios hoſtes irruit, iam ferè palantes, & de uictoria tutos, eosq. perturbatos, atque alios alibi reſiſtentes interficit: tandem magna edita illorum ſtrage, Odoacrem denuò in vrbem reiecit. Præfuiſſe tunc Rauennati Eccleſiæ Ioannem Archiepiſcopum, Blondus, Platina, Iuſtinianus, noſtratesq. ſcriptores, ſibi non conſentientes, & parum memores affirmant. Hic cum Italiæ, Rauennæq. præſertim calamitates in dies creſcentes intueretur, pacificatorem ſe inter eos Reges cõſtituit. Sed cum vtrinque in diſpari rerum ſtatu duræ condiciones ferrentur, nec propterea conuenirent, paſſa eſt Rauenna ingentes difficultates famis, & peſtilentiæ ſupra omnium fidem; ſicut ſordidiſſimis quibusq. dictu etiam horrendis, non parceretur. Tertius iam annus pertinacis obſidionis agebatur, cum tandem deditionem Odoacer, una cum filio, ſuisq. omnibus fecit: ea condicione, ut abire incolumibus liceret, dareturq. angulus Italiæ aliquis ad habitandũ: Sunt qui addant, vt & æquo, cum Theoderico, imperio, Rauennam, & Regnum Italicum obtineret. Ita Theodericus Tert. kal. Mart. eo, quo pax conuenit, die, ut penes incerti auctoris Chronicon habetur; laxauit obſidionem, ac primum, opidum Claſſem iniit, deinde Tert. Non. ut idem habet auctor, Archiepiſcopo cum ſacratis uiris, & ſanctorum reliquiis, obuiam prodeunte, Rauennam, a ſuis Rex acclamatus, intrauit. Ibi videre Odoacrem vix ſuſtinuit, atque cum adhuc moliri eum ſibi inſidias acciperet, vt teſtis eſt Caſſiodorus, ſe diſſimulante, poſtridie eius diei, a Gothis quibusdam, per rixæ ſpeciem,

ANN. CCCCXCII.

ANN. CCCCXCIII.

ANN. CCCCXCIII.

ciem, ſunt qui, auctoritate Procopii, nuptiarum nomine; alii, ut Pomponius Lætus, ad Cœnam, in Palatio, quod Hilautum appellabatur, inter Scyphos, cum commilitonibus eorum, Odoacer, & filius trucidati ſunt. Theodericus, nullo repugnante, totius Italiæ obtinuit imperium. Sub id tempus Felice Tertio Pont. Max. vita functo, Gelaſius ſucceſſerat: apud quem Ioannes Archiepiſcopus conqueſtus eſt, in multis Italiæ ciuitatibus, quæ ad ſacratos viros munera, magiſtratusq. ſpectant, ita eſſe, belli, ac famis incommodo afflicta, in eamq. vaſtitatem incurriſſe, vt in multis Eccleſiis, adminiſtri deeſſent: Quamobrem Decreta Gelaſius fecit complura, eademq. ampliſſima, quibus antiquas leges, & tempo rum interualla, eorum, qui initiari ſacris deberent, ſic conſtituit, vt minori temporis ſpatio circumſcriberet, ſi quis è monacho clericus fieret, multò maiore, ſi ex populari; laicum appellat; reiectis Bigamis: Quæ quoniam decreta adhuc extant, ab ipſo Pontifice ad Epiſcopos Lucanos, Brutios, Siculosq. anno ſalutis nonageſimo quarto ſupra quadringenteſimũ, Quinto Id. Mart. Aſterio, & Præſidio Coss. miſſa, non eſt, quod hic ea latius explicemus: Paulò poſt Ioannes idem Archiepiſcopus, ſummis, credo, obſidionis incõmodis, iam confecta ætate, male habitus, vitam cũ morte cõmutauit: in eius locum Petrus iunior ſubrogatus eſt: Poſtero anno Theodericus pacatis in Italia rebus, ne quid Regnum extrinſecus turbaret, pacem, quæ cauſis emergentibus, vt ipſe inquit, vitiata fuerat, per legatos poſtulauit ab Anaſtaſio Imperatore, a quo hortatus crebro fuerat, vt deligeret Senatum, principum leges libenter acciperet, cuncta Italiæ membra componeret: quod ſummo ſtudio nitebatur Theodericus, cum in Romana aula Byzantii liberaliter educatus immanem omnem barbariem depoſuiſſet. Quoniam verò Caſſiodorus, quem illuſtrem, & magnificum virum, ſuis litteris, vocat, cum Siculis tunc præeſſet, in eaq. Præfectura ſe cum laude geſſiſſet, Siculorũ ſuſpicantium mentes, ab obſtinatione præcipiti abduxit, nutantesq. animos Theoderico adiunxit, eamq. illi Prouinciam cõparauit; cũ in ipſo Regni exordio, fluctuantibus rebus, prouinciæ vacillarent, & negligi rudem Dominum, nouitas ipſa pateretur, ipſe, vt aliquid Caſſiodoro gratiæ referret, & officio remuneraret, illum & Patriciũ creauit, & Brutiis, Lucanisq. iudicem præfecit, in quibus ampla illi prædia, erant, oppidaq. & antiqua nobilitatis inſignia, ac principatus, a maioribus hæreditario iure accepta, ſic vt natale Caſſiodori ſolum ab Theoderico vocetur, cũ de hoc iudicis officio ad eum ſcribens, *Quod cum vbique ſit*, inquit, *arduum, tamen ſit in patria glorioſum, vbi neceſſe eſt, ut aut gratiam parentela pronocet, aut odiũ longe contentiones exaſperent*. Inter reliqua autem patrimonii copioſi, atq. ampli bona, quod ibidem habebat, inſignia laudantur armenta equorum, quibus velTheoderici teſtimonio, Principes uinceret, & ut idem ait Theodericus, donando ſæpius inuidiam nominis non haberet. Hinc Gothorum armabat exercitũ, & bono inſtituto melior, quod a parentibus acceperat, hæreditaria largitate tuebatur. Erat hic Caſſiodorus, magni illius Caſſiodori, qui deinde a ſecretis Theoderico fuit, & hiſtoriam Gothorum duodecim libris cõplexus eſt, variarumq. Epiſtolarum totidem conſcripſit, pater: Odoacre rerum potiente, primo Comes priuatarũ, mox ſacrarum largitionum. Patrem habuit, & auum viros clariſſimos: nam pater, cum apud Valentinianum Imperatorem, Tribunum geſſiſſet, ac Notarium, quæ tum egregiis viris dabantur, munera; & Aetio cariſ-

ANN. CCCCXCIIII.

ANN. CCCCXCV.

ſimus, legatusq. Valentiniani ad Athilam, vti ſupra memorauimus, ſummam prudentiam, atque eloquentiam præſetuliſſet, in Brutios tamen, quietis ac tranquillitatis cupidus, ſe abdiderat. Auus, honore Illuſtratus, ut illa ferebant tempora, inſignitus, ab excurſionibus Vandalorum, qui Genſerico Rege, Siciliæ, ac Brutiis imminebant, eas Prouincias armis defendit; vt merito principatum in illis prouinciis obtineret: quod Theodericus affirmat: Quamquam autem Caſſiodorum nomen excurrere in aliis videbatur, proprium tamen huius familiæ eſſe conſtabat, quæ viros pepererat cum togatis claros, inter fortes, eximios, qui & membrorum firmitate, & proceritate corporis floruerant. Theodericus interea, ut magis ſtabiliret opes ſuas, vicinorum ſe Regum præſidiis, atque affinitatibus muniit. Itaque filiam Clodouei Francorũ Regis Andefledam nomine, ut Blondus ait, licet eam Ricobaldus Lodoym appellet, vxorẽ duxit. Amalabergam, Amalafredæ ſororis, quæ & Transmundo Vandalorum Regi nupſit, filiam, in Italia educatam in matrimonium Regi Thuringorum Herminafrido collocauit litteris doctam, moribus eruditam, decoram non ſolum genere, quantum & fœminea dignitate, vt ſuis teſtatur litteris Theodericus. Duarum filiarum, quas ex pellice, iuxta Ricobaldum, ſuſceperat, alteram Alarico Viſigothorum Regi, alteram Sigiſmundo, Gundobadi Regis Burgundionum, filio, vxores adiunxit. Dum autẽ Rauennam perluſtrat, nihil omiſit, quod ad eam ornandam pertineret, multaq. ornamenta deduci Roma iubet, ſtatuas, ſigna, columnas, marmora præſtantiſſima; Inter cetera illud teſtatiſſimum eſt, quod Blondus ſcribit, Pincianæ domus marmora; quam domum, magnificam fuiſſe ſupra quam dici poteſt, nomenq. Collatinæ portæ, vt Pinciana ab ſe diceretur, dediſſe ferunt, cum prope inde abeſſet; Rauennam intuliſſe, ut in litterarum ſuarum volumine Caſſiodorus teſtatur. Huius autem rei curam Theodericus Feſto mandauit, viro, vt ipſe inſcribit, illuſtri, ac Patricio, quem Rauennatẽ fuiſſe, ex ipſis Theoderici Epiſtolæ verbis conii cio, ſic enim ſcribit. *Decet prudentiam veſtram in augendis fabricis Regalibus obtemperare diſpoſitis: quia nobiliſsimi ciuis eſt, patria ſua augmenta cogitare.* Erat autem Senator, & tanta dignitate, vt aliis ſuis ad eum litteris, Celſitudinis titulo Theodericus appellet: Qui Baſilicam etiam Herculis, Rauennæ, amplũ opus, aggreſſus, *cuius nomini*; ut ipſe ſcribit; *antiquitas tribuit, quicquid in aula prædicabili admiratione fundauit,* Agapito mandauit, vrbis Præfecto, vt marmorarios ex vrbe peritiſſimos Rauennam mitteret, qui eximie diuiſa coniungerent, & venis colludentibus, illigata, naturalem faciem mentirentur. Superioribus annis cum ruinæ D. Saluatoris effoderentur, egregia marmora, ſtatuæq. complures, & columnæ repertæ ſunt, veteris magnificentiæ reliquiæ. Id templum Chriſto Deo Saluatori, Theodericus, iuxta ſuas ædes erexerat, admirabili ſtructura: cuius vel ruinæ indices manent, ipſumq. D. Saluatoris in palatio nomen, quod in ipſis ferme ædibus Theoderici eſſet. A pleriſque creditum eſt, templum illud non Saluatori, ſed Solutori martyri dicatum: à quibus non admodum diſſenſerim. Miror nonnullos diligentiſſimos ſcriptores putare, D. Apollinaris in Claſſe ædem ab hoc Theoderico exædificatam: cum id ſit, dubio procul, ab Iuliano Argentario, vti memorabimus, Iuſtiniano Imperante factum. Fortaſſis ut errauerint, fecit D. Martini in cælo aureo templum, cui, quingentis ab hinc annis, D. Apollinaris noui titulus eſt. Præter hæc Theodericus. D. Andreæ,

quod

quod minus vocant, templum, cognomento Gothicum condidit, in quo religionis ſuæ ſacerdotes, qui erant labe Arriana infecti, ſacra facerent: haud procul ab eo loco, ubi arcem modo conſpicimus;nam eius fermè collapſi ruinas, arci ædificandæ, Veneti adhibuerunt; quo factum eſt, ut nulla nunc, extra inane nomen,eius extent ueſtigia. Adiunxit Theodericus ad hæc maximum, atque egregium amphitheatrum, turri præclariſſima conſpicuum: cuius demolitioni,ac ruinæ interfuiſſe Ricobaldus affirmat: ſcribitq. Theodericum, extra Rauennam, templum D.Mariæ Virgini, ſibi ſepulcrum, dum uiueret, condidiſſe; quòd tamen ceteri prætereà, qui ſcribunt, omnes, Amalaſuentæ eius filiæ acceptum ferunt,putantes in id operis ab Iuſtiniano Auguſto, marmora, atq. item alia ornamenta, ipſam per litteras ſuas, quæ adhuc extant, poſtulaſſe, quæ iam per Calogenitum comparauerat. In eo templo cum eſſent egregia multa, quæ recenſere nimis longum fuerit, tum illud non eſt prætereundum, quòd tota eius teſtudo, ſub qua uiginti ſacerdotum coronā; ut Blondus ſcribit, & nos uidimus, reſidere, & quidem commodiſſimè poteſt, unico lapide, eoq. ingenti, ac ſatis craſſo contegitur, fornicato. In eius ſummo foramen eſſe ſcribit Leander Albertus, cum tamen nullum ibi foramen extet. Impoſitum erat ſummæ teſtudini, uas ex porphyrite, in quo Theoderici patris cadauer Amalaſiunta, ſeu Amalaſuenta, aut Amalaſunta filia; tot enim modis eam diuerſi appellant; condiderat: ſed ſuperiori ſeculo, tormenti ictu, in terram deiectum, & nonnihil confractum eſt: ubi diu cum iacuiſſet, anno MDLXIIII. in foro, ubi nunc uiſitur, eſt collocatum. Exterius, circum teſtudinem, duodecim Chriſti Apoſtolorum ſtatuæ inſignes è marmore eminebant, quarum baſes adhuc ſuperſunt, ex eodem teſtudinis marmore extantes, in quibus, maioribus litteris inſculptum legitur cuiuſque nomen. Aliquot item ſtatuæ in ipſo templo confractæ habentur. Hæc templa, quæ Theodericus extruxit, omnia maximis muneribus exornauit, ac ditauit. Acceſſit ad hæc, ut ſcribit Ricobaldus, equeſtris ſtatua ex ære, quam in ponte Auſtri Rauennæ locauit. Erat autem pons Auſtri; ut ex ueteuſtis tabulis publicis collegi; in regione D.Agnetis, a muro cœnobii, ac potius horti Dominicanorum fratrum haud procul. Eam ſtatuam plerique Seuerini Boetii, uiri clariſſimi arte ſic elaboratam ferunt, ut ſemper conuerteretur ad ſolem, atque ob id Regiſolem ad hanc uſq. ætatem uocatam. Alii putant Odoacris ſtatuam eſſe, alii, inter quos eſt Merula, Antonini Pii, idq. ab ipſa oris ſpecie, ipſoq. militari habitu coniiciunt: quibus omnibus, earum imaginum Antonini perſimilis uidetur, quæ ſunt in antiquis numiſmatibus: quamobrem Roma, vnà cum aliis ornamentis deductam ab Theoderico, ad Rauennam illuſtrandam opinantur. Quemadmodum & conquiſitis vndecumque dabatur, monumentis, aſſidue ſtudebat. Quo circa Poſſeſſoribus, Defenſoribus, & Curialibus Aeſtunis conſiſtentibus, cum accepiſſet in eorum municipio, columnas, & lapides, uetuſtatis inuidia euerſos, qui uſum nullum haberent, iacere, iuſſit Rauennam ut conuehendos modis omnibus curarent; nam in hac vrbe ædes ſibi magnificas, ac planè Regias extruxit eo loco, quod inter D.Martini in cælo aureo, ſiue, ut aliis placet, ad Sacellum Arrii, ab ſe item ædificati, & muros Vrbis ad Orientē, nunc in hortos degeneraſſe uidemus. Portas domus ferunt, ac porticus, carbaſeis uelis intentis obductas, magnum publicæ ſecu-

ritatis

ritatis exemplum præbuiſſe. Harum imaginem uermiculato pictam opere, in D.Martini, quod Apollinaris noui appellant, dextro pariete, uidere quiſque, templum ingrediens, poteſt. Rauennatem Præfectum gerebat hoc tempore, ut Ferrettus ex Franchino tradit, Importunus Trauerſerius. Qui ex nobiliſſima familia, Theodoro patri in eadem Præfectura ſucceſſerat. Fertur Trauerſariam familiam, originem eo tempore duxiſſe, quo Romanorum, ut plerique falſo putant, coloniæ, Rauennam deductæ fuerant. Verùm ei ſententiæ magis aſſenſerim, quæ ex Romana quidem, & nobiliſſima familia duxiſſe ortum putat, ad habitandum Rauennam profecta, ſed tamen non Coloniæ modo, aut iure. Quocumque autem pacto ſe res habeat, illud ſatis ex Ferretto conſtat, Odoacre Imperante, Theodorum Trauerſarium Rauennæ Præfectum: cuius domus extabant, in ſuperiore ciuitatis parte, ubi nunc reliquiæ templi D.Martini in hortis Cardinalium conſpiciuntur. Ab eo caſtrum ad Anemonem flumen ædificatum, quod nunc ſolo æquatum eſt, nomen accepit Trauerſariæ. Fuiſſe illud ferunt ultra, citraq. fluminis ripam, cum eo tempore illac Anemo non influeret: nam uniuerſus ager ille Rauennatum erat, poſterioribus deinde ſæculis, fluminis intercurſu; diuiſus: cuius altera pars, quæ eſt ultra Anemonem, Tiberiaci opidi, ab Tiberio Cæſare ſic appellati, cui nunc Bagnacauallo nomen eſt, numerabatur: tametſi poſtea Archiepiſcopatus iuris fuerit, unà cum agro Lugienſi; ut ex pluribus tabulis publicis patet, quibus ab Archiepiſcopis Rauennatum, in poſſeſſionem eius agri mittuntur Tiberiaci Comites: ac præſertim ex ipſis Philippus, cui id Trauerſarios tribuiſſe conſtat. Theodorus Impor. unum filium genuit, Senatorem, ac patricium, Theoderico gratia, ac fauoribus ſic commendatum, ut illum a ſecretis ſibi eſſe, cum Caſſiodoro Senatore item Rauennate, uoluerit. Per id tempus cum Liguria cultoribus pene deſerta uideretur, ob maximam incolarum turbam a Burgundionibus trans Alpes, dum Theodericus obſideret Odoacrem, abductam, Theodericus Epiphanium Ticinenſem Epiſcopum, ſanctitate inſignem; qui hoc anno Rauennam, pro rebus Liguriæ afflictis, una cum Laurentio Mediolanenſi Antiſtite, eorum populorum rogatu, uenerat; miſit ad Gundobadum Burgundionum Regem, cum ingenti pecuniæ ſumma, ad eos redimendos: cum ambobus epiſcopis poſtulantibus ut iuſtitium, tota prope Italia indictum, ob ius ciuile Romanum perduellibus a Theoderico ademptum, tolleretur, omnibus peccatum in uniuerſum dimiſiſſet, paucos tantum, quos artifices principesq. maleficii fuiſſe compererat, exilio mulctaſſet: qui tamen Vrbici Palatii curatoris; cui promulgandarum, huius ueniæ, tabularum cura mandata fuerat; dexteritate, abſoluti ſunt. Epiphanius, cum menſe Martio Ticinum repetiiſſet, in Galliam tranſgreſſus, ab immodico alioqui Rege, quod uenerat; tametſi uix prece, ac precio; impetrauit. Tunc primum Italia mirum in modum reſpirare, ac reflorere cœpit: & cum Romanos, quos plurimum diligebat, libertatis priſcæ ſtudioſos Theodericus agnoſceret, omnia per Romanos magiſtratus adminiſtranda iuſſit. Annuam penſionem Senatoribus ad inopiam redactis conſtituit: Vniuerſam tandem vrbem adminiſtrandam, regendamq. ſenatui, populoq. Romano permiſit. ſic tamen, ut & daret ipſe Præfectos urbis, & in eius curam ſummas aſſiduc cogitationes conferret, & eam perpetuo plurimi faceret: quod & res ab eo geſtæ, & litteræ

ſcriptæ

ſcriptæ patefaciunt. Hinc ad Senatũ ſcribit. *Caritatẽ ueſtri præcipuam nos habere, ex ipſa cura vos poteſtis cognoſcere, pro quibus ita uidemur eſſe ſolliciti, ut nihil admonitionis patiamur omitti.* & ad Argolicum Præfectum vrbis, *Nuſquam,* inquit, *maiori laude uirtutis agitur, quàm ſi rectè Roma tractetur*: & cum ſeditioſi quidam vrbem ipſam turbarent, & ob id Arthemidorum Regiis obſequiis eruditum Præfectum feciſſet, addit. *Numquam maiori damno periclitati ſunt mores, quàm cum grauitas Romana culpatur.* Ipſe Rauennam fecit Regni ſedem, ac domiciliũ, quod eſſet multo, quàm Roma ab munitionibus firmior nullis direpta, deformataue hoſtibus: ædificiis conſpicua, & ad arcendos ab ingreſſu Italiæ barbaros, maximè commoda: præſertim cum ſuperiores Cæſares ibidem habitauerint. Nam Tuſcia ueſtigium prouinciæ penè nullum, hoc tempore, ſeruabat: in Flaminia, Aemyliaq. ab incolis deſertæ reliquæ urbes: Campania, eiuſq. regionis tractus, continentibus iamdiu calamitatibus afflictus. Galliam Ciſalpinam, poſt Athilæ excurſionem, maioribus deinde latrociniis infeſtam nullæ adhuc opes ſubleuauerant. Quamquam non deſunt, qui putent, timuiſſe Romanorum ingenia ferociora, & ad libertatem, priſtinumq. Imperium aſpirantia; illis præſertim magiſtratus omnes tametſi eius iuſſu; adminiſtrantibus: neque omnino ſecurè talia Gothis mandari poſſe opinabatur. Quod eo magis uidetur uerum, quo ipſe vrbem Romam plurimi ſemper, uti ſupra memorauimus, fecit, & ad Fauſtum ſcribens, *Piaculi,* inquit, *genus eſt abſentem ſibi Romam diutius facere, qui in ea poſſunt, conſtitutis laribus habitare: & ad* Symachum patricium: *Nulli ſit ingrata Roma, quæ dici non poteſt aliena: Illa, eloquentiæ fecunda mater; illa, uirtutum omnium latiſſimum templum: ſentiatur planè quod carum eſt: non ſine gratia eſſe creditur, cui habitatio tanta præſtatur.* Cum autem Ligures, in tanta Regis clementia, tributis uiderentur inclementer opprimi, denuò Rauennam Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus, eorum rogatu, ad Theodericum anno CCCCXCVII. uenit, eiuſq. populi calamitatibus accuratè expoſitis, duas partes indictionis elicuit. Interea Anaſtaſius ſecundus Pont. Max. qui, iam biennium, Gelaſio mortuo ſucceſſerat, uita functus eſt: ſucceſſorem habuit Symmachum Sardum: in cuius creatione diſſenſum eſt. Pars enim ſacratorum uirorum apud Conſtantinianam Baſilicam Symmachum decernit Pontificem: Pars ad Diuam Mariam, Laurentium creat: vnde ſeditio ingens, ſenatu, populoq. Romano duas in partes diuiſo, orta eſt. Quamobrem omnium conſenſu Concilium Rauennæ indicitur; plerique iuſſu Theoderici ſcribunt; Huc cum ambo ueniſſent, ut legitur in libro Pontificali, in eo maximè Petrus Archiepiſcopus Rauennas enituit: & re tandem omni, controuerſiaq. diſcuſſa, Symmachus in Pontificatu confirmatur; qui ingenti benignitate uſus, Laurentium competitorem, Nucerinum Epiſcopum fecit. Altero poſt anno, cum iam ſeptennium Rauennæ fuiſſe, Regnumq. ſatis confirmaſſet, ac Italicorum, Romanorumq. præſertim ingenia, noſſet, ut ſatiſfaceret Romanorum deſiderio, ac precibus. Romam profectus eſt: ubi incredibili ſignificatione lætitiæ excipitur: nec lætitiæ euentus defuit: quando perluſtrata paulo poſt urbe, & eius pulchritudinem quantæ fuerit, animo concipiens, nihil omiſit, quod ad optimum Principem pertineret, & ornari illam ampliſſimis ſubſtructionibus, & repatando pottu, reſarciendiſq. & firmandis mœniis, iuſſit: quod & factum eſt: Senatum etiam honeſtauit, atque auxit.

ANN. CCCC XCVII.

ANN. CCCC XCVIII.

ANN. D.

Per

Per id tempus Petrus Rauennas Archiepiſcopus, ſiue Theodericum, Romam fuerit comitatus; Regem enim Romam proficiſcentem, tota fere citerior Gallia proſequuta eſt; ſiue a Symmacho Pontifice accitus, Concilio interfuit, quod habuit Symmachus Romæ hoc anno D. Indictione nona ineunte, in æde Vaticana, de inuaſione rerum Eccleſiaſticarum, & uexatione ſacerdotum: Quæ quamquam ueteribus erant Pontificum Max. decretis caſtigata, tamen quoniam renouabantur, *quod ſæpe præſumitur, ſæpius, dixit Symmachus, ut inhibeatur neceſſe eſt*. Hæc igitur decreta ſunt. Si res Eccleſiæ, abſque Epiſcopi ſui iuſſu poſſideret, eas præſumeret deinceps retinere, Eccleſiæ liminibus ab Epiſcopo arceretur. Quod ſi negligeret, & neceſſitas compelleret, in prædonem ſacerdotali telo ſtatim animaduerteretur. In eos etiam actum eſt, qui Eccleſiæ bona, ſpecie Regiæ largitatis, uel cuiuſcumque poteſtatis, peruaſerant: eos reprehendens ſacerdotes, qui in eo aut euitando, aut recuperando, ſe negligentius geſſiſſent: & multa præterea in hanc rem admodum ſalutaria, ſancita. Huic Synodo, ſtatim poſt Symmachum, Petrus Rauennas Archiepiſcopus, ante omnes alio Epiſcopos, qui ibi tres ſupra centum interfuere, ſubſcripſit. Poſtero anno aliud Rauennæ Concilium, mandato Regis Theoderici, qui iam Rauennam redierat, coactum eſt: quamquam actum in eo nihil aliud eſt, quàm ut Galliæ Ciſalpinæ Epiſcopi, petierint ab Theoderico, quid eſſent ab eo uocati, ætate iam & uiribus penè confecti: præſertim cum ex ipſis complures, ſuperiore anno, ut Romano Concilio intereſſent, idem iter fuiſſent ingreſſi, in quibus erant, Maximus Ticinenſis, Baſſianus Mutinenſis, Euſtaſius Cremonenſis, Laurentius Bergomas, Ioannes Ariminenſis; eisq. hoc anno Gerontius Ficoclenſis Epiſcopus, & alii è Liguria, Aemilia, & Venetia adiuncti ſunt. Reſpondit Theodericus, eos, Romam, ſuo iuſſu uocatos, ut communi ſententia in generali conuentu, de iis criminibus ageretur, quæ apud ſe, aduerſarii Symmachi Pont. Max. in eum coniecerant, grauia admodum, & nefaria. Affirmantibus autem, magna animi Chriſtiani Conſtantia, Epiſcopis, vna ipſius Pontificis Max. auctoritate, aduocari Concilia poſſe, neque ſummum Antiſtitem inimicorum eſſe ſubiectum iudicio, id quoque Symmachum ipſum per litteras uoluiſſe, ſubdit Theodericus, & Epiſcopis eas legere ſe cupere poſtulantibus, proferri ſtatim in medium iuſſit. Quæ cum eſſent acta, Petro Rauennate Archiepiſcopo ſeſe illis comite adiungente, Romam itum eſt. Conuentus ibi in Iulii baſilica, Kal. Nouembr. frequens habitus, ut de inchoando Concilio decerneretur. Symmachus gratias primùm maximas Regi agere, qui Concilium illud Romam euocaſſet, maximis ab ſe uotis expetitum. Sperare enim, ſe priuſquam de obiectis ſibi criminibus ageretur, & uiſitatorem tollendũ, & quæ inimicorum aſtu amiſerat, recuperaturum: miſerat enim Theodericus, ut aliquot ab eo ſacrati uiri poſtulauerant, contra ius, fasq. Petrum Altini Epiſcopum, qui rem cognoſceret, Eccleſiamq. Romanam uiſitaret. Patres id quod Symmachus Pont. propoſuerat, æquum cenſentes, omnia Theoderico Regi, per legatos, ſignificarunt. Aduenere Rauennam legati, in tempore quidem, ſed cum negligentius negocium apud Regem tractaſſent, nihil impetrarunt. Hæc res & addidit animum aduerſariis, & magnam Romæ perturbationem intulit, neque renuit Symmachus, ſed Pontificia tum auctoritate ſepoſita, agi uoluit

de

de obiectis criminibus, eaque de re conuentus in Hieruſalem Palatii Seſſoriani baſilica indictus eſt. Is cum abſente Symmacho haberi cepiſſet, placuit quibuſdam Patribus, libellum, in quem conieceranṫ accuſatores a ſe obiecta Pontifici crimina, legi: itaq. lectus eſt: uerum de illo cum ageretur, & Symmachus cauſam ſuam dicturus, ad Conuentum pergeret, in itinere, ab irruentibus in eum ſatellitibus, quos inimici immiſerant, ita eſt affectus, ut multis ſacerdotibus, qui cum ipſo erant, uulneratis, cædes fuiſſet ſecuta, niſi uir illuſtris Aligernus Comes, Gudilaq. & Gideulfus, ſublimes uiri; iis enim titulis decorantur; magiſtri domus Regiæ, accurriſſent: quamobrem in ædes Vaticanas, unde egreſſus fuerat, tunc ſe recipere Symmachus, Aligerno, Gudila, Gideulfoq. comitantibus, coactus eſt. Ingenti deinde Romæ tumultu excitato, omnibusq. perturbatis, per litteras a Patribus omnia Rauennam ad Theodericum referuntur. cum interea Symmachus a Concilii Patribus, ſi ad Concilium ire uellet, admonitus, decreuiſſet, ſibi nequaquam eundum, quòd in tanta conuerſione rerum, ubi omnia plena diſcriminis intueretur, decerni quidquam non poſſet. Quamquam autem ſacris legibus compelli nequiret, ſe tamen Regi Theoderico uelle obſequi. Ceterum Theodericus, his acceptis, quamquam labe Arriana infectus, tamen permotus Diuino inſtinctu, reſpondit, In Synodali eſſe arbitrio, in tanto negocio, ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe, præter reuerentiam, de Eccleſiaſticis negociis pertinere: Committens etiam poteſtati Pontificum, ut ſiue propoſitum uellent negocium audire, ſiue nollent, quod magis putarent utile, deliberarent: dummodo uenerandi prouiſione Concilii, pax in ciuitate Romana, Chriſtianis omnibus redderetur. Hæc ille: Quibus Patres, quòd intelligerent, ad iudicandum, ſummæ ſedis auctoritatem obſtare, neque ſibi quidquam in hac re diſquirendum, ſed ſequendum, ne Eccleſiæ detrimenta augeſcerent, cauſam Diuino iudicio committentes, decreuerunt, Symmachum; quòd ad hominum iudicium pertineret; immunem, ac liberum eſſe. Huic ſententiæ Petrus Rauennas Archiepiſcopus, poſt Laurentium Mediolanenſem, in hæc uerba ſubſcripſit. *Petrus Epiſcopus Rauennas, huic ſtatuto noſtro, in quo totam cauſam Dei iudicio commiſimus, ſubſcripſi.* & poſt eum ſeptuaginta duo Epiſcopi ſubſcripſerunt; in quibus Geruntius Ficoclenſis; quem nunc Ceruienſem dicimus; fuit, haud ita diu poſt, ob Chriſti Dei fidem, capitali ſupplicio affectus. Poſtero anno, Fauſto, uiro clariſſimo, Anieno iuniore, & Probo Conſulibus, Theodericus Rex, aquam, Rauennam deduxit, cuius formam; hoc nomine aquæductum appellabant; ſuo ſumptu, inſtaurauit, quæ longis ante temporibus, ſolo æquata fuerat. Petrus Archiepiſcopus Romæ etiam fuit, interfuitq. & ſubſcripſit Concilio, quod octauo Id. Nouembr. in baſilica Vaticana, Symmachus Pont. habuit. Cum enim Odoacer Herulorum Rex, ſuperioribus annis, mortalia omnia tyrannide complens, neque etiam Diuinis abſtinuiſſet, ſanxiſſetq. per Baſilium, ſublimem, & eminentiſſimum uirum præfectum prætorio, & patricium, uices Regis agentem; eius ætatis ii tituli, & dignitates erant; ne inconſulto Rege, Pontificia comitia perficerentur, Symmachus ea in antiquam libertatem reſtituturus, Concilium uocauerat: ubi dictis ſententiis, ex omnium auctoritate, eiuſmodi ſublatum Decretum eſt. Aliquot etiam leges de prædiis Eccleſiarum ruſticis, & urbanis, ad Baſilium, quem

ANN. DII.

diximus

diximus, non alienandis, latæ, cum recitarentur, Petrus Archiepiſcopus Rauennas hanc ſententiam dixit. *Scripturam quæ in noſtra congregatione uulgata eſt, nullis etiam uiribus ſuſtineri manifeſtum eſt, quia nec canonibus conuenit, & a laicali concepta perſona uidetur: maximè quia in ea nullus Præſul ſedis Apoſtolicæ interfuiſſe, uel propria ſubſcriptione firmaſſe monſtratur.* Cautum deinde in eodem Concilio eſt, ne prædia ruſtica Eccleſiarum alienari in perpetuum liceret: & iidem fere omnes, qui ſupra, Epiſcopi ſubſcripſere. Interea Symmachi aduerſarii, quamquam tot grauiſſimorum Patrum ſententiis confoſſi, tamen nihil quieſcere, ſed libello edito, noua moliri, & aduerſus ſanctam Synodum calumnias texere: non omnes ſacerdotes ad conuentum uocatos, ipſos aduerſarios non auditos, obſecutos Theoderici Regis iuſſis Patres, ab uno Pontifice Concilium conuocandum, decernentis. Si Romanæ ſedis Antiſtes, nunquam minorum ſententiæ fuit ſubiectus, cur iudicari ipſe voluerat? D. Athanaſium Epiſcopum, huiuſmodi iudicium non ſubterfugiſſe, & alia huiuſmodi: Quibus alio libello ualde diſerto, ſynodali auctoritate ſcripto, Ennodius Romanæ Eccleſiæ Diaconus reſpondens, & oſtendit omnes accitos fuiſſe Epiſcopos, aduerſariosq. & ipſos à Rege, & libro edito ab omnibus ſatis auditos: nullam eſſe ueram ſynodum, quæ Romani Pontificis auctoritate careat: Diſſenſionum tempore Concilia, poſtquam abſoluta fuerint nulla eſſe, niſi ſui capitis, id autem eſt, Pontificis Romani fuerint auctoritate firmata. Quod a nemine iudicetur Romanus Pontifex, id illi non a Rege, ſed a Deo tributum: poſſe eundem ſponte ſua, aliorum ſe iudicio ſubiicere, & D. Athanaſium, quamquam nobiliſſimæ Eccleſiæ Antiſtitem, longe tamen dignitate Symmacho imparem extitiſſe: Quæ & alia complura, cum inſequenti anno, qui fuit poſt Conſulatum Anieni, Concilium ducentorum decem & octo Epiſcoporum, Romæ, ante confeſſionem D. Petri congregatum, ex ipſo libello audiuiſſet, placuit inter quartæ, & quintæ ſynodi acta, interponi: decretumq. ut Epiſcopus, qui ſpoliatus, uel de ſede ſua, ui, dolo, quocumqueve ingenio, deiectus fuerit, ad dicendam cauſam uocari, niſi prius in integrum reſtitutus, nequiret. Quoniam uerò Patres, de Symmachi accuſatoribus damnandis ad Concilium retulerunt, Symmachus quamquam nouis ſemper inſidiis appeti, & aduerſum ſe pleraq. illos moliri non ignorabat, tamen flagitauit, ut in illos mitius ageretur, & licet iuſtè damnarentur, tamen humanitate, ac miſericordia conſeruarentur: In illos etiam qui Epiſcopos, & Dei ſeruos inſectarentur, qui Eccleſias uaſtarent, qui circumuenirent, decretum: iiſq. decretis, poſt Symmachum, Laurentius Mediolanenſis, Petrus Rauennas Archiepiſcopi, & ceteri deinde Antiſtites ſubſcripſere. His autem uerbis Petrus Rauennas Archiepiſcopus ſubſcripſit. *Petrus Epiſcopus Eccleſiæ Rauennatis huic ſtatuto a nobis, inſpirante domino, peracto, ſubſcripſi.* Neque tamen omnes ob id, qui Laurentii partes aduerſus Symmachum fouebant, diſceſſerunt de ſententia, cum D. Gregorius in Dialogis ſcribat, repertum a Germano Capuano Epiſcopo, in thermis Angulanis, quò ſe Germanus ualetudinis cauſa contulerat; Paſchaſium Romanæ Eccleſiæ Diaconum Cardinalem, uirum & ſanctitate uitæ ſingulari, & doctrina, & miraculis poſt mortem editis, Clariſſimum, qui diceret, de pertinaciæ ſe crimine, ibi, iuſſu Diuino, purgare, iis, qui lauabantur, inſeruiendis, quo crimine, dum uixit, perpetuò Laurentii partes aduerſus Symmachum,

ANN. DIII.

chum, ſecutus fuerat. Tot peractis Romæ Conciliis, Petrus Archiepiſcopus Rauennam reuerſus, admirabile Diuum Apoſtolorum Principi templum extruere, ad opidum Claſſenſe, cœpit: ſed leui morbo correptus, uitam cum morte commutauit haud multo poſt, pridie Kalen. Sextil. Vir innocentiſſimus, moribus compoſitis, corpore gracili, tenuique, procera ſtatura, barba promiſſa, cuius gentiles ex Syria Diuis Apollinaris tempore, Rauennam uenerant. Sepultus eſt in Diui Petri, quod incœperat, uel; ut alii putant; in Diui Iacobi ad fontes, qua in ſententia eſt Andreas Agnellus: Cum enim ipſe, quo loco ſepultus eſſet Petrus Archiepiſcopus, hæſitaret, vnà cum Gregorio. Diui Apollinaris in Claſſe ſacerdote, & Diui Seueri æditimo, diuinitus incenſus, Apollinariam in ædem ſe recipiens, ad fontem, ubi D. Iacobo erecta ædicula erat, cum diligenter inquirerent, uidit ipſe, quique ſecum aderant, complures, ſepulcrum ex Proconiſſo lapide egregium, cuius cum operculum amoueretur, ex cypreſſo arca in conſpectum ſeſe dedit, cui erat Petri Archiepiſcopi imago inſculpta, his adſcriptis uerbis: *Domnus Petrus Archiepiſcopus*. Arca detecta ſuauiſſimi vnguenti odorem efflauit, cadauerque ſanctiſſimum uiſum eſt, omnibus integrum membris, perinde ac ſepulturæ traditum tunc primum fuiſſet. Hic Petrus, diuinos, nouæ legis ab Chriſto Deo traditæ, libros tabulis exaratos aureis, præſtantiſſimis gemmis ornauit, ad quos ſuam imaginem adiunxit, his uerbis inſcriptis, *Domnus Petrus Antiſtes ob diem ordinationis ſuæ ſanctæ Eccleſiæ obtulit*. Hæcque omnia diu in Vrſiano templo perſtiterunt. Huius Petri tempore Diuus Arnulfus, qui ex Regio ſanguine Francorum, Lothoringiæ Dux, poſtea uitæ ſanctitate, miraculiſque illuſtris, Turonenſium fuit Epiſcopus, ut teſtis eſt Sigibertus Rauennam uenit, cumque Petrum Archiepiſcopum inuiſiſſet, die quodam Dominico feſto, ipſi in æde Vrſiana Deum contemplanti, poſt matutinas preces, ferunt, animam uiri improbi nuper demortui ad infernos cruciatus locos ſempiternos a Dæmonibus pertractam, Arnulfique uiri ſanctiſſimi opem implorantem, uiſam fuiſſe, pro qua cum Arnulfus Deum rogaſſet, ad corpus rediiſſe; eumq. deinde uirum rediuiuum, ingentem Arnulfi uirtutem, & multa merita narrare ſolitum, Quamobrem cum maximus Arnulfo honor apud omnes conciliaretur, Rauenna illum, honores omnes fugientem, occultè abiiſſe. Templum quod Petrus Archiepiſcopus incœperat, D. Petro dicatum, omnium, qui tunc in Italia eſſent, pulcherrimum, teſtantur: fuiſſeq. arbitrantur Capitolium illud Iouis, de quo, uti ſupra memorauimus, in D. Apollinaris Archiepiſcopi uita, Eleocadius eius diſcipulus, atque item Archiepiſcopus Rauennas meminit, tercentenas aras habuiſſe. Hoc autem ab Theoderico Rege impetratum, Deo, ac D. Petro, Petrum hunc Archiepiſcopum dedicaſſe. In eo pictam Chriſti imaginem fertur adeo exactè, diligenterq. & eius ſimilem, ut cum in Aegypti ſolitudinibus uaſtiſſimis; quæ monaſteriorum plenæ, & monachorum magna multitudine, ſanctitateq. & monaſticæ uitæ inſtitutis florentiſſimæ uigebant; uir quidam ſanctus ſuppliciter, ſeduloque a Deo peteret, Chriſti imaginem ſibi oſtendi, audierit, Rauennam, ut pergeret, in

M Diui

Diui Petri illam viſurum. Quapropter duobus Leonibus comitatus, Ra-
uennam quàm celerrimè cum veniſſet, & imaginem fuiſſet ſupra fores
templi conſpicatus, eamque genibus innixus toto animi feruore venera-
tus, ex hoc lacrymabili hoſpitio, celeſtem in patriam euolauit. Leones
ſepulturæ locum, humo pedibus egeſto, effodientes, unà cum populo,
qui ad rei miraculum accurrerat, uirum ſanctum in foſſa deponunt, & hu-
mum ſupra congerentes, tumulum ex more componunt. Ingenti dein-
de fremitu rugientes, geſtibus præſeferentes maximum dolorem, tandem
interiiſſe fama eſt, nouæque rei timore perculſos omnes, foſſis hinc atque
hinc factis, ibidem Leones ſepeliſſe. In Rauennati Archiepiſcopatu Au-
relianus Petro ſubrogatus eſt, ætate quidem iuuenis, ſed ſenex prudentia,
atque mira ingenii felicitate: quam ita cum optimis moribus coniunxit,
ut omnibus eſſet uehementer carus. Templum ſacrauit, quod D. Martino in
Cælo aureo dicauerat. Interea Theodericus Rex admirabili benignitate u-
ſus, in antiquam felicitatem, & decus priſtinum reſtituiſſe, & quieta ſibi
ANN. DIIII. omnia conſtituiſſe uiſus, Cetheo Conſule, per Petzam, & Mundum Duces
ſuos uictis Bulgaris, Syrmium Italiæ adiecit, ac omnem Pannoniam, ſuam
fecit. Saluianus Maſſilienſis ſacerdos, qui hoc tempore uixiſſe dicitur, con-
cione, quam ſcripſit de ſpectaculorum uanitate, indicat multos ſpectaculo-
rum cauſa Romam, Rauennamq. adire per id tempus conſueſſe, miſceriq.
cum Rauennati populo in theatris, cum Romano in ludis: & quamquam eos
magnopere reprehendit, & quidem iure, meritoque; tamen hinc poſſumus
Rauennæ amplitudinem, ac celebritatem intueri: Quo etiam fiebat, ut com
migrantibus huc aſſiduè gentibus, ex tantæ multitudinis concurſu, Ra-
uenna aliquando inopia, & caritate rei frumentariæ laboraret: Itaque con-
uehebatur è Liguria triticum, quemadmodum ſæpe Rauenna ad Ligures:
quod uel ex eo poteſt cognoſci, quod Vniligis Saioni Theodericus Rex
ſcribit, his verbis. *Atque ideo præſenti decreuimus iuſſione, ut quantas in Rauen-
nati vrbe ſulcatorias potueris reperire, frumentis fiſcalibus oneratas, ad nos uſque
perducas. Reddat Rauenna copiam Liguriæ, quam ex ipſa conſueuit accipere.* In
tanta Theoderici felicitate Alaricus eius gener Gothorum Rex, ab Clodoueo
Rege Francorum, uxoris fratre, commiſſo prœlio interficitur in campis
ANN. DVI. Volgadenſibus, Aquitaniaq. occupatur. Theodericus cum uterque affinis
eſſet, iuſtiorem putans Alarici cauſam, propterea quod cum Arrianis ſenti-
ret; nam decem ante annis Clodoueus a D. Remigio Rhemorum Archiepi-
ſcopo, & fidem catholicam, & ſacrum baptiſmatis lauacrum, vna cum vni-
uerſa Francorum natione, primus ex eius gentis Regibus, acceperat; qua-
draginta millium armatorum coacto exercitu, eum ad Amalaricum, Ala-
rici generi filium mittit, ut patrem ulciſcatur, & ereptam Regni partem re-
cuperet. Quod feliciter euenit Carcaſſone, & Arelate obſidione liberatis,
ANN. DVIII. Auraſico, Tholoſa, Maſſiliaq. receptis, ſuperato tandem, & inde reiecto Clo-
doueo: multa autem Francorum & Gallorum millia Rauennam relegata
ANN. DX. ſunt, quos biennio poſt, anno decimo ſupra quingenteſimum a partu Vir-
ginis, Boetio, clariſſimo philoſopho, Conſule, redemit Cæſarius Are-
latenſis Epiſcopus. Qui apud Theodericum accuſatus, quod cœnobium
ſorori,

ſorori, ac ſacris aliis uirginibus a ſe conditum, ac deinde in obſidione vrbis a Theoderico euerſum, inſtaurare cœpiſſet, Rauennam, cuſtodia ſeptus, adductus eſt. Hunc, Rex, in cubiculum admiſſum, & conſtanter ſalutantem, uenerabundus, aperto capite aſſurgens, accepit, ac de labore itineris, deque Gothis, Arelatenſibusque percunctatus eſt. Dimiſſo inde illo, conuerſus ad ſuos, malum, inquit, eis, qui tam ſancto uiro, tantam itineris moleſtiam præbuerunt: nam hic quantus ſit, ex eo conieci, quod illo ad me primum ingrediente, ferè totus cohorrui, & angelicum in eo uultum notaui: quamobrem omninò eſſe nefas arbitror, durius quidquam in uirum adeò uenerabilem ſtatuere. Miſit deinde ad eum in hoſpitium, loco muneris, diſcum argenteum, magni pretii. Ceterum cum tanta ad eum pauperum conflueret multitudo, ut uix pateret acceſſus, Senatores, ac nobiles ad eum certatim diſpenſandas pecunias contulerunt, quando diſco uendito, redactaq. pecunia, captiuos omnes Gallicos, ſuperiore bello factos, redemerat. Eò factum eſt, ut Symmachus Pontifex, & clerus omnis Romanus, eius uiſendi deſiderio flagrantes, Romam acciuerint, quò & ipſe profectus eſt. Theodericus Gallia potitus, eam pro Amalarico, dum adoleſceret, optimè adminiſtrauit. Tridentum urbem in Alpibus, muro cinxit, quod & fecit Patauii: Italiam autem omnem ab externo hoſte tutatus eſt, caſtello Veruca ad Atheſim, munito, & collocatis apud Auguſtam Prætoriam Herulis. Per id tẽpus Aurelianus Rauennas Archiepiſcopus, abſoluere aggreſſus Tricollim, quã Petrus Chryſologus fundauerat, moritur VII. kal. Iun. ſepultus in templo Apoſtolorum iuxta ambonem à monumento Neonis haud procul: cum undecim annos præfuiſſet. Sufficitur illi Eccleſius, ex nobiliſſima Rauennati Præfectorum familia, planis capillis, hirſuto ſupercilio, canitie modica, forma haud inelegant, ſumma uitæ innocentia. Anno a Chriſto nato quingenteſimo decimo quarto. M. Aurelius Caſſiodorus, Senator Rauennas, Conſulatum ſolus geſſit, eo maiore laude uirtutis, quod ut ipſe teſtatur, *adunato clero, nel populo Romano, Eccleſiæ redijt optata concordia*. Proximo Florentio, Anthemioq. Conſulibus, Theodericus Rex, Amalaſuentam filiam, ex Andefleda uxore, Eutharico, ex nobili Amalorum familia Veterici filio, ex Hiſpania euocato, nuptiis inſigni pompa, & Regio apparatu Rauennæ celebratis, nuptui tradidit. Hunc Eutharicum Theodericus cum unice diligeret, non ut generum, ſed filii loco; cum ipſe maribus careret; ſemper habuit, & in ſpem hæreditatis Italici Regni apud ſe uoluit eſſe: Ormiſda hoc tempore, Symmacho iam mortuo, Romanæ Eccleſiæ præerat, & Anaſtaſio Cæſari, Catholicos fatigare incipienti, cum Ormiſdæ Pontifici monenti, ſuperbe reſponderet, ſpecies primum terribilis pauorem, mox fulmen, mortem, ſeptimo & uigeſimo Imperii anno, attulit: cui Iuſtinus Thrax, ſumma religione Princeps, ſucceſſit. Is cum ſtatim Gratum nomine, ad Ormiſdam Pont. Max. legatum miſiſſet, anno quingenteſimo decimo octauo, de redintegranda Eccleſiarum concordia, Ormiſda Rauennam ad Theodericum conſulendum acceſſit, req. cum eo communicata, legatos Conſtantinopolim deſtinauit ad recipiendum in gratiam eos, qui Acatii, Petri, Timothei, & Dioſcori nomina ex Diptychis exemiſſent. Quamquam autem Eccleſiarũ Diptycha putantur fuiſſe tabulæ ſacræ duæ, quarum in altera uiuorum, in altera mortuorum Epiſco-

ANN. DXIIII.

ANN. DXV.

M 2 porum

porum qui recitabantur in ſacrificio Miſſæ, nomina deſcribebantur, non erit tamen fortaſſis abſonum opinari, fuiſſe etiam quandoque ueſtem illam, qua, ſupra ceteram, induitur ſacerdos, cum Miſſam celebrat, caſulam, & Planetam appellant. In hanc ſententiam adducit me, tum quòd ea ſit ueſtis duplex, anterius, ac poſterius ex humeris delabens, tum quòd inter ſacras Diuorum reliquias, in claſſenſi ſacrario, huiuſmodi ueſtem repererim, uel antiquitate uenerabilem, in qua talia inſcripta ſunt nomina. Eodem hoc anno Amaluſuenta Eutharici uxor, puerum Athalaricum peperit. Theodericus Rex Eu-
ANN. DXIX. tharicum Conſulem anno quingenteſimo decimo nono fecit. In quo munere ſe mitem adeo, & Commodum Romanis præbuit, tanto ſplendore, eaq. magnitudine temperantiam condiit, & æquitatem, ut hoc anno multa uiderit Roma miracula, ſtupente etiam Symmacho Orientis legato. Gothis, Romaniſq. & dignitates multas tribuit, & munera præbuit, & in amphitheatro ludos, quo ex Africa feræ numquam hactenus Romæ uiſæ, adductæ ſunt, celebrauit. Itaque Roma abeuntem, ſummis omnes laudibus efferre, nobilioreſq. Romani ciues, non modo tunc, Rauennam uſque comitari, ſed deinde ſæpe, pro incredibili beneuolentia, ac obſeruantia, Rauennam uenire, eumq. inuiſere. Quamobrem ipſe, qui liberalitate, & magnificentia nemini cedebat, & magno ludos apparatu Rauennæ celebraret, Romanos, Gothoſq. qui iam Rauennates erant facti, magnificentiſſimis muneribus ornare, *ut ſolus*, quemadmodum horum auctor ſcribit Caſſiodorus, *potuerit ſuperare, quem Romæ celebrauerat Conſulatum*. Hoc tempore Olybrius Rauennas uir nobiliſſimus, maximaq. cum auctoritate, tum potentia, non abſque opinione ſanctitatis monachus factus, in Galigatenſi cœnobio uigebat. Cum enim per hos dies adoleſcens Etruſcus, Hilarus nomine, diligentius Deo operam, & ſtudium nauaturus, paſſibus mille iuxta uicum Galigatam, Rauennatis Diœceſis, in præcelſo, atque edito monte, ſub quo Vitis amnis defluit, ab incolis, ut nos, quo, tempore ibidem fuimus, accepimus, Bidens appellatus, ſeſe conſtituiſſet, iamq. adoleſcentis fama ſumma celebritate ab omnibus audiretur, Olybriusq. Rauennas patricius, cacodæmone arreptus, miſerè affictaretur, & omnia fruſtra remedia expertus fuiſſet, repente Dæmon, ui Diuina impulſus, exclamare, donec non adduceretur ad puerum Dei Hilarum, ſe inde numquam diſceſſurum. Vxore, omniq. familia tum deflente, interrogatus Dæmon, quiſnam is eſſet adoleſcens, atque ubi commoraretur, manere illum in monte, ac ſolitudine reſpondit, eumq. montem ad Bidentis amnis ripam eſſe, ubi ſibi ædificaſſet Hilarus templum, & ibi dem die, noctuq. in Dei laudibus, & contemplatione rerum Diuinarum uitam ageret: duos & uiginti annos eſſe natum, breui ſtatura, barba modica, pilis tunc primum prodeuntibus, aſſidueq. cælitibus comitibus uti. Quibus acceptis, omnis familia, cũ Olybrio, ad Hilarum profecta, ubi a loco, in quo tum forte Hilarus Deum orabat, quantum iactus lapidis eſt, procul fuiſſet peruentum, gemens Dæmon, magnoq. concuſſus tremore, curſu rapidiſſimo ad Hilarum properauit, a quo inde tandem pulſus eſt. Olybrius immortalibus, Deo primum, deinde Hilaro gratiis, unà cum coniuge, ac omni familia actis petere, uti uitæ piè traducendæ regulam, normamque ſibi præſcriberet: quod Hilarus audiens, & præ gaudio lacrymans, poſtquam legem Chriſti Dei edo-
ctus

ctus omnes illos fuit, a ſacerdote illac forte tranſeunte, qui Aretio Rauennam pergebat, iuſſit Olybrium, eiusq. familiam, homines circiter nonaginta, id flagitantes, ſacra baptiſmatis vnda expiari, quemadmodum ex uita Hilari, a Paulo eius diſcipulo ſcripta, cognoſci poteſt. Tertio poſt die, Euſtaſia, Olybrii uxor, ex hominum uita migrauit. Olybrius unà cum Iunio, & Eunomio filiis, ſumpto cucullo, monachus ibidem factus, prædia ſua omnia illi cœnobio dono tradidit: unde non modo omnibus monachis, qui iam ad Hilarum multi conuenerant, abundè uictus ſuppeditabatur, ſed multum etiam pecuniæ erogabatur uiduis, pupillis, atque aliis egentibus. Verùm tanta ſolitudinis, ab Hilaro, atque Olybrio plurimum expetitæ, quies, ab Theoderico Rege perturbata eſt; qui ad eas radices Apennini, vnde; ut aliqui putant; Rauennam aquam deduxerat, iuxta Bidentem amnem, ædes ſibi magnificas, quò ſecedere interdum ſolebat, conſtruxit. Cœpit enim frequentari Hilari cœnobium: ex quo tamen Hilarus id fructus collegit, quod familiares Regis aliquot, uiros nobiles, Chriſti ab ſe legem, ac præcepta edoctos, monachos fecit, in diesq. faciebat, cum uir impius quidam Theoderico nunciat, præcepta Regia Hilarum contemnere, multos ex familiaribus abalienare, ad ſeq. adducere, & aliquorum ſuſpicionem eſſe, per eum modum collecta egregiorum, & præclare audacium ſatis magna manu; ut ſolent huiuſmodi initia ab imprudentibus plerumque contemni; nonnullos ex ipſis repen tino facto impetu, Regni illius tranquillitatem, ac pacem perturbaturos. Rex uehementer his commotus, centuriones quattuor cum ſuis militibus mittit, qui Hilarum capiant, ad ſeq. pertrahant. Verùm milites ad prædiolum cœnobio propinquum cum ueniſſent, in uallemq. deſcenderent, Hilarianam familiam prædaturi, Hilaro Deum rogante, pro ſuorum incolumitate, aliam uiam ingreſſi, biduo, quo tenderent, incerti, per eos montes uagati ſunt. Quamobrem percitus ira maiore, conſcenſo equo Theodericus ad uirum Dei adit: Ceterum ad monaſterii ſepta cum perueniſſet, equus ſubſiſtens, nullo vmquam potuit calcarium, aut uerborum impetu propelli. Intellexit Theodericus ui Diuina id fieri, eſſeq. uirum illum ſanctiſſimum, & falſa ſibi relata fuiſſe. Miſit itaque ex ſuis Senatoribus duos, qui ſuppliciter uirum ſanctum rogarent, ad Regem ut accederet: quod fecit Hilarus libenter, eumq. Rex benignè complexus, ſecum in Hilariano antro comedit, ab eoq. die tanta ueneratione hominem eſt proſecutus, ut multis cœnobium prædiis ditauerit. Vbi Hilarus, cum Olybrium Rauennatem in cælum præmiſiſſet, uita ſanctè acta, multisq. miraculis editis clariſſimus, annos natus octuaginta duos, Idibus Maii, mane in cælum ipſe quoque diſceſſit, ibidemq. eius corpus ſanctum a monachis ſuis ad ſepulturam datum eſt; teſte, uti ſupra memorauimus, Paulo, ex ipſis monachis uno, qui eius uitam, vnde hæc excerpſimus, deſcripſit. Per id tempus, Iuſtinus Imperator Catholicæ religioni addictus, ubique eam fouebat, & uiros ſanctos, locaque ampliſſimis beneficiis ornabat. Anno primo & uigeſimo ſupra quingenteſimum, Iuſtinianus, qui fuit poſtea Imperator, Iuſtini Auguſti ſororis filius, Conſulatum Orientalem geſſit, Valerius Occidentalem. Iuſtinianus ubi præclaræ ſuæ indoli, quam deinde toto Imperii curſu longe reddidit illuſtriorem; datam a tam claro Magiſtratu, beneficentiæ cauſam uidet, largitionibus onerat, ornatque populum, &, ut inquit Mar-

ANN. DXXI.

cellinus, *famoſiſſimum hunc Conſulatum, præ Conſulibus omnium Orientalium, edidit: nam CCLXXXVIII. ſolidorum H-S. libera Conſulum perfecta munificentia in populum, inq. ſpectacula, ſiue ſpectaculorum machinam, diſtributa ſunt. Viginti Leones, Triginta pardos exceptis aliis feris, in amphitheatro ſimul exhibuit: numeroſos præterea, phaleratosq. in Circo caballos, iam donatis quoque impartiuit aurigis, una dũtaxat, ultimoq. mappa inſanienti populo denegata.* Proximo
ANN. DXXII. anno, ambo Conſules Occidentales fuerunt, ſummi uiri, & doctrina, opibusq. præſtantes, Symmachus, & eius gener Boetius: Is cum in Conſulatu, nefariis Gothorum quorumdam, qui ualebant auctoritate, & gratia, ſeſe obieciſſet auſibus, magnam ſibi apud Regem, & ceteros inuidiam conflauit. Ita-
ANN. DXXIII. que ſtatim ut Conſulatu abiit, accuſatus eſt a Baſilio, Opilione, & Gaudentio: ex quibus Baſilius olim Regio miniſterio depulſus, ad eam poſtulationem æris alieni neceſſitate deſcendit. Opilio uerò, & Gaudentius, cum ob multa flagitia exilio deſtinati, ad ſacras ædes, recuſantes imperium, confugiſſent, Rex edixit, ut niſi intra præſtitutum diem Rauenna diſcederent, frontibus inuſtis expellerentur: atque eodem tamen die, deferentibus eiſdem, Boetii nomen acceptum eſt, Ormiſda Pont. Max. eodem anno, non multo poſt moritur, in eiusq. locum Ioannem Tuſcum, Conſulatu Maximi, ſubrogant: quo tempore Iuſtinus Cæſar, ueræ pietatis ſtudio incenſus, cum delere, quoad
ANN. DXXIIII. eius fieri poſſet, hæreticos ſtatuiſſet, Arrianos, expulit, eorumq. templa ſanctæ religionis cultoribus aſſignauit, edixitq. ut omnibus Imperii locis idem ſeruaretur. Concitus ob id Theodericus, Ioannem Pont. Max. Eccleſium Archiepiſcopum, Theodorum Hipatium, duosq. Agapitos, & Importunum; quem Franchinus, & Ferrettus ex Trauerſariis Rauennatibus fuiſſe ſcribunt; uiros Conſulares, ad Iuſtinum Legatos mittit, Rauennamq. ad ſe accerſitis, dedit mandata, ut hominem hortarentur, Arrianos ut reſtitueret, alioqui omnia ſe Italiæ templa, ac ſacratas ædes demoliturum. Iuſtinus Legatos,
ANN. DXXV. Ioannem Pontificem præſertim, maximis honoribus excepit: nam & populus omnis obuiam illi ab vrbe procul cum ſacra pompa proceſſit, & Iuſtinus ad pedes ſe Ioannis Pontificis aduoluit: quem etiam Pontificem ferunt miraculis eo loco inclaruiſſe. Legati expoſitis mandatis, quæ a Theoderico acceperant, cum flectere Iuſtini animum non poſſent, ad lacrymas uerſi, ac ſupplici-ter petentes, ut perituræ Italiæ, uirisq. omnibus bonis, ac religioſis ſubueniret, eò tandem pium Cæſarem perpulere, ut differre edictum pateretur. Verum hæc, quæ ſcribuntur ab aliis, qua ratione eſſe vera queant, planè, fateor, ignoro: Neq. enim ueriſimile putauerim, Pontificem in fide catholica tuenda ita conſtantem, ut quam ab ea deficere, mori maluerit, legationem pro ſeruandis hæreticis ſuſcepiſſe. Accedit ad hæc, ipſum ſuæ Conſtantinopolim profectionis, cauſas duas adducere, religionis catholicæ alteram, alteram Thoderici Regis, quibus patet, Catholicæ religionis cauſam, à Theodericiana ſeiunctam: Quamquam neque ipſe affirmat, ſe a quoquam illuc miſſum, ſed Conſtantinopoli fuiſſe ait: Quæ eo confirmari magis uidentur, quò rediens, non ad Theodericum Rauennam uenit, ut legatum decebat, ſed recta Romam abiit, ibiq. perſtitit, dum Rauennam uenire a Theoderico iuſſus, in carcerem cõiectus eſt. Quemadmodum enim reuerſus in Italiã, nullo huius uitæ periculo deterritus, Epiſcopos Italiæ hortatus eſt, ut Eccleſias Arriana labe pollutas, conſecrarent,

ita probabile non uidetur, Conſtantinopolim abiiſſe, vt contrarium impetraret. Hinc in Dialogis D. Gregorius, perrexiſſe illum, non miſſum ſcribit. Idem Marcellinus Comes teſtatur, aſſeritq. cauſam profectionis fuiſſe, quòd Theodericus Rex pro Arrianorum ſuorum cerimoniis reſtituendis, laborare iam cepiſſet. Quò etiam factum eſt, ut plerique vim irati Regis effugere non potuerint. Inter hos Boetius, & Symmachus eius ſocer duo clariſſima Italiæ lumina, numerantur. Cum enim in ſuſpicionem affectatæ libertatis veniſſent, vt Boetius ipſe libris de conſolatione philoſophica teſtatur, neque vellent nefariæ Regis ſententiæ, Arrianisq. aſſentiri, ac potius Boetius, vt erat religione, ac morum caſtitate inſigni, in Arrianos elegantiſſimo libello inueheretur, ipſe Rauennam primò, apud Theodericum, relegatus eſt, mox Ticinum. Quamquam per id tempus Theodericus D. Petri templum, Romæ, trabe ornauit argentea, mille, & quadraginta librarum: ceroſtatis item argenteis duobus, librarum ſeptuaginta: ne Iuſtino Cæſari, & Hilderico Regi Vandalorum in Africa, Romana templa, maximis donis tunc exornantibus, concederet: Quod, & Clodoueus Rex Francorum fecerat. Tranſimundo Regi Vandalorum in Africa, vita functo, ſucceſſerat tunc primum Hildericus: Hildericum genuerat Eudocia Rauennas, Valentiniani Auguſti filia, eumque mater, quod in viro non potuerat, religione, ac monitis piè educauit. Itaque quamquam Sacramento adactus a Tranſimundo, Catholicis ne parceret, tamē Epiſcopos Catholicam fidem ſeruantes, ipſo Regni initio, ab exilio reuocauit, ſeptemq. totos annos quibus regnauit, Chriſtianam religionem, in Africa, integram, ab omniq. hæreſeos perfidia intactam habuit. Placidia matertera, Eudociæ ſoror, Olibrio iam deſponſa, nulli tamen vmquam viro copulata, Rauennæ nata, aliquot ante annis è vita exceſſerat. Factum, ipſa petente, diuinitus nonnulli exiſtimant, vt Olibrii ſponſi congreſſus, direptione vrbis vitauerit: Nam Olibrio, ab eam cladem, fuga Conſtantinopolim abeunte, ipſa captiua facta, & in Africam abducta, Valentiniano præſertim patre; in cuius locum ſubrogari, ob tale coniugium, ſperare Olibrius poterat; con trucidato, abiecta ſunt perficiendarum nuptiarum conſilia, a quibus Placidiam perpetuo abhorruiſſe, vniuerſa ipſius vitæ ratio facilè perſuadet. Nam in Gallæ Placidiæ auiæ ſinu primos adoleſcentiæ annos, præclara ſanctitatis ſignificatione egit, & tractationi rerum Diuinarum aſſiduè intenta, ſanitati reſtituit Anianum, ciuem Rauennatem, in primis nobilem, & Gallæ ipſi, Valentinianoq. carum. Is ſumma templi D. Ioannis Euangeliſtæ, Rauennæ, ab Galla Placidia, de quo ſupra diximus, dedicati, vt in nouo ædificio, & ab fœmina Principe extructo, pererrans, omnemque operis, ac ſubſtructionum dignitatem perluſtrans, pede lapſus, præceps in terram defertur, membriſque confractus, vix reſpirans, non abſque maximo Auguſtorum, ceterorumque Rauennatum dolore, in cubiculum reducitur. Placidia auia, vt Deum pro illius vita, incolumitateq. precaretur, & ipſa accurrit, & Placidiam neptem de eadem re hortata eſt: Quæ eam Diui Euangeliſtæ, atque Apoſtoli ſacram ædem ingreſſa, poſtquam Deum, Diuumque precata eſt, abſtracta a ſenſibus, diu alta animi contemplatione defigitur. Quo loco eam conuenit Anianus, incolumem ſe teſtatur, viſumque ſibi virum fuiſſe, quem, qualis eſſet, comprehendere, nimio fulgore præſtricta acie, minime potuerit: Pontificiis

ficiis fuiſſe tamen veſtibus, ornamentisq. indutum, ac ſibi, vti Placidiam ipſam virginē adiret, edixiſſe, gratiasq. illi ageret, cuius precibus, vitam illi Deus ſeruaſſet. Hæc, accepta ſibi ne ferrentur, virgo, vt magna animi demiſſione, plurimum laborauit, ſic ipſa magnitudo rei, & Anianus maxime diuulgarunt. Poſtquam verò in Africam, cum matre, ſororeq. traiecit, perpetuaque innocentia, ac pietate, iuuentutem traduxit, inclinantibus iam annis, cum liberius colloquendi, abeundiq. facultas tribueretur, honeſto famulatu ſumpto, loca ſancta Paleſtinæ inuiſere decreuit. Eius ſanctæ peregrinationis incommoda, mira alacritate exhauſta, percurrere ſi velim, nimius, in hac præſertim hiſtoria, videar, quemadmodum ſi, & pietatis ſtudium in ſacro viſendo Chriſti Dei ſepulcro, omnibusq. Hierſolymitanis miſteriis, explicare contendam. Annos ibi duos peragrauit potius, quàm perſtitit, cum aſſiduè huc, illuc ad ſancta loca concurreret. Ceterum Eudocia interea ſoror moritur: cuius de obitu poſt quam ſibi renunciatum eſt; cum antea Eudoxia quoque mater exceſſiſſet è vita, & in Africa magni de religione tumultus miſcerentur; Rauē nam redire ſtatuit. Cum autem Tripoli ſoluiſſet, ſatisq. magnam peregrinorum egentium, qui illam ſequebantur, Turbam ſecum afferret, ſiue tempeſtate actæ naues fuerint, ſiue nouæ tunc primum ſurgentis vrbis deſiderio duceretur, nonnullorū fortè etiam peregrinorum ſermonibus incitata, Venetias appulit: inde Veronam acceſſit: vbi omnibus accepta humanitatis officiis, cum aliquot menſes, rogatu Ciuium perſtitiſſet, Drudam, Horabilis, feminæ primariæ, filiam, quam ſuis tectis receperat, ſubito morbo, voce, auditu q. deſtitutam, nullisq. ab remediis adiutam, precibus ad Deum fuſis, in ſanitatem reſtituiſſe ferunt. Verum haud ita diu poſt, febre correpta, numen Diuinum appellans, quincto Id. Octobr. ex hoc mortali carcere, ad perpetuam libertatem, ſempiternaq. premia abiit. In D. Stephani baſilica, quæ tunc maxima Veronæ ædes erat, ad ſepulturam data eſt, incredibili Veronenſium frequentia, luctuq. Multa deinde ad eius ſepulcrum inſignia miracula, & tunc ſucceſſere, & indies ſuccedunt. Atque de Placidia ſatis hæc ſint: ad Boetium redeo. Is Ticini tandem in carcerem contruſus, necatur. Sunt tamen qui velint, ſi Ricobaldo aſſentimus, quarto exilii anno, Boetium in agro Mediolanenſi comprehenſum ab Theoderici ſatellitibus, & ſtrangulatum. Symmachū Rauennæ, in libera cuſtodia, honoris ſpecie, habitum, tandem quincto kal. Iun. obtruncatum. Haud diſſimili euentu, quo noſtra ætate Henricus Anglorum Rex Octauus, ab auctoritate Romani Pontificis, ſuaq. preſtina pietate diſcedens, vol ensq. vxore Catherina, Ferdinandi Hiſpaniæ Catholici Regis filia, & Caroli Quincti Cæſaris Auguſti matertera, repudiata, Annam Boleinem, natam obſcuro loco; niſi quod non abſque multis indiciis, ipſiuſmet Henrici filia habebatur; in matrimonium ſibi collocare, Thomam Morum, & Ioannem Fisherum, Epiſcopum Roffenſem in carcerem coniectos, capite mulctauit: cum optimi, ſanctiſſimiq. viri, veræ iuſtitiæ, ac religionis pleniſſimi, ab improba adulatione, & impio Regis conſilio abhorrerent: Ipſeq. Morus, qui, quòd Regi a ſecretis eſſet, illius inſani conſilii particeps credebatur, apud populum publicè cauſam ſuam dixiſſet. Sed quamquam, Catholici viri munus, fœda morte, ob inſanientis Regis barbariem, perſoluerunt, eorum tamen iucundiſſima, ſanctiſſimaq. apud omnes memoria, cum æternitate integra

tegra, & laudata viuet, quemadmodum de Boetio, & Symmacho nunc videmus. Neque verò minori Theodericus rabie in Ioannem Pontificem Max. Conſtantinopoli Romam reuerſum, ſæuiit. Cum enim reſciuiſſet quanto honore fuiſſet acceptus, quaſi in ipſius contumeliam factum, ægrè admodum tulit: præſertim intelligens Ioannem cum Iuſtino, aduerſus Arrianos ſentire. Itaque optimum Pontificem, nulla eius ſacroſancta auctoritate permotus, Rauennam venire cum ſociis itineris iuſſum, in carcerem contruſit, parumq. omnino abfuit, quin eum confeſtim interficeret. Verum, Ioannes nihil deterritus, ſed caritate Epiſcopali, ac planè Apoſtolica in dies magis incenſus, cauſam tueri Catholicorum non deſtitit, & Tert. Id. Iun. ad Epiſcopos Italiæ ſic ſcripſit. *Ioannes Epiſcopus omnibus per prouincias Italiæ conſtitutis Epiſcopis, in Domino ſalutem. Sæpiſſimè multo iam experimento didici ſanctum pietatis veſtræ ſtudium, circa religionem Chriſtianam, glorioſis creſcere, & dilatari augmentis, & fides recta, quæ non ſolum me, ſed omnes Domini ſacerdotes conſolatur, & roborat, veſtris in mentibus, & operibus, per ſacerdotale agnoſcitur opus, & dilatatur. Quapropter fratres hortor vos, & moneo contra Arrianam perfidiam, quæ olim non ſemel, ſed ſæpe damnata eſt, & modo in quibuſdam reuiuiſcit, armari gladio ſpiritus ſancti, ut eam, adminiculante Diuina gratia, opprimere, & extirpare valeamus, vt nec radix eius in poſterum inueniatur. Eccleſias verò Arrianorum vbicumque inueneritis, Catholicas eas, Diuinis precibus, & operibus, abſque vlla mora, conſecrate: quia, & nos, quando fuimus Conſtantinopoli, tam pro religione Catholica, quam & Regis Theoderici cauſa, ſuadente, atque hortante, Arrianosq. extirpante piiſſimo, atque Chriſtianiſſimo, iuſtiſſimo Iuſtino, Orthodoxo Imperatore, quaſcumque in partibus eorum Eccleſias reperire potuimus, Catholicas eas, Domino opem ferente, conſecrauimus. Et quamquam prædictus Theodericus Rex, eorum peſte tactus intrinſecus, & obuolutus extrinſecus, nos, & omnem regionem noſtram perdere, & gladio, & igne conſumere minetur, nolite tamen propterea deficere, ſed viriliter in agro Dominico elaborare ſtudete, & iuxta veritatis vocem, nolite, timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius eum timete, qui poteſt animam, & corpus mittere in gehennam.* Hæc optimus Pontifex, qui, & alia multa in eandem ſententiam adſcribit, quæ conſcientiam puram, robur inuictum, ardorem incredibilem, contemnentem, & latebras, & vincula, & tormenta, & mortem tandem ipſam, præſeferunt. Periit ſanctiſſimus vir, Rauennæ, vti etiam memoriæ prodit Anaſtaſius Bibliothecarius, ſexto kal. Iun. in carcere, pedore, ſitu, & inedia, conſulatu Olybrii. Romam cadauer Rauenna allatum, & tumulo conditum in D. Petri. Haud multo poſt, vti ſcribit Procopius, cum cænanti Theoderico piſcis caput eſſet appoſitum, refugiſſe Theodericum ferunt, quaſi Symmachi, ſuo iuſſu interfecti, faciem oblatam, quæ ſæuos oculos in eo defigeret, truci aſpectu, labio inferiori mordicus apprehenſo: cuius ſpectaculi atrocitate perculſus, ſubito horrore corripitur. Itaque regreſſus in cubiculum, lecto decubuit, atque adhibito Elpidio Medico, re expoſita, patratum a ſe in Symmachum, Boetiumq. facinus, acerbè flere inſtituit. Nonageſimo Octauo tandem die poſt Ioannem Pontificem, qui dies, quarto Non. Septembr. fuit, eodem Olybrio. V.C. ſolo occidentali Conſule, anno a partu Virginis quingenteſimo vigeſimo ſexto, apoplexia moritur, ſeu, vt aliis viſum eſt, ventris fluxu, ſummi cruciatibus malè affectus, tertio, & trigeſimo

ANN. DXXVI.

anno Italici Regni. Viſa eſt eius anima, eodem quo interiit die, ab Eremita, cui Calogero fuiſſe nomen pleriquc ferunt, in Lypareum ignem, ab Ioanne Pontifice, & Symmacho contrudi, uti affirmat D. Gregorius in Dialogis. Hunc autem Regem, ſi Ioannis Pont. Max. & Boetii, Symmachiq. necibus abſtinuiſſet, & Arriana hæreſi non fuiſſet imbutus, facile quiſque poſſet cum quolibet Cæſarum comparare: nam & corporis ſpecie, & virtutibus animi, quæ maxime Auguſtum virum, & ceteris præfectum decent, ornatiſſimus fuit: ſupplicationi autem Diuinæ aſſiduam operam dediſſe; teſtatur eius nepos Athalaricus Rex. Veteribus ædificiis reſtituendis, nouisq. excitandis apprime intentus, Romam, Rauennam, & omnem penè Italiam, ac Siciliam illuſtrauit: Portum Sicinum inſtaurauit, balneaq. Aponenſia, & palatium ibidem vetus ruens. Paludem Spoletinam per Spem, Decemnoniam per Decium, Romanum patricium, exiccare ſtuduit. Hinc Symmachum Patritium plurimũ laudauit, quòd ædificiis inſignibus, in ſuburbana ſua, Romam traxiſſe videretur, vt quem illas ſubſtructiones intrare contingeret, is aſpectum ſuum extra Romam eſſe non ſentiret, niſi cum noſſet ſe & agrorum amœnitatibus intereſſe: itaque ad eum ſcribens, *mores*, inquit, *tuos fabricæ loquuntur, quia nemo in illis diligens agnoſcitur, niſi qui, & in ſuis ſenſibus ornatiſſimus inuenitur*. Arcas ad condenda mortua hominum corpora, plurimas fieri ex marmore, & ne iniuſte diſtraherentur, Rauennæ diſtribui iuſſit per Danielē illarum artificem, quòd ſint, lugentium non parua conſolatio, *quoniam inquit, animæ tantum de mundi conuerſatione diſcedunt, corpora verò dulces quondam ſuperſtites non relinquunt*. Litterarum cognitionem tanti ſemper fecit, vt Decium de quo ſupra diximus, Patricium, nobilitate clariſſimum, tamen eò illuſtriorem dixerit, quòd naturæ bona, litterarũ inſignibus decorarat. Hinc Athalaricus Rex, ſuis litteris ad Caſſiodorum Senatorem Præfectum Prætoriò, de illo verba faciens, *nam cum eſſet*, inquit, *publica cura vacuatus: ſententias prudentum a tuis fabulis exigebat, vt factis propriis, ſe æquaret antiquis. Stellarum curſus, maris ſinus, fontium miracula, rimator acutiſſimus inquirebat; vt rerum naturis diligentius perſcrutatis, quidam purpuratus videretur eſſe philoſophus*. Tanta ueneratione Epiſcopos proſequebatur, vt cum apud eum Auguſtanæ vrbis Epiſcopus, proditionis patriæ inſimulatus fuiſſet, nihil tamen eum pati voluerit, affirmaritq. falſa omnia eſſe, & ad Euſtorgium Epiſpicopum Mediolanenſem hac de re ſcribens, ait, *nihil enim in tali honore temeraria cognitione præſumendum eſt, vbi ſi propoſito creditur, etiam tacitus ab exceſſibus excuſatur. Manifeſta proinde crimina, in talibus vix capiunt fidem*. Aliquot prærogatiuas dedit Rauennati Eccleſiæ, quibus & Mediolanenſem deinde ornauit, ipſo ad Fauſtum Præpoſitum ita ſcribente. *Defenſores ſacroſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ pro expenſis pauperum, quæ ſub lucri exaggeratione funduntur, vnum ſibi ex negociatoribus vrbis ſuæ deſiderabant oportere præſtari, qui per emptoris functus officio, exceptis negociationis oneribus, debeat implere, quod ſuſcipit. Hæc enim nos, & Rauennati Eccleſiæ commemorant, motos rationabili allegatione, tribuiſſe: quod pietatis exemplum ad ſuum quoque commodum ſupplicant transferendum*. Quamquam omnes Eccleſias ſemper benigne fouit; nam qua in Epiſtola prædia, vel homines Mediolanenſis Eccleſiæ, quæ in Sicilia erant, Adilæ Comiti commendata eſſe iubet, ut Euſtorgio eius vrbis Epiſcopo ſatiſfaceret, in ea ita ſcribit. *Quamuis nullos uelimus grauamen aliquod ſuſtinere,*

quos

quos videtur pietas noſtra protegere, tamen ſpecialiter Eccleſias ab omni iniuria reddi cupimus alienas; quibus dum æquabilia præſtantur, miſericordia Diuinitatis acquiritur. Qua autem iuſtitia adminiſtrauerit Regnum, quàm ſe tranſuerſum agi paſſus non fuerit, oſtendit in Liberio Patricio, qui quamquam pro Odoacre, aduerſus eum, ſteterat, tamen virtute hominis permotus, omni humanitatis genere illum complexus eſt, Præfectumq. Prætorio, fecit, deq. illo ita ad Senatum vrbis Romæ ſcripſit. *Retinetis. P. C. Patricium Liberium, & in aduerſitate noſtra fuiſſe laudabilem. qui ſic Odoacris integerrimis parebat obſequijs, ut noſtra poſt fuerit electione digniſsimus, contra quos multa feciſſe uidebatur inimicus. Non enim ad nos viliſsima trāsfuga condicione migrauit, nec proprij domini finxit odium, vt alterius ſibi procuraret affectum.* & infra. *Flexo iam domino penè nullis eſt terroribus inclinatus; ſuſtinuit immobilis ruinam Principis ſui.* Hinc Argolico Præfecto vrbis ſcribens, *Sed nos*, inquit, *quibus cordi eſt poſt primam culpam non ſtatim deſiderare vindictam, ad admonitionem potius iuſſa conuertimus, ne ſit noſtra diſtrictio nimia, quam lenis patientia non præcedat.* His virtutibus planè Regiis factum eſt, vt in ueteribus monumentis præclari tituli illi adſcriberentur; quod ea declarat inſcriptio, quam in baſi ſtatuæ ipſius ab Decio Conſule locatæ, legimus, vti Onuphrius Panuinius, vir doctiſſimus, teſtatur. Sic autem habet. *D. N. glorioſsimus adq. inclyt. Rex Theodericus, vict. ac triumf. ſemper. aug. bono Reip. natus, cuſtos libertatis, & propagator Romani nominis, domitor gentium: Caecina Mauro Baſilio Decio. V. C. & inl. ex Praef. vrb. clementiſsimi Principis feliciter deſeruiente praeconijs.* Ceterùm tot egregias Theoderici virtutes, extremus actus vitæ fœdauit. Ioanni Pontifici, Felix quartus Samius ſuccedit: Theoderico item abſque maribus mortuos, Amalaſuenta filia, Regnum pro Athalarico filio, Octauum annum agente, adminiſtrandum ſuſcepit. De cuius præſtantiſſimæ fœminæ laudibus, cum plurima Caſſiodorus grauiſſime ſcribat, tum illud omittendum haud duximus, videre eam abſque veneratione potuiſſe neminem loquentem audire fuiſſe miraculum: græcè, latineq. doctam, omnium nationum, quibus cum Romano Imperio conſuetudo aliqua eſſet, linguam nouiſſe. Tantæ autem grauitatis, & in ſimulando, diſſimulandoq. prudentiæ, vt, cum improbos acrius increparet, nihil ab ea ſibi, quod acerbum putarent, illatum teſtarentur. Quibus ex rebus tantum ſibi gratiæ apud omnes conciliaſſe affirmat, ut illi non paruiſſe, etiam ſi nulla timeretur pœna, nefarium duceretur. Haud parua ſub id tempus inter Eccleſium Archiepiſcopum Rauennatem, & ſacratos ſuos viros, orta de re Eccleſiaſtica diſceptatio eſt; diuq. vtrinque tractata, ſed cum non conueniret, Romam, communi conſenſu ad Felicem Quartum Pont. Max. adeunt: cuius tandem ſententia, auctoritateq. definita breui ſunt omnia, & pactæ leges, quibus Felix ipſe Romanus Pontifex, & Eccleſius Archiepiſcopus, ſacratiq. viri ſubſcripſere. Athalaricus Rex, ac potius pro Athalarico, Amalaſuenta mater, Regnum inſtituere ingreſſa, edicta ad confirmandos populos, & quietem Romanam, vt ipſa aiebat, neceſſaria, edixit, & duodecim capitibus, quaſi duodecim tabulis, veteres Romanorum leges imitata, concluſit. Adhæc per Sigiſmerem Comitem ſuum, & alios legatos, Diuina obteſtatione populo Romano pollicita eſt; cum vbique tamen præſeri beret Athalarici nomen; iuſtitiam ſe, & æquabilem clementiam ſeruaturam, Gothis, Romanisq. apud ſe commune ius fore; nec quidquam inter eos diui-

ſum,

ſum, niſi quod Gothi bellicos pro communi vtilitate labores ſubirent, Romani quiete vrbem Romam incolerent. Prouincialibus in Galliam ſcripſit, ſe communi omnium conſenſu iniiſſe Regnum, itaq. par eſſe, ut in ceterorum veſtigiis inſiſtentes, Gothis Romani darent iuſiurandum, & contra, Romanis Gothi iuſto ſacramento promitterent, ſe vna mente, animoque Regno Athalarici deuotos fore. Vt autem Siculos confirmaret, Syracuſanis, ac reliquis prouincialibus, quicquid Theoderico, augmenti nomine, aut debebant, aut iam ſoluerant, per quartam Indictionem, quæ incidit in annum DXXVI. liberaliter remiſit: & cum pecunia pro mœnibus reparandis extorta prouincialibus diceretur, quæ tamen ad nullos vſus adhibita fuiſſet, ſciuit, aut illam reſtitui, aut mœnia ſi opus eſſet, refici: *nimis enim*, inquit, *abſurdum eſt*, ſpondere munitiones, & dare ciuibus execrabiles vaſtitates. De bonis mortuorum, quæ, vt caduca, fiſco adiudicabantur, deq. iis, qui magnis ſumptibus, ac iacturis in iudicium arceſcebantur, de cognitoribus, de nauigiis, & de ceteris huiuſmodi, quibus Reipublicæ partes labentes confirmari poterant, Gundilæ Comiti vrbis Syracuſanæ multa mandauit, addiditq. vt Epiſcopus ciuitatis, & populus eius conſcientiæ teſtes aſſiſterent. Amalaſuenta interea Symmachi, & Boetii filiis patrimonium reſtituit; Athalaricum filium, vt Romanis moribus, diſciplinaque ornaretur, ſummopere laborauit. Sed contra nitebantur nonnulli proceres eius gentis, puero tutores inſtituti; qui aſſerentes non fuiſſe Gothis Regibus morem, liberos Regios aliis ſtudiis, quam armorum imbuere; litterarumq. ſtudium adimere pueris animum ſolere, quos erigere, augereque oporteret, vt facilius ipſi vndecumque libuiſſet, & raperent, & extorquerent. Ferebat hæc grauiter mater, ceterum diſſimulabat, nulla ratione deſiſtens, quin puerum admoneret, & Iuſtini potentiam formidoloſam incuteret. Paulo poſt Iuſtinus Cæſar moritur, cui ſufficitur Iuſtinianus ſororis filius. Hoc loco putaui non ommittendum, quod ſcribitur in commentariolo de ædificatione templi D. Vitalis, a Ioanne Petro Ferretto conſcripto, & apud Caſſinates eius templi monachos adhuc ſeruato. Id enim licet penes me haud omnino conſtet, exiſtimaui tamen non ingratum futurum iis, qui varias veterum ſententias amant. Scribitur itaque, ſeditione oborta Iuſtino trucidato, eius filium Iuſtinianum; quamquam plerique ex ſorore nepotem dicant; cum impuber eſſet, ab nutrice tumultum fugiente, ne quid puero mali accideret, naui impoſitum, Rauennamq. deuectum, apud celeberrimum mercatorem, & ditiſſimum, cui Iuliano Argentario nomen erat, diuertiſſe; nutrice nihil patefaciente de ſtatu pueri, ne, ſi cognoſceretur, hoſtes paterni, qui maxime valebant, interficiendum curarent. Iulianus, cum ei filius non eſſet, Iuſtinianum vnice diligebat, puerum optimæ indolis, & ſuauiſſimis moribus, ſtuduitq. bonis literis imbuendum. Atque hoc pacto quinq. annos apud Argentarium vixit Iuſtinianus: quo toto temporis interuallo, Byzantii numquam pluiſſe, decidiſſeve rorem ferunt; Deo religioſiſſimi Principis mortem, & innocentis pueri calamitoſum exilium vindicante. Cum autem, vti conſueuerat, nutrice ſic edocente, nocte quadam certa hora hymnis Deum eſſet veneratus, ac cum verſa nutrix, Quid, inquit, fili mi, moraris, cum ſanctiſſimus Chriſti miles Vitalis quotidie innumeris pæne miraculis hic ſit illuſtriſſimus, quin votum illi nuncupes, ſi ad Imperium, quod tibi hæreditarium eſt, reducaris,

caris, te illi templum ad D. Sophiæ, quod eſt Byzantii, imaginem ædificaturum in hac vrbe, in qua tam pacate, ac tranquille exilii calamitatem hucuſque traduxiſti? Fecit Iuſtinianus quod conſuluerat nutrix. quamquam quomodo vouere potuit templum ad eius ſimulacrum, quod Byzantii D. Sophiæ erat, cum nondum illud ædificatum eſſet? ipſe enim Iuſtinianus, dum imperaret, Chriſto, qui Sapientia patris appellatur, ad mirabile templum Byzantii in Perſicæ, Vandalicæ, & Gothicæ victoriæ monumentum, cum eſſet iam incendio combuſtum, vti teſtatur Procopius, reſtituit, ac dicauit; cuius figuram D. Vitalis templum auguſtiſſimum ab eodem ædificatum referre conſtat. atque iccirco plerique putant duo templa vouiſſe, alterum Chriſto, ſi diuina ſapientia modum patefaceret, quo poſſet in Imperium reſtitui: D. Vitali alterum, ſi id ſibi daretur eius precibus. alii vero D. Sophiæ templum a Conſtantio, Conſtantini primi Cæſaris filio, ædificatum, a Iuſtiniano inſtauratum fuiſſe affirmant. Sub id tempus Byzantii imbrium tam diuturnam penuriam, vnde, & fames acerrima, & rerum omnium indigentia prodiit, in ſcelera, quibus iuſtiſſimum Principem aut interfecerant, aut interfici permiſerant, reiicientes, futurum rati, ut Deus placaretur, ſi filium eius, aut ex ſorore nepotem quærerent, & in Imperium reducerent, legatos varias in regiones emittunt, qui adoleſcentem diligenter perquirant. Inter eos principem locum habuerunt, qui uénerunt Rauennam, quod facile factu putarent in longe omnium nobiliſſima vrbe vt moraretur. Huc igitur cum acceſſiſſent, & per omnem ciuitatem aduentus ſui cauſam inuulgaſſent, Argentarius, qui adoleſcentem nouerat, egregia, præſtantiq. indole, neſcio quid auguſtum præſeferentem, ad legatos rem omnem defert. De qua cum multus vtrinque ſermo habitus eſſet, inter eos tandem ſic conſtituitur; vti poſtridie domum Argentarii cœnatum ſe conferant: facultatem habituros, vt libuerit, iuuenis mores, indolem, ac formam ſpeculari. Quod cum feciſſent, iamq. accumbere pararent, acceſſit Iuſtinianus manibus aquam infundens, quod ſemper præſtanti elegantia conſueuerat. Illum cum eſſet intuitus diligenter vnus ex legatis, qui puero, viuente Iuſtino, familiaris fuerat, nouit Iuſtinianum eſſe, & confeſtim ingenti gaudio vocem tollens prouoluitur ad eius pedes, eumq. Cæſarem prædicat. Vndiq. ab Rauennatibus certatim concurritur. Sed Iuſtinianus, vt erat ingenuo pudore, moderate ſe gerere; renuere Cæſaris titulum; ſibi ſatis futurum, ſi in patriam omnium bonorum conſenſu, reditus tuto pateret. Obortas præ gaudio lacrymas non continent, nutrix, Iulianus Argentarius, & Eccleſius Archiepiſcopus. Ea enim dies tranquillitati initium, & ærumnis finem allatura videbatur. Si quidem ipſi Gothorum Principes, dum inter ſe non conueniunt, & Amalaſuétæ lectiſſimæ fœminæ parum obediunt, tyrannide omnia compleuerant. Per eos dies, quibus Rauēnæ deinde fuit Iuſtinianus, ludi celebres habiti ad equeſtris pugnæ ſimulacrū, magnificentiſſimo apparatu; nec vlla ad abſolutam lætitiam pars deeſſe videbatur, Nocturni ignes; Tubarum clangor, voces vndiq. effuſæ. Diſcedentem poſt paulo Iuſtinianum omnes fere Rauēnates lacrymantes ad portum, vbi nauem conſcendit, adduxerunt. Ipſe omnibus ſalutatis, proſpere nauigauit, breuique honorificentiſſime, & ingenti totius vrbis lætitia exceptus, Byzantium ingreſſus eſt; ſub cuius acceſſu affluenter pluit: qua-

propter confirmatur, quod putarant; ob innocentis pueri exilium, ſic illos Deum fuiſſe vltos; confeſtimq. Cæſarem illum conclamant, & creant. Hactenus hæc volui ex commentariolo de ædificatione templi D. Vitalis, qui ibidem legitur, ad eorum commodum, quibus variæ ſententiæ non iniucundæ accidunt, deſcripſiſſe. Non ignoramus autem grauiſſimos auctores, ipſumque præſertim Marcellinum Comitem, aſſerere, Iuſtinianum ab Iuſtino auunculo Conſulem prius factum, deinde in Imperium accitum, antequam
ANN. diem obiret, grandemq. natu tunc fuiſſe; acceptoq. ob Iuſtini mortem, ab-
DXXVII. ſolutæ adminiſtrationis Imperio, anno ab ortu Chriſti quingenteſimo vigeſimo ſeptimo magnas res in Aſia Africaque geſſiſſe. Cui non Sententiæ magis adſcribimus. Nam, vt Marcellinus idem Comes, Theodorus Lector, & Euagrius teſtantur, anno a partu Virginis DXXVII. Indict. V. Mauortio ſolo occidentali conſule, anno verò a Conſtantinopoli condita CXCVII. Iuſtinus Imperator Iuſtinianum genere Illyrium, ſororis ſuæ filium, iam dudum a ſe nobiliſſimum deſignatum, Regni quoque ſucceſſorem creauit kal. April. ipſe verò quarto deinde menſe kal. Sextil. exceſſit è vita: quo temporis veſtigio Iuſtinianus tenere Romanum Imperium in Oriente, decimus octauus a Conſtantino cœpit, cum annum ætatis ageret quartum, & quadrageſimum. Athalaricus interea Rex matris conſilia, auctoritatemque ſecutus, optimi Principis officio ſatisfacere, nihil quod faceret ad tranquillitatem populorum, omittere. Cum ad eum Ioannes Secundus Pont. Max. qui poſt Felicem quartum, & Bonifacium, tunc præerat Eccleſiæ Catholicæ, detuliſſet, atque item proceres ſui, Romanos quoſdam, ciues nobiliſſimos, in ſuſpicionem ſeditionis vocatos, tam diuturna maceratos cuſtodia, vt omnem ciuitatem mœrore compleuerint, Saluantio mandauit vrbis Præfecto, eos, licet reos comperiret, tamen pro ea gratia, qua valebat apud illum Ioannes Pontifex abſolueret, *dum neceſſe eſt*, inquit, *lætari reliqua, ſi mundi caput gaudere proueniat*. ſumma enim veneratione proſequutus eſt Romanum Pontificem, quod oſtendunt & illa, quæ, *conſiderans*, vt ipſemet ſcribit, *Apoſtolicæ ſedis honorem*, ſciuit in hæc verba. *Vt ſi quiſpiam ad Romanum clerum aliquem pertinentem, in qualibet cauſa, probabili crediderit actione pulſandum, ad beatiſsimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus*. & infra. *Quòd ſi quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium fuerit iudicio, ſacrilega mente damnatus, qui reuerentiam tantæ ſedi exhibere contemnat, & aliquid de noſtris affatibus crediderit promerendum, ante alicuius conuentionis effectum, decem librarum auri diſpendio feriatur*. Scribens autem ad Ioannem Pont. Max. qui fuerat conqueſtus, quoſdam in ipſius creatione, aucupatos neceſſitatem temporis, ita facultates pauperum, extortis promiſſionibus, afflixiſſe, ut etiam ſacra vaſa, emptioni publicè expoſita, venirent, vt illi ſatisfaceret, ita ſanxit. *Quicumque in Epiſcopatu obtinendo, ſiue per ſe, ſiue per aliam quamcumque perſonam, aliquid promiſiſſe declaratur, vt execrabilis contractus, cunctis viribus efferetur. Si quis autem in hoc ſcelere deprehenditur fuiſſe verſatus, nullam relinquimus uocem, verum etiam ſi aut repetendum, aut quod acceptum eſt, non reddendum eſſe crediderit, ſacrilegij reus penitus habeatur, accepta reſtituens compulſione iudicis competentis*. alia multa in hanc etiam rem adiecit. Vt verò coluit pacis ſtudia, ita cum ſeſe tulit occaſio, bel-

lica

licanec timuit, nec omiſit: Quamobrem Amalafridæ nece, quæ violento exitu apud Vandalos in Africa, è vita diſceſſerat, accepta, Hilderico ſcribens eorum Regi, petiit, per certos legatos inde miſſos, cauſam ſibi, & defenſionem tanti caſus explicari, mox ſubdit. *Quòd ſi creditis eſſe temnendum, nec uos ad rationabilia reſponſa componitis, condicione inita pacis abſoluimur, qui læſi fœderis vinculo non tenemur.* Adhæc Theodericum Francorum Regem laceſſitum bello ſuperauit, & ſuſtulit. Regem Burgundionum ditionis parte ſpoliauit, quam ipſi deinde petenti, rogantiq. reſtituit. Cum autem ſtipendia a Senatu profeſſoribus bonarum artium, partim nulla, partim lenta perſoluerentur, Senatoribus per litteras præcepit, eis pleniſſimè, vt ſatisfieret, *quia*, inquit, *duabus curis ingenium non debet occupari*. Verum interim Amalaſuentæ matris præcepta, ac monita parui æſtimans, cum in genus vitiorum omne prolaberetur, fecit, vt Amalaſuenta, timens, ne quid ipſe, ſuadentibus tutoribus, quorum animos ſibi no uerat infenſos, aduerſus ſe moliretur, ægreq. ferens adeò turpiter filii mores deprauari, tres illos Gothorum proceres, Athalarici corruptores, in Calabriam, datis Præfecturis, obligatos, interficiendos curauit. Mox miſit ad Iuſtinianum, qui diceret, illam traiicere in Aſiam uelle, ac nauim auro onuſtam in portum Dyrrachii iuſſit contendere: ſed cum extinctis proceribus, res ſibi quietiores viderentur, & nauim Dyrrachio reuocauit, & Rauennnæ Regnum, Reipublicæq. partes omne confirmauit. Proximo anno, qui fuit trigeſimus quartus ſupra quingenteſimũ, Caſſiodorus Præfectus Prætorio ab Athalarico creatus eſt, de quo ſcribens ad Senatum vrbis Romæ Athalaricus Rex, cum multas laudes eius celebrat, tum hæc addit ceteris. *Primordia Regni noſtri, & armis iuuit, & litteris: nam dum cura litorum Regias cogitationes incefferent, ſubitò a litterarum penetralibus eiectus, par ſuis maioribus, ducatum præſtitit intrepidus: cui quia defuit hoſtis, moribus triumphauit eximijs. Nam deputatos Gothos proprijs pauit expenſis.* Ioannes Pont. Max. cum VI. kalen. migraſſet è uita, ſucceſſorem Agapitum nactus eſt: cuius initio Pontificatus, Iuſtiniani Auguſti legatus Alexander, multis de rebus, Rauennam venit, in primis tamen Iuſtiniani nomine poſtulatum, Lilybeum captum vi retineri, transfugas ſuos ab Vliare Neapolis Præfecto ſuſceptos, non reſtitui: Gratianam vrbem Illyricam, a Gothis militibus maximo incommodo fuiſſe affectam. Quæ cum omnia redditis litteris in frequenti Gothorum conuentu Alexander expoſuiſſet, Amalaſuenta, quoniam tunc Athalaricus filius, morbo lætifero, ob luxuriam, ac temulentiam contracto, oppreſſus iacebat, audientibus omnibus reſpondit, tot fuiſſe Athalarici in Iuſtinianum ad eam diem, & inſtruenda aduerſus Vandalos claſſe, & aliis negociis grauiſſimis officia, vt perſpicere haud difficile potuerit, eorum, quæ diceret, nihil iniuriæ cauſa eſſe factum: quando, & Lilybeum iam diu Athalarici fuiſſet: atq. hæc palam dicta: ceterum priuato congreſſu, quemamodum ab Iuſtiniano in mandatis habuerat, quærenti, cur ad Iuſtinianum ipſa, vti oſtenderat ſe facturam, non acceſſerit, pollicetur id ſe facturam, & Italiam illi conceſſuram, ſi filius ex hominum vita migraret. Verum decedente paucis poſt diebus filio, ipſa Regni conſortem fecit Theodahatum conſobrinum ſuum, philoſophum, hominem in litterarum ſtudia, non ſine laude incumbentem: cuius beneficii magnitudo quanta fuerit, ſignificat ipſe ſcribens Senatui vrbis Romæ

ANN. DXXXIII.

ANN. DXXXIIII.

N 2 his

his verbis. *Quando his muneribus, quando ſoluamus tantæ gratiæ, quæ debemus? vt quæcumque paruulo filio imperauit ſola, nunc mecum delegerit regnare ſociata. In ipſa eſt enim decus Regnorum omnium, in ipſa noſtræ originis flos bonorum. Quicquid fulgemus, ab eius claritate ſuſcipimus.* arrepto autem Regno ſtatim inertiæ deditus,& ſceleribus, Amalaſuentam reſiſtentem,& reprehendentem, quæq. illum, Tuſciam; licet Theoderico Regnante Tuſcias duas legamus; cui paulo ante adeptum Regnum præerat, rapinis ſpoliantem, lege pecuniarum repetundarũ damnauerat, in Vulſini lacus inſulam relegauit,& diſſimulanter interficiẽdam ab eorũ propinquis, quos illa è medio tolli iuſſerat, curauit. Tulit innocentiſſimæ fœminæ, ac præſtantiſſimæ necem indignam acriter,& moleſtè Iuſtinianus, bellumq. Theodahato ob id minatur. Theodahatus Agapetum mittit Ro-
ANN. DXXXV. manum Pontificem, vt pacem impetret, qui cum Conſtantinopolim adueniſſet,& Iuſtiniano pacem omnino neganti, alteras Theodahati litteras propoſuiſſet, quibus ſe Regno Italico ceſſurum, promittebat, ſi ab Iuſtiniano darentur prædia, unde honeſte ali poſſet, dum reditum in Italiam adornat, aduerſa oppreſſus valetudine X. kal. Iunii, ibidem obiit. Cum autem Theodahatus, nouo exemplo, Romanos vi, atque minis coegiſſet, vt iis, ad quos ſpectabat, Siluerium Campanum in Pontificem eligerent,& Oratores, qui a Iuſtiniano miſſi, cum acceptis condicionibus venerant, negligeret, veritus ne quid ſibi mali accideret, cœpit remiſſius agere in Italiæ adminiſtratione. Ceterum Iuſtinianus hominis tyrannidẽ intelligens, bellũ in eum parat, Beliſariũ declarat Ducẽ, virum ſtrenuiſſimũ, per quem in Africa aduerſus Vandalos, difficillima bella feliciſſimè geſſerat. Mundũ domo Gothum, Illyrici Præfectũ, Iuſtiniani partibus addictiſſimũ, in Dalmatiam mittit, qui cõmiſſo cũ Gothis prœlio, trucidatus, ſucceſſorẽ habuit Conſtantianũ: is Salona recepta eò adegit Grippam Gothorũ Ducem, vt caſtris ſublatis, Dalmatiaq. cedens, exercitũ Rauennam reduxerit. Beliſarius cũ claſſe in Siciliam traiiciens, mira felicitate expulſis Gothis, Inſulam occupauit. Sed in Africam paulo poſt traiicere coactus eſt, ob nouos motus; quibus cõpoſitis, rediens in Italiam, vniuerſo Calabriæ, ac Lucaniæ tractu breui recepto, Neapolim, per aquæductũ, nocte intẽpeſta, ingreſ-
ANN. DXXXVI. ſus, nil ſentientibus, aut opidanis, aut Gothis, occupat, Gothi, Theodahati ſocordiam, ac leuitatẽ animaduertentes, in eius locũ Vitigem, ſtrenuum Ducẽ, obſcuro loco natũ, Regẽ faciunt. Qua re Theodahatus accepta, occultis, inſuetisq. viis,& per Syluestrium tramitũ cõpendia, dum Rauẽnam ſe recipit, ab Optare Gotho, inſequi hominem iuſſo, interficitur. Vitigis autem relicto Romæ ad præſidiũ Luderi, Rauennam cũ exercitu, multis Senatorii ordinis obſidum loco, ſecum adductis, anno quingenteſimo trigeſimo ſexto, vt Marcellinus Comes teſtatur, contendit, omnibusque opibus Theodahati, quas Venetiis congregauerat, direptis, Mataſuentam, Amalaſuentæ filiam, vxorem accipit inuitam, ac repugnantem: nam ignobilitatem Vitigis nobiliſſima fœmina pati non poterat. Per legatos ab Iuſtiniano pacem petiit, multis eam rationibus poſtulans: *nam*, inquit, *ſi uindicta Regis Theodahati quæritur, mereor diligi, ſi cõmendatio diuæ memoriæ Amalaſuentæ Reginæ præ oculis habetur, eius debet filia cogitari, quam niſus veſtrorum omnium perducere decuiſſet ad Regnum.*& ad Magiſtrum officiorum ita ſcribit. *Refugere nos potuiſſet ignotus: ego autem, qui ornatum Reipubl. veſtra vidi, qui tot nobiliam corda procerum cognoui, non me deſidero a piiſſimi*

mi Principis gratia diuidere, ſi in me uelis, qua ſunt iuſta cogitare: nam ſi alter of-ſenſam meruit, ego debeo gratiſsimus haberi, qui odioſo cum vindicta ſucceſsi. Beliſarius interea Romæ benignè acceptus eſt, Gothis omnibus, præter Luderim, qui Vitigis crudelitatem veritus, Beliſario adhæſerat, eodem die exeuntibus, & Rauennam profectis, quam vrbem inſtructa acie ingreſſi ſunt. Procopius Beliſario a ſecretis, qui diligenter horum locorum ſcripſit hiſtoriam, Rauennam aſſerit tunc fuiſſe, loco mediocriter edito ſitam, in extrema ora Ionii pelagi, a mari procul circiter ducentos quinquaginta paſſus: a nauibus non uideri, nec facile ad eam accedere pedites poſſe: nam ad eius litora appellere nauibus cuiuſcumque ſint generis, non datur, quòd mare natura periculoſum, vadoſumq. & aduerſum admodum ſit: cum ad quattuor millia paſſus ſyrtes pertineant. Quamobrem litus illud, quamquam valde prope adnauigatur, ob continentes tamen, & frequentes ſyrtes abeſſe plurimum uidetur. Pedites ad vrbem accedere minime ualent, quòd Padus, & cætera flumina, quæ nauigari omnia poſſunt, eam amplectantur, & paludibus cingant. Quo loco mirum quotidie accidit, cum mare, illuceſcente die in terram effunditur, tantumq. regionis inundat, perinde quaſi flumen, quantum, vnius diei ſpatio, itineris conficere expeditus pedes poſſet. Itaq. nauigationi plurimum reddit vrbem commodam. Vbi verò accedit nox, pelagus aquam contrahit, reducitq. fluctus, cuius momenta temporis nautæ, efferendis mercibus, obſeruant. Minuta Luna lumine, minores æſtus fiunt. Hæc Procopius. Vitigis Rauennæ coacto centum, & quinquaginta millium peditum, atq. equitum exercitu, optime ab omnibus rebus inſtructo, Rauenna caſtra mouens, in Latium profectus eſt: vbi Tibure excluſus, Romam obſedit, omnibus aquæductibus, qui quattuordecim erant, barbara ira diſtractis. Quo tempore Siluerius Pont. Max. a Theodora Auguſta rogatus, vt pulſo Mena Patriarca Conſtantinopolitano, Anthimum reſtitueret uirum hæreticum, quem Agapetus Pont. de ſede deiecerat, cum nollet aſſentiri, a Beliſario, ipſius iuſſu Auguſtæ, per dolum in ipſius caput compoſitum, quòd vrbem cum Beliſario prodere Gothis, tentaſſet, Pontificatu ſpoliatus eſt, atque in exilium miſſus: cui ſexto poſt die Vigilius Beliſarii ſuffragatioue ſuffectus eſt. Cum autem Romanam obſidionem maioribus incommodis, quàm putarat, Vitiges trahi cerneret, Romanos ex omni nobilitate, quos obſides habebat, Rauennæ interficiendos iuſſit. Beliſarius, cum auxiliares ab Iuſtiniano copiæ aduenissent, vrbe erumpere, & cum Gothis congredi auſus, miſerè cæſus, & in vrbē repulſus eſt. Dum hæc Romæ geruntur, iamq. Vitigis Portu occupato, ſubuectionem annonæ impedit, Beliſarius Ioannem Legatum ſuum, in Rauennate iubet exercitū ducere, ibiq. armis omnia tentare: nam antequam factæ induciæ eſſent, eū Beliſarius cū duobus equitū millibus, aliisq. copiis, eodem miſerat, ut ex ea parte pugnans, reſq. Gothicas in anguſtū adducēs, Vitigis ab Romana obſidione diſcederet: quod & contigit: motis. n. Ioannes caſtris, & Arimino capto, Vitigis amittēdæ Rauennæ in ſuſpicionē ueniens, ab vrbe, quam obſidebat, caſtra deducit, ſeq. Rauennam recepit, nonnullis in Tuſcia, & apud Picentes præſidio firmatis vrbibus. Ariminū deinde, & Picentes obſidens, fecit, ut accurrens Beliſarius, Arimino obſidione liberato, Vrbinū, Auximumq. ceperit, variis vtrinque commiſſis prœliis, ex quibus Gothi, Rauennam ſemper, tamquam in Aſylum confugerunt.

ANN. DXXXVII.

ANN. DXXXVIII.

runt. Conſtituerat enim Vrbem hanc Vitigis Regiam ſedem: ibi munitiones omnes, vti Sabellicus quoque teſtatur, conſeruabantur, quòd eſſet artificio, & natura loci munitiſſima. Hinc factum eſt, vt Beliſarius eam aggreſſus, cũ expugnationẽ deſperaret, fame, extremo obſeſſarum vrbium malo, ad deditionem compellere cogeretur. Terra quidem importari nihil poterat, quod vndique Beliſarius omnia teneret loca, mare infeſtum reddiderant Cæſarianæ claſſes, vt inferri nihil, niſi furtim, & longè minus, quàm ſatis eſſet tanto populo alendo. Ariminum præterea, & Ancon proximæ a dextris vrbes, cum Beliſario ſentiebant. A læua Padus reliquus erat, & Veneti. Paduſa ab ea parte diligenti, firmoq. præſidio munita. Oſtium ſupererat Spineticum; quod Primarium vocamus; id erat in hoſtium poteſtate, atque inde Tranſpadanæ Gothorum vrbes frumentum, & omnis generis commeatum, ſecundo flumine, atq. etiam ducta, quam diximus, ex Pado foſsa, obſeſſis ſubminiſtrabant. Ad eam inuectionem prohibendam, excogitat in primis Beliſarius firmare milite fluminis ripas, alteri Magnum, alteri Vitalem cum præſidio præficit. Euocat deinde a Venetis naues aliquot ad id aptas, quod meditabatur, agiles, & actuarias, alueis neque planis omnino, neque omnino obæſis. Tabulatis deinde circumquaq. obſepiri, ac muniri iubet ad miſſilium ictus. His mandat, vt pars aduerſo flumine ſurſum feratur, ad deſcendentes hoſtium naues perturbandas, & impediendas; alii verò obſeruent. Fluminis oſtium, ne quid a mari inferatur. Vitigis, & Rauennates, mox, vt inſtructæ naues ad fluminis oſtium apparuere, deſperatam penè exiſtimant rem Gothicam, niſi alio remedio reſtituatur. Gothos admonent, qui apud Ticinum agebant, quo in ſtatu ſint: quapropter ipſi, conflata nauigiorum fluuiatilium claſſe, quam poſſunt maiore, aliquas præcedere iubent bellico apparatu inſtructas, alias claſſem ſubſequi: onerarias in medio collocant. Sic viſum eſt tutam fore commeatus inuectionem. Sed vt a Ticino ſoluerunt flumine ſatis alti, & alueo pleniori, prius quam ad locum, quò tendebant, ventum ſit, in ſicco omnes hærent. Prodigii autem loco ferunt acceptam, eam Padi ſiccitatem. Tum Venetæ naues optime ad huiuſmodi occaſiones inſtructæ, una cum Beliſarii militibus è ripa, iaculis, & ſagittis hoſtilem claſſem inuadunt. Turbati Gothi re inexpectata, cum omnes conatus inde ſeſe dimouendi, ad nihilum reciderent, deditionem rerum omnium Beliſario faciunt. Quæ res Vitigim, & omnium procerum maxime fregit animos, inq. eam adduxit rerum omnium deſperationem, vt Francorum, & Burgundionum Legatos acciperent. Hi venientes, in frequenti procerum Gothorum conuentu, Rauennæ habito, magna pollicentur auxilia, ſi Gothi eos in Italici Regni ſocietatem admittant. Verum dum hæc inter eos tractantur, Beliſarius faciles pacis condiciones Gothis obtulit, ſic, ut eluſi, fruſtratique omni ſpe Franci, ac Burgundiones, domum, vt optabat, redierint. Quapropter factis induciis, ad Iuſtinianum Oratores miſſi, qui eius hac in re ſenſum, atque animum cognoſcerent. Interea caſu munitio frumentaria omnis Rauennæ incendio abſumpta eſt: Sunt tamen qui ſcribant, ciuem Rauennatem, Cæſarianis partibus ſtudentem illi incendium intuliſſe, cum, & fama fuerit Mataſuentam id curaſſe. Reuerſi oratores, decretum ab Iuſtiniano retulerunt, vti Vitigis quicquid vltra Padum eſt, poſſideret: Imperio relinqueret, quod eſt citra. Regiæ

ANN. DXXXIX.

Gazæ

Gazæ dimidium perſolueret,quiq. Gothi citra Padum eſſent,Imperio ſubiice rentur.Id ut Gothis placuit,ita moleſtè tulit Beliſarius,neque ſubſcribere Decreto, quod Legati, Rauenna a Vitigi reuerſi, retulerant, uoluit: quo circa Rauennæ bellum renouatum: Gothi autem res ſuas iam deſperatas intelligentes, Beliſario ſignificant, ſi Rex ipſorum uellet eſſe, vrbem illos, & una cum Vitigi Imperium Gothicum ſibi tradituros: Quibus ſimulatè Beliſarius, magnam quidem ſibi gloriam, ſummumq. decus exiſtimare, reſpondit, omnium fortiſſimæ,ac bellicoſiſſimæ nationi præeſſe,uerum vrbem interea traderent: de accipiendo Imperio poſtea deliberaturum: atque hoc prætextu, anno quingenteſimo trigeſimonono a partu Virginis Rauenna potitus eſt: Vitigisq. ſigna illi,obſequiaq. dedentium ſe omnia præbuit, & ad eum omnes Ciſalpinæ Galliæ vrbes obſides miſerunt. Ingredientem autem cum exercitu Beliſariū, Gothorum uxores,quæ Rauennæ erant,Romanorum ſtaturam Gothica longè minorem conſpicatæ, multis primùm iactis in Romanos contumeliis, mox uirorum ſuorum faciem conſpuere, & eorum dedecus oſtentare, qui ſuperari ab hominibus ſtatura adeo exigua paſſi eſſent. Nec multo poſt Vitigis captus, cum præcipuis Gothorum Ducibus, & Regia gaza omni, quam diligenter perquiſitam, tandem inuenerant, a Beliſario Byzantium deducitur, quinto anno poſtquàm in Italiam uenerat. ſub id tempus Caſſiodorus, cum, ſublatis Principibus, iam ſui iuris eſſet, caducarum rerum inanem gloriam ſpernens, & pertæſus uiciſſitudinum humanarum, monachus factus, contulit ſe in contubernium ſacerdotum, in Viuarienſi domo agri Rauennatis, uti grauiſſimi auctores teſtantur: cum ſatis conſtet, in Gallia fuiſſe quoque territorium Viuarienſe, ubi D. Andeolus ſubdiaconus a D. Polycarpo miſſus, atque item D. Oſtianus ſacerdos floruerunt. excitauit Caſſiodorus nobiliſſimum eodem nomine cœnobium, quod quamquam prædiis,ac uectigalibus ornauit, tamen longe illuſtrius reddidit Bibliotheca præclariſſimis libris refertiſſima, quam duobus libris de inſtitut. Diuin. lection. erudiriſſimè a ſe ſcriptis, explicat. Ibi ſacris intentus litteris, de Anima commentarium ſcripſit: Variarum libros duodecim: Iſagogem, quam diximus, ad monachos Viuarienſes,ſed eius in hymnos Dauidis explanatio,apud uiros doctos, primas ſibi uendicat, cuius initio operis, quot ſollicitudinibus mortalium honores,ac dignitates afficiantur tanto opere, laboreq. expetitæ,ipſe qui ſummas omnes in aula Regia adeptus eſt, his uerbis aperit. *Repulſis aliquando in Rauennati urbe ſollicitudinibus dignitatum, & curis ſecularium, noxio ſapore conditis, cum pſalterij caleſtis animarum mella guſtaſſem, id quod ſolent deſiderantes efficere, auidus me perſcrutator immerſi, ut dicta ſalutaria ſuauiter imbiberem, poſt amariſſimas actiones*. Perueniſſe ferunt ad Pelagii primi Ro. Pont. tempora. Religioſiſſimi officio uſque ad uitæ exitum pleniſſimo decedens. Vir profecto nullo non genere laudum cumulandus, uel ipſius Athalarici, Theoderici Regis, nepotis, & in Regnum, uti ſupra memorauimus, ſucceſſoris, teſtimonio. is enim ad ipſum Caſſiodorum ad Præfecturam Prætorianam mox euehendum ſcribens, *Erat plane,* inquit, *quod in te prædicaret dominus auus noſter, eximium, animum ad promerenda beneficia patulum, & contra vitia cupiditatis obſtructum, dum neſcio quo pacto raro eſt in hominibus manus clauſa, & aperta iuſtitia. Neſciuit quiſquam de te ſubmurmurare contraria, cum tamen de principali gratia ſuſtineres inuidiam.*

inuidiam: derogare cupientes, uicit integritas actionis. Et paulo poſt. *Quapropter, iuuante Deo, quo auctore cuncta proſperantur, ab Indictione Duodecima in Præfectura Prætoriana te ſuggeſtu, atque inſignibus collocamus, ut probatum Iudicem, ſine metu, prouinciæ ſuſcipiant, quas hactenus cognouimus improborum actione fatigatas. Sed quamuis habeas paternam Præfecturam Italico orbe prædicatam, aliorum tibi tamen exempla non ponimus, uetera moribus tuis, & omnium uota compleſti:* & infr a. *Conſtitue & huic regulam dignitati, qui anteactis faſcibus mirabilis continentiæ exempla præbuiſti: nam licet omnes penè honores ſummos æqualiter egeris, habes tamen propoſita conſcientia bona, ubi nullam decet eſſe menſuram.* Hæc Athalaricus, ad Caſſiodorum ſcribens: de quo item nequaquam minora, ſua ad Senatum Romanum epiſtola, affirmat. *Cumulauimus quidem,* inquit, *P.C. beneficijs noſtris copioſum uirtutibus, diuitem moribus, plenum magnis honoribus Senatorem: cuius ſi merita conſideretis, debemus etiam quod ſoluimus. Qua enim compenſatione commendandus eſt, qui aures dominantium luculenta ſæpe prædicatione compleuit? dignitates ſibi creditas eximia grauitate tractauit? & uiſus eſt tempora facere, quæ merito laudarentur in Principe. Credimus. P. C. & ſi adhuc referre uolumus, beneficia collata ſuperantur. Noſtris quoque principijs quanto ſe labore conceſſit, cum nouitas Regni multa poſceret ordinari? erat ſolus ad uniuerſa ſufficiens: ipſum dictatio publica, ipſum conſilia noſtra poſcebant: & labore eius actum eſt, ne laboraret Imperium.* Hæc & id genus de Caſſiodoro plurima extant: qui præſtanti, ac proprio elogio Senator eſt appellatus, cum etiam V.C. illuſtris, exquæſtor ſacri palatii, exconſul ordinarius, exmagiſter officiorum, Præfectus Prætorio Italiæ, atque Patricius inſcriberetur. Quamquam mirentur hæc alii, ego nihil ita ſtupeo, quàm inter Hæreticos, illum, principesq. uiros labe infectos Arriana uiuentem, fideliter perpetuo curſu, & æquabili ratione, Catholicæ Eccleſiæ partes & fuiſſe ſecutum, & defendiſſe: quod cum multi eius de Theologia libri declarant; nam & Salomonis dicta aggredi explicatione uelle affirmauit; tum ex iis conſtat, quæ ipſe in Præfectura ad Ioannem ſecundum Pont. Max. ſcripſit. *Mihi filio*, inquit, *ueſtro intelligentia ſenſus aperiat, ut quæ uerè ſunt utilia, ſequar, quæ uitanda, refugiam: Talem denique iudicem excipiat publicus actus, qualem filium Catholica mittit Eccleſia. Sum quidem Iudex palatinus, ſed ueſter non deſinam eſſe diſcipulus: nam tunc iſta rectè gerimus ſi a ueſtris regulis minime diſcedamus.* Hæc ille. Qui cum in ſuis libris ad pietatem excitare, & cæleſtium rerum amorem animos impellere, Chriſtianis monitis ſtudeat, tum in primis monachos ſuos hortatur, ut Ioannis Caſſiani opus, quas Collationes Patrum inſcripſit, aſſiduè legant. Quod etiam feciſſe multis deinde ſeculis, clariſſimum Prædicatorii ordinis Magiſtrum, ac parentem D. Dominicum in eius uita ſcribitur, qui ſalutis in eo libro ſemitas rimatus, ſummum perfectæ uirtutis culmen aſſecutus eſt. Florebat etiam hoc tempore ex Rauennatibus Arator, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ſubdiaconus, in poeſi maximè laudatus. Hexametro enim carmine Acta Apoſtolorum, mixtis in eo opere, innumeris, ac uenuſtis allegoriarum floribus elegantiſſimè deſcripſit: quos flores Venerabilis Beda, in vnum colligens, ſuis in eadem Acta commentariis, eſt diligenter imitatus. Horum librorum uolumen, cum Arator ipſe Vigilio Pont. Max. ante confeſſionem, ut aiunt, ſancti Petri, ſeptimo Id. April. in corona multorum Epiſcoporum obtuliſſet, id ipſum clara uoce, coram omnibus recitare a Pontifice

eſt

eſt iuſſus: Sed cum iam horæ tempus præteriiſſet, Vigilius codicem, Surgentio Primicerio, in arca locandum tradidit, ut eius lectionem, cum eſſet ocium, perficeret. Obnixe flagitantibus omnibus, ut liber publice denuo legeretur annuente Pontifice, in D. Petri ad vincula, magna doctiſſimorum hominum frequentia, ipſo Aratore, diſtinctis uerbis recitante, ambo libri quattuor uicibus ſunt auditi, cum uno die, unius tantum libri dimidium uix legi poſſet, ob aſſiduas repetitiones, quas auditores, fauſtis, crebriſque acclamationibus expetebant. Hos autem libros Aratorem Vigilio Pontifici Max. dicaſſe, ipſorum hæc, quam in manuſcriptis etiam codicibus legi, inſcriptio ſignificat, nam ait. *Sanctiſſimo, atque Apoſtolico, & in toto orbe primo omnium, ſacerdotum Papæ Vigilio. Arator ſubdiaconus.* Vbi cum nec ſe Cardinalem appellet, neque Cardinales ſubdiaconos in Eccleſia Romana unquam legerim, facile adducor, ut credam, Cardinalis nomen deinde fuiſſe adſcriptum. Præſides Italiæ proficiſcens Beliſarius reliquerat Ioannem, Beſſam, Vitalem, & Conſtantianum: qui tot malis Prouinciam affecerunt, ut omnium Barbarorum damna facile ſuperauerint. Gothi in Picenum ad Vraiam ex ſorore Vitigis genitum conuenerunt, Regemq. ſibi delegerunt; ſed ipſe non aſſenſit, ac potius hortatus eſt, ut Ildobando Viſgotho, cuius auunculus Theudas in Hiſpania Viſgothorum Rex erat, Regnum traderent: quod cum feciſſent, paucis tamen poſt menſibus Ildobandus, multis etiam Italis, acerbitate Cæſarianorum Magiſtratuum concitis, ſecum coniunctis, deuicto apud Taruiſium Vitali, à Beſſa inter epulas necatus eſt. Itaque Rugi, qui & ipſi cum Gothis erant, reliquis inuitis Gothis Araricum Regem extulerunt. Baduillas autem cognomento Totilas, Ildobaldi nepos, Rauennam miſit ad Conſtantianum, qui traditurum ſe Taruiſium pollicerétur, ſi ſe, comitesq. ſuos incolumes ſeruaret: ſed cum interea Gothi, iniquo animo Ararici Imperium ferentes, Totilam ad Regnum ſuſcipiendum accendiſſent, Araricum è medio tollere polliciti, haud ita diu poſt Ararico per dolum extincto, Totilas ſuffectus eſt. Cæſariani Duces hoc accepto, Rauennæ conuentum habent, ubi Conſtantianus, & Alexander ſedebant. Fuerat autem in Italiam a Iuſtiniano Alexander miſſus, qui dum Italos falſis quæſtionibus de pecunia Regia auerſa, & fraudibus in Theodericum Regem commiſſis, implicuiſſet, & militum, uel maximos labores, compenſaret exilibus ſtipendiis, Italos Iuſtiniano infenſos reddiderat. Interea Rauennæ ædificari cœptum eſt D. Vitali martyri templum ab Iuliano Argentario, Iuſtiniano, ut aiunt, Cæſare iubente, qui, tribus iam annis Conſtantinopoli D. Sophiæ ædem ſacram, ſumma impenſa, atque arte extruxerat, ac dedicauerat: quæ olim a Conſtantino Maximo, minori mole, excitata, incendio conflagrauerat: quemadmodum Rauenna, quo loco ædificatum eſt hoc ab Argentario D. Vitali templum ſumma operis magnificentia, erat templum quidem illi martyri beatiſſimo, ciuitatis patrono, ſed exiguum, atque ignobile. Dum autem celebre templum illi ædificatur, Eccleſius Archiepiſcopus, inde haud procul, paternas ædes in templum erexerat D. Mariæ Virgini matri, quod Maioris appellauit, quòd alia eſſent ſacra illi minora templa in eadem vrbe. In eius templi teſtudine D. Mariæ Virginis imaginem, tanta artificis eruditione, opere uermiculato, pictam fuiſſe fertur, ut nihil pulchrius, & ſimilius extaret: Ad eius pedes hæc carmina legebantur.

ANN. DXL.

ANN. DXLI.

Virginis

Virginis aula micat, Chriſtum quæ cepit ab aſtris,
Nuncius e cælis Angelus ante fuit.
Myſterium verbi genitrix & virgo perennis,
Auctorisq. ſui facta parens domini.
Vera Magi, claudi, cæci, mors, uita fatentur:
Culmina ſacra Deo dedicat Eccleſius.

Huius templi curam, ſacerdotibus communitatem uitæ, uictusq. ſeruantibus tradidit, his adiunctis muneribus. Patena ex auro: Vrnis ſacris argenteis ſeptem: ex auro vna: Fundis quattuor in agro Rauennati. Vrſiano etiam templo dono dedit patenam ex auro librarum quinque: Vrnas ſacras ex auro, præſtantiſſimis gemmis diſtinctas, complures: Candelabra ex argento duodecim: Aram quoque ex argento erexit ducentarũ librarum: necnon multa alia templa muneribus exornauit. Nam & hoc tempore Rauennas Eccleſia bonis martyrum aucta eſt, quæ ad Cæſaris ærarium fuerant earum calamitatum ſæculo adiuncta. Quamobrem multo efficaciori appellatione, Rauennatem Eccleſiam ſanctam, & amplam uocauerunt, quòd non ipſo ſolum cruore martyrum ſancto, ſed eorum etiam bonis aucta, firmataq. ſit. Tricollim Eccleſius aggreſſus, perficere non potuit; quemadmodum neque D. Vitalis templum, cuius ædificationem, Iuſtinianus, ex ſcriptorum Rauennatum ſententia, Eccleſio, & Iuliano mandauerat, ſub id tempus cũ in conuentu Rauennati a Cæſarianis Ducibus, decretum fuiſſet, Veronam aggrediendam, eam infelici euentu, Decimo tertio kal. Sextil. ut Agnellus ſcribit, militibus Rauennatibus ſtrenuam huic prouinciæ nauantibus operam, ceperunt: ſed tamen haud ita multo poſt, ad Trebiam miſerabiliter cæſi, fugatiq. ſunt. Cumq. Totila uictor uniuerſam ferè Italiam occupauiſſet, Cæſariani Duces rerũ inopia afflicti, & uectigalibus ſpoliati, quæ ex ciuitatibus a Gothis iam occupatis, antea capiebant, inter ſe, earũ, quæ reliquæ fuerant, ciuitatum adminiſtrationes diſtribuerũt. Rauennam Conſtantianus habuit, uir nobiliſſimus, ac ſtrenuiſſimus: Ioannes, Romam; Beſſa, Spoletũ; Cyprianus, Peruſiam. Per hos dies moritur Eccleſius Rauennas Archiepiſcopus, in ipſa ædificatione tẽpli D. Vitalis media, VI. kal. Sext. ſepultus in D. Vitalis, ad aram Diuorum Nazarii & Celſi, quibus eo in templo ſacellum dicatum eſt, admirabili ueneratione, ob reliquiarum, multarumq. præterea ſacrarum rerum præſentiam, frequentatum. In illud ingredi mulieribus nefas eſt, & Sancta Sanctorum appellatur. Eccleſii imaginem in templi teſtudine, opere teſſellato pingendam curauit Argentarius, quæ adhuc extat, templum in manibus habentem: cui inſcriptum eſt, *Eccleſius Epiſcopus*, neque enim tunc Archiepiſcoporum titulo, neque multis deinde annis, Rauennates Antiſtites uocabantur. Eiuſdem imago, templum D. Mariæ Virgini, ac infanti Chriſto Deo offerentis, in D. Mariæ maioris cernitur, opere picta uermiculato, annos referens circiter quadraginta, ſed ita corrupta, ut niſi eorum, qui præſunt, liberalitas latius pateat, paucis abhinc annis penitus collapſura ſit. Quemadmodum & eandem ob cauſam anno M. D. L. ſede ob Pauli Tertii Pont. Max. obitum, uacante, pulcherrimam eam, de qua ſupra diximus, imaginem D. Virginis matris, & carmina, vna cum aurea penè teſtudine, ingenti ruina, ac damno corruiſſe uidimus: in quo maximum quiddam contigit, quòd cum inferius ſanctiſſima Euchariſtia loculo incluſa ſeruaretur,

retur,

retur, hinc atque inde ruina, & lapidibus maximis decidentibus, &quaſi attingere non audentibus, incolumis, & intacta permanſit, cum tamen uel ipſa pauimenti marmora in minutiſſimas partes confracta ſint. Huic Eccleſio ex fratre filius fuit, eadem nobili Præfectorum familia genitus: quem cum Eccleſius, Cornelio, uiro religioſiſſimo, cœnobii D. Vitalis Præfecto, litteris, bonisq. moribus inſtruendum tradidiſſet, eiuſmodi euaſit, ut Eutitio cuidam, quartum iam annum cœco, uiſum reſtituerit. Romam uerò religionis cauſa proficiſcens, cum uallis Interocrinæ, quæ eſt in Marſis, ſitum, quaſi ob ſolitudinem, & amœnitatem diuinarum rerum contemplationi a Deo fabricatum iudicauiſſet, Roma rediens, ædem ibi D. Mariæ Virgini erexit, ſedemq. ſuam, atque habitationem fecit. Interocrea enim, cuius a Strabone fit mentio, opidum fuit, a Reate, ut ex Antonini itinerario cognoſcitur, haud procul. Finitimis populis, ut D. Gregorius in Dialogis affirmat, illuc conuenientibus, magnitudine prodigiorum, & uitæ ſanctitate permotis, ſacra Seuerus, id enim erat illi nomen; adminiſtrabat. Inter cetera occurrit illud, quòd cum ex uicinis quidam extremum ſpiritum duceret, miſit ad Seuerum, uti ad ſe ueniens, eũ a confeſſione expiaret a peccatis, quò purus ab omni ſcelerum labe ex hac uita migraret. Vites tum forte Seuerus putabat: itaq. nunciis præmiſſis, qui dicerent, illum propediem affuturum, ipſiq. quod reliquum fuerat uitium amputato, iam abeunti, hominem animam exhalauiſſe, nuncii referunt, neque eſſe amplius cur accederet. Hac re uehementer commotus Seuerus, ſibi ipſi mortem uiri adſcribens, ingenti mœrore, ac luctu, ad illius cadauer accurrit, ibiq. cum diu ſe illius mortis auctorem multis lacrymis profeſſus fuiſſet, caputq. illideret ad humum, continuo uir ille ad uitam reuocatus eſt, ſumma omnium, qui aderant admiratione, ac lætitia, quæ pro dolore lacrymas ex omnium oculis uberes eliciebat. Sciſcitantibus autem affinibus ubi locorum fuiſſet, reſpondit, ſe ab tetris hominibus, ignem ex ore & naribus expirantibus, per obſcura loca cum duceretur, obuium pulcherrimum adoleſcentem cum egregio comitatu, habuiſſe, qui tetros illos homines iuſſerat, ut ſe reducerent, effundere Seuerum lacrymas, quibus eſſet, Dei iuſſu, ad uitam reuocandus. Hæc Seuerus cum accepiſſet, ex humo aſſurgens, confeſſione hominem expiauit: qui octauo poſt die animam iterũ exhalauit. Interea ſucceſſit in Rauennati Archiepiſcopatu, Eccleſio, Vrſicinus, patria Rauennas, ANN. DXLII.
procero, ſed tenui corpore, facie rubra, magnis oculis, ſumma uir religione, atque innocentia. Cum autem Neapoli poſt diuturnam obſidionem a Gothis ANN.
capta, res Italiæ in dies uergere in peius, Iuſtinianus audiret, denuo mittendum decernit Beliſarium, qui aduerſus Perſas interea bellauerat. DXLIII.
Hic accedens, Hydruntum obſidione liberauit, & Valentino Duce, terreſtri itinere, præmiſſo, Rauennam ipſe mari profectus eſt. Inter primarios vrbis Rauennæ uiros, antiqua nobilitate tunc; ut inquit ex Franchino, Ferrettus: florebat Iſnardus Trauerſarius, qui ſemper Cæſarianas partes fouerat, & unice a Beliſario, propter uirtutem bellicam, cum nobilitate coniunctam, diligebatur. Importunus enim Trauerſarius, quem Theoderico a ſecretis diximus fuiſſe, Stephanum, Traianum, ac Maximum filios habuit. Stephano ſumma cum Gothis interceſſit familiaritas, & contigit uiridi ſenectute ad octuageſimum ætatis annum peruenire: cumq. Dux eſſet ſtrenuiſſimus, obſidioni Romanæ

cum

cum Gothis non ſine laude interfuit. Traianus Rauennæ, & Maximus, uir litteris apprime inſtructus Romæ, ante Stephanum deceſſerunt. Qui Stephanus, filios genuit Sergium, ac Pyrrhum. Sergius uitæ innocentia, ac religione ſingulari, in D. Seueri Archiepiſcopi templo, Deo ſeruiens, & cucullatus, tranquille uitam confecit. Pyrrhus cum Gothis ſentiens Albanam uxorem duxit, Doctrulfi Gothici Ducis filiam: ex quibus nuptiis naſcuntur Bucellus, & Amingus, qui Burgundos ſuperauit. Ex Bucello Gothifredus ortus eſt, & Lotarius. Ex Lotario, Iſnardus, & Carolus, qui bellum eo tempore Venetis intulit, eiſq. mandaſſe fertur, Rauennæ ſalem ut emerent, Iſnardus Theodorum, Stephanum, ac Nicolaum genuit: quem Nicolaum, ferunt Beliſarium tenuiſſe, cum aqua baptiſmatis ſacra perfunderetur, ſacramq. ob id affinitatem, Beliſarium cum Iſnardo contraxiſſe. Has nobiliſſimæ familiæ ſucceſſiones, tametſi confusè ſcriptas, & cum temporum ratione fortaſſe parum conſentientes, ex Antonii Franchini Commentariolo; quem Ioannes Petrus Ferrettus typographorum imprimendum prœlo curauit; hic uolui deſcripſiſſe, ut aditum patefacerem iis, qui diligentius rem ipſam inueſtigabunt: neque enim fieri potuiſſe exiſtimo, ut intra curſum triginta annorum; tot enim fermè ab Theoderici Regis morte, cum Importunus Traucrſarius, & Maximus filius uiuebant; ad Beliſarium intercidere; quinque ſucceſſiones, Maximi, Pyrrhi, Bucelli, Lotarii, & Iſnardi concluderentur. Ex Theodoro Iſnardi filio, Barnabas, & Paulus naſcuntur, qui Paulus cum octingenteſimo anno ab ortu Chriſti uiueret, uti dicemus, facit, ut Iſnardus Nicolaum filium multo poſt Beliſarii tempora ſuſceperit. Vtcumque, ad Beliſarium reuertamur, quem, cum Rauennam peruenisſet, ut illam diligenter muniret,

ANN. DXLIIII. & Italiæ ſtatum multo quam putarat deteriorem comperiſſet, pœnituit ueniſſe: præſertim cum Totila, Tibure, Firmo, Aſculo, Spoleto, Aſſiſioq. captis, & Peruſiæ expugnatione fruſtra tentata, ad obſidionem Romæ conuerſus eſſet. Itaque conuentu Rauennam uocato, acri concione Romanis, & Gothis, qui Rauennæ erant, ad fidem ſeruandam; & bellum ſtrenuè gerendum incenſis, Iuſtino cum paucis in Rauennæ præſidio conſtituto, opem Romæ laturus, Rauenna cum claſſe profectus, omni ora Italiæ perluſtrata, cò contendit. Iiſdem diebus Bacauda, qui & Baucada ſcribitur, Iuliani Argentarii gener, ſocero opem ferente, ob conſequuta; ut in uetuſtiſſima templi inſcriptione legitur; beneficia, in regione Rauennatis urbis, cui regioni Aphriciſcæ cognomentum eſt, D. Michaeli Archangelo, templum, quod adhuc ſupereſt, ædificauit, dedicauitq. anno poſt conſulatum Baſilii iunioris, quarto, Indictione octaua, qui fuit a partu Virginis quadrageſimus quintus ſupra

ANN. DXLV. quingenteſimum nonis Mai. breuiq. poſt, Bacauda moritur, & in monumento marmoreo, a templo haud procul, infra turrim ſepultus eſt. Per idem tempus Vrſicinus Archiepiſcopus Rauennas, Iulianum Argentarium in ædificationem Auguſtiſſimi templi D. Vitalis incumbentem, hortatur, ut ad unius patroni ciuitatis templum, alterum adiungeret D. Apollinari, & geminata pietate, ambos Rauennatum Diuos tutelares, honore afficeret. Id cum Iuſtiniano Argentarius ſignificaſſet, & Cæſar fuiſſet aſſenſus, ad Claſſem, ubi templum ignobile D. Apollinari extructum erat, maius, ac nobilius templum ædificauit. Quod ad hanc diem extat, ipſam egregii operis admirabilem antiquitatem

quitatem præſeferens. Non me latet, hoc ab Narſete ædificatum pleroſque ſcribere, ſed Ricobaldo, & aliis, Iuſtiniano per Argentarium, Argentariove ipſi adſcribentibus, ego pluribus de cauſis libentius aſſentior: accedente ad hæc uetuſtiſſimo lapide in ipſo templi medio; litteris eius ſeculi ſculpto, in quo legitur, Maximinum Archiepiſcopum Rauennatem, templum illud ab Iuliano Argentario mandato Vrſicini Archiepiſcopi, ædificatum, conſecraſſe. Blondus omnium ſententia decipitur, qui de illuſtrata Italia ſcribens, id ab Theoderico ædificatum putat. Nec haud ita diu poſt, obiit Vrſicinus Archiepiſcopus, cum annos tres Rauennati Eccleſiæ præfuiſſet. Sepultus in Diuorum Nazarii, & Celſi ſacello. Eius imago in teſtudine ſpectatur Claſsenſis templi: Ferunt autem, uti ſupra docuimus, cum Diui Vrſicini Rauennatis martyris memoriam, cum obtruncatus ex humo ſurrexit, caputque ambabus apprehendit manibus, tribus ex collo ramis palmæ prodeuntibus, renouandam curauiſſe: quòd eo modo ſibi ad ſepulchrum martyris oranti, uiſus fuiſset. Victor poſt Vrſicinum Archiepiſcopus eligitur: qui Rauennatibus templis ornandis intentus, teſtudinem ſupra aram maximam ædis Vrſianæ erexit, pondo centies uiginti: ad quam conficiendam plerique ſcribunt, Iuſtinianum, cenſum omnem annuum, quem ex Italia capiebat, & centies uiginti librarum argenti ſummam complebat, Victori Archiepiſcopo donauiſſe. Multis poſt annis, aucta libidine, atque auaritia, ſublata teſtudo eſt, & lignea addita, argento incruſtata: Tametſi putent non ignobiles auctores, a Victore incruſtatam argento bracteato ligneam teſtudinem, non ex argento factam. Hanc anno MDXII. in direptione urbis, Galli rapuerunt. Ex eodem cenſus argento, auroq. multa uaſa, ſacris celebrandis myſteriis conflauit; quorum pleraque ſuo tempore, Agnellus Rauennas, qui de his ſcripſit, ſuperfuiſſe teſtatur. Inter cetera numerat ex auro, cum ſericis ſtaminibus, Endothym, ſex imaginibus, quarum una Victorem referebat, eleganter pictam: Inſcriptis autem circa Endothym litteris, ſuum id eſſe munus teſtabatur. Balneum iuxta domum templi, quod ad Archiepiſcopatus muros pertinebat, reſtituit, præſtanti marmore parietes ueſtiens: pauimento autem teſſelati, uermiculatiq. operis. Fontem ab Petro Chryſologo, quadratum, iuxta Petrianum templum, in Claſſe, ædificatum, ornauit, in cuius erat orbita ſcriptum, *Saluo Domno Papa Victore.* Hæc omnia cum Agnelli tempore extarent, quæritur idem a maleuolis uiris dirui. Nunc tantarum rerum nulla apparent ueſtigia. Victorem Archiepiſcopum fuiſſe hilarem ferunt, pulchra facie: cacodæmonibus ingenti terrori, eosq. fugare ſolitum. Moritur autem. XV. kal. Mart. ſepultus in ſacello Diuorum Nazarii & Celſi, iuxta Eccleſium, cum parum diu Rauennati Eccleſiæ præfuiſſet. In eius locum Maximianus ſubrogatur, admirabili euentu. Nam Polæ ortus; quæ vrbs eſt Iapidiæ, Colonia a ueteribus uocata, tametſi Plinius ſua ætate Iuliam pietatem appellari ſcribat; ſacriſq. ibidem initiatus, uitæ ſanctitate ad ſacerdotis munus aſpirans, Diaconus cum eſſet, foderetq. terram, ſementem facturus, uas ingens auri plenum reperit. Ille primùm nouo caſu, quid ageret incertus, mox boue interfecto, & exenterato, uentrem illius numiſmatibus implet, accerſitiſque utoribus, curauit ex hircorum pelle magnas confici ſoleas, quas item aureis ANN. DXLVI.

nummis impleuit. Quod reliquum fuerat, religione tactus, ad Iuſtinianum affert. Sciſcitanti autem Cæſari, an aliquam ſibi partem retinuiſſet, reſpondit, Deum teſtor, Auguſtiſſime Cæſar, nihil mihi ſeruatum, niſi quantum in uentrem, ac ſoleas expoſui. Accepit Iuſtinianus perinde ac de uictu, & ueſtitu dictum, cum tamen de eo intelligeret Maximianus, quod occultum ſuppreſſerat. Dum autem ſecum uolueret, quid muneris homini daret adeò fideli, nunciatum eſt, Victorem Rauennatem Archiepiſcopum diem obiiſſe. Quocirca Rauennatibus pallium ab Cæſare per legatos petentibus, iuſſit; Maximianum, in eorum Archiepiſcopum, ab Vigilio Pont.Max.conſecrari. Is tum Pontifex apud Patras Achaiæ urbem exulabat, Theodoræ, uxoris Iuſtiniani iuſſu: quæ cum Anthemium foueret, uirum hæreticum, Vigilium ei in hoc aſſentiri recuſantem, ad ſe Byzantium deduci curauit, & carcere, inediaq. miſere cruciatum Patras relegauerat. Archiepiſcopus itaque Rauennatum ſacratur ab Vigilio Maximianus pridie Id. Octobr. Baſilii iunioris quinquies P.C. Ind.X. quod incidit in annum a partu Virginis D X L V I. cum annum ætatis ageret octauum & quadrageſimum; acceptoq. pallio Rauennam uenit. Sub id ferè tempus, cum Totila quattuor militum proditione, vrbem Romam occupauerat; ab ſe tamen; ut in malis; benigne, & clementer tractatam. Beliſarius tunc in portu Antii ſe continebat, febri laborans, quam ex animi ægritudine ob tantam rerum difficultatem contraxerat: accedente præſertim falſo rumore, portum illum, ubi Antonina uxor erat, captum. Nec diu poſt Totilas, cum nobiles Romanos, partim ſecum abduxiſſet, alios cum coniugibus, ac liberis in opida Campaniæ ablegaſſet, ceteros habitatores amo uiſſet, miſerando planè ſpectaculo, Romam gentium dominam, domicilium Imperii, & gloriæ, ab incolis omnino uacuam reddiderat, Beliſarius autem ce perat, illam ingreſſus, reſtituere, ciuesq. reuocare. Rauĕnates qui interea alium in Archiepiſcopum ſuffecerant, & Maximiani ignobilitatem ſpernebant, urbe hominem excluſerunt. Ipſe uti ſumma uir moderatione, ac Chriſtiana innocentia, ne longius ab grege abeſſet, extra portam D. Victoris haud procul a flu mine, quod Foſſaſconti appellatum Agnellus ſcribit, iuxta D. Euſebii templum, iis in ædibus, quas Vnimundus Arianus Epiſcopus Theoderici Regis tempore ædificauerat, habitauit; necnon & apud D. Georgii; quas omnes ædes ac domus ædificatas ab Arianis Agnellus memoriæ prodit; Epiſcopiaq. uocata fuiſſe, quod illas Epiſcopi incolerent; extaſſeque omnes ad ſua tempora; qui bus temporibus Valerius, Rauennatum Antiſtes, eas eſt demolitus; ex eorũq. ruinis domũ erexit. quæ noua, ac Valeriana dicebatur. In tanta diſſenſione Ra uennatum, & Archiepiſcopi, non defuere, qui per legatos ſuperbiã, ac contumaciam Rauennatum ſignificare Cæſari tentarent, ſed cum reſciuiſſet id Maximianus, retraxit eorum conatum, & ſe totum Dei prouidentiæ tradidit; cœpitq. interea & blãdioribus uerbis, & muneribus, animos reluctantiũ mollire, Deumq. aſſidue precari, ut quod ſibi eſſet honori, & populo uſui, id efficeret. Rauennates tandẽ, uirtute hominis perſpecta, cum libenter in Archiepiſcopũ recipiunt. Huius Archiepiſcopatus initio abſolutum eſt auguſtiſſimum D. Vitalis templum, ingenti quidem, ſed erudito ſumptu. Nam totũ orbiculare eſt, duplici ordine columnarum; alter ſuperior, qui teſtudinem ſuſtinet, & porticum efficit, e quo quaſi ad Theatri ſimulacrum, in templi pauimentum, quod

erat

erat teſſellati,& uermiculati operis,deſpectatur.Inferiores columnæ, ſuperiores &Theatrum fulciunt, ſectoq. lapide pretioſo ueſtiuntur; quo eodem genere lapidum uniuerſi parietes incruſtabantur; nunc aliqua in parte non abſunt. In iis lapidibus natura admirabili luſit opificio, efformatis animalium, rerumq. præterea diuerſarum imaginibus; & ſacerdotis præſertim ſacris ueſtibus induti, perinde ac ſi eſſet rem diuinam facturus. Quòd ſi grauiſſimus ille philoſophus Albertus Magnus uehementer miratur Regis caput, quod Venetiis, dum ſecarentur lapides, ad parietes templi incruſtandos, uiderat; quid de hoc dixiſſet, quod uniuerſum eſt abſolutum, & Chriſtianæ religionis pallio, ac ueſtibus indutum? Aram maximam D. Mariæ Virgini, ex alabaſtrite miræ perſpicuitatis, dicauit, cuius teſtudinem quatuor columnis ſuffulſit, quæ cum pretioſæ eſſent omnes, earum tamen una longe omnes nobilitate ſuperabat. Hanc aram, cum ſuperioribus annis Caſſinenſes cucullati, qui modo, templum incolunt, e medio ſacelli, ad parietem propius admouiſſent, columnas in ipſo ſacelli ingreſſu collocauere; & marmoreo pariete adiecto, ſacellum intercluſerunt; quo a populo magis ſecreti, rem diuinam faciant. Quæ omnium præſtantiſſima columna eſt, dextrorſum ingredientibus apparet: in eaq. ſpectantur Porphyritis, Ophytis, Iaſpidum omnis generis, Carbunculi, Calcedonii, Agathes, compluriumq. huiuſmodi pretioſorum lapidum matrices; &, quod uoluptatem auget, humanorum capitum integre expreſſa ſimulacra, diuerſarumq. huiuſmodi rerum. Inter has columnas quod eſt ſpatii, ſtatuæ ex marmore geminorum utrinq. puerorum, & cochlea marina, aut certe Buccinum, & ſerpens, qui Aeſculapium referre creditur, complent, adeo inſigni arte præcellentium artificum, ut, cum auctor ignoretur, tamen uel ipſius Phydiæ, ac Praxitelis opera æquare credantur. Eo loco, vbi ſanctum cadauer D. Vitalis tumulatum erat, foueam excauarunt, cuius pauimentum pari artificio, quo & templum, exornatum. Inde ad hæc vſque tempora aqua emanat. Foueæ aram impoſuit, teſtudine columnis quatuor pretioſiſſimis ſuffulta, contectam; quas columnas uniuerſamque aram, ac teſtudinem, argento bracteato ueſtiit; adiecitque utrinque ſpecula, e quibus uniuerſi templi ſimulacrum redditur; quæ adhuc extant; ſed reliqua ſunt ſublata. Porta ad Occidentem ſtructuræ ſpecie uniuerſo operi conſentiens, octo columnis præſtantibus ſuffulta erat, ornamentiſque alabaſtrite, & candidiſſimo marmore, multoque paſſim ophyte cælata ſpectabatur. quamquam e regione uniuſcuiuſque columnæ, ianuæ minores, adapertæ, poſtibus multiiuga hiſtoria ſculptis, aderant. Nunc nihil omnino ſupereſt; aliundeque a meridie ſcilicet, & Oriente ingreſſus in ædem patet. In ſacelli maioris teſtudine, Eccleſii, & Maximiani, Iuſtinianique Cæſaris imagines vermiculato opere conſpiciuntur. Nam Eccleſius; ut diximus; ædificationi donec vixit, præfuit; Maximianus ædificatam ædem ſacrauit. Cum autem conſecraretur; cuius conſecrationis dies fuit XIIII. kalen. Maii anno quadrageſimo ſeptimo ſupra quingenteſimum, ab ortu Chriſti; interfuiſſe Iuſtinianum, atque Theodoram uxorem ferunt; contigiſſeq. ut, cum in templum Theodora ingrederetur, accurriſſentque puellæ aquam luſtralem in faciem illius, ut de more ſpargerent, dimouentes carbaſea uela, quibus contegebatur, atq. circumdabatur aquæ uas, ne quid in eam im-

O 2 purum

purum decideret, uiſa fuerit columba candidiſſima cœlitus demiſſa, inter ue-la ad aquam ſe conferens, & Theodoram alarum in aqua concuſſione, aſpergens, ſumma omnium, qui aderant, admiratione. Huius rei teſtimonium pictura facit, in teſtudine maioris ſacelli, uermiculato opere elaborata, quæ nunc uiſitur. Quamquam, quod in me eſt, adduci nulla ratione poſſum, ut id credam Theodoræ contigiſſe, fœminæ improbæ; quæ & Anthemium hæreticum tueretur, & Vigilium Pontificem, ob id; uti ſupra memorauimus; ſummis cruciatibus, carcere, & exilio impie affecerit. Et de pictura columbæ quod dicitur, eam ego non ob myſterium ſignificandum, ſed ornamenti cauſa putauerim adiectum, quod ſcilicet ſculptores ad ornatum in uaſis medio eam auem, qua ſignificari ſimplicitatem, ac puritatem ſcribitur, appoſuerint. Pictura uero eius uaſis ſimulacrum refert. Niſi forte; ſi tamen aſſentiri uulgatæ illi famæ, ac inueteratæ uelimus; id eo tempore factum putemus, quo Vigilius eſt in ſedem reſtitutus; coniicereq. fortaſſe poſſumus Theodoram reſipuiſſe; Deo commonſtrante hoc exemplo, quam procul ab uera religione abfuerit. Cum itaq. intereſſent ſacris Iuſtinianus, & Theodora ut ferunt, una cum innumeris proceribus, ac matronis, frequentiq. prætera populi multitudine, Maximianus Archiepiſcopus, ſumma pompa ædem ſacrauit; atq. inter cetera, Diuis Nazario, & Celſo ſanctiſſimum illud ſacellum, de quo diximus, quod ualuis ex ære mire ſcalptis, ac celatis claudebatur. Sacello hæc erant inſcripta.

Ardua conſurgunt venerando culmine templa
Nomine Vitalis ſanctificata Deo;
Geruaſiusq. tenet ſimul hanc Protaſius arcem,
Quos genus, atq. fides, templaq. conſociant;
His genitor natis fugiens contagia mundi
Exemplum fidei, martyriiq. fuit.
Tradidit hanc primum Iulianus Eccleſius arcem,
Qui ſibi commiſſum mira peregit opus;
Hoc quoque perpetua mandauit lege tenendum,
Hoc nulli liceat condere membra loco;
Sed quæ Pontificum conſtant monumenta priorum,
Fas ſibi ſit tantum ponere, uel ſimiles.

In D. autem Vitalis porticu, quam Ardicam appellabant, hæc legebantur. *Beati Vitalis baſilicam, mandato Eccleſii Epiſcopi, Iulianus Argentarius ædificauit, ornauit, atque dedicauit: Conſecrante uerò Reuerentiſſimo Maximiano Epiſcopo ſub die XIIII. kal. Mai. Sexies P.C. Baſilij Iun. V.C. Indictione. X.* Quo loco cum nulla fiat mentio Iuſtiniani, neque Procopius Rhetor, eorum temporum æqualis, libello, quem edidit de Iuſtiniani ædificiis, ubi omnia uel minima diligentiſſime perſequitur, quidquam de his Rauennatibus afferat, ego nihil certi, quod ſcribam, habeo: fides eſto penes horum auctores, qui conſecratum templum Iuſtinianũ, ac Theodorã egregiis muneribus exornauiſſe; & confeſtim Iulianum Argentarium conſecrationis myſterium, quod extat adhuc, uermiculato opere pingendum curauiſſe tradunt. In eius teſtudinis cẽtro Agnus tanta arte pictus eſt, ut, quocumq. te recipias, cõuerſam ad te faciẽ habere uideatur;

quod non minimam in pictura laudem habet: ſiquidem ſcribit Plinius, Amulium pictorem, grauem, ac ſeuerum, eundemq. floridum fuiſſe, cuius eſſet Mineruа ſpectantem aſpectans quacumque aſpiceretur. Sub id tempus ab Doctoribus Rauennatis Gymnaſii, quod Theoderici Gothorum Regis tempore, Boetio, Caſſiodoro, & multis præterea doctiſſimis uiris Rauennæ exiſtentibus inſtitutum ferunt, aliqui putant conditum Infortiatum, aliqui repertum, cum diu latuiſſet; præſertim cum Iuſtinianus tunc, opera, & conſilio uſus Ioannis patritii Triboniani, Theophili, Dorothei, doctorum uirorum, leges Romanas ſparſas & incompoſitas ad ordinem redigeret, ingenti illa librorum multitudine ſublata. Quod ſi quando neceſſarium fuit, id quidem certe nunc eſt, cum non infiniti ſolum libri de legibus ſcripti ſint, & ab omnibus paſſim in dies plures ſcribantur, ſed tot uariorum Doctorum opinionibus pene corruptæ ſint leges. Controuertiſſe Maximianum Archiepiſcopum ferunt hoc tempore, cum Imperii miniſtris de Silua, cognomento Iuſtrum appellata; & Iuſtinianum, Maximiano, quem unice diligebat, edicto, ac publicis tabulis mandauiſſe, uti Eccleſiæ Rauennatis perpetuo eſſet. Aedificauit Maximianus apud Polam etiam patriam templum D. Mariæ Virgini, quod Formoſum uocauit; eiq. ſacerdotis, qui templo præeſſet, domum adiunxit; & opes ſuas omnes Rauennati Eccleſiæ dono dedit; quas Agnellus refert ſuo etiam tempore ſeruari. D. Andreæ templum, quod Chryſologus ædificauerat, pretioſis ex marmore columnis, & uariegatis iucundo naturæ luſu, ſuffulſit. Quo tempore D. Andreæ apoſtoli ſanctum cadauer oblatum Maximiano refert Agnellus; in Orientemq. Patras illum profectum, ut Rauennam cadauer deueheret. Sed cum hæc Iuſtinianus reſciuiſſet, iuſſiſſe uti ad ſe Maximianus Byzantium ueniret; deferret cadauer Apoſtoli, quòd ingenti deſiderio uidendi illius teneretur. Id cum Maximianus effeciſſet, Cæſarem aiunt pluribus apud eum egiſſe, uti Byzantii ſanctum cadauer relinqueret; decere enim, ut, cum primam orbis ſedem, Romam ipſam, Petrus frater Eccleſiæ caput teneret; Byzantium, quæ ſuccedere illi ob Imperii dignitatem uidebatur, haberet Andreas. Tum Maximianus: Fac, inquit, ut lubet: id tantum mihi des, ut liceat cum meis ſacerdotibus nocte ad Apoſtoli ſanctum cadauer hymnos decantare. cui cum annuiſſet Cæſar, ipſi totam noctem inſomnem ducentes, precibus ad Deum fuſis, arrepto Maximianus gladio, cadaueri barbam abſcidit; unaq. cum aliis ſanctorum uirorum reliquiis, eam, aſſentiente Iuſtiniano, Rauennam inuexit, & ſub ara maxima templi D. Andreæ, cuius templum columnis ſuffulſerat, collocauit. Hæc, quæ ab Agnello ſcribuntur, non uidentur conſentire cum iis, quæ alii tradunt ſcriptores non ignobiles, Ricobaldus præſertim, & Platina in Cleto, affirmantes Conſtantii Cæſaris, qui Conſtantini primi filius fuit, tempore, Apoſtoli Andreæ, Lucæ Euangeliſtæ, & Timothei reliquias Byzantium importatas, magno populi plauſu, & ingenti ueneratione exceptas. Vtcumque ſit, omnium conſenſu conſtat, Barbam Diui Andreæ Maximianum ſub ara eius templi maxima collocauiſſe. atque hinc patet turpiter eos errare, qui putant Maximianum Diui Andreæ templum ædificauiſſe, cum id Petro Chryſologo ferendum ſit acceptum. Interea Iuſtinianus, Antonina ſuppliciter petente, Beliſarium ex Italia euocat, præſertim quod a Parthis noua molientibus premeretur.

Decedens Beliſarius, Romæ Diogenem cum aliquot legionibus relinquit. Maximianus Archiepiſcopus conſecrauit etiam ædem illam præclaram, quam D. Apollinari in Claſſe Argentarius, hortante Vrſicino Archiepiſcopo, & Iuſtiniano Cæſare aſſentiente, extruxerat. Cuius rei argumentum tabella extat ex marmore, quæ eius ſæculi characteribus, & dicendi modo latine ſculpta, in eius templi medio nunc cernitur. In templi autem porticu, magnis characteribus. *Beati Apollinaris ſacerdotis baſilecam, mandato beatiſsimi Vrſicini Epiſcopi a fundamentis Iulianus Argentarius ædificauit, ornauit, atque dedicauit: conſecrante vero Beato Maximiano Epiſcopo, die Nonarum Mai. Indictione duodecima, Octies*
ANN. *P.C. Baſilij*. Quod tempus in annum cadit a partu Virginis, quingenteſimum
DXLIX. quadrageſimum nonum. Maximianus cadauer D. Probi, cum ceteris ſanctorum Antiſtitum cadaueribus, unguentis delibutum optimo loco poſuit: ac in frontiſpicio templi D. Probi: in quo ſancta cadauera locauerat, quod erat ad mare, modo ne ueſtigium quidem ſeruat; Diuorum Probi, Eleocadii, & Caloceri imagines teſſellato opere pingendas curauit; ædemq. illam uniuerſam inſtaurauit, & ornauit. Grauiſſimus poſt D. Hieronymum, atque Oroſium hiſtoriarum ſcriptor; quarum nihil ſupereſt, præter paucula uerba, quæ quoniam uetuſtiſſimus illius uitæ ſcriptor Andreas Agnellus, appoſuit, nos ad tanti uiri memoriam, pro uiribus, conſeruandam, carere illis hanc noſtram Hiſtoriam noluimus. Hæc autem ſunt. *In Alexandria uerò nulla extrinſecus malitia, ſed quod ſeditioſum ſemper genus inquietum eſt, ciuile interſe motum eſt bellum, non uirtutis medio, neque ob defenſionem, ſed ob necem, atque interitum ciuium. Commoti uniuerſi Præfectum ſuum intra Eccleſiam occiderunt, qui iam ante aliquot annos ſimiliter Epiſcopum ſuum, accuſantes hæreticum, interfecerunt. Quo comperto Imperator, in iram uerſus, funditus Ciuitatem iuſſit euerti: Denique miſſo alio Præfecto, Lauditio nomine, intra ipſam Ciuitatem quadraginta uiros per ſingulas regiones ſuſpendit in ligno: ſed tunc elaborauit Dioſcorus eiuſdem vrbis Epiſcopus, & manifeſtè poſuit animam ſuam pro ouibus ſuis, electiq. ex eremo monachi, apud Imperatorem properant, atque pro exceſſu ciuium ueniam exorant. Ceſſit ſacerdotibus Imperator, & in poſterum ut ab huiuſmodi cauerent, iuſſit. Huic Epiſcopo apud Alexandriam Timotheus ſuffectus eſt, quem ego in Orientem nauigans, rectè adminiſtrantem in ſua ciuitate uidi. Sed ante parua Nazamba Ciuitas Ciliciæ, terræmotu facto, concidit, in quo periiſſe ferunt millia hominum amplius triginta.* Hactenus Maximianus. Qui Rauennæ ædificauit ad memoriam obtruncationis D. Ioanni Baptiſtæ, ædem extra vrbem, quam nunc ædem in Marmorario appellamus. Tricollim, quam uulgari nomine Canonicam uocabat, abſoluit; adiectis ſua, & aliquorum ſuperiorum Archiepiſcoporum imagine, hiſq. carminibus.

Hic Petrus iunior Chriſti præcepta ſequutus,
Vt decuit, ſacris moribus exiliit;
Hic quoq. fundauit mirandis molibus arcem,
Nominis ipſe ſui hæc monumenta dedit.
Huius poſt obitum Aurelianus geſſit honores,
Poſt hunc Antiſtes extitit Eccleſius:
Hinc fuit Vrſicinus; ſequitur poſt ordine Victor,
Temporibus iunior Maximianus adeſt.

Is

Is Polenſis erat, Chriſti leuita profundus;
Lege Dei miſerans, & pietate bonus;
Quem Deus ipſe virum decorauit culmine ſacro,
Eccleſiaq. ſuæ Pontificem ſtatuit;
Ipſe autem factis proprijs ſe non meruiſſe
Culmen apoſtolicum, ſed pietate Dei.

Hæc carmina eo etiam libentius deſcripſi, quo Archiepiſcoporum ordo clarius eluceat. Floruit autem hoc tempore Gymnaſium Rauennas, non Doctoribus ſolum, ſed auditoribus, qui admirabili progreſſu, clariſſimi adhuc habentur. In his Fortunatus celebratur, Pictauorum, & Felix eius ſocius, Taruiſinorum Epiſcopi. Natus eſt Fortunatus, loco, cui Duplabili nomen eſt, ab opidis Ceneta, & Taruiſio haud procul: Rauennæ tamen educatus, litteris ibidem operam dedit, vti Paulus Diaconus auctor eſt: & in Grammatica, Rhetorica, & Geometria celebris admodum eſt habitus. Cum autem oculorum dolore maximo laboraret, eodemq. fere morbo Felix, ſocius eius male haberetur, ambo ad DD. Ioannis, & Pauli, quod adhuc templum Rauennæ extat ſe contulere. Ibi ad aram D. Martini, qua feneſtra erat, & aſſidue plena olei lucerna ardebat, dum eſſent, ægris illo oleo contactis oculis, & dolor ſtatim abiit, & valetudo recuperata. Quamobrem tanta reuerentia in Diuum Martinum affectus eſt Fortunatus, vt decreuerit reliquias eius inuiſere, quæ erant in Gallia: Quod & fecit, iterq. ſuum carminibus elegantiſſimis deſcripſit. Vbi verò Turones, ita vt optauerat, peruenit, ad Pictauos tranſgreſſus eſt, ibidemq. conſtitit: & primo ſacerdos, mox eius Epiſcopus ciuitatis factus, honorifice ibidem ad ſepulturam datus eſt. Inter cetera, quæ extant, illius monumenta docet qua veneratione ſit adeundum D. Apollinaris Claſſenſis templum, monens, vt eius limina, non ſolum veneraremur, ſed & lamberemus cum D. Apollinaris ſanctum corpus, pretioſum appellat, atq. ita ſcribit.

Rurſus Apollinaris pretioſi limina lambe
Profuſus humi.

Interea Totila oppugnata vrbe, quam ſponte direptam deſeruerat, denuo potitur, non diſſimili, ac antea feciſſet, & maiore etiam humanitate. Centumcellas Diogenes aufugerat: vbi cum Totila paciſcitur, deditionem ſe, niſi certo die opem fœderati tuliſſent, facturum. Dum vero Totila in Siciliam tranſgreſſus, Syracuſas obſideret, Gothi, quos in Picentes miſerat, Ariminum capiunt, & Rauenna haud procul, cum Herulis commiſſo prœlio, feliciter dimicant, Duce Herulorum interfecto. Itaq. omni fere Italiæ Gothi dominabantur, extra Rauennam, Anconem, Hydruntum, Centumcellas, & pleraſque paucula; alias vrbes, cum Iuſtinianus, cui res Italica cordi erat, Germanum patruelem ſuum, qui Mathaſiuntam Theoderici neptem vxorem habebat, aduerſus Gothos Ducem in Italia decernit. Verum hic cum in Illyrio veniens, obiiſſet, Cæſar primo quidem Germani filios, deinde mutata ſententia Narſetem Eunuchum deſtinat, poteſtatemq illi facit, vt quantis videretur viribus, & armis Italiam aggreſſus, Barbaris prouinciam liberaret. Erat Narſeti amicitia multis cum Regibus, & populis propter virtutis famam. Facile igitur ab iis; præter Imperii Romani opes; quæcumq. voluit auxilia impetrauit, inter quos ab Alboino Rege veteri amico, Longobardorum equitum

millia duodecim; vt Gepidos taceam, & Hunnos, & Herulos, & Perſas, & Arabes. Sub id ferè tempus, cum Maximianus Archiepiſcopus D. Stephano templum Rauennæ excitauit, haud procul ab Opilionis poſterula, quod teſſellato opere, multisq. Diuorum reliquiis ornauit, dedicauitq. vt hæc oſtendit inſcriptio, quæ in illius templi porticu legebatur. *In honorem ſancti protomartyris Stephani, ſeruus Chriſti Maximianus Epiſcopus, hanc baſilicam ipſo iuuante a fundamentis conſtruxit, & dedicauit die Tert. Id. Decembr. Indictione XIIII. Nouies P.C. Baſilij Iun. V.C.* Adſcripſit, & hæc carmina ſupra arcum teſtudinis extrinſecus.

Templa micant Stephani martyris, & nomine ſacra
Qui prius eximium martyris egit opus.
Omnibus vna datur ſacro pro ſanguine palma
Plus tamen hic fruitur, tempore quo prior eſt.
Ipſe fidem, votumq. tuum nunc magne ſacerdos
Maxime te iuuans hoc opus explicuit.
Nam talem ſubito fundatis molibus aulam
Sola arte hominum facere non poterat.
Vndecimum fulgens renouat dum luna recurſum,
Et cœpta, & pulchro condita fine nitet.

ANN. DL. Inciderunt autem hæc in annum a partu Virginis quingenteſimum quinquageſimum. Narſes omnes copias ex Illyrico mouens, Dalmatiamq. & Tergeſtini ſinus oram circumflectens, Sontio tandem amne ſuperato, apud Aquileiæ dirutæ reliquias conſedit. Antea vero quam in Italiam perueniret, a Valeriano Rauennæ Præfecto, cum Gothis nauali apud Anconem prœlio feliciter dimicatum eſt. (ANN. DLI.) Dum enim Ancon ab Gothis acriter terra, mariq. oppugnaretur, Valerianus Rauenna, cum eius vrbis militibus egreſſus, accerſitis etiam tum ex Venetis, tum ex Dalmatis quæcumque potuit auxiliis, Gothos ingenti clade, omnibus fere captis nauibus, ſuperauit. Qua Victoria cum Cæſarianis animus eſſet firmior factus, & Gothis fractior, Narſes alacrius ab Aquileia mouens, per Italiam, duas in partes diuiſis caſtris, iter ingreſſus (ANN. DLII.) eſt. Partem per campeſtrem Venetiæ ire iubet, & hi Longobardi omnes fuere. Reliquas copias circumire paludes; & Rauennam verſus iter agere. Totila Rex, cognito iam antea Narſetis aduentu, Theiam primarium belli Ducē tranſmittit ad Longobardos diſtinendos. Sed lōge celerius opinione Totilæ facto itinere, Longobardi tranſmiſſo Pado, ad Brixillum caſtra locant, menſe Quintili. Prodigia complura ſub id tempus Rauennæ viſa Agnellus ſcribit, multisq. in ipſa clariſſima meridie lucē ſecum colloquentes homines, os ad os, viſos; ingentemq. omnibus terrorem incuſſiſſe; & octauo kal. Sextil. hora diei tertia acies in aere inter ſe pugnauiſſe. Maximianus interea Rauennatum Archiepiſcopus vaſcula duo ex auro, pondo octo & viginti, in quibus ſanctum Chryſma ſeruaretur, Rauennati Eccleſiæ dono dedit; quorum alterum paulo ante ſua tempora periiſſe Agnellus teſtatur, alterum extare; cui ſic erat inſcriptum. *Seruus Chriſti Maximianus Archiepiſcopus hoc Chryſmatarium ad uſus fidelium fieri iuſsit.* Donauit, & endothyn byſſinam præſtantiſſimam, omnem Chriſti Dei hiſtoriam continentem, qua in die feſto Fpiphaniæ aram maximam exornari conſueſſe teſtatur Agnellus. eam tamen Maximianus non perfecit,

fecit, ſed Agnellus, qui illi in Archiepiſcopatu ſubrogatus eſt. Adiunxit, & ex auro aliam Endothyn, in qua auro textili pictæ erant omnium, qui illum præceſſerant, Archiepiſcoporum Rauennatum imagines. Fecit, & geminas alias, in quibus margaritis, & vnionibus ſic erat deſcriptum. *Parce Domine parce populo tuo, & memento mei peccatoris, quem de ſtercore exaltaſti in Regno tuo.* Crucem quoque auream maiorem, quæ Agnelli tempore extabat, faciendam curauit, & gemmis, ac margaritis pinxerat; in cuius medio ligni Crucis, cui Chriſtus Deus ſuffixus fuerat, fruſtulum concluſit. Diuinos omnes libros, qui duo, & ſeptuaginta numerantur, ſacerdotum ſuorum, & templi vſibus, deſcribendos elegantiſſimo charactere curauit, & ipſemet perdiligenter emẽdauit. Pauca de multis referuntur, cum in eo, optimi Archiepiſcopi munere functo, quicquam numquam fuerit deſideratum, quod ad ſalutem ſui populi, Eccleſiæq. adminiſtrationem facere uideretur. Opes ſuas omnes Rauennati Eccleſiæ reliquit: Manicheos pleroſque Rauennam per id tempus occultè perueniſſe, qui eius vitam ſcripſit vetuſtiſſimus auctor tradit: Hi ab inſano, & barbaro Mane, viro Perſa, originem, ac nomen ducentes Catholicam de vera Chriſti Dei humanitate ſententiam oppugnabant, & ex vltimis Perſarũ finibus, Romam vſque, ac Rauennam ſtultiſſima dogmata diſſeminarunt; noſtro, vt ait Euſebius, orbi Perſica venena propinantes. Sed ſtatim deprehenſi ſunt, & a Rauennatibus vrbe eiecti, iuxta amnem, eo loco, cui foſſa Schonii erat nomen, contrucidantur, & lapidibus obruuntur. Longobardi interea ad Brixillum caſtra locauerant, quod opidum Rauennatis agri erat. Si quidem, vti Blondus affirmat, hoc tempore, quæ ad Padi ripam pertinebant, quæq. ad Venetos expoſita ſunt omnia uſque ad Mincii amnis oſtium, quo Benacus in Padum influit, Rauennatis agri erant, neque ea tunc ripa opidum aliquod habebat. In altera, inter Rauennam, ac Placentiam, vnicum erat, bello ſatis commodum, Brixillum: cuius ciſpadanarum ciuitatum, excepta Rauenna; ſi Iuſtiniano id ſcribenti aſſentimur; penè par, & magnitudine, & ciuium frequentia, qui in omnibus motibus, qui Italiam tot bellorum procellis per multos annos agitauerant, ſecuti ſunt ſemper Rauennates partes. In mediterraneis eius regionis a Pado, & Brixillo, haud procul, Tannetum fuerat opidum uetuſtiſſimum: quod ſemper, una cum Brixillo, Rauennatibus adhæſit: eſtq. id nunc, Regii lepidi ciuitatis vicus. Dum igitur ad Brixillum Lõgobardi iam perueniſſent, Narſes ab Ioanne Vitaliani filio, eius regionis perito, viam edoctus, præter Totilæ opinionem, qui exundantibus ea tempeſtate fluminibus, eum tractum planè inuium putabat, per æſtuaria ceteras copias Rauennam tranſmittit. Ibi Narſes, veteranis militibus, quæ debebat ſtipendia, perſoluit, & cum duo Mediolani creati Epiſcopi, ſeditionem in vrbe cierent, licet Francis omnia tenentibus, vtrumque adeſſe Rauennam iuſſit. Ibi nouem dies moratus, litteras legit, ad Valerianum Rauennæ Præfectum, ab Vſdrila Gotho, qui Arimini præerat, miſſas, quibus denunciabat Romanis, vt aliquando tandem æquo ſe campo, Gothis id maximè expetentibus, oſtenderent. Irriſa Barbari inſolentia Narſes, Iuſtino in cuſtodia Rauennæ relicto, cum vniuerſo exercitu, Ariminum ire contendit, vbi primo congreſſu, Vſdrila occiſus, reliqui in fugam acti ſunt. Romam deinde Narſes abiit, atque in itinere animo iam præſumens Totilæ conſilium, quem

Tuſciam

Tuſciam emenſum, ad Apenninum perueniſſe, atque ad Taginam vicum caſtra feciſſe didicerat, eodem & ipſe aduenit, ac non longè, ſtadiis centum, in planitie conſtitit. Nec diu poſt commiſſo propè Cantianum flumen prœlio, Totila tandem grauiter vulneratus, ingenti accepta ſuorum cladę, fuſus, fugatusq. eſt, & in opidum Capras importatus, ibi menſe Auguſto, anno quinquageſimo ſecundo ſupra quingenteſimum diſceſſit è vita. Theias in eius lòcum ſuffectus, haud procul ab Luceria in Campania, fortiter oppugnans, virtute Narſetis, eodem anno opprimitur. Atque ita ſecundo, & ſexageſimo anno poſtquam Theodericus eorum Rex primò Italiam eſt ingreſſus, Gothorum nomen cum Regno interiit, Gens belli, & pacis artibus, atque etiam Imperii adminiſtratione celeberrima, cuius iuſtitiæ, humanitatisq. magna exempla tradita ſunt. Quamobrem cum, Totila Regnante, Gothus quidam cataphractus, Calabri hominis filiæ virgini ſtuprum obtuliſſet, eum Totila morte mulctauit, & bona eius omnia Virgini adiudicauit: ea autem humanitate in illos ſe gerebant, quos captiuos in bello feciſſent: niſi ſi quando aut furor belli, aut militum inſatiabilis cupiditas, ſecus tuliſſet: vt multi ſtipendia in eorum caſtris ſponte mererent. Quid verò ea benignitate illuſtrius, in homine barbaro, qua, capta Neapoli, Totila Rex eſt uſus, cum Romanorum, qui in eius erant vrbis præſidio, curam ſuſcepit? veritus enim ne fame iam diu confecti, nimia ciborum copia grauarentur, atque interirent, id excogitauit remedii. Ad portum, & vrbis portas, qui exire neminem permitterent, locauit: cibos cuique certo modo, idq. minus, quàm pro eorum cupiditate, præſcripſit, in diesq. ſenſim auxit, dum tandem non læderentur. Ita receptis viribus, abeundi quo vellent, poteſtatem fecit. Cumque Romanarum copiarum Dux, Conon, conſcenſis nauibus, reflante vento, nauigare prohiberetur, timeretq. ne commutato animo, Totilam humanitatis, ac promiſſorum pœniteret, eum Totila ad ſe accitum, & vna ſecum reliquos milites, iuſſit bono animo eſſe, mixtosq. cum exercitu Gothorum, quæ ſuppeditarent ad victum, comparare. Tandem aduerſa perſeuerante diutius tempeſtate, equos illis, ac pecuniam in iter, dono dedit, & Gothis, qui tuerentur, adiectis, Romam, vti optabant, miſit: quod, & iis fecit, qui, capta Hadriani mole, Conſtantinopolim abire voluerant, tametſi magno ab illis damno fuiſſet affectus. Videbatur autem Totila; quando iam de Theoderico ſatis ſupra dictum eſt; ceteri vero Reges paucis admodum annis præfuerunt; ad C. Cæſaris mores, & gloriam beneficiis, munificentia, facilitate aſpirare, milites ſuos ſubleuare, Commilitones appellare, labora re, vigilare, maturare. Erat Gothis militiæ magna ſcientia, animus belli ingens, quippe qui a pueritia omnes labores, & pericula conſueta haberent; & vbi primum ætas militiæ patiens, ſtipendia facere poterat, nihil bello potius ducere: nam arma ipſi tractare, bella gerere, Romanos, id autem eſt Italos; quos veteri a ſuperioribus Cæſaribus, Antonino præſertim, nomine accepto, Romanos appellabant, domi ocium habere voluerunt, extra pauciſſimos, quos virtute, & fide ſpectatos, legimus inter armatos Gothos aliquando militaſſe. Excuſari a militia poterat nemo ex Gothis: Qui valetudine, aut imbecillitate impediebatur, ei Rex, cauſa diligentiſſimè perſpecta, laboris vacationem dabat, litteris ea de re ſcriptis, quibus militari illũ dono priuabat, cum eſſet præſertim de ſuo, vnde viueret, affirmans, æquũ

non

non eſſe, ut rem laborantis, ocioſus acciperet: cauebat etiam, ne quis deſertoris eum crimine notaret. Mercenaria militia, quo modo nunc utimur, rara illis erat: & ſi externus aliquando miles eſſet euocandus, non ſingulatim vnicuique, ſed generatim atque vniuerſe, dabatur, vnde militibus neceſſaria compararentur: vti in ſubſidiariis Gepidarum, ac Rugorum copiis factum legimus: ita Romani, Scipionibus in Hiſpania res gerentibus, Celtiberis in amicitiam receptis, mercenario, & externo milite primum vſi ſunt, ut auctor eſt Liuius, cum antea ipſi, cum liberis in expeditionem irent: quod & Gothi fecerunt. Neq. verò Rex belli ſummam, ſua ſententia, gerebat, ſed conſultores adhibebat proceres Gothos, quorum apud eum conſilia plurimum valebant. Gladiis vtebantur, potiſſimum proceres, ita temperatis, vt ferrum ſecarent, mediis marginum alueis excauatis ſic, vt variis intextum coloribus metallum videretur: id autem curabant cote, ac puluere, valde detergente, quod erat apud Vnarnos populos, vnde huius generis arma habebantur. Caſtra eorum cingebantur crebris ſtipitibus ab ſummo præacutis; foſſa circumdabantur lata, atque alta: quidquid autem inde egerebatur telluris, intra caſtra coniectum, valliq. & muri loco erat, qua patebat aditus, qui locus eſſe anguſtus admodum, & difficilis conſueuerat, firmabatur egregio milite. Aciem non vna ſemper ratione, ſed pro ratione loci, temporis, hoſtium inſtruere. Maximam partem, pedites ſubducere in primam aciem conſueuerant, utrinque equites: in nouiſſimo agmine, a caſtris haud procul, phalangem locare, quæ uictos hoſtes, ſi fugerent, trucidaret. Nonnumquam equitatum in fronte exercitus locabant, pedites in ſubſidiis, vt equites fuſi, fugatiq. ſe ad pedites reciperent, ibidem tuti conſiſterent, denuoq. ſimul coniunctis viribus, atque armis in hoſtes ruerent. Solis aliquando pugnabant haſtis longioribus, quod contra belli leges factum ſcribit Procopius, cum gladiis, ſagittisq. hoſtes, & omni genere armorum vterentur; neque circumuenire hoſtes poſſent, cum non eſſent in cornua diſtributi: Itaque nihil mirum, ſi fuſis, ac perturbatis ſuis, Totila victus, vulnereq. confoſſus ex eo prœlio diſceſſit, quod poſtremum, ita inſtructa acie fecit, cum eos Romani ducto in Lunæ ſpeciem exercitu circumueniſſent. Quamquam verò Romana inſtituta, nulla mutarunt, Senatum, Præfectos, Comites, Curatores, & id genus alia, tamen pleraque ſuo more inſtituta ſunt; quæ tamen Romanas leges, ac dignitates imitari viderentur. Hinc Gothorum Iudices in prouinciis, Comites appellabant, qui Gothis ius dicerent. Quod ſi Gotho lis cum Romano eſſet, eam Comes Gothus, adhibito Romano, viro prudenti, cognoſcebat. Inter Romanos, Romanus: atq. ea de cauſa Rex cognitores in prouincias mittebat. Comites etiam deſtinabantur ciuitatum, in quibus Comitem potiſſimum Romanum, & Rauennatem legimus; Huic, illud etiam muneris incumbebat, vt operas negociatorum, quas operas quotannis certo numero Regi debebant, exigeret, magnum nauium numerum breuiſſimo temporis ſpatio compararet, & mandata Regis, exhauriret. Si quis timuiſſet aduerſarii inſidias, impetusque, illi Rex, virum ſtrenuum, manu promptum, perpetuum Comitem adiungebat; is viri in clientelam ſuſcepti ſtipabat latus, & ſi ab aduerſario appeteretur, diſtricto & ipſe gladio, pro uirili parte, tuebatur, pro eo autem, ac ſe geſſerat, ſtipendia illi, ac munera dabantur: Saionem, huiuſmodi; defenſo-

ſenſorem appellabant. Ceterum quoniam acciderat, vt Saio pecunia corruptus, in ipſa dimicatione arma in eum verteret, quem tuendum ſuſceperat, Rex iuſſit, ut cautione prius deuinceretur, nihil ſe contra ius, & Regia edicta eſſe facturum. Ceterum non hominibus ſolum ſingulis, ſed exercitibus etiam Saiones adiungi conſueuerant. De matroniis ſanxerunt multa: vnus poterat Rex litteris ſuis dare, vti conſobrina, legitima fieri vxor poſſet, idq. perrarò. Quæ ſibi par, & æqualis non eſſet, eam nemo coniungere ſibi matrimonii dignitate poterat, ſic, vt filii inde nati, legitimi hæredes haberentur, niſi id a Rege fuiſſet impetratum. Gothorum vxores, ſi quid egiſſent perperam, ſi in aliam mulierem aut contumeliam, aut vulnera intuliſſent, mulctæ in eas, maritis ius erat: ii ſi neglexiſſent, cauſam Rex cognoſcebat. De adulteriis ita ſanxit Athalaricus Rex. *Si quis ſuperflua, turpiq. cupidine, coniugali honeſtate deſpecta, ad concubinæ elegerit uenire complexus, ſi ingenua fuerit, iugo ſerui tutis cum filijs ſuis, modis omnibus addicatur uxori: ut illi ſe per honeſta iudicia ſentiat ſubdi, cui pollicitam libidinem credidit poſſe præponi. Quod ſi ad tale flagitium ancilla peruenerit, excepta pœna ſanguinis, matronali ſubiaceat ultioni, vt illam patiatur iudicem, quam formidare debuiſſet abſentem.* Ceterum licet Gothorum in Italia Regnum deſiit, florebat tamen in dies magis in Hiſpania, eoq. maiore felicitate, quò Arriana tandem reiecta perfidia, & Catholica fide accepta, magna religionis monumenta reliquerunt. Ex Italicis, Ablauius Rauennæ educatus, & fortaſſe etiam natus, Romanis litteris eruditus, ſcripſit de Gothorum bello, temporum illorum hiſtoriam complexus. Sub id tempus, vti memoria Agnellus prodidit, Franci, quos in auxilium Gothi euocauerant, ex Italia ab Narſete etiam pulſi ſunt: ii aliquot annos Ciſalpinam Galliam tenuerant, & cum Gothis; quos in Italia degere, tamquam Romanis obtemperaturos, Narſes permiſerat; arma coniunxerant. Itaque Narſes Cumas, & Lucam reſiſtentes acriter obſedit. Lucæ autem, Bono cum præſidio relicto,

ANN. DLIII. Rauennam in hiberna conceſſit: nam exeunte iam anni quinquageſimi tertii ſupra quingenteſimum autumno, bellare per hiemem nolebat: quòd eſſet id commodius Francis futurum, quorum vires æſtate eneruatas, hibernum tempus confirmat. Rauennæ tercentos tantum homines, domeſtici obſequii cauſa ſecum retinuit. Cum autem in Claſſe, Rauennatis agri caſtello; vt ipſis vtar verbis Agathii, qui hæc ſcripſit; Narſes ageret, venit ad eum Aligernus, Theiæ Regis frater, qui Cumas tenebat, a Narſetis adhuc militibus obſeſſas. Is & tradidit illius vrbis claues, & ſe fidelem ei operam nauaturũ pollicitus eſt. Quod & fecit. Poſtero anno Vigilius Pont. Max. Concilium Byzantii quintum, aduerſus Theodorum, & Anthemium Byzantium Epiſcopum, cum habuiſſet, qui Eutychianam hæreſim tuebantur, affirmabantq. D. Mariam Virginem, ſolum hominem, non Deum, & hominem peperiſſe, atque ob id fuiſſet in Concilio decretum, vti ea Θεότοκος appellaretur. Quo tamen longè antea vocatam nomine fuiſſe, & Concilium Epheſinum, & Chryſologi Archiepiſcopi Rauennatis prior de generatione Chriſti concio, apertiſſimè teſtantur. Ab Iuſtiniano Romam dimiſſus, cum in Siciliam veniſſet, Syracuſis, grauiſſimo calculi dolore, obiit V. kal. Ianuar. Pelagius illi Romanus,

ANN. DLIIII. incunte vere ſuffectus eſt. Narſes, cum reliquiæ Gothorum noua moliri denuo auderent, & Francos, commiſſo ad Caſilinum prœlio, interemit, & Gothos

thos

thos Caſini obſeſſos,in deditioneq.acceptos Cõſtantinopolim miſit.Soluturus deinde vota,quæ initio belli Deo nũcupauerat,ex manubiis bello partis,& Romæ,& Rauẽnæ,& Venetiis tẽpla dicauit: atq. tunc exædificaſſe D.Apollinaris in claſſe ædẽ pleriq. putant,quaterno columnarũ ordine,& precioſo marmore incruſtatis parietibus magnificam. Sed Narſes nõ hanc ædificauit, verum iam extructæ ab Iuliano Argentario,vt ſupra ſcripſimus,domũ egregiam,& multa præclara ornamenta adiunxit.Sub id tempus Maximianus Rauennas Archiepiſcopus moritur octauo kal.Mart.Hoc enim die,non autẽ nono kal.in vita ipſius,quæ vetuſtiſſimo charactere manu ſcripta,apud ſacras virgines D.Andreæ hactenus ſeruatur,legimus,& in RauẽnatiEccleſia eius dies feſtus agitur.Sepultus eſt ad aram maximam in D.Andreæ, vbi illius barbam collocauerat. Inde ſublatus tempore Petronacii Archiepiſcopi,vti narrabimus.Quòd verò hunc in hæreſim aliquando lapſum fuiſſe pleriq.recentes auctores ſcribunt,& id omninò a ueritate longè abeſt,& quod Maximiano Iſtriæ Epiſcopo,eſt adſcribẽdũ,Rauennati falſo imponunt. Quia enim multis propter inſcitiam uiſum fuerat Concilium Conſtantinopolitanum , de Chalcedonenſis auctoritate plurimum diminuiſſe,tribus eius,vt rebantur,Capitibus infirmatis,Liguriæ,Venetiæ , & Iſtriæ Epiſcopi ; quorũ erant principes, in Venetia, Macedonius Aquileienſis,in Liguria,Honoratus Mediolanenſis,& in Iſtria,Maximianus; conuenerant Aquileiæ,& Concilium illud minimè obſeruandum ſtatuerant. Itaque vbi Pontificatũ iniit Pelagius,ſcriptis ad Narſetem litteris,Petroq.& Proiecto illuc miſſis,Thracium,& Maximianũ Epiſcopos,ac potius,vt ipſe inquit,nomina tantũ Epiſcoporũ habentes , ad Romanæ Eccleſiæ auctoritatem reuocare , & ne res Eccleſiaſticas ad proprios vſus conuerterent,vti faciebant,curare cõtendit. Sed cum eorum Epiſcoporum nemo præceptis Pontificiis obedientẽ ſe præbuiſſet, nouas ſcripſit ad Narſetem litteras,vt ad Iuſtinianum illos Conſtantinopolim mitteret : ſic autem deinde addit. *De Liguribus , Veneticis,& Iſtriis Epiſcopis quid dicam ? quos idonea eſt Excellentia veſtra , & ratione, & poteſtate reprimere: ne dimittatis,in contemptum Apoſtolicarum ſedium,de ſua ruſticitate gloriari; cum ſi quid eos de iudicio uniuerſalis ſynodi', quod Conſtantinopoli per primam nuper elapſam indictionem actum eſt ; forte mouebat , ad ſedem Apoſtolicam ; quod ſemper factum eſt; electis aliquibus de ſuis, qui dare, & accipere rationem poſſent, dirigere debuerunt, & non, clauſis oculis, ſanctam Eccleſiam lacerare.* Cum igitur in Iſtria nequaquam Rauẽna ſit, neque ab ullo poſita ibidẽ umquam fuerit, prorſus dicendũ eſt,Maximianum Archiepiſcopum Rauennatẽ,virũ ſanctitate inſignem,illum nõ eſſe de quo ſcribit Pelagius,& a nouiſſimis ſcriptoribus,iniuria,hæreſeos aliquando damnatum.Rauẽnates Maximiano ſufficiũt Agnellũ, virũ rubra facie,modicis ſuperciliis,erectis oculis,duplici mento, æquali ſtatura , inſigni pietate,religioneq. Hic vxore mortua , totum ſe Dei ſeruitio addixerat , Diaconusque ab Eccleſio Archiepiſcopo factus , præfectus eſt templo D.Agathæ : quod falſo, mea ſententia , putat Spretus ab hoc Agnello conditum : nam ſupra in Ioanne primo , Archiepiſcopo, qui vidit Angelum, de illo meminimus , Ad templi parietes domus Agnelli adhærebat : natus nobili loco , & ditiſſimus , quarum diuitiarum hæredem, neptem ex filia, moriens, teſtamento reliquit . Huius temporibus , Iuſtinianus , Narſetis opera , vt Blondus ſcribit, omnia Gothorum bona , Rauennati Eccleſiæ largitus eſt :

ANN. DLV.

ANN. DLVI.

ANN. DLVIII.

neque ea, quæ in vrbibus ſolum erant, ſed quæ in ſuburbiis, vicis, villis: aras, templa, ſeruos: quidquid tandem aliquo pacto iuris eorum eſſet: hancque donationem tabulis Auguſtalibus rite confectis confirmauit, in quibus hæc, de Rauennati Eccleſia ſcripta a Deſiderio Spreto, & ante ipſum ab Agnello Canonico Rauennate, in huius Agnelli Archiepiſcopi vita, feruntur. *Sancta mater Eccleſia Rauennas, vera mater, uera Orthodoxa: nam cetera multa Eccleſia, falſam, propter metum, & minas Principum, & terrores, ſuperinduxere doctrinam, vel recepere, hac verò, & ueram, & vnicam ſanctam Catholicam tenuit fidem, numquam mutauit: fluctuationem ſuſtinuit, numquam, nec tempeſtate quaſſata, a ſua ſtabilitate moueri potuit, immobilis permanſit.* Hæc Iuſtinianus cuius etiam aſſenſu, templa omnia, quæ ab Arianis, Theoderico Regnante, extructa, & eorum ſacrificiis fœdata fuerant, purgauit, ac ad verum cultum Agnellus traduxit: inter quæ D. Mariæ in Coſmodim, & fons baptiſmatis, quod duodecim Apoſtolorum ſimulacris teſſellato opere, decorauit. Ad hæc D. Euſebii, ab Vnimundo Epiſcopo Ariano; vti diximus; ædificatum, iuxta campum Coriandri, extra Rauennam, & D. Georgii, extructum Conſulatu Baſilii, ut in eius teſtudine legebatur. Templum etiam D. Zenonis in Cæſaria, & D. Sergii in Claſſe, iuxta Viridarium, denuo conſecrauit. Templum D. Martini in Cælo aureo, quod a fundamentis Theodericus Rex Arianus erexerat, ſedemq. Epiſcopis Arianis conſtituerat, expiatum, muſiuo, & teſſellato opere pinxit, imaginibus martyrum, virginumq. virorum, ac fœminarum adiectis: inter quas etiam, ſupra portam, egredientibus, læua, imago Iuſtiniani Cæſaris uidetur, dextra, Agnelli: quæ ruinam ita minantur, vt arbitremur paucos annos ſuperfuturas: cum tamen, & laquearibus aureis, & elegantiſſimis, quibus incruſtabatur, marmoribus, & pauimento lithoſtrato, celeberrimum fuerit. Expiauit etiam D. Theodori templum, haud procul à Dyocdonis domo, vti Agnellus auctor eſt. Crucem magnam ex argento Rauennati Eccleſiæ condonauit, quæ in æde Vrſiana, cum illius imagine, in eadem Cruce ſculpta viſebatur. Argentam; quemadmodum Ricobaldus eſt teſtis; cum agro vniuerſo, Rauennati Eccleſiæ reſtituendam curauit: & D. Georgio templum ædificauit, ab eo opido haud procul. Siluam etiam Luci, vbi nunc opidum eſt eo nomime, ab Iuſtiniano impetrauit. Ceterum Iuſtinianus cum anno D L X V. Idib. Februar. litteras ad Narſetem dediſſet, vt filiis. L. Titionis, qui tribunus militum in prœlio contra Vitigim Regem, apud Rauennam ceciderat, bona, dignitatemque priſtinam reſtitueret, ex hac vita migrauit: quo eodem anno, & Hlotarius Galliæ Rex, & Beliſarius patricius obierunt. Moritur Iuſtinianus, vti Nicephorus tradit, Conſtantinopoli Idibus Nouembr. anno Imperii X X X I X. ætatis L X X X I I. cum eam mortem crinita ſtella a Sextili ad kalen. Octobr. in cælo viſa præceſſiſſet. Quieſcentem Italiam, & barbaris liberatam, Iuſtinus ſecundus Cæſar, Iuſtiniani Auguſti, ex filia, nepos, cum ad eam diem curator palatii fuiſſet, Curopalatem appellabant, Imperator ex auunculi teſtamento factus, accipit: vir minime Iuſtiniani ſimilis, at auarus, improbus, nullo non ſcelere adſtrictus. Sub id tempus Epiſcopo Cæſenæ mortuo; quæ olim vrbs Flauia curua Papia dicebatur; Rauennæ in D. Ioannis Euangeliſtæ, dum omnes non unum ſentiunt, columba cælitus

ANN. DLXV.

de

demiſſa, eligitur illius Epiſcopus, Seuerus Rauennas Diaconus. Per id tempus Agnellus Rauennas Archiepiſcopus cum in Vrſiana æde ſuggeſtum ex marmore, pulchris ſculptum imaginibus, faciendum curaſſet, vt ea teſtantur, quæ ad hanc diem ibidem leguntur inciſa, hoc modo. *Seruus Chriſti Agnellus Epiſcopus hunc pyrgum fecit*. Idemque etiam, vt in D. Andreæ videatur. Tandem omnibus veri, ac ſancti Antiſtitis partibus impletis, annos natus quattuor & nonaginta, cum ſemper nullis viribus ſuis confiſus, nec affinitatum nobilitate, atque opibus; quibus maxime; vt diximus, florebat; ad Deum cõfugerit, illumq. inuocauerit, moriens, eius præſidium ingenti miraculo ſenſit. Itaque tranquille ex hac vita in cælum migrauit kal. Sextilibus, in manibus ſacerdotum ſuorum collacrymantium ſanctum cadauer relinquens: quod in D. Agathæ conditum eſt, in medio, vbi ara maxima erat, cui titulus D. Agnelli adiungebatur. Nunc loco dimotum, & iuxta murum poſitum, ſub teſtudine templi: vbi, & Ioannis Archiepiſcopi, qui vidit Angelum, cadauer ſepulturæ traditum eſt. Adminiſtrauit Rauennatem Eccleſiam annos tredecim, tanta omnium beneuolentia, vt nullius interitum acerbius umquam, aut moleſtius Rauennates tulerint. Huius tempore, Fanum vrbem, & Cæſenæ arcem incendio conflagraſſe, multis hominibus abſumptis, Andreas Agnellus, qui deſcripſit huius vitam, teſtatur: qui & addit, magnam per hæc tempora in Italia fuiſſe rerum omnium affluentiam. Hæc autem ad eius tumulum inſcripta carmina, Andreas idem Agnellus tradit.

Pontificis requiem caleſti munere geſſa,
Agnellus virtute Dei non perdidit illam
Qui optatam meruit lucis cognoſcere pacem.
Corporis ipſe ſui templum ſeruauit. ....
Iuſtus cum ſanctis, Chriſto mediante, reſurget;
Sic quoque pro meritis gaudet, qui talia geſsit.

Hic requieſcit in pace Agnellus Epiſcopus, qui ſedit an. XIII. men. I. Dies VIII. Vixit an. LXXXXIIII. Depoſitus eſt ſub die Kal. Aug. Indictione Quarta decima. Hæc ibi ex quibus cognoſcimus obiiſſe illum anno a partu Virginis Quingenteſimo ſexageſimo ſexto, cum in eum quarta decima cadat Indictio. Cœnobium in opido claſſe, cum ſacro fonte Petriani templi coniunctum, quod extare adhuc ſua ætate Agnellus ſcribit, DD. Mattheo, Iacoboq. Apoſtolis dicatum, teſſellato exornandum opere curauit: quod indicant in arcu teſtudinis litteræ, quæ hoc modo legebantur. *Saluo Domno Papa Agnello, de donis Dei, qui obtulere ad honorem, & ornatus ſanctorum Apoſtolorum, & reliqua pars de ſumma ſeruorum, qui perierant, & Deo auctore inuenti ſunt, hac ſub abſide in oſſibus exornata eſt.* Sũt, qui, Venantii Fortunati auctoritate permoti, hoc loco Vitalẽ Archiepiſcopũ Rauennatẽ ponant, & ædificaſſe D. Andreæ maioris tẽplum; quod nos Petro Chryſologo adſcripſimus; affirment: Quorũ ſentẽtiam ne ſequar, facit Agnelli, quiq. Agnellũ deſcripſere, Ricobandi Ferrarienſis, & Mauri Rauennatis Canonici, D. Saluatoris, aliorumq. auctoritas. Agnellus enim, qui ab eo ſæculo haud procul abfuit, & Totilæ bellũ ſcripſit diligentiſſimè, nihil meminit de hoc Vitali: vti neque Ricobaldus, neq. poſt Ricobaldũ ceteri, qui tamẽ de Fortunato, & Vitali mentionẽ, ſed ut alterius ciuitatis Epiſcopo, faciunt. Nam quod apud Fortunatũ legatur Vitalis Archiepiſcopus Rauẽnatis, & Rauẽnæ,

P 2 qui

qui D. Andreæ templum hic excitarit, antiqui Codices, Rauenſem habent: neque verò de huiuſmodi differentia mirum, quando, qui nuper Fortunati librum in lucem emiſit, Iacobus Saluator Solanius mendoſum admodum, & lacerum multis fuiſſe locis teſtatur, & ipſe adhuc cum legitur liber, patefacit. Cum autem nullum extet Rauennæ templum D. Andreæ ab hoc excitatum, alterius fuiſſe ciuitatis Epiſcopum, vbi templum illud condiderit, credendum eſt: Nam & quæ tradit in vita D. Maximiani Archiepiſcopi Agnellus, templo D. Andreæ maioris inſcripta Carmina, a nobis ſupra deſcripta, aperte confirmant a Petro Archiepiſcopo ædificatum, & D. Maximiani acta, quæ vetuſtiſſimo charactere, in pergameno exarata, adhuc apud D. Andreæ ſacras virgines ſeruantur, adducunt me, ut omnino putem, ante Maximiani Archiepiſcopi ætatem extructum. Illius enim columnas è ligno, marmoreas elegantiſſimaq. colorum, & linearum varietate nobiliſſimas fecit, & ibidem ad ſepulturam datus eſt: quod etiam & ſanctum illius corpus, adhuc ibidem conditum, & plures è cryptaporticu in edita loca, eius translationes ſuadent. Aedificaſſe Vitalem D. Andrææ minus templum nemo dixerit, cum excitatum a Theoderico Rege, & Gothicis ceremoniis dicatum, vel ipſa nominis ad noſtram ætatem appellatio, qua dicebatur templum Gothicum, aperit. Vllius præterea templi D. Andreæ hac in vrbe dicati neque mentio, neque ueſtigium, quod ſciam, extat. Accedit adhæc, quia ſi id Rauennæ fuiſſet, omnino Fortunatus, qui felici verſus numero, perſequi huiuſmodi luſus ſolet, nequaquam omiſiſſet Vitalis Archiepiſcopi, ad D. Vitalem martyrem, vrbisq. patronum, comparationem, cum pulcherrimus poeſi campus, in quo ſolet ipſe libenter excurrere, hinc pateret, in ea potiſſimum ciuitate, quam ſingulari quodam ſtudio, & amoris ſenſu complecti eſt viſus, cum de uita D. Martini, quatuor libros, verſibus ſcriptos, in hanc vrbem dirigit, hicque vt iter è Gallia ſuum finiant, iubet. Putant igitur aliqui, Epiſcopum illum fuiſſe Rauennæ, loci ab Alpibus haud remoti, de quo ipſe in itinere in Galliam ſuo, & Paulus Diaconus in Hiſtoria Longobardorum meminerunt. Alii cum videant omnia penè ſua carmina ad Tranſalpinos Fortunatum miſiſſe, locum in Tranſalpinis regionibus fuiſſe exiſtimant. Nam Rauennam eſſe in ea Belgii parte, quam modo uocant Lothoringiam, Iacobus è Rauenna, iuriſconſultus clariſſimus, ducentis iam, & quinquaginta annis oſtendit: noſtraq. ætate Rauenſpurgum, & Rauenſtainum, & alia huius nominis loca legimus: vbi quamquam hodie Epiſcopatus non eſſe uidemus, quia tamen ſuperioribus ſæculis fuiſſe potuerint, nemo iuerit inficias, cum multa loca, ita ferente viciſſitudine temporum, illis nunc careant, quæ antea, illos habuiſſe compertiſſimum ſit: Quod, ne diſcedamus a prouincia Rauennate; Brixillum oſtendit, nunc opidum, a Valentiniani tamen Cæſaris tempore ad Gregorium ſummum Pontificem, qui curſus eſt annorum ferè ducentorum, Epiſcopo inſignitum. Vt omittam Bobium, quod modo non extat; forum Pompilii, cuius eſt Epiſcopus, Britonorium translatus. Quidquid igitur ſentiant alii, uiri alioqui doctiſſimi, iis ego rationibus, auctoritatibuſque adducor, ut putem, Vitalem, neque huius fuiſſe ciuitatis Archiepiſcopum, neque templum hic D. Andreæ vllum ædificaſſe. Neque fortaſſe ea omnino improbanda ſententia ſit, qua alii arbitrantur; Vitalis nomine, hic ob D. Vitalis vrbis patroni cultum,

tum, frequentiſſimo; ducti; Epiſcopum hunc Vitalem, domo Rauennatem fuiſſe, ſed alterius ciuitatis Epiſcopum, quæ ab Fortunato; vt in multis aliis conſueu't, taceatur. Ex omnium igitur ſcriptorum Rauennatum ſententia, Agnello ſufficitur Petrus, cognomento, atq. etiam ætate, ſed multo magis virtutum, ac morum præſtantia Senior: vir grauiſſimus, & vita innocenter acta maximè laudatus. Agnellus ſcribit, conſecratum fuiſſe Romæ, Indictione II. XVII. kal. Octobr. quæ in annum incidit humanæ ſalutis quingenteſimum ſexageſimum octauum, abſque ieiunio: reuertentemq. omni gratulationis genere a ciuibus, ac militibus, ipſaque claſſe, exceptum. Dum autem Narſes maximis opibus virtute partis, ipſaque numquam interitura rerum geſtarum gloria florens, magnam inuidiam ſibi conflauiſſet, Iuſtino perſuadetur, vti omnibus iam reſtinctis bellorum facibus in Italia, eius vectigal prouinciæ, in Cæſaris ærarium, nimis exhauſtum, inferendum iuberet: præſertim cum Narſeti non eſſet, in quod tantum auri inſumeretur. Imperat Narſeti Iuſtinus, vt ſimul ac pecuniæ exiguntur, Byzantium eas tranſmittat. Quod vt de illarum parte libentiſſimè faciendum Narſes exiſtimabat, ita non probabat, omnes mittendas; nudatamq. relinqui omnibus præſidiis Italiam, ne ſubita irrumpente calamitate, fruſtra ſerum è Byzantio auxilium expectaretur: nam Burgundiones, & Franci, ac Viſigothi, in Gallia, ſemper in armis erant. Poterat quidem hæc ratio Cæſarem emollire, & de ſententia deducere, ſed reſtitit inimicorum inuidia, quæ ſurripere tam florentem Narſeti gloriam nitebatur. Itaque Sophia Iuſtini coniux, petulans mulier, & ſuperba, quæ virum quamcumque in partem vellet, ageret, impulit Iuſtinum, ad eum ex Italia reuocandum, ſucceſſoremq. eidem tribuendum Longinum Patricium. Addidit, & ingratitudini contumeliam, fore, inquiens, ut bene cum Narſete agatur, ſi reuerſus, partiendis lanæ, aut purpuræ penſis, in Regiarum ancillarum opus, incumberet. Tam inſolens dictum non tulit magno vir animo Narſes, reſponditq. ſe eius generis telam orditurum, quam neque ipſa, neque illius poſteri præciſam conſpicerent: Hacq. ira, & nobili indignatione impulſus, Alboinum, veterem amicum, Longobardorum Regem, Comundo Gepidarum Rege ſuperato clariſſimum, in Italicum Regnum vocat. Ipſe animi cauſa, ſeu quòd, ut plerique ſcribunt, ſe magis ibi tutum crederet, Neapolim concedit. Ferunt Ioannem Pontificem; qui paucis ante annis Pelagio mortuo ſucceſſerat; quòd cognouerit, quam indignanter eam rem Narſes tuliſſet; Neapolim profectum, & amicum hominem ſolatum, hortatumq. fuiſſe, ne tantis malis aditum patefaceret, ingentiq. & nobili animi ſpiritu, ſuperbæ fœminæ inanem contumeliam ſperneret. Fecit id Narſes, ſcriptiſque litteris conatus eſt ab incœpto Alboinum reuocare, ac Romam cum Pontifice reuerſus, Conſul, vt nonnulli tradunt, creatur, unà cum Baſilio, viro clariſſimo. Sed Alboinus, cum ab omnibus rebus, quæ ad Italicam expeditionem faciebant, paratiſſimus eſſet, & eodem anno Narſes Romæ exceſſiſſet è uita, nihil eſt ab itinere retardatus. Prius verò quàm iter ingrederetur, ſedes proprias in Pannoniis, apud Hunnos veteres amicos incolendas depoſuit, ea lege, ut ſi cœpta, ex ſententia non ſuccedant, Longobardis reſtituantur: Sin morentur in Italia Longobardi, Hunni ſi-

bi illas optimo iure habent. Ita factum, vt Hunni adſcitis in ſedium communionem Auaribus, finitimis populis, & confuſo vtroque nomine, Hungari ab eo tempore, ad hanc ætatem illas, ſedes perpetua poſſeſſione tenuerint. Tametſi non deſint alii, ut Bernardus Iuſtinianus teſtatur, qui Hungaros putent, proprio nomine, non ex Hunnis, & Auaribus mixto, annum circiter Octingenteſimum Octuageſimumque ab ortu Chriſti ex Scythia prodiiſſe: feros moribus, & immanes, carne humana ſolitos veſci, & cruorem epotare. Vtcumque: Iuſtinus haud ſatis intelligens quid ageret, Italico bello præficit, aduerſus Alboinum, cuius iam motus acceperat, Longinum Patricium, cum ingenti parata claſſe: cui Longino, Flauii prænomen aliqui adſcribunt.

HIERONYMI ▸ RVBEI

HISTORIARVM

RAVENNATVM

LIBER . QVARTVS

LONGINO in Italiam aduenïente, nouus magiſtratus adducitur, nouo nomine, nouoq. Excellentiæ, ac excellentiſſimi, quo Exarchi appellabantur, titulo inſignitus. Tametſi in uetuſtis eius ſæculi, quæ uiderim, monumentis, nuſquam Exarchos appellari, ſed ubique Præfectos, hoc latino uocabulo, Græcam forte uocem exprimente, nouerim. Cum tamen, D. Gregorii & aliorum litteræ, eos uocent Exarchos. Tum primum poſt Narſetem, ac Baſilium Conſules, peruetus Conſulum dignitas Romæ ceſſauit. De tempore, quo Exarchatus hæc dignitas ab Logino in Italia cœperit, non una eſt ſententia. Blondus, Benedicto primo Pontifice, & Imperio Iuſtini, circiter annum Domini DLXXI. Alii putant fuiſſe anno D L X X V I. Sed in tanta ſcriptorum diuerſitate, iis magis aſſentior grauiſſimis auctoribus, quam aut Raphaello Volaterrano aſſerenti anno D C X X. incœpiſſe, aut Leandro Alberto idem initium in annum D L V I I. reiicienti. Nam anno D X X. imperabat Heraclius: Anno D L V I I. Iuſtinianus. At Longinus ab Iuſtino miſſus, uti diximus, ad compeſcendam Alboini in Italiam aduentus rabiem, ruinamque. Inanis Leandri coniectura ex ædificatione templi D. Apollinaris in opido Claſſe, ab Narſete: cum id Narſes, Iuſtiniano uiuente, non ædificauerit, ſed exornauerit, & Iuſtino Imperatore, fato conceſſerit. Quamquam ex litteris D. Gregorii Magni, tum ad Conſtantiam Auguſtam, tum ad Phocam Imperatorem ſcriptis, colligere haud difficile poſſumus, anno quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo incœpiſſe: Ioanne Tertio Pont. Max. ANN. DLXVII. In illa enim epiſtola, quæ Indictione X I I I. data eſt, fuit autem anno a partu Virginis D X C V. annos ait ſeptem & uiginti a Longobardis Italiam uexari. In hac, quæ ſcripta eſt Indictione ſexta, id autem eſt, anno D C I I I. annos quatuor & triginta ab eiſdem uaſtari Italiam Longobardis. Vnde ſi in ſuperiora numerando recurramus, patebit, anno DLXVIII. Longobardos in Italiam penetraſſe quod & Agnellus teſtatur, qui ait, Longobardos, eo anno in Italiam ueniſſe, quo Petrus Senior, Archiepiſcopus Rauennas, fuit Romæ conſecratus. Longinus autem ad excipiendos, ac impediendos potius eorum impetus, priore anno, in Italiã Exarchus venerat. Dicitur Ἔξαρχος, quod ἐκ τοῦ Ἄρχοντος

id

id autem eſt a Principe, ad regendam, adminiſtrandamq. Italiam mitteretur. Hinc Exarchatus, idem ferè quod ex Principe, ſeu ex principatus, & Exarchus, perinde quaſi ex ipſo Principe, aut eius è latere legatus. Fuere & aliis in locis Exarchi, ut in Africa Gennadius, ad quem hoc titulo D. Gregorius primus ſcripſit. Athenienſes quoque habuere Exarchum, uti Iulius Pollux eſt auctor, qui ſummus Magiſtratus erat: quemadmodum Carthagini Suffes, & Dictator Romæ. Siciliæ etiam Exarchum præfuiſſe, a Michaele Balbo Imperatore, ceterisq. Byzantiis Cæſaribus miſſum, ex Ioanne Cutopalate, & Thoma Fazelio rerum Sicularum diligentiſſimo ſcriptore, ſatis conſtat. Quod ſi repertis uetuſtis marmoribus adhibeamus fidē, Mediolani etiam fuit Exarchus. Nam Merula tabulam ex marmore Mediolani inuentam ſcribit, in qua hæc continebantur. *D. M. Aurelio Ianuario ſigni. Dalmat. Fert. & Aurelio Valentiniano Exarcho, poſuit Aurelius pater Ianuarius. Vixit an. XXXII. M. III. D. VI.* Ex quo lapide, ut facile conceſſerim, illum Exarchum fuiſſe, quod uel ſex militibus, militumve cohortibus præeſſet, uel magiſtratus eo nomine aliquis inſigniretur, ita non uenio in illius ſententiam, ut tam exigua ratione putem, Longinum Mediolani habitauiſſe: neque enim ulla hic mentio Longini fit, neque ullus Exarchus eo, quo is, nomine præditus legitur, neque Mediolanum Exarchis parebat, ſed Longobardorum Regibus. Adde omnium Hiſtoricorum auctoritatem, ſcribentium, ſedem ſuam Rauennæ Longinum conſtituiſſem, ariq. ad eam vrbem, nouo cum exercitu, acceſſiſſe. Cum itaq. is Alboinum, Longobardorum Regem, Italiæ appropinquantem audiret, & per Aquileienſem agrum in Euganeos tranſiiſſe, Cæſaream, quæ inter Claſſenſe opidū, & Rauennam vrbem erat, uallo, & foſſa muniuit, ut ait Blondus, ibiq. in ſtatione milites, quos tum ex Thracia deuexerat, tū in Italia conflauerat, locauit. Hæc Cæſarea, ita Rauenna, & Claſſi coniūncta erat, ut una cū illis Ciuitas uideretur. Qui Athilam hanc putant incendio abſumpſiſſe, & ſolo æquaſſe, facile hoc loco errare deprehenduntur: præſertim cum de eius inſtauratione nullibi, quod ſciam, quidquam legatur. Habebat autem, ante Longini munitionem, portam ad mediterranea, quam muniendam præ ceteris optimè curauit, firmiſſimoq. præſidio confirmauit. De hac Cæſarea, magnum inuenio apud omnes ſcriptores ſilentium, ſunt tamen qui ita ſcribant, Rauennnæ nobiles, in Claſſe omnes mercatores, in Cæſarea artifices habitaſſe: quod licet forſan ueri non diſſimile uideatur, non affirmo tamen, cum nullus ſit mihi certus auctor. Veriſimilius fortaſſe fuerit, eam, ob nobilitatem, ac omnis huius Prouinciæ principatum, Cæſaream uocatum, cum tradat Strabo, ab Auguſto imperium noua quadam ratione diſpoſitum, prouinciis quibuſdam ſibi reſeruatis, quæ Cæſaris appellarentur: quibuſdam uerò populo conceſſis, quæ populares uocarentur: cui conſentire ea uidentur, quæ Suetonius in Auguſto tradidit. Prouincias ualidiores, & quas annuis magiſtratuum imperiis regi, nec facile, nec tutū erat, ipſe ſuſcepit: ceteras Proconſulibus ſortito permiſit. Longinus munita Cæſarea, ad Imperii Italici adminiſtrationē uerſus, conſtituit, ut ne Prouinciis legati præeſſent, aut Præſides, uerùm urbes ſingulæ, a ſingulis magiſtratibus, quos appellauit Duces, regerentur: atque id nominis tunc primum in Italia audiri cœptum: In quo parem ceteris urbibus Romam faciens, Græculum creabat illius Ducem, quem deinde reliqui etiam Exarchi,

Ra-

Rauenna illuc mittebant. Dux hic Romanus, aureum nummum iuſtæ probitatis excudendum Romæ primus iuſſit, qui ea de cauſa. Romanus Ducatus, illius temporis uocabulo ſatis barbaro, uocatus eſt. Dum uerò Alboinus Foro Iulii occupato, atque ibidem Siſulfo fratris filio, Duce facto, Italiam deuaſtabat, Vicetia, Verona, Mediolano, Ticino, Arimino captis, Rauennam Longinus, & alias pleraſque vrbes renuit. Rauennæ autem hoc tempore Longinus Exarchus commorans, fide data, Roſimundam, Verona, Sextili menſe, ut ait Agnellus, venientem accepit. Hæc Alboinum maritum occidi ab Helmechilde, quem alii Helmigem appellant, eius armigero, iuuene nobili, ac pulcherrimo curauerat: quod Alboinus in conuiuio, potum Roſimundæ præbuiſſet, in patera, quam ex cranio Chunimundi, Roſimundæ patris, ſibi confecerat. Itaque rei indignitate commota, patris necem, & recentem iniuriam ultura, dolo, ſui corporis poteſtatem Perdeo, uiro fortiſſimo, & ſtrenue audaci, ut eſſet Helmigi in facinore ſocius, facit, minisq. & metu interficere Regem cogit. Alboino interfecto, Longobardi Clefin; quem Pomponius Lætus Cephen, Cleſonem alii appellant; Regem ſufficiunt. Roſimunda Rauennam ſe ad Longinum, naui, quam Roſimundæ iuſſu, Rauennæ Longinus parauerat, confert, cum adultero, & Alſuinda; quam Albiſindam nonnulli uocant, filia, vniuerſoq. theſauro. Roſimundam, cũ Rauennæ aliquan diu tranquillè uixiſſet, Longinus tentauit, an, ſublato Helmechilde, quem ſibi fecerat maritum, eligere ſe coniugẽ uellet, Mulier inconſtans, uirum ob id cupiens e medio tollere, in balneo cum eſſet, uenenatum Helmechildi potum præbuit, cuius ille potentiſſimi ueneni uim, inter bibendum, ſentiens, reliquum uxori porrexit, eamq. bibere recuſantem, diſtricto gladio, bibere compulit. Atque in hunc modum miſerè ambo ſimul interierunt: Longinusq. Alſuindam vna cum matris Theſauris, Conſtantinopolim miſit ad Iuſtinum. Haud ita multo poſt, Clefis Forum Cornelii reædificatum, Imolamq. nouo nomine, ab arce, quam extruxerat, vocatum, Rauennæ, quaſi perpetuum ſtimulum oppoſuit. Præerat Rauennæ Archiepiſcopus, Petrus, Senior uocatus, uti diximus; qui Romæ XVII. kal. Octob. conſecratus, abſque ieiunio, ut tradit Agnellus & nos ſupra diximus, Rauennam ueniens, & ſolenni Ciuitatis honore receptus fuerat, & omnis illi Claſſis obuiam proceſſerat. Eius innocentiſſimæ uitæ ſanctiſſima exempla, adeò ingraueſcentem iam ætatem, canosq. capitis crines decorabant, ut admirationi cunctis eſſet. Quòd verò multi, qui de Rauennatum Archiepiſcopis ſcripſere, atque inter ceteros Ioannes Petrus Ferrettus, Concilio interfuiſſe ſcribunt Symmachi Pontificis, Romæ celebrato, id omninò falſum eſt, cum Petro alio, uti ſupra demonſtrauimus, ſit adſcribendum; neque hoc tempore Symmachus uixit. Hic, templum inſigne D. Seuero Rauennatum Archiepiſcopo ædificare, ac potius maius, nobiliusq. facere aggreſſus, in ea Claſſis opidi regione, quam appellabant Vicum ſalutarem, in ipſa ædificatione moritur XVI. kal. Septembr. Locus ſepulturæ in D. Probi datus, iuxta ædem D. Euphemiæ ad mare, in opido Claſſe, opere barbarico elaboratam, quæ iamdiu demolita uidetur, in monumento magno ex marmore, annum Domini circiter DLXXV. Hunc autem eſſe Petrum illum puto, de quo in D. Mariæ maioris, opere barbarico ſic legitur.

Saluo DN. Papa N. Petro, Laurentius V.R. ſubdiac. S.R.E. præpoſitus fabricæ huius

votum ſoluit. Petro, Ioannes Romanus in Rauennati Archiepiſcopatu ſubrogatur, ſtatura mediocri, capillis criſpis: qui ſtatim cœptum D. Seueri templum abſoluit, conſecrauitque, anno eodem: ut ex iis carminibus conſtat, quæ in ipſius D. Seueri teſtudine iam legebantur. Hæc autem ſunt.

Multorum, lucens diuino fabrica cultu,
Eſſe ſacerdotum ſe manifeſtat opus;
Ceperat egregius hoc Petrus condere paſtor,
In quo neſcis eum mors retinere uirum,
Sed quæ tecta ſenex nec dum perfecta reliquit
Romæ uir natus, hocce peregit opus.
Succeſſor prudens Petri, paſtorq. Ioannes
Qui quod ineſt tanto tulit honore decus.
Ipſe pater populi ueniens Romanus ab urbe
Digna ſuis meritis hæc monimenta dedit.
Hæc eſt priſca domus, ſancto renouata Seuero
Cuius honore Deo pſalluntur cantica uero:
Quingentis Domini ſub denis ſepties annis,
Amplius bis quinq. bone lector in ordine iunge:
Imperium retinente ſecundo Iuſtiniano
Annis vndenis regnando uiuus in orbe,
Virginis a partu, quæ peperit abſque reatu.

Conſecrato templo, Ioannes ipſius D. Seueri cadauer, ex æde D. Rophylli, quæ ad eius templi latus adhærebat, in templum iam abſolutum, & dicatum ſuo nomini, translatum, in medio locauit, & pulcherrimis ornamentis, ac carminibus honeſtauit, atque celebrauit: eodem ferè tempore, cum Clefis, ſecundo anno Regni, ob crudelitatem, ſuorum dolo interfectus fuiſſet, & Longobardi Regium Imperium, nomenq. odio habentes, Duces triginta ex proceribus ſuis creauiſſent, & Spoletum, ac Picentes, Samniteſq. occuparent.

ANN. DLXXVI. Sub id tempus Iuſtino Imperatore extincto, Tiberius Thrax Imperium ſuſcepit, & haud ita diu poſt Benedictus Romanus Pontifex in locum Ioannis Tertii demortui eſt conſecratus. Huius Pontificatus initio Faroaldus Spoletinorum Dux, exercitu aduerſus Longinum Exarchum comparato, Rauennam tentare non auſus, quæ ingenti præſidio, & loci ſitu, erat muniſſima, Claſſem opidum adortus eſt, uti Paulus Diaconus eſt auctor, illudque tandem

ANN. DLXXVIII. anno D L X X V I I I. expugnauit, ac cepit: ibiq. poſita ſede, Rauennam ſummas in anguſtias adducebat. Quo factum eſt, ut cum Longobardi Etruriam inuaſiſſent, quæ in Romanorum ditione remanſerat, Longinus graui hoc Claſſenſi bello implicitus, uix ut ſatis uirium ad tuendos Rauennatium fines, agrumq. Rauennatem, haberet, aſſiduis Longobardorum incurſionibus infeſtum, eò accurrere non potuerit: ipſiq. Longobardi Sutrium, Polimartium, Ortam, Tudertum, Ameriam, Peruſium, Luceolos, & alia, uix oſtentata oppugnatione, ad deditionem adduxerint, ſub id ferè tempus cum Benedicto

ANN. DLXXIX. Pótifici demortuo, Pelagius ſecundus ſucceſſit, & Longobardi quotidie magis tota furentes Italia, Romanam maximè regionem, & Catholicæ fidei cultores acerbiſſimè uexabant, & Rauennam, Rauennateſq. quotidianis Claſſenſium incurſionibus & prœliis implicabant. Itaque cum Honoratus notarius,

Rauennæ aliquandiu fuiſſet cum Longino Exarcho, & Patricio, eamq. ob rem huius pericula vrbis, omniſq. Italiæ optimè cognita haberet, Romam profectus, a Pelagio Pontifice Conſtantinopolim ad Gregorium, ciuem Romanum, Diaconum, ſuum apud Mauritium Cappadocem, Imperatorem, qui tum primum Tiberio mortuo ſucceſſerat, internuncium; Apocriſarium appellabant, ſtatim mittitur, ut omnia Gregorio ſignificaret, Mauritio, Gregorius indicaret. Rem egit Gregorius accurate apud Cæſarem, de liberanda Italia ipſum quoque aſſidue cogitantem, effecitq. ut Longino reuocato, Zmaragdus uir militiæ peritiſſimus, Patricius, ſufficeretur. Itaque Zmaragdus haud ita diu poſt, rebus, quæ ad iter, expeditionemq. Italicam facerent, compoſitis, Rauennam uerſus nauigationem inſtituit, Gregorio ipſo comite, qui felici, ac fecunda tempeſtate uſi, cum firmo copiarum ſupplemento, Rauennam breui peruenere. Hic Rauennati re ſtatim conſtituta Zmaragdus, a Longino cœptum bellum Claſſenſe, ſummo ſtudio continuauit, ac uariis prœliis fregit hoſtium audaciam. Cum uerò plures ob id ciuitates ad Zmaragdum a Longobardis deficerent, ipſi, tot creatis Ducibus, imminutas uires ſuas ſpectantes, Regem denuo creant Autharim, Clefis filium, decimo, poſtquam Clefis obierat, anno. Huic reliqui Duces, extra unum Doctrulam, pecuniarum ſuarum dimidium contribuerunt. Hunc Doctrulam, appellabant Longobardi ſua uoce Droctrulfum, & cum Sueuus domo eſſet, puer iam captus a Longobardis, ex triginta Ducibus, vnus fuerat: ſed adueniente in Italiam Zmaragdo, cum illo ſe, pro Cæſare, coniunxerat, uir militari uirtute, ac gloria præſtantiſſimus. Itaque Claſſenſem Zmaragdus expeditionem cum maximè vrgeret, opidiq. oppugnationem acrius tentat, Doctrulam, qui erat Brixilli, monet, ut optimo in urbe relicto præſidio, quas haberet copias, cum ſuis coniungeret. Quod ipſe facturus, nauibus impoſitos milites ſecundo Pado deuehebat, ut ad Spineticum Padi oſtium cum peruentum eſſet, facile inde mari Rauennam adnauigaret. Sed de hac re Feroaldus factus certior, nauibus ſe, ac militibus uenienti Doctrulæ ad fluminis oſtium oppoſuit, omninoq. reſtitiſſet, niſi erumpentibus Rauenna ſubſidiariis, commiſſo prœlio, in fugam coniectus fuiſſet, ita ut maximo cum periculo ſe in Claſſe opidum recipere cogeretur. Quod opidum interea Zmaragdus obſederat, atque oppugnauerat, eoq. deduxerat, ut de deditione opidani cogitarent. Quæ licet deditio aduentu Feroaldi non nihil refrixerit, paulo poſt tamen eſt inſecuta, præſertim cũ Zmaragdus terreſtri fruſtra tentata oppugnatione, vſus Doctrulæ conſilio, paraſſet naues, atque ad Claſſem, qua mari alluebatur, admouiſſet, ratus eam partem, ut mari tutam, propugnatoribus fore, ac ſtationibus uacuam. Neque ſecus euenit, quàm putarat: nam ſcalis repente in murum illatis, facile, cum nemo armatus obſiſteret, prorupit in opidum, ac Longobardos in tanta trepidatione arma parare, ac ſeſe dedere compulit. Itaque Zmaragdus potitus opido Longobardos omnes partim trucidauit, partim libertate mulctauit, Feroaldum maximè, ut iis, quos ipſi tota paſſim trucidauerant Italia, aliqua ex parte parentarent. Hoc tempore, ut ſcribit Iuſtinianus, Heliæ Aquileienſi Antiſtiti, quæ dignitas ob Longobardorum metum in Gradenſem Eccleſiam paulò ante fuerat translata; iam rebus humanis perfuncto, Seuerus Rauennas ſufficitur, anno a partu Virginis D L X X X V I. Qui in ea admini- ſtratione

ANN. DLXXXII.

ANN. DLXXXIII.

ANN. DLXXXV.

ANN. DLXXXVI.

ſtratione, turbulenta maxime tempeſtate iactatus eſt. Præter enim id, quòd a Longobardis, aſſidue uexaretur, hunc Zmaragdus Exarchus nouo calamitatis genere eſt aggreſſus. Nam cum Cæſares, & Exarchi ſummis honoribus Rauennatem Eccleſiam, æmulatione Romanæ, decoraſſent, facile contigit, ut inſolenti faſtu Archiepiſcopi Rauennates elati, temerè perfidioſeq. ab Romanis Pontificibus; qui Maximi ſunt, & Chriſti Dei, in Eccleſiæ uniuerſalis adminiſtratione, in terris Vicarii; defecerint, & de Principatu cum illis decertauerint. Primus hic Ioannes a pleriſque ſcribitur, ex Archiepiſcopis Rauennatibus, qui palam id tentauerit multis Italicarum ciuitatum Epiſcopis ſuam in ſententiam adductis. Dum autem id in Seuero Aquileienſi Antiſtite experitur, ſpemq. non dubiam gerit, facile omnia ab illo, quòd ciuis ſuus eſſet, & patriæ dignitatem cupere exiſtimaret, ſe impetraturum, contra reperit, quàm putarat: Seuerum omnino renuentem, qui nec ullis rationibus adduci poſſet, ut contra Diuinum ius, ipſamq. Eccleſiam Romanam, omnium Eccleſiarum matrem, ac magiſtram, adeo impium facinus perpetraret. Itaque Ioannes, ſenſu hominis cognito, Zmaragdum Exarchum adhibet: qui precibus primum, & pollicitationibus, mox, cum hæ nihil efficerent, minis Seuerum adortus eſt. At cum neque quidquam adhuc proficeret, ui agendum ratus, Gradum proficiſcitur, Seuerum de Baſilica tractum, ſecum Rauennam adducit, vna cum aliis tribus Epiſcopis, quos tandem omnes cum Ioanne communicare inuitos coegit. Inſequenti anno, cum ſe ad ſedes quiſque ſuas reciperent, Veneti rudes adhuc earum rerum, niſi quod Romanum nomen ſummæ illis erat uenerationi, ſubſiſtere parumper, an recipiendi eſſent, concilioq. hac de re opidorum omnium indicto, cum plerique exiſtimarent recipiendos, neque quod feciſſent inuiti, & coacti, id illis uitio, & culpæ uertendum, ea tandem ſententia uicit, qua decretum eſt, ab Romano Pontifice, quem tunc uti memorauimus, Pelagius gerebat, expectandum, quid agendum eſſet: Pontificis enim Romani eſſe, non arbitrii Senatorum, hæreticos, qui in hæreſi per annum perſeueraſſent, Eccleſiæ reconciliare. Quapropter ex eiuſdem reſponſo Pontificis, non prius ad Eccleſiam quiſque ſuam admiſſi, quam coacta decem Epiſcoporum, apud Maranum opidum, quòd Varanum olim fuit, Synodo, coram omnibus, hæreſim iam acceptam abiurauerint. Gregorio deinde Pontifice creato, Ioannes Archiepiſcopus uiſus eſt reſipuiſſe, tribusq. Chalcedonenſis Concilii capitibus, a quibus antea abhorruerat, aſſenſiſſe Blondus tamen affirmat, contra ſe habuiſſe hanc rem, quàm ſcripſimus: Seuerum Aquileienſem Antiſtitem factum hæreticum, ac Gregorii Pont. Max. Ioannisq. Archiepiſcopi Rauennatis monitis, atque ſuaſionibus ad fidem rectam conuerſum, denuo tandem in hæreſim incurriſſe: Cui, quàm Paulo Diacono ſuperiora ſcribenti, libentius aſſentior. Illud enim conſtat, Gregorium Pont. Max. ipſi Seuero, quem Aquileiæ Epiſcopũ uocat, & ab Catholica ſocietate diſiunctum, per litteras, iuſſu etiam Mauritii Cæſaris, Chriſtianiſſimi, & Sereniſſimi titulo ab Gregorio honeſtati, ſcriptas, mandaſſe, ut ad Apoſtolorum limina, vna cum ſectatoribus ſuis adiret, ut coacta Synodo, de re tota, quæ dubia erat, controuerſaq. apud eos, ſtatueretur. Ioannem autem Archiepiſcopum Rauennatem, & ſumma complectitur beneuolentia, & amantiſſimis ad eum litteris exaratis, cum illius fidei ſtudium

dium

dium laudat, tum ſe illi ob id deuinctum profitetur, deque Iſtrianorum Epiſcoporum negocio, cum illo communicat, ſcribens, piiſſimorum ſe Principum iuſſu prohibitum, ne Iſtriæ Epiſcopos interea compelleret: ipſeque Ioannes ad Gregorium ſcribit, multis ſe perpetuis calamitatibus, ac moleſtiis ob tuendam ſedis Apoſtolicæ auctoritatem, affectum. Ad hæc accedunt aliæ eiuſdem Gregorii litteræ, quæ Zmaragdi iterum Exarchi operam, in Iſtria, pro iuuanda Eccleſia Dei, nauatam, maximè extollunt, petitque ut in eadem Iſtrienſi cauſa, eodem, quo antea, laboret ſtudio. Quæ, ut puto, a Gregorio, Pontificiæ auctoritatis acerrimo uindice, nequaquam ſcriberentur, ſi Zmaragdus Exarchus, & Ioannes Archiepiſcopus, aduerſus Romanam Eccleſiam ſtetiſſent. Interea Brixillum Autharis Rex obſedit, quo reuerſus fuerat ad præſidium Doctrula; cumq. maius adhibuiſſet ad eam oppugnationem Longobardarum copiarum robur, eò breui compulit, ut cum in eo ſe amplius defendere Doctrula deſperaret, deditione, quibuſdam datis, acceptisq. condicionibus, facta, Rauennam adnauigauerit: Autharis Brixillum receptum, contra fidem, ſolo æquauit, miſerabiliter antea cruentatum. Cum uerò, ut Blondus eſt auctor, eodem bello a Longobardis eſſet denuo munitum, a Rauennatibus omninò euerſum, & combuſtum eſt. De hoc opido in multis Rauennatis Eccleſiæ monumentis atq. hiſtoriis fit mentio, & priſcis temporibus, Cathedralis Eccleſiæ Rauennatis iuris fuiſſe dignoſcitur, ad Padi marginem ſitũ: nunc omnino ſuppreſſum: in octaua regione a Plinio collocatur. Doctrula multis præclare geſtis rebus clariſſimus, Rauennæ obiit, & pro foribus templi D. Vitalis egregio ſepulcro conditus eſt, eiuſq. laudes, hoc inciſo Epitaphio Rauennates celebrarunt.

Clauditur hoc tumulo Doctrulfus corpore ſolo,
Nam meritis uiuit totus in orbe ſuis
Ex validis fuit ipſe quidem: nam gente Sueua
Ortus, adhuc iuuenis captus ab hoſte fuit.
Terribilis viſu facies, ſed corda benigna.
Longaq́ robuſto pectore barba fuit.
Arma ſequens ſemper Romana, & publica ſigna
Vaſtator gentis vixerat ipſe ſua.
Contempſit charos, dum nos iuuat, ille parentes,
Te patriam reputans eſſe Rauenna ſuam.
Huius prima fuit Brixelli gloria capti,
Quo reſidens cunctis hoſtibus horror erat.
Qui Romana potens valuit præſigna iuuare,
Vexillum primum Chriſtus habere dedit.
Inde etiam retinet dum claſſem claſsibus, arma
Armis opponit, mœnia noſtra diu.
Longo hic bardorum vires contriuit, opesq́
Ipſorum, titulis clarus ad aſtra datis.
Martyris auxilio Vitalis fultus, ad iſta
Peruenit victor ſæpe trophæa potens:
Cuius & in templo petijt ſua membra iacere,
Hac loca poſt mortem fauſta futura putans.

Q *Ipſe*

Ipſe ſacerdotem moriens hæc dona petiuit,
Quis exoratis Latus ad aſtra abijt.

Zmaragdus inducias cum Authari, uniuerſæ Italiæ communes, fecit, &
Romam, vna cum Gregorio, qui poſtea Pontifex Max. & Diuus fuit, &
ad eam diem ſe Rauennæ continuerat, Ioannem Byzantium Patricium
ANN. DXXCVII. miſit, cum Præfecturæ dignitate, ac nomine. Verùm paulò poſt Mauri-
tius, Auguſtus, Zmaragdum, poſt annos tres, quibus fuerat Exarchus,
reuocat, eique ſufficit Romanum Patricium, annum circiter DXXCVII.
De quo Pomponius Lætus in Mauritio ſic ſcribit. ***Romanus quidam patricius, non abnuente Auguſto, cum Longobardis ſæpius pugnauit, & uictor, primus Italiæ Exarchus factus eſt.*** Quo loco, quid per ***primum*** intelligat, non
aſſequor, cum omnium conſenſu, Longinum ab Iuſtino poſt Narſetem
miſſum, primum Exarchum fuiſſe, iam ſatis conſtet. Mortuo aliquot
poſt annis Authari, cum in Rege ſibi deligendo Longobardi non con-
uenirent, tandem poteſtate Theudelindæ facta, quæ annum tantum cum
Authari in matrimonio collocata, uixerat, ut ſibi uirum, Longobardo-
rum Regem futurum, eligeret, ipſa Agilulfum ſelegit, Taurinorum, pul-
cherrimum, fortiſſimumque Ducem; cui erat ex defuncta iam uxore, filia,
Gedeſcalco Parmenſium Duci nupta: Sub id ferè tempus, cum Gregò-
ANN. DXC. rius Pelagio II. Pont. Max. uita functo inuitus, ac renitens ſucceſſit.
Qui pro ingenito pietatis ſtudio, nihil potius duxit, quàm ut inter Ro-
manum Exarchum, & Agilulfum Regem, pacem componeret. Itaque
litteris hac de re ad Ioannem Archiepiſcopum Rauennatem, menſe Ia-
ANN. DXCII. nuario, anno DXCII. ſcriptis, ubi diligentiam Ioannis, fidemque lau-
dauit, etiam atque etiam monet, Romani Exarchi audacia ne terrea-
tur, agat apud eum ita, ut Gregorio liceat, & ceteris Romæ incluſis, pa-
cem cum Ariulfo Spoletanorum Duce, facere: ad vrbem enim acceſ-
ſerat Ariulfus, magnaque cæde facta, tantum Gregorio mœroris intule-
rat, ut in morbum inciderit inteſtini plenioris, quæ etiam cauſa fecerat,
ut reſpondere litteris Ioannis Gregorius minime potuerit, in eoque ſe ex-
cuſat. Improbabat Gregorii cum Ariulfo pacem. Romanus Exarchus,
quòd qui id negocii tractauerant, eam neque Exarcho, neque Impera-
tori decoram ducerent, quòd Ioannes Archiepiſcopus, Gregorio per litte-
ras ſignificauit. Itaque reſpondit Gregorius, tandem ſe non amplius mi-
rari, quid eſſet; cur Ioannis ipſius perſpectum ſibi, in Romana cauſa ſtu-
dium, minime ad eam diem profuiſſet. Ceterum Theodoſii, Mauritii Im-
peratoris filii, Imperiiq. conſortis, qui remanſerant in urbe, milites, cum
illis ſtipendium non numeraretur, uix accedere ad tuenda mœnia uelle. In
eadem epiſtola, de Iſtriæ Epiſcopis, quæ ſupra ſcripſimus, addit, neque ſe un-
quam defuturum, quin Ioannes, pro fidei ſtudio, ea de re ad Imperatorem re
ſcriberet. Conſultus Gregorius a Ioanne, utrumne ſacris initiatus, denuo
initiari poſſet, reſpondit, fieri id nequaquam debere: quemadmodum neq.
qui ſemel ſacra baptiſmatis vnda ablutus eſt, ablui iterum minime debet.
Quod ſi quis fortè cum leui culpa ſacerdos eſſet factus, pœna culpæ cônſtitu-
ta, ſeruandum tamen eſſe ordinem. Adhæc quoniam Ioannes ſcripſerat, ali
quid pie erogandum eſſe incenſæ ciuitati Seueri Schiſmatici; Aquileienſem

puto

puto Epiſcopum intelligit: reſpondit Gregorius, id ſcribere Ioannem, quòd ignoraret, quæ contra Gregorium premia in palatium mitteret; id eſt, ut ego interpretor, quæ penes Imperatorem, in Gregorium Pontificẽ maledicta Seueris comminiſceretur: quæ quamquam neque etiam extarent, tamen primò fidelibus benè eſſe faciendum, deinde Eccleſiæ hoſtibus: Fanum urbem propinquam eſſe, multos in ea captiuos haberi: illuc ſuperiore anno mittere ſtipem uoluiſſe, ſed quòd intercederent hoſtes, non potuiſſe. Itaque Claudium Abbatem cum pecunia mitteret, qui liberos, pactum pro libertate precium, ſeruitio dantes, captiuosve redimeret. De Natali etiam Epiſcopo, meliora ſe accepiſſe lætatur, moresq. illum ſuos, ad eam diem ſuperbos, mutaſſe: Erat autem is, ni fallor, Salonæ Epiſcopus in Dalmatia, qui contra quàm Pelagius primo, mox Gregorius iuſſerant, Honoratum Archidiaconum ſuum; qui interceſſerat, ne uaſa ſacra cognatis ſuis Natalis daret, inuitum ſacerdotem fecerat: idq. ea tantum de cauſa, ut in eius locum alius ſufficeretur: quod & Natalis fecit. Ceterum Gregorius, nouum Archidiaconum reiici, Honoratum ſuum in locum reſtitui, & hominem, ipſumq. Archidiaconum, qui de tota re certiorem illum facerent, ad ſe mitti iuſſit, & interea Natalem pallio, & patrimonio mulctari, Malchum Epiſcopum, iuſto prius ſacramento obligatum, ad ſe uenire. Ioanni quoque pollicetur, ſi æqua, iuſtaq. egiſſe Natalem inuenerit, patrimonium illi ſe forte reſtituturum. Erat hoc tempore Rauennæ Blandus Hortæ Epiſcopus, quem iamdiu Romanus Exarchus in hac urbe detinebat: litteris ſuis Gregorius Pont. ad Exarchum, Rauennam ſcribit, ad Eccleſiam illum ſuam, ut permitteret reuerti, ne illa Eccleſia abſque Rectore, & populus perinde, ac deſtitutus paſtore grex laberetur, & infantes pro peccatis abſque baptiſmate decederent de uita. Sed quoniam abſque ulla criminis, quod uideretur probabile, culpa, detineri illum non putabat, ſynodo habita, eius crimen ſi quod intenderetur, palam eſſe faciendum ſcribit. Haud diſſimili Chriſtianæ, ac verè Pontificiæ beneuolentiæ caritate Maurilionem expræfectum, uirum, ut ipſe appellat, glorioſum, in rebus Eccleſiaſticis innocentem, Ioanni commendat Rauennati Archiepiſcopo, qui apud Georgium Italiæ Præfectum erat illius cauſam dicturus. Per idem tempus, Caſtorium Epiſcopum Arimini, capite grauiter ægrotantem, Ioannes Archiepiſcopus inuiſit, & creſcente morbo, Rauennam adducendum, & exquiſitis remediis diligentiſſimè curandum ſtuduit: qua de re accepit gratulationis, commendationisq. plenas a Gregorio Pontifice litteras, in quibus addit Gregorius, ſe hominem illum, pro eius ſimplici ingenio Ariminenſi Eccleſiæ præficere omninò iam renuiſſe, ſed precibus multorum tandem fatigatum, præfeciſſe: Ceterum, ſi poſſet, illum ad ſe, Romam, per inſulam Siciliam mitteret, utrique hoc modo conſulturus: quod & factum eſt; cum Leontio interea Epiſcopo iuſſiſſet Gregorius, ut inuiſeret Ariminenſem Eccleſiam, & quaſi proprius Epiſcopus, cuncta ibidem inſtitueret. Curam etiam aliquot Epiſcoporum, quibus Romam accedere, per hoſtes intermedia loca occupantes, non licebat, Ioanni Archiepiſcopo mandauit, ſic tamen ut ne pro ſuis cauſis Rauennã reuocarẽtur, ſed monerentur per litteras. Quod ſi quæ cauſæ grauiores, inciderent,

Q 2 Ioannes

Ioannes illas ad Gregorium deferret. Tandem cum accepiſſet in pleriſque Ioannem grauiter labi, pallioq. vti, non de vetuſto Rauennatis Eccleſiæ more, ſolum dum in miſſa ſacrificaret, ſed dum in ſupplicationibus tota vrbe Rauenna procederet, Gregorius per Caſtorium Eccleſiæ Romanæ notarium, id Ioanni ſignificauit: cum autem id Ioannes ægrè tuliſſet, & acerbius Gregorio reſpondiſſet, ſe tantum poſt dimiſſos è ſecretario filios Eccleſiæ, & miſſarum tempore, & in ſupplicationibus ſolemnibus eo vti, eſſeq. ſibi; quod & ſuis adſcripſit litteris; Ioannis Tertii Pont.Max. diploma, quo omnia, quæ ſuperiorum Pontificum Romanorum conceſſu, fieri ab Archiepiſcopis Rauennatibus, & Eccleſia Rauennati conſueſſent, firmabantur; quo eodem uſu, ſacratos viros Rauennates etiam mappulis vti; Gregorius anno D-
ANN. X C I I I. menſe Ianuario ſcriptis alteris ad eum litteris, reprehendit
DXCIII. hominem, ſuperioribus enim arguerat, quod vir eſſet minimè apertus, & ſimplex, ſed cuius a factis, verba diſſentirent, ſecusq. ſcriberet, ac loqueretur. Adhæc irridere alios, ut notarii adhuc pueri ſolent, conſueſſe, blandiri coram, de abſentibus loqui: cum verò ira excandeſceret, effeminatos, ſeruos appellare, turpiaque illis crimina imponere. Dominari ſacratis uiris, ad eorum autem vitæ diſciplinam tuendam, nihil incumbere. Itaque illi eſſe honorem Epiſcopatus, foris in oſtentatione, non in mente. Agere ſe gratias Deo, quòd quo tempore perlata hæc ad ſe eſſent, Longobardis complerentur, quæ inter Romam, Rauennamq. ſunt, omnia: fortaſſe enim oſtendiſſet, quantum ſciret eſſe diſtrictus. Neque uerò quaſi uellet grauari aliqua re Eccleſiam Rauennatem, aut minui, cum potuerit meminiſſe, in ſacris ſolemnibus Romanis, quo loco ſtare conſueſſent, & quo tunc ſtarent: indeq. noſſe, Eccleſiæ ſe Rauennatis decus, & ornamenta augere cupere, ſed ferre eos non poſſe, qui ſuperbia elati, nimis turgerent. ſcripſiſſe etiam ſe Conſtantinopolim, ad Diaconum ſuum, ut cognoſceret de omnibus, qui tricenos, & quadragenos Epiſcopos, ſubiunctos habent, an pallio in ſupplicationibus uterentur, nam *abſit*, inquit, *ut per me Rauennatis honor Eccleſiæ in aliquo imminui uideatur*: ſubdit deinde. *Hæc ergo omnia, quæ ſuperius dixi, frater cariſſime, recogita: Diem tuæ uocationis attende, quas rationes de ſarcina Epiſcopatus redditurus es, conſidera. Emenda illos mores notarÿ: Vide quid in lingua, quid in actu Epiſcopum deceat. Eſto totus purus. Fratribus non aliud loquaris, & aliud in corde habeas: nec appetas ultra uideri, quàm es, ut poſſis ultra eſſe, quàm uideris.* Hæc Gregorius, qui & per Caſtorium, ne Ioannes pallio in ſupplicationibus uteretur, inhibuit, & alteris ad Ioannem litteris, eum caſtigat, quòd minus patienter, quam Eccleſiaſticum uirum deceret, ea tulerit, de quibus tamen gratias agere debuiſſet. & quando nulli vmquam Metropolitano datum fuiſſet, ut pallio, extra Miſſarum ſacrificia, uteretur, nec Ioannes ullam ſibi, aut Eccleſiæ Rauennati, hac de re, certam prærogatiuam a quoquam Pontifice Romano datam, monſtrare poſſet, quam & Gregorius in Romano tabulario perquiri diligenter, ſed fruſtra; nihil enim inuentum eſt; iuſſerat, haud difficile patere, contra ius, illum, contraq. fas ea perpetraſſe: *Decorari*, inquit, *pallio uolumus, forſan moribus indecori; dum nihil in Epiſcopali ceruice ſplendidius fulget, quàm humilitas*. De uetuſto Rauennatis
Eccleſiæ

Eccleſiæ uſu, quæ ſcriberet, ea nequaquam comperiſſe, cum Petrus Diaconus, Gaudioſus primicerius, & Michael Defenſor Romanæ ſedis, qui a ſuperioribus Pontificibus de multis negociis miſſi Rauennam fuerant, Ioannem coram ipſis talia egiſſe negarent. Itaque cum id latenter egerit, fraudem, & nefas præ ſe tuliſſe: amanter igitur, ac benignè emendaret, quæ ipſe, ſuperioresq. Archiepiſcopi, præter conceſſa, auſi fuerant, & niſi ſecus ab Romana ſede impetratum doceret, in foro, abſtineret pallio, ne, uel in ipſo ſacrificio, carere eo cogeretur. Conqueſtus fuerat Ioannes, quoſdam ſacerdotes Rauennates magnis eſſe criminibus implicitos, idcirco mandat Gregorius, ut in illos ageret, uel Romam ad ſe, ut iudicium exerceretur, mitteret, niſi eſſet locorum intercapedo probationi cauſæ impedimentum allatura: Quod ſi maiorum fulti patrocinio, & Romanum, & Rauennate forum ſpernerent, ter monitis, iubet ſacris interdici, deq. tota re certiorem ſe fieri, ut quid agendum eſſet, ſtatuere tandem poſſet: nihil tamen relinqueret inultum, *ſciens*, inquit, *nullam, dilectionem ueſtram, excuſationem apud futurum iudicem habituram, ſi non exceſſus cleri tui, cum ſumma canonici rigoris ſeueritate correxeris*. De mappulis, uehementer a ſacratis uiris Romanis repugnatum ſcribit, neque enim vmquam, Rauennæ, Romæve ſacratos uiros Rauennates fuiſſe illis uſos, niſi ſi fortè clam, temereq. id fecerint, quod tamen Romanis præiudicium facere nullum poterat: Gregorius tamen, uel inuitis, repugnatibusque ipſis ſacratis uiris Romanis, ut Ioanni Archiepiſcopo hunc honorem deferret, uoluit primis Diaconibus Rauennatibus, tantum, dum Archiepiſcopo inſeruirent, mappulis, quibus & antea uſos fuiſſe non ignorabat, uti in poſterum licere: Ad hæc omnia litteris explicata, Ioannes accuratè reſpondit, cuius quoniam extat adhuc epiſtola, qua poteſt cognoſci, non ea aduerſus Romanam Eccleſiam temeritate uſum, quam plerique adſcribunt, nequaquam ab re futurum duxi, ſuis illam uerbis hic adſcribere: ſic autem habet. *Reuerendiſſimus conſeruus meus Caſtorius, Apoſtolicæ ſedis ueſtræ notarius, reddidit mihi domini mei epiſtolam, conſortem mellis, & uulneris: Quæ ſic tamen infixit aculeos, ut locum non ſubtraheret medicinæ: nam qui ſuperbiam, Diuinum ſequens iudicium, reprehendit, meritò ſe mitem, ac placidum quodammodo profitetur. Commemoratis igitur, quòd ego nouitatis ambitione, pallij uſum ſupra quàm anteceſſoribus meis indultum fuerat, uſurpaſſem: Quod proprij Domini mei conſcientia, quæ Diuina regitur dextra, nullo modo credere patiatur, nec opinionis incerto aures ſacratiſſimas aperire. Primum, licet peccator, noui tamen quàm graue ſit, terminos nobis a parentibus affixos tranſcendere, & quòd omnis elatio nihil aliud habeat, quàm ruinam. Nam ſi maiores noſtri in Regibus ſuperbiam non tulerunt, quanto magis non eſt in ſacerdotibus ſuſtinenda? Deinde recolo me in ſinu, atque in gremio ſacroſanctæ Eccleſiæ ueſtræ Romanæ, & nutritum, & Deo auxiliante, prouectum. Et quibus auſibus ego ſanctiſſimæ illi ſedi, quæ vniuerſali Eccleſiæ iura ſua tranſmittit, præſumpſerim obuiare, propter cuius conſeruandã auctoritatem, ſicut Deo manifeſtum eſt, multorum contra me inimicorum inuidiam grauiter excitaui. Sed beatiſſimus Dominus meus nihil me contra priſcam conſuetudinem exiſtimet attentaſſe, quòd a multis, & propè ab omnibus Ciuibus huius vrbis atteſtatur, inter geſta etiam ſi acquieuiſſet, & ſupraſcriptus Reuerendiſſimus notarius potuerat atteſtari: quoniam iam de ſecretario deſcendentibus filijs Eccleſiæ, & ingredientibus Diaconibus, ut mox*

procedatur, tunc primus Diaconus, Epiſcopo Rauennatis Eccleſiæ, pallium conſueuit induere, quo & in litanijs ſolemnibus uti pariter conſueuit. Nullus ergo contra me Domino meo conetur ſurripere, quia ſi uult, Deo cuſtode, non eſſe poteſt, quòd a me aliqua nouitas fuiſſet introducta: aliter enim iuſſionibus, uel utilitatibus ueſtris, ubi cauſa exegerit, peruenerim. omnipotens Deus cordi neſtro puriſſimo faciat manifeſtum: & hoc peccatis meis imputo, quòd poſt tot labores, atque anguſtias, quas intus, foriſque ſubſtineo, talem uiciſſitudinem merear inuenire. Sed iterum me illa res, inter alia, conſolatur quòd interdum ſanctiſſimi Patres ob hoc tantummodo caſtigant filios ſuos, ut eos faciant potiores, & poſt hanc deuotionem ſatisfactionem, ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, quæ peculiariter ueſtra eſt, non ſolum uetera priuilegia conſeruetis, ſed & maiora ueſtris temporibus conferatis. Nam quod de mappulis a presbiteris & Diaconibus meis præſumptum, Apoſtolatus ueſter ſcripſit, uerè fateor, tadet me aliquid exinde commemorare, cum per ſe ueritas, quæ apud Dominum meum ſola præualet, ipſa ſufficiat. Nam cum hoc minoribus circa urbem conſtitutis Eccleſiis licitum ſit, poterit etiam Apoſtolatus mei Domini, ſi uenerabilem clerum primæ Apoſtolicæ ſedis ſuæ requirere dignatur; modis omnibus inuenire, quia quoties ad Epiſcopatus ordinationem ſeu reſponſi ſacerdotes, uel leuitæ Rauennatis Eccleſiæ Romam uenerunt, quòd omnes in oculis Sanctiſſimorum deceſſorum ueſtrorum, cum mappulis, ſine reprehenſione aliqua procedebant. Quare etiam eo tempore, quo iſtic a prædeceſſore neſtro, peccator ordinatus ſum, cuncti presbyteri, & diaconi mei, in obſequium Domini mei Papæ, mecum procedentes uſi ſunt. Et quia præuidens Deus noſter, omnia in manu ueſtra, & in conſcientia puriſſima collocauit, adiuro uos, per ipſam Sedem Apoſtolicam, quam a natura, moribus, nunc etiam honore debito gubernatis, ut in nullo, Rauennati Eccleſiæ, quæ familiariter ueſtra eſt, pro meo merito, priuilegia, quibus hucuſque uſa eſt, minuatis, ſed ſecundum uocem propheticam, in me, & in domo patris mei ſecundum ſuum meritum transferatur. Quia ergo uniuerſa priuilegia, quæ ſanctæ Rauennati Eccleſiæ, a prædeceſſoribus neſtris indulta ſunt, pro maiori ſatisfactione ſubiecti in ſcrinijs uenerabilibus, ſecundum conſecrationem deceſſorum meorum tempora fidem nihilominus repereris, nunc uerò in Dei, & neſtra eſt poteſtate, quidquid, ueritate cognita, fieri iuſſeritis: quoniam ego iuſſionibus Apoſtolatus Domini mei parere deſiderans; quamuis antiqua conſuetudo obtinuit; uſque ad ſanctam iuſſionem abſtinere curaui. Hactenus Ioannes Archiepiſcopus: neque, ut arbitror, hæc epiſtola eſt, de qua illum reprehendit Gregorius, ſecus ſcribere, ac diceret: blandas eſſe litteras, ſermonem haud ira: nam ante præſcriptum uſum pallii, compoſitamq. controuerſiam, ea uſum reprehenſione Gregorium conſtat, & antea quam ſecus edoctus fuiſſet: nam his acceptis litteris, edoctusq. ab Adeodato, iam ipſius Ioannis Diacono, etiam alios, ante Ioannem, Archiepiſcopos Rauennates, eum ferendi palli in ſupplicationibus ritum, diebus feſtis Diuorum Ioannis baptiſtæ, Petri Apoſtoli, & Apollinaris Archiepiſcopi ſeruaſſe; quamquam ſecus multi affirmarent; tamen Romano Exarcho, Præfecto, aliisq. nobilibus Rauennatibus ciuibus, id etiam atque etiam petentibus, acquieuit, dumq. ſubtilius, ac uerius aliquid cognoſceret, pallio, ut, diebus illis, atque etiam initiorũ ſuorum in ſupplicationibus uteretur, dedit. Interea Mediolanenſis Archiepiſcopus, Conſtantius, Gregorium Pontificem monuerat, moleſte aliquos, ægreq. ferre, quòd Ioannis Archiepiſcopi Rauennatis nomen, in ipſis Miſſarum ſacri-

ficiis

ficiis, recitaretur, reſpondit Gregorius, ea ſi recitatio fieri conſueuerat, neque a ſtultis hominibus reprehendendam, neque omittendam, ſin minus conſueſſet, nihil faciendum, quòd afferre offenſionem cuiquam poſſet. Se tamen perquirentem, accurateq. inueſtigantem, num Ioannes Archiepiſcopus ipſius nomen Conſtantii inter ſacrificandum recitaret, minime id fieri comperiſſe. Quamobrem ſi ita ſe res haberet, ſe neſcire, quæ cogeret Conſtantium neceſſitas, ut Ioannem ad ſacram aram nominaret: Quod tamen ſi abſque alicuius moleſtia fieri ab Conſtantio poſſet, *Vos*, inquit, *tale aliquid facere ualde laudabile eſt, quia charitatem, quam erga fratres ueſtros habetis, oſtenditis*. Hæc ibi: Quemad modum enim ad ſacram aram ſanctorum uirorum nomina, in myſteriorum celebratione recitare, Apoſtolicũ inſtitutum eſt; cum id D. Dionyſius Areopagites, D. Pauli Apoſtoli diſcipulus, in Eccleſiaſtica Hierarchia aſſerat, & poſt eũ D. Cyprianus Epiſcopus, & martyr teſtetur, idemq. in epiſtola aduerſus Conſtantiu m. Auguſtum Hilarius, & D. Paulum ad Romanos ſcribentem interpretans Origines, affirmet; ita, certum fuiſſe Apoſtolorũm & martyrum numerum, qui in Miſſæ canone recitaretur, vſque ad D. Hieronymi ætatem non reperio: cum ſcribat ad Chromatium, & Heliodorum, Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum, martyrum collegiſſe hiſtorias, quatenus omni die ſacrificium offerentes, eorum nomina meminiſſent: Neque verò vita defunctorum ſolum, ſed & viuentium, qui fidem Catholicam tenerent, recitari olim nomina conſueſſe veteres Eccleſiæ patres, ſatis patet. Quod ſi quis ab integra fide decidiſſet, eius & tacebantur nomina, & è Diptychis tollebantur, de quibus diximus. Fuit autem ſub id tempus Rauennæ, eadem quæ triginta iam annos fuerat, ex bubone inguinibus, inſidente, peſtilentia: Romanus quoque Exarchus, cum iam quinquennio Rauennæ penè ocioſus conſediſſet, Mantua, Patauio, & Cremona munitis, compoſita Romam adeundi cauſa, Mauricionem Peruſiæ Ducem, Longobardi generis, in ſuas partes traducit: mox Roma proficiſcens, vbi magno honore obuiam effuſæ, etiam extra vrbis portas, multitudinis exceptus, Gregorii Pontificis, ad Lateranum conſidentis pedes exoſculatus fuerat, ea æſtate Sutrium, Polymartiam, Ortam, Tudertum, Ameriam, Luceolos, compluresq. alias vrbes, a Longobardis iam occupatas, recuperauit. Quamobrem poſtero anno Agilulfus Longobardorum Rex, motis in Romanum agrum caſtris, Peruſia primum recepta, ANN.
cum nihil proficeret, direpto, incenſoq. agro, pactis tandem induciis abiit. DXCIIII.
Quoniam verò acceperat Gregorius Pontifex, Rauennæ, clericos atque etiam populares, religioſam vitam ementitos, præfici monachorum cœnobiis, uehementer ſtudere, quibus tamen monachorum arctum viuendi inſtitutum deſtruebatur, cum & Eccleſiaſticis obſequiis deſeruire, & in monachorum viuendi regula perſiſtere nemo poſſet, mandat, Ioanni Archiepiſcopo, curaret diligenter, ea ne fierent, litteris ad eum menſe Septembri ſcriptis. Ceterum non ſolum hoc tempore amplior reddita eſt Rauennatis Eccleſiæ, & Canonicorum dignitas, mappulis, mitriſq. deferendis, ſed virorum etiam ſanctorum cadaueribus. Nam Gregorius Pontifex, Rauennam ad Ioannem miſit cadauera quattuor Laureatorum, Marthati, Criſpini, Felicis, & Hemilii: quos aliqui ob Chriſtum trucidatos Rauennæ, via Lauretina ferunt, & Romam, quæ; vt D. inquit Bernardus, & res ipſa docet; *purpuratur multi-*

tudine

tudine martyrum, translatos, vel ab Florentio Archiepiſcopo ad Damaſum Pont. Max. miſſos. His etiam adiunxit Marci, Marcelli, & Feliculæ reliquias. Quæ omnia Ioannes in Claſſenſi Baſilica, eleganti ſacello, araq. illis dedicata, quæ adhuc ſupereſt, collocauit, iuuante etiam Zmaragdo Exarcho: Quod vetuſta hæc carmina in ſacelli ingreſſu, ſupra portam, teſſellato opere, inſcripta, teſtabantur.

Inclyta præfulgent ſanctorum limina, templo
Marci, Marcelli, Feliculæq. ſimul.
Pontifices hos Roma cepit, hæc martyr habetur,
Horum Gregorius dat Papa relliquias.
Quas petit Antiſtes meritis, animoq. Ioannes,
Paruula pro ſummis reddere dona parat.
Oraclum ſtatuit tanta virtute repletus,
Cuius ab auſpicÿs, gratia, &, extat opus.
Qui bis ſepteno ſacri diadematis anno,
Tractatu vigili quo regit Eccleſiam.
Hanc quoque regentem verendi culminis arcem,
Vixit, & euentum traxit ad arbitrium.
Miranda ſubito ſuſpendens arte cacumen,
Inflexum reparat parte ab vtraque latus.
Additur his meritis felix Smaragdus in æuum,
Cuius in his titulis participantur opes.

Marci, & Marcelli dies feſtus XIIII. kal. Quinctil. Solennis agitur, Diuæ autem Feliculæ Idibus Iun. Coniici autem poteſt magnopere Gregoriũ Pont. Max. huic Ioanni fauiſſe, qui tantorum martyrum ſacras ad eum reliquias miſerit, cum talia uix concedere Eccleſia Romana conſueſſet. Nam Ormiſda Pont. Iuſtiniano Conſtantinopolitano Imperatori, aliquid reliquiarum Diuorum Petri, & Pauli, ac Laurentii, per Germanum Capuæ Epiſcopum, Pontificium apud eum Legatum enixe petenti, idq. ut templum ipſis Apoſtolis ab ſe Conſtantinopolim, iuxta aulam Regiam extructum, conſecraret, nihil miſit, niſi uelum ipſis ſacris admotum reliquiis, magni muneris loco: Idem quoque confirmare ad Conſtantiam Auguſtam ſcribens, Diuus ipſe Gregorius ſuis litteris videtur. Neque verò id dixerim, quaſi nihil umquam reliquiarum omnino miſerint, aut, quod ſcripſere nonnulli, transferri martyrum reliquiæ in tranſalpinas gentes tunc primum ceperint, cum Franci Romanam Eccleſiam a Lõgobardis, aliisq. Tyrannis vindicarunt: id enim falſum eſt, ſed quod raro id, magnaq. de cauſa, ac illuſtri beneuolentiæ ſignificatione a Pontificibus Maximis fieret. Vt enim reliqua taceam, Diuæ Agnetis reliquias, atque item D. Laurentii, Conſtantinopolim, Pulcheriæ Auguſtæ, & Martiani Imperatoris tempore, Roma translatas, & Theodorus lector, & Marcellinus Comes, & Nicephorus tradunt. De reliquiis etiam D. Xyſti Pont. Max. in Angliam a ſe miſſis, in Regeſto ad Auguſtinum D. Gregorius agit. Facile autem cognoſci poteſt, ſacellum, & cœnobium hoc ab Ioanne Archiepiſcopo, iam uſq. ab Smaragdi Exarchatu cœptum, Pontificatu Gregorii abſolutum fuiſſe: An verò illud ſit, quod propè D. Apollinaris, multis ditatum vectigalibus, ac prædiis, ædificauit, quæq. ab Gregorio Pont. Max. probari cum poſtulaſſet,

ſet, impetrare, morte præuentus, non potuit, incertum eſt. Obiit autem Ioannes Archiepiſcopus, Tert. Id. Ianuar. anno DXCV. cum eo menſe, mane, & veſpere toto, crinita ſtella apparuiſſet. Sepultus in D. Apollinaris Claſſenſis, ad aram ſanctorum Marci, Marcelli, & Feliculæ. Moleſtè tulit Gregorius Pont. eius interitum, quod per litteras, Caſtorio notario ſignificat, ſtatimq. & Seuerum Paulinum Epiſcopum miſit, qui Rauennatem Eccleſiam inuiſeret, nihilq. de illius prærogatiuis, vectigalibus, ornatu detrahi pateretur, & Caſtorium ipſum notarium per litteras monuit, vt ſacratos viros, populumq. Rauennatem hortaretur, vt nulla neq. premii, neque precii libidine acti, Antiſtitem a Pontifice Max. conſecrandum, quamprimum deſignarent. Quemcunq. autem elegiſſent, ſiue is vnus eſſet, ſiue duo, illum, atque vna ſecum è prioribus ſacerdotibus quinque, totidemq. e præcedentibus Diaconibus, Romam ad ſe mitteret: & ſi quos præterea è ſacris initiatis, illuc accedere neceſſarium duceret. Romanus Exarchus, Donatum Archidiaconum, ſummo ſtudio complexus, Archiepiſcopum illum a Gregorio Pont. conſecrari curabat: id tamen renuit, Gregorius, quod eius vitæ acta perquirenti, multa occurrerint, quæ illum ab Epiſcopatu remouerent, quod & Exarcho per litteras ſignificauit. Sed neque Ioannem Sacerdotem, ſibi item propoſitum, probauit, quòd Pſalmos neſciret, minusque ob id operam ſtudio dare, ſe ſignificaret. Itaque cum a Rauennatibus, ad Archiepiſcopum ſibi tribuendum aſſiduè vrgeretur, Rauennatesq. ad id muneris aptum, habere ſe neminem dicerent, & Marinianum ſacerdotem, quem diu cum ipſo Gregorio nouerant in cœnobio verſatum, communi conſenſu poſtularet, Gregorius Marinianum tergiuerſantem, ac refugientem; cum perſuadere vix aliquando tandem illi potuerit, vt ſatisfaceret, aſſentiretque Rauennatium petitioni; Archiepiſcopum Rauennatem fecit. Hæc autem omnia cum per litteras, Andreæ Scholaſtico, Rauennam, ſignificaſſet, petit ab eo, vt Mariniano; qui ab ocio, ac tranquillitate contemplationis abductus, cui iam diu aſſueuerat, in negociorum, perturbationumq. procellas, & quaſi turbidum pelagus incurrerat; ferret opem, animos adderet, hilaritatem pareret. Interea cum Synodum Romæ Gregorius habuiſſet, vbi Epiſcopi omnes, ac Romanæ Eccleſiæ ſacerdotes aſſederunt, Diacones, cunctiq. ſacrati viri adſtitere, Marinianus poſt Gregorium, ante ceteros Epiſcopos ſubſcripſit. Nec diu poſt pallio illum ornauit Gregorius, edicens, ne illo vteretur, in templo quidem ſuo, niſi cum dimiſsis iam filiis a ſalutatorio, ad ſacra miſſarum ſolennia celebranda procederet: Extra templum, quotannis quater, in iis ſupplicationibus, quas Ioanni Archiepiſcopo iam præſcripſerat. Confirmauit etiam Rauennati Eccleſiæ, quæcumque ab Cæſaribus accepiſſet. Eius confirmationis litterarum exemplum ex vetuſtiſſimis monumentis Bibliothecæ Vrſianæ depromptum, hic collocandum exiſtimaui: ſic autem habet. *Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectiſsimo Mariniano, Rauennati Archiepiſcopo, confratri, filioq. cariſsimo, & per eum in ſanctam Rauennatem Eccleſiam, ſuisq. ſucceſſoribus in perpetuum. Cum omnis Eccleſia ſanctorum ab ipſo Domino, & beato Petro, & a ſancta Romana Eccleſia, quam Deo auctore, regendam ſuſcepimus, duxerit principium, dignum eſt, vt a ſucceſſoribus Petri, cui a Domino dictum eſt, Confirma fratres tuos, interius confor-mationis, & exterius meliorationis, inde recipiat ſemper augmentum, religionis, vnde*

ANN. DLXXXV.

de ſumpſit exordium. Quapropter cognoſcat deuota fidelitas omnium populorum, tam præſentium, quàm futurorum, quòd dilectiſsimi filij noſtri ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, Mariniani, Venerabilis Archiepiſcopi petitionibus, nec non, & pijſsimorum dominorum noſtrorum, Mauritij, & filiorum eius iuſsionibus annuentes, confirmamus omnia præcepta, quæ a pijſsimis Imperatoribus, Valentiniano, Theodoſio, Arcadio, & Honorio, necnon Iuſtiniano, Tiberio, & domino noſtro Mauritio, pijſsimo Cæſare ſemper Auguſto, eidem ſanctæ Rauennati Eccleſiæ ſunt facta, & omnia, quæ per eadem præcepta eidem Eccleſiæ ſunt attributa, & omnia priuilegia, quæ a ſanctiss. prædeceſſoribus noſtris, innocente Innocentio, & ſanctiſsimo Leone, & glorioſiſsimo Gelaſio, Felicisſimo, & Agapito, & ſpiritus ſancti feruore repleto beatiſsimo Pelagio, ob amorem ſummi omnipotentis Dei, ſanctiq. Apollinaris Pontificis, & martyris reuerentiam, eidem Eccleſiæ, tibi, tuiſq. ſucceſſoribus in perpetuum ſunt data; & honores, & poſſeſsiones omnes, quæ per eadem præcepta, & priuilegia vidimus collocata, & confirmata: idq. maximè tuæ dilectionis cauſa confirmantes, & corroborantes, quod in priuilegio ſanctiſsimi Leonis primi, huius Apoſtolicæ ſedis Pontificis, te aperiente, & monſtrante, reperimus. Confirmationem conſtitutionis pijſsimorum Imperatorum, ſub ſacroſanctæ Rauennatis Eccleſiæ ditione, continentem ita, confirmamus Epiſcopatum totius Aemiliæ Prouinciæ ciuitatum omnium Deo amabilium Epiſcoporum creationes, & conſecrationes, id eſt, Saſsinatis, Cæſenatis, Foripopuli, Foriliuij, Fauentiæ, ForiCornelij, Bononiæ, Mutinæ, Regij, Parmæ, Placentiæ, Brixilli, Vicohabentiæ, Hadrienſis, Comaclenſis, Ficoclenſis, necnon & omnia monaſteria, tam monachorum, quamq. monacharum ſub eius ditione degentium, atque ſub monaſtica Domino militantium norma. Conferentes tibi, tuiſq. ſucceſſoribus, honorem pallij in perpetuum, ſeu omnem Pontificalem decoris vſum, ſicut in Epiſtola tibi tranſmiſſa concedendo confirmauimus: muniendo etiam ſanctam Rauennatem Eccleſiam, te, tuoſq. ſucceſſores in perpetuum roboramus permanſuras omnes collationes, atque conſcriptiones quorumlibet hominum in eadem Eccleſia factas, vel faciendas, ſine donationes Chriſtianorum fidelium, uel quæ pij, ac religioſi homines, hactenus per eulogia ſuorum teſtamentorum, uel per quemlibet modum, uel titulum in eadem ſancta Rauennate antiquitus dimiſerunt Eccleſia, uel in futurum ſunt, pro redemptione animarum ſuarum, tempore, collaturi. Saneiendo etiam confirmamus ſanctæ Rauennati Eccleſiæ, ſicut primæ, inter ceteras ſanctæ huius Romanæ Eccleſiæ, filiæ, ſecundum conſtitutiones Longobardorum Regum, & aliorum pijſsimorum Romanorum Imperatorum, ut ſi quiſquam Epiſcoporum, ex conſecratione Rauennatum Pontificum, totius Aemiliæ, deceſſerit, nullus Dux Marchio, Comes, aut aliquis miniſter publicus, aliquam ibi prædationem, aut contrarietatem faciat, ſed liceat Archiepiſcopis ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, ad ipſum Epiſcopatum, & ad ipſam Eccleſiam, ſecundum antiquam conſuetudinem, pro deſcriptione facienda, atque electione, miſſum tranſmittere, & ipſum electum ex more inueſtire, & libere, atque ſolenniter conſecrare. Sed, & iſtud cenſendo tuæ dilectioni, cariſsime frater, & fili, ob peruerſitatem futuræ gentis, & Eccleſiarum Dei deſolationem, quam appropiare, & ferè in liminibus eſſe videmus, confirmamus, & ſub Diuini iudicij obteſtatione præcipimus, vt nulli umquam ſucceſſorum meorum liceat, ad ipſum Epiſcopatum, prò deſcriptione facienda, ſiue electione, aut aliquid contra conſuetudinem exigendo, ſuum Legatum tranſmittere, aut per miniſtrum publicum, uel per quamlibet perſonam, ipſam Eccleſiam occupare, aut ibi Epiſcopum indebite conſecrare, aut ibi aliquid, abſque Rauennatis Eccleſiæ Pontificis conſen-

ſenſu, ordinare: Quia abhominabile, & nefandiſsimum, & omni fraude digniſsimum, atque pleniſsimum, ſemel conceſſum, reuocari denuò. Confirmamus interea, & corroboramus omnes conſtitutiones in eadem Eccleſia a pijſsimis Imperatoribus factas, & ita decernimus ab omnibus obſeruandas, ſicut præcepta huius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ tradita, ſcilicet de Ciuitatibus, Caſtellis, Villis, Vicis, Vicolis, pratis, paſcuis, Campis, Syluis, ſalictis, fundis, caſalibus, & de omnibus publicis, ac priuatis ſibi conceſsis. De Colonis uerò ſuper terram eiuſdem Eccleſiæ habitantibus, & de eorum angarijs, redditibus, placitis, ſiue diſtrictionibus, ſicut in præceptis, & priuilegijs uidimus, & legimus. De familiaribus uerò, ac famulis, & de centum annorum præſcriptionibus rerum habeat ipſa Eccleſia ſancta Rauennas, & omnia monaſteria eius, ſicut hæc antiqua Roma: Hæc omnia, & alia multa, quæ ſancta Rauennas Eccleſia continet, præcepta, & priuilegia confirmamus, & confirmata corroboramus. Si quis uerò, quod non credimus, aliquid de Rauennatis Eccleſiæ ditione, ex his ſupraſcriptis ſubtrahere tentauerit, uel in aliquo, contra hoc noſtrum priuilegium, moleſtare, diminuere, temerario auſu præſumpſerit, ſciat ſe, ex parte Dei omnipotentis, & ſanctorum tercentum decem, & octo patrum, necnon, & noſtræ mediocritatis auctoritate, & ſanctæ Synodi Romæ, præſenti Indictione congregatæ, anathematis uinculis innodatum, & cum Iuda traditore Domini noſtri Ieſu Chriſti, æternis ſupplicijs deputatum. Qui uerò obſeruator extiterit, benedictionem a Deo patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto paraclito, in perpetuum conſequatur. Benè Valete. Dat. nono Kal. Aprilis, Romæ per manus Ioannis Leuitæ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarij. Quamquam autem Gregorius ſummus Pontifex, Mauritium Cæſarem Auguſtum, dominum ſuum hic dicere uideatur, nihil tamen detrahit de ſumma illa, ac planè Diuina auctoritate, qua Pontificatus Maximus, Imperio, & Regnis omnibus præſtat: ut in decretis habetur Gelaſii Pontificis, & in D. Ambroſio ad Valentinianum Auguſtum, & Angelico Doctor ingenio D. Thomas Aquinas Dominicanus, ac Thomas Valdenſis, eximius Carmelitani ordinis Theologus præclare docent. Id enim ſcribit Gregorius, & ſingulari humanitate permotus, qua ſe ſeruum ſeruorum Dei appellare quoque inſtituit. Ex iis litteris facile etiam conſtat, Brixillum, ciuitatem fuiſſe, & Epiſcopo ornatam. Marinianus patria Romanus fuit, Ioannis iam mortui nepos, facie oblonga, & rubra, glaucis oculis, & maximè ſpecioſis, Romæ a D. Gregorio ſacris initiatus: cui & Gregorius, ut Agnellus eſt teſtis, librum inſcripſit, quem appellauit Paſtoralem: tametſi Platina, illum Ioanni inſcriptum uelit, quod & Epiſtola libro præfixa oſtendit, Ioanni Archiepiſcopo, in aliquot codicibus, inſcripta: vbi, quæ inſcriptionis fuerit cauſa, his verbis ſignificat. *Paſtoralis curæ me pondera fugere, delitéſcendo voluiſſe, benigna, frater cariſsime, atque humillima intentione reprehendis, quæ ne quibuſdam leuia eſſe uideantur, præſentis libri ſtilo exprimo, de eorum grauedine omne, quod penſo.* addit autem id ſe eam ob rem, ſcribere, ut qui oneribus dignitatum caret, ea ne incautus expetat; qui incautus expetiit, adeptum ſe eſſe timeat. Eum autem librum Epiſcopis, potiſſimum, neceſſarium, eſſe Concilium Remenſe teſtatur. Sunt etiam qui dicant, eam Gregorio fuiſſe conſcribendi illius cauſam, quòd Marinianus vir probus, cum ordinis D. Benedicti cucullatus eſſet; cuius fuerat & Gregorius difficile ab ea tranquillitate, ad Archiepiſcopatus adminiſtrationem traducebatur. Neq. omnino ante aſſenſus eſt, quàm Gregorius pollicitus

fuerit,

fuerit, ſe librum conſcriptum, in quo de omnibus illum moneret, quæ neceſſaria uiderentur ad Paſtoris optimi munus recte abſoluendum, quod & fecit. Sed hæc forte mittendi ad Marinianum illius iam ſcripti, non ſcribendi cauſa fuit: potuit autem facile Agnellus ita affirmare, Epiſtola adductus Gregorii, quam cum libro, dum illum ad Marinianum mitteret, coniunxit. Non deſunt, qui hunc Marinianum, Rauennatem fuiſſe putent, ſed, mea ſententia, falluntur. Quoniam uerò teſtamentum Ioannes Archiepiſcopus, moriens, fecerat, quo multa Eccleſiæ Rauennati, ſanè grauia, impoſuiſſe dicebatur, ſacerdotesq. & Diacones, ac omnes initiati ſacris Rauennates, ea nequaquam perſoluenda eſſe cōtendebant, idq. a Gregorio Pont. Max. enixè petebant, Gregorius, quamquam erat iam reiecta hæreditas, ut infirmiora tamen omnia redderet, Marinianum iuſſit, neq. auctoritatem illis, neq. aſſenſum ratione ulla præbere, quæ de bonis uel ipſius Eccleſiæ, uel in ipſo acquiſitis Epiſcopatu, fieri cōtra leges Ioannes ſtatuiſſet. cum tamen vellet eſſe firma, quæcumque de iis rebus ſuis, quæ ante Epiſcopatū habuerat, neq. Eccleſiæ ſuæ contulerat, fieri mandaſſet: Probabat etiam ea, quæ monaſterio, prope. D. Apollinaris, ab illo ædificato dederat: neq. uerò, quòd ea teſtamento Ioannes legaſſet, ſed quia viuenti, Gregorius ea ſe probaturum, & firma habiturum fuiſſet pollicitus. Interea quidam non deſuere, qui affirmarent, in hominū q. aures, ac mentes ingererēt, Marinianum, minus quàm deceret, ſanctam Chalcedonenſem Synodum uenerari: Quamobrem Gregorius litteris, ad Rauennates datis, quæ adhuc extant, illum ab incunabulis, in ſanctæ vniuerſalis Eccleſiæ gremio educatum, fideq. ac vitam integras perpetuò duxiſſe teſtatur, uenerariq. illum ſanctam Nicenam Synodum, in qua Arrius: Conſtantinopolitanam, in qua Macedonius: Epheſinam primam, in qua Neſtorius, atque Dioſcorus: ſanctam Chalcedonenſem Synodum, in qua Euthyces damnatus eſt. Si quis autem contra harum quattuor Synodorum fidem, & contra Leonis Pontificis Max. decreta, quidquam umquam loqui auderet, anathema illi diceretur, eſſetque. Per id tempus Longobardis Italiam turbantibus, uidebatur Romanus Exarchus aut cū Longobardis corrupto animo ſentire, aut certè ad tot mala, quæ quotidie magis inualeſcebant, conniuere, nequaquam eas probans inducias, quas optimus Pontifex Gregorius, tractabat. Huius autem mutationis, ea creditur cauſa, quod parum admodum, aut omnino nihil de Romanis curæ illi eſſet: idque Mauritii Cæſaris exēplo, qui impio aduerſus Gregoriū Pont. Max. & Dei Eccleſiā animo, ſtudebat Ioanni Cōſtantinopolitano Epiſcopo, Catholicæ Eccleſiæ principatū adſcribere, œcumenicumq. illum, id eſt, uniuerſalem; quæ ſoli Romano Pōtifici iure conueniunt appellare; ad hæc neq. uerebatur, Gregoriū ipſum, uirum prudentia præſtantiſſimum, de Eccleſia Dei, deq. Re Romana publica optimè meritum, fatuum dicere. Non defuit tamen, quin laboranti, ac labenti: Italiæ, quibus poſſet modis, ſuccurrere optimus Pontifex niteretur, pacemque cum Agilulfo tractaret. A qua nequidquam abhorrere ſe oſtendit Agilulfus, dum tamen Romanus Exarchus, iudicio conſtituto, ſic ageret, ut de bonis vtrinque ad eam diem direptis, cauſa ex æquo, & bono componeretur. Quod cum perficere præſens Gregorius non poſſet, Rauennam ad Seuerum Scholaſticum menſe Auguſto ſcripſit, ut apud Exarchum accurate id negocii procuraret, perſuadereque homini pacem tentaret: Sed hortationibus

preci-

precibuſq. Seueri, Exarchus non reliquit locum. Cum verò aduerſus Caſtorii notarium, ac reſponſalem; ſic enim appellat; Gregorii; internuncium autem, vt arbitror, intelligit, noctu libellum quidam Rauennæ in publico propoſuiſſent criminibus refertum, & Gregorio ipſi, de pace, quam inter Agilulfum Regem, & Romanum Exarchum moliebatur, contradicentem. Gregorius, litteris ad Archiepiſcopum, ſacerdotes, ceteroſq. ſacratos viros, ac populum Rauennæ, menſe Aprili, anno nonageſimo ſexto ſupra quingenteſimum datis, illi; qui cumq. libelli fuiſſet auctor; corpore, ac ſanguine Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, interdixit: quòd ſi, quia lateret, accipere corpus, & ſanguinẽ Domini, prohibitus, non dubitaret, anathema illi eſſet: Sin ea cõprobare in publicũ progreſſus, quæ ſcripſiſſet, poſſet, huiuſmodi in illũ dirarũ tela contorta, nihil omnino ualerent. Neque tamen idcirco a procuranda quotidie pace deterrebatur, ſed ad Secundinum Rauennæ agentẽ, eodem menſe Aprili ſcripſit, ſtatim ſe Caſtorio; a quo acceperat, quæ cũ Agilulfo Rege eſſent acta; imperaſſe, Rauẽnam, vt rediret, & vti in mãdatis illi dederat, cõficeret. Itaq. pergeret, urgeret, pax vt illa cõueniret, quando multa iam impenderent Italiæ, atq. eius inſulis diſcrimina Renouata eſt etiam hoc Archiepiſcopatus Mariniani initio, de geſtando pallio diſceptatio, & vir magnificus Andreas, Florentino Rauennatis Eccleſiæ Diacono, Romam ad Gregoriũ Põt. Max. ob id miſſo, aſſiduè fatigabat Gregoriũ, ut vetuſtum Eccleſiæ Rauennatis vſum; quo Rauennas Archiepiſcopus, extra Quadrageſimæ tempus illum perpetuo geſtare conſueuerat; reſtitueret. Quamobrem Gregorius, quamquam acceperit iureiurando, ab Adeodato Romanæ Eccleſiæ Diacono, quater in anno, vti pallio in ſupplicationibus Archiepiſcopum Rauennatem conſueſſe; tamen Caſtorio notario per litteras mandauit, vt Rauennates Seniores, & eiuſdem Archidiaconum Eccleſiæ; quem pro aliena dignitate, falſum iurare nequaquam putabat; alioſq. probitate, ac integritate ſpectatos interrogaret, de priſco Rauennatum Archiepiſcoporum pallio geſtando vſu, ſic, vt ante D. Apollinaris ſanctum corpus, eius contacto ſepulcro, his verbis conceptis iurarent. *Iuro ego per patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, inſeparabilem Diuinæ potentiæ Trinitatem, & hoc corpus beati Apollinaris martyris, me pro nullius fauore perſona, neque commodo aliquo interueniente, teſtari, ſed hoc ſcio, & per memetipſum cognoui; quia ante tempora Ioannis quondam Epiſcopi, Rauennas Epiſcopus, præſente Apocryſario ſedis Apoſtolicæ, illo atque illo, illis atque illis diebus conſuetudinem utendi pallio habuit, & non cognoui, quia hoc latenter, uel abſente Apocryſario uſurpaſſet.* ANN. DXCVII.

ANN. DXCVI.

Poſtero anno, Fori Cornelii Epiſcopo, ob crimina, de Epiſcopatu deiecto, cum ForoCorneliani apud Marinianum Archiepiſcopum vehementer agerent, ut illis Epiſcopum præficeret, Marinianus ſupenſus, incertuſq. conſuluit Gregorium Pontificem, a quo, menſe Iulio, reſponſum eſt, quando reuocari in locum, vnde deturbatus ob crimina aliquis eſt, nefas eſſet, neque vltra menſes tres, Pontifice Eccleſiam vacare, iura ſinerent, ne cadente paſtore, Domini gregem, antiquus hoſtis, inſidiis circumuentum, raperet, ac laceraret, alium illis præficeret Epiſcopum, neque differret: *Quia Eccleſia Dei*, inquit, *diu uiduata proprio Epiſcopo remanere non debet*. Rauennæ autem daret operam; quod & Ioanni demortuo mandauerat, ipſe uero exequi non potuerat, morte præreptus; ne monachorum cœnobia, clericorum Rauennatum dominatu

R oppri-

opprimerentur: nec ulla deinde facultas clericis, ceteriſq. ſacratis uiris eſſet, ad ea accedendi, extra vnam orandi cauſam; aut ſi forte ſacris miſſarum operandis eſſent initiati. Quod ſi ex Abbatibus, monachiſve quiſpiam, ad clericatus munus, ſacrumve ordinem acceſſiſſet, nulla in poſterum in eo cœnobio poteſtas illi eſſet. Inter reliqua cœnobia inſigne habebatur, Diuorum Ioannis, & Stephani, in opido, ſeu, vt verbis vtar D. Gregorii, ciuitate Claſſe, cui cœnobio Claudius Abbas præerat, uir illuſtris, & D. Gregorio cariſſimus, quiq. diu apud eum Romæ fuit, propterea quod optimus ille Pontifex, eius maximè conſolatione in verbo Dei, leniretur: itaque hominem Rauennam redeuntem, Gregorius Mariniano Archiepiſcopo plurimum commendat: Cumq. ſuperiores Archiepiſcopi magnam illi moleſtiam intuliſſent, iubet, vt nullus Epiſcopus, aut popularis, de eius vectigalibus cœnobii minuat quidquam: & ſi quid inter Rauennatem Eccleſiam, & illud cœnobium controuerſiæ extaret, quod non poſſet ex æquo componi, ſelectis utrinque arbitris, mediiſq. ſacris Euangeliis, definiretur. Abbate mortuo, nullus Abbas; præterquam ſi ex eodem cœnobio idoneus non adfuerit, nec niſi ab eius monachis, ſubrogaretur: aliaq. complura Gregorius ſtatuit, quæ longum eſſet, ac moleſtum ſigillatim recenſere, in litteris autem ad Marinianum Archiepiſcopum

ANN. DXCVIII. anno octauo ſupra nonageſimum, & quingenteſimum, menſe Aprili datis, habentur. Hoc anno moritur Rauennæ Romanus Exarchus, poſtquam in Pado molitus nonnulla fuerat, anno poſtquam in Italiam venerat, Decimo: Cui Callinicus Quartus Parmenſis, vel, ut alii, Romanus, ſufficitur: ingenuo vir animo, ac aperto, atq. aduerſus Longobardos incenſo, Pontificiq. longe quam Romanus, obſequentior. Cū autem in Iſtria, opido Noua, Ioannes quidam è Pannonia profectus, eiusq. opidi Epiſcopus factus, inde per vim deturbatus fuiſſet, aliusq. creatus Epiſcopus, non in opido Noua, ſed in Inſula Capritana, quæ ad eius opidi ditionē ſpectat, incoleret, vt ab eorum ſe ſocietate abduceret, qui diſceſſionē ab Eccleſia Romana fecerant, petiit a Callinico Exarcho, vt Catholicæ Eccleſiæ, una cū iis, qui ſecū aderāt, omnibus, iūgeretur. In terea tamen dum expectat reſponſū, ab Exarcho, improborum & ipſe perſuaſionibus deprauatus, ab Eccleſia Romana ſeſe abducit: ſed cū id facinus, eius Defenſores vrbis, nobiliſſimiq. viri abnuerent, Romam ad D. Gregoriū profecti; ab eo ſupplicitet poſtulare, Catholicū ſibi Epiſcopum dari. Gregorius Rauēnam, eos, cum litteris ad Marinianum mittit, mandatq. Mariniano, vt ad Nouanum Epiſcopum mittat, qui redire hominē ad Eccleſiæ communionem, populumque moneat. Id ſi renuerit, Nouanis ciuibus, qui ad Gregorium adierant, & Rauennam venerant, Marinianus opē ferret, in ſuaq. Dioceſi inſulam illam tantiſper haberet, dū ad Catholicam fidem Iſtriæ Epiſcopi reuerterentur. Curaretq. vt Exarchus Imperatores omnes de his certiores faceret, quibus, & ipſe eadem per Anatolium ſignificauerat. Non enim eorum iuſta ad Exarchum miſſa, vetare, quin ad Eccleſiam veniret, quiſquis vellet, tametſi inuitos compelli, interdixiſſent. Maximi etiam Salonitani Epiſcopi cauſam, ab Callinico Exarcho ſibi magnoperè commendatam, Mariniano cognoſcendam mandauit, ea autē erat, vtrumne in ſimoniacam eſſet hæreſim delapſus, quo crimine & Honoratus eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconus in iudicium arceſſebatur. Quod ſi ſuſpectus Exarcho Marinianus eſſet, ſocium ſibi, Rauennam acciret

ret Conſtantium. Mediolanenſem Antiſtitem, ad quem eodem etiam argumento ſcribebat. Is autem fuit huius exitus cauſæ, ut Maximus, ex Gregorii Pontificis præſcripto, coram Mariniano, & Caſtorio chartulario, quem & notarium vocat; ſic ut hæc fere nomina eadem videantur; ſanctiſſimo, ad D. Apollinaris corpus, iurato iuſiurando, nulla ſe teneri ſimoniaca labe affirmauerit. Ceterum quoniam dum è Chriſti fidelium communione adhuc eſſet eiectus, ad ſacram aram ſacrificauerat, pœnamq. illi ob id a Mariniano impoſitam, perſoluerat, Callinico Exarcho apud Gregorium accurate agente, tandem abſolutus eſt, & litteris Gregorii humaniſſimis; quibus, & pallium per Stephanum Salonitanum Diaconum, ad eum miſit; in gratiam reſtitutus: Caſtorioq. mandauit, hæc, ut effici re ipſa ſtuderet, ac cum Sauiniano Epiſcopo Tudertino, & Honorato Archidiacono, atque aliis, qui ſe ad Apoſtolicam ſedem contulerant, in gratiam ex animo, ut hominem Chriſtianum decet, rediret. Per idem tempus Caſtorius Epiſcopus Ariminenſis, morbo ex capite, quartum iam annum, laborabat, eaq. de cauſa, ab Eccleſia ſua aberat, & ſæpius Ariminenſes apud Gregorium Pontificem egerant, ut alius ſibi Epiſcopus præficeretur, Itaque Caſtorius ipſe, cum ſe quotidie in peius ruere, aut certe nihil proficere, ſentiret, a Gregorio per ſupplices libellos petiit, alium ſibi ſufficeret Epiſcopum. Quamobrem hortatus eſt Ariminenſes Pontifex, Epiſcopum ſibi, vna voce, & conſenſu eligerent. Scripſitq. ad Marinianum poſtero anno, ut quem ipſi deſignaſſent, eum ad ſe Rauennam euocaret, diligentiſſimè excuteret, doctrinam, mores perquireret, & ſi idoneum cognoſceret, ſua addita teſtificatione, mitteret Romam, ut conſecraretur. Interea pacem Gregorius cum Ariulfo confecit, eò tamen minore animi tranquillitate, quòd Ariulfus, non ut Rex ipſius, de ſeruanda pace iurauit, ſed ſi exceſſum ſibi in aliquo non fuiſſet, nec in Arogis Regis exercitum arma quiſquam tuliſſet. Id quia perfidioſum Gregorius putabat, facileque futurum, vt occaſio pacis turbandæ, tollendæq. hac ratione illi pateret, cum præſertim Vuarnelfrida, cuius agebatur conſilio Ariulfus, ſacramento adigi noluerit, Gregorius ſubſcribere legibus fœderis renuebat. Arogiſq. Regis procuratoribus, id uehementer vrgentibus, ad Theodorum Rauennæ curatorem, qui vna cum Probo Abbate, de hac pace plurimum laborauerat, ſcripſit, efficeret penes Exarchum, vt ſubſcriptionem Gregorii Rex ne poſceret: Quando enim inter Longobardos, ac Exarchum, medius, & quaſi ſequeſter Gregorius intercedebat, maximè cauebat, ne, ſi qua ſecus accidiſſent, eius eſſet deinde fides apud Exarchum leuior. Si quidem nouerat Gregorius, quæ in illum Agilulfus; tametſi, id iret inficias; conuicia, non abſque Diui Petri Apoſtolorum Pincipis iniuria, coram viro clariſſimo Baſilio, iactaſſet. Quod ſi tanti penes Longobardos duceretur Pontificia ſubſcriptio, id vel ab aliquo Epiſcopo, vel certe Archidiacono factum iri. Erat per id tempus, Ioannis, vrbis Præfecti, vxor, Rauennæ: cumque Ioannem virum clariſſimum ad eam Romam adducendam miſiſſet, Gregorius per litteras ad Theodorum Rauennæ curatorem, & Marinianum Archiepiſcopum ſcriptas, & Ioannem magnopere commendat, & poſtulat, vt eam uſque Peruſium, cum firmo militum præſidio deduci, Theodorus operam daret. Inſequen-

ANN. DXCIX.

ANN. DCLX.

quenti anno, Rauennæ caſus accidit, ad perturbandum Gregorium Pontificem, & Marinianum Archiepiſcopum inſignis: nam Stephani viri clariſſimi cognatam, ut è monaſterio abiret, a Petro quodam perſuaſam, eamq. haud ita diu poſt, a Gratioſo, Gregorii Pont. Max. notario, illuc mutato habitu reuocatam, idem Petrus Philoxeni familiaris fauore fultus, denuò è cœnobio eductam apud ſe habebat. Hæc cum de Stephano Gregorius accepiſſet, uehementer Mariniani primum Archiepiſcopi; ſi uera erant, quæ afferebantur; deſidiam per litteras reprehendit, mox accurate mandat, vt in cœnobium mulier reducatur, & in crimen ſeuerè animaduertatur. Philoxenum, quòd vir bonus haberetur, id ſtatim facturum putare: Ceterum uelle ſe, ut Vitalis Defenſor Mariniano adeſſet. Quod ſi forte negocium protraheretur, id Marinianus publicè prius conteſtatum, Gregorio ſtatim ſignificaret, ad vrbem enim ſe Regiam ſcripturum, ut quod fieri honeſte negligebatur, ea, quam meritum eſſet,
ANN. DCI. pœna afficeretur. Anno proximo, qui fuit a partu Virginis primus, ſupra Sexcenteſimum, Marinianus Archiepiſcopus, Rauennatis Eccl. ſiæ negociis addictus, Ioannem Diaconum ſuum in Siciliam, ad patrimonium Rauennatis Eccleſiæ, quod ualde diſtractum erat, reſtituendum, alterum Diaconum Conſtantinopolim miſſit. Hunc Gregorius Pontifex Anatholio Diacono Conſtantinopolitano, illũ Alexandrino Præfecto magnopere litteris ſuis cõmendauit. Verum haud ita diu poſt, appetente ſancto Paſchatis die, Marinianus in grauẽ morbũm incidit, cum ſanguinem euomuiſſet. Quod poſteaquam Gregorio a Rauennatibus Romam profectis, renunciatũ eſt, pro eo, ac illum diligebat, moleſte admodũ tulit, accitisq. quos doctos lectione nouerat Romanis Medicis, & ſingulorũ ſententiam rogauit, & ſcriptam ad illum miſit. Ea potiſſimum continebat, vt quietem, ac ſilentiũ maximè omnium amplecteretur. Quæ ſi Rauennæ habere non poſſet, vti vehementer timebat Gregorius, conſtitutis, quæ ad Eccleſiam facerent, rebus, adhibitiſve, qui ſolemnia ſacra facerent, aut Epiſcopii curam ſuſtinerent, hoſpitesq. amanter exciperent, vel præeſſe cœnobiis ſcirent, ipſe, antequam aduenirent æſtatis calores, quos plurimũ aduerſos Medici affirmabant, Romam ſe conferret: illius ſe ualetudinem, quietemq. omnibus viribus procuraturum: Vereri enim, ne, ſi Rauennæ cõmoranti, ad æſtiuos calores, curæ aliquæ adiungerentur, inſigne periculum, diſcrimenq. ſubiret: lõgeq. præſtare, vt incolumis ad Eccleſiam rediret ſuam, vel ſi euocandus eſſet, inter ſuorum manus euocaretur, quando & ſibi; cui mortem propediem affuturam videbat; ſi Mariniano, ut præiret datum eſſet, inter illius manus eſſet ex hoc mortali hoſpitio migrandum. Quòd ſi forte, cum hæ illi litteræ redderentur, melius ſe haberet, aut profectionem in aliud tempus omnino extraheret, non monere ſolum, aut hortari, ſed accuratè, pro poteſtate, iubere, ne uigilaret, neu ieiuniis, quæ ſummè contraria morbo Medici dicebant; niſi forte quater in anno, cum celeberrimus aliquis dies feſtus poſtulauerit, operam daret. quas verò preces, ſupra cereum in Rauennati Eccleſia recitari, quæque Euangelii interpretationes, Paſchatis tempore adhiberi a ſacerdotibus conſueuerãt, ea per alium haberentur. Conualuit tamen nonnihil Marinianus, neque Romam abiit. Per id tempus Callinicus Exarchus, cum propter ambiguam pacem, infida vtrinque, ac ſuſpecta eſſent omnia, bellum potius, inferendum, quam expectandum ratus, Parmam ex improuiſo inuadit, eaq.

capta,

capta, Agilulphi Regis filiam, & Godeſcalcum eius virum, Parmenſem, vti diximus, Ducem, Rauennam captiuos deduxit, ibiq. in cuſtodia habuit. Agilulfus indicto iam bello, Ariulfum Spoleti Ducem, in Romam, Rauennamq. vrbes ſollicitat, ipſe Patauium, quod ligneis domibus conſtabat, vniuerſam incendit, præſidio Rauennam dimiſſo: quò etiam ad habitandum ciues ſe Patauini contulere. Montem Silicem ſolo æquauit, Sclauorumq. auxilia euocauit. Ab altera parte Ariulfus, concitatis è Tuſcia Longobardis, prædа è Rauennati agenda, atque incurſionibus aſſiduè faciendis, quò minus Callinicus occurrere Patauinis ſubſidio poſſet, inhibuit: quod & in Romano factum eſt. Eodem anno Rauennam, oramq. omnem maritimam peſtilentia iterum depopulata eſt. Mortuo interea Claudio, cœnobii Diuorum Ioannis, & Stephani, in oppido Claſſe, Abbate, anno DCII. cum monachi Romam profecti, Conſtantium monachum, ſibi Abbatem dari, a Gregorio Pont. Max. poſtulaſſent, reiecit hominem Gregorius, quod propriam ſibi congereret pecuniam, & ad cœnobium, quod erat in Piceno, ſolus, nullo monacho comite, abiiſſet: quorum altero, mentem illum monachi nō habere, altero nequaquam recte, & cũ virtute viuere, teſtabatur. Quoniam verò poſtularunt deinde Maurum, ab Claudio etiam, aliquando dum uiueret, laudatum, Ioanni Rauennæ ſubdiacono ſcribit, de homine diligenter cognoſceret: ſiq. ad id muneris aptum reperiret, curaret, vt a Mariniano Archiepiſcopo Abbas cœnobio præficeretur, ſin contra, ex alio ſibi cœnobio monachi Abbatem eligerent: Adhæc moneat Marinianũ, ut monachis eius cœnobii, cogere propriam ſibi pecuniam ſtudentibus, qui quattuor, aut quinque erant, proſpiceret, eosq. cōpeſceret: inde enim exulare è cœnobiis concordiam, cum verò Claudius Abbas olim audiiſſet Gregorium pleraque diſſerentem de Salomonis Prouerbiis, canticisq. Canticorum, de Prophetis, de libris Regum, & de Heptatico, quæ cum ſcribere Gregorius, morbo impeditus, non potuiſſet, ſuo ſtilo Claudius, memoriæ cauſa, exaraſſet, & cum Gregorio deinde legiſſet, ab illorum, quæ dictauerat, ſenſu, compererat multis locis abhorrere, iubet ad cœnobium illud Ioannem adire, monachos cogere, chartas ex illis omnes, ab Claudio Abbate allatas, accurate accipere, & Romam ad ſe mittere: Addit, ſe grauate accepiſſe, quod intellexerit, Marinianum Archiepiſcopum, in peruigiliis, palam Gregorii in Iobum commentaria, legenda proponere: cum non ſit opus illud populare, & rudibus auditoribus impedimento potius futurum, quàm, vt inde progreſſum faciant: cuius & in tertia ſectione locum Marinianus mendoſum haberet. Iuberet potius interpretationes pſalmorum legi, quibus popularium mores conformari poſſent. *Neque enim volo*, inquit, *dum in hac carne ſum, ſi qua dixiſſe me contigit, ea facile hominibus innoteſci*. Iam omnis belli procella Rauennæ, atque Exarchatui imminebat. Rexq. Agilulfus, coniunctis cum Ariulfo copiis, infeſta omnia reddiderat: Itaq. tot armis, tantæq. moli imparem ſe Callinicus Exarchus ſentiens, Gregorii etiam Pontificis aſſiduo hortatu fatigatus, animum ad pacem inclinat, ſed non multo poſt Rauennæ obiit, cum annos quinque in Exarchatu confeciſſet. Phocas, qui interfecto Mauritio, ex Centurione a militibus Cæſar fuerat tum primum conclamatus, Zmaragdũ iterum Exarchum mittit in Italiam, qui cum ſupplemento copiarum Rauennam veniens, Mantuam, & Cremonam maioribus ſubſidiis confirmauit:

ANN. DCII.

quæ tamen captæ ab Agilulfo, & vti Pataujum, direptæ ſunt: Rauennatesq. ab Ariulfo Duce infeſtati, ſic, ut omnis adhuc belli moles, in Rauennatem agrum, & Romanum, in exarchatumq. incumberet: Quamobrem Zmaragdus non multo poſt, fœdere percuſso cum Agilulfo, qui, & Rauennæ expugnandæ difficultatem non ignorabat; Parmam, filiamq. & generum reſtituit. Quamquam filia difficultate partus, paulo poſtquam Parmam peruenerat, miſere interiit. Huius mulieris nomen; licet aliqui Aldiercam appellatam ſcribant; cum diligenter vndique perquiſiuerim, nullibi adhuc inuenire eſt datum. Id a me Ioannes Angelus Agilulfus Parmenſis, vir humanitate, & aliis præclaris animi dotibus inſignis, quem ex ea Agilulfi Regis ſtirpe oriundum ferunt; enixè petierat, cum inuento paucis abhinc annis eius cadauere, dum Parmæ in Cathedrali Eccleſia defoderetur, eius memoriam uetuſtatis ſitu obrutam, renouandam curaret, anno M D L X V. Blondus innuere uidetur, illam in itinere, dum Parmam proficiſceretur, mortuam, ſed libentius Paulo Diacono ſuperiora ſcribenti, aſſentior. Mariniani Archiepiſcopi valetudo nonnihil fieri in dies firmior videbatur, ſed ut eſt ſollicitudinis plenus Amor, illi timens Gregorius Pontifex, denuò per litteras hoc eodem anno

ANN. DCIII. D C I I I. ſcriptas, accurate hortatur, vt inedia, quæ corpus: curis, quæ animum plurimum fatigant, abſtineret: quòd ſi Dei miſericordia, ita conualuiſſet, easq. ſuas eſſe uires intelligeret, quæ ſatis eſſe poſſent, ſemel, aut bis in hebdomada ſacram ſe illi inediam permittere. Nec diu poſt ex hac vita migra

ANN. DCIIII. uit Gregorius. Zmaragdus Argentam, & Ferrariam, quæ iam inde a principio cum Rauennatibus ſe, contra Longobardos, coniunxerat, muro cinxit: atque id paulo ante, quam Marinianus Archiepiſcopus, anno Domini DC-

ANN. DCVI. V I. Decimo kal. Nouembr. obierit. Hic extra muros Claſſis in D. Apollinaris porticu ſepelitur, cum ſediſſet annos Vndecim, & menſem vnum Phoca adhuc imperante, Pontifice autem poſt Gregorium, Sabiniano. Ad Mariniani tumulum, carmina hæc inſcripta fuiſſe, in eius uita Agnellus tradit.

Sanctificis ſemper monitis memorande ſacerdos,
Hoc poſitus tumulo Mariniane iaces.
Corpore defunctus, tamen eſt tua fama ſuperſtes
Artus obit terris, lux tua facta tenet.
Mœnibus his veniens Romana Antiſtes ab vrbe
Tutaſti precibus ſancta Rauennatium.
Cuncta ſalutifero diſponens tempore ſacla,
Te pius in populo Chriſto regente dedit.
Quòd tamen his templis meruiſſet ſumere buſta:
Te placuiſſe Deo tanta ſepulcra probant.
Vtq. vices cuius geſſiſti rite ſacerdos
Ipſius inq. locis ſit tibi cauſa quies.

Ioannes huius nominis quartus, Claſſenſis, Mariniano in Archiepiſcopū Rauēnatem ſubrogatur magnis oculis: formoſus tamē, & ingenua animi pietate, ac magnificentia clariſſimus. Dei cultū ſūma veneratione euexit, omnibus quàm maximè carus. Sub id tempus Ioannes Lemigius Thrax Exarchus Italiæ ſex-

ANN. DCXII. tus, anno DCXII. Zmaragdo iam nonū annum Exarcho ſufficitur. Verū cum ſuperbè ſe, arroganterq. gereret, tributaq. inclementer exigeret, ab Rauennatibus,

tibus trucidatur, vnà cum uxore, ac iudicibus, quos ſecum adduxerat, annò quincto ſui Exarchatus. Quibus rebus cognitis Heraclius Cæſar, qui Phocæ ſucceſſerat, tum ob imminentes bellorum tumultus, tum quòd ſe Rauennates diligenter purgauiſſent, nihil tum acerbius agendum ratus, ſtatim Eleutherium Eunuchum, Byzantium patricium, ſibi a cubiculo, & rerum bellicarum peritiſſimum, Rauennam magna cum poteſtate mittit anno DCXVI. qui iudicio ſtatim Rauennæ conſtituto, quæſtionem de cæde Ioannis, ac iudicum eius ſeueriſſimum habuit: quoq. eius flagitii participes comperit, capitali ſupplicio affecit. Non multis ante annis obierat Ioannes Archiepiſcopus, ſepultusq. fuerat in D. Apollinaris porticu, quam Ardicam uocant, Bonifacio quarto, poſt Bonifacium tertium Romano Pontifice, cum Archiepiſcopatus annos quinque, menſes decem, dies decem & octo præfuiſſet, ſubrogatui fuerat in eius locum alter Ioannes, qui, ut plerique affirmant, in Claſſenſi item opido natus, mitis, comis, ſuauiſſimisq. moribus, & præſtanti elegantia fuit. Sed hunc ego, eundem puto cum ſuperiori, qui diutius, quàm ſcribunt, in Archiepiſcopatu uixerit. Qui huius Archiepiſcopi tempore uolunt; è quorum numero eſt Ferrettus, pacem cum Agilulfo, a Zmaragdo factam, & fanum Pantheon Bonifacio ſummo Pontifici ab Mauritio dono datum, conſtitutumq. uti Romana Eccleſia, quemadmodum omnium eſt Eccleſiarum caput, ita diceretur, aduerſus Byzantium Epiſcopum, qui temerariè, ac inſolenter moliebatur id ſibi, ii nec annorum, ut arbitror, ordinem norunt, & ſibiipſis aduerſantur, quòd uelint, Ioannem Archiepiſcopum, qui hunc proximè anteceſſit, Heraclii Cæſaris tempore uixiſſe: qui tamen Heraclius, Phocæ, a quo Pantheon eſt donatum, ſucceſſerat. Eleutherius Exarchus Rauenna, Romam profectus, ab Deodato Pontifice circiter annũ eundem a partu Virginis Decimumſextum ſupra ſexcenteſimum honorifice excipitur, indeq. ſe Neapolim contulit: ubi Ioanne Campſino, Præfecto Neapolitano; qui ſe illius urbis Regem creauerat, & Campaniam Felicem, Lucaniam, Brutios, & Apuliam ſubegerat; fugato, & cæſo, Rauennam reuerſus eſt:. Itaque ſic rebus compoſitis, Italia vndique beata pace fruebatur: Nam & Longobardi, mortuo ſuperiore anno Agilulfo Rege, qui primus ex illis Regibus Catholicam fidem probaſſe traditur, Adalualdum filium iam pridem Regni ſocium a parente aſcitum, Regem confirmauerant, ipſe uerò nihil rei bellicæ addictus, templis ornandis, & ceteris Catholicæ pietatis ſtudiis inclaruit: cuius maximè laudis gloria Theodelindam matrem attingit, quæ religioſiſſima fœmina, Diui etiam Gregorii Magni laudibus celeberrima, & apud Agilulfum, uirum ſuum egerat, ne reiiceret Chriſtianæ reipublicæ ſocietatem, & Adalualdum filium optimis inſtituendum Chriſtiani Principis artibus curauerat. Eleutherius Exarchus, uindicata, ita uti diximus, perfidia Campſini, haud ita multo poſt, pari temeritate, ſe Regem Italiæ declarauit, integro; ut compararet ſibi militum animos exercitui ſtipendio, Rauennæ, mira benignitate perſoluto, anno magiſtratus ſui quarto, Bonifacio Quincto Max. Pont. Deodato ſuffecto. Verum cum Romam confirmaturus Imperium, proficiſceretur, apud Luceolum opidum, nunc ſolo æquatum, a militiæ Rauennatis Ducibus, trucidatur. Erat Luceolum eo loco, quo incolæ ſupra Cantianum, Pontem Riuiolum nuncupant. Rauennam milites reuerſi, Eleutherii caput Byzantium ad

Hera-

Heraclium Cæſarem mittunt, qui plurimum eius morte gauiſus, Iſaacium illi ſucceſſorem deſignauit, ſpectatæ uirtutis Ducem, Orientalis, Occidentaliſq. exercitus Imperatorē: [qui ea uirtute in re bellica floruit, cæteriſq. animi doti
ANN. bus adeò clarus eſt habitus, ut Patricius primò Byzantius, creatus fuerit, dein
DCXVIII. de Exarchus, annum a partu Virginis circiter DCXVIII. ab Heraclio: Sub id tempus Mahometes in Arabia, uel ut alii, in Perſia natus, cum multiplici
ANN. & peracuto eſſet ingenio, ſectam nouam inuulgauit circiter annum DCXXI.
DCXXI. ne his temporibus quidquam deeſſet, vnde turbarentur: poſtquam ad tot barbarorum fluctus, qui ab extremis orbis partibus, quà ſeptemtriones rigent, exorti, vniuerſum penè orbem obruerant, hi uiliſſimarum gentium motus adiecti ſunt, quæ ab exuſta ſolis ardoribus terra, ad permiſcendam Aſiæ partem, tot eluuionibus intactam, acceſſere, idq. huius unius opera hominis, eiuſdemq. inſani, imperiti, morboſi, infimo loco, obſcuriſſimiſq. parentibus nati. Sed ita humanam ſuperbiam, & arrogantiam, quæ ſe altius in illum plerumque efferunt, obterit Deus, In Italia, ut in Exarchatu quieta omnia uidebantur, ita apud Longobardos inſignis tumultus orta occaſio eſt, Adalualdo Rege, cum Theodelinda matre, a ſuis Regno deturbato, ob eam cauſam, quod vnguentis quibuſdam delibutus, & accepto infecto poculo deſipere cepiſſet, & in principes Longobardorum ſæuire, Itaque, quamquam alia aliis
ANN. ſentientibus, tamen Epiſcoporum Tranſpadanorum ope, atque opera, Ario-
DCXXIIII. aldus Dux Taurinatium, cui uxor erat Gundeberga Adalualdi ſoror, Rex ſuffectus eſt. Iſaacius Exarchus, hortante Honorio Pontifice Max. qui Bonifacio Quinto, iam ſucceſſerat, reſtituendi in Regnum Adalualdi prouinciam, magno quidem animo, ſed tandem irrito euentu ſuſcepit, cum Adalualdus haud ita diu poſt, ueneno interierit, & Arioaldus in Regno fuerit confirmatus, uir ut pacis artibus inſignis, ita Arriana perfidia contaminatiſſimus. Ioannes Rauennas Archiepiſcopus, cum egregiè ſuſtineret optimi paſtoris partes, Claſſenſe opidum ter ab Saracenis direptum, reſtituit, & ingenti pe-
ANN. cunia captiuos ſuburbanos redemit Peruenit autem ad annum DCXXX. ſe-
DCXXX. pultus in porticu D. Apollinaris, ut Agnellus putat, qui cum incertum ſe in hac re ſignificet, facile confirmare, quæ diximus, uidetur, hos duos Ioannes Archiepiſcopos, vnum tantum fuiſſe, quartum hoc nomine. Ioanni, Bonus ſubrogatur, ſub id ferè tempus, quo Exaltationis ſanctæ Crucis dies feſtus maiori, quàm antea, ueneratione inſtitutus eſt, cum recepta Cruce, in qua Ieſus Chriſtus Deus, & Dominus noſter, obierat, noua miracula fuerint uiſa. Eam ante annos quattuordecim Coſdroas Perſarum Rex, Hieroſolymis captis, in Perſidem abduxerat: Superatus autem, & multiplici clade afflictus ab Heraclio, dum fugam ultra Tigrim meditatur, & Medarſem filium Regni conſortem declarat, Syrochius maior natu filius, eam contumeliam nequaquam ſibi ferendam ratus, patri, fratriq. necem, quam paulo poſt ex fuga retractis intulit, molitur, paceмq. & paternum ab Heraclio Regnum impetrat, ea potiſſimum lege, ut ſanctiſſimam Domini noſtri Crucem reſtitueret. Quod, & factum eſt. Cæterum dum receptam Heraclius in ſolemni pompa gemmis, atq. auro excultos, per vrbem Hieroſolymam circumfert, & ſuis humeris, Dominum noſtrum imitatus, ad Caluariæ collem, quod erat extra urbem, aduehit, ſubſtitit ad portam, neque plurimum enitenti, ut exire

vnquam

nunquam datum eſt. Itaqueſtupentibus omnibus, Zacharias Vrbis Antiſtes monuit, ut depoſito Regio cultu, ipſum Chriſtum Deum, illam ferentem, exprimeret: quo facto, calceisq. detractis, nullo impediente, ad Caluarium eſt uentum, & ibi crux ſtatuta eſt, vnde fuerat a Perſis ſublata. Nullum Italia, longeq. minus Rauenna, per hos annos, motum ad memoriam inſignem tulit: nam licet in Longobardorum Regum aula, ob confictum in Gundebergam Reginam perfidiæ crimen, tumultuatum eſt, innocente fœmina in carcere coniecta, ubi tres annos fuit, publicam tamen quietē nihil hoc perturbauit. Honorio autem mortuo ſummo Pontifice anno DCXXXVI. cum per annū ſedes uacaſſet, tandem Pontifex Max. eligitur Seuerianus, uel, ut Platina, Seuerinus Romanus hoc nomine primus. Quoniam uerò inanis tunc electio populi habebatur, niſi ab Cæſaribus aut Exarchis, Cæſaris nomine, confirmaretur, Iſaacius Romam, Pontificem in dignitate confirmaturus, acceſſit. Cui vniuerſa ciuitas honoris gratia obuiam eſt profecta. Moris enim erat, Exarchis Romam ingredientibus, ſumma, ſolenniq. pompa occurrere, omnibus ſacerdotum ordinibus, vniuerſoq. ſenatu, & Magiſtratibus omnibus eum excipientibus. Dehinc lætis populi totius acclamationibus, viis frōde feſta exornatis, eximioq. apparatu, æquabili plauſu, effuſiſſimis ſtudiis, templis vndique patefactis, ſacriq. æris campano tinnitu, ad D. Ioannis Lateranenſis deducere. Quod ſi eſt alicui exhibitum, id Iſaacio contigit. Qui tamen confirmato Pontifice haud parem retulit gratiam; at potius, ne confeciſſe abſque præmio tantum itineris diceretur, vt Platina auctor eſt, nonnullis Romanis opem ferentibus, Lateranenſis Eccleſiæ Theſauros, & ſacrarium vniuerſum deprædatur; vix quibuſdam templi æditui reclamantibus; quorum proceres in exilium miſit. Prædam diſtribuit in partes tres; quarum vnam militibus donauit; aliam, Rauennam miſit; tertiam, Byzantium tranſmiſſam, Cæſari aſſignauit. Sub id tempus, circiter annum DCXXXVII. Tuſciæ Dux Tato, Rauennæ occiſus eſt: cum enim Arioaldus Longobardorum Rex Tatoni inimicus, rationem vlciſcendi hominis aliam non haberet, nunciis clam ad Iſaacium Patricium miſſis, impetrauit, vt ipſum quocumque modo poſſet, euerteret, ſe eo nomine Imperatori tertiam partem tributi remiſſurum. Hæc condicio Iſaacio repudianda, in pleriſq. difficultatibus, non eſt viſa. Itaque pactis confectis, Tatonem continuò monuit, vt ſecum contra Arioaldum, arma coniungeret, atque ad ſe exercitum adduceret. Mox Tatoni, qui condicionem acceperat, Rauennam aduentanti, miſit obuiam, qui diceret, exercitum ſe illius, ne quam Imperatori ſuſpicionem iniiceret, recipere in vrbem non audere. Tato nihil mali, dolive ſubeſſe ſuſpicatus, cum paucis comitibus vrbem ingreſſus eſt. Quo facto ex templo ab iis, quos ad inſidias inſtruxerat Iſaacius, oppreſſus, fœdiſſima nece interiit. Arioaldus Iſaacio, huius præmium facinoris, auri libras centum condonauit: Haud multis deinde elapſis annis, Mauritius Græcus, tribunus militum, qui Romæ erant, quique in deprædatione Lateranenſi comes Iſaacio fuerat, detulit hominem; quòd arripere dominatum Italiæ tentaſſet; atque hoc nomine fidem Imperio ſimulans, militum ſibi, Romanorumq. ciuium fidem ſacramento obſtrinxit. Iſaacius re cognita, præmiſſis Romam copiis ſuis, maximis muneribus ſibi Mauritianorum militum animos conciliauit, ad ſuaſq. partes tradu-

ANN. DCXXXI.

ANN. DCXXXVI

ANN. DCXXXVIII.

xit. quapropter legato ſuo,& militibus in urbem receptis, Mauritius, a ſuis deſertus, ad Diuæ Mariæ Maioris fugiens, capitur,& Rauennam miſſus, capite multatur in vico, cui Ficundæ nomen eſt, quem & Ficoclem nonnulli appellant, duodecim paſſuum millibus Rauenna procul. Mauritii caput ſumma haſta præfixum, Rauennamq. delatum, Iſaacius non leuiter gauiſus, in circo, haſtuli impoſitum, prodendi exempli cauſa, ſtatuendum iuſſit, ſociis in cuſtodia habitis, vt in eos animaduerteret. Paulo poſt tamen, anno DCXLI. Rauennæ Iſaacius ſubito caſu interiit. Cuius ſepulchrum ex marmore præ foribus D. Vitalis adhuc ſupereſt, Græcis litteris ſculptum, trimetro Iambico, præclaras eius laudes continens. Hoc autem eſt.

ANN. DCXLI.

Ἐνταῦθα κεῖται ὁ στρατηγήσας καλῶς
Ῥωμαίων ἄβλαβῆ φυλάξας, καὶ τὴν δύσιν
Τοῖς γαληνοῖς δεσπόταις τρὶς ἓξ ἐνιαυτοῖς
Ἰσαάκιος, τῶν βασιλέων ὁ σύμμαχος.
Ὁ τῆς ἁπάσης Ἀρμενίας κόσμος μέγας;
Ἀρμένιος γὰρ ἦν οὗτος ἐκ λαμπροῦ γένους;
Τούτου θανόντος εὐκλεῶς, ἡ σύμβιος
Σωσάννα σώφρων, τρυγόνος τρόπῳ σεμνῆς
Πυκνῶς στενάζει τοῦ ἀνδρὸς ἐστερημένη
Ἀνδρὸς λάξαντος ἐκ καμάτων εὐδοξίαν
Ἐν ταῖς ἀνατολαῖς ἡλίου, καὶ τῇ δύσει
Στρατοῦ γὰρ ἦρξε τῆς δύσεως, καὶ τῆς ἕω.

Id autem ita dici latinè poteſt, tametſi paulò ſecus Deſiderius Spretus, conuerterit.

Hic iacet, qui rei bellicæ Ducem egit recte
Romam incolumem tutatus, & occidentem
Tranquillis Principibus, ter ſex annis
Iſaacius, Regum commilito
Omnis Armeniæ ornamentum magnum;
Armenius enim erat hic ex illuſtri genere;
Hoc mortuo glorioſe, contubernalis
Soſanna prudens, more caſtæ Turturis
Aſsidue gemit viro priuata;
Viro, qui ſortitus eſt ex laboribus gloriam
In Oriente ſole, & Occidente;
Exercitum enim duxit Occidentis, & Orientis.

Poſt Iſaacium, Heraclius, Theodorum patritium, cognomento Calliopam, Exarchum in Italiam mittit. Sub id tempus, Martino primo Tudertino iam Pont. Max. pax, quæ triginta annos inter Lōgobardos, ac Romanos fuerat, turbari cœpta Rotari Longobardorum Rege in Arrianam hæreſim prolabente; quem ita Longobardi omnes ſecuti ſunt, vt nulla eſſet ſubiecta illis ciuitas, cui gemini Epiſcopi, alter Arrianus, Catholicus alter, non præeſſent. Theodorus vna cum Martino Pontifice hanc Arrianam hæreſim corrigere ſumma ope nitebatur,

tebatur. Sed cum tantum operis rationibus, ac minis fruſtra moliretur, Longobardis bellum indixit. quapropter ad arma uentum eſt, & commiſſo ad Scultẽnam prœlio, ſeptẽ millia Rauẽnatum cæde, Theodorus ſuperatur. Scribit hoc prœlium Blondus in Italia illuſtrata fuiſſe anno a partu Virg. DCLXX. octoq. millia Rauennatum deſiderata. Sed ſi Martino primo Pont. Max. eſt commiſſum, potius aſſerendum, ad annum DCL. atque ita ego ſentio. Contigit autem hoc prœlium, paulo poſt, quàm obiiſſet Bonus Rauennatum Archiepiſcopus, qui Ioanni ſucceſſerat. Fuerat Bonus facie gracili, ac rubra, planis capillis. Deceſſit anno DCXLVIII. ſeptimo kal. Septembr. in Claſſenſi D. Apollinaris æde ſepultus: Conſtante ſecundo Imperante, qui Martinæ, & Heraclio fuerat ſubrogatus. Hic Conſtans, ut, magiſtratu commutato, rerum Italicarum fortunam mutaret; nam Rotaris ea clade, quam Theodoro, & Rauennatibus intulerat, elatus, uniuerſam occupauerat Liguriam, quam huc uſque per octuaginta annos, quibus in Italia fuerant Longobardi, non attigerant; Olympium ſibi a cubiculo in Italiam Exarchum mittit, eiq. mandat, vt Monothelitarum ſectam per omnem Italiam ſpargat, ac propaget, detq. operam, Martinum Pont. Max. aut trucidari, aut captum ad ſe adduci, antea tamen, ſi opus eſſet, exercitum conficeret, Romano, Rauennatiq. maiorem. Mouebat ea cauſa Conſtantem, quòd cum Paulum Antiſtitem Byzantium hæreticum iuuaret, ipſiusq. auctoritate fultus Paulus, legatos à Martino Byzantium miſſos, qui eum ab hæreſi reuocarent, in diuerſas Inſulas relegauiſſet, ea re commotus, ut par erat, Martinus, cum præſertim Paulus, ſacram etiam Romanæ ſedis aram, quæ erat in domo Placidiæ, ſubuertiſſet, ne legati in ea Pontificii ſacrificium facerent, & multis è locis preces ad ſedem Apoſtolicam, ſcripto, aſſidue aduenirent, ut tanto malo, qui totum penè turbabat, ſollicitabatq. orbem, occurreret, Romæ Concilium indixerat, ut ipſi Paulo, quem Pontificium ſolium Patriarchatu mulctauit; ſacris interdiceret, ac Monothelitarum hæreſim damnaret. Quod & factum eſt, centum & quinque Epiſcopis in Laterano conuenientibus, tertio Non. Octobr. Indictione octaua, quæ in annum incidit a partu Virginis quadrageſimum nonum ſupra ſexcenteſimum. Maurus Archiepiſcopus Rauennas, qui cum eſſet antea Rauennatis Eccleſiæ Oeconomus; ita enim moderatorem domus, & rei familiaris præpoſitum, Græco uocabulo appellitant; Bono in Archiepiſcopatum ſucceſſerat, cum impeditus intereſſe non poſſet, eò miſit Maurum Cæſenatium Epiſcopum, & Deusdedit Rauennatem ſacerdotem, qui partes illius ſuſciperent. Itaque primo conſeſſu, poſtquam Martinus Pontifex erudita, atq. acri oratione in eam hæreſim diſſeruit, hortatusq. eſt omnes, qui aderant, Epiſcopos, ut gregi quiſque ſuo inuigilarent, & Diuinum negocium, inter tot malorum temporum calamitates, inuicto animo tractarent, aduerſus potiſſimum Cyrum Alexandrinorum Epiſcopum, qui decem iam & octo annos eam peſtem inuulgarat, & Sergium Byzantium Antiſtitem, eiuſq. ſucceſſores, Pyrrhum, Paulumq. Eo tacente, Maurus Cæſenas Epiſcopus, nomine etiam Deusdedit collegæ ſui, ita locutus eſt. *Suggerimus Sancto Apoſtolatui veſtro, quia ſecundum veſtram prudentiſſimam interlocutionem, omnibus luce clarius manifeſta ſunt nec cuilibet incognitum eſt orthodoxoru m, quæ per tot tempora illicitè, tam à Cyro, Sergio, Pyrrho, & Paulo, contra quos, iuſta pro*

hoc

ANN. DCXLVIII.

ANN. DCXL IX.

hoc quarimonia veſtra Apoſtolicæ, ſanctaq. ſedi, à fidelibus, & zelum habentibus Dei oblata ſunt. Qua de re venerator ſancti Apoſtolatus veſtri, Maurus, ſanctiſſimus Epiſcopus, certius hac eadem per Apocryſarios ſuos cognoſcens, omninò deſiderium habuit in ſancto Concilio aduenire. Ideoq. ſatagens, direxit nos ad ſacra veſtra veſtigia, videlicet, vt vicem eiuſdem per nos ipſos, in omnibus, quæ in hoc ſancto Concilio regulariter peraguntur, adimplere debeamus, eò quòd neceſſarijs vtilitatibus occupatus, ad præſens minimè valuit, ſecundum veſtram præceptionem, proſpectui veſtro repræſentari: Ideoq. propriam Epiſtolam pro tali re, una cum ſcriptione eius præ manibus habemus, per quam noſtras perſonas, in his, quæ aguntur pro ſe, confirmare dinoſcitur, ſignificans & ipſas occupationes, pro quibus minimè ualuit aduenire: Sed ſi placet ueſtræ Beatitudini, petimus, ut ante omnia, coram hoc ſancto Concilio recenſeatur, & actibus inſeratur. Martinus ſanctiſſimus, & beatiſſimus Epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſiæ Catholicæ, atque Apoſtolicæ urbis Romæ, Præſidens ſancto Concilio dixit. Secundum poſtulationem Mauri Cæſenatis Epiſcopi, & Deuſdedis Rauennatis presbyteri, ſubſcripta Epiſtola per eos oblata, Mauri Reuerendiſſimi Epiſcopi Rauennatis Eccleſiæ, ſuſcipiatur, & huic uenerabili Concilio, lectione pandatur. Cumq. ſuſcepta fuiſſet a Paſchale Notario Regionario Apoſtolicæ ſedis, in his relecta eſt. Domino Sancto, & meritis beatiſſimo, totoq. orbe Apoſtolico, & uniuerſali Pontifici Martino Papæ, Maurus ſeruus ſeruorum Dei Epiſcopus. Vnicum omnibus, & ſingulare eſt redemptoris Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti conceſſum remedium, ad animarum noſtrarum ſalutem, ut ea, quæ per Apoſtolorum prædicationem percepimus, & patrum doctrinam, procul dubio teneamus. Ergo quia Apoſtolatus veſtri præceptionibus admonitus, ut pro his, quæ aduerſum eorum doctrinam commentata ſunt, debeam ad Sanctam, & Apoſtolicam Eccleſiam; veſtramq. præſentiam reperiri, & unà cum cæteris Epiſcopis, quæ de his patres præcipiunt, debeant terminari, neque etiam præparatum, dum ab exercitu, & plebe huius ciuitatis, vel etiam Pentopolitanorum detinear, pro incertis gentilium excurſionibus, & non ſe habentibus præſentia excellentiſſimi Exarchi, ad hanc ſuggeſtionis meæ ſatisfactionem uenire compulſus ſum. Quod cum ſummo mœrore ſatisfaciens, ſupplico, ut me non ſicut abſentem, ſed ut præſentem, & feſtinantem ſuſcipere Apoſtolatus ueſter dignetur. Nam in his quæ mouentur, & contra Patrum Orthodoxorum decreta proponuntur, me non aliter ſentire, niſi quo modo ſancta veſtra Apoſtolica doctrina, & orthodoxa tenet Eccleſia: & omnem nouitatem repellens, atque reſpuens, non ſolum ecthesin, quæ à Pyrrho Conſtantinopolitano Epiſcopo defendebatur, abijcio: quippe quia, ut hæretica, de ædibus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ eſt depoſita, ſed & quæ ad eiuſdem difenſionem nouiter conſcripta ſunt, omni modo, nec conſentio, nec ſuſcipio, ſed cum anathemate repello: Sed & duas operationes, duasq. uoluntates profiteor, & Deum & hominem, Dominum Ieſum Chriſtum, per Spiritum ſanctum, in utero virginis conceptum, & natum in duabus naturis verum Deum & hominem, in vna perſona, vtraque operantem, quæ Deitatis & humanitatis ſunt, tenere me profiteor: nec aliud, quàm, quod ſanctas quattuor vniuerſales ſynodos inuenimus prædicaſſe, & quinctam ſub pia memoriæ Iuſtiniano, ſuſcipere, ſed ſolam fidem a patribus conſtitutam, per quam verum Deum, verumq. hominem totum in ſuis, totum in noſtris prædicauerant, omni conſtantia profiteri. Ad quod, hanc ſatisfactionis meæ ſuggeſtionem, per conſamulos meos, Maurum Cæſenatem Epiſcopum, & Deusdedit presbyterum, dirigere non omiſi, eoſq. vice mea, vt quidquid aduerſum ecthesios, vel alia conſcripta ad eius defenſio-

nem

nem noviter commentata deſcripſerint, me ſine dubio eſſe conſeruaturum. & ſubſcriptio. Ora pro me Domine ſancte, & meritis beatiſsime, totoque orbe Apoſtolice Papa. His litteris lectis, cum eas Martinus Pontifex, conſentientes dogmatibus Apoſtolicis, & ſanctorum Patrum ſententiæ conformes dixiſſet, *ſi complacet*, inquit, *huic ſancto Concilio, actis noſtris indatur*. Itaque inſerta eſt, illique innixus Maximus Aquilienſis Antiſtes, eandem eſt ſententiam ingreſſus. Cæterum cum altera ſeſſione, quæ habita eſt octauo Id. Octobr. iuſſu Martini Pontificis in Concilium eſſent quidam introducendi, admittendiq. ac Stephanus Dorenſis Epiſcopus, Hieroſolymitani Concilii primus, libellum ſuum Græcũ, Latinũ, factũ in medium produxiſſet, recitatuſq. is eſſet, idemq. de Abbatum, ſacedotumq. Græcorum, & Sergii Cyprii Epiſcopi libellis, in Latinum conuerſis, annuente Martino Pontifice, factum fuiſſet, quibus Cyrus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus damnabantur, Rauennatis Archiepiſcopi Vicarii, hæc dixerunt, Mauro tantum loquente. *Congruum eſt, ſecundum quæ nunc relecta ſunt nobis per ſuggeſtionem Sergij Cyprienſis Inſulæ Archadij Epiſcopi, de perſonis, quæ ab ipſo ſunt accuſatæ, propter eorum introductam nouitatem, ut hoc quod ex perſona Domini a beato Hieremia dictum eſt, & nos competenter dicamus, Obſtupuit cælum ſuper hoc, & tribuit in amplius terra: quoniam duo mala fecerunt contrarij. Dereliquerunt me fontem aquæ uiuæ, & foderunt ſibi ciſternas contritas, quæ non ualent continere aquas. Ciſterna namque contrita, eſt omne uerbum, ex quadam hominum adinuentione compoſitum in alligationem erroris, quæ ab orthodoxis facile uelut aranea, diſſipatur, non enim de fontibus ſalutiferis ſpiritaliter ad acquiſitionem .... æternæ procedit: Atque ideo competenter nos beatus Paulus Apoſtolus præmuniens, ait, non debere plus ſapere, quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, in definitione pietatis perdurantes. Qui enim hanc prætererunt, non tantum leſi ſunt, decidentes a corroboratione ſua, ſed & inſipientiæ ſuæ dereliquerunt hominibus memoriam, ut in his in quibus peccauerunt, nec latere potuiſſent. Gloria enim, & contumelia in loquela, & in lingua hominis, caſus eſt illius ideoque conuenibus eſt, hanc quidem ſuggeſtionem, ad oſtenſionem reprehenſæ hæreſeos, noſtris actibus inſeri: nec enim fas eſt, ſupplicum Apoſtolicæ ſedis in ſcripto, & ſine ſcripto pre ationes oblatas deſpicere, ſed vt condecet, cum omni probitate contrarij, & veluti paleati verbi per ventilabrum canonicæ examinationis plenam purgationem, in communi conſiſtentes efficere de maturis, & nutrientibus Catholicæ Eccleſiæ dogmatibus, quæ confirmant cor hominis per participationem paternarum inſtitutionum.* Hæc in eo conuentu dixere Vicarii Archiepiſcopi Rauennatis, Mauri, cui etiam ex ſubiunctis ſibi Epiſcopis interfuerunt, Boethus Cornelienſis, Bonus Ficoclenſis, Donatus Saſsinenſis, Leontius Fauentinus, Ioannes Vicohabentinus, Gallioniſtus Hadrianus, Stephanus Popilienſis, Creſcentius Liuienſis, Luminoſus Bononienſis. Vnde mirum fortaſſe uideri poſſit, quo modo homo, qui per Vicarios ſuos tantam ſedis Apoſtolicæ dignitatem profeſſus eſt, ſuiſq. litteris, Põtificem Romanum, iure & merito, toto orbe Apoſtolicum uocauit, & uniuerſalem Pontificem, ad hæc, profanas rerũ, & uocum nouitates reiecit, tamen deinde ita defluxerit derecta ſententia, ut cum ipſo temere, & nulla ratione de principatu contendere fuerit auſus. Ipſe n. ſagaci & peracri vir ingenio, multas cum Pont. Max. ſimultates exercuit: nã concedente Conſtante, Rauennatẽ Eccleſiã, ab Romana, quæ Eccleſiarũ om-

S nium

nium eſt caput, ita diſtraxit, ut Epiſcopos ſibi ſubiectos ipſe conſecraret, a
tribus autem ſuæ ditionis Epiſcopis conſecraretur, neque ulla ab Romano
Pontifice confirmatio peteretur, uerum pallium a Cæſare acciperet. Olim-
pius Exarchus Romam cum perueniſſet, coactam inuenit Synodum, quare
tetra hæreſeos labe inficere neminem potuit. Ad alterum igitur Conſtantis
iuſſum, ipſum ſcilicet tollendum, per ſummam fraudem, & malitiam, Marti-
num, ſeſe conuertit. Miſſo itaque lictore, qui in Diuæ Mariæ maioris ſacra
facientem Martinum caperet, aut occideret repugnantem, miſer, ingenti mi-
raculo ſubita cæcitate corripitur: Fuit hoc ſolenni Natalitiorum Domini die,
qui proxime Concilium habitum inſecutus eſt, quo Pontifex antiquo ritu ad
eam baſilicam, nocturnum Deo ſacrificium faciebat: atque ita conuenerat
cum ſatellite Olimpius, ut cum Pontifex ſacratum Domini corpus, in eam
unam intentus curam, Exarcho porrecturus eſſet; ad illum feriendum, gla-
dium diſtringeret: Quod dum perficere nititur, extulitq. iam manum, diui-
no prodigio, ſubito, uti diximus, luminibus captus eſt. Quo eſt factum, ut
Olimpius rei magnitudine, & ſceleris conſcientia commotus, cum Martino
in gratiam redierit, explicatisq. mandatis, quæ Byzantio proficiſcens, a Con-
ſtante attulerat, nefarii conatus ueniam impetrarit, illiusq. hortatu, ac pre-
cibus, Saracenos, qui ex Africa delati, Rhodum, & multas Inſulas finitimas,
ipſamq. tandem Siciliam occupauerant, aggreſſus, Sicilia expulerit: ingenti
tamen ſuorum cæde, atque etiam ſuo interitu, cum in grauiſſimum ex belli
ANN. laboribus morbum incidiſſet. Interea Conſtans nihilo melior redditus, Theo-
DCLII. dorum Calliopam denuo Exarchum mittit, cum eiſdem aduerſus Martinum
mandatis. Rauennam peruenit anno DCLII. Sed animo facinus uoluens, con-
feſtim Romam profectus, Pontificem adiens, quaſi eum ſalutaturus, capi iu-
ANN. bet; captum, & Rauennam deductum, ad Conſtantem Byzantium mittit.
DCLII. Vnde poſtea in Cherſoneſum Ponti relegatus, calamitatibus, & inopia confe-
ctus, ſanctiſſime deceſſit. Huic ſufficitur Eugenius, quo item poſt annum mor-
tuo, Vitalianus Signinus Pont. Max. creatur. Hic cum iam diu nimiam Ar-
chiepiſcopi Rauennatum petulantiam, odio & indignationi habuiſſet, ſtatim
Pontifex creatus, Maurum Archiepiſcopum Romam ad ſe uocat, cauſam
ſuam dicturum. Id cum Maurus negligeret, ſacris ab Viteliano eſt interdictus;
Sed Maurus Dioſcorum Alexandrinum Antiſtitem, a Concilio Chalcedo-
nenſi ob id damnatum, imitatus, e contrario litteras ad Vitalianum dedit,
& eidem ſacris interdixit; nulla vnquam ſceleris conſcientia, dum vixit, ab
hac nefaria opinione deductus. Non defuit tamen Vitalianus Pont. quin in-
iuriæ, ut ſanctiſſimum decet Pontificem, immemor, & ut Ferrarienſibus gra-
tum faceret, Vicohabentiæ Epiſcopatum, Rauennati Eccleſiæ ſubiectum, Fer
rariam transferret. Hanc Vicohabentiam, Vicum Egonum fuiſſe plerique tra
dunt, ab eo loco haud procul, ubi Ferraria nunc ſita eſt, corruptoque uocabu
lo Vicohabentiam uocatam. Hac itaque ratione Vicohabentino Epiſcopa-
ANN. tu illuc translato, Ferraria circiter annum DCLVIII. a Vitaliano Ci-
DCLVIII. uitas conſtituitur, Rauennatique Eccleſiæ ſubiicitur, ut ex uetuſtiſſimis
Rauennatis Eccleſiæ monumentis adhuc colligi poteſt. Sub id tempus Rauen
nates Grimoaldum Beneuentanorum Ducem maxima ad Forum Pompilii
moleſtia affecerunt. Nam Longobardi quòd pacem cum Romanis factam

ſer-

ſeruarent, inter ſe digladiabantur. Siquidem Aritpertus, eorum Rex, moriens, duos reliquerat filios, Perteritem & Gundibertum. Quapropter Grimoaldus ſe Ticinum contulerat, Duce Beneuentanorum prius creato Romoaldo filio, ut Regnum ipſe Longobardorum arriperet. Quod cum illi ſuc ceſſiſſet ex ſententia; Perterite, Ticino; Gundibare, Mediolano pulſis, reiectoque Gallorum exercitu, quem Clodoueus Rex, opem Perteriti, & Gundiberto laturus, ut Blondus putar, ſeu, ut ſcribunt alii, Italiæ dominatum ſibi in tanta diſſenſione uindicaturus, in Italiam miſerat, hujus aridentis condiciones ſumma felicitas ab Conſtante Cæſare nonnihil intercipi eſt uiſa. namq; in Imperium aſcito Conſtantino filio, ſe in Italiam con tulit, Beneuentique Romoaldum obſedit. Ad illum Grimoaldus pater, Ticino, cum exercitu proficiſcens, vt filio ſuppetias præberet, cum ad Forum Pompilii perueniſſet, ab Rauennatibus, Mauro Archiepiſcopo præſertim impellente, ut Conſtantis Cæſaris partes iuuaret, ipſumque Grimoaldum aut interficeret, aut retardaret, maximo incommodo affectus eſt. Verum Conſtante, Italia non multo poſt decedente, Grimoaldus, tumultum compoſiturus, quem Lupus Ticini Vicarius, & Fori Iulii Dux excitarat, Ticinum, vt Platina ſcribit, rediens, cum per montem Bardonis Tuſciam iniiſ ſet, quo iniuriam ab Rauennatibus ſibi illatam vlciſceretur, repente ſe ex Apennino demiſit, & Forum Pompilii, die Sabbatho ſancto ingreſſus, cum ſacris ciues intenti ad templum omnes conueniſſent, ſacerdotibus, vniuerſoque populo trucidatis, vrbem ſolo æquauit. Blondus memoriæ prodit, id Grimoaldum feciſſe, non ad compeſcendos tumultus Lupi redeuntem, ſed illis iam ſedatis. Vitaliano deinde Pon. Max. vita functo, Adeodatus Romanus, qui Benedictinus Monachus fuerat, in eius locum ſubrogatus eſt: ſub id fere tẽ pus, quo Maurus, Rauennatum Archiepiſcopus, accepturus præmia ſceleribus debita, uitam cum morte commutauit. Moriens ſacerdotes ſuos monuit, ne ſe Romano Pontifici umquam ſubiicerent. quamobrem ab Adeodato Pon tifice ſancitum eſt, & cautum, ut Mauri memoria in anniuerſariis ne fieret, neque alia ratione illi parentalia celebrarentur. Idemq. Rauennæ de Adeodato & Vitaliano Pont. Max. adeo ſuperbia ac temeritas inualuerant, decretum. Huius Mauri temporibus Siciliæ pars adhuc ſub Rauennatis Archiepiſcopi ditione erat, eoq. Vicarii mittebantur, qui prouinciam pro Archiepiſcopis adminiſtrarent, & ius dicerent. Sepultus eſt in porticu D. Apollinaris, eiuſq. ſepul crũ ex Porphyrite adeo perſpicuo conſtitiſſe ferunt, ut chriſtallo non cederet; ſuoq. ſplendore, perinde ac e ſpeculo, reflexo, vſq. ad D. Seueri templum, aciẽ oculorũ perſtringeret. Hũc lapidem Lotharius Cæſar, Petronatii Archiepiſco patu, exportari in Gallias curauit, & aræ D. Sebaſtiani menſam ex ipſo conſtituit. Vixit Maurus annos ſex & ſexaginta; Diuiq. Apollinaris ſanctũ cadauer honeſtiſſime in tẽplo medio collocauit; laminis ex argẽto adiectis, quibus eius collocationis hiſtoria inſcripta erat. Sedit annos ferme XXIIII. Obiit circiter annum ab ortu Chriſti DCLXXII. Cui Reparatus ſuccedit; ſenex ac gracilis; a tribus ſubiectis ſibi Epiſcopis, Rauennæ, in Diui Petri, more Pontificis Maximi, Archiepiſcopus conſecratus. Byzantium ad Conſtantium Quartum Cæſarem, qui Conſtanti ſucceſſerat, profectus eſt; a quo poſtulatis ſuis, quibus petebat, dominatu Romani Pontificis Rauẽnates Archiepiſcopos ANN. DCLXXII.

S 2 liberari,

liberari,abũde fuit ſatisfactũ. Huius imago,atq. Conſtantini Cæſaris,librũ eo rum priuilegiorum Reparato porrigentis, in Apollinarii templi Claſſenſis teſtudine,vermiculato opere conſpicitur;deq. illo in vitis Rauennatum Archiepiſcoporũ hæc legimus.*Verus paſtor pie cũ clero ſuo uixit,nec paſſus eſt ſub Romana ſubiaceri ſede,ditauit,& ampliauit cleros.*Hæc ibi. Deceſſit Tert. kal.Sextil.Sepultus in eodẽ D. Apollinaris templo; cũ præfuiſſet an.V.Men.VIII.dies XXVI. Dono Romano Pontifice,qui Adeodato ſubrogatus fuerat;Theodoro aũt adhuc Exarcho. Paulo tamen antequam excederet è uita, Rauennatem Eccleſiam ſub Romana reſtituit,Dono adhuc Pontifice: ad quem,Romam proficiſci,morte præuentus,remq. palam & omnino conficere non potuit.In Archiepiſcopatum Rauennatem ſufficitur Reparato,Theodorus;turbido, vt in vitis Archiepiſcoporum ſcribitur,ingenio,& truci aſpectu, animoq.ab iuuentutis calore,rerum nouarum cupido,in æde Apoſtolorum,a ſuis Epiſcopis,infula ſacra inſignitus; qui omnium fallaciarum plenus traditur.Hũc ferunt propterea quod diuturnas quaſdam abrogauerit conſuetudines,& decreta, quæ pro ſacratis viris facere plurimum ad eorum dignitatem augendam uidebantur, cõcremauerit,in magnam inuidiam Rauennatum,ſacerdotum præſertim,incurriſſe;adeo vt in vitis Rauennatum Archiepiſcoporum legatur, in ſua ſede fuiſſe illum,æque ac in grege Lupum;Leonẽ inter quadrupedia accipitrem inter aues; & frugibus iam maturis procellam,& grandinem;Theodorum Exarchũ tres vrnas ſacras,quibus res diuina fieri ſolet,aureas, Eccleſiæ Rauennati dono dediſſe hoc tempore ferunt. Viri ſacrati tot malis vndiq. miſere afflicti ab Theodoro Archiepiſcopo,& omnino expilati,adducti ſumma rerum omnium deſperatione,Die,ob Natalem Chriſti Dei,feſto,conuentu habito ad D.Apollinaris Claſſenſis, plurimum de Antiſtitis ſui immanitate conqueſti ſunt. Eos cũ ad ſe Theodorus Archiepiſcopus vocaſſet,venire renuerũt.Quapropter timẽs Archiepiſcopus, ne quid acerbius in ſe molirẽtur,diſſimulata ira,oĩbuſq. quæ abſtulerat reſtitutis,conceſſiſq. oĩbus,quæ petebant,in gratiã rediiſſe viſus eſt. Sed non multis poſt diebus, animo odium concludens, vt ſacerdotum iniuriam vlciſceretur,cum ſe nonnullis pro Dei Eccleſia negociis ad id itineris adductũ ſimularet,ad Agathonem Romanum Pontificem,qui ſucceſſerat Dono proficiſcens,Rauennatem Eccleſiam,Romanæ ſubiecit.Hanc hiſtoriam ex vitis Rauennatũ Archiepiſcoporum a nobis deſcriptam, facile coniici poteſt, tum ex his,quæ ceteri omnes grauiſſimi auctores tradiderunt,tum ex ipſo rei merito,a vero longius aberrare,ab eiuſq.ſeculi hominibus deſcriptam,qui,arrogantia aduerſus Romanam Eccleſiam elati, eam ſubiectionẽ ægre ferebãt. Nã Theodorus fertur ſumma pietate fuiſſe, & in pauperes munificentiſſimus, quiq. ſacerdotum Rauennatum mores, in tanta rerum omnium licentia in deterius labẽtes,ac corruptos,iuſta ſeueritate correxerit.Cumq. interea annonæ caritas oẽs maxime premeret, Theodorus,quantum fieri per eum poterat,opẽ multis amanter tulit. Sed ea fuit aliquorũ importunitas, inſatiabiliſq. cupiditas,ac libido,vt,cum expleri non poſſent,quàm plurimæ audirentur contumeliæ,quæ Archiepiſcopi tenacitatem,atq. auaritiam damnabant. Graueſcente fame,ex occultis maledictis in aperta cõuicia ab illis eſt deuentũ; quos,inani licet ſtudio,Archiepiſcopus muneribus,ac ſpecioſis verbis lenire conatus eſt. Itaq. cũ dies Natalis Chriſti feſtus aduenìſſet,eoq. die, cum illuceſcẽte Auro

ra,de more,ad D. Apollinaris in Claſſe populus,ſacris affuturus, conueniſſet, Archiepiſcopus ad meridiē vſq. expectatus,qui rē diuinam,ſolēniaq. ſacra faceret,non acceſſit,propterea quod ſacerdotes ab eo ſeceſſionē feciſſent. Verū Theodori Exarchi opera,ſacerdotes ad illū iterum adiiſſent,vētum eſt ad templū,reſq. diuina habita.Hac rei indignitate motus Archiepiſcopus, vtq. quod Reparatus cœperat,pro eo ac iure meritoq. debebat, perficeret ad Agathonē Pon.Max.accedens anno DCLXXX. Romanæ Eccleſiæ Rauennatē ſubiecit; quā multo iam tēpore ab Romana,vti memorauimus,ſeiūctam Allocephalin Græca voce appellabant;hanc in ſententiam diſcedēte quoq. Theodoro Exarcho,vti Platina teſtatur.Qui tamē Platina in eo videtur falli,quòd Dono Pōt. Max acta hæc ſcribat,cū ſub Agathone fuerint;Cōſtantino Quarto adhuc imperāte.Hac de re Bernardus Iuſtinianus libro Venetæ Hiſtoriæ nono,verba faciēs,ſcribit,TheodorūArchiepiſcopū ſiue innata fide,ac virtute,ſiue,vt nōnulli ferunt,com motum ſacratorum virorum Rauennatum petulantia, atq. iniuriis,molitum id fuiſſe,laudante eam rem Olympio Exarcho,comiteq. Romam proficiſcente.Verum in nomine Exarchi decipitur;erat enim Theodorus Calliopa, ſi Anaſtaſio, Blondo, Platinæ, ipſiſque Rauennatis Eccleſiæ vetuſtiſſimis monumentis,temporumque ordini aſſentimur; Ea autem fuit Theodoro Archiepiſcopo Romam proficiſcendi occaſio, quod ſuperiore anno Agatho ſtatim Pontifex factus, Epiſcopis occidentis conuentum in Lateranum indixerat, ut re ex eorum ſententia conſtituta, ſingulorum opinionem ad Concilium Conſtantinopolim mitteret, ab Dono Pontifice, Conſtantini Imperatoris hortatu, illuc conuocatum. Itaque Romam uenit Theodorus Archiepiſcopus, & uti dicebamus, ad Agathonis Pontificis Maximi pedes pro uolutus,præſens obedientiam,Eccleſiæ Romanæ,matri,ac magiſtræ reſtituit: mox in conuentu Lateranenſi,in quo centum uiginti quinque Epiſcopi interfuerunt,ſententiam dixit,& decretū de duabus Chriſti naturis,uolūtatibus q. confectum, ſua; ut & reliqui Epiſcopi, & ſubiunctorum ſibi Epiſcoporū manu firmauit. ii autem ibi ſubiuncti Epiſcopi numerantur: Stephanus Saſſinenſis,Barbatus Cornelienſis,Victor Bononienſis,Florus Cæſenas, Vitalis Fauentinus, Iuſtinus Fidentinenſis, Vincentius Liuienſis, Placentius Placentinus, Mauritius Regienſis,Petrus Mutinenſis, Gratioſus Parmenſis,Magnus Pupiēſis:Ipſe autem Theodorus Archiepiſcopus ita ſubſcripſit. *Thedorus exiguus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Rauennatis, in hanc ſuggeſtionem, quam pro Apoſtolica noſtra fide conſtruximus ſimiliter ſubſcripſi.* His rite peractis,cum Pontifex legatos ſuos tres, cum hoc Decreto Conſtantinopolim mitteret, qui Concilio præeſſent, eò etiam Theodorus Rauennas Archiepiſcopus, Theodorum monachum, pro partibus ſuis agendis, miſit. Id fuit ſextum generale Concilium; in quo Monothelitarum ſecta, quæ unicam opinabatur in Chriſto Deo uoluntatem, ac naturam, damnata eſt; & Conſtantinus Cæſar cum ſummo honore Agathonem fuiſſet proſecutus, edicto pronunciauit, vti Pontifici Romano, ſummo Chriſti inter homines Vicario, confirmando nullum amplius Cæſaribus ius eſſet; cæterum quem ſacrati viri, populuſq. ac exercitus, Pontificem delegiſſent, pro Pontifice is ab omnibus haberetur. Dimiſſo Concilio cui, ut ex pluribus ſubſcriptionibus colligitur, Theodorus pro Archiepiſcopo Rauennati Theodoro, modo ſe locum agentem ipſius Archiepiſcopi, nunc loci ANN. DCLXXX.

S 3 præpoſi-

præpoſitum, aliquando Vicarium, plerumque loci Seruatorem, aliâs religioſum, interdum humilem presbyterum ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, tandem presbyterum & monachum, ſubſcripſit Hocq. loco Antiſtes Rauennas Deo amabilis, & Reuerendiſſimus. Beatiſſimuſq. appellatur: Theodorus Archiepiſcopi Vicarius, Romam primo, mox Rauennam uenit: Quo paulo ante regreſſus Theodorus Archiepiſcopus, magnum ſibi odium conflatum, animoſq. omnium infinitum in modum alienatos reperit. Nam Rauennates, cum diuina iura humanitus metirentur, eam ſubiectionem ægre admodum tulerant, turpe omnino, ſummaq. indignitate facinus aſſerentes, quam ciuitatem floreĩtiſſimam haberent, iamq. tot annos, Cæſarum ſede, atque Exarchorum præſentia, ac muneribus ampliſsimis ornatiſſimam, eam Romanæ ſubieciſſe; quæ minor multo ab omnibus rebus videbatur. Non enim Siciliæ ſolum, ſed; ut ex vetuſtiſſimis monumentis collegimus; Iſtriæ quoque; quam Iapidiam veteribus appellatam putamus; & plurimis præterea urbibus, ac locis Archiepiſcopi Rauennates dominabantur: ſtatiuaq. militibus ſuis, toto Exarchatu ſignabant; & in expeditionibus, ac bellis, tot cogebant equitum millia, vt copiis ſuis iuſtum ferme exercitum conflarent; neq. eſſet, cui non Rauennatis Archiepiſcopi equitatus, ac peditatus ab omni rei bellicæ apparatu inſtructiſsimus, metum incuteret. Rauennati igitur ſubiecta Eccleſia, omnia ad Pont. Max. rediere. Id tamen negocium Agatho Pont. morte præuentus non perfe-
ANN. DCLXXXII cit; quapropter Leo ſecundus Siculus, illi ſuffectus, omnino compeſcuit Rauennatum Antiſtitum ſuperbiam, ſanxitq. nihil habendam electionem ſacratorum virorum Rauennatum, quam non Sedis Romanæ auctoritas confirmauiſſet. Plerique addunt, neque maneret Romæ Archiepiſcopus, poſtquam conſecratus eſſet, ultra octauum diem, ipſumq. natalem, ac feſtum Apoſtolorum, quod & ſibi vehementer placuiſſe Conſtantinus Cæſar, litteris ſuis, quas appellabant Diuales, ad Leonem ſcriptis abunde teſtatus eſt. Leoni ſecundo Pont. Max. ſufficitur Benedictus ſecundus. Huic item Ioannes quintus Antiochenus, quo poſt annum vita functo, Conon Pontifex ſubrogatur. Hunc ab Theodoro Exarcho confirmatum Platina, & Blondus ſcriptum reliquerunt. Quæ quidem res, videtur illud reuocare in dubium, quod diximus, ab Conſtantino Quarto, Agathoni Pontifici, uel ut Blondus putat, Benedicto Secundo donatum, ne amplius Cæſari, Pontifici confirmando ius eſſet. Theodorus, confirmato in Pontificatu Conone, moritur. Ioannes Petrus Ferrettus in eo libro, quem de Exarchatu ſcripſit, hunc affirmat in Exarchatu uixiſſe annos unum & viginti; ſed, ſi Platinæ credimus, & Blondo, ac reliquis, ad quadrageſimum fere annum peruenit. Nam a Pontificatu Martini primi; quo in Italiam, ab Conſtante, Theodorus eſt miſſus; ad Cononem, trigintaſex annos interceſſiſſe conſtat. Verum hoc eſt minimum, inter illa, quæ uidetur Ferretus confuſa eo libro ſcripſiſſe; quamquam id fortaſſe potius temporum culpa eſt, quàm Ferretti; Theodoro Exarcho, Ioannes Platon, ſiue Platina haud
ANN. DCLXXXV. multo poſt in Exarchatum ſuccedit, ab Iuſtiniano minore, quem alii Iuſtinum ſecundum appellant, miſſus; Conone adhuc Pontifice Maximo, qui cum annum Pontifex non perfeciſſet, moritur, eodem fere tempore, quo & Theodorus Archiepiſcopus, cum undecimum iam annum Rauennati Eccleſiæ præeſſet, & Vrſiani templi teſtudinem plumbis laminis contexiſ-

ſet.

ſet. De eo ſic in Vitis Archiepiſcoporum Rauennatum ſcribitur. *Obijt hic nequiſsimus Præſul maxima ſacerdotum lætitia, qui clerum totum ſuffocans deuorauit XIIII. kalen. Februarij Elatus a quattuor clericis, & humi in porticu Diui Apollinaris ſubmerſus eſt.* Eius è marmore ſepulchrum in Diuæ Mariæ Vrani, vbi monachi Camaldulenſes incolunt, prope mœnia Britonorii, viſitur, his inſcriptis litteris. *Hic requieſcit V. B. Theodorus Archiepiſcopus.* In ſuggeſtu etiam templi D. Andreæ, eius mentio fit. Huic ab Sergio primo Romano Pontifice, qui Cononi ſucceſſerat, in Rauennatem Archiepiſcopatum Damianus Dalmata ſufficitur, & Romæ ſacra infula menſe Martio decoratur, præſente Platina Exarcho, qui Romam propterea venerat, quòd, viuente adhuc Conone, Paſqualis Romanæ Eccleſiæ Archipresbyter, Theſauros, quos ſibi Conon vir admodum probus tradiderat, in pauperes erogandos, illi fuerat pollicitus, ſi, Conone mortuo, niti ſumma ope voluiſſet, ut in Pontificem ſubrogaretur. Cui cum Platina, nuncio de Cononis morte accepto, pecuniaq. habita; opem laturus, & promiſſi conſtantiam ſeruaturus, Romam, nullis præmiſſis nunciis, contendiſſet: quo Theodorum, & reliquos Paſquali aduerſantes, improuiſo deprehenderet, atq. opprimeret, quicquam auxiliari non tamen potuit. Verum cum Sergium Pontificem intelligeret factum, pecuniam ſibi a Paſquali tributam repetentem, nonnullis ex D.Petri muneribus ablatis, Rauennam regreſſus eſt. Ab huius Exarchi nomine, Bartholomæus Platina, qui Pontificum vitas conſcripſit, nomen patriæ ſuæ, agri Cremonenſis opido, cui Platinæ nomen adhuc eſt, impoſitum putat. Quoniam cum multa bella inter Exarchos, Longobardorumq. Reges intercederent, non eſt abſurdum; cum illud opidum, inter Ticinum, Rauennamq. quarum, Ticinum Longobardorum Regibus, Rauenna Exarchis ſedem præſtabat, quaſi medium ſit; quin ibi ſit aliquando pugnatum, aut eo milites diuerterint. Quibus de cauſis legimus ſæpe nomina opidis impoſita. Sub id tempus Pipinus Auſtriæ Princeps, magiſter familiæ Theodorici Gallorum Regis creatus, quæ ampliſſima eſt dignitas, Imperio Gallorum iniicere manum cœpit. Per idem tempus Rauennatis Exarchatus milites, pietatis, ac religionis ſummũ præbuere teſtimonium. Nam Iuſtinianus ſecundus Cæſar a Bulgaris ſuperatus, Byzantiumq. reuerſus, Concilium indixerat, in quo pleraq. decreta aduerſus fidei Chriſtianæ veritatem tulerat; illiſq. Pontificii Legati imprudenter ſubſcripſerant. Cum autem Sergius Pontifex renueret illis aſſentiri, vehementer commotus Cæſar, Zachariam miſit, Principem, ac magiſtrum exercitus, quem eius ſæculi vocabulo Protoſpatarium vocabant, ut Sergium captum ad ſe deduceret. Zacharia in Italiam profectò, tametſi ipſe celare conſilium id nefarium ſtuderet, breui tamen emanauit. Quo factum eſt, ut ad Sergium, qui ob vitæ innocentiam, ipſamq. ſummam dignitatem, omnibus erat cariſſimus, & maxime cultus, tuendum, ac vindicandum, omnes, qui Rauennæ, & circa Rauennam in Pentapoli erant, milites quam celerrime Romam contenderint, vbi iam Zacharias Pontificem in cuſtodia habebat. Verum is cognito impetu, quo ad eum milites adibant, deſperata aliorum omnium ope, in fidem ſe Pontificis dedit, eiuſq. benignitatem, atq. humanitatem implorarauit. Iniuriæ libenter immemor ſanctiſſimus Pontifex, Zachariam defendit, & occultauit, inq. ſuis ædibus, atq. ipſo etiam cubiculo apud ſe habuit. Exarchatus

chatus autem milites, cumq. illis populum Romanum, ad ſe venientes, in ſede Pontificia, benigne, atq. hilariter excepit, aſſidueq. flagitantibus ſibi Zachariam tradi, luculenta, admirabiliq. oratione habita, petiit, hortatusq. eſt, iram vti cohiberent, quando omnem ipſe iniuriam remiſiſſet. Quo loco ea fuit verborum, vultusq. Pontificis auctoritas, vt ab incœpto milites deſtiterint, & Zacharia in conſpectum adducto, datum fuerit, vt incolumis; tametſi non abſque ingenti dedecore: abiret. Paulo poſt Iuſtinianus ſceleris pœnas dedit, ab Leontio, Byzantio Patritio, Imperio priuatus, & obtruncatis naribus in Cherſoneſum Ponti relegatus. Quapropter Leontius ſe fecit Cæſarem.
ANN. DCC. Cui paulo poſt, annum circiter Septingenteſimum, Tiberius Abſimarus, patritius item Byzantius, ab exercitu apud Africam Cæſar electus, opponitur. Hic Leontio ſuperato, nares obtruncauit, vt ille Iuſtiniano, & in carcerem contruſit, atrociora tormenta ſubiturum. Enituit circiter id tempus, Rauennæ Aegidius Abbas, qui Athenis ſummo loco natus, diſtributo egentibus patrimonio, & uirtutibus maximis clariſſimus habebatur. Cum enim Roma rediens, quò ſe è Gallia religionis cauſa contulerat, in hanc vrbem diuertiſſet Præfecti vrbis filium mortuum, ad vitam reuocauit, & multis aliis editis miraculis ſanctitatis ſuæ opinionem in animis hominum altius inſeruit. Plerique tamen id non Rauennæ, ſed Nemauſi, aliis alii locis contigiſſe tradunt. Sergio Pont. Max. fato functo, ſuccedit Ioannes ſextus; & Ioanni Platinæ, poſt quintumdecimum Exarchatus annum, in magiſtratu Theophylactius
ANN. DCCII. ſufficitur, annum circiter DCCII. ab Tiberio tertio Abſimaro, cui erat à cubiculo, in Italiam miſſus. Hic ſe, de more, non primo Rauennam contulit, ſed in Siciliam profectus, Exarchatinis militibus ſuſpicionem iniecit haud leuem, veritis, ne quid mali, is, præter morem, aduentus ſignificaret; præſertim cum aduerſus Zachariam, Sergio Pontifici adhæſiſſent; quamobrem decernunt, dum Romam ingrederetur, e medio hominem tollere. Verum interceſſit Ioannes Pontifex, Exarchoq. perſuaſit, uti rebus cum militibus compoſitis, Rauennam proficiſceretur; quod & Ioanne opem ferente, perfecit. Contigerunt hæc ſub id fere tempus, quo Damianus Archiepiſcopus Rauennatum, cum ſexdecim annos, menſes II. dies XVI, Rauennati Eccleſiæ præfuiſſet, vitam cum morte commutauit, Tert. Id. Mart. Sepultus in D. Apollinaris Claſſenſis, ab ara ſanctæ Feliculæ haud procul. Eius parentes, qui Dalmatia venerant, Eccleſiæ Rauennati illum adhuc puerum obtulerunt; quò loco ad ſummum ſacrarum litterarum apicem peruenerat. Archiepiſcopus factus, ſanctiſſimo inſtituto, ſummaq. ſacerdotum, & populi tranquillitate, & concordia præfuit; hominemq. vita iam functum ad vitam reuocauiſſe, fuſis ad Deũ precibus, ferunt. Bellicos mores, furoresq. truces, qui, diebus feſtis, in ea regione vrbis, cui Latronum olim erat nomen, nunc D. Seuerini titulo appellatur, a perditis hominibus, & minimum religioſis celebrari conſueuerant, indictis prius triduanis populo ieiuniis, aboleuit, ſumpto de hominibus impiis ſupplicio; tametſi eadem pars vrbis, Regio Latronum, multis deinde inſequentibus annis dicta ſit. Tanta fuit ſanctitate, ut Rauennas quidam ciuis, religione præſtans, in Vrſiana æde, dum ſacra haberentur, iuxta altiorem columnam cum eſſet, poſt Damiani terga ſplendidiſſimum virum cõſpexerit, qui faciem illius admirabili luce illuſtrabat. Id cum ipſe, fixo in Da-

mianum

mianum intuitu, immotiſq. oculis admiraretur,& Archiepiſcopus aſſidue hæ rentes in ſe viri oculos itidem miratus, quid eſſet cauſæ, ſciſcitaretur, rem omnem ordine expoſuit. Adhæc, ipſum de ſe fateri ſolitum aiunt, dum no-cte in templo; quo maxime tempore viri ſancti in rerum diuinarum meditatio ne, atque in Dei laudibus, verſantur, ſacrum illud carmen caneret; *Montes, & colles cantabant coram Deo laudes*; viſos ſibi ipſos etiam lapides templi, co-lumnasq.& parietes in Dei laudes exilire. Iudæus, tum ex eo loco, vbi ſe oc-cultauerat, hunc Archiepiſcopum tanta veneratione, totq. obortis lacrymis, quanta, & quot ſemper conſueuerat, hoſtiam ſacram effringentem cum vi-diſſet, diuino ſpiritu commotus, accurrens obnixe petiit, illius partem exhi-beri ſibi; a quo, cum, ab Damiano monitus, non deſiſteret, ſacra tandem expiatus vnda baptiſmatis, ſacratiſſimæ Euchariſtiæ hoſtiam ſumpſit. Huius Archiepiſcopatu, bibliotheca Rauennatis Eccleſiæ igni abſumpta eſt. Subro-gatur in eius locum, Felix, anno a partu Virginis ſeptingenteſimo ſecundo; quem; uti ſupra memorauimus; Theophylactius Rauennæ adhibuit. Cum vero Ioanni ſexto Pontifici Max. mortuo, Ioannes ſeptimus ſuffectus eſſet, Huic Paulus Diaconus ſcribit, Aripertum Longobardorum Regem anno DCCVI. religione commotum, Exarchatum Rauennatem, & Alpes Co-ctias, in quibus eſt Genua; quæ multis iam ſæculis ab Eccleſia Romana,cuius iuris erant, & nuper a Rhotari Rege, diſtracta fuerunt, & ablata, reſtituiſſe, ſeu, ut Blondus ait, & reliqui, dono dediſſe: hancq. donationem aureis con-ſcriptam litteris, Romam miſiſſe. Ioanni Septimo ſubrogatur Siſinius Syrus, qui vigeſimo poſt die, ſucceſſorem Conſtantinum, accepit itidem Syrum; Iu-ſtinianus; quem Conſtantinum annales Rauennates vocant; impetu facto, Byzantium, atque ibi Tiberium, ſeptimum iam annum Cæſarem, cepit; de quo una cum Leontio e carcere educto, ſpectantibus omnibus, in foro, ſum-mum, extremumq. ſupplicium ſumpſit. Cumq. nonnihil reſipuiſſet, id vnum egregium, piumq. facinus, magno tamen Rauennatum malo, feciſſe conſtat. Cum enim Felix Rauennatum Archiepiſcopus ab Romano Pontifice inſigni-tus ſacra infula, Romæ, rationeq. ſuæ fidei, & obſequii pro arbitratu, poten-tia Romanorum iudicum nixus, expoſita, & vti moris erat, in Pontificium tabularium relata, Rauennam rediiſſet, ac veterem pecuniæ penſionem dene-garet, quæ more maiorum, ueteriq. inſtituto, & recenti ſuperiorum Archie-piſcoporũ teſtimonio debebatur, atq. ita ſe in ceteris rebus, à Pontifice Max. Rauennati Eccleſiæ præſcriptis, gereret, quaſi nihil ſibi negocii cum illo eſ-ſet, conuocatis ciuibus, efficaci oratione habita, hortatus eſt, uellent anti-quæ nobilitatis ſpiritus retinere, neque libertatem, tantis laboribus partam, adeo facilè ereptam, paterentur ſibi diutius occupari; præſertim quòd Cæ-ſar, quamquam non eſſet opem Rauennatibus aperte laturus; quod neque credi poterat; tamen nec etiam Pontifici Max. eſſet aſſenſurus, aut affuturus, ob tot in illum inimici animi ſignificationes iam exhibitas. Augebant animos Rauennatibus,vetus cum Longobardorum Rege Archiepiſcopi familiaritas, atque vſus, & arctiſſima cum Mediolanenſi Antiſtite, & Aquileienſi conſue-tudo; qui Theodori Archiepiſcopi facinus ægre tuliſſe uiſi fuerant. Itaque Rauennates Felici aſſentiuntur, tributumque Pontifici, & obedientiam ne-gant. Verum Conſtantinus Pont. plurimum Rauennatum inſolentiam, ac

ſuperbiam miſeratus, admiratuſque, cum eos hortatus diu fuiſſet, nec quicquam proficeret, de omnibus certiorem Iuſtinianum fecit; Mox rationem fidei a Felice editam, & à ſe in confeſſione D. Petri poſitam, perquirens, quod certe fuit viſu mirabile, ea atro quaſi incendio afflata reperta eſt. Ceterum cum adhuc fureret Felix, & pertinax in ſententia maneret, Iuſtinianus, Theodoro Patritio, claſſem apud Siciliam agenti, imperat, vt, aucta quàm primū claſſe, Rauennam contendat, detq. operam, vt Felix Archiepiſcopus, Pontifici ſatisfaciat. Archiepiſcopus, & factionis proceres, re cognita, ex omnibus confeſtim Flaminiæ ciuitatibus auxilia euocare, idemq. ex omni Exarchatu, ſubiunctis præſertim ſibi propinquioribus Eccleſiis, in quibus hoc loco Cerulenſis, Comaclenſis, Popilienſis, Cæſenas, Imolenſis, & Fauentina numerantur: curareq. Padi alueum, eo loco, vbi Ferrariam nunc videmus, incidendum, illud flumini alueum ſternentes, quod vulgo ad Turrim foſſæ appellatum, ad hanc diem influit. id autem ob id factum eſt, vt maiore aquæ copia in Paduſam effuſa; in quam Paduſam, tunc Padus eo riuo influebat, ager, qui circa Rauennam eſt, aqua magis compleretur; atque hac ratione; vti Agnellus, referente Blondo, affirmat; Theodoro ad vrbem aditus intercluderetur. Theodorus impiger, in Illyrio aucta claſſe, a Venetis quotquot naues in promptu haberent, accerſit, monetq. vti ad Rauennam in tempore adſint.

ANN. DCCIX.

Poſtquam autem Claſſis in conſpectum ſe dedit, & Rauennates, & ſceleris cō ſcientia, & tanto apparatu exterriti, raptim, & temere omnia agere. Accedente propius Claſſe, ad arma tumultuarie concurrunt, quòd milites, quos ex agris, & finitimis ciuitatibus euocauerant, inermes, ac militiæ rudes eſſent. Theodoriani milites tranquillam tempeſtatem nacti, toto litore deſcēſiones faciunt. Ibi cum Rauennatibus, & nonnullis mercenariis veteranis manus conſertæ; ſed minimo negocio in vrbem, fuſi, fugatiq. repelluntur. Quapropter rei bene gerendæ occaſionem arripiens, cum fugientibus Theodorus Rauennam ingreſſus, ea potitur: & quæſtione habita eorum, qui Felici fauiſſent, nonnullos interficit, alios Romam relegat; pleroſque vna cum Felice in vincula coniectos, direptis omnibus, Byzantium deducit. Iuſtinianus Felicem candentis æris intuitu obcæcat, atque vna cum ceteris Rauennatibus, per Ponti opida relegatos diuiſit. Hanc cladem Rauennatem, vt ſcriptores tradunt, ſi quis non huius ſolum Longobardi belli tempora percenſeat, ſed Gothorum quoq. numeret calamitates, vix ullam reperiat, huic, ab infelicis Antiſtitis temeritate ortæ, conferendam. Quo fit, vt omnino ſit falſum, quod Spretus ſcribit, nulla umquam ui Rauennam fuiſſe captam, cum id ſæpius, magno malo, experta ſit. Quamquam neque grauiſſimi auctores deſunt, qui affirment Theodorum per deditionem Rauenna potitum Tantus ab hac Rauennati calamitate, reliquis ciuitatibus t mor incuſſus, ut Cæſarianasne partes, an Longobardorum ſequerentur, incertæ, ingenti mœrore; & extremis caſibus pene oppreſſæ viderentur; in tanta præſertim Italiæ perturbatione; ſi quidem Aiſprandus, ſuperato auxilio Bauarorum, Aritperto, auitum Longobardorum Regnum fuerat adeptus; breuiq. moriens Luitprandum filium ſucceſſorem reliquit. Conſtantinus Pontifex, cum adeo inſigni calamitate Felicem Archiepiſcopum, Rauennatesq. affectos audiuiſſet, ægre admodum tulit, minimeq. rem probauit, quòd hominem in ſanitatem reſtitui, non tot

cala-

calamitatibus affici voluerit. Iuſtinianus ſub id tempus in locum Theophylati Exarchi mortui, Ioannem Tyzocopum Patricium miſit, qui Rauennam ve niens, Siciliam primo appulit, mox Romam, vbi ad rapinas verſus, quatuor Præſules reſiſtentes, ac contradicentes interfecit; manibusq. ſacro ſanguine cruentatis Rauennam profectus poſt paulo, dum hic etiam duriſſimo Imperio vrbem adminiſtraret, ab Rauennatibus in Cæſarem concitatis trucidatur; anno D CCXII. Quo mortuo Aiſprando Longobardorum Rege, qui Aritperto ſucceſſerat, Luitprandus Papiæ Regnum iniit. Poſtero Rauennam uenit Petrus, a Philippico Imperatore in Italiam miſſus, vt Romanam vrbem Ducis nomine adminiſtraret, diutiusq. ſe in hac vrbe continuit, quàm putarat, quòd eum Romani, ab hæretico, & damnato Imperatore venientem, auerſati, in vrbem haud quaquam recipiendum eſſe conſtituerant. Sed Philippicus ſequenti anno, a Rufo Opſicianorum Præfecto cæcatus, ſucceſſorem habuit Artemium, Anaſtaſium appellatum: qui Scholaſticum Exarchum, Rauennam, quæ poſt Ioannis mortem eo magiſtratu vacauerat, miſit; Scholaſticus Romam ad Conſtantinum Pōtificem profectus, Imperatoris litteras, quas appellant ſacras, oſtendit. Illis Imperator, Catholica ſe, & Exarchum decreta, & ſextum Cōcilium amplecti, enixeq. tutaturum ſignificauit, recepitq. Nam quemadmodum peruetus fuit, & ab Apoſtolicis vſque temporibus ducta conſuetudo, vt apud Pontificem Romanum Eccleſiæ Orientalis Epiſcopi, per Synodicas litteras, fidem profiterentur, eiusq. cauſas cum eadem conferrent, ita ab Imperatoribus deinde, Magiſtratibusq. Chriſtianis, ac Catholicis perpetuò idem ſeruatum eſt: quod & huius Exarchi, & aliorum Cæſarum litteræ declarant: ſicut illud etiam ſignificant, Epiſtola, inter alias, Sophronii Hieroſolymitani Epiſcopi, ad Honorium primum Ro. Pont. Nicephori, & Petri, qui Conſtantinopolitani Antiſtites fuerunt, huius ad Leonem nonū, illius ad tertiū; adhæc Proterii Patriarchæ Alexandrini ad Leonem primum: Cuius Proterii Alexandrina Eccleſia, gloriata aliquando eſt, ſe participem eſſe Eccleſiæ Romanæ fidei, Apoſtolico ore laudatæ, vt ſcribit ad Theophilū D. Hieronymus. In actis quoque Conciliorū adhuc tabulæ leguntur, quibus Iuſtinianus Auguſtus, apud Ioannem II. Pont. Max. per Hypatium Epheſinū, & Demetrium Philippenſem Epiſcopos, legatos ſuos, fidei ſuæ rationem profitetur. Proximo anno, qui fuit DCCXV. Felix Archiepiſcopus, relicta hæreſi, ut Platina teſti eſt, & debito Pontifici obſequio reddito, legitimaq. fidei, ac ſolenni exhibita profeſſione, patriæ, ac ſedi reſtituitur, iis Rauennatis Eccleſiæ Theſauris receptis, quos Iuſtinianus Cæſar. habuerat, Antequam in exilium pulſus eſſet, eleganti ſſimo ſtylo plurima compoſuerat; atq. inter cetera in Danielis ſolutionem, quæ apud Matthæum Euangeliſtam habetur, luculentum commentarium; quem ſacerdotes ſui vix incolumen ſeruauerunt; quod ipſe libros omnes ab ſe ſcriptos, cum ob cæcitatem expolire, & abſoluere non poſſet, antequam diem obiret, igni tradendos iuſſerit. Collegit etiam ad vnum Petri Chryſologi conciones; quod opus magnam partem adhuc extat, cum commentarius, & cetera perierint. Admirabili eloquentia concionari ad populum conſueuerat; tantaq. religione, ac ſanctitate poſt exilium floruit, ut multa ſupra naturam prodigia ex ipſo manarint. exeunte enim illo Byzantii portam; quam ad urbem, gratias Cæſari de reſti-

ANN. DCCXII.

ANN. DCCXV.

tuta

tuta patria acturus, ſe contulerat; cum ſe quidam claudum ſimularet, peteretq. ab eo, opis ſibi aliquid ferri, Cur te, inquit Felix, quod non es, facis? Cur illudis? Surge, & ſeruos Dei irridere ne uelis. Alii a nauibus haud procul præſtolabantur, ut ab eo, quem in egentes munificum, liberalemq. ſciebant, pecuniarum aliquid elicerent. quaproter cõſilio inito, ex ſociis unum in via iacentem conſtituunt, eum affirmantes aduenam, iam mortuum, ſeq. ab eo expectare auxilium, in quo ſepulturæ tradi poſſet. Quamobrem vir ſanctus pallium proiecit, quo veſtiebatur; mox abeunte illo, ſocium iacentem vocantes, ut ſurgeret, exanimem, ac uere mortuum inueniunt. Hæc Cæſar cum reſciuiſſet, Felicem iubet ad ſe e naui accerſiri; ſummaq. ueneratione excepto eo; impetrauit ab homine plurimũ renuente, ut manu in crucis formam ducta, ſibi bene precaretur. Hoc tempore Ioannicus Rauennas claruit, qui ſacros libros, antiphonas, ritusq. omnes diſtinxit, quibus Eccleſia Rauennas in peragendis ſacris vtitur; de quo in annalibus noſtris mira quædam habebantur. Felix Archiepiſcopus Rauennam regreſſus, poſt multas virorum ſanctorum reliquias, in Vrſiana æde pluribus locis, honeſtiſſime poſitas, pateras ex argento dono dedit; & ſupercilii arcum, cui & carmina inſcripſerat, & martyrum complures reliquias incluſerat, extruxit: Arcas pro aris, ex cupreſſo conficiendas curauit, ipſumq. vt appellabant, ſalutatorium, unde Archiepiſcopi, ad ſacra ſolennia inchoanda, coram populo, procedunt, erexit, regiasq. ianuas admirabili opificio carmine exornauit. Eo redeunte, ac fortaſſe iuuante, ac petente, factum illud puto, quod Ioannes etiam Paleonidorus Batauus teſtatur, Theodoſii Cæſaris iuſſu, ſanctum Heliſei prophetæ corpus, Rauennam allatum, & in monachorum cœnobio locatum: cum, vti prodit D. Hieronimus, apud Samariam Paleſtinæ tumulo compoſitum primo fuiſſet, mox Cædreno, & Sigiberto Gemblacenſi teſtibus tempore Leonis primi Cæſaris, Alexandriam in cœnobium Pauli leproſi translatum. Quamquam enim tradit Nicephorus, oſſa Heliſei una cum D. Ioannis baptiſtæ oſſibus, in vrbe Sebaſte, combuſta, cum Iulianus Cæſar apoſtata imperaret, ab iis, qui erant cultui falſorum, nefariorumq. Deorum addicti, tamen hinc exiſtimandum eſt, aliquot incendio, Diuina virtute liberata, vel aliqua ex parte ſuperfuiſſe, quemamodum, cum D. Ioannis baptiſtæ cineres ex vrbe Lyciæ, Myra, Genuenſes, Vrbano II. Pont. Max. ſuam in urbem intulerint, & pars Romæ habeatur in D. Ioannis Lateranen. eiuſdem tamen oſſa aliquot Romæ item, ad S. Crucis in Hieruſalem ſumma religione ſeruantur. Felix Archiepiſcopus, cum Diuinis inſignis muneribus, maximum ſpecimen ſanctitatis præbuiſſet, Tandem VII. kal. Decembr. ex hoc lacrimabili hoſpitio, cæleſtem in patriam profectus eſt, in numerumq. ſanctorum aſcitus, & in D. Apollinaris Claſſenſis, ſepulcro ex marmore, ab ara Diuæ Feliculæ haud procul compoſitus, id nunc Sepulcrum, templum ingredientibus, læua, ſecundum parietem, eodem in templo conſpicitur his inſcriptis litteris. *Hic tumulus clauſum ſeruat corpus domini Felicis ſanctiſſimi, ac terbeatiſſimi Archiepiſcopi.* Præfuit Rauennati Eccleſiæ annos circiter XIIX. Illius mentionem factam puto, in marmoreo ſuggeſtu D. Mariæ maioris, in quo hæc inciſa verba leguntur.

VB-

VB. ÆDO. APOSTOL. FELICISSCISM. ARCHIEPISC. SCE. ECCL. ✱RAV... CIVS. DIAC. SCÆ. ECCL. B. ꝑ. DESERVIENS. HVIVS. BASIL. FF.

Huic Ioannes ſucceſſit hoc nomine Quinctus, eodem fere tempore, quo Luitprandus Longobardorum Rex, donationem Alpium Coctiarum ab Aritperto Eccleſiæ Romanæ factam, confirmauit; & Feroaldus Spoletinorum Dux ad Luitprandum Regem adire ſimulans, Claſſenſe opidum occupauit. Quod cum renunciatum eſſet Luitprando, Feroaldo iuſſit, vt illud reſtitueret, vti Blondus eſt auctor. Quamquam ipſe haud ita multo poſt, cum ciues Rauennates agitari factionibus animaduerteret; nobilitatemque in exilium actam, & eam ciuitatis partem Cæſariano nomini infenſam videret, copiis admotis, vrbis expugnandæ periculum facit; verum ſpe minime, primo illo conatu, ſuccedente, Claſſenſe mox opidum captum, diripit; Rauennatem deinde obſidionem acrius inſtituit. Ceterum huic Luitprandi cœpto, exortum aliunde impedimentum, omnem bene gerendæ rei occaſionem abſtulit. Nam Carolo Martello Pipini filio, Sarracenos per omnem Galliam, ac Hiſpaniam acerrimo bello perſequente, tranſmiſere ex Africa Saracenis auxilia innumerabili pene multitudine, a quibus prouincia Narbonenſis eſt omnis occupata. Cum vero Carolus ſe longe viribus imparem cerneret, in primis ab amico Luitprando opem expoſcit; qui cum lectiſſimo militum robore in Galliam profectus, ad Rauennatem obſidionem perſequendam Ildebrandum nepotem, & Perendeum Vicentinorum Ducem reliquit. Hi poſt Luitprandi diſceſſum, rei bene gerendæ occaſionem nacti, per aliquot nobilium factionem, qui Cæſaris imperium ægre ferebant, vrbe potiuntur, annum a partu Virginis circiter Septuagenteſimum vigeſimum quintum. Paulus Exarchus; quem Ioanni Tyzocopo, Leo ſecundus Cæſar ſubrogauerat; elapſus fuga, ad Venetoſque profectus, magno honore exceptus eſt; quem ſecuti ſunt paulo poſt Gregorii Pontificis internuncii, per litteras, cauſam Exarchi commendantis; quarum litterarum exemplum ex Bernardo Iuſtiniano deſcriptum, hic apponendum putauimus. *Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Vrſo Duci Venetiarum. Quia peccato fauente Rauennatum Ciuitas, quæ multarum caput extat Eccleſiarum, a nefanda gente Longobardorum capta eſt, & filius noſter eximius Dominus Exarchus apud Venetias, vt cognouimus, moratur; debeat nobilitas tua ei adhærere, & cum eo, noſtra vice, pariter decertare, vt ad priſtinum ſtatum ſanctæ Reipubl. in Imperiali ſeruitio Dominorum, filiorumque noſtrorum Leonis, & Conſtantini magnorum Imperatorum ipſa reuocetur Rauennatum ciuitas, zelo, & amore ſanctæ fidei noſtræ. Deus te incolumem cuſtodiat dilectiſsime fili.* His litteris perlectis, Concilium omnium Inſularum de more indictum, vbi primum Pontificis litteræ recitatæ, Exarchus deinde, poteſtate dicendi facta, poſtulauit, vti eorum auxilio Rauennæ reſtitueretur. Veneti, tum quòd in eo fœdere, quod illis erat cum

ANN. DCCXVIII.

ANN. DCCXXV.

Luitprando, cauiſſent, ne quid Luitprandus contra Cæſarem Venetis fœderatum moliretur; tum etiam Pontificia commendatione commoti; tum quòd vicinas Longobardorum vires admodum ſuſpectas haberent, ita tandem decernunt, Paulum ad Forum Cornelii, quaſi a Venetis repudiatum, ſe recipere, atque inde excitis vndique Imperii copiis, apparatuque bellico, & tormentis comparatis, vrbem terra aggredi; Venetos mari non defuturos. Paulus confeſtim ad Forum Cornelii profectus, omnia exequitur. Vrſus Venetæ Reipublicæ Dux paucis in inſtruenda claſſe conſumptis diebus; quæ fuit nauium L X X X. omnis generis; X X. maioribus altioribuſque capitibus: longarum etiam totidem; poſt meridiem ſoluit, leni Boreæ flatu, & molli remigio occaſionem expectans; ſimulata in Orientem profectione, quaſi opem Cæſari aduerſus Saracenos laturus. Ante lucem, ut erat cum Exarcho conſtitutum, ab urbe haud procul aliquantiſper moratur, donec terra Exarchus urbem adoriatur, ipſe eodem tempore a mari aggreſſurus. Ignibus igitur a Claſſe editis, redditiſque, Exarchus urbem a terra quàm maximo impetu, & clamore inuadit. Exciti a ſomno iuuenes Ildebrandus, & Perendeus, ignari quid rerum eſſet, ad portas, muroſque præſidio militum firmandos accurrunt. Vt uero, illuceſcente die, appuliſſe iam ad vrbis mœnia Claſſem, nunciatum eſt, ancipiti periculo diſtracti, cunctari primum quid agerent, ſed cum uiderent antennas iam, & malos maiorum nauium muris incumbere, pontibuſque iniectis, hoſtibus aditum in vrbem parari, & de ſuperiori loco, vrbis propugnatores telis, lapidibuſque propelli, commoti nouo hoc, atque ingenti periculo pro muro pugnam ineunt. Ceterum cum Veneti magno iam numero in vrbē de muris armati deſiliiſſent, vrbe pene iam capta, Paulus ab mare ſuis circumductis accurrit. Vrſus cum delecta iuuenum manu, effracta, quæ ad mare erat, porta, cuneoque facto vrbem ingreditur. Occurunt Longobardi, conſertiſque cominus manibus, atrox vtrinque prœlium committitur. Verum tum quod plerumque plus animi eſt aggredienti, quàm repellenti, præſertim incauto, tum quòd populus Rauennas cum Exarcho ſentiret, victoria ad eum iam non obſcure inclinante, quam primum id poſſe ſe abſque periculo facere intelligunt, arma capiunt Rauennates omnes, & Longobardos adoriuntur. Qui duplici hoſte circumuenti, non difficillime repelluntur; vrbſque ſumma omnium lætitia recepta eſt. Eo prœlio Perendeus Vicetinorum Dux fugiens, in Pineto occubuit; Ildebrandus in Vrſi Ducis poteſtatem venit; Exarcho ſua reſtituta ſedes eſt. Non me fugit Platinam, ac Blondum paulo aliter ſentire; Platinam, ipſum Luitprandum Rauennam diu obſeſſam cepiſſe, ac diripuiſſe, atque inde Ticinum deuectam, una cum aliis compluribus ornamenti ab illo putat equeſtrem illam æneam ſtatuam, quam ſpectatricem ſolis, ac Helitropion a noſtris adhuc appellatam modo ea in vrbe conſpicimus Blondus abſente Rauenna Exarcho, Luitprandum Rauennam circumuallaſſe affirmat, negat cepiſſe. In tanta varietate ſententiarum, Paulo Diacono ſuperiora ſcribenti libentius aſſenſerim, & Bernardo etiam

Iuſti-

Iuſtiniano, qui eandem vetuſtiſſimis Venetæ Bibliothecæ monumentis acceptam refert. Dum hæc ad Rauennam geruntur, Leo Tertius Cæſar, Ariana hæreſi infectus, templa omnia diripiens, Paulum Exarchum iubet, præſtantiora, quæ eſſent omnia ſibi ex Romanis templis ablata, tranſmittat. Quòd ſi Pontifex Max. obſiſteret, eum aut capiat, Byzantiumq. mittat in cuſtodia habendum, aut interficiat. Qui cum his mandatis ab Leone uenerant, coniuratione ab ciuibus Romanis manifeſte deprehenſa, pœnas ſceleris dederunt. Quapropter Romanis hortantibus, Gregorius templorum Romanorum direptionem non impediit ſolum, ſed etiam prohibuit, ne Exarchus vectigalia, tributaque noua aut exigeret, aut imponeret. Quamobrem facile Pontifex in Cæſaris, atque Exarchi acerrimum odium incurrit; eoque breui deducta res eſt, ut nouo iuſſu Cæſaris, Exarchus occulte, & palam, qua poſſet via, Pontificis innocentiſſimi necem moliretur. Sed Romani, & Longobardi Pontificem tutati ſunt. Edixit itaque Leo, rabie immani agitatus, imagines Diuorum omnes tota Italia detrahendas, & antiquandas. Qui non paruiſſet, inimici loco habendum, læſæque maieſtatis reũ futurum. Hanc impietatem, cum monitis Gregorii Pontificis; quem tamen Blondus Stephanum putat; Italiæ ciuitates omnes detrectauiſſent, Rauennates, Exarchatinique milites, perſuadere Pontifici nituntur, uti Byzantio deleto Imperio, alium in Italia Romanorum Cæſarem Auguſtum, Imperatoremque ſublegeret. Renuit Pontifex, tum ne amplius impii Cæſaris animum exulceraret, tum quòd eſſet in ſpe, fore, ut ſententiam aliquando tandem mutaret. Nullibi tamen magis, quam Rauennæ tumultuatum eſt, pleriſque Cæſari, plurimis Pontifici obediendum aſſerentibus. Tandem ad arma cum eſſet uentum, is pugnæ exitus fuit, ut Paulus Exarchus, facinori pœnas, ſua, filiique nece dederit. Ex quo perſpicuum eſt, non omnino vera Bernardinum Corium in Mediolanenſi Hiſtoria ſcripſiſſe, dum affirmat, ab Rauennatibus Paulum Romam miſſum, qui Pontificem interficeret. Subrogatur Paulo in Exarchatu Eutychius Eunuchus, patricius Byzantius, ab Leone Cæſare, & in Italiam mittitur. Cum autem Neapolim perueniſſet, dediſſetque ſe in aliquorum Longobardorum familiaritatem, nihil potius duxit, quam, ut Pontificem Max. interimeret. Quaptopter Pontifex, & ſacris illi interdixit, & pacem cum Luitprando fecit: tametſi is contra fidem paulo ante complures vrbes occupauerat, præſertimque Bononiam, Fauentiam, Forum Liuii, Pompilii, & Cæſenam: nihil tum de illarum vrbium reſtitutione ſibi cogitandum intelligens. Sub id tempus Ioannes Rauennas Archiepiſcopus cœnobio D. Apollinaris in Claſſe, monachorumque Deo ibidem ſeruientium collegio multa donauit; In Rauennati fundum Gammillatiam, vbi glandiferæ Syluæ: In Fauentino, Trigintulam: In Cornelienſi, Pittulum: ſimulque argenti quaterdena pondera: ſic vt dapibus eorum addicantur, qui eius nomini quotannis coluerint diem, quo iuſſu Principis Dei, migrauerit ex hac vita. Huius donationis publicas tabulas in marmore inciſas adhuc legimus in ipſa Claſſenſi æde, eius ſæculi Charactere exaratas, quarum initium ita ſe habet. *In nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti: Imperantibus piiſsimis Dominis noſtri Leone, & Conſtantino a Deo coronatis, Pacificis, Magnis. Imperatoribus*

T 2 *Leo-*

Leone quidem clementiſs. Imp. anno XV. Coſtantino uero a Deo coronato Imp. an. XI. Guuernante Italiam Dn. Eutychio Excell. Patricio,& Exarc. IIII. kal. Feb. Ind. XIIII. Hic titulus monſtrat opus laudauile factum, quod pio conſilio concepit Vene. Præſul Ioannes almus Pontifex iunior in nomine Quinctus. Hæc ibi, atque hinc illud eſt,quod dicebamus Ioãnes illos duos Archiepiſcopos, qui ſibi nullo medio ſucceſſore, ſcribente Agnello, & qui eum ſecuti ſunt, poſterioribus, unum fuiſſe, Quartum hoc nomine: hunc verò Quinctum. Fuit autem annus hic a partu Virginis, Trigeſimus primus ſupra Septingenteſimum.

ANN. DCCXXXI. Quo anno Gregorius ſecundus Pont.Max. moritur, cui ſufficitur Gregorius eo nomine tertius, qui cum in Lateranum pro retinendo cultu ſanctarum imaginum Concilium coegiſſet, ad illud Ioannes Archiepiſcopus Rauennas, & nonaginta tres Epiſcopi anno, qui inſecutus eſt, conuenere: decretoq. de imaginum oppugnatoribus è communitate Eccleſiæ Catholicæ abigendis, com-

ANN. DCCXXXII. muni omnium ſententia facto, ſubſcripſit Ioannes. Ceterum ipſo Gregorio Pontifice etiam decedente, Zacharias Pontifex Max. creatur. Per idem tempus Carolus Martellus ex hominum vita demigrans, duos reliquit filios, Ca-

ANN. DCCXLI. rolum cognomento Magnum, & Pipinum. Sub id ferè tempus, quo Leone Tertio Cæſare mortuo, Conſtantinus Imperator conclamatus eſt. Luitprandus hoc interim ſpacio è Gallia profectus, amiſſa vrbe Rauenna vehementer commotus, ipſaq. nece Perendei, nouo belli conſilio, denuo Rauennam obſedit anno Septingẽteſimo quadrageſimo tertio. Eutychius ibi Exarchus cõmorabatur. Is cum obſidionem, atq. oppugnationẽ acrius in dies inſtitui cõſpice-

ANN. DCCXLIII. ret, iam Rauennate prouincia omni infeſta reddita, una cũ Ioanne Archiepiſcopo, Rauennatibus ciuibus, Pentapoliſq.& Aemiliæ populis cõmunicato cõſilio, quod intelligerent omnes, vires ad reſiſtendum ſuas, longe impares eſſe, per litteras magnoperè a Zacharia Pontifice poſtulant, vt ſubſidio illis aliqua ratione accurreret. Ad Luitprandũ munera, & Legatos Benedictũ Epiſcopũ, Vicedominumq.& Ambroſium primiceriũ, mittit Pontifex: Sed eos Luitprandus, & durius accepit, & Pontificis nomine, vt abſtineret moleſtia, & opidum Cæſenam Rauennatibus reſtitueret, poſtulantes reiecit. Nihil tamen Zacharias tam aſpero negocio territus, vrbe Roma, Stephano Patricio, ac Duci commendata, Rauennam ipſe intendit iter. Illi ad baſilicam D.Chriſtophori, quinquageſimo fere ab Rauenna lapide, cui loco ad Aquilam nomen eſt, Exarchus obuiam proceſſit: Vbi autem Rauennæ appropinquauit, viri, mulieresq. effuſo extra vrbẽ agmine, certatim, lacrymantes occurrere, & ſublatis vocibus inclamarunt, *Venit, Venit paſtor noſter, qui ſuas reliquit oues, & ad nos perditos liberandos occurrit*: quibus lætis acclamationibus in vrbẽ deductus eſt. Rauennam ingreſſus, Stephanum presbyterum, & Ambroſium primicerium ad Regem miſit, vt ſignificarent illi ſuum Rauennam aduentum. Verum ii, in Longobardorum vix fines, Imolam peruenerant, cum deprehendunt impedimenta Zachariæ, ne illuc ſe reciperet, parari: Itaque ſtatim, intempeſta nocte, per litteras ipſum de tota re certiorem faciunt. Sed Pontifex cum tutam ab Longobardorũ armis, atque inſidiis Rauennatem prouinciam optaret, nullos eorum dolos veritus, Diuina fretus clementia, iter, vel magno vitæ periculo, proſequutus eſt: ac die Sabbato, inalbeſcente vix cælo, Rauenna egreſſus, internuncios ſuos, quos audire noluit Rex, maximis æſtatis caloribus ſequebatur, Cũ

ad

ad Padum perueniſſet; ita appoſite infle&itcon ſilia Principum Deus, & rem Chriſtianam optimamente tractanti, nuſquam deeſt; Rex miſit optimates ſuos obuios, qui illum & benignè exciperent, & ad ſe Ticinum adducerent. Quod pro ſacroſancta Pontificis Max. dignitate factum eſt. In illo congreſſu, quod Quarto kal. Iul. fuit, tandem Pontificiis, immodicus alioqui Rex, precibus locum dedit, vrbis Rauennæ fines propagare, duas opidi Cæſenæ partes Rauennatibus reſtiruere pollicitus. Decedentem inde, uſque ad Padum proſequutus, dimiſit, datis ex primoribus ſuis, qui Rauennatium loca redderent, cum tertiam opidi Cæſenæ partem Rex ſibi perinde, ac arcem, munitionemque retinuerit. Verum Zacharia Romam reuerſo, Rauennatibus præpotenti Deo gratias agentibus, & Pontificem optimum Rauẽnatium, ac Pentapolitanorum vindicem conclamantibus, Luitprandus uitam amiſit. Subrogatur in eius locum Ildebrandus nepos; qui item poſt menſes ſex fato functus, ſeu, ut Blondus affirmat, a ſuis dignitate priuatus, ſucceſſorem habuit Rachin, Fori Iulii Ducem, Sub id tempus Ioannes Archiepiſcopus Rauennas vita excedens, in D. Apollinaris Claſſenſis ad ſepulturam datur, Eius tempore ingentem D.Petri ædem, quam a Petro Archiepiſcopo, cognomento Antiſtite, ædificatam, ſupra memorauimus, die Dominico ſacris peractis, terræmotu deiectam tradunt, eodemq. caſu D.Martini ad cælum aureum teſtudinẽ, Rauennæ corruiſſe, & Græcũ quendam; cuius non adſcribitur nomen; multarum nauium comparata claſſe, Rauennæ expugnationem, irrito tamen conatu; tentaſſe, quòd Rauennates illum commiſſo prœlio. VI. kal. Quinctil. ſuperauerint: atq. deinceps eũ diem anniuerſaria memoria celebrem extitiſſe. Exulauiſſe ferunt Ioannem Archiepiſcopum apud Venetos per annũ, Epiphanii d. Scriniarii; quem aliqui Quæſtorem interpretantur; opera reſtitutum. Exilii cauſam non adhibent: exiſtimatur tamen a pleriſque, Paulũ id Exarchũ feciſſe, cum Archiepiſcopus hæreſi non aſſentiret. Huic Sergius ſufficitur, ex omni nobilitate iuuenis, cum non modò ſacris initiatus non eſſet, ſed Euphemiam haberet in matrimonio, mulierem paris nobilitatis: quam tamen cœnobiũ ingreſſam, poſt acceptũ Archiepiſcopatũ, Diaconiſſam conſecrauit: Parua fuit ſtatura, rubra facie, oculis glaucis, forma, ac ſpecie liberali, Rachis Longobardorum Rex, quincto anno Regni, monachus factus, Aiſtulfo fratri Regnũ reliquit: Quod etiam ab Carolo manno efficitur Aiſtulfus propagandi imperii cupidus, Rauẽnam ſtatim animũ, cogitationẽq. conuertit, eamq. effuſis omnibus Lõgobardici Regni viribus inſtituit oppugnare, acriter, admotiſq. tãdẽ caſtris, poſtquam aliquandiu a Rauennatibus ſtrenuè repugnatũ eſt, leui oppugnatione; quod extenuatæ ſuperioribus calamitatibus, ac bellis ciuium vires eſſent; Eutychio Exarcho in Græciam aufugiente, miſeram vrbẽ occupauit, circiter annũ ab ortu Chriſti DCCLII. ibiq. magna iam Flaminiæ parte occupata, Regni caput, ſedemq. conſtituit, dum Stephanus ſecũdus Chriſtianæ Eccleſiæ præeſſet. ANN. DCCLII. Aiſtulfus cũ hibernaret Rauennæ, inſequẽti anno excepit Ioannẽ Silentiariũ, a Cõſtantino Imperatore Byzantio hortatu Põtificis miſſũ, cui, & Põtifex Paulũ fratrẽ ſuum coniunxerat. ANN. DCCLIII. Ii Regẽ Pontificis, & Imperatoris nomine rogarũt, vt quæ ceperat opida, reſtituere, & quibus imminebat, ea nulla ratione vexare, in animũ induceret. Ceterũ Rex, qui ditioni Romanæ inhiabat, & cũ Exarchatũ Rauennatẽ, ipſamq. Exarchatus caput Rauennam teneret, ex an-

tiquo inſtituto, dictabat, ſe tamquam Exarc hum, Romanis quoque impera re æquum eſſe, nihil aliud reſpondit, quàm ſe nuncium ea de re ad Imperatorem miſſurum. Pontifex his oppreſſus difficultatibus, ſacratos omnes viros Romanos, ac populum conuocauit, & ſupplicationes maxima animi demiſſione, omnium ordinum habuit, & ſacratiſſimam, venerabilemq. ſancti Saluatoris noſtri, Chriſti Dei, quam Græcè ἀχειροποίητον, id autem eſt non manufactam vocabant, celeberrimasq. præterea reliquias complures detulit, nudatisq. pedibus, præcedente longo ſacerdotum agmine, ad D. Mariæ maioris proceſſit, impoſitoq. capiti cuiuſque cinere, non abſque multis lacrymis, præpotentem Deum, in cuius ſunt manu animi Regum, ipſaq. Regna, cuius ipſe Vicarium in terris gerebat, adorauit, obſecrauitq. Rempublicam ſuam ne desereret, beneq. ac feliciter euenire vellet, quæ in animo iam conceperat. Igitur poſtquam neque hoſtem acriorem, bellicoſioremq. iam diu Eccleſia habuiſſet, nec rem Romanam tam deſidem iamdiu, fuiſſe, atque imbellem intelligeret, cum in tanta omnium rerum perturbatione ab Cæſare nihil niſi ſpecioſa verba impetraret, ad Pipinum confugit; qui comparato exercitu in Italiam per Alpes deſcendens, ſuperatis Longobardorum impedimentis, quæ obiecerant, Ticinum circumſedit. Primum qui Pipino iter monſtrauerit inſuetum, aſperumq. & pene deuiũ per Alpes, ferunt Leonem fuiſſe Rauennatem Archiepiſcopum, per Martinum Diaconum, earum regionum peritum, qui poſtea ab Leone quintus Rauennati Eccleſiæ præfuit. Verum Leo Archiepiſcopus non præſidebat hoc tempore Rauennatibus, at Sergius; quapropter id Carolo fortaſſe aſcribendum fuerit, non Pipino; aut ſi Pipino, id factum, cum Leo adhuc Archiepiſcopus non eſſet. A pleriſque etiam eſt traditum, paulo ante, Aiſtulphum, cum res ſuas in deterius labi cerneret, Pipinumq. copias comparantem audiret, Romam profectum, D. Petri templo multa dono attuliſſe; Rauennamq. reuerſum, chlamydem ex auro pictam, qua erat indutus, aræ maximæ Vrſianæ ædis impoſuiſſe, templumque Petrianum iam diu; vti memorauimus; terræ motu deiectum reſtituere cœpiſſe, pyramidesq. circa locum iam erexiſſe, & conſtituiſſe columnas, quæ tempore Agnelli Rauennatis hiſtorici adhuc extabant. Verum hæc non abſoluit, quia haud ita diu poſt, Ticini obſedit eum acriter Pipinus. Hinc factum eſt, ut in eam rerum difficultatem Aiſtulphus adductus, facile ſacramento pollicitus ſit, omnia ſe reſtituturum, quæ ab Romanis abſtuliſſet. Quamobrem Pipinus, Varnerio viro admodum præſtanti, qui hanc reſtitutionem procuraret, in Italia relicto, in Galliam rediit. Verum Aiſtulphus, concitus maiore ira, coacto, comparatoque Rauennæ exercitu, incurſionibus in agrum Romanum, miſerabilibuſque deprædationibus factis, Romam tandem obſedit. Sed Pipinus in Italiam iterum per Legatos a Pontifice euocatus, Aiſtulphum Ticini acriter obſeſſum denuo adegit, ut ſecundo militiæ ſacramento polliceretur, quæcumque antea promiſerat integre præſtaturum; in Galliamq. regreſſus

ANN. DCLV. Fulcadum reliquit ædis D. Dionyſii Abbatem, cum exercitus parte, vt promiſſis ſtare Aiſtulphum cogeret. Itaque Fulcadus; vti Petrus Vuillermus Lateranenſis Bibliothecarius memoriæ tradit; cum Legatis Aiſtulphi Rauennam perueniens, acceptis ex ea obſidibus, poſſeſſioneq. recuperata, primarios eius ciues ſecum deducens, claues vrbis Romam detulit, & D. Petri

tri

tri Eccleſiæ,Chriſtiq. Vicariis, Petri ſucceſſoribus, Vrbem perpetuo poſſidendam tradidit;quod & in cæteris tam Pētapolis quam Aemiliæ vrbibus ab Fulcado,& Aiſtulphi Legatis factū eſt. Quam regionem Græca voce Pentapolin appellant,ea Rauennam,Cæſenam,Claſſem,Forum Liuii,& Pompilii continebat,earumq. ciuitatū agros; atq. hæc Pentapolis altera erat Exarchatus pars: alteram Aemiliam vocant, quæ ab Foro Cornelii incipiens ea continet, quæ proficiſcentibus Bononia, Mutina, Regio Lepidi,Parma, Placentia,per uiam Aemiliam uſque ad Padum,ab Apennino conſpiciuntur.Ager pariter Rauennas,qua meridiem,& occidētē reſpicit,ab Apennini iugis, per Fauentini agri partem ad Padum; a meridie uero & Oriente per Cæſenatem,& Ceruienſem ad mare Hadriaticum pertinebat. A ſeptemtrionibus, quicquid intra Mincium,Padumque, & ab Veronenſium, Vicetinorum, Patauinorumque finibus ad Veneta litora extenditur. Vt non minus Cæſena, Fauentia, Cymaclium, ac Ferraria,quàm quæ ſub Pentapoli contineri dictum eſt, in Rauennati eſſent,Rauennæq. ſubiicerentur.In Exarchatu concluditur quicquid Placentino,inter Padum,Apenninum,paludes,ſtagnaq.Venetorum,& mare Hadriaticnm, uſque Ariminum continetur. Quæ ſimiliter vrbs,una cum eo tractu, quod inter Iſaurum,Apenninumq. & Hadriaticum mare includitur, ad Exarchatum eſt adiuncta;ut ex ea, quæ uſque ad ætatem Blondi,in iuriſdictione Exarchi ſeruabatur, conſuetudine intelligi difficillimum non eſt. Vniuerſum igitur Exarchatum Pipinus Eccleſiæ Romanæ dono dedit, uti ēt ſcriptū reliquit Ammonius Monachus, qui res Gallicas memoriæ prodit; cōpluribus aliis vrbibus adiunctis. Non deſunt, qui ſub Pentapoli putent Ariminū, Ceruiam;quæ ueteri nomine Phycocles appellabatur; Piſaurum, Fanū Fortunæ, Humanam,Auximum, Anconam,atque Peruſium contineri; ut ex Byzantio Concilio ſexto ab Agathone Pont.Max.celebrato aduerſus Monothelitas cognoſci poteſt, ſi quis Antiſtitum harū ciuitatum ſubſcriptiones animaduerterit.ſed ex Ludouici Pii Cæſaris tabulis Auguſtalibus, qui comprobat Pipini aui,& Caroli Magni patris reſtitutiones Romanæ Eccleſiæ, colligi facile pōt, in Pentapoli eo tempore contineri Arimin um,Piſaurum,Fanum, Senogalliā, Anconam,Auximum,Humanam,Acſium, Forum Sempronii, Montem Feretrium,Vrbinum,& territorium Balnēſe,Calles,Luceolos,Eugubium,cū omnibus finibus,ac terris ad eaſdem Ciuitates pertinentibus. Exarchatus Rauennas habebat Rauennam,& Aemiliam,& Bobium,Cæſenam,Forumpōpilii,Forum Liuii,Fauentiam,Imolam,Bononiam,Ferrariam,Comaclum,& Adriam, & Gabellum,cū oībus finibus,territoriis,atq. inſulis, in terra,mariq. ad ſupra dictas Ciuitates pertinentibus. Nō eſt tamē ſilētio prætercundū,plures fuiſſe Pentapoles, neq.ſol ū in Italia,ſed & in Lybia,cuius tractus regionis,a quinq. urbibus uocata, Pentapolis etiam Cyrenaica dicitur:hæ autem urbes erant, Berenice, Arſinoe,Ptolemais, Apollonia,& Cyrene.Huius aliquando Pētapolis meminit D.Lucas in Actis Apoſtolorum,& Epiſcopi Pentapolitani in Concilio Nicæno primo interfuerunt, & in Mileuitana item Synodo: huius item Ammianus Marcellinus cum de Cyrene loquitur, ſed omnium diligentiſſime Procopius de ſubſtructionibus Iuſtiniani ſcribit.Neque uerò deſunt, qui Rauennam ipſam vrbem, Pentapolin eſſe tradant: quæ uerò illi urbes in Italia, quiq. Epiſcopi ſubiicerentur,in Pentapoli dicerentur eſſe.Ita Siracuſas in Sicilia,

cilia,Tetrapolim uocatam ſcimus,quòd quattuor partibus conſtaret,ut inquit in Verrem Cicero, perinde ac quattuor maximis urbibus, Inſula, Acradina, Thyce, & Neapoli. ita Strabo Antiochiam uocat Tetrapolim. Eadem ratione,a trium urbium,ac potius partium, numero, in Africa, Tripolim appellatam,grauiſſimi teſtantur auctores.Rauennæ autem quinque partes,eæq.nobiles fuere,Claſſis,Cæſarea,Rauenna,Palatiolum,& Taureſium.Hoc,ad portam Hadrianam vrbis,modò Suburbium eſt,& maximam eius partem,campi & uineæ occupant: Taureſium ad Iuſtiniani Imperatoris, a quo maximis beneficiis,uti memorauimus,ornata Rauenna eſt, memoriam dictum: Nam Taureſii,qui locus eſt,ut inquit Procopius,apud Dardanos Europeos, poſt Epidamnorum fines incolentes;in lucem prodiit:tametſi Agathias ſcribat Bederinem; quē deinde quadrato muro cinxit, & excitata ad angulos turri,inde τετραπυργία,id autē eſt quadriturritum appellauit: quamquam celeberrima paulò poſt ædificata proxima vrbe,Iuſtinianum primā uocauit. Hæc eo mihi probabilior videtur ſententia,quòd nullam reperire aliam cauſam facile eſt, cur illæ vrbes in Pentapoli dicantur,cum nec quinq. ipſæ ſint,nec referantur ad alias quinq. niſi nobiliores fuiſſe quinq. dicamus, quomodo ſtrabo Seleuciam Tetrapolin, a quatuor urbibus maximis appellat, licet plures ibi ſint.Blondus in ea ſententia eſt,vt opinetur a Pipino hæc geſta Gregorii Tertii Pontificatu,quem putat Zachariæ ſuffectum.Alii ſub Zacharia fuiſſe ſcribunt. Quem ferunt Hieronymo Pipini fratre,& Fulrado Abbate, Pipini iuſſu comitantibus ex Gallia reuertentem,Rauennæ in D.Apollinaris Claſſenſis ſacra feciſſe, veſteſq. ſacras, in quibus erat illius nomen inſcriptum,pretioſiſſimas dono dediſſe;eamq. Baſilicam ad monachorum cænobitarum inſtitutionem,ac diſciplinam;cum prius Canonicis ſacerdotibus, communitatem uitæ minime ſeruantibus,eſſet addicta;redegiſſe. Nos Platinam diligentiſſimum ſcriptorem ſecuti,in hac ſumma temporum confuſione, Stephano ſecundo Romano,Zachariæ ſucceſſori,omnia adſcribimus abſoluta;quæ tamen ab Zacharia incœpta fuerint.Dum autē Aiſtulphus quibuſdam ſimulatis excuſationibus Fauētiæ,Caballi,ac Ferrariæ reſtitutionem protraheret, ex attonito morbo deceſſit, quem Græci Ἀποπληξίαν vocant,dum uenatum ſe conferret. alii ictu fulminis exanimatum, pleriq. dū ipſa in venatione eſſet, ferunt ab Apro cōfoſſum,nonnulli ex equo delapsū interiiſſe.Deſiderius Etruriæ Dux,& Longobardi exercitus Imperator, Pōtificis,cui multa promiſerat,& Fulcadi Abbatis opera,a quibus tumultus Rachiſii monachi,Aiſtulphi fratris,qui noua moliri nitebatur pro Regno recuperando,ſedati fuerant,in Regem Aiſtulpho ſuffectus,Fauentiam,Caballum,ac Ferrariam Eccleſiæ Romanæ reſtituit.Per hunc modum tunc primū finē Exarchatus habuit,quo per centum ſeptuaginta quinque annos,uel,ut alii, CLXX. ab Narſete ad id tēporis, quo Aiſtulphus Rauennam occupauit, aures hominum perſonuerant.Non omittendū duximus,quod oēs fere teſtantur,Conſtantinū Quintum Cæſarem,cum Pipinum in Italiam,accitu Pontificis,uenientem accepiſſet,legatos miſiſſe, qui dicerent, quæ occupaturus uenerat,Rauennam,& eius Exarchatum Cæſariani iuris eſſe. Quod idem,perfecto bello,Cæſar per legatos denuo fecit;illis autem reſpondiſſe Pipinum ferunt, Res omnes Italicas in unius Pontificis Maximi Chriſti Vicarii poteſtate conſtitutas, uelleq. ſe Pōtificem in earum poſſeſſionem reſtituere.

HIE-

HIERONYMI · RVBEI
HISTORIARVM
RAVENNATVM
LIBER . QVINCTVS

STEPHANVS Pontifex interea de uita decedens, ſucceſſorem accepit Paulum huius nominis primum, Qui Archiepiſcopo Rauennati, Galiatenſe D. Hilari cœnobium comprobauit, litteris, ut ibi ſcribitur, *Dat. Non. Febr. Imp. Domno Piiſſ. Auguſto Conſtantino a Deo coronato magno Imp. an. XL. & pacis eius anno. XX. Sed & Leone maiore Imp. eius filio anno VII. Indict. XII.* eſt autem annus hic ab orbe redempto ſeptingenteſimus quinquageſimus nonus. ANN. DCCLIX. In iis litteris cum de ſuo Pontificio munere præclara ſcribit, tum hæc uerba ſubiungit. *Igitur dum Diuino nutu ante horum annorum ſanctæ recordationis Dominus, & germanus noſter Beatiſſimus Stephanus, huius Apoſtolicæ ſedis Præſul, ad redimendam Italiæ Prouinciam, ſimulq. & exarchatum Rauennatium de manibus gentium Franciæ properaſſet regionem, contigit eo reuertente, ſuum peragrari iter per monaſterium beati Hilari ſitũ in territorio Populienſe, ceſſante æmulorum ſæuitia, gratiſſimè atque cum maxima honoris humilitate ſuſceptus eſt ab Anscauſo quondam Populienſi Epiſcopo, & Abbate ipſius uenerabilis monaſterij, & eundem beatiſſimum Pontificem.... prædictus quondam Anscauſus Epiſcopus affluenter ipſius itineris ſubſidia illi tribuit: & dum idem beatiſſimus prædeceſſor noſter, huius Apoſtolicæ ſedis Antiſtes, ſuo laborioſo certamine, prouinciam illam, uidelicet Exarchatum Rauennatium a iugo ſeruitutis ditionis gentium, Dei prouidentia redemit, tunc uiciſſitudinem propenſi beneficij eidem Anſcauſo Epiſcopo irrogans, prædictum Monaſterium diebus uitæ ſuæ fruendum illi conceſſit. Vnde & nos huiuſmodi conceſſi præſidij Largitatem, ſub Apoſtolicæ præceptionis pagina confirmauimus, atque iuriſdictioni ſanctæ noſtræ Eccleſiæ ſubmiſimus eum. Nunc uero Diuina uocatione ipſo Anſcauſo de hac migrante luce, agnoſcentes rei ueritatem, prædictum uenerabile monaſterium iuris ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ a diuturnis exiſtere temporibus, ideoque perpendentes contra omnem rationem eſſe, ut ipſe venerabilis locus a ſancta Rauennate Eccleſia abſtrahatur, ea quæ pridem pro eius ſubtractione promulgata ſunt, incongrue, atque irrationabiliter, omnia irrita, & inualida eſſe ſtatuentes ſtatuimus: Vnde per huius noſtræ Apoſtolicæ præceptionis paginam, denuo ipſum venerabile monaſterium Beati Hilari, cum omnibus ei pertinentibus; ſub iuriſdictione Rauennatis Eccleſiæ, atque Reuerendæ fraternita-*

tis tuæ, ſucceſſorumq. tuorum perpetuis atque perennis temporibus ſtatuimus permanendum, & ut tuæ ſucceſſoribusq. tuis placuerit, pereniter ipſe Venerabilis locus diſponatur. Statuentes Apoſtolica cenſura, ſub anathematis interdictione, & Diuini iudicij obteſtatione, nulli cuilibet perſonæ paruæ, uel magnæ, quoquo modo licere eundem Venerabile monaſterium a iuriſdictione ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, atque tuæ fraternæ Reuerentiæ, ſucceſſorumq. tuorum auferre ſed & , ſi quodlibet monimen de eodē monaſterio contrarium Eccleſiæ ueſtræ Rauennatis repertum fuerit, uacuum, & inane eſſe decernimus. Hæc ibi, atque deinde in eandem ſentētiam plura Paulus Pontifex. Ad hunc Sergii Rauennatum Archiepiſcopi nomen ab Epiſcopis ſibi ſubiectis, ſuisq. ſacerdotibus defertur, quod uxorem habens, Eccleſiam temeritate, & audacia occupaſſet. Itaq. Romam Sergius accitu Pontificis proficiſcens, totum ibi Pauli Pontificatum peregit, multis calamitatibus, & ingenti mœrore, inimicorum inuidia, afflictus. Per idem tempus Conſtantinus Cæſar, ſacris imaginibus deletis, ex hominum uita emigrans, in Imperio hæredem reliquit Leonem filium, ſui non diſſimilem. Paulus Pontifex, ut erat uir innocens, & ſimplex, facile improborum artibus adducebatur ad Sergium Archiepiſcopum, e Rauennati Eccleſia deturbandum; iamq. conſtituerat diem, qua iudicio ſiſteret, & ſuam cauſam contra illos tueretur. Sergius, tametſi nobilitate plrimum poſſet, nihil tamen eius niti fauoribus, ſed ad Deum accurrens, ſupplex D. Nicolaum orat, ſibi eius apud Deum precibus dari, ut ueritas eluceret, emergeretque, & in ſedem reſtitueretur, in qua non ambitio eum, & malæ artes, ſed, ad quos ſpectabat, omnium bonorum ſententia, & conſenſus, fauente, ut credebatur, & approbante diuino ſpiritu; collocauerat. Suam tamen uoluntatem ad diuinam libenter adiungere, neque ita cupere eam reſtitutionem, quin æquo animo priuatam uitam denuo eſſet amplexurus. omnino enim ſibi, quod Deus non probaret, placere nihil poſſe. Dum autem hæc animo admodum ſedato, & cupiditatis, ambitionisq. experte, ſecum uoluit, iamq. vnicus tantum conſtituti termini dies ſupereſſet, repente Paulus Pontifex moritur; eiq. ſuccedit Stephanus Tertius anno

ANN. DCCLXIIX a partu Virginis Septingenteſimo ſexageſimo octauo. ſed Deſiderius Longobardus Rex, uti memorauimus, qui Pontificis metuebat potentiam, arripere omnem Italiæ dominatum cupiens, nullo repugnante, Totonem Nepeſinum Ducem hortatur, uti Conſtantinum fratrem omni arte ac ratione eligat ad Pontificatum; quod & factum eſt, quibuſdam largitione corruptis; aliis minis, ac terrore commotis. cogitur & Gregorius Præneſtinus Epiſcopus, Conſtantinum ipſum, nullis ſacris initiatum, ad ſacra deducere, atque Epiſcopum inungere. Verum munere Pontificatus per annum executo, de illo a populo Romano deiicitur, & Stephanus omniū ſuffragiis ſubrogatur; Cōſtantino ſeſe in Lateranenſi baſilica publice magiſtratu, & inſignibus abdicante. Habuit Stephanus confeſtim in eadem Lateranenſi æde Concilium, quo multi Epiſcopi ex Gallia, & reliquis orbis partibus conuenerant; ibiq. Sergius Rauennas Archiepiſcopus omnium ſententia abſoluitur, ac ſedi reſtituitur. Conſtantinus uenire iuſſus, ore duriſſimo ſe in Romanam ſedem reſtituendum, Sergii exemplo, aſſerebat. neque enim in aliquo eius deteriorem cauſam eſſe, quàm Sergii nullis ſacris initiati fuiſſet, & Stephani Neapolitanorum Epiſcopi. Inſignem hanc impudentiam, audaciamq. grauiter indignati, qui

in

in Concilio aderant, quòd intelligerent quorſum Deſiderii Longobardorum Regis conatus dirigeretur, eum turpiter eiiciunt, decernuntque, uti ne quis ad Epiſcopatum adhiberetur, qui ſacris initiatus non eſſet. Dimiſſo Concilio, Sergius Rauennam rediens, Diuo Nicolao Myrenſi Antiſtiti templum, quod Romæ uouerat, in Vineis, unde cognomentum ſortitum eſt, exædificauit. Fertur autem tanta ſanctitate fuiſſe Sergium, ut, cum in Diuæ Mariæ in Coſmodim ad aram D. Nicolai gratias, de reſtitutione in Rauennatem ſedem, demiſſe ageret, multisq. obortis lacrymis inſignem pietatem animi teſtaretur, earum lacrymarum ueſtigia multos deinde annos ingenti miraculo permanſiſſe. Aedificauit etiam in ea parte templi D. Apollinaris Claſſenſis, in qua uiri, dum aderant ſacris commorari conſueuerant, locum, cui Cellæ nomen fuit; multaq. illi ad uſum ſacerdotum, qui rem diuiuam facerent, prædia eſt elargitus. Aliqui de Rauennatibus Archiepiſcopis ſcribentes, aſſerunt huius Sergii Archiepiſcopatus, Stephanum Pon. Max. in Galliam proficiſcentem, Rauennam ueniſſe, atque inde omnem Eccleſiæ Rauennatis gazam, inuitis, & repugnantibus ſacerdotibus, exportaſſe, quòd diceret Sergium ſibi, ut in ſedem reſtitueretur, fuiſſe illam pollicitum. Quo loco mirari ſatis non poſſum, tantam, adeoq. impudicam nonnullorum impudentiam, qui de ſanctiſſimis uiris, Stephanoq. præſertim, qui neque Galliam uidit umquam, talia ſummæ ignorantiæ, ac impietatis pleniſſima comminiſci audeant. Tantum enim abeſt, ut Rauennatis Eccleſiæ theſauros Stephanus diripuerit, ut ab aliquibus oblatos fuerit aſpernatus, & conſtanter refutauerit. Si quidem Sergio Archiepiſcopo Octauo Kal. Septembr. mortuo, & in D. Apollinaris Claſſenſis ad ſepulturam dato, Michael Rauennatis Eccleſiæ Scriniarius, quem aliqui a Secretis interpretantur; alii, quibuſcum ego ſenſerim, Quæſtorem exponunt, nullis ſacris initiatus ſedem occupat; opem Deſiderio Rege, & Mauritio Ariminenſium Duce ferentibus; quos Michael pecunia, & largitione corruperat; pulſo Leone Archidiacono, quem potiſſimum ſacrati uiri omnes expetebant. Auſi quin etiam, miſſis ad Stephanum Pont. Max. legatis, eum pecunia ſubornare, ut Michaelem Archiepiſcopum confirmaret. At Stephanus, non modo reiecit munera, uerum etiam edicto ſanxit, ut Michael, niſi ſedem relinqueret, quam contra ius, fasque occupauerat, ſacris interdiceretur. Tamdiu tamen Rauennatum auxilio eam obtinuit, quamdiu aliquid habuit & prophanum, & ſacrum, quod Deſiderio muncrum cupientiſſimo donaret. Ce terum cum Pontifex Rauennam decreuiſſet legatos ſuos, una cum oratoribus Caroli regis, ob eam rem in Italiam miſſis, admonuiſſentq. ii, quid maxime Pontifex expeteret, ſtatim eiecto Michaele, Leonem deſignant, quem Pontifex confirmauit. At vero cum hac de cauſa a Deſiderio clandeſtinis conſiliis oppugnaretur, rogat Carolum efficere, ut eius admonitu iniuria Deſiderius abſtineat. Fecit id Carolus, & quidem perdiligenter; retinere tamen in officio hominem armis non potuit, quòd mortuo Carolo manno fratre, ſolum multa bella obire neceſſarium erat. Stephanus Pontifex, Archiepiſcopatus dignitate, qua Leonem affecerat, minime contentus, uoluit etiam, uti ipſe, ac Tribuni tres, qui comitiis publicis eligerentur, Rauennæ præeſſent, vniuerſumq. Exarchatum adminiſtrandum ſuſciperet. Quam ob rem inſcribere Leo Archiepiſcopus litteris ſuis conſueuerat;

rat; *Leo ſeruus ſeruorum Dei, diuina gratia ſancta Catholica Eccleſia Rauennatis Archiepiſcopus, & erimas, Italia Exarchus*. Quem eundem inſignem titulum, cum adminiſtratione coniunctum, qui ſecuti ſunt Archiepiſcopi egregie ſuſtinentes, uti memorabimus Magni quoque, & ſanctiſſimi, terq. beatiſſimi appellabantur. Quapropter non fuit mirum, neque difficile ex ipſis aliquos rurſum in Romanam ſedem, priſcæ temeritatis, & arrogantiæ inſaniam excitauiſſe; quod ex Ioanne, & reliquis conſtabit. Ad Stephanum Pontificem reuertor, qui non multo poſt uitam dimittens, ſucceſſorem accepit Hadrianum primum, uirum ſumma vitæ integritate. Cuius viri electione Deſiderius accepta, occupare hominis beneuolentiam ſtatuit. Itaque poſtulat per legatos fœdera inſtaurari, quæ ſibi cum ſuperioribus Pontificibus fuiſſent. Paratum ſe, reſpondit illis Hadrianus, ſi Deſiderius ea, quæ per eadem, quæ inſtaurari optabat, fœdera debebat, Eccleſiæ Romanæ reſtitueret. Deſiderius hac reſponſione concitatus, Exarchatus, & Rauennatum fines ingreſſus, omnia diripit, Fauentia, & Cymaclo ui captis. Quapropter Leo Archiepiſcopus & Tri-
ANN. DCCLXXII buni ab Hadriano opem per Iulianum, Petrum, & Vitalianum tribunos, Legatos, implorant. Hadrianus cum re litteris tentata, nihil profeciſſet, at potius in dies Deſiderius urbes capiens, Rauennæq. imminens, ac Italiam deuaſtans, ad Vrbem propius accederet, tandem tribus Epiſcopis ad Deſiderium miſſis, qui illi iram Dei minitarentur, & Legatis in eandem rem ab Carolo ad Deſiderium impetratis, nonnihil infenſi atque inflammati Regis animum, & impetum remiſit. Sed cum reipſa Pontifici non ſatisfaceret, Carolus comparato exercitu, per inacceſſas rupes, non ſine multorum cæde, transmiſſis Alpibus, docente, ac monſtrante itinere Martino Rauennatis Eccleſiæ Diacono, a Leone Archiepiſcopo, miſſo, Deſiderium, Ticinum reiecit, atque eadem in urbe concluſum, altera tantum, eadéq. prima copiarũ parte obſedit, alteram dimiſit ad alias Longobardi nominis urbes capiendas, atque ipſam præſertim Veronam, ubi Deſiderius liberos, & uxorem, argentum, aurum, veſtem, elegantioremq. ac præſtantiorem ſupellectilem depoſuerat. Romam ipſe ad Pontificem profectus, maximis honoribus exceptus eſt. Ibi aliquot dies moratus, Patricii Romani dignitate impetrata, multiſq. vna cum Hadriano compoſitis rebus, poſt ſextum obſidionis menſem, ad urgendum acrius Ticinum reuertitur. Deſiderius deſperatis rebus, deditionem facit: ob quam Longobardorum Regnum, quod per ducentos iam annos Italiam occupauerat, finẽ habuit. Carolus quod dono Pipinus pater Stephano ſecundo Pon. Max. dederat, potius reſtituerat, idem ipſe, & inter cætera Exarchatum Rauennatem, Rauennamq. ipſam, amplioribus priuilegiis iure iurando confirmauit. Pontifici autem, & Carolo Longobardam gentem non omnino delere uiſum eſt, multis arctiſq. affinitatibus cum Italico ſanguine coniunctam: & Rauennatem exarchatum, Romanã Prouinciam decretum eſt appellari, quam deinde Romaniolam, & modo corrupta uoce Romagnam uocamus. Id autem eſt factum, ut, quibus odioſum nomen Romanum fuerat, iis uicinum, ac familiare efficeretur: atque ut iuſtè repetitæ Prouinciæ, ex ea, Cæſarum Byzantiorum; qui nõ modo ſua ignauia totam Italiam amiſerant, ſed eam iuſta damnatione, quòd impii, atque hæretici, & in Eccleſiam Romanam, & Pontifices Maximos iniurioſi fuiſſent, perdiderant; deleto Imperio & nomine, ueteris dominatus Romani

mani, Pontificiique uocabulum imponeretur. Verum neque hac ſignifi-
catione propenſi erga Rauennates animi, contentus Hadrianus, quoniam
Exarchatus, ipſiuſque præſertim Romagnæ, id eſt Prouinciæ Flaminiæ,
in qua ſita eſt, Principem eſſe Rauennam non ignorabat, Romæ in pratis Fla
miniis, ubi antea fuit Apollinis ædes, Circumque tum Apollinarem ap-
pellabant, uti Liuius tradit, templum excitauit Diui Apollinari; quod me
moriæ prodit Pandulfus Lateranenſis Eccleſiæ Hoſtiarius; id autem nul-
la ratione alia factum, Blondo uidetur, quàm ut celebri in urbe loco, & lo-
ci, & ædis Apollinaris appellatio, a ritu gentium, tractu temporis, in Di-
ui Apollinaris Antiſtitis Rauennatis memoriam uerteretur. Carolus Pipi-
no filio in Italia ad reliquias belli, ſi quæ eſſent, perſequendas relicto, ſe-
cum autem deducto, quaſi ad triumphi ſimulacrum, Longobardo Rege,
in Galliam regreſſus eſt. Ibi in Saxones, Hiſpanos, Vaſconeſque feliciter di
micauit. Moritur interea Leo Rauennatum Archiepiſcopus, Decimo ſex-
to kalen. Mart. In cuius locum ſubrogatur Ioannes huius nominis Sextus, ANN.
cognomento Iunior; qui Vrſiani templi maximam teſtudinem plumbeis la- DCCLX-
minis, ut inſcripta in ipſis uerba declarant, præclaro ſtudio contexit. Diui XVII.
Apollinaris in Claſſe aram maximam ex argento, atq. auro teſtudine pyra-
midis inſtar ornauit, Cruces metallicas ingentes illi dono dedit. Huius tem
pore, Rauennæ uiuebat Ioannes alter, non Archiepiſcopus, in monaſte-
rio Diui Donati in Montetione, extra Diui Laurentii portam, iuxta Van-
dalariam, a templo Diuæ Mariæ ad Blacharras haud procul, qui multa di-
uinitus uaticinabatur. Ioannes Archiepiſcopus ab huius plurimum ſancti-
tate diſtans, uitæ finem impoſuit, minime diſſimilem. Cum enim Deo-
dato cuidam adoleſcenti, nobiliſſimi uiri Petri Tribuni filio, inſidias ob
prædium moliretur, quod eius pater domus Diui Martini in Aqua longa ha
bebat, adeoque acerbo, & immani odio puerum proſequeretur, ut neque
ſacratiſſimæ Euchariſtiæ Hoſtiam ei, uti moris erat, die Diui Apollina-
ris feſto, communicaret, puero in Aureliaco rure, duodecimo ab vrbe la-
pide decedente, eius morte plurimum Ioannes Archiepiſcopus gauiſus
eſt. Dumque ob id tempeſtiuum concelebraret conuiuium, ægrotare tam
difficili morbo cœpit, ac pernicioſo, ut ſeptimo poſt adoleſcentulum die,
ex hac uita deceſſerit, ſeptimo anno Archiepiſcopatus. Sepultus eſt in
Diui Apollinaris Claſſenſis. Huic ſuccedit Gratioſus, cum eſſet Eccle- ANN.
ſiæ Rauennatis Archidiaconus, admirabili uir innocentia, & manſuetu- DCCLX.
dine: pulchro aſpectu, nonnihil caluus, gutture extenſo, grandioribus XXIIII.
oculis, dulci præditus eloquio, & omnibus uirtutum numeris abſolu-
tiſſimus. Sub id tempus Leo Quartus Cæſar in Oriente, ſubito mor-
bo correptus interiit: quo mortuo, Irene uxor, & Conſtantinus filius hoc
nomine ſextus, uel, ut alii, Septimus, Imperium aſſumentes, Conci-
lio CCCL. Epiſcoporum Nicææ ſecundo habito, inſtituere, eos ſa- ANN.
crorum expertes futuros, & de Chriſtiana Republ. exterminandos, qui DCCLX-
ſacras imagines delendas affirmarent: tametſi Conſtantinus haud diſ- XXVII.
ſimilis patris, non multo poſt, decretum, illud ſanctum abrogauerit,
matrique recuſanti, & reprehenderit, ademerit omnem adminiſtratio-

nem Imperii. Cum autem hoc tempore in Italia Aragiſus Dux Beneuentanus noua moliretur, & iam in Pontificis fines infeſtum duxiſſet exercitum, Carolus ab Hadriano Pont. certior factus, in Italiam deſcendit, & ſuperato admirabili felicitate Aragiſo, rebusque optimè compoſitis in Galliam rediens, Rauennam uenit, ubi magnifico apparatu ab Rauennatibus, Gratioſo præſertim Archiepiſcopo excipitur: cuius hominis ſimplicitate delectatus eſt maximè, ſecumque ſæpe quoad Rauennæ fuit, ſeptem autem dies fuiſſe tradunt; pranſus eſt. Ferunt, Rauennates, cum Gratioſi ſimplicitatem noſſent, monuiſſe, ut grauiter tantum Regem alloqueretur, neve quidquam minus dignum, & graue proferret. Quod tamen ab Gratioſo minime eſt ſeruatum: ſi quidem prandenti Carolo, dum illum hortaretur, atque inuitaret uti ex appoſitis deguſtaret, ſæpius repetiiſſe ferunt, Comede patercule mi, comede. Amauit hanc hominis ingenuam, & Chriſtiano non indignam ſimplicitatem mirum in modum Carolus, familiariterq. cum eo uerſatus eſt. Templa, omnemque urbem diligenter non ſine uoluptate luſtrauit, admiratus ueterem ſuperbiam, & Gothica ornamenta. Multa dono dedit Rauennati Eccleſiæ, atque inter cætera litteræ adhuc extant, quibus Oſtiarios multis bonis, ac priuilegiis donat, ſanctitate uetuſtiſſimi templi Diui Petri in Eremitario ductus, quod in Armentario appellant. Id nunc templum in cliuo ſitum eſt, frontatis lapidibus extructum, ferè penitus collapſum, ruderibusque repletum. Cum autem ibi multa marmorum ueſtigia, pontiumque, & intercolumniorum ſub aquis conſpiciantur, facile nos monent, diuturni, ac pænè immemorabilis æui ſubmerſam illic regionem populoſiſſimam extitiſſe, quo tempore florebat uetus Hadria Tuſcorum, uti Polybius ſcribit, colonia, quæ ſupero mari, de ſuo, nomen impoſuit. Earum autem literarum quarum multa habentur in Vrſiano Tabulario, exemplaria, hæc eſt ſeries. *Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum. Illa nobis tribui docet lubenti animo Eccleſia, quæ congrua, & utilia noſtræ Reipubl. . . . . Vnde cuſtodes ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ tanta erga nos uidentur exhibuiſſe obſequia, ut congrua, ac perpetua ſibi impartiamur ſuffragia. Quæ de re Sancti Apoſtoli Petri baſilicam in Eremitario fundatam ſanctiſsimè cum omnibus ſibi pertinentibus, illis concedimus, ac perpetualiter confirmamus, id eſt cum omnibus oblationibus, quas ibi obtulerint Chriſtiani, & cum omnibus integritatibus ſuis, quæ de iure eius uidentur exiſtere. Terris uerò, & ſyluis, & paludibus, piſcationibus, uenationibus, aucupationibus, foſsis, omnibusque quomodolibet pertinentibus inter affines eius, ab uno latere Patareno, & ab alio latere Trentum, ſeu a tertio latere Fenaria, ſeu foſſa quæ uocatur Putratica, atque a quarto latere Vidiole. Ad habendum, tenendum, poſsidendum, ordinandum, reſtaurandum, & diſponendum, & ſacerdotes ibi conſtituendum, a quibus Deo noſtro, & ſuo Clauigero Petro obſequia Diuina perſoluantur: & cum media piſcaria Guarionis uſque ad mare, & vſque ad ceſſum Geruoſa. Et ut diligentiſſimam ſanctæ Eccleſia diurnam, & nocturnam exhibeant curam, prædictis latandis concedimus talem fauorem, ut ab omnibus Epiſcopis Eccleſiarum, qua-*

rum

rum dona, vel conſecrationis Sancta Rauennatis Eccleſia largita, largiturave ſunt, honorificè ſuſcipiantur. Ad hoc ſubijci volumus non ſolum Epiſcopatus, verum etiam cuncta monaſteria, & plebes, Ariminenſem, Penſaurienſem, Faneſtrem, Senogallienſem, Augubij, Humana, Callis, Foroſim, fronij, Monteferetranam, ſarſena, Bobij, Caſenatenſem, Foropopilij, Foroliuij, Fauentia, Forocornelij, Bononia, Mutina, Parma, Regij, Placentia, Vicohabentia, Gaualenſem, Hadrienſem, Comaclenſem, & Ficoclenſem, ut ſi in poſterum aliquis ex prædicta Eccleſia cuſtos per totidem nominatos Epiſcopatus tranſitum habuerit, a Rectoribus Eccleſia .... ſuſcepti honore decernimus. Si quis; quod non credimus; contra hoc noſtrum priuilegium agere præſumpſerit, uel de prædictis aliqua pecuniarum datione aliquo modo ſibi retinenda putauerit, ſciat ſe carere impetra.... & centum librarum auri pœnam daturum: medietatem noſtro ſacro ærario, reliquam eiſdem cuſtodibus retinendam. Hac uerò condicione, ut numquam liceat nobis, uel ſucceſſoribus ueſtris prædictis cuſtodibus, rem prædicta Eccleſia a me conſtitutam, alicui magno uel paruo uendere, aut alienare, uel ſubtrahere per ullum modum, aut ingenium. Et qui contra hoc facere præſumpſerit, tercentorum decem & octo ſanctorum patrum anathematis iaculo.... & Eccleſiaſtica auctoritate, noſtra ab Eccleſia.... ſicut Ethnicus, & publicanus exiſtat. Obſeruator qui extiterit Domini benedictione redundetur. Vt uerum credatur, noſtram formam ſcriptam ineſſe præcipimus. Dat. per manum Boni Archicancellarij anno... patriciatus Caroli. Hæc libuit deſeribere ex uetuſtiſſima Rauennatis Eccleſiæ bibliotheca, ex quibus etiam Ciuitates Exarchatui, & Prouinciæ Rauennati ſubiectæ patent. Poſtero anno Gratioſus Archiepiſcopus cum multa Rauennatibus ſuis Diuino numine uaticinatus eſſet, quæ omnia ueriſſima euentus iudicauit, cum præſertim in cælo prodigia ſanè horrenda, equi cum inſeſſoribus acie inter ſe dimicantes, eſſent uiſi, a Deo ad cæleſtis uitæ præmia uocatus, Sept. Kal. Mart. diem obiit. Sepultus eſt in D. Apollinaris Claſſenſis, cum annum quartum Eccleſiam Rauennatem adminiſtraret. Sepulchrum illius in eodem templo dextra, nunc uiſitur, tēplū ingredientibus in quo hæ ſunt inciſæ literæ. *Hic tumulus clauſum ſeruat corpus Domni Gratioſi, ſanctiſsimi, ac ter beatiſsimi Archiepiſcopi.* Ioannes ſuccedit huius nominis ſeptimus. Cuius tempore Hludouicus, & Pipinus Caroli Magni filii, anno DCCXCIII. Rauennæ fuerunt, & Domini ibidem Natalitia celebrarunt. Venerat e Gallia Hludouicus, a patre ad compeſcendos tumultus, qui in Beneuentana ditione excitati, eam maximè Italiæ partem turbabant, & ceteræ imminebant, cum exercitu florentiſſimo miſſus: coniunctiſque cum Pipino fratre copiis, res feliciter ſucceſſit. Moritur autem paucis poſt annis Romæ Hadrianus Pontifex, cui Leo tertius ſubrogatur, nequaquam moribus Hadriano diſpar. Qui cum labentem ſacerdotum, & populi Religionem, ac mores reſtituere niteretur, multorum ſibi inuidiam conflauit. Quamobrem coniurauere ex ſacratis uiris aliquot ferociores, & confictis criminibus in inuidiam uocare ſanctum Pontificem apud populum Romanum ſtudent. Sed cum magna auctoritate Leo apud plebem polleret, ipſi, ui agendum rati, Leonem innumeris primo affectum iniuriis cæſum, & obcœcatum, in carcerem contrudunt. Quod Byzantii laudabiliter Irene Auguſta iiſdem ferme diebus in Conſtantinum filium fecit: nam prudens fœmina, flagitia filii non amplius ſibi feren-

ANN. DCCLXXVIII.

ANN. DCCXCIII

ANN. DCCXCV.

da exiſtimans, conſulentibus, ac penè impellentibus quibuſdam ciuibus, Byzantium, vnde eam filius eiecerat, reuertitur, & Conſtantinum ſuo iuſſu obcæcatum in carcerem coniicit: ubi & merito, ac iure, tamquam ſacrilegus atque impius, vitæ finem conſtituit. Leo Pontifex è carcere, Diuino penè miraculo, exiens, ad Carolum in Galliam, opem poſtulaturus contendit, cum eſſet ei uiſus quoque Dei beneficio reſtitutus. Pollicitus eſt ſummam opem Carolus, & Pontificem bono eſſe animo iuſſum, cum legatis, qui honoris cauſa proſequerentur, in Italiam remiſit: Paulo poſt compoſitis tranſalpinis rebus, eo ipſe quoque per Noricos profectus, Rauennam primo venit, ac dies ſeptem hac in urbe, in apparatu Beneuentani belli explicando. & Romanis rebus conſtituendis, commoratus eſt, Plerique ſcribunt, Rauennates de ſuæ Eccleſiæ principatu, contentionem cum Romana ad Carolum detuliſſe, quòd ægrè admodum tulerint, Exarchatum, qui olim ab Rauennatibus Magiſtratibus, & proximè ab Archiepiſcopo adminiſtrabatur, Romanis Pontificibus datum. Cæterum Carolus, reiecta in aliud tempus diſceptatione, Romam profectus eſt, ubi cum in ſpem Imperii ueniſſet, Leone Pontifice id pollicente, tulit aduerſus Rauennates ſententiam, hac ratione, ut eius Eccleſiæ primarii ſacerdotes, Cardinales, quemadmodum, & Romanæ dicerentur, & eſſent. Tamen mortuo Pontifice Maximo, Romani, Comitiis habitis, deligerent nouum Pontificem: Quod ſi intra quadraginta dies non facerent, ius creandi Romani Pontificis, in Rauennates tranſiret. Sed qui hæc ſcribunt, neſciunt fortaſſe, unde nomen Cardinalium in Eccleſiam Rauennatem influxerit. Putamus enim communi quadam, ac ueteri appellatione primarios omnes ſacerdotes nobiliorum Eccleſiarum, Cardinales uocatos, ſi Gregorio credimus, apud Gratianum, Ioanni Epiſcopo Squillitano ſcribenti, atque ipſum Squillitanæ Eccleſiæ Cardinalem ſacerdotem uocanti. Quod idem Fortunato Epiſcopo Neapolitano ſcribens facit: appellat enim Gratianum, Eccleſiæ Venafranæ Diaconum Cardinalem: Epiſcopum quoque Anxuris, quam Terracinam dicimus, Cardinalem ſacerdotem ab Tarracinenſibus electum uocat. Quod & Gelaſius Pontifex Max. facit. Et ſcimus Tricollim a ſuperioribus Archiepiſcopis Rauennæ ædificatam, in qua triplex Canonicorum ordo, & Cardinalium præſertim habitaret: legimuſq. Gregorium Pont. Max. eundem Cardinalium ordinem publicis litteris ad Marinianum Archiepiſcopum datis, confirmauiſſe. Hoc tamen inter Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & cæterarum Eccleſiarum intereſt, quod Romani, Apoſtolici Senatus, quem elegit Chriſtus, legitimi ſucceſſores, auxilium Pontificatui Maximo ad totius Eccleſiæ curam, omniumque Eccleſiarum ſolicitudinem adiuncti ſunt. Cæteri uero in partem ſolicitudinis uocati, eam tantum Eccleſiam, cui præſunt, non rem Chriſtianam uniuerſalem adminiſtrant, uti grauiſſimus, idemque ſanctiſſimus Auctor Vigilius Pontifex Max. explicat doctiſſimè Epiſtola ad Eutherium. Adde, Romanos Cardinales perinde, ac Senatores, Conſuleſq. ac Patricios vrbis cenſeri; quibus dignitatibus nulla, ſecũdum Imperium, habetur maiori; cæteros nõ itẽ, quod appoſitè docuit Gelaſius Pont. Max. atq. etiam Leo Nonus in Epiſtola prima, ac potius libello aduerſus inauditas Michaelis Cõſtãtinopolitani, & Leonis Acridani Epiſcoporũ temeritates: quod & in collectionibus

ANN. DCCC.

Anſelmi,

Anſelmi,& Deuſdedit patet. Quod uerò attinet ad Romanum, eundemq; ſummum,ac Maximum Pontificem eligendum, ſatis conſtat, id muneris,ſolis Eccleſiæ Romanæ Cardinalibus; neque uerò vno aut altero ſæculo,ſed perpetuo curſu; datum. Quamquam enim aliquando, clerus primum omnis, Senatusque,& populus Romanus, mox aliquot orbis Imperatores, intereſſēdum eligeretur Pontifex Max. uiſi ſunt, non id tamen neceſſario, ſed ad ſeditiones reſtinguendas, & compeſcendos tumultus, ipſorummet Pontificum, & Cardinalium conceſſu. Id fuit in Anthero Pont. Max. ſatis perſpicuum: Qui Diuo Pontiano ſummo Pont. demortuo in Sardinia, quo fuerat in exilium actus, eo tempore, cum maximè omnium, res agi cum clero omni, populoque Romano uidebatur, Schiſmataque ob id in Comitiis Pontificiis aderant, in ea tamen inſula Sardinia, Pontifex Max. renunciatus eſt. Populum ibi, clerumque minorem Romanum,ſatis patere poteſt tunc non adfuiſſe,neque conſenſum eius, cum vnum tantum diem ſancta ſedes vacaſſet, expectatum; cæterum ab iis factum Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus;quamquam hoc tum forte nomine nequaquam appellatis: qui ferè omnes eo comitati D. Pontianum fuerant. Quod poteſt uel ex eo cognoſci, cum legamus, una ſecum Hippolytum, & Philippum Cardinales Romanos illuc relegatos, videamuſque adfuiſſe ibidem D. Antherum, qui in Pontificatum ſucceſſit, & omnino ſit neceſſe, non abfuiſſe eos, qui elegerint, quique ſuffragia tulerint. Idem in D. Fabiano, qui fuit Pont. Max. poſt D. Antherum, ex Euſebii Cæſarienſis Hiſtoria noſcere poſſumus. Huc accedit, quod grauiſſimus Auctor Petrus Damiani, cum eſſet ciuis Rauennas, & ad inſignem rerum Diuinarum ſcientiam, magnam omnis antiquitatis, quod eius declarant conciones, cognitionem adiunxiſſet, & longe minus abeſſet, ab his temporibus, quàm ii absunt, qui iſta ſcripſere, nullam huius rei mentionem non modò facit, ſed ita ſcribit. *Romani Cardinales Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam alijs prærogatiuis, non modo quorumlibet Epiſcoporum, ſed etiam Patriarcharum atque Primatum iura tranſcendunt: ſaluo quippe vniuerſalis Eccl ſiæ ſacramento, iſti ſunt oculi vnius lapidis, ipſi lucerna vnius candelabri.* Hæc ille. Ad Carolum igitur redeo, qui Romam profectus, ſummo omnium, & Leonis præſertim Pontificis ſtudio ſuſceptus eſt. Ibi aliquot dies moratus, compoſitis omnibus, quæ contra Leonem facere uidebantur, ab eodem Pontifice, gratiam referente, in D. Petri, inter ſacra ſolemnia, rite, ſummaque totius populi Romani hilaritate, ac frequentia, præſente Pipino filio, omnibuſque Gallici Regni proceribus, celebrata, nocte, quæ ob Chriſti Dei ortum anniuerſaria uiciſſitudine celeberrima habetur, ſceptro dato, coronam Imperii ingenicu-latus accepit, & confeſtim Romanus Imperator, ac Cæſar Auguſtus appellatus eſt, anno a partu Virginis primo ſupra octingenteſimum. Pipinus etiam filius, Italiæ Rex, excepta tamen Italica ditione Pontificis, eadem nocte declaratus: nam Carolus, aſſentiente Pontifice, diuiſit cum Byzantiis Cæſaribus Imperiū:quo in fœdere de Italia ita cautum eſt,vt Græcis a Neapoli,& Sypon to cum Sicilia cederet:reliqua Italia,præter Pontificis ditionem,Cæſarum Occidentalium iuris cenſeretur. ita & Tranſmarini Cæſares,Italiæ, quam totam ſua ignauia iam pridem amiſerant, partem non paruam,alieno beneficio, recepere: Quod Irene ratum habuit, & poſt eam Nicephorus Cæſar Byzantius. ANN. DCCCI.

Carolus in Galliam rediens, Rauennam uenit, & cum inſignem Baſilicam AquisGrani; qui locus eſt inter Moſam & Rhenum amœnitate iucundiſſi- mus, ædificaret, multa marmora, columnas Rauenna deduci ad eam ornandam; uti auctor eſt Sigibertus, atque in ſpeculo Vincentius; curauit, quod & Agnellus confirmat: ipſamque inter cætera equeſtrem ſtatuam, Regem, ſeu ſpectatricem ſolis, & Regiſolem vulgo uocatam: quam tamen Ticini reliquit, Saxonum defectionibus, aliiſque motibus bellorum ad maxima itinera compulſus: quamquam id aliqui Luitprando Longobardorum Regi acceptum ferant. Hoc tempore Paulus Trauerſarius, Theodori; uti Franchinus, & Ferrettus ſcribunt, filius, multo, quàm eſſet antea, nauigabiliorem foſſam Paduſam fecit, quæ a Pado, Rauennam uſque ad Hadrianam portam pertinet, & nauigari, niſi minoribus nauigiis, non poterat, a Plinio Meſſanium, uti ſcripſimus, uocatam. Cymaclum etiam cœpit: quamquam, ut ex uetuſtiſſimis conſtat Vrſianæ Bibliothecæ monumentis, Rauennatum iuriſdictio ad omnes illas ciuitates permanabat. Aedificauit quoque opidum, cui Caſtellatio nomen fuit ab Narſete, qui Gothos ibi ſuperauit, ſolo æquatum. Huius in agro Rauennati veſtigia adhuc pleraque apparent, templum præſertim, quod Diuæ Mariæ Trauerſariæ, iuxta Foroliuienſem agrum, ad Diui Nicolai haud procul, uocamus. Hic Paulus omne ferè deleuit Anaſtaſiorum familiam Rauennatum potentiſſimam, ac nobiliſſimam, unde nomen inditum eſt portæ Anaſtaſiæ, quæ nunc clauſa, & Iulia appellatur, quod Iulius ſecundus Pontifex Maximus, aperiri clauſam iuſſerit. Paucis poſt annis Leo Pontifex Rauennam venit, qui Roma profectus, ut Mantuæ eorum miraculorum ueritatem præſens cognoſceret, quæ a ſanguine edebantur, ex Imagine Chriſti Dei Cruci ſuffixi in Syria effuſo, is enim paulo ante Mantuam delatus fuerat; in Galliam Remos ſe contulerat ad Carolum, qui honeſtiſſima pompa acceptum, pari honore multis, ingentibuſque muneribus, dimiſit, comitibus etiam additis, qui illum Rauennam uſque comitarentur. Interea Pipinus Italiæ Rex ad Rauennam, quam ob loci opportunitatem, Pontifice Max. permittente, & concedente, Regni ſui ſedem, ac domicilium fecerat; cum populi frequentia, tum opibus augendum, uires omnes intendit, ut auctor etiam eſt Bernardus Iuſtinianus: Nicephoroque Byzantio Cæſari Hadriatici maris nauigationem, & Dalmatiæ oram maxime portuoſam inuidens, illius occupandæ deſiderio flagrabat. Quamobrem ſollicitans aſſidue Venetos, ut fœdus ſecum aduerſus Nicephorum inirent, nihil tamen impetrauit. Fecit nihilominus, ut commoto ob id Nicephoro, duplex miſſa fuerit Claſſis, quarum altera in Tyrrhenum mare delata, Populoniamque deprædata, ac cæteris eius oræ uexatis urbibus, mala cōplura intulit: altera in Hadriatico exagitauit oram omnem Italicam, quæ Pipino ſubiiciebatur, ipſumque Cymaclum, uetuſtiſſimam urbem; uti ſupra memorauimus, ferro, atque igni demolita eſt. Sunt tamē qui ſcribant, diu ibidem inter Claſſem Rauennatem, & Byzantiam adeo acriter, atque ita æquo marte pugnatum, ut magna utrinque accepta clade, illa Rauennam, hæc Venetias, nulla relata uictoria, ſe receperint. Pipinus ea, qua potuit celeritate, Claſſem Rauennæ inſtruit, Venetoſq. adortus, Brondolum, Foſſam Clodiam, Paleſtinam, Alliolam capit, efficitq. ut Veneti, rebus ſuis conſulentes, ex Metamauco in Riualtum, cum vxoribus, liberis, uniuer-

ANN. DCCCV.

ſa

ſa ſupellectili, ſacrisq. omnibus, & prophanis, ad habitandum ſe receperint, anno a partu Virginis nono, ſeu vt aliis placet ſeptimo ſupra octingenteſimũ: iisdem ferè diebus, quibus Ioannes Archiepiſcopus Rauennatum mortuus, ſucceſſorem accepit Valerium: qui nactus Pipinum religioni Chriſtianæ addictiſſimum, Diuinum cultum plurimum inſtaurauit, templaq. ornauit, ut monumenta teſtantur in D. Apollinaris Claſſenſis, præſertim ad gradus marmoreos aræ maximæ: & ara D. Eleocadio Archiepiſcopo ad ſiniſtram, iuxta ſacram turrim, dicata, Petro ſacerdote rem potiſſimum iuuante. Demoliendas etiã curauit baſilicas Diuorum Georgii, & Euſebii, Arrianorum ætate, uti ſcripſimus, Exædificatas, extra D. Victoris portam. Ex iis autem omnibus euerſis templis, egregias ædes, Agnello teſte, extruxit, cognomento Valerianas. Pipinus interea commiſſo cum Venetis prœlio apud Riualtum, cum Gallicæ naues uada, ac deceſſum æſtus excipere non poſſent, ob vſus inſcitiam, Venetæ autem pro loci natura eſſent accommodatæ, maximo Rauennatis nobilitatis damno, ingentiq. clade, ſic ſuperatur, vt deinceps loco illi, cognomentum Orfani: quod Orbum latine exprimit; adſcriptum fuerit. Pipinus in Iſtriam deuectus aduentante Nicephoriana Claſſe, euerſis omnibus Venetorum opidis, quæ occupauerat, Rauennam reuertitur, lacrymarum, & luctus, ob ciuium ſuorum necem pleniſſimam. Vbi Archiepiſcopus Valerius abacum ex argento, Platani ſpecie; multaque alia argentea vaſa, cum Rauennati Eccleſiæ dono dediſſet, moritur, & in Claſſenſi D. Apollinaris æde ſepulturæ traditur Idibus Mart. Succeſſit illi Martinus, proceritate corporis, capitisq. magnitudine, & valido, firmoq. temperamento conſpicuus: is, qui cum Archidiaconus eſſet, iter per Alpes Carolo in Italiam, vti diximus, deſcendenti, monſtrauerat: Marinum aliqui appellant: cuius Archiepiſcopatus initio, Pipinus pace cum Nicephoro, & Venetis facta, tertiodecimo anno Regni, Mediolani diem obiit. Carolus etiam pater ſenio grauis, Hludouico filio natu minore Aquitaniæ Rege, ac Imperii ſucceſſore, Bernardo verò nepote, Italiæ Rege declaratis, dum Aquis Grani eſſet, dolore lateris interiit, anno ætatis ſecundo, & Septuageſimo, Quincto kalen. Febr. ab ortu Chriſti quinctodecimo ſupra Octingenteſimum. Eius cadauer honorificentiſſimè in æde Diuæ Mariæ Virginis, quam ipſe extruendam, & ornamẽtis Roma, Rauennaq. adductis decorandam iuſſerat, ſepultus eſt. Menſæ illi erant argenteæ tres, in quarum una urbis Byzantiorum imago uiſebatur: hanc Eccleſiæ Romanæ teſtamento reliquit. In alia Romæ, quam Rauennati eodem iure tribuendam iuſſit. Tertiam reliquit filiis, in qua erat orbis terrarum deſcriptus. Hludouicus filius legata patris exequens, menſam argenteam ad Martinum Archiepiſcopum miſit, urnamq. ſacram adiunxit, poſtulans, ut patris manibus parentaret. Fuit Carolus ſumma, & numquam intermoritura virtute Princeps, multisq. ædificatis auguſtiſſimis templis, & nationibus ad Chriſtianam religionem conuerſis, aliisq. ſummo pietatis ſtudio præclarè geſtis, Magni cognomentum iure adeptus. Hunc retulit in ſanctorum numerũ Paſchalis. II. Pon. Max. Leo ſub id tempus cum D. Pauli tectum, quod terræ motu, quo Italia etiam quaſſata omnis eſt, corruerat, Romæ inſtauraſſet, Chryſaphium ſibi a cubiculo, uirum egregium, cum præſtantibus artificibus Rauennam miſit, qui item D. Apollinaris Claſſenſis templum, trabibus, & laquea-

ANN. DCCCIX.

ANN. DCCCXII.

ANN. DCCCXIII.

ANN. DCCCXV.

laquearibus abiegnis ad tectum confirmaret: quod opus uix eſt abſolutum,
ANN. DCCCXVI cum Leo, primo, ac vigeſimo Pontificatus a nno moritur. Cui ſubrogatur Stephanus Quartus, qui ad Hludouicum Cæſarem in Galliam proficiſcens, Rauennam diuertit, ibiq. in Vrſiana æde ſacra ſolemnia celebrauit: ferturq. Chriſti Dei calceamenta, quibus Sandaliis nomen eſt, Rauennatibus oſtendiſſe. Hoc tempore Vrbis Rauennæ dignitas minui cœpta: quia cum Romani Pontifices, poſt translatum in Occidentem Imperium, exactosque ex omni Italia Longobardos, multum opibus, ac potentia aucti eſſent, uti ſupra demonſtrauimus, nulli iam amplius Italici, aut externi nominis Principes, ut antea, Rauennam in delitiis habuere. Galli paucos per annos, permittente Pontifice tenuere Imperium: Germani verò Othones, Henrici, Friderici, ſi per Tauri nos ſaltus ingrederentur, diuertere Mediolanum ſoliti: Cum interea Romani quoque Pontifices, ingratum non haberent, minui Rauennatis ſedis auctoritatem; quæ ſæpius; ita vti docuimus; cum Romana, de dignitate contenderat: intereaq. creſcens Venetiarum ciuitas, ad ſe rem nauticam ferè omnem & mercaturam, nauigationemq. traduxiſſet: præſertim quòd ad tranſuehenda Orientis aromata in Pannonias, Germaniamve, commodiori eſſet ſitu poſita, quàm Rauenna. Itaque paulatim deſeri, & minus frequentari cœpit. Martinus Archiepiſcopus moritur Quarto Idus Nouembr. Cui Petronax ſufficitur, ſub id tempus, quo Paſchalis Pont. Max. Stephano Quarto ſucceſſerat.
ANN. DCCCXVII. Vt autem a Hludouico Cæſare, Paſchalis, pactum, quod cum deceſſoribus ſuis a patre, auoq. eius factum fuerat, ſibi confirmari impetrauerat, ita Petronaci Archiepiſcopo, quæ à ſuperioribus fuerant Principibus probata, confirmauit. Tabulæ eius confirmationis hæ ſunt. *Paſchalis Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Reu. ſanctiſſimo fratri Petronacto Archiepiſcopo. S. Rauen. Eccleſiæ, & per*
ANN. DCCCXIX *te in eadem Eccleſia in perpetuum. Cum piæ deſiderij voluntates, & laudandæ deuotionis intentio, Apoſtolicis ſit ſemper ſtudijs adiuuanda, curæ eſt ſollicitudinis adhibendæ, ut ea quæ legaliter geruntur, & æquitati perſonæ conueniunt, nulla valeat refragatione perturbari, ſed inrefragabile iure de eo ...... as permanere, & ob hoc Apoſtolicis promulgatis ſanctionibus propria quæ rationis ... ſuppetunt, fas exigit poſſidenda confirmari. Legitur quoniam quidem fraterna ſanctitas tua direxit nobis per Sergium religioſum Diaconem ſanctæ tuæ Rauennatis Eccleſiæ .... eundem Adriani quondam Papæ, prædeceſſoris noſtri, in quo confirmabit priuilegia Leonis, quòd Imp. facta ... Epiphanio, quòd religioſo notario, & Scriniario, & Apocriſario Rauennatis Eccleſiæ, qui diſertus ab bo. memoria Damiano Archiepiſcopo ...... tus confirmata ſacra eſſent præcedentes formulas ab pio Leone Imp. tam diuæ memoriæ priſci Iuſtiniani, quaque ceteris pijſſimis Imperatoribus priuilegia ſanctæ ueſtræ Eccleſiæ prælargita, ... quibus, & alijs pijs capitulis: & ut ſine ſacrilegio ...... uel feretis, rapina eius fin... prælargita ſunt, & promulgationes poſtulabit quoque tua almitas eadem i, prapas noſtros Apoſtolicos apicus firmitatem accipere; unde annuentes præparacius ſancimus, & confirmamus omnia quæcumque ſunt priuilegia edita in ſancta ueſtra Rauennati Eccleſia, tam prædeceſſorum noſtrorum Pontificum, ſcilicet, ſanctæ recordationis Hadriani, & Leonis ſui prædeceſſorum, quamqua Impp. vel dona Regum, aut a Chriſtianis hominibus perdonationibus, uel uendicionibus, ſeu teſtamentis oblata, iuxta ordinem generaliter, & ſpecialiter omnium ſanctæ tuæ Eccleſiæ largitatem corroborationis firmitatem in perpetuum habere præcepimus, & confirmamus, ut nullum locum, a-*

ius

ius ſubiacentem ſub dicione ſanctæ tuæ Eccleſiæ, *pro quolibet adinuentionis argumento potencia quoquomodo indicari ſuffultum ciuili, aut militari præcinat vſurpari uel ſubtrahere, aut violare u ...... innouatione ædificationis inducere. Sed ſi quis ..... aut cadentem templum renouare, aut ædificare temptauerit, non habere licentiam ante hoc agere, niſi prius per ſolitam benedictionem paterna ſanctitati veſtræ ſanctæ, & uenerabilis coram ibi figatur, ne q....... que ex alio Epiſcopatu dicione, aut ciuitatis ibidem uenientes, & commorantes Deo amabiles clericos præſumere in ſubiacentibus nobis* Eccleſiis *ſine præceptionem noſtram Sacerdotalem agere miniſterium magis autem. & omnes aduenarum religioſſiſimos clericos mites, uti ne aciones ueſtram ſanctitatem obaudire, ac definire, & nec ſecundum Diuinarum legum, & ſacratisſimarum regularum tenore. effectum in eis inferre. Monaſterio uerò ſancti primi martyris Stephani, qui ſic nominatis fundamenta, & ſe iacet iuxta palacium, & omnibus idem pertinentibus religioſis monachis omnia uenerandæ oracula, vel monaſteria, & ceteros uenerandos locos ſub parochia exiſtentes ſanctitati ueſtræ ſub dicione, & poteſtate ſanctitatis ueſtræ ſubiaceant, & per te ſanctæ tuæ Eccleſiæ. Et quæcumque ſunt eis priuilegijs in integro obſeruandis ſuper his, nec nullum moleſtia, aut angarias, aut grauamina aut excubias quilibet inferre parti ſonctæ tuæ Eccleſiæ, nec non colonas, aut pa .... res uos ſubiacentes parti ſanctæ ueſtræ Eccleſiæ, a quolibet omnium ad militandum ſubtrahere, ſed ſi militati fuerint, eos diſcingi, & diſmilitari iubemus noſtræ uenerandæ reddituros parti, ut ſi quis talia temerantes præuertere tentauerit, de his quæ a nobis piè ſancita ſunt, & iuxte a nobis petiſtis, ut per præſentem noſtrarum Apoſtolicam continetur formula, non ſolum nihil præualeat, ſed etiam pro tale matricem audaciam, & omnia ſuarum facultatum amisſione faciantur, nec non, & animarum aduerſiones periculo minime declinare poterint ſufficientibus omnibus in conces ſione ſola huius Apoſtolicæ noſtræ exarationis. Si quis verò contra hoc noſtrum Apoſtolicum præceptum .... egerit, componat auri brici libras quinque, inſuper, & anathematis uinculis ſit innodatus, & perpetuæ condemnationi ſummiſſus. Quod præceptum confirmationis a nobis factum, reſcribendum præcepimus Thimotheo notario, & Scriniario Sedis noſtræ in menſe Iulio Indictio. X I I. Bene valete. Guidus Iulius per manum regi .... Biblio .... ſedis Apoſtolicæ Imp. Auguſtinus Hludouni .... bondo.* Hæ litteræ in Bibliotheca Archiepiſcopatus Rauennatis adhuc extant, in arboris cortice; cuius eſt longitudo duorum cubitorum, unius latitudo; exaratæ charactere Longobardo, omnium quæ ibidem ſint tabularum; multæ autem ſunt; pulcherrimo, lineis inter ſe duobus tranſuerſis digitis diſtantibus. Cum autem pluribus exeſæ ſint locis, Iulius Ruuereus Cardinalis, & Archiepiſcopus, antiquitatis ſtudioſus, ne tam uetuſtum monimentum periret; putatur enim *αὐτόγραφον*; tenui ſubiectæ telæ agglutinandum iuſſit. Ex his poteſt cognoſci, Archiepiſcopum Rauennatem, apud Imperatores, ſuum etiam habere internuncium, Apocriſarium, vt diximus, uocatum, conſueuiſſe. Sunt hæ datæ litteræ anno a partu Virginis, Octingenteſimo decimo nono. Huius Petronacis Archiepiſcopatu, Othgarius Maguntinus Antiſtes, Rauennam cum veniſset, D. Seueri Archiepiſcopi cadauer ſanctum, Vincentiæq. vxoris, & Innocentiæ filiæ, Rauenna, Maguntiam exportauit, inq. Herfordienſi templo locauit. Interea cum Bernardus, quem ſcripſimus Italiæ Regem a Carolo Magno factum, noua moliretur aduerſus Hludouicum Cæſarem, commiſſo prœlio ſuperatur; & Hludouicus Italiæ Regem, Hlotharium filium

creat:

creat: qui paucis poſt diebus in Italiam deſcendens, multa Romæ, & R
næ noua conſtituit, Rauennamq. plurimum frequentauit, vbi celeberri
fœdus iniit cum Venetis, de quo aliquot poſt annis ad Petrum Tradon
Venetiarum Ducem ſcripſit his verbis. Et uolumus, ut omnes homin
ſtros, poſtquam pactum anterius factum fuit Rauennæ, qui ad nos confi
ANN. fecerunt, ſi eos inuenire potuerimus, ad partem veſtram reſtituamus: cu
DCCC- ſchali Pontifici mortuo, Eugenius ſecundus ſucceſſiſſet: Verũ non mult
XXIIII. Eugenio item mortuo ſuccedit Valentinus, & Valentino Gregorius
tus. Hludouicus Cæſar, Hlotharium filium Italiæ Regem, conſortem
rii fecit. Petronax decimum quinctum iam annum Archiepiſcopus, cur
nes illum Rauennates hortarentur, uti ſanctum Maximiani Archiepiſco
dauer ex humo eductum, qua ignobiliter contegebatur, honeſtiore lo
neret, multis precibus fatigatus, tandem ad D. Andreæ ſe conferens,
tione prius adhibita, fabris mandauit, ut tabulam è marmore, quam a
labant Græca uoce Platoniam, tollerent: quibus minus accuratè agen
confracta eſt. Quamobrem Petronax, ut erat irritabilis naturæ, uehemen
motus, acriter illis minitans, Andream Agnellum ſacerdotem, in ordi
dis ſuæ, decimum, præſtantiſſima arte, ſummoque in omnibus rebus in
præditum, illis præfecit. Cuius præſcripto cuncta cum agerentur, & i
blatus eſſet lapis, quo ſepulchrum operiebatur, ſub aqua D. Maximiani
in conſpectum dederunt: erat enim plenum aquæ monumentum. Obor
omnibus lacrymæ, implorareq. ſuppliciter omnes ſancti Archiepiſcopi
ingenti ueneratione eius uitam, monita, religionemq. recenſentes, ac ſu
ſorum miſeriam, atque calamitatem lamentantes, & deplorantes. Ex
extracta ſacra oſſa exiccantur, inuoluuntur linteo, & obſignantur, dum
monumentum in liberiorem auram educeretur. Quæ integra inuent
oſſa, tenuia erant, ſed procera, & adeò articulis connexa, vt uix annur
liata carne uiderentur. Nihil, extra vnicum dextræ maxillæ dentem, d
Itaque generoſo uino, odoribus variis, atque aromatibus permiſceo abl
ligenter, ſupplicatione omnium ordinum indicta, ſumma totius popu
gione, & reuerentia, eodem in monumento locantur, & ingente lacrym
imbre, qui ex omnium oculis largè defluebat, clauduntur. Plures
de dies veneratio, & timor in animis omnium inſedit, perinde, ac Maxir
præſentem intuerentur. Hæc ex Andrea Agnello deſcripſimus, qui his n
lum interfuit, ſed præfuit, ſummaq. doctrina eruditus, de Rauennatib
chiepiſcopis uolumen grauiſſimè ſcriptum reliquit. Quod cum diu in A
piſcopatus Bibliotheca fuiſſet, ſuperioribus annis, cum multis aliis ſubl
nullibi inuenitur, magna quidem certe iactura. Hlotharius Italiæ Rex d
Galliam ad Hludouicum patrem rediret, ex D. Apollinaris in Claſſe la
Porphyreticum abſtulit, pretioſum admodum, & ſummo præditum
dore, in quo ſepultum fuerat Mauri Archiepiſcopi, ſuperioribus ſæcul
dauer, ſub ædis porticu. Id in Galliam importatum D. Sebaſtiani aræ m
fecit. Florebant iis diebus Rauennæ ciues nobiliſſimi Trauerſarii, Ga
de nomen ei regioni, & portæ vrbis, quæ eſt ad meridiem, impoſitum e
fecti, Aunesti, ſeu Honeſti, Puſterlæ, Cunii deinde Comites uocati;
cini, quorum ædes magnificæ, & egregiæ inter D. Agnetis templum,

nar

namq. fuiſſe, horum auctor ſcribit Ferrettus ex Franchino. Qui etiam adſcribit, ex Paulo Trauerſario, Theodori filio, & ex Maria coniuge, quæ Romana fuit, ex Valeria familia, natos hoc tempore Andream, & Georgium. Maria autem mortua, alteram duxit ex Perleonia familia item Romana, cui nomen Blandæ fuit: ex hac ſuſtulit Paulus quattuor egregios filios, Theodoſium, Italianum, Philippum, ac Iacobum, viros inſignes, quiq. vniuerſam Aemiliam pro Pontifice, atque etiam, vt Pontifex permittebat, pro Cæſare adminiſtrarunt. Nam ad gratiam, qua pater apud Cæſarem plurimũ valebat, maternæ familiæ apud Pontifices accedebat auctoritas maxima. Si quidem Perleonia familia inter Romanas nobiliſſima: illa eſt, è qua clariſſimi Comites Tribus montis Auentini, & Auſtriaæ domus Principes prodiere. Reperitur enim ex Perleoniis quoſdam Iſpruchum, Oenipontem ita appellant, ad habitandum profectos, inter Auſtriæ, ac Baioariæ populos, ab Heluetiis haud procul. Paulatim verò dignitate eorum in dies creſcente, Principatus Auſtriæ iura, titulumq. fundarunt, uti Maximianus Cæſar, Caroli Quincti auus affirmare conſueuerat. Petronax Archiepiſcopus cum Rauennatem Eccleſiam rexiſſet annos decem, & ſeptem, ſeq. omnium officiorum religione Hludoui ci primum Cæſaris, mox Hlotharii partibus obſtrinxiſſet, diem obiit ſexto Id. Mart. Illi, Georgius ab Rauẽnatibus ſufficitur, a Gregorio Quarto Pont. Max. Romæ conſecratus: cui tamen Pontifici poſtea aduerſatus eſt. Paucis tamen hinc annis, cum Hludouico Cæſare mortuo, inter eius filios, ob diuiſionem Imperii, immortale odium exarſiſſet, atque ob id in Antiſiodorenſi agro apud Frontanicum, acerrimè ab Hludouico, & Carolo aduerſus Hlotarium fratrem dimicatum eſſet: quo prœlio plurimum cruento, Hlotarius ex fuga Viennam cum coniuge, & liberis ſe recipere coactus eſt, Gregorius Romanus Pontifex, omni humanitate, ac religione conſpicuus, ægre admodum ferens tantum inter fratres diſſidium, ex Italia ad eos ſimul conciliandos Georgium miſit Rauennatum Archiepiſcopum, plenum militarium ſpirituum, capillis criſpis, & ſuperbum iuuenem, qui iam omnem Rauennatis Eccleſiæ Gazam depopulatus, coronasq. aureas, quas D. Petrus Antiſtes conflauerat, & gemmas præſtantiores ex D. Petri maioris abſtulerat, magnumq. Rauennati Eccleſiæ incommodum attulerat. Nouæ etiam Diuinæ legis inſtrumentum, tabulis ex auro inciſum, compluresq. præterea ex auro coronas, de templo Diuorum Ioannis, & Pauli abſtraxerat, ut Hludouici ſecundi filiam, cui Geltrudæ nomen eſt, impoſitum, dum ſacra baptiſmatis unda perfunderetur, ſuſtineret, muneribusq. donaret ampliſſimis. Quamobrem homini in Galliam profectionem paranti, facile iniunxit Gregorius, uti ſuo nomine pacificator inter fratres dimicantes conſtitueretur. Itaque cum tercentis equitibus, inſigniq. pompa ad Hlotarium cum ueniſſet, non pacificatoris, ſed Ducis munere uſus, inclinante ad Hludouicum, & Carolum uictoria, uniuerſum comitatum in prœlio amittens, vix ſolus è tanta clade fuga elapſus, eſt. Melius igitur ſibi, ſuisq. partibus conſulens, Pacificatoris, idq. Legationis munus, quod abiecerat, ſuſcipiens, de compoſitione aſſiduè, diligenterq. tractare cœpit. Quocirca pace inter eos conciliata, cum reliqui Hlothario Imperii titulum permiſiſſent, Hlotharius Hludouicum filium, quem Regni ſocium fecerat, in Italiam cum ingentibus copiis dimittit. Quò cum ueniſſet, ut Reginæ matris

ANN. DCCCXXV.

ANN. DCCCXL.

ANN. DCCCXLI

matris ſatisfaceret precibus, Georgium, repugnantibus Rauennatibus,
chiepiſcopatui reſtituit: Non enim tam eum reciiebant Rauennates, q
eſſet Theſauros omnes deprædatus, ſed quia uetuſtiſſima priuilegia, quæ M
rus, ceteriq. Archiepiſcopi Rauennates a ſummis Principibus acceperant
ANN. DCCCCXLIIII. portauerat: Idq. ſub id tẽpus accidit, cum Gregorius Quartus Pontifex è
decedens, ſucceſſorem habuit Sergium Secundũ. Moritur tamen haud mul
poſt annis Georgius Archiepiſcopus, & nulla honoris ſignificatione, nullis
cerdotibus comitantibus nulla funeris pompa, ei ſepulturæ locus in D. Apo
naris Claſſenſis datus eſt. Licet autem inter Rauẽnates Archiepiſcopos nu
randus ab aliquibus non putetur, quòd Eccleſiam deſtruxerit, quam deb
rat ædificaſſe, ipſe tamen dignitatis, & rerum ordo id poſtulat. Eius tem
pore ingens Solis per uniuerſum orbẽ Eclypſis viſa eſt, ſanguineq. pluit N
Mai. Rauennæ, cum dies eſſet feſtus ob dedicationem Baſilicæ D. Micha
Archangeli eiuſdem vrbis. Terribile item ſignum prima noctis vigilia
Id. eiuſdem in aere apparuit, igneæ faces, & ſtella crinita immenſæ magn
dinis, ipſam Solis lucem ferè ſuperantes, & præter morem diſcurrentes.
Archiepiſcopatum Deusdedit, uir optimus, ſubrogatur, iiſdem pænè dieb
ANN. DCCCXLVI. quibus Leo Quartus, Sergio ſecundo uita functo, in Pontificatu Romano
ceſſit. Deodaldum, hunc, aliquot tabularii Vrſiani monumenta, & Ar
piſcopum deſignatum appellant. ſcripta autem ſunt, anno tertio Sergii Po
tificis, XIIII. kal. Februarii Indict. X. Rauennæ. quæ incidunt in annu
Chriſto nato quadrageſimum ſeptimum ſupra Octingenteſimum. Huius te
pore Plebs antiqua extra opidũ Tiberiacum conſtruitur, vti teſtantur hæ
pauimẽto ſcripta. *De donis DI. & S. DN. Deusdedit. VB. piſcopus Rauen.* Sarac
ſuperato, ad Tarentũ nauali, prœlio, Theodoſio, Michaelis Trauli Orient
Cæſaris Duce, Italiam, nemine obſiſtente, capta Ancona, & omni ſuperi hu
maris ora, longè, lateque direpta, populati ſunt: atque ipſum inter cetera
Apollinaris in Claſſe templum: ex quo præter multa ingentis pretii, ex arg
to teſtudinem, Zonasq. muliebres, ſuperioris ſæculi ornamenta, abſtuleru
Sed domum remigrantes, ſæua cobrta tempeſtate iactati, plerique ferè o
nes fœdis factis naufragiis periere. Non defuere tamen, quin alii nouam
ferre uaſtitatem Italiæ adorti, littora infeſta redderent, & quamquam a N
politanis, eiusq. regionis militibus, Leone Pontifice hortante, ac benè p
cante, maxima clade afflicti ſunt, tamen in Calabris, Apuliaq. eorum om
tumultibus, miſcebantur, & noua quotannis inſurgebant, Hludouico; H
tarii Imperatoris filio, Italiæ Rege, vix in eos quidquam proficiente. Ita
ANN. DCCCLV. Leo Pontifex, cum ſextum iam annum munitionem Vaticani inchoaſſet, e
magna adhibita diligentia abſoluit, Leoninamq. vrbem de ſuo nomine ap
lauit, nec diu poſt deceſſit; Illi ſucceſſiſſe, plerique tradunt, Ioannem Se
mum: quem ferunt, cum eſſet mentitus ſexum; erat enim fœmina; malis
tibus Pontificatum Maximum adeptum fuiſſe, ſecundoq. anno ex partu
riiſſe. Sed cum id commentum ſit, aut maleuolorum, aut rerum, tem
rumque ordinem ignorantium ſtudio adornatum, facile a doctiſſimis no
ætatis viris; in quibus excelluit Onophrius Panuinius; reiectum eſt; cum
Leonis Quarti interitu, ad Benedictum Tertium Pontificem Max. renun
tum, ſex tantum dies interceſſerint. Aiunt etiam Hlotharium Cæſarem

ucm

nem annis, ſumpto cucullo, Hludouicum Cæſarem reliquiſſe. Interea Deuſdedit Archiepiſcopo Rauennatum mortuo, Ioannes huius nominis octauus ſu brogatur. Cuius Archiepiſcopatu, ob Barbarorum quas diximus, excurſiones, ac latrocinia, plerią. cadauer D. Apollinaris, Rauennam, ex eo templo importatum ferunt, atq. in D. Martini in cælo aureo collocatũ, eamq. ob rem deinceps ædem illam D. Apollinaris noui titulo uocatam. Sed ii falluntur, ut puto, cum ex tabularũ Pontificiarum auctoritate, Alexandri præſertim Tertii, anno a partu Virginis MCLXXIII. qui ad rẽ, & controuerſiam declarandam, tollendamq. Ildebrandũ, & Theodinũ Cardinales, Gerardo tunc Rauennatũ Archiepiſcopo, miſit; ac ex marmoreis, in ipſa Claſſenſi æde Apollinaria monumẽtis, ſecus conſtet. Ceterum huic errori, ac diſceptationi occaſionem præbuit Ioannes hic Archiepiſcopus, qui Saracenis omnia, uti dictum eſt, deuaſtantibus, cũ uereretur, ne cadauer ſanctum D. Apollinaris raperetur, duo ſanctorum virorũ cadauera, ſub Apollinaris nomine, ad D. Martini in cælo aureo transferenda XVII. kal. Auguſti curauit: Cuius etiam rei ſatis argumẽto eſſe poteſt, quod iis quæ ſupra ſcripſimus, Alexandri Tertii temporibus, D. Apollinaris oſſa, vna cum tribus laminis ex argento vetuſtiſſimis, in quibus eius D. Archiepiſcopi vita ſummatim erat ſcripta, quincto kal. Nouembr. reperta, & in ſublime elata, oſtenſa omnibus ſunt: cũ ipſe Ildebrandus presbyter Cardinalis Legatus, ac Theodinus item presbyter Cardinalis, Gerardus Rauennas Archiepiſcopus, Epiſcopi Metropolitano iure ipſi ſubiecti, innumerabileſq. præterea ſacerdotes, & populares adeſſent. In tertia autẽ argentea lamina, ſic erat ſcriptum. *Hic requieſcit ſacratiſsimum corpus beatiſsimi Apollinaris martyris, & ſacerdotis Chriſti. Quod uerò hic deeſt, in hac eadem Eccleſia maxima cautela reconditum eſt.* Ildebrandus anathematis pœna iis propoſita, qui alibi eſſe D. Apollinaris ſanctum corpus affirmarent, feſtum, ac ſolemnem agi in perpetuum deinde huius inuentionis diem iuſſit, pœnamque annui ſpacii peccatis debitam, templum illud eo die inuiſentibus, quotannis, indulſit: Quæ ſunt omnia ab Alexandro Pontifice probata. Nouiſſime quoque anno MDXI. Quarto Non. April. cum Iulius ſecundus Pont. Max. Rauennæ commoraretur, Franciſcus Soderinus, baſilicæ duodecim Apoſtolorum Cardinalis. Sacerdos D. Apollinaris oſſa, ex ſubterraneo ſpecu; vbi diu latuerant, educta, in monumento ex marmore, ſub angiportu maioris teſtudinis, ante oculos omnium Rauennatum collocauit, centumque dierum pœnæ peccatis debitæ remiſſionem indulſit, atque quotannis eius inuentionis, translationiſque diem celebrem agi uoluit: Quod uetuſtiſſimo Eccleſiæ more, iam inde a naſcente ipſa, ſeruatum, cum multa nobis indicant, tum ex ſermonibus, quos de inuentionibus ſanctorum Geruaſii, & Protaſii, Nazarii, & Celſi, Vitalis, & Agricolæ Diuus Ambroſius, & de capite Diui Ioannis baptiſtæ, Diuus Cyprianus, habuerunt, ſatis conſtat: quod & Diuus Auguſtinus in ſuis confeſſionibus teſtatur, & Lucianus presbyter Hieroſolymitanus aperit, libello de D. Stephani protomartyris inuentione Græcè ſcripto, quem Auitus Hiſpanus ſacerdos Latinum fecit. Vt autem ad hiſtoriæ ordinem reuertamur, Benedictus Tertius Pont. Max. uitæ ſanctitate, cum quibuſuis comparandus, multis rebus piè geſtis, tertio anno Pontificatus deceſſit: In cuius locum Nicolaus primus abſens, ac fugiens, omninoque uitandi honoris cauſa renuens, Pont.

ANN. DCCC. LVI.

ANN. DCCC. LVIII.

Max. creatur. Hic Ioannem Archiepiſcopum Rauennatum, propter obiecta a ſubiectis Epiſcopis crimina, ter vocatum, & ad ſe venire recuſantem, Romaniq. Pontificatus iudicium detrectantem, dignitate priuauit. At Ioannes Ticinum ad Hludouicum Cæſarem; qui tum ibi aderat; confugiens, & commendatitias ab eo litteras, ad Pontificem, obtinuit, & Legatos etiam impetrauit: quibus a Pontifice daretur, ut Ioanni Archiepiſcopo, Romam, ad cauſam apud Concilium dicendam, tuto proficiſci liceret. Quod illi facile Nicolaus conceſſit. Quamobrem cum ad Lateranũ menſe Nouembri, anno ab ortu Chriſti DCCCLXI. facultatem Ioanni Archiepiſcopo dicendi feciſſet, in frequenti ſexaginta quinque Epiſcoporum, omniumq. primariorum, qui Romæ erant ſacratorum virorum conuentu; in quibus Vitalis Patriarcha Gradenſis, & Epiſcopi ex Campania, Tuſcia, Pentapoli, & Aemilia a Pontifice, ob id Romam euocati, erant, ipſe nihil aliud, quàm ſe maieſtatis reum, faſſus, petere ob eam rem, cum a Pontifice; tum ab iis, qui aderant, omnibus ſibi veniam dari. Epiſcopi autem Aemiliæ, facta accuſſandi copia, hæc præſertim ipſi audienti Archiepiſcopo, crimina intulerunt. Ioannem, ſecundo quoque anno, Epiſcopia ſua, cũ ferme quingentorum hominũ, equorumq. numero perluſtrare, ac tamdiu in ſingulis cõmorari, dum quæ ad Epiſcopi fructus facerent, omnia, quæque ad Clericos, & egentes alendos, ſuſcipiendos peregrinos, inſtaurandas baſilicas pertinerent, cũ magna illa multitudine exhauſiſſet: neque ante recedere, quàm ab Epiſcopo, ducentos manicoſus ſibi, familiaribus verò ſuis, munera nequaquam modica exegiſſet. Eundem tres aut quattuor equos perpetuo alendos, fodiẽdos agros, paſtinandas vineas quotannis ſuffraganeis ſuis; ita ſubiectos ditioni Epiſcopos uocant; tamquam prædiorum ſuorum procuratoribus uel repugnantibus, attribuere. Plebes, titulos, & monaſteria ad Epiſcopia eorum pertinentia, & adminiſtrationi eorum ſubtrahere, & ſibi ipſum ſubiicere. Epiſcopos Romam ad limina Apoſtolorum amplectenda, atque pro ueteri eorum temporum inſtituto, oſculanda proficiſci, & ſolium Pontificium viſitandũ, deceſſorum ſuorum more, non permittere: ac demum eos adigere, ut Eccleſiis ſuis deſertis, more presbyterorum, ſingulis menſibus Rauennæ miniſtrarent, & ſe viginti, aut triginta diebus, per uim, Rauennæ teneri, neque ulli clerico ſuo equo vehi per urbem, iniuſſu ipſius, ſine magno diſcrimine licere. Quod quamquam ſuperiores Archiepiſcopi facere conſueuiſſent, ac poſteriores etiam fecerint, certis cuique Epiſcopo aſſignatis Rauennæ ædibus, quas incolerent, vt Fauentino, Diuorũ Ioannis, & Pauli: Mutinenſi, D. Agnetis: quibus etiam ipſi Rectores præficiebant; ut in Mutinenſi, de D. Agnetis, ad hanc ætatem ſeruatum eſt; tamẽ id acerbius aliquanto, quàm res, aut dignitas ferret, ab Ioanne fieri videbatur. Itaq. Epiſcopi hæc cum dixiſſent, ac ſe teſtimonio confirmaturos omnia oſtendiſſent, nihilq. Ioannes, niſi animo conſternari, Pontifex tũ ea confeſſione, tũ adſtantiũ rogatu cõmotus, hac condicione Ioannẽ in gratiam recepit, ut ſe apud eũ cõuentũ de hæreſi purgaret, polliceturq. Romam aut quotãnis, aut altero quoq. anno, quo ad eius fieri poſſet, niſi eſſet aut præpeditus aduerſa valetudine, aut Põtificis beneficio abſolutus; proficiſci: neq. liceret ei Epiſcopos Aemiliæ; tametſi legitimè electos; niſi litteris Põtificiis id ſibi mandaretur; conſecrare: neve prohiberet, quo minus iidẽ Aemiliæ Epiſcopi, Romam, cũ liberet, adirent: neque ei tributũ vllum, quod ſac.

ANN. DCCCLXI.

Cano·

Canones non probarent, ullum morem introducere, integrum eſſet Caueret poſtremo, niſi ſibi cuperet ſacris interdici; ne quicquam de bonis Eccleſiæ, inconſulto Pontifice Max. aut immutaret, aut decerneret; neve prophana oc cuparet, donec coram Pontifice, aut eius Legato, aut Veſterario Rauennæ, legitimè illa in iudicio obtineret. Prædia, quæ a iure D. Petri, ad ius D. Apollinaris tranſtulerat, & iure Emphyteutico aliis tradiderat, diligenter exqui reret, & reſcinderet tabulas, & D. Petro reſtitueret, cuius fuerant. Sanctiſſima hæc iuſſa, vniuerſum Concilium trina acclamatione ſic approbauit, ut diceret, *Rectum iudicium ſummi Præſulis, iuſta definitio Paſtoris vniuerſalis Eccleſiæ, ſalubris inſtitutio Chriſti diſcipulis omnibus placet: Omnes autem eadem dicimus, eadem ſapimus, eadem iudicamus*, Tum verò Ioannes coram omnibus ſacramento, ſcriptoq. ſe omnia ſeruaturum confirmauit: cum iam repudiatis tabulis promiſſionis, & ſacramenti, quas ſuæ conſecrationis tempore, præciſa nimis, ac obſcura oratione conſcripſerat, nouas apertiores alias, ſincerioresq. exaraſſet, ac eas ſupèr Cruce, & ſacro Euangelio poſitas, recitaſſet, ac clara uoce, ut omnes poſſent audire, iuraſſet, dum uita ſuppeteret, conſtantiſſimè, quæ in eis ſcripta eſſent, omnia ſeruaturum. Atque hac ratione dimiſſo Concilio, cuius tribus ſeſſionibus acta, in libris Decretorum uetuſtiſſimis Burcardi Vormatienſis Epiſcopi adhuc leguntur. Ioannes, Rauennam, ad ſuos re- ANN.
greſſus, anno Sexageſimo ſexto ſupra octingenteſimum, Hludouicum Impe DCCC-
ratorem, in Galliam è Campania, quò iam tertiò deſcenderat, reuertentem, LXVI.
recipit. Diuertit Hludouicus ad D. Apollinaris in Claſſe: ibiq. cum eſſet, multa Caſſinenſi Cœnobio, Angelario eius Præpoſito Cœnobii poſtulante; conceſſit. Poſtero anno Nicolao Pont Max. uita functo, Hadrianus ſecundus ſubro ANN.
gatus eſt: qui Firminiano, Petro, Leoni, ac Ioanni, eorumq. fratribus, ac con DCCC.
ſortibus, antiquam, ac iuſtam conſuetudinem conceſſit probauitq. qua eorum LXVII.
genitores Maſſam Firminianam, & Plebem ſancti Stephani, iuris Romanæ Ec- ANN.
cleſiæ, tenuerant: ea condicione, vt quotannis ſemel, tres continuos dies, ſan- DCCC-
ctæ Romanæ Eccleſiæ nunciis occurrerent, quocumque eos ire obuiam iuſſiſ- LXX.
ſent, propè Maſſam Cornu Ceruinam, Occupariũ, Caput canita, & mare. Adhæc ſingulis indictionibus, die Paſchatis ſancto, ſolidos denariorum viginti, penſionẽ ſoluerent; ut Põtificiis litteris habetur, quæ in Bibliotheca Vrſiana
extant, *Dat. per manũ Petri Diaconi, anno Tertio Pontificatus Domni Hadriani Pa-* ANN.
pæ, Ind. Tertia. Hadriano paulo poſt mortuo, Ioannes Octauus ſuffectus eſt; qui DCCC-
Rauennam profectus anno Octingẽteſimo ſeptuageſimo quarto, ſeptuaginta LXXII.
Epiſcoporũ conuentũ egit: In eo lis inter Vrſum Ducẽ Venetiarum, & Petrũ ANN.
Patriarcham Gradenſem compoſita eſt: nam Senatore Epiſcopo Torcellano DCCC-
mortuo, Petrus Patriarcha confirmare, conſecrareq. Dominicũ, Leonis Calo LXXIIII.
prini filium, abnuerat, monaſterii Altinatis Abbatem, quia ſibi virilia ſuccidiſſet. Itaq. Petrus a Duce eam ob rẽ perterritus, contenderat Romã, & cauſam a Põtifice cognoſci, ac definiri poſtulabat, Pontifice autem Rauẽnatẽ profectio nẽ ineunte, una ſecũ Rauennam venit: quo etiã acceſſit Hedelmarius, Aquileienſis Patriarcha, & Leo Caprulenſis Epiſcopus, ceteriq. eiuſdẽ Prouinciæ Epiſcopi, Rauennam aduocati: Qui tamẽ, quoniã aduenere confecto iam conuentu, cõmunione priuati ſũt. quamquam haud ita diu poſt, Ducis precibus, reſtituũtur: Eccleſiæ Torcellanæ bona Dominico tamẽ permiſſa. Magna cũ Ioanne

Archiepiſcopo interceſſit Ioanni Pontifici conſuetudo: neque tum res era
ANN. DCCC. LXXVI. licuius momenti, de qua certiorem eum non faceret. Quod ex iis etiam li
ris poteſt cognoſci, quibus eum Quarto kal. Maii. anno DCCCLXXVI
monuit, ſe communione Adelardum Epiſcopum Veronenſem priuaſſe,q
Nonantulanum cœnobium inuaſiſſet. Idem ſignificauit Anſperto Mediol
ſi, & Valperto Aquileienſi Antiſtitibus. Cumque per id tempus Saraceni,
Tarenti morabantur,collectis viribus,non Barium modo; quæ nobilis eſt u
in Iapydibus; ac finitima loca populabundi percurriſſent, verum ſalern
nos, Amalfitanos, ac Neapolitanos impuliſſent, ut iſto ſecum fœdere,
manam vrbem inuaderent, ipſeq. Neapolitanorum Epiſcopus Athanaſi
Dux, Sergio fratri, Neapolis Duci, ſuffectus, cum Saracenis Romanos fir
ne parcens quidem ſacris ædibus; hoſtiliter populatus fuiſſet, Ioannes Po
fex cum poſtulatum ab Carolo Caluo; quem, mortuo Hludouico, paulò
te Romæ vniuerſi orbis Auguſtum Imperatorem diademate inſigniuerat;
ſidium tardius expediretur; iam enim redierat in Galliam Carolus; Rau
nam ire conſtituit. itaq. & eò indixit Epiſcopis conuentum, & ad Ioann
Archiepiſcopum ſcripſit, id ſe decreuiſſe, tum quòd ab improbis Chriſti fi
libus vexaretur, tum quòd multis in rebus indigeret emendationis Eccle
Quoniam verò nullus eſſet ad hæc peragenda locus, Rauenna, aptior, ro
re, ut eò cum ſuis ſubiunctis Epiſcopis accurrere uelit ad Octau. kal. Iul.
Vrſum Venetiarum Ducem, ſcriptis ſexto kal. Iun. litteris, admonuit, u
adeſſet. XIII. uerò kal. Auguſti, ſe Rauennam omni ſpreto incommodo it
ris, ſignificauit; habendi conuentus gratia, conceſſiſſe, eumq. kal. Auguſ
choaturum. Conuentu inde perfecto, cuius ad nos acta non peruenerunt
maturius Caluum de inſtanti bello conſuleret, Rauenna egreſſus, ad eum
intendit. Quem, Vercellis, in Italiam properantem adhibuit. Verum Cal
paucis poſt diebus a Pontifice, Derthone digreſſus; quo ſe ambo conti
rant, graui nuncio perculſi, Carolomanni Regis Baioariæ, in Italiam c
maximo armatorum numero maturantis; dum Carolomanno occurr
Mantuæ, ab Sedechia Iudæo, medico, qui ſalutiferæ potioni, creditur
nenum miſcuiſſe, necatur. Lambertus Spoleti Comes illi in Regnum ſu
ci contendens, Adelberto Marchione Tuſciæ deſignato in ſocietatem
ſumpto, per ſpeciem religionis, Romam acceſſit, cum magno globo ar
torum hominum, ac portis vrbis occupatis, in maximasq. anguſtias ad
cto populo, ut decus ei Auguſtale concederet, populus Romanus, & cle
Carolomanni iuſſu, inſtare. Senatus, populusq. Ro. iurauit, ſe in poteſ
ANN. DCCC. LXXXII. Carolomanni futurum; Pontifex vrbem deſerere, & Galliam petere, co
tuit. Quæ tamen omnia Ioanni Archiepiſcopo Rauennati, litteris quarto
Mart. ſcriptis ſignificauit; quas, & Mediolanenſi, & Aquileienſi miſit, u
Lamberti auxilio cauerent, idemq. ſubiectis Epiſcopis ſignificarent. His
rè diebus Ioannes Archiepiſcopus Rauennas vitam cum morte commuta
Poſt hunc plerique tres apponunt Archiepiſcopos, Felicem, Liberium, ac
gium: ſed cum eorum nulla extet; quod ipſe nouerim, in Bibliotheca Rau
nati, memoria, neque recenſeantur inter Archiepiſcopos, qui in ueteri Cat
go Rauennatis Eccleſiæ omnes numerantur; facile eorum patet error; ut
to; qui ita ſentiunt. Hoc igitur loco Romanũ Archiepiſcopum ex opido Ca
naria

naria, quod eſt in Etruria iuxta Eram amnem; ponimus, Ioannis Octaui in Archiepiſcopatu ſucceſſorem. Interea Pontifex, cum in Galliam, Trecas perueniſſet, ibidemq. Hludouicum Balbum opem lubentibus rebus Romanis ſe allaturum, prolixè pollicentem, Imperatorem inunxiſſet, Romam redierat: cuius littora cum ab Saracenis eſſent occupata, illis inde pulſis, Balbum in Italiam, ad conficiendas eorum reliquias aduocauit. Seduenientem, mors oppreſſit, eumq. Carolomannus filius breui inſecutus eſt. Carolus Craſſus cognomento ſimplex ſucceſſit, cum Germaniæ Rex eſſet. Per idem tempus Rauennates Cymaclum amiſerant: nam Hludouicus ſecundus Cæſar an. DCCCLIIII. Othonem Eſtenſem Principem eo donauerat: is cum eſſet in Gallia apud Cæſarem; ut Ioannes baptiſta Pigna teſtis eſt; Marinum filium miſit, qui & vrbis poſſeſſionem acciperet, & illam adminiſtraret. Qua de re commoti uehementer Veneti, Baduarium, Ioannis Particiaci, ſuæ Reipubl. Ducis, fratrem, Legatum ad Pontificem mittunt, qui affirmet eam vrbem, ſi abſtrahenda ſit ab Exarchatu, & Rauennatibus, qui ad Pontificem ſpectabant, ad eos magis, quam ad alium Principem pertinere, quod in antiquorum Venetorũ finibus eſſet. Verum Marinus, Venetorum cognito conſilio, in Rauennatum finibus, Badoarium adoritur, uulnerat, captiuumq. ducit: neque ante dimiſit, quàm ſacramento fidem obſtrinxerit, Venetos de Cymaclo nihil prætere a acturos. Sed cum Venetias reuerſus, paucis poſt diebus ex accepto vulnere diem obiiſſet, Ioannes Dux fratris mortem ulturus, comparata Claſſe, Cymaclum oppugnat, & ui capit, in eosq. qui fraternæ ca dis cauſa fuerant, acriter animaduertit. Rauennam circiter hæc tempora ven erat Ioannes Pont. Max. vt hac in vrbe Carolo Craſſo in Italiam ad Coronam Imperii Romæ accipiendam, aduentanti, occurreret; ſed Carolus a Hludouico, & Carolomanno Galliæ Regibus, reuocatus, Italia repente ceſſit: Ioannes Pontifex remigrauit Romam, quò poſtero anno, Carolus adueniens, de Ioannis Pontificis manu, Auguſtalem coronam, more maiorũ, accepit. Mox in Galliam Ciſalpinam rediens, Rauennam adiit, hicq. inter Venetos, atq. Italicos ſibi ſubiectos, fœdus in quinquennium renouauit. Ioannes Pont. Max. Neapolim proficiſcens, Romanum increpuit Rauennatem Archiepiſcopum, quod Albericum Comitẽ, Cæſarianæ factionis, Rauennam acciuiſſet, & vexaſſet eam ob rem, Rauennatẽ nobilitatem, nulla eius iuſiurando fide permotus, quo ſe ſibi obligauiſſet. Vbi Neapoli reuerterit, quò tum tendebat, ei cognitioni operam nauaturum: Mandare, ut Dominicũ Archidiaconũ, conſecraret Fauerinũ Epiſcopum, ſin minus, ſe, vbi redierit conſecraturũ: Adhæc reprehendit, quòd iniuſtè diremiſſet matrimoniũ quoddã, & propterea ne quẽ ſacris initiaret, inhibuit, donec VIII. kal. Octob. Romam, ad Conuẽtũ adiret, atq. illi ſe de criminibus ſuis purgaret, quem, niſi paruiſſet, ſe cõmunione eſſe pulſurum. Tamen ſequenti anno Rauennam Pontifex uenit, huc ab Craſſo Imperatore, ad cõmunicanda, de grauiſſimis Eccleſiæ rebus, cõſilia, uocatus. Cõuẽtus ex dignitate, & ſententia utriusq. Februario menſe habitus eſt: Nec diu poſt Romam reuerſus Pontifex, diem obiit: ſucceſſit ei Marinus Galleſianus; Martinus ſecundus vulgo appellatus; qui Tuſculanorum Comitum factione adeptum Pontificatum, anno ſecundo decedens, reliquit Hadriano Tertio. Quo tempore Carolus ex Italia cũ exercitu in Normannos profectus, eam Galliæ partẽ, quæ

ANN. DCCC LXXIX.

ANN. DCCC LXXX.

ANN. DCCC LXXXII.

ANN. DCCC LXXXII.

eſt ultra Sequanam; illis, vectigal pendere quotannis Regibus Gallorum,in
ſis, ad incolendum conceſſit: tametſi Normanni paulò poſt, adiunctis ſibi I
cibus, omnem ferè Galliam, rupto fœdere, vaſtarunt, iis ferè diebus, cu
Hadriano Tertio Pont. mortuo, ſucceſſit Stephanus Quinctus, cui cum A
ANN. DCCCLXXXV. chiepiſcopo Rauennatum, Romano ab Calcinaria, ſumma interceſſit fan
liaritas: Id teſtatum litteræ faciunt, quæ in Decretorum libris adhuc legu
tur. Cumq. accepiſſet Pontifex, ForoCornelianum populum, in eligen
Epiſcopo, ſeditionem excitaſſe, Romanum Archiepiſcopum admonuit,
deret, ne contra leges Pontificias electio fieret: *Sacerdotum quippe*, inqu
Stephanus, *eſt Electio, & fidelis populi conſenſus adhibendus eſt: quia docendus*
populus, non ſequendus. Orientis Imperium tunc Leo Quinctus, & Alexa
der, Baſilii filii, inierant: nec diu poſt, Carolus cognomento Groſſus, qui
cto iam annos Cæſar fuerat, poteſtate, ab optimatibus ſuis, fuit ob ſegnit
corporis, & ingenii tarditatem dejectus: in locumque eius, Arnulfus nep
ANN. DCCCLXXXVII. Carolomanni filius, ſuffectus eſt: qui ſeptimus a Carolo Magno, Auguſ
Imperator eſt habitus;alii octauum dicunt:Quoniam verò Hadrianus Terti
Pont.Max. Decretum fecerat,ut decedente Rege Craſſo abſque filiis, Reg
Italicis Principibus, una cum Imperii titulo traderetur, Berengarius Foro
lienſium, & Veronenſium, Vido Spoletinorum Duces ad Regnum ambo,
Imperii titulum aſpirare, Italicorum omnium ſtudiis in duas partes diuiſis,
perunt. Nec diu poſt Vido, Rauennæ occupat Regnum, quod ſibi vider
tur in hac vrbe, quam ſuperiores Cæſares ſedem præcipuam Regni fecera
tutius, atque diutius id ſucceſſurum. Illi Pontifex, ac Romani, atque ma
ma ob id Italiæ pars fauebat: contractiſq. copiis, & magno vtrinque com
ANN. DCCCLXXXIX. rato exercitu, cum manus, Vido, & Berengarius ad Trebiam amnem conſ
uiſſent, Berengarius ſuperatus eſt; qui denuo collectis viribus, collatiſq.
gnis, uictus, ceſſit Italia. Sub id tempus Romano Archiepiſcopo Rauen
tum vita functo, Dominicus Vblatella ſubrogatus eſt: neq. enim cum iis
timus, qui putant inter Romanum, ac Dominicum, Ioannem, ac Leon
Archiepiſcopum fuiſſe, cum nulla auctoritate, quod ſciam, fulciantur, &
Rauennati Bibliotheca deſint. extant ad Dominicum Archiepiſcopum,
Vrſiano tabulario, a Stephano Pontifice Max. hæ ſcriptæ litteræ. *Stepha*
ANN. DCCCXC. *Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Reu. ſanctiſſimo confratri noſtro Dominico Ar*
piſcopo. S. Rauen. Eccleſia Diuina maieſtas, paſtorale miniſterium nobis . . . . . . ſol
dinem gerentes, cura peruigili, noſtrum Apoſtolicum impendere ſuffragium, Ide
omnium ſancta Dei Eccleſia fidelium agnoſcat notitia, quia cum Rauennas Eccleſia,
obitum Romani quondam Archiepiſcopi eiuſdem Eccleſia uiduata, ſine paſtore conſi
zet, repente, & ſancta Placentina Eccleſia, illius ſuffraganea, a ſuo paſtore quona
Paulo Epiſcopo extitit denudata. Quapropter diuerſis Italici Regni fluctuantibus
cellis, quia per eandem ſanctam Rauennatem Eccleſiam, proprio deſtitutam paſtore,
ſa ſancta Placentina Eccleſia, de paſtore proprio remedium recuperandi minime a
piſci valebat, ad Apoſtolicam ſedem, noſtrumq. Apoſtolicum; ut pote ad caput
nium Eccleſiarum, & matrem, refugium uiſi ſunt . . . feciſſe, offerentes nobis p
prium electum, Bernardum nomine, Diaconatus officio vtentem, & ſuggerentes
na cum Decreto ab eis in eum facto, hunc a nobis ſibi conſecrari Antiſtitem, ne
Eccleſia, diu ſine paſtore, annihilaretur; & eligentes, atq. petentes, acephali, & u
bund.

bundi incederent. Nos autem, vt diximus cum proprius Metropolitanus deeſſet, ſatis ab eis rogati, prædictum Bernardum in eadem Placentina Eccleſia prænidimus conſecrare Epiſcopum, dantes illi in mandatis, atque iubentes, expreſsè, vt in omni ſubiectione, & fidelitate, ſe ſub iure Sanctæ Rauennatis Eccleſiæ obſeruaret, quia ſic nobis placuit, ita ſcilicet, vt omnem obedientiam, omnemq. deuotionem, atq. conſuetudinem, & vſum, anteceſſores feciſſe probantur, & ipſe deuotè adimplere ſatagat, in ſanctæ Rauennate Eccleſia. Vnde volumus, & a præſenti octaua Indictione decernimus, eandem ſanctam Rauennatem Eccleſiam, nullam deinceps, pro eadem a nobis conſecratione conceſſa; : perpeti, ſed a nobis, noſtriſq. ſucceſſoribus Pontificibus, ſit omnimodis: quinimò eadem prædicta ſancta Placentina Eccleſia in ius, & conſecrationem, atque debitam obedientiam, eiuſdem ſæpe dictæ ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, quemadmodum antiquitus fuiſſe recolitur, omnibus conſiſtat temporibus: Volentes vniuſcuiuſque ius, & priuilegium Eccleſiæ, indiminutum haberi, & inrefragabiliter cuſtodiri. Script. per manum Benedicti Notarij, & Scriniarij ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, in menſe Martio, Indictione ſuprascripta octaua. Bene valete. Dat. Octau. Kal. April. per manum Zachariæ Dei pietate primi cerij ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, anno, Deo propitio, Pontificatus Domini Stephani ſummi Pontificis, & vniuerſalis Papæ, in ſacratiſsima beati Petri Apoſtoli ſede, quincto, Ind. VIII. ſuprascripta. eſt autem hic annus a partu Virginis nonageſimus ſupra octingenteſimum. Scripſit etiam Stephanus de eadem re, ad Placentinos, has, quæ in eodem tabulario leguntur, alteras litteras. *Stephanus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus ſacerdotibus, atque Iudicibus, clero & populo, ſeu vniuerſæ generalitati Placentiæ commorantibus, ſalutem. Qualiter ſancta Rauennas Eccleſia, priuata proprio paſtore, in obitu veſtri Epiſcopi, viduata exiſteret, vos noſſe per omnia ſcimus, ſed ad ſupplementum, & ſubleuationem veſtræ Eccleſiæ, noſtrum Apoſtolicum ſubſidium, viſi fuimus impartiri, ita vt Bernardum Diaconum, paſtorem veſtrum, per noſtram conſecrationem inſtitueremus: & ideò fidelitati omnium veſtrum iniungimus, & decernentes ſancimus, ut tam ipſe Bernardus, quamq. omnes deceſſores ſui, in perpetuum ſub Rauennatis Eccleſiæ Pontificatu, plenam obſeruantiam, totamq. fidelitatem viriliter cuſtodiat, & more anteceſſorum eius, deuotiſſimus tam ipſe, quam ſucceſſores ſui exiſtant. obſeruando in omnibus, omnium obedientiam, omnemq. conſuetudinem ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, eiuſq. Archiepiſcopis, abſque omni contradictione, vel moleſtia, prout inrefragabiliter pollicitus eſt. Nam ſi ipſe, vel aliquis deceſſor eius, aut aliquis veſtrum, tam de ſacerdotali ordine, quàm de laicali cœtu, contemptor, vel tranſgreſſor apparuerit, per inobedientiam, ſacerdos qui extiterit, ex Dei omnipotentis, ſanctorumq. Apoſtolorum Petri & Pauli, & noſtra Apoſtolica auctoritate, maneat ſuſpenſus a proprio miniſterio, quouſque ſolutionis gratiam a Rauennate Archiepiſcopo perceperit. Laicus verò, qui contradictor apparuerit, a vino, & cocto ſuſpenſus exiſtat, quouſque ad prædictæ ſolutionis gratiam peruenerit. Inſuper noſcat, ſe noſtro Lateranenſi palatio, quinque libras auri obrizi eſſe compoſiturum, & anathematis vinculo innodatus, in eum permaneat. Hanc noſtram Epiſtolam, vel teſtificationem, ſanctam Rauennatem Eccleſiam habere decernimus.* Proximo anno Pontifex Stephanus, exceſſit è uita. Illi ſucceſſit Formoſus, Dominicus Archiepiſcopus, Leoni, & Reparatæ coniugibus, eorumq. liberis, fundi Butrioli, Griciani, Piperioni partem, hortumq. Bigardum, qui erat Fauentiæ, fundos pitalem, donum Dei, Balneolum, Riolam, Fonticam, ANN. DCCCXCI

&

& Mandriolam, multaq. alia in Fauentino, iure emphyteutico conceſſit. ta
larum huius conceſſionis, initium hoc eſt. *In nomine Patris, & Filÿ, & Spi
tus Sancti. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domni Formoſi, ſummi Pontificis.
uniuerſalis Papæ, in Apoſtolica ſacratiſsima beati Petri ſede, primo: ſitq. Impera
te Domno pÿſsimo perpetuo Auguſto Vuidone a Deo coronato, Pacifico magno Im
ratore, anno ſecundo, die ſeptimo decimo menſis Nouembris Ind. Decima, Raue
næ. Domino ſancto, & meritis beatiſsimo, atque Apoſtolico patri patrum Domno
minico ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopo.* Hæc autem duxi apponen
tum ut eorum temporum tituli pateant, qui vt in poſterioribus diu perſe
rarunt, ita iam diu ante Dominicum hunc Archiepiſcopum inceperant: tu
ut huius ſcripturæ, Longobardicis litteris exaratæ teſtimonio compertum
Vuidonem non hoc anno; vt pleriq. ferè omnes tradunt; ſed ſuperiore coro
tũ. quod notaui eo libentius, quò huius tẽpus Principis, qui poſt tantas, & ta
diuturnas exterarum nationum incurſiones, antiquum Imperium Italicis
ſtituit, accuratum haberetur. Neque tamen quieſcebat Italia, nam Bere
garius, ſubſidio ab Arnulfo impetrato, Vuidonem Papiæ obſedit: Leo Orie
talis Cæſar, iniuriis Aionis Beneuentani Ducis exacerbatus, nouum exer
tum aduerſus eum miſit; & Beneuentanam ditionem, ſuam fecit. Saraceni
Hiſpania ad Italiæ littora delati, occuparunt, magnoq. Ciſalpinæ Galliæ i
commodo per multos deinde annos tenuerunt Fraxinetum, arcem in Alpi
Cottiarum prouincia, peropportuno loco ſitam. Proximo anno Rauennæ L
cia ancilla Dei, iam Pauli Conſulis filia, donauit Ingeradæ Illuſtriſſimæ Co
tiſſæ; ita enim in tabulis, hac de re, publicis, ſcribitur; fundos de Inciſic
Biotargolo. Subſcripſere his tabulis teſtes Romualdus filius Sergii Ducis,
Anaſtaſius filius Conſtantini conſulis. Quamquam autem fuerat irritus Ber
garii conatus, nequaquam tamen demiſit animum, ac potius ad Arnulfi
ANN. DCCC-XCIII. Vormatiæ conuentum agentem, ubi aderat & Carolus ſimplex Galliæ Re
profectus, eum cum ingenti executu adduxit in Italiam: Mediolanoq. ac P
pia, atque Placentia potitus, Papiæ ab Arnulfo reſtituitur. & Vuido qui rede
te trans Alpes Arnulfo, animum copiaſq. denuo collegerat, ad Tarum a
nem uomitu ſanguinis repente è medio ſublatus eſt. Ad extremum tamen
num in tabulis publicis eius ſæculi, quæ complures in Vrſiano tabulario ſ
uantur, eius mentionem factam legi: nunc autem illæ occurrunt, inter cæter
quibus Dominicus Archiepiſcopus, nonnullis Rauennatibus ciuibus, it
Emphyteutico, bona aliquot concedit. earum tale initium eſt. *Dominicus ſ
uus ſeruorum Dei, Diuina gratia Archiepiſcopus, anno Deo propitio, pontifica
Domni Formoſi, ſummi Pontificis, & uniuerſalis Papæ, & in Apoſtolica ſacratiſſi
Beati Petri ſede, tertio. Imperante Domno Vuidone a Deo coronato, anno quarto,
XII. Men. Decembris, Indict. XII. Rauennæ.* Scribunt grauiſſimi auctores, La
ANN. DCCC-XCIIII. bertum, Vuidonis filium, Regem, ſtudio eorum excitum, qui patris part
adhuc tuebantur, in Berengarium mouiſſe, eumq. Veronam conieciſſe,
quamquam Arnulfo in Italiam, uocatu formoſi, qui a Lamberto uexaba
deſcendenti, ceſſerit, tamen eo abeunte, & Formoſo Pontifice mortu
cum Bonifacius ſextus primum, mox Stephanus; item ſextus, Pontificatu
Maximum iniiſſent, reſumpſiſſe uires, & a Stephano Pontifice, anno non
geſimo ſexto ſupra octingenteſimum, inunctum Imperatorem: Sed pri
rem

rem annũ in tabulis Rauennatibus publicis, Lõgobardico ſcriptis charactere, Imperii Lamberti quartum dici reperio: Tabulæ autem hæ ſunt. *Anno. Stephani Papæ, Imperante Lamberto anno quarto, die octauo Septembris Ind. . . . Rauennæ. Ingenrada Comitiſſa filia Apaldi Comitis palatii, cedit, & donat Petro Diacono ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, dulciſsimo, & mellifluo filio ſuo, eiusq. hæredibus in perpetuum, abſque hæreditario nomine, illud quod eſt de iure ſuo, & teſtamentario iure quondam Martini glorioſi Ducis, dulciſsimi, & ſuauiſsimi mariti, in territorio Fauentino multa prædia, & curtes, & caſalia &c. uſque in iugum alpium, finibus Tuſciæ, in ipſo Fauentino territorio, & Ducatus, excepta curte Bubiano & Petra in qua caſtellum eſſe uidetur: in territorio Liuien. plebe ſancti Pancratij Ducato Traverſariæ, curtem quæ uocatur Aurelianus, qui aliquando uocatur ſancti Mammæ, & Ronco. qui aliquando uocatur de Taſillo. item in territorio Rauennate, in Decimo, plebe ſancti Caſsiani: ſimiliter duo monaſteria fundata in Ciuitate Ariminenſi, ſcilicet ſancti Thomæ Apoſtoli, & ſanctæ Euphemiæ martyris, cũ omnibus rebus, ac poſſeſsionibus ad eadem monaſteria pertinentibus. Similiter in comitatu Comaclo, & territorio & Ducatu eius, excepto ſalu ubi reſidere uiſus fuit Leo, qui uocatur Abbo; & quatuor Salinæ, quæ fuere Gregorij Ducis, quondam ſoceri mei. item domum in hac ciuitate Rauennæ, qui uocatur Ferrato, cum monaſterio ſanctæ, ſemperq. Virginis, Dei genitricis Mariæ a nobis a fundamento ædificato: cum omnibus poſſeſsionibus ad idem monaſterium pertinentibus, & turricella trans platea: item aliam domum, quæ uocatur de Senegallia, prope Eccleſiam beati Petri Apoſtoli, qui uocatur maioris, cum curte. & alijs domibus ibi cohærentibus, & horto: & poſſeſsiones foris portam ſancti Victoris, qui uocatur Guarcinonum, cum hortalibus, ſtationibus, flumine, ripa: item prata extra fluuium, & de iſta ripa fluuium Teguarienſis, cum omnibus ſibi pertinentibus.* Hæc ibi. In aliis etiam huiuſmodi publicis tabulis a Dominico Archiepiſcopo confectis, annus primus Romani, Pontificis Maximi, qui Stephano ſucceſſit, appellatur annus Imperii Lamberti Sextus: ſunt autem Nonis Septembr. Indict. XV. exaratæ, id autem eſt a partu Virginis Octingenteſimo nonageſimo ſeptimo. Vnde etiam liquet, errare illos, qui ſcribunt, Romanum Pontificem menſe Auguſto, aut Kal. Septembris mortuum. Ceterum cognoſcere poſſumus, ex Ingenradæ tabulis, cum multorum opidorum agri, Comitatus dignitate, tituloq. alii uerò Ducatus, inſigniti eo tempore fuerint, Cæſaribus, ſuæ factionis ſtudioſis, obſequi, percupientibus, unde manauerit, ut nunc ciuitatum, atque opidorum agri, territoriaq. Comitatus dicantur: quamquam, & ad opida eorum ditioni ſubiuncta, id nominis pertinuerit: & eiuſdem quandoq. Ciuitatis ditionem, partim Ducatum, partim Comitatum, & tandem Territorium, quòd nullo fuiſſet titulo condecorata, appellatam ſatis conſtet, & ex iis, quæ de Cymaclo hic habentur, pateat. Dominicus Archiepiſcopus cum multa in templo Diui Apollinaris Claſſenſis reſtituiſſe, hæc adiecit carmina.

ANN. DCCC-XCV.

ANN. DCCC-XCVII.

Marmoreum hoc ſplendet opus, ſub tegmine cuius
Munera ſacrantur corpore Chriſte tuo,
Argenti quondam conſtructum rite decore,
Barbara deſtructum ſuſtulit auſa manus:
Saxa . . . . martyr munus ne deſpice uerax,
Imò libens aula cede manere tua.

Quaq.

Quæq. prius ſtatuit vates ſublime Ioannes,
Non mediocre ſacer Dominicus ſtatuit.

Conceſſit etiam D. Ioannis Euangeliſtæ monachis, vt noctu ad matutinum officium, die ad veſpertinum, nocte Domini noſtri Ieſu Chriſti excepta, pulſare ante alios, nolas, eis fas eſſet ea condicione, ut horologium haberent qui matutini officii hora pateret. Romanus Pont. moriens, ſucceſſorem habuit Theodorum: qui etiam paulò uiuacior, uigeſimo die deceſſit. Succedit Ioannes nonus, eo fere tempore factus Pontifex quo Rauennæ mortuo Dominico Vblatella, in eius locum Ioannes huius nominis nonus Archiepiſcopus, e Trauerſariorum familia ſufficitur. Hic ab Ioanne Pont. Max. certior factus omnia diligenter compararet, ad Concilium habendum neceſſaria; cum præſertim Lambertus Imperator, eò quoque Reipubl. conſtituendæ cauſa, conter inuitatus, affuturus putaretur; & proprio, & communi Rauennatum ſtudio, ſuæq. præſertim gentis magnifico apparatu, cultuq. cum elegantia, & copia incredibili, ac planè Regia, Pont. Max. cæteroſq. Antiſtites, & maiores minoreſq. ſacerdotes accepit. Cum autem ſeptuaginta quattuor Epiſcopi Rauennæ conueniſſent, in quibus; vt prodit memoriæ in Speculo Hiſtorico Vincentius; Galliæ Archiepiſcopi fuere, Pontificeq. & Imperator in ſolemni pompa adeſſent, conuentus magno omnium ſtudio inſtitutus eſt. Primum de cauſa Formoſi relatum, mox de ceteris, quæ in Chriſtiana Republ. egere correctione uiſa ſunt. Dictis autem de re quaque, ex ordine, ſententiis, Pontifex acta conuentus; quem Stephanus ad reſcindenda acta Formoſi habuerat, in quo eius cadauer Pontificis è ſepulchro detractum, & quaſi in iudicium adductum; damnatum eſt; decretis editis infirmauit, ita tamen, ut Epiſcopis, ſacerdotibuſque, qui ei interfuerant, & ueniam poſtulantes, uim, & metum excuſabant, indulſerit. Arnulfi Regis, Auguſtalem conſecrationem quam a Formoſo Arnulfus extorſerat, reſcidit: Sergium, Sergiique ſocios, ab Romano Pont. Max. damnatos, reſtitui uetuit. Violatores damnauit Sepulchri, cadauerisq. Formoſi, qui illud de Sepulchro detractum, in Tiberim proiecerant. & Formoſum, quòd ex aliena quidem Eccleſia, ſed tamen neceſſitate, cui ſeruiendum eſſet, ad Romanæ adminiſtrationem, non malis artibus, ut calumniabantur aduerſarii, ſed ut Sergio, nulla re, niſi ſplendore familiæ, commendato, ipſe elegantia doctrinæ, & uitæ probitate præſtans, obiiceretur, accitus ueniſſet, Pontificem confirmauit: eoq. maiore totius conuentus uoluntate, quòd ſuperiore anno, cum Formoſi cadauer ad oſtium Tiberis fluitans, a piſcatoribus repertum, in Vaticanam baſilicam reportaretur, ſanctorum uirorum imagines, uenerabundæ ſalutaſſe illud uiſæ fuerant. Verùm ſanxit accuratiſſimè, in Eccleſia poſt hac quid ſimile ne fieret. Epiſcopi a Formoſo initiati, a Stephano exauctorati, ad gradus priſtinos reſtituti: Sacra Lamberti Imperatoris inunctio confirmata: itemq. cetera acta a Stephano pro Eccleſiæ ſalute. Statutum etiam, ne Pōtifices deſignati conſecrari, præterquàm coram Regiis legatis, ius eſſet: idq. contra quàm Hadrianus Tertius Pont. Max. decreuerat: Sed tamen ad uitanda, quæ in Pontificiis Comitiis oriebantur, cum maxima Eccleſiæ offenſione, diſſidia. Ibi etiam Lambertus Cæſar Auguſtus, donationes a ſuperioribus Regibus Eccleſiæ factas, & a Vuidone patre, item Imperatore inſtauratas, confirmauit.

ANN. DCCCXCVIII.

uit. Conſiliis autem agitatis ab Epiſcopis, ac ſententiis dictis, cum tandem hæc omnia Pontifex pronunciaſſet, ita ſubiecit. *Quando igitur, dilectiſſimi fratres, uos nobiſcum conueniſtis, ut duce ſpiritu ſancto, communi ueſtrum omnium conſilio, ea, quæ neceſſaria ſanctæ Dei Eccleſiæ putaremus, unà cum glorioſiſſimo Imperatore, Lamberto conſtitueremus, uultisne, ut quæ capitulatim notata ſunt, recitentur, examinentur, & confirmentur?* Vbi Patres placere ſibi reſponderunt, tum hæc recitata ſunt decreta. *Si quis ſanctorum patrum decreta contempſerit, & glorioſiſſimorum Imperatorum Caroli Magni, Ludouici, Lotharij, & filij eius Ludouici de Eccleſiaſticis Decimis in eorum Capitularibus conſtituta, non obſeruauerit, & eas alibi, quàm in baptiſmalibus Eccleſijs iniuſſu Epiſcopi dederit, & qui dedit, & qui recepit, auctoritate ſedis Apoſtolicæ, & ſanctæ Synodi, communione remotus ſit. Siquis Romanus, cuiuſcumq. ſit ordinis, ſiue de Clero, ſiue de Senatu, ad noſtram Imperatoriam maieſtatem uenire uoluerit, aut neceſſitate compulſus, noſtrum auxilium implorarit, nemo ei impedimentum afferat, aut eius uitæ noceat, aut in eundo, aut in redeundo, aut in manendo: liceatq. Imperatori aut per ſe, aut per legatos ſuos cauſam eius cognoſcere: Qui ſecus fecerit, ab Imperatore puniatur. Vt priuilegium S. R. E. quod primis temporibus per pijſſimos Imperatores conſtitutum eſt, a nobis firmetur. Vt flagitia de quibus ad vos venimus, quæ in territorio noſtro commiſſi conſpeximus, in truncationibus, deprædationibus, incendijs, rapinis & violentijs, a vobis diligentiſſimè, & pro vt neceſſe eſt, legitimè coerceantur. Vt pactum quod a veſtro genitore D. Vuidone, & à vobis pijſſimis Imperatoribus ex antiqua conſuetudine factũ eſt, renouetur, & inuiolatum ſeruetur. Quoniam Maieſtas veſtra nouit, quas conſpirationes Romani, Longobardi, & Franci faciant aduerſus Apoſtolicam, & Imperatoriam auctoritatem, in terris beati Petri, vt, ſicut prædeceſſores veſtri prohibuerunt, ne fierent, ſic in poſterum & ipſi Auguſtali veſtro Decreto prohibeatis. Cum ad Pontificatum euecti, baſilicam Domini noſtri Conſtantinianam dirutam cerneremus, eius reſtituendæ cauſa, qui trabes inciderent, miſimus, ſed qui miſſi ſunt nefariorum hominum temeritate, mandata noſtra exequi non potuerunt: Quod opus, vt ad exitum perducatur, tamquam dilectiſſimus filius, & glorioſiſſimus Imperator, operam date. Et quoniam S. R. E. eo inopiæ eſt redacta, vt pecuniæ, quæ pauperibus pro incolumitate veſtri Imperij diſtribui ſolebant, unà cum ſtipendijs clericorum exhauſtæ ſint, his ad ſtabilitatem Imperij veſtri, vnà cum fidelibus veſtris proſpicite.* His cum Patres aſſenſi eſſent, ita perorauit. *Quando igitur vos uno conſenſu, quæ Chriſto bene iuuante ſtatuimus, approbaſtis, hortor vos, ut commiſſæ vobis Eccleſiæ curam agere ſtudeatis, & gregem Chriſti ſanguine redemptum, bonis exemplis, & ſalutaribus documentis imbuatis. Vbi uerò domum redieritis, ieiunium indicite, ſupplicationes agite, orantes Deum, ut iram ſuam a populo auertat, pacem tribuat, diſſidia dirimat, peccata miſerando aboleat, & ad defenſionem ſanctæ ſuæ Eccleſiæ ſpiritalem filium noſtrum Imperatorem Lambertum conſeruet, & ſuperbarum gentium ceruices ſua potenti dextera ſubijciat.* His actis, dimiſſum Conciliũ eſt. Ioannes Pontifex Romam, Lambertus Imperator, venationis cauſa Marincum in nemus diſceſſit, vbi haud ita diu poſt, cum defeſſus labore, dormiret, ab Hugone, Mangifredi filio, cui ſe cuſtodiendum commiſerat, interfectus eſt: nam paternam iniuriam ita ſe vlturum Hugo credebat, qua Lambertus Mangifredum eius patrem, Mediolani Comitem, arma in ſe mouentem, necauerat. Ioannes Archiepiſcopus Rauennas, ut ea, quæ erant in Concilio decreta, ad ſe ſpectantia efficeret, & ieiuniũ

indicit,

indicit,& ſupplicationes agit:ad conformationem deinde populi ſui conu
ſus,D.Vitalis cœnobium ad ſacerdotum cucullatorum regulam deduxit:
ſtituit etiam in D.Mariæ templo,quod extat in Inſula Rauennatis agri,cu
latiolo nomen eſt,regularem mona:horum cõuentũ, qui aſſiduè die,noct
Deum hymnis colerent.& vt Deo ſeruientibus abũde ſuppeditaretur vi
ipſam Palatiolam Inſulã; quæ Pado,Rheno, mari ſuper,ac Foſſa noua cir
dabatur,& in qua cœnobium illud,ac templũ erat;vna cum ſyluis,ædifici
omnibus,ac paludibus conceſſit:atq. ẽt in litore maris ipſius Inſulæ,ſeu i
uio,qui Padarenus vocatur.Nonnullis ſeruatis templo D.Georgii, quod
longe ab ipſo cœnobio aberat;voluitq.vt ex ipſo monachorum conuentu
bas deligeretur,& perpetuo matutinis precibus expletis,quinquageſimũ p
mum,& tricies kyrie eleiſon, ac pro peccatis precem recitarent: quod &
quotidianum hora diei tertia officium,faciendum iuſſit.Quo verò die m
ret ex hac vita; fuit autem deinde XI. kal. Decembr. ſinguli ſacerdotes
Diuinam,& per tres deinde dies etiam facerent, illiq. precibus de more
tarent.Vertentibus annis,eodẽ die,Abbas, pane,vino,carnibus,ac piſci
vt tẽpus ferret; egẽtes quinquaginta aleret. Aſſenſi ſunt huic donationi,A
linaris Epiſcopus,Saxinas:Conſtantinus,Ferrarienſis:Romanus,Fauenti
Cyprianus,Cymaclenſis:Petrus,Cornelienſis:Florius,Cæſenas:Ioannes,
pilienſis: Apollinaris,Liuiẽſis:Ioannes Archipresbyter Rauennatis Eccle
Petrus Archidiaconus: Andreas Diaconus: Deusdedit ſacerdos, ſcriba
chiepiſcopatus:compluresq. etiam Rauennates ſcribæ: qui omnes,adſcri
tes,Rauẽnatem Archi epiſcopum,ſanctiſſimum,ac beatiſſimum appellan
ſe uerò ſe ſeruorum Dei ſeruum,& exiguum oblatorem,harum tabularu
tio;quas in D.Vitalis bibliotheca nos legimus; ſcribit. Ioannes Pontifex
mam reuerſus, ſecundo anno Pontificatus moritur, ſucceditque Benedi
ANN. DCCC-XCIX. Quartus.Arnulfus Cæſar, quem vitio Imperatorem factum fuiſſe, Rauen
in conuentu Patres conſtituerant, pediculari morbo cõfectus interiit:ei
rogatur Hludouicus filius,qui numquam Auguſtalem accepit coronam,
re maiorum: Italis imperium ad Gallos tra:ſlatum ægrè admodum fere
bus:Quamquam nec deeſſent ex Italis,qui cum Berengarium non probar
euocarint in Italiam, Hludouicũ Prouinciæ Regem, Boſonis filium,Hlu
ci ſecundi Imperatoris nepotem.Sed haud ita diu poſt Berengarius,qui d
denti in Italiam Hludouico ceſſerat,in Bauariamq. euaſerat,regreſſus in
liam,cum priſtinum Regnum repeteret, ſecundo prœlio apud Veronam
ANN. DCCCCII. Hludouico vſus,victor Imperium arripit,anno nongenteſimo ſecundo.D
ANN. DCCCC-III. bus ferè poſt annis Benedictus Pontifex moritur:poſt quẽ Leo Quinctus
qui de Pontificatu,quadrageſimo,poſtquam fuerat conſecratus, die,detu
tus,ſucceſſorem habuit Sergium tertium;Huius initium Pontificatus ma
barbarorũ tumultibus,perturbatum plurimum eſt,Vngaris,ac Saracenis
Ita m vndique,miſerabili populatione vaſtantibus: Fuit is a partu Virgini
ANN. DCCCCV. nus quinctus ſupra nongenteſimũ: quo præfuiſſe Rauennati Eccleſiæ I
nem Decimum, Archiepiſcopum, monumenta Vrſiani tabularii com
ra teſtantur:ſucceſſerat hic Petro Archiepiſcopo,qui fuerat Ioanni nono
rogatus:& cum Diaconus eſſet Rauennatis Eccleſiæ, Epiſcopus Bononi
factus,decedente Petro,Rauẽnatem ſedem obtinuit:quod quo ſtudio,&

bu

bus artibus occiderit,horum tẽporum æqualis Luitprandus Ticinenſis Diaco
nus,libris rerum per Europam geſtarum ſuis,ita explicat.*Theodora ſcortũ impu-
dẽs, Alberici,qui nuper hominem exuit,auia;quod dictu etiã fœdiſsimũ eſt; Romanæ Ci
uitatis non inuiriliter monarchiã obtinebat:quæ duas habuit nurus, Maroziã,atq.Theo
doram,ſibi non ſolum coæquales, uerùm etiã Veneris exercitio promptiores. Harũ una
Marozia ex Papa Sergio,Ioannẽ,qui poſt Ioannis Rauennatis obitum S. R. E. obtinuit
dignitatem;nefario genuit adulterio.Ex Alberto autem Marchione,Albericum,qui no-
ſtro poſt tempore Romanæ urbis Principatum uſurpauit.Per idem tempus Rauennatis ſe
dis,qui ſecundus,poſt Romanũ Archiereum, Archipræſulatus habebatur; Petrus Pontiſi
catum tenebat:qui,dũ ſubiectionis officio debito, nominatum Ioannem Papam; qui ſuæ
miniſter Eccleſiæ tunc temporis habebatur;Romam ſæpius & iterũ domino dirigeret Pa
pæ,Theodora,vt teſtatur uita eius,meretrix impudentiſsima,Veneris calore ſuccenſa,in
huius ſpeciei decorem uehementer exarſit,ſecumq.hunc non ſolũ ſcortari uoluit,verùm
etiã atq.etiam poſt concubuit. Hæc dum impudenter agũtur,Bononienſis Epiſcopus mo-
ritur,& Ioannes iſte loco eius eligitur.Paulo poſt ante huius diem conſecrationis,nomi-
natus Rauennas Archiepiſcopus mortem obijt,locumq.eius,Ioannes,Theodoræ inſtinctu
priori Bononienſi Eccleſia deſerta,ambitionis ſpiritu inflatus,contra ſanctorum patrum
inſtituta ſibi uſurpauit. Romam quippe aduenien s, mox Rauennatis Eccleſiæ ordinatur
Epiſcopus.Modica verò temporis intercapedine, Deo uocante, qui eum iniuſtè ordinaue
rat,Papa defunctus eſt.*Ceterùm Ioannes bona Archiepiſcopatus accurate admi
niſtrans,multa hoc anno; qui in tabulis publicis a nobis, lectis,eo ſæculo confe
ctis,Sergii Põtificis ſecundus,Hludouici Cæſaris quartus ſcribitur;Indictione
octaua,Idibus Iulii,compoſuit, & ad veterem ditionem adduxit:quod & inſe-
quentibus,nuſquam interruptis, annis,feciſſe,ſimilia, Longobardo conſcripta
charactere,monumenta declarant:atq. illud in primis,quo Heldeberus,& Ber
tha coniuges,ipſi Archiepiſcopo,Eccleſiæq. Rauennati multa elargiti ſunt,*pro
oblatione,et illuminatione*:anno octauo Sergii Pontificis, Indictione quartadeci- ANN.
ma:id autem eſt,a partu Virginis nongenteſimo undecimo:iiſdem ferè diebus, DCCCC-
quibus Sergius mortuus eſt, atq.in eius locũ Anaſtaſius tertius eſt factus;qui cũ XI. ANN.
biennio poſt deceſſiſſet,ſucceſſorẽ accepit Landonẽ,cuius mentio in tabulis ha DCCCC-
betur ab Ioanne Rauennatũ Archiepiſcopo,Indictione ſecunda,ſcriptis,Nonis XIII.
Februarii.Vnde facile eos labi conſtat,qui tradunt eũ Põtificẽ, menſe Decẽbri ANN.
ſuperioris anni mortuũ:cũ in quartumdecimũ nongenteſimum ab orbe redem- DCCCC-
pto,ſecunda cadat Indictio,Landoni,Ioannes ciuis,& Archiepiſcopus Rauẽnas XIIII.
ſucceſſor datus eſt.ita.n.de illo ſcribit Luitprandus Ticinenſis.*Theodora aũt Gy
cerÿ mens peruerſa,ne amaſii ducentorũ milliariorũ interpoſitione, quibus Rauenna ſe-
queſtratur a Roma,rariſsimo concubitu potiretur, Rauennatis hũc ſedis Archiepiſcopatũ
coegit deſerere,Romanũq. proh nefas ſummũ Pontificiũ vſurpare.*Rauennatẽ Archie
piſcopatũ Cõſtantinus iniit.Ioannes Põtifex magnis in Põtificatu rebus geſtis,
Eccleſiæ,Italiæq.maximo fuit uſui.Nam auito in auxiliũ Alberto Marchione,Sa
racenos a Græcis in Italiã euocatos, iamq. ex Apulis,& Calabris motos,ipſi Ro ANN.
mæ excidiũ minitantes,ad Lirim,ingẽti clade ſuperauit: cũ & ipſe in caſtris Ioã DCCCC-
nes Põtifex fuiſſet, & D.Apoſtoli Petrus, & Paulus in eo prœlio a quibuſdã cõ- XV.
ſpicerẽtur:nec diu poſt eodẽ anno Berẽgariũ Italiæ Regẽ;quod nũquam potue
rat ad hãc diẽ Berẽgarius cõſequi;Imperatorẽ inũxit,Auguſtũq.declarauit quã
quã magna hæc Berẽgarii felicitas,ut sũt humana,ſtatim ferè turbari,vnius ope

ANN. DCCCC. XVII. ra mulieris,cœpta eſt:Berta,Adelberti Tuſciæ Marchionis iã uxore,nouis uerſus eũ,rebus ſtudente.Hoc interim ſpatio, Conſtantinus Archiepiſco Rauennas,anno DCCCCXIX. ditionem Eccleſiæ Rauennatis reſtitutui multa nouauit,in quibus XV.kal.Mar.Rauennæ, conceſſit montẽ,Ancella dictũ,Ioanni,& Mattidiæ coniugibus,iuxta montẽ Domnicũ, & Flabianũ, ritorii Ariminienſis.

ANN. DCCCC. XX. Berengarius Bertæ tandẽ cõpoſito tumultu, aliũde fat ri inſidiis Adelberti Eporediæ Marchionis,non deſtitit,a ſocru,ut creditur, ſtigati,cũ Ermẽgardam Bertæ felicẽ haberet in matrimonio: & cũ ſatis ſib riũ non eſſe intelligeret Adelbertus,Rodulfum Burgundionũ Regẽ in Itali adducẽdũ curauit,a quo Berẽgarius prælio ſuperatus,cum Veronam fugiſ ibi a ciuibus cõfoſſus,innocẽs,&nequaquã tali dignus exitu,occubuit.

ANN. DCCCC. XXIII. Per tẽpus moritur Cõſtantinus Archiepiſcopus,cũ multa in plebatu,ut aiunt,iu S.Georgii,loco,qui dicitur de Taurino,dediſſet Leoni Diacono Ferrarienſi. ximis ẽt priuilegiis ac prærogatiuis Eccleſia Rauẽnas ab his Cæſaribus dor tur: & ex uetuſtiſſimis monumẽtis accepimus,uti ẽt ſupra dictũ eſt,hanc iis poribus fuiſſe Rauẽnatũ Archiepiſcoporũ inſcriptionẽ. *Domino Sãcto,et mer beatiſſimo,atq. Apoſtolico patri patrũ Domno Conſtãtino,ſanctiſſimo S.Catholicæ uennatis Eccleſiæ Archiepiſcopo.* Neq. n.clam me eſt,& ex marmoribus eius ſæc adhuc cõſtat,& ſupra demoſtrauimus,Archiepiſcopos Rauẽnates,ſãctiſſim beatiſſimos,ac feliciſſimos appellatos: Si quidem poſt Romanum Maximu Pontificẽ,tunc ſecundo loco in Italia Archiepiſcopus Rauennas habebatu uti teſtatũ reliquit Luitprandus Eccleſiæ Ticinenſis Diaconus. In Cõſtanti locũ Petrus Bononienſis ſuffici tur,q ui appellatur in tabulis publicis hoc m do. *Petrus ſeruus ſeruorũ Dei,Diuina gratia Archiepiſcopus Quartus,iunior,pollet* Domo Bononienſis fuit, & ſi ſuperiores hoc nomine Archiepiſcopos repet mus,quinctus numerabitur.Italiam hoc tẽpore, Cæſaribus deſertam:nam c ciderat Berengarius,Rodulphus in Burgundiam redierat; impotens fœmin Ermengarda;Adelberto Eporediæ Marchione, viro, mortuo ; moderabatu quòd pudore,pudicitiaq.expugnatis in omniũ non virorum modo Principi ſed & ignobilium,complexum,deueniebat.Circiter id tẽporis,Englarata C mitiſſa,Ingelrada etiam vocata, Martini Ducis,ciuis Rauẽnatis filia,in opid Mutiliano,quod erat ſuæ ditionis,inſigni rerũ magnificentia,aulæq. ſplendc re,degebat.Multis aũt oculos in eam coniicientibus,& eius appetentibus nu ptias,vnus ceteris prælatus eſt,Tigrinus,Palatinus inTuſcia Comes;quem a pellabant aliqui Vuidonẽ;nobilitate iuuenis,&opibus,atq.adeo dignitate fl rentiſſimus.Is.n.cum per ſpeciem venationis,ſe ad opidum Mutilianum,qua non ſentientẽ,prouectũ ſimularet,op idũ ingreſſus,& ab Englarata,officii ca ſa,humaniter acceptus,eam ſibi beneuolentiam cõciliauit,ut haud multo de inde labore,Englaratã uxorem habuerit, Mutiliano opido potiretur. Inde c pit,Rauennam,uxoris patriam frequentare; Verũ,vt ex vetuſtis monumentis coniici potuit:cum Petrus Archiepiſcopus,opidum ipſum Mutilianum ad Ra uennatem Eccleſiam ſpectare diceret, & recuperare niteretur,Tigrinus homi ni manus infert,& in ipſius arcẽ opidi in cuſtodiam abduxit. Vbi his precibus Deũ rogaſſe,Toloſanus Canonicus Fauẽtinus,ſuo,quem nos legimus,manu ſcripto cõmentario,teſtatur. *Rogamus te Domine Deus,quia peccauimus tibi:Veniã petimus,quam nõ meremur:manum tuam porrige lapſis,qui latroni confitenti Paradiſi*

ianuas

ianuas a peruiſti: Vita noſtra in dolore ſuſpirat, & in opere nō amendat: expect.us, nō s corripimur, & ſi uindicas, induramur. Ad tot, quas diximus, perturbationes Italiæ, acceſſerunt Romæ tumultus: hos exciuit Albertus Marchio, e familia Tuſculanorū Comitū, opibus, & gratia plurimū pollens, quibus diligentiſſimi, ac uigilantiſſimi Pōtificis animus mirifice perturbabatur. Quamquam aūt is Roma profectus, ut effugeret Pontificis offenſionem, Ortam ſe cōtuliſſet, Tuſciæ opidum ualido præſidio firmatum, & ad ulciſcēdam iniuriam, Vngaros, ut Romanam inuaderēt ditionē exciuiſſet, tamē illi, cum Rhodulfum Regem in Italiam paulo ante reuerſum, in Papienſe bellum auerſum uiderent, progreſſi, præcipuē in eam, quam Albertus exceperat, Tuſciam irruperunt, puerosq. ac uirgines, & quæ auferri poterant, cetera, in Pannoniam exportarunt. Itaque Pontifex, cum uiribus Rodulfi, quod tenues eſſent, haud ſatis fideret, communicato cum aliquot Principibus Italis conſilio, Hugonem Arelatenſem Comitē, in Italiam euocat: illiq. ob id Piſas ingredienti, internuncios ſuos obuios mittit, ipſe Mantuæ, paucis poſt diebus, eum adhibet, fœdusq. cum eo percuſſit: Rhodulfo autem hanc ob rem trans Alpes abeunte, Hugo iniit Italicum Regnum, ANN. DCCCC-XXVI. & ex proceribus Italiæ, multos quos habuit ſuſpectos, mulctauit exilio, cum interea Marocia Alberti Marchionis demortui uxor, quæ diu in Imperio ac poteſtate fuerat, uiuere priuata neſciens, Vuidoni Tuſciæ Marchioni nupta, atq. ad eum traducto urbis Romæ Principatu, qui fuerat Alberti, hominem ad cœptas cū Pontifice inimicitias exercendas, incendit: Eæ tandē eò deuenere inimicitiæ, ut Vuidonis mariti ope atque opera, Ioannes Pontifex deiectus de ſede fuerit. Sed ut tam inſigne conceptum ſcelus, Vuido, leuiore negocio conficeret, Petrum, Pōtificis fratrem, prius ſibi de medio tollendū cōſtituit, eumq. die quadam, paucis ſtipatum forte nactus, immiſſis ſatellitibus, in Laterano, Pontifice inſpectante, confodit, ac mox Pontificē nihil tale metuentem, comprehendit, & in cuſtodia habitum, ceruicali in os coniecto, cum quattuordecim iam annos Pontificatum gereret, ſtrangulauit: ANN. DCCCC-XXVIII. Principem, ſi vel ſacroſanctam ſummæ dignitatis maieſtatem, vel eius præclarē acta, omni Italiæ, hoc tēpore, admodum ſalutaria, ſpectemus, hoc nequaquam exitu dignum: ſed quē fœminæ ſtudium extulit, odium fœminæ abſtulit: non abſq. ingenti Rauennatum ſuorum mœrore, qui eius plurimum Pontificatu, auctoritate, gratia, opibusq. floruerant. In eius locū ſubrogatur Leo Sextus, qui dū inſtaurare multa parat, moriens, ſucceſſorem habuit Stephanū ſeptimū: poſt quem Ioannes undecimus, Sergii Pōtificis, ex Marocia filius, Pōtificiū ſolium tenuit, anno nongenteſimo trigeſimo: ANN. DCCCC-XXX. quo anno Hugo Rex, Hlothariū filium, ſibi Regni ſociū adiungit, ſi multis Rauennatibus eius ſæculi monumētis adhibenda eſt fides, quæ hunc annū, Regni Hlotharii primum, Hugonis quinctum dicunt: quibus reſpondent & inſequentiū annorum tabulæ publicæ complures. Credo autē id ab Hugone factū, quod uereretur, aliquotq. iam illi haud contemnenda indicia adeſſent, ne Italici, ſe deſerto, ſibi adoptarent Regem, Lambertū, Vuidonis Tuſciæ Marchionis; qui poſt Ioannem Pontificē ſtrangulatum, breui exceſſerat ex hac vita; fratrem: virū acrem ingenio, & manu promptū: quamobrem poſtquam Hugo fratrem eſſe illum ſuum, negauit; tametſi eadem matre Berta progenitū; illi tandē manus iuſſit iniici, & Tuſca ditione mulctato, tandē oculos erui. Quo factū eſt, ut Italici palā ad Arnoldū, ſeu ut alii ſcribūt, Arnulfum,

Baioariæ Ducem confugientes, hominem in Italiam cum exercitu,ſpe I
rii, duxerint:Sed ab Hugone,commiſſo prœlio, ſuperatur. Biennio poſt
ANN. DCCCC. XXXIII. ni XI. Pont. Max. demortuo, Leo Septimus ſucceſſit,& huic Stephanus
uus, cuius anno primo, Petrus Archiepiſcopus Rauennas, cum religio
dii,& eximiæ diligentiæ,qua aſſiduè in adminiſtrando Archiepiſcópatu
tur,fructum percipere maturaret,ditionis ſuæ iura ſubiũctis ſibi populis r
uauit:Tabularum,quibus hæc continéntur,tale eſt initium.*In nomine Patr*
filij & ſpiritus Sancti. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domni Stephani ſummi
ficis,& vniuerſalis Papæ,in Apoſtolica ſacratiſsima beati Petri ſede,primo: Regn
Domno Hugone pijſsimo Rege, anno XIIII. Sed & Domno Hlotario eius filio ite
ge anno nono,die uigeſimo nono Octob. Indict. XIII. Rauennæ: Domino ſancto &
tis beatiſsimo Apoſtolico patri patrum Domno Petro ſanctiſsimo ſanctæ Catholicæ
ANN. DCCCC. XXXIX. *Rauẽnatis Archiepiſcopo.*Eſt autem hic annus a partu Virginis trigeſimus no
ſupra nongenteſimum.qui nullis fuit rebus Rauennæ geſtis inſignis, quem
modum duo poſteriores, tametſi Romæ perturbatæ res admodum eſſent
ut Stephanus Pontifex a Romanis per ciuilem tumultum affectus fuerit uu
ribus fœdis: quorum pudore prodire in publicũ deterritus, nimio animi c
ciatu extinguitur.In eius locum Martinus Tertius factus:quem tamẽ eius
ANN. DCCCC. XLII. tis monumenta,Marinum appellant,atque ita,ſi rectè ſentiamus, appellan
eſt.Creatus fuit Pontifex anno quadrageſimo ſecundo ſupra nongenteſim
ut poteſt facile ex eius ætatis tabulis cognoſci: nam cum Petrus Archiepiſ
ANN. DCCCC. XLIII. pus Rauennas,proximo anno,pridie Idus Iulii,Indictione prima, Seuero
bili uiro,& Rodolindæ coniugibus,prædia multa,præſertim maſſam,quæ
tur Quiliano,& maſſam aliam, quæ dicitur ſancti. . . . cum familiis, coloni
cõfirmaſſet,id factum ſcribitur. *Anno primo Marini Papæ regnante Domino*
ne Romanorum Rege anno XVII.& Domno Lothario eius filio item Rege anno ter
ANN. DCCCC. XLVI. *decimo.*Moritur tamen anno quarto Pontificatus, nulla,quæ ad nos peruen
rit,re inſigni geſta:illi Agapitus ſecũdus ſucceſſit,quo anno Berengarius c
in Italiam deſcendiſſet,magno ad ſe Epiſcoporum,& procerum Italicorũ c
curſu facto,Hugoni Regi mœrorem iniecit,cum præſertim audiiſſet,eum M
ANN. DCCCC. XLVII. diolani ſe pro Rege cœpiſſe gerere. Itaque Hlothario filio perſuaſit, ut adir
Berengarium, & Regnum Italiæ ab eo conſeruari ſibi depoſceret: quod cu
feciſſet,impetrauit.Verum haud ita diu poſt,Hugo cũ ſe pro dignitate in It
lia imperare non poſſe cerneret;Berengario ſacra omnia,ac prophana ſuo a
bitratu, adminiſtrante; cum theſauro in Prouinciam abiit, & paulo poſt ui
exceſſit.Atq. hinc eſt, quod tabulæ Vrſianæ bibliothecæ,hoc anno;qui fuit
partu Virginis nongenteſimus quadrageſimus ſeptimus; ſexto Non.Octob
Indict. VI. ſcriptæ. *Regnante Domno Hlothario Excellentiſsimo Rege anno XVI.*
ANN. DCCCC. XLVIII. confectæ dicantur:nullo,de Hugone,verbo addito. Menſe Martio,qui proxi
mè inſequutus eſt,Petrus Archiepiſcopus,Leoni filio Vrſi Ducis,& Odentru
dæ nobiliſſimæ, ut ibi habetur, matronæ, coniugibus, maſſam Marianam, &
multos præterea fundos, ac plebes,iure fiduciario,tribuit.Poſtero anno Hlo
ANN. DCCCC. XLIX. tharius Rex uitam cum morte commutauit, extremis anni diebus;ſi quiden
nono kal.Iul.tabulæ extant,quæ Indict.VII. anno quarto Agapiti Pont.Max
Hlotharii autem Regis decimonono,ſcriptæ aſſerũtur.Berengarius, Hlotario
mortuo,Regnum, vnà cum Adelberto filio iniit,illiq. titulum Rauennatis do

minatus

minatus peculia-em adiungit, coniecta in carcerem Adeleide, Burgundiæ
Regis filia quam Hlotharius decedens viduam reliquerat; a nonnullis Alun-
dam appellatam, ne Ticinum dotalem vrbem repeteret. Circiter id tempus
floruiſſe tradunt Guidonem Rauennatem, qui Gothorum, & Narſetis hiſto-
riam luculenter ſcripſerit: Huius ſæpe meminit Blondus, atq. item alii. eius ta-
men ad nos ſcripta minime peruenerunt. Superbe autem, ac inſolenter Impe-
rium adminiſtrantibus Berengario, & Adelberto, Romani, ipſiq. præſertim
Agapitus Pontifex, Othone Germaniæ Rege in Italiam euocato, eorum inſa- ANN.
num furorem compeſcunt; Othoq. Adeleidem è carcere eductam ſibi in ma- DCCCCLI
trimonium collocauit; Rauennamq. ſæpe diuertit. Cæterum cum Italicum Re-
gnum, Berengario ſuppliciter poſtulanti concedente Pontifice permiſiſſet, ip-
ſeq interea eſſet Germanicis quibuſdam tumultibus occupatus, Berengarius
cœpit noua moliri & comparato exercitũ, illum Rauennam atq. in exarchatũ
ducere: Agapitumq. Pontificem vexare. Erat is annus, Pontificatus Agapiti; ANN.
octauus, vt iis tabulis habetur, quibus hoc anno Petrus Archiepiſcopus Ra- DCCCC-
uennas, XVII. kal. Iul. Indict. XI. Ioanni glorioſo Comiti; ſic enim illæ aiunt; LIII.
qui Vocabatur Bonitio, & filiis, tribuit Maſſam Fernabatum appellatam. Quo
eodem anno dedit etiam *Marino, qui vocabatur Boneno, capitulario ſchola nego-
ciatorum*: ut eius utar verbis; *nec non Rauenna honorãda puellula, dilecta filia eius,
ſeu fi'ijs & nepotibus, medietatē de fundo, qua vocatur Contum & medietatem decã-
po ſuo Apollinis, cum vineis, terris, campis.* Scriptæ autem ſunt hæ tabulæ, anno
VIII. Agapiti; Pont. Max. regnante Berengario, & Adelberto eius filio: anno
quarto Regni eorum, Indict. XII. Rauennæ. Inſequenti, Petrus idem Archie- ANN.
piſcopus Conuentum Rauennæ habuit aliquot Epiſcoporum ſibi ſubiunctõ- DCCCC-
rum; vbi Epiſcopi Ferrarienſis precibus, de multis prædiis, quæ occupari ab LIIII.
aliis dicebantur, a Patribus tractatum eſt: Tandemq. cõmuni conſilio Petrus
Archiepiſcopus, Maſſam Cuparium, compluraq. alia, Ferrarienſi Epiſcopo, at-
tribuit. Qui autem interfuere, vt ex ipſius actis Conuentus, quæ adhuc in Vr-
ſiana bibliotheca ſeruantur, charactere Longobardico ſcripta, collegi, anno
Berengarii, & Adelberti Regum, quincto, Indict. XIII. nam Agapiti Pontificis
annus, quòd eſſet exeſus, legi non potuit; ii ſunt. *Martinus ſancta Ferrarien. Ec-
cleſia. N. Liuien. . . . Gonfredus Epiſcopus Caſen. Harnaldus Epiſcopus Populien. Ec-
cleſiæ. Ioannes Epiſcopus Cornelien. Gerardus Epiſcopus Fauentinus. Dominicus reli-
gioſus presbyter & Abbas regularis ſancti Apollinaris, qui vocatur in Claſſe: Marti-
nus presbyter & Abbas regularis ſancti Seueri. Petrus miſericordia Dei presbyter &
Abbas regularis ſancti Laurentij, qui vocatur in Caſarea: Petrus reuerẽtiſsimus Dia-
conus ſancta Rauennatis Eccleſiæ. Leo venerabilis Diaconus S. Rauen. Eccl. Ioannes
Arch presbyter S. Rauẽnatis Eccleſiæ. Petrus ſubdiaconus, Honeſtus ſubdiaconus filius
quondam Ioannes, qui vocatur Ioannis Dux.* Poſt hos numerãtur multi ſacrati vi-
ri Ferrarienſis, & Cornelienſis Eccleſiæ, quos, ne inutili ſerie, ſola nomina con-
tinente, tædio ſim, prætereo. Sequuntur deinde ii, prophani ordinis, viri nobi-
les. *Petrus filius quondam Paulus Dux: Romualdus Dux. . . .* & pleríque alii. Ibiq;
Domnus Petrus ſanctiſsimus, & euangelicus Archiepiſcopus. Subſcripſere huic ſy-
nodi decreto, poſt ſacratos viros, qui ſupra numerati ſunt, Ioãnes Conſul Co-
maclẽſis, Ioannes miſericordia Dei Dux. Hæc Rauẽnæ hoc anno acta. Poſtero ANN.
Sexto Non. Iul. Maria, Leonis, Adelena Fatualdi, filiæ, & Chriſtina Leonis ſã- DCCCC-LV.

 uxor,

uxor, tunc uidua; ad hæc Saluinus, Vrſusq. fratres, Vrſi iam mortui fi
ca multa, prædiaq. in territorio Sauiniano, atq. alibi ampla dono de
Petro Rauennatum Archiepiſcopo, quem uocant coangelicum;atq. Ec
Rauennati, *pro oblatione, & illuminatione. & pro æterna anima remuner*
Interea Adelbertus Rex, qui Rauennam ſedem conſtituit Regni præci
multa denuo uiolenter agens, Venetosq. mercatores iniuria laceſſens, a
netis, Petro Candiano, uiro ſtrenuiſſimo, Duce, ſuperatus eſt. Cun
Cymaclienſes, qui ſemper ueteri ſtudio Rauennatibus fauebant, ir
bantq. Venetis tantum Imperium, Adelberti partes iuuiſſent, ab eis diri
tur, ipſumq Cymaclum ſic euertitur, ut extollere adhuc caput, aliq a e
te, uix, ægreq. potuerit. Berengarius, & Adelbertus nihil ob id commo
liam omnem tyrannide complebant: Sub idem quoque tempus, Rauer
Petrus Badoarius, Candiani Venetorum Ducis filius, uenit. Qui, cun
puli Veneti conſenſu, in Imperii partem aſſumptus fuiſſet a patre, ſeq.
ſter, & arroganter gereret, dignitate mulctatus, in carcerem primo coni
capitisq. damnatus, mox precibus, & rogatu patris, in exilium Rauei
pulſus eſt. Eum Rauennates honorifice exceptum, benigne, humaniterq
ctarunt. Mortuo patre, rurſum a Venetis, ob paternæ uirtutis memoria
Imperium uocatur, multis nauibus Rauennam miſſis, quæ illum accipe
& a multis ciuibus Rauennatibus, officii cauſa, uſque Venetias comit
Ceterum cum multo quàm antea iniquius, immoderatiusq. imperaret,
pularibus, ſubiecto ædibus igne, cum vniuerſa familia, comburitur. B
garius autem, & Adelbertus, ſacras ædes, Italiæq. populos ſuperbo pre
Imperio, pergebant: quamobrem Ioannes Pontifex Max. qui aliquot
annis Agapito uita functo ſucceſſerat; decreuit, ſuperiorum Pontificum
plo, tot malis remedium adhibere; ad Othonemque Regem, Legatos
mandatis mittit in Saxoniam, qui explicato infelici rerum Italicarum ſ
peterent, ut in Italiam ad eam tyranni deliberandam, deſcenderet, & h
feciſſet, Auguſtalem illi, a Pontifice titulum, ac coronam pollicerentu
accidit per eoſdem ferè dies, quibus Petrus Archiepiſcopus, fiduciario
multa tribuit in fundo Corniabello, & Corniliano, & Properiano, i
Fundum Longianum, & fundum Corolianum, & Foretianum Thebaldo
clyto, ut appellat, Comiti, anno quarto Ioannis Pontificis, regnante Bere
ANN. DCCCCLX. rio & Adelberto eius filio anno X. Quarto Id. Mai. Iud. III. Rauennæ, qu
nus eſt ab ortu Chriſti nongẽteſimus ſexageſimus: Eo qui inſecutus eſt, C
ANN. DCCCCLXI. Rex Germaniæ Italiam ingreſſus, & libentiſſimis omnium ſtudiis animiſ
ceptus, poſtquam aliquandiu in Ciſalpina Gallia cõmoratus eſt, Rauen
uenit, mox Romam progreſſus, cum ingredienti, omnia gratulationis offi
admirabili plauſu, præſtita fuiſſent, nono ineunte anno, in Vaticana baſilica
ANN. DCCCCLXII. Ioanne Pont. primus ex Germanis, Auguſtus Romanorum Imperator,
re maiorum, factus, ſacris Imperii inſignibus, & infulis exornatur. Rau
nam deinde non multo poſt regreſſus, multis priuilegiis Rauennatem Ec
ſiam, Ricardumq cœnobii D. Ioannis Euangeliſtæ Abbatem, ordinis D.
nedicti, affecit. Inde Papiam progreſſus eſt. Sed Berengario adhuc furente,
vnà cum Vuilla coniuge Montem Feretrum, præſidiis, operibusq. muni
tenebant, ſecundo Pado, cum exercitu, Rauennam ſe retulit, atque hin
Berengarium

Berengarium progreſſus, Romam denuò ingreditur, anno nongenteſimo ſe- ANN.
xageſimo tertio: Quo anno Rainerius Diaconus, pictu.. Dom.... ſimus Co DCCCC-
mes, & Angelruda Comitiſſa dudum coniuges, & Tetrigrinus illuſtriſſimus LXIII.
uir, nepos eius iam filius Guidonis Comitis, ius, dominatumque quod illis erat, id autem eſt a Ronco in Territorio, qui ſancto Archangelo uocatur, una cum tẽplo, ibidem extructo vineis, campis. pratis, familiis, colonis, quæ iam ex ſucceſſione Ingelradæ comitiſſæ habuerant, conceſſerunt Petro Archiepiſcopo, quem coangelicum, & ſanctiſſimum appellant, eius ſucceſſoribus Archiepiſcopis in perpetuum XIII. Kal. Septembr. Indict. VI. Rauennæ anno Ioannis Pont. Max. ſeptimo. Otho Cæſar, dum Romæ conſtituendis Italicis rebus nauat operam, quoniam inconſtanti conſilio, Ioannes Pontifex Berengarii partibus, abeunte, ſuperiore anno, Othone, apertiſſimè fauerat, receperatque in vrbem Adelbertum Berengarii filium, Concilium in ante diem VIII. Idus Nouembr. indicendum curauit: Quo plures ex omni Italia Antiſtites conuenere. Vbi autem ea dies illuxit, ipſe cum Petro Rauennate, Engilfredo Aquileienſi, Valperto Medioianenſi Archiepiſcopis ei præſedit. Cumq. omnes de more aſſediſſent, minimeque conuenire uideretur, Ioannem Pontificem, qui illius princeps conſilii, auctorq. eſſe deberet, unum abeſſe, placuit, ante de illins uita referri. Itaque multis eius cædes, adulteria, inceſtus, periuria, aliaq. omnis ferè generis probra deferentibus, viſum eſt, non prius quidquam decerni, quam ipſe Pontifex, qui ab urbe haud procul aberat, ad ea, quæ obiicerentur, purganda crimina, conuentus nomine euocaretur. Hinc ſcriptæ ad eum litteræ: quibus tamen nihil reſpondit aliud, quam ſe pœnis inferorum omnes deuouere, atque a re Diuina facienda arcere, qui alium Pontificem, ſe abdicato, crearent, uti iam eos conſtituiſſe, acceperat. Decimo inde kal. Decembr. eum iterum conueniſſent Epiſcopi, litteris recitatis, ad eas, conuentus nomine, hoc reſponſum eſt datum. Si ad conuentum non acceſſiſſet; quando nullam, cur non ueniret, excuſationem haberet; ſe execrationes eius non curaturos, at in eundem reiecturos. Miſſi etiam Hadrianus, & Benedictus Cardinales, cum perueniſſent ad Tiberim, neque eum; quòd, ſiue animi cauſa, ſiue quod veriſimilius videtur; ut uitaret Legatorum congreſſum, uenatum exierat; inueniſſent, in vrbem reuerſi, rem ad conuentũ, qui iam Quarto Idus Decembris, tertium erat coactus, detulerunt. Tum Otho Cæſar, diſſeruit ſe ab Ioanne, è Saxonia accitum; cum illum Berengarius, & Albertus Italiæ Reges opprimerent; honori illum priſtino reſtituiſſe, ſed Ioannem, ſacramenti, quo ſe ad aram D. Petri obſtrinxerat, oblitum, Romam Adelbertum vocaſſe, eundem, aduerſus Othonem ſuſtentaſſe, ſeditionem in vrbe conflaſſe, Othonianisq. militibus inſpectantibus, lorica, & galea indutum inceſſiſſe: itaque quærere, quid ad hæc remedii, Patribus, adhibendum uideretur. Tum omnes, diſſentiente nemine, nouo morbo, dixerunt, nouam medicinam, haud dubie, Ioanni, alium eſſe Pontificem ſubrogandum, ne Eccleſia malo exemplo corrupta, funditus in perpetuũ periret. Ad hæc Otho, Quando igitur hoc præſtare ſtatuitis, alium in eius locum, qui tanto ſolio dignus habeatur, eligite. His dictis, Ioannes, una omnium uoce, repudiatus, reprobatusq. eſt. Fuit autem hic annus Pontificatus illius ſeptimus, ſi eius ſæculi monumentis, quæ multa adhuc extant in Vr-

ſiano tabulario, aſſentiamus: nam præter ea, quæ ſupra attulimus, cum h anno, Petrus Rauennatum Archiepiſcopus, complura uariis locis prædia, r nouata locatione, multis hominibus, conceſſerit, præſertim Nono kal. Sext tabulæ cōfectæ ſcribuntur, anno ſeptimo Ioannis Pontificis, Imperante Oth ne in Italia anno Secundo. Vt hinc pateat, Ioannem, non anno quinquageſin quinto, aut ſexto, Vidus Ianuar. quod ferè omnes tradunt, ſed quinquage. mo ſeptimo ſupra nongenteſimum, creatum fuiſſe. Eo de Pontificatu dei cto, Patres, ter Leonem Protoſcriniarium, Pontificem acclamarunt, atq ab Othone laudatum, deduxerunt ad Lateranenſem baſilicam. Inde in V ticanam reductus, ac ſolemni in ea re cerimonia conſeruata, ſacratus, Lec nis Octaui, nomen accepit. Qui deinde ad Romanorum libidinem, unde t mala manauerant, coercendam; nam Albericus Conſul, Ioannem XII. lium ſuum, tametſi admodum iuuenem, opibus, & gratia, qua plurimum pot rat, corrupta nobilitate ad Pontificatum euexerat; Hadriani primi Pontific conſtitutionem, renouauit, qua Carolo Magno tribuerat, ut Pontificē Ma eligeret: cum ea tamen nuſquam vſus fuerit Carolus. In agro Rauennat circiter hæc tempora, D Petri ad Vincula templum, ac domus a D. Steph no Vngarorum Rege extruitur: Conſecratur a Gerardo Moriſienſi Epiſcope ac paulo poſt martyre. Adiecit Rex ſanctus, uectigal, quo non ſolum mon chi ibidem ab ſe conſtituti, alerentur, ſed ſuppeditaretur etiam uictus Vnga ris omnibus, religionis cauſa Romam proficiſcentibus: quod ex hoc ipſi Regis diplomate, illuſtrius patebit. *Stephanus Dei gratia Vngariæ Rex, uene bilibus viris, Abbatibus, & Conuentui monaſterij ſancti Petri ad vincula, quod in te ritorio Rauennæ ſitum eſt, & eorum ſucceſſoribus in perpetuum. Quoniam illo D mino nos illuminante, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundun præfatum monaſterium ueſtrum, per adiutorium noſtrum, ad conſilium Gerardi, v nerabilis Epiſcopi Eccleſiæ Moriſanæ, fidelis noſtri, una cum nobili uiro Romano D ce Rauennæ, conſtrui fecimus, & per prædicti Gerardi manus proprias, ac auctorita Romanæ Eccleſiæ, conſecrari, idcirco nos decet illud Regali munificentia honorare, vobis, ueſtriſq. poſteris prouidere, quod ideo in ipſo monaſterio ſeruire poſſitis, pere grinos Vngaros, ac nuncios noſtros, charitatiue valeatis tractare. Quapropte proprio motu, & liberalitate Regali, vobis, ueſtriſq. ſucceſſoribus, in perpetuum co cedimus, & donamus, pro anima noſtra, & parentum noſtrorum, tam antecedentiu quàm ſubſequentium; ut Deus, & beatus Petrus Apoſtolus Domini, ab omni uincu delictorum nos ſoluat; uiginti quinque marchas puri argenti de camera noſtra: qu per uos, vel nuncium ueſtrum recipere debeatis, propter competentes expenſas, qua u bis, aut nuncio ueſtro de eadem Regali camera noſtra, pro huiuſmodi itinere facien do, cum prædictis uigintiquinque, ſemper annuatim dabuntur, pro hoc anno Eleem ſynæ noſtræ, quam nobis facimus; & in perpetuum fieri volumus, Eccleſiam reparar paratis, cum fuerit neceſſe: reſiduum ſit pro indumentis veſtris. Et nos ac ſucceſſores n ſtri; ueſtris ſemper erunt orationibus commendati: Hoc quoque auctoritate Regali ſt tuimus, & firmiter præcipimus, atque pronunciamus, quod nec nos aliquatenus con tra prædicti ueniamus; nec ſucceſſores noſtri, & nullus aut Camerarius, ſiue Conſilia rius concedere hoc ſit auſus.* Hæc D. Stephanus. Magnus enim erat Vngarorum ut reliquos populos taceam, numerus, qui quotannis, Romam, ad limina Apoſtolorum viſenda, oſculandaq. veniebant: atque is ad auorum noſtrum

ætatem;

ætatem; qui eos etiam Rauenna frequentiſſimos tranſeuntes, Rauennatesq. ſanctorum virorum reliquias, & ſacras ædes, ſumma religione uenerantes, uiderunt; ſeruatus eſt, religioſo more, iam inde ab Eccleſiæ Romanæ primordiis, deducto: quando & D. Ioannes Chryſoſtomus, explicans D. Pauli ad Epheſios Epiſtolam, eius maxime urbis uiſendæ ſe deſiderio incenſum affirmet, ut inter cetera, D. Pauli cathenas, carceremq. præſens veneraretur, & D. Cletus Pont. Max. & martyr, qui paullò poſt D. Petrum in Apoſtolico ſolio fuit, datis ad omnes gentes litteris, religioſum ad limina Apoſtolorum peregrinandi ſtudium, uti Martinus Polonus auctor eſt, commendauit, anathemate illius diſſuaſores execratus. Satis etiam conſtat Origenem, uotum nuncupaſſe eundi Romam, &, uti Euſebius ſcribit, adimpleuiſſe. Hinc Aurelius Prudentius, vetuſtiſſimus Poeta, cecinit, in hymnis Periſtephanon

O ter, quaterq. o ſepties
Beatus vrbis incola,
Qui te, ac tuorum cominus
Sedem celebrat oſsium;
Cui propter aduolui licet,
Qui fletibus ſpargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui uota fundit murmure.

Hinc Paulinus Nolanus Epiſcopus, doctrina, & ſanctitate celeberrimus, Romam quotannis, religionis cauſa peregrinari conſueuit: Hinc Enodius, Symachi Pontificis aduerſarios arguens, ſcribit, Apoſtolorum limina, ex omnibus orbis cardinibus, deuotos attrahere: Hinc multas, in Rauennnati, Hoſpitales domos, ut infra docebimus, fuiſſe, earumq. adhuc ſupereſſe ueſtigia uidemus. Hoc tempore Petrus Archiepiſcopus Diuorum Aderiti, Caloceri, Probi, Proculi, Dathi, Liberii, Agapiti, Marcelliniq. ſancta cadauera, ex templo D. Probi, quod erat ad mare, Rauennam, in ædem Vrſianam, ita vti ſupra memorauimus, transferenda curauit: iisq. omnibus ſanctiſſimis Archiepiſcopis, aram eiuſdem Vrſiani templi maximam Tert. Non. Mart. conſecrauit, & dedicauit. Non eſt autem hoc loco omittendum quod Regino Prumienſis ſcribit, Othonem cum Leone Octauo Pontifice, Rauennæ, diem feſtum, quo Reſurrectionis Chriſti Dei a mortuis memoria, ſacris anniuerſariis colitur, celebraſſe, Conciliumq. ibidem, plurimis aſſidentibus Epiſcopis, habuiſſe, in quo & multæ leges perſanctæ editæ, ac latæ fuerunt, & Rauennam, illiusq. Exarchatum, nec, non & complura alia, quæ Berengarii occupauerant, Otho Pontifici reſtituit, ac veterem Pipini, Caroli, ac Hludouici reſtitutionem cõfirmauit. Aliqui ſcribunt id ab Othone actum, Ioanne Decimotertio iam Pontifice, qui Leoni ſucceſſerat: quo tempore Conuentum Rauennæ, habitum anno ſupra nongenteſimum ſexageſimo ſeptimo ſatis conſtat, Pontificemq. cum Othone adfuiſſe: vbi Otho Almaranum generum ſuum Marchionem declarauit Montis ferrati: Vuidonem Teutonici generis, propinquitate ſibi coniunctum, Mutilianæ Comitem confirmauit. Legatum miſit Conſtantinopolim ad Nicephorum Imperatorem, qui Theophaniam filiam Othoni filio, in matrimonium, poſtularet, ipſumq. filium è Germania, in Italiam, euocauit. Flaminiæ tandem rebus conſtitutis, cum Pontificem iam Romam dimiſiſſet, poſt menſem Sep-

ANN. DCCCC LXVII.

tem-

tembrem; nam eo etiam Rauennæ fuit; tranſiit in Etruriam: mox in Gallia Ciſalpinam reuerſus, ubi filium accepit, cum inſigni, & planè Regio famu tu, in Italiam deſcendentem, una ſecum remigrauit Romam, ibiq. conſortem lum Imperii fecit, & feſtis Domini Natalitiis corona Auguſtali inſigniri a Po

ANN. DCCCC-LXVIII tifice impetrauit. Per idē tempus, cum Rauennates, Bononienſibus iuncti fidae Ferrarienſes redderent infeſtos, in eorumq. fines irrumpentes, in uiſc ra ferè penetrarent, Ferrarienſes, cōſulente Othone Cæſare, ſe Thedaldo At

ANN. DCCCC-LXX. ſtino, quam Familiam nunc corrupto vocabulo, Eſtēſem, appellamus; Azzor ſecundi filio dedunt. Cuius dominatū vrbis Almericus Ateſtinus, Amizo filius, anno a partu Virginis DCCCCXXVIII. iam tenuerat, ut auctor eſt Hiſtoria Ateſtinorum Principum Ioannes baptiſta Pigna. Duobus poſt a nis, Petrus Archiepiſcopus Rauennas, Conuentum Ferrariæ habuit, adc ctus, puto, Othonis Cæſaris præſentia, qui deuictis ſuperiore anno in Apul & Calabria Græcis, in Flaminiam, & Galliam Ciſalpinam, uenerat. Aderā in eo conuentu Adelbertus Bononienſis, Vbertus Liuienſis, Ioannis Corn lienſis, Leo Ferrarienſis Epiſcopi, multiq. prætérea ſacrati uiri cum Rauen tes, tum ſubiunctarum Eccleſiarum: Adhæc, nobiles complures ciues, quibus eminebant, Guarinus Ferrarienſis, Guarinus eius filius, Romualc Dux, Adelbertus, & Sergius germani, ſeu Romualdi filius ſupraſcripti, S gius Dux, Petrus ſubdiaconus ſanctæ Rauēnatis Eccleſiæ, filius quōdam Io nis Ducis, Paulus de Riccio, Andreas de ponte Auguſti, Petrus Conſul C gorii Ferrarienſis. Ibi conqueſtus eſt Petrus Archiepiſcopus, multa a ſua di ne abſtrahi, ipſumq. in primis caput Sandali, propoſitiſq. ac recitatis dip matibus; quæ præcepta appellabant; Marini, Agapiti, & Ioannis Pontif Max. & etiam Othonis Imperatoris, cum in Italiam, uenit, quibus cauebat ne quis habitaret in locis Rauennatis Eccleſiæ, neu aliis, præterquam Archiepiſcopo ſubiicerentur, liberaq. eſſent; uidensq. Liuzius Epiſcopus C monenſis ea ad Comitatū Ferrarienſem nulla omnino ex parte ſpectare, r lius iuris, niſi Rauennatis, eſſe, Eccico nuncius Othonis Auguſti pronun uit, probauitq. ea Rauennatis eſſe Eccleſiæ; litteraſq. publicas Principū, q Sergius Rauennas ſacerdos, Rauennam ob id a Petro Archiepiſcopo miſſ attulerat, ſeruandas. Eo, qui inſecutus eſt, anno Petrus Archiepiſcopus, quam Non. Aprilis, Indict. XIIII. anno ſexto Ioannis Pont. Imperante O ne in Italiam anno Decimo, & Othone filio item Rege anno quarto; ſic e in tabulis habetur, renouato emphyteutico iure, tribuit in plebe ſancti G gii multa Ioanni de Romualdo, & Deſiderio, cum Rauennatem Archiep patum diu adminiſtraſſet, ſponte ſe illo abdicauit, ut teſtis eſt Petrus Dan ni ad Nicolaum ſecundum Pont. Max. de dimittendo Epiſcopatu ſcribe eiq. adhuc ſuperſtiti, menſe Auguſto; nam tabulæ XIII. Kal. Auguſti a P confectæ leguntur; Honeſtus ſucceſſit, Claſſenſis Cœnobii, ex familia D. nedicti Abbas. Hic Archiepiſcopatus ditionem, ac iura explorans, ac re uans, ad ſextum kal. Nouembr. Rauennæ, oppidum Scriuolam Rodulfo ceſſit, Rodulfus illi ſacramentum dixit in frequenti nobiliſſimorum viro conſeſſu, in quibus ii potiſſimum numerantur. Hubertus Epiſcopus Liu ſis, Sergius miſericordia Dei Dux, Petrus filius iam Andreæ ex genere cum, Petrus Dux iam Seueri filius, Lambertus Comes eius filius, Paul

gen

genere Ducis, Petrus Dux, qui uocatur de Trauerſaria, Sergius Dux, Petrus Conſul, qui uocatur de Aguſta, Romanus, qui uocatur Sumazzo Conſul, & Paulus eius filius, Ioannes de Trauerſaria. Appoſita ſunt autem in medio, in ea Pontificia ſella, quam appellant Faldiſtorium, ſacra Dei Euangelia, ingreſſusq. Rodulfus Comes, ciuis Ariminenſis, manu ſupra Euangelia extenta, ad Honeſtum Archiepiſcopum verſus, ita dixit. *Rodulfo Comes fidelis ero, tibi Honeſto, & Caſtellum de Surripola, de iure ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, per feudum tenebo, quouſque meus filius, tuus fuerit uaſallus: & ſi a te ſeparatus fuerit, prædictum Caſtellum ad uos, & ad iura ueſtræ Eccleſiæ reuertetur.* Poſtero autem anno, quo Otho ſecundus, Othonis primi filius, Romæ, una cum Theophania vxore, Ioannis Byzantii Cæſaris, qui Nicephoro ſucceſſerat, nepte, ab Ioanne Pont. Max. Corona Imperii, Othone patre iam ſene annuente exornatur, ANN. DCCCCLXXII.
Honeſtus Archiepiſcopus, a Pontifice, bona Eccleſiæ Rauennatis, nouo diplomate confirmari ſtuduit, impetrauitq. Recenſet ibi ſigillatim, inter cetera, Pontifex, Maſſam Campiliam, & Fiſcaliam, his verbis. *Diuidimus, & damus atque tradimus, ſeu emancipamus de iure, & dominio, & poteſtate huius ſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, tibi Honeſto ſanctæ noſtræ Rauen. Eccleſiæ Archiepiſcopo, dilecto confratri noſtro, & per manus tuas in prædicta ſanctæ Rauen. Eccleſia, filia huius ſanctæ noſtræ Romanæ Eccleſiæ, una cum tuis futuris ſucceſſoribus in perpetuum poſſidendum tuo iure: id eſt concedimus, & a nobis alienamus, & a noſtris manibus tradimus, atque emancipamus uobis, ſicut, & alij ſancti patres noſtri tradiderunt, & emãciparunt, ita & nos per huius noſtri præcepti paginam emancipationis ſimiliter & cõfirmamus, & emancipamus totam maſſam, quæ uocatur Campilio, una cum omnibus fundoris ſuis, & cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis, piſcationibus quoque, & uenationibus ſuis, & cum omnibus ſibi ſubiacentibus, uel pertinentibus: conſtituta territorio Gauellenſe, inter flumen Adicem, & flumen Pado. Similiter largimur, & confirmamus, ſeu tradimus, atque in perpetuum mancipamus de iure ſanctæ noſtræ Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ, in prædicta ſancta Rauennati Eccleſia, id eſt totam, & integram maſſam quæ uocatur Fiſcalia, cum omnibus ſuis ſimiliter fundoris, ſeu; & cum omnibus iuris ſibi pertinentibus, necnon cum omnibus uillis, & plebibus in ipſa maſſa conſtitutis: piſcationibus quoque, & venationibus ſuis, ſimiliter, & cum omni tributo, cenſu, atque datione temporali, & annuali, ſeu diſtricto, & cum omnibus, quæ de prædicta maſſa ad ſanctam Romanam Eccleſiam pertinent: conſtituta territorio Ferrarienſe. Hoc quidem modo tradimus, & emancipamus a nobis ambas maſſas; in te Honeſto Archiepiſcopo, & in tuis ſucceſſoribus in perpetuum: habendo, tenendo, ordinado, diſponendo, ſeu iudicandi poteſtatem habeatis in perpetuum, cum ueſtris ſucceſſoribus ad iura ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ beati Apollinaris. Quod, ſicut ſupra diximus, purè, & abſolutè, & ſine omni condicione, uobis, ueſtriſq. ſucceſſoribus, in perpetuum, remitimus, & emancipamus. Si quis de omni clero, ſiue aliqua perſona, aliqua dignitate decorata, ſiue priuata perſona, contra hunc titulum noſtri priuilegij, & emancipationis, aliquam litem intulerit, ſit compoſiturus in damnis auri optimi libras centum: medietatem cameræ noſtræ Lateranenſi, & medietatem ſanctæ Rauẽnati Eccleſiæ beati Apollinaris: & ſit excommunicatus a noſtra ampliſſima ſede Apoſtolica, & ſub anathemate, & noſtræ indignationis, et ſanctorum Conciliorum Niceni, Conſtantinopolitani, Epheſini, Chalcedonenſis: et qualemcumque honorẽ habere uidetur, ex eo priuari cenſuimus.* Hæc anno ſui Pontificatus ſeptimo, paulò

lò

Iò ante quam excederet è uita, Ioannes conceſſit. Honeſtus Archiepiſcopus non multis poſt diebus, Quarto Id. Septembr. Rauennæ, tradidit Vuarino Comiti, & Officiæ, clariſſimæ fœminæ, coniugibus, necnon Reaſæ, & Mariæ puellis, eorum filiabus, Syluam, quæ uocatur Altita, & alia, quæ olim Theoctelmo Comes ab Eccleſia Rauennate habuerat: Syluæ etiam portionem, Maderatam vocatæ, prope Gabianam, Padulli cognomento Frugamano, & iura plebis ſancti Martini ingurgo, ad hæc alia complura loca, certis pactis additis, quibus Deusdedit Conſul, & ipſe Vuarinus gratia Dei, ut ibidem legitur,

ANN. DCCCCLXXIII.

Comes, atque item alii ſubſcripſere. Proximo anno conuentum Epiſcoporum ſuorum Rauennæ habuit, ac de commodis Eccleſiarum ſtatuit, quæ tempori conuenire viſa ſunt: ibidemq. Adelbertus Epiſcopus Bononienſis, anguſtias Eccleſiæ ſuæ conqueſtus, poſſeſſiones quaſdam, quas Parmenſem Epiſcopum iniuſte prope Bononiam poſſidere aſſerebat, ſecundum Epiſcoporum omnium ſententiam, recuperauit. Ineunte autumno celebrauit alium in Mutinenſi conuentum, cuius pleraque acta, quoniam eius ſæculi, & conuentuum morem patefaciunt, operæ pretium facturum putaui, ſi ex autographo in Vrſiana Bibliotheca aſſeruato, multis licet locis ob uetuſtatem exeſo, hic deſcribantur. *Temporibus Domni Benedicti Apoſtolici . . . eius, in Dei nomine anno primo: Imperante Domno Othone pijſſimo anno V I. die nono Septembr. Actum in loco ubi dicitur Martialia, territorio Mutinenſi, dum reſideret ibidem Honeſtus coangelicus, ſanctiſſimus Archiepiſcopus. S. Rauennatis Eccleſiæ, prope fluuium Sicla, ſubtus papirione eiuſdem Archiepiſcopi, & cum eo etiam reſidentibus, quomq. multitudo, fulgidaq. fama pollentibus, tam Romanorum, & Longabardorum, Archiepiſcoporum, Ducum, Comitum, presbyterorum, Diaconorum, & aliorum graduum clericorum, iudicum, Conſulum, Caſtaldiorum, & aliorum ordinum, nobilium, inter quos etiam Vbertus Epiſcopus. Parmenſis Eccleſiæ, Vbertus Epiſcopus Bononienſis, Ioannes Epiſcopus Cornelienſis, & Leo Epiſcopus. Ferrarienſis Eccleſiæ. . . S. Ariminenſis Eccleſiæ, Adelbertus gratia Dei Comes filius quondam Bonifacij, Petrus Comes, filius quondam Seueri, Comes, Garardus, & Arardus germani Comitibus, Lambertus Comes . . . . ſancti petri, Marinus Comes Ferrarienſis, Ildebrando, & Rodulfo ger . . . . Ariminenſis, Petrus, & Lambertus germ . . . filijs quondam Ioanni de ciuitate Bononia. Paulus iudex ex genere Ducis, de ciuitate Rauenna, Petrus iudex de ciuitate Rauenna; Presbyteri . . . . Diaconi . . . . ſancta Rauen. Presbyteri . . . Diaconi . . . . Parmen. Eccleſia . . . . . Dux de Trauerſaria . . . . Andrea filius quondam Petri magiſtri milit. Rodaldo filius Rodaldi Dux, magiſtro militum, Romoaldo filius Sergi, Petrus filius Adelberti, Henricus filius Romoaldi Ducis . . . . Attelianus, & Gerardus germ. Conſulibus. Mauritius filius quondam Ramano Conſule, qui uocatur de Theodo . . . item Banonien. de monte celeri, de Galligata, de Bobio. In iſtorum ſupraſcriptorum præſentia, orta eſt lis, & magna altercatio, inter Petrus, & Lambertus germ. . . filij ſupraſcripti . . . . Eccleſia, quo modo ſupraſcriptum Vbertum detinet prædia, & rebus, poſſeſſionibusq. eorum, contra voluntatem Petri, & Lamberto germ. & ſic cum illis contendat. Tunc Domnus Honeſtus ſanctiſſimus . . . . quale, altercatianes audientes, una uoce cœperunt dicere, quòd bonum, & rectum eſt, ut lege inter ſe definiantur, ut inimicitia inibi non adcreſcat. Supraſcripti uerò Epiſcopi, & Comiti, & Duces atque . . . . Epiſcopus ſanctæ Parmenſis, clara uoce dixit, Paratus ſum hæc omnia adimplere, & per legem definire. ſicuti uos*

commen-

commendatis, atq. ſancitis.... ſupraſcriptis Petro, & Lamberto germ. hac audien. ....'. ex iure, q. parentum noſtrorum iure proprietatis, & quam per præceptores, & emphyteoſim de ſancta Rauennate Eccleſia.... Vbertus Epiſcopus detinet, & contemplit noſtra p.....dimus, & tu nobis contempdit ante dello Potito in integro, & curte Suſiano, poſitæ ſubtus pleno iure proprie....... monaſterio ſancti Ioannis Caſa puronia, atque, & a S. Roman.......... Sancti Martini, ibi ædificata, cum ſuis pertinentijs, & maſſa Siliceſe, cum Oratorio ſancti Angeli, atque fundum Olmitula .... & in fundo Ruda, ſimiliter iure............ & in quarto ſimiliter ſuper fluuio Rheno, & intro ciuitate Bononia ſolas terræ, cum caſis, & uacuamentis, una cum.. .... dicitur Melloncello, iuxta Rapone, &............ præfata ſancta Rauennat. Eccleſiæ, & de monaſterio ſancti Ioannis Caſa puteria..... uerum etiam, & de ſancta Romana Eccleſia, & alijs rebus circo circa Bononia, uel ubi quam nobis pertinentibus, proprio, quamq. & de condi..... Domnus, Domnus Vbertus Epiſcopus ſanctæ Parmen. Eccleſiæ, reſpondit, pariter cum ſuo auocatore, nomine Ingelfredus..... quondam Benedicti de Vallaria, de ipſius prædijs, & curte, & capellis, cum omnibus eorum pertinentijs....... Vnde nos, aduerſum nos conuenitis, nos etiam conteptimus, & habemus pro inueſtituris magnis Othonis Imp....... & dictum audiuimus, quòd pertinent ſupraſcriptæ res, qualiter ſupradictum, noſtra Parmenſis Eccleſia ante præſentiam Imp. unde reclamauimus, & per eius iuſſionem, inde inueſti ti fuimus, unde nunc modo ſum..... quia nullam ſcriptionem inde habemus, nec ullum directum inde reperire potuimus, nec nihil noſtra Parmenſis Eccleſiæ attinet, nec nos, ſed ueſtra iuſtitia eſt ad habendum uos, & ueſtris hæredibus, & ſi ullum umquam in tẽpore, ego Vbertus Epiſcopus...... ſucceſſoribus, aliquam ſcriptionem oſtenderit, uel hac ex parte noſtræ Eccleſiæ, & uacua, & inter ſcedula, & falſa computetur, & nullum in ſe habeat vigorem, uel firmitatem...... utrumque ſpopondiſſe ſupraſcripta Vbertus Epiſcopus Parmenſis Eccleſia pariter cum ſuo auocatore in aliquo tempore ille, uel ſui ſucceſſores aliqua moleſtia inde fecerit, uel altercauerit, uel inueſtitionem ille facere uoluerit, uel inſtru..... quot inde monſtrauerit, tunc daturo ſe promiſit a ſupraſcriptis Petrus, & Lambertus Germano, uel ad eorum hæredibus, argenti libras centum, & omnes iſtas ſupraſcriptas res in duplum reſtituere ſcilicet ſupraſcripto. Paulo Iudex, & Petrus item Iudex de ciuitate Rauennæ prudenter ſanxerunt, ſecundum manifeſtationem, atque ſponſionem indicamus eidem Vberti Epiſcopi manere in ipſa ſponſione, & de ipſis omnibus rebus, & poſſeſſionibus, & curtis, ſeu prædijs, & capellis, & omnibus prædictis rebus, tacito, & contempto, ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus, eſſe, & per manere, & ipſis Petrus, & Lambertus Germ. quiete, & pacifice ipſi, & hæredibus illorum habere, & poſſidere in perpetuum. Tunc Senatus, & populi multitudo, qui inibi aderant, laudauerunt, quod rectum, & indicatum, & definitum eſt. Hoc factum eſt ſub die, menſe, Indict. ſupraſcripta ſecunda, Territorio Mutinenſe, in loco ubi dicitur Martialia. Honeſtus Chriſto auxiliante, ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus, huic, ut prætaxatum eſt, notitia, conſenſi, & ſubſcripſi. Ioannes Epiſcopus ſanctæ Cornelien. Eccleſiæ, in hac notitia, ſicut indicatum eſt, interfui, & ſubſcripſi. Ioannes Archidiaconus Bononien. Ioannes Diaconus, & ueſt. Ioannes presbyter Bononien. Petrus presbyter Bonon....... presbyter Bonon. Petrus exiguus presbyter Bononien. Adelbertus Comes, & Arardus Comes; Paulus, Deo annuente, datiuo ex genere Ducis, ut ſuperius, indicaui. Petrus, Diuina gratia, datiuo,

ut ſupl. interfui, &c. Aſprandus Iudex ſacri palatij: Angelottus Iudex ſatri palatij:
Theupertus Iudex ſacrs palatij. & alii plures. Nulla autem in hoc Conuentu O-
thonis Senioris Auguſti fit mentio, quòd hoc eodem anno in Saxonia, Mimi-
lenæ, cum eſſet Imperatoriis inſignibus, in frequenti Epiſcoporum, & Prin-
cipum conſeſſu, redimitus, repentè obierat. Id illi multo ante Vuilelmum fi-
lium, Epiſcopum, prædixiſſe, Petrus Damiani Rauennas, tradit. Benedicti
etiam Pontificis primus annus ſcribitur, quoniam cum Ioanni Tertio deci-
mo, Domnus fuiſſet ſubrogatus, vix tres menſes hic Pontificatum tenuit, ita-
que Benedictum hunc habuit ſucceſſorem, hoc nomine ſextum: qui ſatis diu,
ex tabularum Rauennatum ſententia, uixit, uti docebimus, cum tamen alii
ſcribant, breui interiiſſe. Honeſtus Archiepiſcopus ſacris rebus intentus, D.
Probi cadauer, in Vrſiana æde, ſub teſtudine, honeſtiſſime, propriis manibus,
collocauit, aramq. eius nomini, quæ nunc non extat, conſecrauit, ac dedi-
cauit; addixitq. illi; ut ipſius Honeſti verbis utar; *ſub dominio, & poteſtate am*
barum Scholarum, ſcilicet Cantorum, & Lectorum, curtem integram, qua antiqui-
tus uocabatur Demoliſo, cum pratis, ſiluis, paſcuis. &c. Item tres ſalinas conſtitutas in
fundamento nouo de Gaurione. Item ſtatuo, ut quotidianis diebus miſſas celebrare de
beant pro uenia delictorum prædeceſſoris noſtri, Petri Archiepiſcopi, ſeu, & pro ani-
mabus omnium fidelium defunctorum: & in die anniuerſarij eius, & noſtri, omni an
no unam miſſam canere debeant, pro anima ipſius Petri Archiepiſcopi, & noſtra, u-
nuſquiſque ex ipſis Canonicis, qui ibidem ordinati ſunt, uel fuerint. Nec quis poſſit
alienare dictam rem. Dat. anno ſecundo Benedicti Papæ, Imp. Othone in Italia an-
no... Indict. II. Rauennæ. Honeſtus Dei nutu ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ Archie-
piſcopus mitis, oblatorq. prætaxatæ rei exiguus, ad omnia largien. Confirmansq. ſub-
ſcripſi: Poſt illum multi item ſubſcripſere ſacerdotes, Diaconi, & Leuitæ Ra-
ANN. DCCCC- uennates. Fuit autem hic annus ab orbe redempto, ſupra nongenteſimum ſep
LXXIIII. tuageſimus quartus. D. etiam Vrſicini martyris cadauer, Honeſtus, ex D. Ioan
nis Baptiſtæ templo, Idib. Decembris in ædem Vrſianam tranſtulit, martyris
ANN. DCCCC- capite eo in templo, ut ferunt, relicto, ne tam ſancti cadaueris reliquiarum
LXXV. expers omninò eſſet. Cum autem iis ſanctorum corporum translationibus, &
diuini cultus veneratione, Rauennæ, lætaretur, acceſſit maximus ad illius gau-
dium, & gloriam cumulus ex Romoaldi ſanctiſſimi uiri egregiis, ac penè diui-
nis inſtitutis. Hic ciuis Rauennas, ex illuſtriſſima, ut inquit Petrus Damiani,
ſcriptor his tẽporibus proximus, Ducum ſtirpe, quæ & Honeſtorũ eſt, cum Ho-
neſti, Duces: Duces, Honeſti, utroq. ſimul nomine, in tabulis poſterioris ſæculi
appellentur; Sergio patre natus, Diuinis rebus totus inhians, ab caducis abhor-
rere ita videbatur, ut ſi quando venatũ ſe conferret, aut Pinetum, ac ſyluas, ani
mi cauſa, luſtraret, nactus ſolitudinẽ contemplationi accõmodatam, ſeſe a co-
mitibus abducẽs, veneraretur, genibus innixus, Deũ, eiusq. numen ſupplex im-
ploraret. Interea cũ de prati poſſeſſione inter Sergiũ patrem, ac propinquũ lis
intercederet non parua, Sergius Romoaldũ aſſiduè hortarii, ut ipſe adoleſcẽs,
propinqui iniurias vlciſceretur: a quo facinore cũ Romoaldus abhorreret, pa-
ter minari, ſe illũ exhæredaturũ, ſi tam parui illatas patri iniurias faceret. Cum
autẽ ad litem uentum eſſet, exeunt ex vrbe, exoritur dimicatio, propinquum
Sergius interficit: Hic Romoaldus, licet nullũ propinquo vulnus inflixerit, ta-
men tanta pœnitentia facinoris, cui interfuiſſet, ductus eſt, ut ſtatim ſe ad Claſ-

ſenſe

ſenſe cœnobiũ receperit, ut ibi, pro more eius ſæculi, homicidij pœnam ſubiret. Ibi autẽ cũ eſſet, in familiaritatẽq. ſe inſinuaſſet monachi eius cõuẽtus, planè ſancti, ab eoq. quotidie admoneretur, uti repudiato vſu rerum mortaliũ, & familiaritate hominum fallacium, ſẽpiterna bona perſequeretur, ſeq. ad Cælituum, ipſiusq. Dei amicitiam adiungeret, curaretq. animum ab omni labe integrum, & caſtum exhibere: præterea Diuum Apollinarem bis illi, concubia nocte, oſtendiſſet, ſubter ex ara, quæ D. Mariæ Virgini Deiparæ, in medio eo templo, dicata eſt, quà ſpectat ad Orientem Solem, ubi eſt in pauimento lapis porphyrites, egredientem, in Pontificia ueſte, manu thuribulum aureum geſtantem, omniaq. eius templi altaria ſuffientẽ, & eò, unde exierat, reuertentẽ, Romoaldus ui Diuina impulſus, monachum induere conſtituit: Monachis autem, ob immite, atque aſperum patris ingenium, id nequaquam audentibus, ipſe ad Honeſtum Archiepiſcopum ſe contulit, illi explicat ſanctum animi ſui ſenſum. Honeſtus laudat, & magis incendit iuuenem, mox monachis imperat, illum ut recipiant, eiq. monachi habitum induant. Quod & factum eſt: ibidẽque tres ferè annos ſanctè vixit. Cum uerò ſummæ perfectionis deſiderio teneretur, audiretq. apud Venetos commorari virum ſanctiſſimum Martinum, ſeu, ut alii, Marinum; quem Sabellicus Rauennatem fuiſſe ſcribit; venia ab Abbate, facilè impetrata, ad hominem adiit, a quo in diſciplinam receptus, eius inſtitutis plurimum profecit. Interea Honeſtus Archiepiſcopus conceſſit. *Petro, nobili uiro, qui uocatur de Trauerſaria, filio quondam Pauli Ducis, ſeu ſi ijs. & nepotibus locum, qui dicitur Monticellus, cum loco, qui dicitur Caſtruciano, & cum monticello, qui uocatur Theſello, vbi caſtrum ædificatum eſt, & Eccl. ſia ſanctæ Mariæ, & ſancti Ioannis, & ſancti Sixti, quam cum ſuis diſpendijs ædificari fecerat, & in prædicto caſtro Taurino, & fundum Albaretum, & Orzale, & in curte de Quiliano, ad Corticariam, & locum qui dicitur Prodenano, qui eſt appendix prædicti Mõticelli, cum arbuſtis, uineis &c. conſtitut. Territorio Populien. Plebem ſancti Donati, iuris ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ. Item locum, qui dicitur Salectaria, cum fundis, caſalibus &c. ab uno latere alia Salectaria, & riuus, qui currit inter ambas Salectarias in uultetera: ab alio, uia, quæ uadit a uultetera ad caſtrum, quod dicitur Petrola, & curte, quæ dicitur alta, iuris dicti petitoris, a quarto latere, maſſa, quæ uocatur Monte cauallo, iuris S. Rauennatis Eccleſiæ, ſita in territorio Sarſenate, plebe ſanctæ Anaſtaſiæ, iuris S. Rauennatis Eccleſiæ.* Subſcripſit inter ceteros, Gregorius Conſul. Hæc autem idcirco ab Honeſto fiebant, ut uetera Eccleſiæ Rauennatis iura, renouatis tabulis, repeteret. Qua eadem de cauſa, duobus poſt annis menſe Ianuario tribuit Leoni, de Vrſone, de Gregorio piſcinam piſcariam, quæ Auguſta vocabatur, in territorio Comaclenſe, iuxta Padarenum, Pirginiſem, & Padũ: Menſe Maio, Sergio, qui uocabatur Caro filio quõdam Honeſti, & Annæ, coniugibus, filiisq. ac nepotibus eorum, Caſale, appellatum Campo di Rauenna, in fundo Statiliano: certa pacti, & conuenti formula: cui poſt ipſos coniuges, ſubſcripſit Petrus filius quondam Pauli ex genere Ducis. Scriptæ ſunt tabulæ, anno Benedicti Pontificis Max. quincto, Othonis Imperatoris, decimo, indictione Quincta. Vt patere hinc poſſit, eum Benedictum, qui Pontifex Max. creatus eſt anno nongenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, eſſe illum, qui ad huc uiuit, annum iam quinctum: cum tamen ſcriptores de Romanis Pontificibus, affirment illum in Pontificatu quindecim tantum uixiſſe

ANN. DCCCC-LXXVII.

ſe menſes: ſucceſſoremq. Bonifacium ſeptimum habuiſſe, qui Pontifex fuerit menſes ferè quattuordecim: quo mortuo, alius ſubrogatus ſit Benedictus hoc nomine ſeptimus, cuius Pontificatus annus hic de quo nunc ſcribimus, a partu Virginis nongenteſimus ſeptuageſimus ſeptimus; menſe Maio, ſecundus fuiſſet, cum tamen in tabulis Rauennatibus,quæ in membranis, eius temporis charactere Longobardico ſcriptæ,cōplures in Bibliotheca Vrſiana extant, Quinctus,ut diximus,affirmetur. Pleriq. etiam Domnum Pontificem ante Benedictum ſextum conſtituunt,nonnulli poſt eum; patet ex iis,ante illum omnino locandum,cum non duo,ſed vnus fuerit Benedictus Pontifex, qui ſucceſſorem Ioannem XIIII. habuit Poſtero anno Honeſtus Archiepiſcopus confirmauit Ghislerio, nobili viro; ita enim ſcribitur; mediam partem maſſæ, Auximanæ uocatæ, atq.item opidi,quod eſt in fundo Cerno ædificatum,cum pagis,vineis,terris, ſyluis,incoliſq.excepto caſtro,quod eſt in monte Sentino, quod oſfania dicitur,illudq. tenent Stephanus,& Rodulfa: iuxta limitem qui inter ipſam maſſam, & terram ſancti Thomæ Apoſtoli protenditur, & fundum Felcina,& fundum Gemina. Ad hæc adiecit multos in Auximate fundos, qui ad Rauennatem Eccleſiam ſpectabant. Pari ratione, Petro cognomento Bonizo, & Annæ clariſſimæ fœminæ, ſic enim ibi dicitur, domos, ædificiaq. dedit aliquot,in vrbe Rauēna inter baſilicam Diui Theodori,quæ maioris uocabatur, & monaſterium Diuorum Nicandri,& Martiani, ſita. Vt autem multa, Honeſtus, aliis confirmabat, ita aliorum ipſe tabulis, quæ tradita iam Archiepiſcopis Rauennatibus fuerant,probari ſtuduit. Extant adhuc Huberti Foriliuienſis Epiſcopi tabulæ,quibus ipſe,&,ut ibi dicitur, Archipresbyteri, qui in plebibus ordinati ſunt,eæ autem ſunt, D. Laurentii in uado rondini, D. Petri in trentula,D.Pancratii,& ſanctæ Liuienſis Eccleſiæ,Honeſto Archiepiſcopo,dū uixerit, utendos, fruendos, viginti manentes, qui tum ad iura tenebantur, ex ipſis plebibus: cum omnibus vineis,& omnibus,qui habere, & laborare uidebantur,concedit, eo ordine,condicioneq. vt ſi per Pontifices Maximos; Apoſtolicos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ vocat; aut per Othonem Imperatorem media pars de diſtrictione; ut eorum ipſa referam verba; vrbis Rauennæ,& Comitatus Decimani, quem ipſe cum Lamberto fratre, Honeſto, dederat,ſubtracta fuiſſet, nec reſtituere intra ſex menſes ipſe, neque Lambertus poſſet, Honeſto fas eſſet manentes, qui ſupra ſcripti ſunt, bonaque, quæ ad Hubertum, & Lambertum ibidem pertinerent, omnia, tenere, poſſidereque. Harum tabularum hoc eſt initium. *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domni Benedicti, ſummi Pontificis, & vniuerſalis Papæ, in Apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede, ſexto: ſicque Imperante Domno Othone a Deo coronato in Italia, anno X I. die I I. men. Octobr. Indictione V I. in loco, qui dicitur Conuerſito, territorio Ariminenſe.* Interim Romoaldus cum Marini mores ſatis difficiles ſumma patientia, atque alacritate ſuperaſſet, religione incenſus, ut Diuinum cultum ampliorem redderet, in Galliam, ad Aquitanos profectus eſt, ſe illi Comitem adiungente Petro Vrſeolo, uiro ſancto, qui cum ſponte Venetorum Imperium depoſuiſſet, totum ſe contemplationi rerum Diuinarum, uitæq. innocenter agendæ tradiderat. Ibi triennio exacto, ligone terram fodiens, ac ſementem faciens,propria agricolatione,una cū Ioanne Gradenico Veneto ciue, ſibi

ANN. DCCCCLXXVIII.

bi victum parantes, ſumma ſemper abſtinentia uſi, cum in Vitis patrum legiſ ſenr, ex illis quoſdam, tota hebdomada, nihil omnino comediſſe, die Dominico feſto, conuenire ſolitos, & ſimul cibum ſumere, Romoaldus, duriſſimũ hunc uiuendi modum aggreſſus, eum quindecim fere annis ſeruauit. Otho ſecundus Cæſar, cum eſſet Rauennæ, ubi ſæpe commorabatur, Theophano; ita enim ibi ſcribitur; vxoris rogatu, anno DCCCCLXXXI. Benedictæ Abbatiſ ſæ D. Mariæ, cui Cereſeo titulus eſt, iura omnia, ac prærogatiuas confirmauit, quæ firmauerant ſuperiores Cæſares, atq. etiam Arardo Comes, & Lambertus dono dederant: in quibus præcipuè numerantur Caſtrum Taibanum, Carbonaria maior, & minor, & in Cæſenate agro complura: quæ omnia tabulis Auguſtalibus ipſius Othonis deſcribuntur. Eas nos tabulas legimus in Bibliotheca ſacrarum Virginum D. Andreæ. Dat. XVIII. Kal. Febr. anno Incarnat. Dominicæ DCCCCLXXXI. Indict. IX. Regni XX. Imperii. XIIII. Rauennæ. Eodem anno Honeſtus Archiepiſcopus, multa prædia, iure Emphyteutico, probauit, Gregorio, & Michaeli germanis, & Petro filio iam Pauli ex genere Ducis. hæ tabulæ cõfectæ ſcribuntur, anno nono Benedicti Pontificis, Imperii Othonis Quartodecimo, Indict. Nona. Poſtero, qui annus Decimus Benedicti aſſeritur, kal. April. conceſſit Arardo Comiti, nobili uiro, ſicq. ingenuæ, & nobili matronæ, Ingizæ, coniugibus, domum, fundos, & alia quorũ in media parte erat germanus Ioannis, nomine Hermanfredus, & Gregorius ſubdiaconus Rauennatis Eccleſiæ, qui uocabatur Orzo. Inſequens annus motum habuit Caloprinorum, qui licet Veneti tunc ciues eſſent, Rauenna tamen originem ducere ferebantur. Ab iis, Otho Cæſar cum eſſet Veronæ, priuatum vlciſci iniuriam cupientibus, ad bellum Venetis inferendum impulſus, edixit, ne quis quid eis annonæ ſuppeditaret. Quamobrem a Venetis neceſſariarũ ad victum rerum inopia ſtatim oppreſſis opidani Capitis aggeris defecerunt. Rauennam deinde Otho tranſgreſſus, hicq. commorans, eodem anno, pridie Id. Iulii, Andream D. Mariæ, in palatiolo, Abbatem, id poſtulantem, eaq. omnia bona, quæ cœnobii illius iura ſpectarẽt, in clientelam accepit: nec multo poſt, Romæ deceſſit: cui Otho tertius, filius, a Germanis, qui tum Romæ frequentes aderant, ſubrogatur. Moritur eodem ferè tẽpore Honeſtus Archiepiſcopus, non abſq. Rauennatũ ſummo dolore: cui Ioannes ſuccedit Vndecimus, Ticinenſis: quem pleriq. fuiſſe deinde Ioannem aſſerunt, in Pontificatu Maximo, Decimum ſeptimum. Hic ſtatim factus Archiepiſcopus, a Pontifice in Germaniam miſſus, Aquiſgrani coronam Othoni tertio adhuc puero impoſuit. Inde Rauennam reuerſus, & ditionem ſuæ Eccleſiæ omnem inuiſit, & tabulas nouas fecit: in his multæ habẽtur anno nõgẽteſimo octuageſimo quinto, a partu Virginis, qui annus, ibi primus Bonifacii Põtificis Max. Ind. XIII. ſcribitur, Idibus Martii. Colligi hinc poteſt, cũ Bonifacius a nõnullis dicatur iam antea in ſolio Pontificio ſediſſe, annis abhinc decẽ, inter duos illos Benedictos, quos ex Rauennatibus monumentis, diximus nos unũ fuiſſe, illud aut nequaquam fuiſſe verũ, aut nullo loco habitũ. Hæc fuſius notaſſe ad illuſtrandam horum Pontificũ Maximorũ ſeriem, ex uetuſtis, & apud me certiſſimis eius ſæculi tabulis publicis, quas Iulius Ruuereus Cardinalis, Archiepiſcopus noſter, Rauennã adducendas nuper curauit, non incongruũ duxi. Proximo anno Ioannes Archiepiſcopus, anno ſecũdo Pontificatus Ioannis Quindecimi, menſe Decẽbri

ANN. DCCCCLXXXI.

ANN. DCCCCLXXXII.

ANN. DCCCCLXXXIII.

ANN. DCCCCLXXXIIII.

ANN. DCCCCLXXXV.

ANN. DCCCCLXXXVI.

Indict. XV. Rauennæ, nobili uiro Petro, Petri, qui uocabatur de Chriſtodu
ANN. DCCCC-LXXXVIII. li, filio, eiusq. filiis, ac nepotibus, domos, prædia, villas, Rauennæ, in eiusque agro ſitas, iure emphyteutico, locauit. Biennio poſt, anno tertio Ioannis Pontificis. V. Idus Iul. Indict. prima, Rauennæ, ſimili iure, complura tradidit, Ioanni Conſuli, cognomento Nazo, & Rachildæ coniugibus. Poſt an-
ANN. DCCCC-XCI. nos tres Mutiliani, menſa Iulio fuit, Ditionem Rauennatis Eccleſiæ omnem inuiſit, multa; nouis tabulis factis, conceſſit. Proximo, aſſenſit Aſulfo Epiſcopo Hadrienſi, ut templo Diuæ Mariæ è Gauello, decimas daret
ANN. DCCCC-XCII. totius fundi de Gauello: quod fecit eodem anno Aſulfus, in ipſius templi cœnobio, XVIII. kalend. Septembr. *Pro oblatione, & illuminatione animæ ſuæ, & ſuorum prædeceſſorum*. Cum autem Romoaldus interea Diuinam legem in Aquitania late promulgaſſet, plurimosq. & uitæ ſanctitate, & uerbis, & in his Olibanum Comitem, in cuius erat ditione, cœnobium Romoaldi, ad pietatem induxiſſet, ſtatuit in Italiam, idem facturus, reuerti: Verum adeò in oculis erat omnium, ut diſcedere iam inſtituentem, obtruncare decreuerint: ut quem apud ſe habere uiuum non poſſent, eius mortui cadauer ſanctum uenerarentur. Sed ipſe Diuino Spiritu afflatus, eorum eluſit conſilia, Rauennamq., confecto, nudatis pedibus, itinere, cum ueniſſet, opportunam patri opem attulit: Sergius enim pater; Deo, filii precibus id tribuente; caducarum rerum fluxu, uanitateq. commotus, in D. Seueri cœnobio, ſumpto cucullo, canendis Diuinis laudibus, rebusq. cæleſtibus contemplandis, uitam agebat. Verum peruetus, idemq. perpetuus humanæ ſalutis hoſtis, qui ægrè id tulerat, aſſiduè hominem uexatum, eò iam deduxerat, ut omnino cucullum deponere, & ad priſtinum inſtitutum uiuendi regredi conſtituerit. Quod Romoaldus ſentiens, & patrem acerrimè increpat, & nihilo minus de ſententia diſcedentem in carcerem, ac compedes coniectum, eò uſque in cuſtodia habuit, dum reſipiſcens, ad Dei miſericordiam ſupplex confugit, animiq. uitium ſenſit, & lacrymis diluit: & quidem opportunè: nam breui, cum orationem, & lacrymas, coram Saluatoris imagine, de more, ad Deum funderet, repente ſibi uiſus Spiritus ſanctus: qua ſpecie, incertum; ſũt, qui ignis dicant; & ſtatim, quaſi pertranſiens, ex illius oculis ſe proripuit, paucisq. poſt diebus, ſanctiſſime ex hoc lacrymabili hoſpitio, cæleſtem in patriam euolauit. Romoaldus excitata ſibi, in palude Claſſenſi, cella, ad pontem Petri incoluit: ſed cæli grauitatem veritus, qua, ſi valetudo periclitaretur, eſſet inſtitutum durioris vitæ genus intermittendum, id ne accideret, migrauit paulo poſt ad Claſſenſe prædium, ubi iam cœmiterium fuerat, tunc D. Martini in Sylua erat templum. Ibi a cacodæmone ſub ueſperam, dum Pſalmos recitaret, verberibus eſt affectus, & in fronte, cadentibus feneſtræ tabulis, uulneratur, cuius perpetuò deinde cicatricem ſeruauit. Sub id ferè tempus Creſcens Nomentanus, Conſulatum Romæ adeptus, cum ſuperbo, atque ambi
ANN. DCCCC-XCIIII. tioſo ingenio, niteretur ſibi Imperium conflare, Ioannem Pontificem Max. Vrbe expulit: Pontifex Othonem Cæſarem euocat in Italiam; ſed poſtero anno, vix in hanc prouinciam deſcenderat, cum Ioannes uita ceſſit, eumq. Ioannes alius, qui ſextidecimi geſſit nomen, conſequutus eſt, qui poſt menſes quat-
ANN. DCCCC-XCV. tuor, & ipſe migrauit ex hac vita. Interea Rauennam Otho venerat; ubi cum Claſſenſe cœnobiũ conformare vehementer cuperet, dedit optionẽ monachis

quē vellent, Abbatis eligendi, Romoaldū illi cōmuni ſententia poſtularūt, qui. tū in Pereo palude, duodecim ferè paſſuū millibus Rauēna procul, anguſta in cellula, degebat uitam, pauloq. ante excitatum in ea incendium, humanis poſt habitis remediis, ſola ad Deum prece, diuinitus, Guillelmo eius diſcipulo, magnopere mirante, reſtinxerat. Sanctum uirum ad aulam Regiam per nuncium euocatum, Otho uenturum diffiſus, ad eius ipſe cellam, occidente iam ſole, adiit, in eaque, a uiro ſancto exceptus comiter, cum eo pernoctauit. Ceterum cum impetrare non poſſet, ut Claſſenſibus Monachis præficeretur, poſtridie mane, eum in vrbem ſecum adduxit, dirarum telis, ab omnibus, qui aderant Epiſcopis penè obruendum, minatur, niſi aſſentiret. Itaque tandem aſſenſus eſt, & ab Othone Cæſare, Ioanneq. Rauennatum Archiepiſcopo ad cœnobium Claſſenſe deductus, eius Præfecturam, magna Monachorum uoluntate, iniit. Paulo poſt Otho, cum adhuc Rauennæ eſſet accepto nuncio de Ioannis Pont. Max. obitu in frequenti conſeſſu procerum ſuorum, poteſtate abuſus, Brunonem Saxonem, propinquum ſuum, Pontificem Max. hic declarauit. Mox Romam ambo progreſſi, Bruno conſecratus eſt, Gregorii Quincti aſſumpto nomine, Otho, a Gregorio, Auguſtali corona a titulo inſignitus. Sunt qui hæc omnia Rauennæ facta putent. Gregorius Ioanni Rauennatum Archiepiſcopo, quem Reuerendiſſimum, & Sanctiſſimum confratrem appellat, anno ab ortu Chriſti D C C C C X C V I. cum Eccleſia Rauennas, ita de ſua dignitate excidiſſet, vix vt ægrè ſuſtineret Metropolis nomen, eius Archiepiſcopi rogatu, omnia confirmauit, quæ Rauennati Eccleſiæ fuerant a ſuperioribus Pont. Max. conceſſa: Ibi autem hæc recenſet. Cœnobium D. Hilari in agro, cognomento Gallicata, ædificatum, quæq. eius iuris ſunt omnia, Maſſam Fiſcaliam appellatam, cum iis, quæ ad eam pertinent. Plebem; ſic enim in ipſis litteris ſcribitur, Cornu Ceruinam: inq. iis omnibus poteſtatem iudiciariam, & publicas omnes iuris functiones eidem Archiepiſcopo Rauennati cōfirmauit. Acceſſere ad hæc duo cœnobia in vrbe Arimino, D. Thomæ alterum, alterum D. Euphemiæ, iis omnibus adiunctis iuribus, quæ ad illa ſpectarent. Sanxit etiam, uti agricolæ, & omnes, qui a Rauennatibus Archiepiſcopis, in Hadriano, Ferrarienſi, Cymaclenſiq. penderent, immunes eſſent, nullamq. poſſent ad publicam functionem, aut operam, præterquam ab Archiepiſcopis, cogi: ipſaq. Rauennatis Archiepiſcopatus bona, niſi cētum annorum ſpatio, præſcriberētur. A flumine Punctari uocato, unà cūm palude Argentæ, cumq. iis omnibus locis, in quibus exerceri piſcatus poſſet, & aucupium, & venatio: omnia item ædificia, & iura, quæ in ipſius fluminis vtriſque ripis eſſent, vſque ad portum maris: nec non portū Volanæ; quem pleriq. antiquis Olanam fuiſſe affirmant; vſque Ceruiam, vna cum littoribus ſuis, ſyluiſq. omnibus, & ceteris, quæ condita ibidem eſſent, confirmauit. Lapides præterea omnes, tam qui ſupra terram, quam qui infra, etiam qui in ædificiis publicis, extra opus eſſent, largitus eſt: ſanxitq. ne ab aliquo ſacris initiato uiro, qui aut Rauennæ uiueret, aut de Rauennatis Eccleſiæ familia exiſteret, per omnem Aemiliam, ac Pentapolim, quodpiam portorium exigeretur: quemadmodum ex Pontificiis ipſis litteris; quæ in D. Vitalis bibliotheca adhuc ſeruantur, & nos legimus; cognoſci luculentius poteſt. Scriptæ ſunt autem anno primo Pontificatus Gregorii, Imperii Othonis tertii, etiam primo, menſe Ianuario, a Petro Regionario ſcriba. V. kal. Februarii, iubente, atq. approbante

ANN. DCCCCXCVI.

probante Ioanne Epiſcopo Albanenſe, & Apoſtolicæ ſedis Bibliothecario. Pa
tere autem hinc poteſt, eodem anno coronatum Othonem Auguſtum, quo &
Gregorius Pōtifex renunciatus eſt: cum alii id in ſequentem annum reiiciant.
Feretranum etiam Epiſcopatum Rauennati Eccleſiæ ſubiunctum, Gregorius
probauit; quod & de Placentino fecit: extant adhuc in Vrſiano tabulario Pon
tificiæ de his litteræ, in quibus hæc ita ſcribit Gregorius. *Quapropter conſideran
tes etiam vniuerſas hæreſes in ſancta Catholica Eccleſia miſerabiliter ortas, dignas re-
ſecari ſancta Rauennat. Eccleſia, Tibi Ioanni, eiuſdem Eccleſia venerando Archipræſu
li, tuisq. ſucceſſoribus, in perpetuum, paterno amore ſubuenimus. Placentinam etiam in
iuſte tibi a meo anteceſſore ablatam, & contra canones ſub nomine Archiepiſcopatus lo
catam, tibi, eiusq. ſucceſſoribus refutantes in perpetuum. Inſuper etiam a noſtro Apoſto
latu poſtulaſtis, quatenus pro omnipotentis Dei amore, mercedeq. anima noſtra, & pro
ſtatu Regni Domini inuictiſsimi tertij Othonis Imperatoris Auguſti, Epiſcopatum Mon
teferetranum, cum omni integritate ſua, ex noſtro dono, ſub iure ſancta Rauennatis Ec
cleſia donando, & Epiſcopum conſecrandi a modo in antea cui volueritis, tibi, tuisq. ſuc
ceſſoribus, noſtra Apoſtolica auctoritatis priuilegio muniremus in perpetuum. Propte-
rea tuis flexi precibus, ad honorem S. Rauennatis Eccleſia, & ſtabilitatem eiuſdem vene
randi loci, ipſum iam fatum venerabilem Epiſcopatum Monteferetranum, cum omni in
tegritate ſua, ſcilicet, Eccleſiis, capellis, caſis, caſalibus, curtibus, manſis, colonijs, abbatijs,
cellis fundis, ſeu terris, vineis, pratis, paternis etiam familijs vtriusq. ſexus, et cum omni
bus ad ius notati Epiſcopij legaliter pertinentibus, ſaluum & in cunctis quietum conſi-
ſtere ſub iure S. Rauennatis ſedis, tuitione, ſine cuiuslibet quacumque contradictione:
Ita ſcilicet confirmantes, decernimus, ut Epiſcopus, qui in eodem Epiſcopio pro tempore
fuerit, a te, uel a tuis ſucceſſoribus ordinatus. ſine omni contradictione, ſubiectionem
impendant. &, ut alij ſuffraganei, in omnibus ſecundum Eccleſia tua præfatuum obe-
diant. Inſuper namq. ſub Diuini iudicij obteſtatione, interminantes præcipimus, at-
que iubemus, ut nullus Imperator, uel Rex, Dux, aut Marchio, de præfata conſecra-
tione in aliquo te, tuosq. ſucceſſores lædere præſumat, ſed a præſenti: Decima Indi-
ctione in antea, uſque in perpetuum, quemcumque eligere uolueritis, per noſtram con-
ceſsionem, Eccleſiaſtico more, in præfato Epiſcopatu, Epiſcopum conſecrare debeatis.
remota omnium hominum contradictione.* Hæc atq. alia in ſuis litteris Gregorius,
ſcriptis *manu Petri ſcriniarij notarij, & Regionarij, S. Romana Eccleſia in menſe
Iulio, Indictione ſupraſcripta Decima, Dat. Nonis Iul. per manus Ioannis Epiſcopi ſan
cta Albanenſis Eccleſia, & Bibliothecarij ſancta Apoſtolica ſedis.* Quæ de Placen-
tino Epiſcopo hic dicuntur, ſpectant horum temporum motus, quibus Ioan-
nes quidam Conſtantinopolitanus, cum Placentiæ eſſet Epiſcopus, & doctri-
na, opibusq. præſtaret; vnde tenues miſerorum mortalium animi ſæpe infla-
ri conſueuerunt; ultro ſe Archiepiſcopum appellauit: & Gregorio Pontifice
Roma abeunte, quòd Creſcentis Nomentani, denuò, ob ueterem dominan-
di libidinem furentis uim ſuſtinere nequiret, Pontificem, aduerſus Grego-
rium, ſe declarari paſſus eſt. Quamobrem Gregorius in Germaniam conceſſit,
Othonemq. Cæſarem ſecum in Italiam, cum firmiſſimo exercitu, poſtero an-
no, deduxit. Fuit Otho Rauennæ menſe Aprili, hicq. Alaſiæ ſororis precibus
ANN. DCCCCXCVII. commotus, Vuidechindo; a quo illuſtris Carettorum familia manauit; mul-
ta donauit in Liguribus, Taurinisque: Ioannes Rauennas Archiepiſcopus,
cum hoc eodem anno, ad Quartumdecimum Kal. Maii multa in Rauennate

conceſſiſſet

conceſſiſſet Petro Dei nutu ex genere Conſulis, idq. coram Faroaldo Iudice, & Petro filio Petri Ducis, ipſiq. Hermenfredus Abbas Galliatenſis deſignatus, obſequium, Rauennæ, fidemq. ſacramento ſolemni iuraſſet, breui deceſſit; ſeu, ut nonnullis placet, ad alium Epiſcopatum aſſumptus eſt. Sunt qui ſcribunt, in Taurinos, ad montem Capraſium, ſe abdidiſſe, ibidemq. D. Michaelis ædem ab Hugone Marino Aluerno, montis Buceri Regulo, Silueſtri ſecundi Pontificatu excitatam ædificiis ornaſſe. Vtcumque; Gilberto Gallo, quem appellant aliqui Gerebertum, potiundi Archiepiſcopatus Rauennatis locum reliquit. Is, cum ſumma, vt aiunt, ductus ambitione, ut caducis honoribus exornaretur, totum ſe cacodæmoni tradidiſſet, adoleſcens, primum cucullum in Floriacenſi cœnobio ſumpſerat, mox inde egreſſus, petierat Hiſpalim; quæ eſt in Hiſpania nobilis ciuitas; bonarum artium cauſa, quarum & ſtudioſus fuit, & peritiſſimus euaſit. Eius auditores, & diſcipulos fuiſſe ferunt Othonem Cæſarem, Robertum Galliæ Regem, Hlotharium, virum non minus nobilitate, quam doctrina clarum, qui deinde Senonenſis Epiſcopus fuit. Itaque Gilbertus, ab Hugone Rege, Archiepiſcopatum Remenſem, pulſo inde Arnulfo, adeptus eſt, mox de illo deiectus, Rauennatem iniit, a Gregorio Pontifice donatus pallio atque his litteris. *Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Gerberto S. Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopo, ac noſtro ſpirituali filio, & per te in eandem Eccleſiam, cunctiſq. ſucceſſoribus tuis Archiepiſcopis in perpetuum. Quoniam Apoſtolicæ ſedis beneuolentia, & antiquæ conſuetudinis zelo prouocati, fraternitatem tuam Eccleſiæ Rauennati præfecimus, inſignia præſulum eiuſdem Eccleſiæ dignum duximus tibi conferenda, cum uſu pallij, quo uti debeas certis temporibus, certiſq. modis ſicut anteceſſores tuos uſos fuiſſe cognoſces. Hoc te nihilominus admonẽtes, vt ſicut a nobis huius decoris vſum, ac ſacerdotalis officij honorem accepiſſe te gaudes, ita etiam morum, atq. actuum probitate, ſuſceptum in Chriſto ſacerdotium adornare contendas: ſic enim alterno eris decore conſpicuus, ſi cum habitu corporis, mentis quoque bona concordant, vt foris compoſitus, intus autem directus, Deo, cum propheta, verè dicere poſsis, prouideo Deo in conſpectu meo ſemper, vt ſit a dextris mihi, ne vmquam commouear. Vt autem charitatis in nobis fundatæ dulcedinem recognoſcas, ex gratuita largitate noſtra, poſt mortem Adeleidæ Imperatricis Auguſtæ, donamus tibi, tuaq. Eccleſiæ diſtrictum Rauennat. vrbis, ripam integram, monetam, teloneum, mercatum, muros, & omnes portas Ciuitatis. Si verò alia priuilegia aliquibus facta apparuerint, ſanctæ Eccleſiæ obnoxia, & huic noſtro priuilegio contraria, auctoritate Dei, & ſancti Petri, ad nihilum redigenda illa dijudicamus: & hoc quod facimus, ſtabilimus, & intactum permanendum iubemus. Donamus etiam tibi, tuaq. Eccleſiæ ſanctæ, Comalenſem Comitatum, poſt mortem Adeleidæ Imperatricis Auguſtæ, vt tu, tuaq. ſancta Eccleſia, tuiq. ſucceſſores, illum, cum omnibus inibi pertinentibus, liberè teneant, & ordinent in perpetuum, & quod benè factum eſt, vt bene reſeruemus, & in melius corroboremus, priuilegium, quod tuo prædeceſſori Ioanni, cum Monteferetrana, & Cerulenſi Eccleſiis, & cum omnibus, quæ ſibi largiti ſumus, ex noſtra beneuolentia, tibi, tuaq. ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, tuiſq. ſucceſſoribus confirmamus, & incorrupta ſemper eſſe decernimus: ideſt, monaſterium ſancti Thomæ Apoſtoli, & ſanctæ Euphemiæ martyris, cum omni integritate eorum, & cum omnibus rebus, & poſſeſsionibus eorun cultis, & incultis, tam in Ciuitate Ariminenſi poſitis, quam extra, ſcilicet in comitatu Penſauren. Ariminen. & Monteferetrano collocatis: quæ omnia per centum iam curricula annorum,*

norum, ueſtra Eccleſia, & ueſtri anteceſſores tenuerunt, & nos, Deo gratia, tenetis quiete: id eſt, caſtellum quod uocatur Ligabicci, cum omni pertinentia ſua, & curte de ſancto Hermete, cum prædicta Eccleſia, & cum caſalibus, & appendicibus ſuis. ſ. caſtellum, quod uocatur Galliola, cum omni pertinentia ſua, nec non & caſtrum, quod uocatur Granariolo, cum omnibus rebus, & poſſeſſionibus ſuis. Et ut paternitas bonitatis noſtræ, filiationem tuæ deuotionis ſummo affectu, & affluenter in Chriſto enutriat, auctoritate Dei omnipotentis, & ſancti Petri, principis Apoſtolorum, hoc noſtro priuilegio, præceptum de Regienſi Epiſcopatu, cum omnibus ſibi adiacentijs, a uenerabili Othone Auguſto, tibi, tuæq. Eccleſiæ, tuiſq. ſucceſſoribus attributum, confirmamus, ſtabilimus, & inconuulſum permanendum præcipimus, ut teneas, defendas, regas, & ad Dei honorem, tam tu, quam tui ſucceſſores liberè ordinetis. Confirmamus etiam tibi, tuæq. Eccleſiæ in perpetuum donamus Caſenam, cum omnibus inibi pertinentibus: & poteſtate Apoſtolica iubemus, ut de ſubtus ſtrata, uſq. ad mare, nullus audeat diſtrictum, aut uenationem ullam exercere, niſi cui tu, aut tui ſucceſſores iuſſerint, ſed abſque omnium hominum inquietudine, ad honorem, & utilitatem tuam, poteſtatiuè omnia ibi facias, & præcipias. Omnia etiam priuilegia iam pridem a prædeceſſoribus noſtris tuæ Eccleſiæ collata, omniaq. præcepta aut a Regibus, aut Imperatoribus, pro Dei reſpectu, attributa, hoc noſtro priuilegio in uoluntate Dei, & auctoritate ſancti Petri, confirmamus, corroboramus, & in æternum ualere uolumus, & præcipimus. Si quis igitur contra hæc, quæ per hoc noſtrum priuilegium pie & firmiter diſpoſita ſunt, temerario auſu ire tentauerit, ſciat ſe auctoritate beati Petri principis Apoſtolorum, cuius immerito uices agimus, anathematis uinculo innodatum, & cum Diabolo, & Iuda traditore etiam in ſupplicij incendio concremandum, ſicq. irremediabiliter inuoluendum, ne umquam a nexibus anathematis ſit abſolutus. At uerò qui obſeruator extiterit in omnibus, cuſtodiens huius noſtri Apoſtolici conſtituti auctoritatem, ad cultum Dei noſtri reſpicientes, benedictionis gratiam a miſericordiſſimo Deo noſtro multipliciter conſequatur, & uitæ æternæ particeps efficiatur. Script. per manus Petri, notarij, & ſcriniarij ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Aprilis, Indict. X. Bene Valete. Dat. IIII. Kal. Maij, per manum Ioannis Epiſcopi ſanctæ Albanen. Eccleſiæ & bibliothecarij ſanctæ Apoſtolicæ ſedis, anno Pontificatus Domni Gregorij ſummi Pontificis, & uniuerſalis Papæ, in ſacratiſſima ſede beati Petri Apoſtoli anno. II. Imper. Domno Othone III: a Deo coronato, magno, & pacifico Imperatore anno. in menſe & Indict. ſupraſcripta. X. Gerbertus Archiepiſcopus cum multa in Archiepiſcopatu optimè conſtituit, tum illud egiſſe conſtat, quod Concilium habuit Epiſcoporum omnium, qui Rauennati Eccleſiæ ſubiiciuntur, in æde Vrſiana, hoc eodem anno a partu Virginis DCCCCXCVII. Kal. Mai. In eo Concilio decreta fuiſſe multa legimus, admodum ad benè, beateq. uiuendum utilia: interfuitq. Otho Cæſar. Sub id etiam tempus, Maurus Cæſenæ Epiſcopus, ſanctitate uitæ clariſſimus, D. Mariæ in monte baſilicam ædificauit, quo loco tunc ſacellum extabat exiguum: is autem mons abeſt ab urbe ſtadiis ferme quattuor, monſq. Mauri, ab hac ædificatione deinceps multis annis appellatus eſt, cum antea Saltus ſpatiani diceretur. His etiam temporibus, Guido, quem Tigrinum alii uocant, Othonis primi Cæſaris nepos, quem ipſe Mutiliani, ac Flaminiæ comitem creauerat, Rauennam, Ciuium accitu, honeſtorum præſertim, Trauerſariorumq. quibuſcum magna officia, & frequens uſus, & ob Englaratam Comitiſſam,

ſam, uxorem, affinitas, intercedebant ad habitandum, uti diximus, cum uxore, & Guidone, ſanſoneq. ac Flaminio filiis, ſe recepit: ubi cum gratii, beneficiq. animi non contemnenda ſigna præbuiſſet omnibus Rauennatibus, Pater patriæ communi omnium conſenſu appellatur. Verum illius nepote, non multis poſt annis, Rauennati adoleſcentulæ ui ſtuprum offerente, accurrens populus ad arma, Guidonem, ex illiusq. domo omnes; Guidetto, cognomento Tigrinetto, ſolum, quòd eſſet infans, prætermiſſo; ad unum trucidauit. Qui tamen Guidettus, ubi adoleuit, nulla conſeruatæ uitæ, aut iniuriæ occaſionis ratione habita, ſic patrem, familiamq. ſuam, tantaq. barbarie, ac immanitate, ultus eſt, ut ſanguibibax, truci deinde cognomento fuerit appellatus. Quo perpetrato facinore, Florentiam ſe contulit, indeq. Comitum genus, quibus Guidorum, & a Balneo cognomentum eſt, initium duxit: Vt luculentius explicat, ciuis, & iuriſconſultus Rauennas, harumq. antiquitatum longe peritiſſimus, Vincentius Carrarius, in eo libello, quo huius originem, propagationemq. familiæ, accuratè deſcribit. Hoc interim ſpatio, Otho Romam progreſſus, Gregorium ſedi reſtituit, & Creſcentem in mole Hadriani obſeſſum, fide, per Tamum, hominem ſibi familiariſſimum, præſtita, ſeſe dedentem, ſuſpendii ſupplicio affecit. Mox profectus aduerſus Tiburtes, ibi a D. Romoaldo adhibitus eſt, qui eo uenerat, ſe abdicaret Claſſenſi Præfectura, quod & fecit, reddita uirga in ipſius Othonis atque item Archiepiſcopi Rauennatis conſpectu, quem vnà cum Gregorio, Othoneq. officii cauſa, Romam ſe contuliſſe par eſt. Romoaldi rogatu, pacem Otho Tiburtibus dedit ea lege, ut parte murorum diruta obſides mitterēt, & Mazzolini Ducis, interfectorem dederēt. Quoniam uerò Tamus, fidei, iuriſiurandiq. violati, quo ſe Otho Creſcenti obſtrinxerat, fuerat conſcius, a D. Romoaldo de periurio, perfidiaq. increpitus, eo loco ſancti uiri monita habuit, ut abdicauerit ſe humanis rebus, & Romoaldum, Bonifaciumq. qui poſt apud Ruthenos martyr fuit; Caſſinum, religionis cauſa, adeuntes, ſit proſequutus ob eandem uiolatam fidem, & ob Creſcentis uxorem ſibi pellicem adiunctam, dum Othonem a ſacra confeſſione, Romoaldus expiaſſet, Otho memorabili christianæ pœnitentiæ, & obedientiæ exemplo; primo quidem nudis pedibus, Roma, ad D. Michaelis, quod eſt in Gargano monte, templū perrexit, mox Rauennam, ineunte anno, uenit, aliquotq. dies, in claſſenſi cœnobio, totam præſertim Quadrageſimam, aſperiore ad carnem ueſtē indutus, tametſi exterius fulgeret purpura, in papyraceo lecto cubans uitæ ſe monachorum addixit, eorumq. habitum induere, depoſito Imperio Romoaldo pollicitus eſt. Is iam ex Caſſino, ubi & ægrotauerat, Rauennam reuerſus, cum multis ex omni nobilitate viris, maximam partem domo Germanis; in Pereo rurſus conſederat. Extructisq. ibi, cuique ſua, compluribus cellulis, vita agebatur, penè cælitibus ſimilis: nulla ibi mortalium bonorum cupiditas, nulla ambitio: uerùm poſt certa precum diuinarum officia, hic retia texere, ille ex equinis ſetis ueſtem conficere, alius cochlearia cauare: aliquam omnes nauare operam. Duro tamen viuendi genere ſuperabat omnes Bonifacius: Is cum Othone coniunctus cognatione fuerat, atq. illi ita carus, ut non alio nomine appellaret, quàm animæ ſuæ. Liberalibus ſtudiis, Muſica præſertim, inſtructus: Dominico tantum, Iouiſq. die comedere, ceteris abſtinere cibo ſolitus. Cumq. Boleſclaus Polonorum Rex, interea ad Othonem

ANN. DCCCCXCVIII.

nem miſiſſet, rogatum, ad ſe homines religione præſtantes mitti, qui ad Chriſti fidem adducerent Regni ſui incolas, Romoaldum Otho conuenit, uerùm noluit Romoaldus, pro Imperio, cuiquam ex ſuis id muneris mandare, ſed cum ad eorum arbitrium rem omnem reieciſſet, interrogante, roganteq. Othone, duo, Ioannes, & Benedictus, eam ſponte prouinciam ſuſceperunt: eoq.abeuntes, haud ita diu poſt martyrio affecti ſunt. Hoc interim ſpatio Gregorius Quinctus Pont. Max. tranſlata in Germanos, Cæſaris eligendi facultate, decedens, Gerbertum Rauennatum Archiepiſcopum, qui uocatus eſt Silueſter ſecundus, ſucceſſorem habuit. Qui autem ſcribunt præfuiſſe Rauennati Archiepiſcopatui Gerbertum annos quattuor atq.amplius eos falli elogiũ teſtatur, quod adhuc extat, a Sergio quarto Pont. Max. ipſius in monumento Silueſtri inſcriptum in Lateranenſi Baſilica, ubi poſt annum, quo factus Archiepiſcopus Rauennas fuerat, ſummum Pontificatum fuiſſe adeptum docet, ſic enim orditur.

Iſte locus mundi Silueſtri membra ſepulti
Venturo domino conferet ad ſonitum.
Quem dederat mundo celebrem doctiſsima uirgo,
Atq. caput mundi culmina Romulea.
Primum Gerbertus meruit Francigena ſede,
Remenſis populi Metropolim patriæ.
Inde Rauennatis meruit conſcendere ſummum
Eccleſiæ regimen, nobile ſicq. potens,
Poſt annum Romam mutato nomine ſumpſit,
Vt toto Paſtor fieret Orbe nouus.

Silueſter Pontifex anno à partu Virginis Primo & milleſimo Vrbinatum præfectus &c. In Rauennatum Archiepiſcopatum ſucceſſit Hermutus qui & Neomutus, & Neo, & Leo, idq. frequentius, uocatus eſt. Commorabatur Rauennæ, hoc etiam tempore, Heribertus; ubi negotia gerebat Othonis; Colonienſis Archiepiſcopus deſignatus: eum Otho confirmauit, & ex Beneuentano agro, quo ſe Otho contulerat, ad eum Rauennam poſtero anno ſcripſit.
ANN. DCCCCXCIX. Inde Auguſto Menſe Otho in agro Lucenſi fuit, per Decembrem autem, Rauennæ, ubi Leoni antiſtiti Rauennati, veteres confirmauit poſſeſſiones Eccleſiæ, ac nouas alias addidit. Sequenti anno Silueſter, Cæſenam admoto exer
ANN. M. citu circumſedit: quæ cauſa Pontificem impulerit, incertum. Eo, qui inſecu
ANN. M. I. tus eſt, pridie Non. Maii, Leo Archiepiſcopus, Herchenfredo, cognomento Herchizo, Herchenfredi filio, caſtrum conceſſit, in curte, quæ uocatur Caſa Ficaria, vnà cum Sacello D. Ioannis, & quarta parte fundi Laurini, aliosq. fundos, in territorio Forliuiano. Dicitur autem hic annus Silueſtri Pontificis tertius, Imp. Othonis, quinctus. Indict. XIIII. Aliæ quoq. Leonis Archiepiſcopi tabulæ, hoc anno tertio non. Iun. confictæ extant. ſed cum breui in neruorum reſolutionem incidiſſet, ſe inutilem publicæ adminiſtrationi profeſſus, Archiepiſcopatum; ut Petrus Damiani eſt auctor, Epiſtola ad Nicolaum II. de dimittendo Epiſcopatu; ſponte depoſuit, & quattuor ferè annos deinde uixit priuatus. Huic Fridericus in Archiepiſcopatum ſubrogatur: qui & amplas Neoni ad uictum poſſeſſiones ſuppeditauit, & anno eodem primo a partu Virginis ſupra milleſimum, cum Othone Tertio Cæſare, qui tunc Rauennæ erat, X. kal. Decembr.

Decembr.cœnobium D.Mariæ in Pompoſia,quod ad eam diem Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopi poſſederant;permutauit: ab eo cõtra accipien- quidquid ad iuriſdictionem ſpectaret omnis Terræ; ſic.n. in tabulis Auguſtalibus ſcribitur;S.Apollinaris,omniumq.Epiſcopatuũ,ac comitatuum,de quibus in Rauennati Eccleſia tabulas,ac monumenta extare affirmat.Pompoſianum autem cœnobium Otho omni Archiepiſcoporum Rauennatum ditione, ac poteſtate exemit:uoluit q.Regio tantũ Imperio ſubiectum.Eſſent item monachi ab omni ſeruitii moleſtia tuti,ac immunes: qui de ſuis,quẽ uellent, Abbatem eligerent, ab Cymaclienſi Epiſcopo conſecrandum. Is ſi eſſet moleſtus, aut pecuniam poſtularet, proficiſceretur ad Archiepiſcopum ſuum; ita ſcribitur in iis litteris,quæ adhuc in D.Vitalis bibliotheca ſeruantur;Rauennatem,ab eo certis precationibus expiandus,& cõſecrandus:Quod ſi idem,quod in Cymaclienſi,in hoc contingeret, adiret ad eum Epiſcopum, qui potior ſibi, ac melior uideretur.In iis litteris,Heriberii Cancellarii,uice Petri Epiſcopi, manu ſubſcriptis,Otho,ſeruum ſe Apoſtolorum appellat.Pari religione D.Vitalis Abbati,aream,quæ erat iuxta templi illius atrium,cum omnibus,quæ tum aderant,ædificiis,dedit,donauitq.ut pro monachis domum in ea commodam extrueret: diligenter cauens, ne quis aut Archiepiſcopus, aut alius,moleſtia Abbatem afficeret,illive impedimento eſſet. Sub idem ferè tempus Otho idẽ Cæſar,D.Romoaldi inſtinctu,D.Adelberto Pragẽſi,qui haud ita diu ante, in Pruſia ob Chriſti fidẽ fuerat trucidatus,cœnobiũ dicauit, in Pereo,continentibusq. nonnullis, Claſſenſis cœnobii, prædiis donauit;cum alia in Firmano, Claſſenſi tribuiſſet. Huius Inſulæ Perehi fines,in eius ætatis tabulis leguntur. Padus iuueniacus, foſſa Auguſta, quæ per Humanam in Padum deſcendit: Padorenus,& medium Grangenum.Ipſeq.Otho Cæſar profectus in eam Inſulam, cœnobii locum,ubi ædificandum eſſet,iuxta D Caſſiani templum, deſignat,& D.Romualdum Abbatem facit,ut ex tabulis Auguſtalibus, Rauennæ datis,quas in D. Vitalis tabulario legimus, cognoſci facile poteſt.Paulo poſt tamen cœnobio illi Romoaldus ex diſcipulis ſuis Abbatem præfecit,monachisq. ibidem collocatis, ſanctum uitæ inſtitutum præſcripſit. iuſſitq. Abbatem ſe in ſolitudinem abdere tota hebdomada die Dominico redire ad cœnobium, & monachos inuiſere. Ceterum cum Abbas ſancti Patris monita parui faceret, breui in deteriora lapſus eſt.Interea Otho a Romoaldo conuenitur, atque ut indueret monachum,& ſtaret promiſſis, accurate admonetur. Cui Otho,obſequar, inquit,tibi, poſtquam Romanos, ſeditiones cientes domuero,Rauẽnamq.uictor reuertero.Tũ Romoaldus, ſi Romam ieris,inquit, Rauennam haud amplius uiſes. Qua uoce nequaquam exterritus Romam contendit, Romoaldus Parentium; quæ Iſtriæ nobilis ciuitas eſt; adnauigauit. ANN. M. II. Otho,Roma rediens,cum minus feliciter negocium,cuius cauſa acceſſerat,cõfeciſſet,apud Paternũ,ex uaticinio Romoaldi,ueneno, ut creditum eſt, extinguitur.Henricus ſucceſſit,anno milleſimo tertio,Henrici Hezeli,Ducis Baioariæ filius:His temporibus Malateſtarum illuſtrem familiam,a Malateſta, uiro ANN. M. III. Germano;quem Otho,Arimini Vicarium fecit,originem duxiſſe ferunt. Sunt tamen qui putent,ex Penna,ſeu ut alii,Pinna billis, qui uicus eſt Duci Vrbinatium ſubiectus,initium ſumere.Syluester Pontifex Max. cum in ſanctæ Crucis in Hieruſalem, Romæ rem Diuinam faceret, ſe confeſtim moriturum, &

ab cacodæmone ludificatum ſenſit: ſi quidem prædixiſſe hunc ferunt Syluestro vti caueret, ne Hieroſolyma adiret vnquam: futurum enim, vti tunc moreretur. Quod ubi Syluester, ſudore continenter manante, artuumq. dolore percepit, populo rem omnem faſſus, petiit moriens, ut cadauer bigæ impoſitum ibi tumulo mandarent, quo equi bigam trahentes, conſtitiſſent; quod in Lateranenſi æde factum eſt. Hæc autem ficta omnia, ac falſa eſſe, uel inde conſtare poteſt, quod eius ſepulcro è marmore inciſum elogium, quod adhuc extat, horum nihil omninò neque contineat, neque innuat. Sed cum humaniores hoc tempore artes eſſent ferè amiſſæ, Syluester autem Aſtronomia, cæteriſq. liberalibus artibus eſſet inſigniter eruditus, non fuit difficile, hominem iis egregiè inſtructum, ab imperitis, Magum haberi. Succeſſit in eius locum Ioannes decimusſeptimus, qui menſe quinto poſt initum Pontificatum obiẽs,
ANN. M. IX. ſucceſſorem primo Ioannem Decimumoctauum, mox Sergium Quartum accepit: cuius tempore, circiter annum nonum ſupra milleſimum D. Romoaldus in agro Aretino conſedit, atque in ſummis Apennini iugis cuiuſdam caſam Maldi, vt aiunt, incoluit: Inter multa autem, quæ extruxit cœnobia, Camaldulenſe illud, magna adhuc celebritate floret, ubi complures in contemplatione rerum Diuiniarum ſeſe totos conſtituentes, inter cælites potius, quàm cum hominibus verſantur: quo fit, vt, quod inedia, lacrymis, ac ſolitudine duriſſimũ viuendi genus putamus, eo nihil ab ipſis rectius, nihil aut facilius, aut iucundius eſſe uideatur. Sub id etiam tempus Guillelmus Ferebattus, Normanus, Tancredi ſecundi filius, omnem fere Aemiliam, vti Michael Ritius eſt auctor, ſub ſe habebat: qui facto in Carthaginienſes, Siciliam occupan
ANN. M. XII. tes, impetu, eiectis illis, In ſula potitus eſt. Mortuo Sergio Pont. Max. Benedictus octauus Pontifex eligitur, cuius Pontificatus initio, cum Henricus Cæſar
ANN. M. XIII. Rauennam ueniſſet anno milleſimo decimo tertio, treſq. excuſatos in Ferrarienſi, dono dediſſet cœnobio D. Adelberti ad Padum, exemptionibus, immunitatibus, prærogatiuiſq. multis additis, eidem Abbatem confirmauit D. Romoaldum, quod tabulæ Auguſtales in tabulario D. Vitalis adhuc ſeruatæ, teſtantur. Tanta autem Honorius ueneratione Romoaldum eſt proſequutus, ut ueniente illi aſſurgens, ſæpius, non ſine altiſſimis ſuſpiriis, vehementer optauerit, ut ſua in Romoaldi corpuſculo anima ineſſet: ipſiq. proceres, & uniuerſus exercitus, ut aliquid in ſuas regiones reliquiarum importarẽt, pilos ueſtis auulſerint, qua incompta, & rudi Romoaldus induebatur: nec erat illorum religioni contrarius euentus: cacodæmones ex humanis corporibus ad eorum pilorum, ac veſtis contactum fugiebant, & plurimis ſanitas reſtituebatur. Rainerius Etruriæ Regulus, ſtrenuus uir, ac fortiſſimus, nullius aſpectũ, uel Cæſaris, adeò uenerari ſe, ac timere profeſſus eſt, ut Romoaldi. Fridericus Rauennæ Archiepiſcopus ex hominum iam uita migrauerat. Ab eius interitu Eccleſia Rauennas undecim ferè annis uacauit. Adelbertus enim quidam ſedem nullis legitimis ſuffragiis inuaſerat. Verum Harnaldus tandem ad Archiepiſcopatum, po-
ANN. puli, ac ſacratorum uirorum conſenſũ, Pontifice Max. confirmante, uocatur: qui
M. XIIII. ſtatim coacto Epiſcoporum ſibi ſubiectorum conuentu, anno decimo quarto ſupra milleſimum, quæ ab Adelberto geſta fuerant, ſuſtulit, atque irrita iuſſit eſſe. Inter ceteros autem Epiſcopos, Sigenfredus Placentinus Epiſcopus interfuit, & ſubſcripſit: ibidemque Bononienſis Eccleſiæ Canonici ab Henrico

Cæſare,

Cæſare, Rauennæ item agente impetrarunt, ne Epiſcopo prædia Eccleſiæ
alienare, iniuſſu Canonicorum, liceret. Acta ſunt hæc in æde Vrſiana. Biennio ANN.
poſt, cum Leone Ficoclenſi, ut in ipſis habetur tabulis, id autem eſt, Ceruienſi M. XVI.
Epiſcopo, qui Rauennam uenerat, de Ceruienſi Eccleſia, multa ſciuit. Poſtero
recuperauit nonnulla, de quibus adhuc tabulæ extant: earum hæc ſumma eſt. ANN. M. XVII.
Anno Benedicti Papæ Quincto: Henrici Imp. in Italia anno Tertio, die XV. Febr. Indict. XV. Harnaldo gratia Dei ſanctiſsimo, & coangelico Archiepiſcopo S. Rauennat. Eccleſiæ Pellegrinus miſſus Henrici Imp. & Tatho Comes, item miſſus Imp. lites, & altercationes.......... Paulus Dux, qui uocatur de Traneſaria, & Petrus Dux conſanguineo ſuo, filio q. Ioannis Dux. Ay... D.... Dux. Petrus, & Ioannes germani. f. q. Andreæ ex genere magiſtri militum: Paulus f. q..... uus. q. Vgonis, qui uocabatur de Aquabelli: Ioannes Iudex, qui uocatur Calcians pelle: Berardus iudex Liu. Paulus Conſul, qui uocatur de Romano ſupraſcripto f. Conſul, & Atelbertus f. q. Sergij tribunus f. q..... Augusti, Honeſtus f. q. Attilianus Conſul, & Vbertus conſanguineo ſuo, & alij multi, in præſentia Pellegrini miſsi, & Cancellarij Henrici, pariter cum Tatho Comite item apprehendens in manibus illorum virgam, & miſit eam in manibus ſupraſcripto Harnaldus gratia Dei ſanctiſsimo, & coangelico Archiepiſcopo, & inueſtiuit ipſum, & Eccleſiam Rauennat. ex parte Henrici Imp. de omni fiſco, & de omni publica re Rauennate, ſiue ripa, aut porta...... & de Comitatu Bononienſe, & Comitatu Cornelienſe, & Comitatu Fauentino, & Comitatu...... & Comitatu Ficoclenſe, cum omni fiſci, & publicis eorum Comitatibus, undecumque vel de quantaſcumque.... detur, aut eam per præcepti paginam, potuerit, ſiue per præcepti paginam ſupraſcripti Benedicti, aut anteceſſorum, aut per anteriorem donum, aut inueſtitionem Domni Henrici: Hæc Harnaldus Archiepiſcopus accepit. Tribuit autem, pridie kalen. Mart. qui dies uigeſimus nonus Februarii fuit, Petro Rauennatis Eccleſiæ Diacono, dum uiueret, & vno ſucceſſori eius, clerico, è Rauennatis ipſius Eccleſiæ gremio, cœnobium D. Mariæ, a plachermos uocatum: atq. item Cœnobiũ cui Ferata nomen erat, extra portam D. Laurentii: Cœnobium quoque D. Agathæ maioris, in vrbe Rauenna, regione portæ Vrſicinis: & D. Ioannis Baptiſtæ, a marmorata, extra portam Guartinorum: & D. Petri Apoſtoli, cognomento Offeotriſci, in regione ſanctorum Ioannis, & Pauli: & ſanctæ, quod uocatur Pittula, ſitum propè porticum D. Petri maioris: & D. Michaelis Angeli, in ſuperiora domus, quæ Gregorii fuit, Honeſtinigra appellati: & cœnobiũ D. Petri, quod uocatur manu Domini, in vrbe Rauenna, regione Ferrata, cum omnibus poſſeſſionibus, rebusq. eorum; ut optimè adminiſtraret, & ſacerdotes in ipſis cœnobiis conſtitueret, qui ibidem die noctuq. Laudes Dei celebrarẽt, gratiasq. illi perpetuas agerent. eodem anno, pridie non. Nouembr. cum in territorio Ferrarienſi, in uico cui caput de Rheda eſt nomen, adeſſet, Petro Mutrono, quædam in plebe, ut ibi dicitur, ſanctæ Mariæ in portu, renouatis
tabulis conceſſit. Multa quoque cœnobio D. Ioannis Euangeliſtæ Rauen- ANN.
nati dono dedit: duobusq. poſt annis XV. kal. Decembris, obiit. Cui He- M. XIX.
ribertus ſucceſſit: Is, ne muneri deeſſe ſuo uideretur, multas nouas confecit tabulas, alias reſtituit, & VII. kal. Febr. Apollinari Baronti, & Vrſæ con- ANN. M. XX.
iugibus domos, officinasque confirmauit in vrbe Rauenna, in angiportu,
quo itur ad D. Vincentii. Anno uigeſimo primo ſuper milleſimum, Rauennæ, ANN.
conceſſit Hieremiæ, Petro, Ramberto, Vgoni, Seuero, Lamberto, & Rodulfo, M. XXI.

germanis, Rodulfi cognomento Sergii, filiis, eorumque filiis, ac nepotibus; opidum Glazolum, in territorio Foropompilienſi: & alia in Galigatenſi, & Auximate: adhæc in caſtro nouo: ſe autem ita in his tabulis inſcribit. *Heribertus Chriſti patientia Rauennas Archiepiſcopus.* Contra multa dono dederunt Petrus clericus, & Henguarda, illi, ſucceſſoribusq. & Rauennati Eccleſiæ, anno Pontificatus Benedicti, nono, Henrici Imp. octauo Indict. IIII. octauo Id. Mart. Rauennæ; illi autem hos titulos præſcribunt. *Sancto, ac merito, ac ter beatiſsimo, ſeu venerabili ſanctæ Catholicæ ſedis Rauennatis Eccleſiæ, in qua nunc illi protegenda Dominus Heribertus gratia Dei Archiepiſcopus ipſius eccleſiæ præeſſe videtur.* Quarto Id. Iun. in territorio Fauentino fuit, multasq. compoſuit res, ad Rauennatem

ANN. M.XXII. Eccleſiam ſpectantes, quæ ad interitum ruere uidebantur. Poſt vbi remigrauit Rauennam, unde menſe Februario litteras ab eo ſcriptas legimus, Quarto Id. Octobr. in agrum Ariminenſem ſe contulit, ad XVII. Kal. Nouembr. Cæ-

ANN. ſenæ omnem inuiſit, conformauitq. Eccleſiæ ſuæ ditionem. Poſtero anno, men-

M.XXIII. ſe Aprili Rauennæ, ſolemnem Epiſcoporum ſuorum, ſacratorumq. minoris ordinis virorum, ac populi, cum ſupplicatione pompam duxit ab æde Vrſiana, ad

ANN. D. Vitalis, die ipſius feſto. Inſequens annus interitum Henrici Imperatoris Au-

M.XXIIII. guſti attulit: cui ſuffectus eſt in Regem Chuonradus Franconiæ Dux. Sunt qui, eodem hoc anno Benedictum Pont. Max. mortuum eſſe tradant, ſed monumenta Vrſiani tabularii ſecus docent, uti memorabimus: Cum & grauiſſimi rerum Romanarum ſcriptores affirment Henrico uita functo, qui aſſidue Pontificem fuerat tutatus, tumultu, ac ſeditionibus Benedictum pulſum, & Pontificem alium ſubditum: qui tamen, pace cum inimicis facta, eiectus eſt, Benedicto reſtituto. Per id tempus Rauennæ Dominicus Vrſeolus deceſſit: Hunc Venetæ Reipublicæ Principatū, nullo adhibito conſenſu populi, occupantem, populares poſtridie, armati in eum maximo impetu, ruentes, vrbe eiecerant. Ipſe Rauennam fuga elapſus, reliquum uitæ ſpatium; tametſi breue; in hac urbe con-

ANN. fecerat. Anno a partu Virginis milleſimo uigeſimo ſexto, Benedictus Pont.

M.XXVI. Max. migrauit ex hac uita; ſufficitur illi pridie kal. Maii. Ioannes XX. Chuonradus Cæſar Rauēnam ad Libernādum ſe contulit; Vere ineunte Romam pro-

ANN. M.XXVII. ficiſcens, ut coronam Auguſtalem more maiorum, de manu Pontificis acciperet, Heribertum Archiepiſcopum Rauennatem, officii cauſa, ſecum habuit. Circiter id tempus plerique ſcribunt D. Romoaldum, ad cæleſtia premia abiiſſe: Omitto illius mirabilia facinora, in quibus nimis longa traheretur oratio: nam & ingentes capitis dolores oſculo ſedauit, & cætera huiuſmodi multa, non ſine omnium admiratione, effecit. Cum autem tandem ſibi diem mortis imminere cognoſceret, quam diuinitus viginti iam annos prædixerat, in Valcaſtrium cœnobium, quod eſt in Picentibus, ab ſe extructum, contendit, vt in ſolitudine, cuius fuerat ſemper amantiſsimus, & in qua variis locis, perpetuò uixerat, diem clauderet extremum. Itaque monachis, qui aderant, abire, poſtridieq. eius diei redire iuſſis, ſolus, Decimotertio kalend. Quinctil. animam exhalauit. Eius uitam, ac elogia Petrus Damiani, ciuis Rauennas, luculentus auctor, cum eſſet adhuc monachus, circiter tertium decimum, poſtquam uita exceſſerat, annū, ſcripſit, in cœnobio D. Vincentii: quod fortaſſe illud eſt, cuius Gualterius Archiepiſcopus, ſuis ad Azonem Camaldulēſium Præfectum litteris, in hac vrbe ædificati, meminit. Nemo autem eſt, ut puto, qui Romoaldū dignum

non

nō exiſtimet, ut eius memoriam, diemq. feſtum, ac ſolemnem Rauennates multo maiore, quàm faciant, ueneratione, atque honore celebrent. Poſterioribus ſæculis cum in dubium reuocaretur, ubinam ſanctum Romoaldi cadauer eſſet, Michael Faliſcus, qui tum forte Valcaſtrenſi conuentui Abbas præerat, cum eius rei vehementi teneretur deſiderio, audacior inde factus, ſepulcrum, in quo conquieſcere uiri ſancti cadauer ferebatur, noctu aperit: Videt cum promiſſa barba, canis capillis, toto denique habitu corporis, atque aſpectu uenerabilem, & perinde, ac tum primum deceſſiſſet, quaſi obdormientem: cum tamen eſſet is annus a partu Virginis ſexageſimus ſextus ſupra milleſimum, ac quadringenteſimum. Hinc poteſtas omnibus finitimis populis cognoſcendæ rei facta eſt, de qua fuerat plurimum ab eis dubitatum, quamq. maximè ſemper expeti erant. Paucis poſt annis Thadæus, & Rochus Camaldulenſes item monachi, ſubalpini, cum eſſent res ſacras multas ſuffurati, nihil religione deterriti, ad cadauer ſanctum accedunt, ut illud ſurriperent, ſed dum admouent manus, abiere in puluerem omnia, exceptis oſſibus, quæ ſacco inuoluta Aeſium, vnà cum rebus aliis furto ablatis, important, Rauennam fortaſſe, aut ad ſuas regiones delaturi: iamq. ad cauponam diuerterant, ſaccoq. in quo ſancta oſſa inerant, in conclaui depoſito, eiusq. foribus clauſis, per urbem vagabantur. Hoſpitis forte puer ante cubiculi fores tranſiens, ardere vniuerſum uidit cubiculum, continuò clamat, accurrunt omnes, diffringunt fores, tandemq. euaneſcentibus flammis, oſſa inueniūtur: quæ Aeſini, ad prodigium accurentes, rem ex iis, qui, ut fures deprehenderent, ex Valcaſtrenſi cœnobio iam aduenerant, cognoſcentes, honeſtiſſimo loco collocarunt, ſupplicatione omnium ſacratorum uirorum decreta. Cum uerò ea Valcaſtrenſes exportare ad priorem locum uellent, uix poſt ingentes, ac multas altercationes permittunt Aeſini, ut Fabrianum deferantur, brachii ſiniſtri oſſe Aeſii relicto, quod Aeſini decoro maxime loco, ſumma ueneratione, poſuerunt. Fabrianenſes in templo D. Blaſii, nobili ſepulchro, ſancta oſſa anno M CCCCLXXXII. Xyſto Quarto Pont. Max. tribuente, condunt. Anno poſt modum MDXVI. aſfertur os brachii dextri ad ſolitudinem Camaldulenſem, cum Paulus Iuſtinianus, qui in ea ſolitudine Deo inſeruiebat, ab Cypriano ſubalpino, D. Blaſii Abbate, id impetraſſet. Sed iam reuertamur ad hiſtoriæ ordinem. Hoc tempore; uti Ferretus ex Franchini Commentariolo eſt auctor, Rauennæ Trauerſarii uigebant, Pauli nepotes: nam, ut idem tradit, ex Andrea Pauli filio, Vgo, Balduinus, & Adelbertus naſcuntur: Hic Othoni Cæſari; uti diximus; admodum carus, adiutor acceſſit D. Romoaldo, ut Cæſar D. Adelberto templum in Inſula Pereo ædificaret: ab eoq. tempore Romoaldus Othoni notus, & uenera tus eſt. Ex Georgio Andreæ fratre, natus eſt Ioannes; quem diximus Archiepiſcopum Rauennatem, hoc nomine; nonum fuiſſe; & Agapitus, qui adoleſcens deceſſit. Theodoſius Pauli etiam ex Blanda Perleonia filius, Vgolotum, Fridericum, & Aldebrandum habuit. Italianus Theodoſii frater ex eadem Blanda, Opizonem, & Marcualdum procreauit. Philippus frater, tertio loco in lucem editus, Azonem, & Raynaldum. Poſtremus omnium fratrum Iacobus, Guillielmum, Brunorium, & Vbertinum. Romoaldi, quoque fratres nobilitatem domus tuentes, dignitatemque cum eorum alter Itala, alter Dux appellaretur, Ferretus & Franchinus, horum auctores, putant, inde Hali-

duſiam domum; cui nunc Halidoſiæ corrupta uoce, cognomentum eſt, & Fori Cornelii, aliorumq. opidorum in Flaminia dominatum habuit; originem duxiſſe. Heribertus Rauennatum Archiepiſcopus, cum Sergio D. Vitalis Abbati, emphyteutico iure dediſſet, quidquid Eccleſia Rauennas, eo loco, qui Auillana dicitur, poſſidebat, certæ penſionis obligatione quotannis adiecta, & multa in Archiepiſcopatu ad rectam formam deduxiſſet, moritur; Gebehardumq. ſucceſſorem habuit. Hunc maximum tenuit ſtudium, Archiepiſcopatus ſui ditionis repetendæ: quod cum declarant multa eius ſæculi monumenta, tum ille inprimis conuentus, quem habuit duobus poſt annis, cuius acta, quoniam facere uidētur ad horum temporum mores cognoſcendos, eorum ſummam hic appoſui. *Anno quarto Ioannis Papæ Imp. Chuonrado anno tertio, die XI. Aprilis Indict. XII. in ſuperiori domus Archiepiſcopatus Rauennatis, dum reſideret in iudicio, & in generali placito, Gebehardus Archiepiſcopus Rauennæ, adſtantibus maxima pars nobilium virorum omnium, quorum nomina ſunt hæc, id eſt, Paulus Epiſcopus Cornelien. Lambertus Abbas monaſterij ſancti Apollinaris in Claſſe, & Canonici, & Diaconi, & Presbyteri, & Cantores, & ſubdiaconi Rauennatis Eccleſiæ, & multi iudices. Guido Comes fil. quond. Tetrigrimi, & alio Guido Comes gener eius, & Adelbertus Comes, de Maynardo, Petrus de Trauerſaria, Vgo, & Theobaldus gener Vgoni fil. quond. Petri de Chriſtiduli, & Adelbertus de Berardo, Baldus de Tuſterula, & Michael fil. quond. Petri de Aguſta, Petrus de Azo, & Gerardus Spacia inferno & alij multi: Tractatum eſt in hac lite conſtituenda, in præſentia Archiepiſcopi, inter Gebehardum Archiepiſcopum, & Petrum de Trauerſaria, & Raimbertum filium odulfi de Sergio: Vbi cum Andreas iudex præcepiſſet, vt Ioannes tabellio pro Domino ſuo calumniæ ſacramentum præſtaret, non ſolum iurare noluit, ſed etiam penitus refutauit: & interrogauit etiam iudex Guidonem Comitem, ſi iurare vellet, qui reſpondit, neque ego iuro, neq. meum procuratorem iurare permitto: cui Iudex dixit, quare non reſpondetis, ne periurium incurr... interrogatus iterum ſi probare poſſet, reſpondit, non, & profiteor res prædictas ad me nullo modo pertinere. Quo audito, dixit Andreas Iudex, iudico ego, ut tu cum filijs tuis, & hæredibus cunctis inſtitutis, vt Dominus Gebehardus Archiepiſcopus ſit quietus de omnibus illis rebus in perpetuum: quam ſententiam cæteri Iudices confirmarunt. His geſtis, prædictus Comes apprehendens virgam, miſit in manu Domini Gebehardi Archiepiſcopi, & Ioannis tabellionis apochriſarij, & ſpopondit, & obligauit ſe, cum omnibus filijs & hæredibus in perpetuum, ſi ab hac hora egerit, aut contentionem fecerit de prædictis rebus, per ſe, uel per alios.* Subſcripſerunt huic ſententiæ, præter Paulum Epiſcopum, & Diacones Cornelienſis Eccleſiæ, & Præpoſitum Canonicæ Rauennatis, ipſe Andreas Iudex hoc modo. *Ego Andreas Romani Iudex Imperij, quæ acta ſunt, iudicaui, litteriſq. annecti præcepi, eaſq. firmans, manu etiam propria inferius ſubſcripſi. Ego Gerardus Imperatorius Iudex hæc decreui, laudans, confirmansque iudicium in æternum valere conſtituo. Ioannes magiſter militiæ in hoc iudicato interfui & ſubſcripſi. Thebaldo ex genere Ducum, huic iudicato adfui. Petrus Dux de Trauerſaria, in hoc iudicato, ſicut ſupra, interfui, & ſubſcripſi.* Subſcripſerunt & complures alii.

ANN. M.XXX. Proximo anno octauo Id. Iun. qui Pontificatus Ioannis Sextus, Imperii Chuonradi quartus, Indict. XIII. ſcribitur. Gebehardus Archiepiſcopus poſtquam Cæſenæ fuit, multaq. ibidem, ſuperiori menſe, reſtituit, ad Eccleſiam Rauennatem ſpectantia, cœnobioq. Diui

Ioannis

Ioannis Euangeliſtæ templum D. Mariæ in patrimonio, prope Theoderici Regis palatium Rauennæ conceſſit, Conuentui interfuit, & foro, quem propè Bononiam Alexander Chuonradi Cæſaris Legatus, Miſſum appellabant, eo. die egit. Adfuere item Azolinus Epiſcopus .... enſis Eccleſiæ, Vuido Comes, Ioannes Dux, Ioannes Petri Ducis filius, Raimbertus Rodulfi filius, Petrus cognomento de Rainerio, ſeu Taſeracundus Iudex Fauentinus, Petrus Calcians pelle, Ioannes Vbertus, Albertus Atius, & alii. Ibi Vgo Eccleſiæ Rauennati aduocatus, Hieremiæ, & fratrum illius nomen detulit, de caſtro, in Ronco, quod detinebant, & de Variana, & ſancti Saluatoris, & ſancti Caſſiani, deq. ſtationibus in urbe Bononia, & locis in eodem agro, quæ iuris Rauennatis Eccleſiæ erant. Sciſcitanti autem Alexandro, ubi nam Hieremias, & fratres eſſent, cum fuiſſet reſponſum, eos citatos, ad diem ſe in iudicio ſiſtere, aut reſpondere, neglexiſſe, Ipſe, & Vgo, & Hubaldus Comites, Germani, Vgonem Aduocatum in poſſeſſionem eorum bonorum, Rauennatis Eccleſiæ nomine miſerunt; eorumq. graui edicto, cautum, ne quis eum inde deiiceret. Poſtero ineunte anno Gebehardus, menſe Ianuario Cæſenam rediit; Triennio poſt a Chuonrado Cæſare Comitatum impetrauit Faueninũ, quod hoc eius diploma teſtatur. *In nomine omnipotentis Dei: Chuonradus eius pietatis munere Romanorum Imperator Auguſtus. Licet omnium nobis ſubditorum commodis, ac profectibus, ubi iuſtitia exigit, & honeſtas, inuigilare velimus, Eccleſiarum tamen utilitatibus propenſius fauere debemus: quia enim ad Imperialis celſitudinis ſolium, Diuina nos pietas ſublimauit, Deum noſtræ dignitatis auctorem fideli mẽte ſemper diligere, & eius debemus Eccleſias, de multis, ac maximis, quæ nobis miſericorditer contulit, largiter honorare. Omnium igitur ſanctæ Dei Eccleſiæ præſentium, ac fidelium futurorum, ſub Romani Imperij vniuerſitate degentium, cognitioni pateat ac notitia, quòd dilectiſsima coniugis noſtræ Giſlæ interuentu, Domnus Gebehardus, nobis a Regni noſtri principio fideliſsimus filius, ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus conſtitutus, noſtram conuenit præſentiam, noſtramq. popoſcit clementiam, quo pro Deo, animæq. noſtræ ſalute Comitatum Fauentinum ſanctæ Rauennati Eccleſiæ, Imperiali largitione, concedere dignaremur: cuius nos fidelitatem deuotiſsimam recolentes, & cariſsimæ noſtræ coniugis precibus annuentes, prænominatum Comitatum Fauentinum, cum omni diſtricto ſuo, & Legali placito, & iudicio, omnibusq. publicis functionibus, angariis, & redhibitionibus, teloneis, fodris, ripaticis, aquis, aquarumq. fluxibus, molendinis, & piſcationibus, cunctisq. poſtremo, ex eodem Comitatu, hactenus iuri Regio legaliter attinentibus, prænominatæ ſanctæ Rauennati Eccleſiæ, ſtudio deuotæ religionis offerimus, & a noſtro iure, & Dominio, in eius ius perpetuum, dominiumq. transfundimus, & per hac noſtræ auctoritatis inſtituta, donamus, & habendum in proprietatem perpetuam a modo delegamus. Si quis ergo Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Conſul, Proconſul, uel aliqua dominii noſtri magna, paruaq. perſona, ſæpe dictam ſanctam Rauennatem Eccleſiam, de iam dicto Comitatu Fauentino, uel his, quæ ad eum hactenus pertinere noſcuntur inquietare, moleſtare, uel diſueſtire præſumpſerit, mille librarum auri compoſitioni ſe obnoxium nobis, & præfata Eccleſia procul dubio nouerit. Quod ut uerius credatur, & ab omnibus diligentius cuſtodiatur, manu propria, ex conſuetudine, roboratum, imaginis noſtræ reddi iuſſimus ſignificatione figuratum. Signum Domni, Chuonradi ſecundi Romanorum Imperatoris inuictiſsimi. Dat. pridie Kal. Mai. Indict. II. Anno Dominicæ incarnatio-*

ANN. MXXXI.

nationis, Milleſimo trigeſimo quarto. Anno autem Domni Chuonradi ſecundi, Regni Decimo, Imperij uerò octauo: Actum Ratiſponæ feliciter. Amen. Hunc Comitatum Gebehardus Archiepiſcopus nequaquam tenuit, ſed dimidiam eius partẽ tradidit paucis poſt diebus, Vgoni Comiti Bononienſi, quæ cauſa huic negocio anſam dederit, aſſequi ad hanc diem non potui. Tabulæ hæ ſunt. *In nomine Domini. Temporibus Domni Benedicti ſummi Pontificis, & uniuerſalis Papæ, in Apoſtolica ſacratiſſima beati Petri Apoſtoli Domini ſede, tertio: ſicq. Imp. Domno Chonrado pijſſimo perpetuo Auguſto Imp. In Italia verò anno octauo, die XXV. men. Iunij, Indict. II. in loco, qui dicitur Stornatunus, in tentorio Domni Gebehardi, ſacratiſſimi Rauennatis, prædeſtinante Deo, Archiepiſcopi. Dum adeſſent quidem optimi, atque honeſtiſſimi, nec non bonæ opinionis, & laudabilis famæ uiri, quorum nomina hæc ſunt. id eſt, Dominus Lambertus, per Domini miſericordiam, monaſterij ſancti Apollinaris, quod uocatur ad Claſſe, Abbas: & Vuido Dei gratia monachus, & dudum monaſterij ſanctæ Mariæ, quod uocatur ad Pompoſiam, Abbas: & Bonifacius Comes, & Hugo Comes. q. Hubaldi Comitis filius, atque Petrus inclytus Dux, & Ioannes Dux nobilis, & Theodaldus, Deo annuente, illuſtriſſimus Vicedominus, & me præſente Rodulfo Rauennate, Chriſti miſericordia, tabellione, & alijs: In noſtra prædictorum præſentia, refutauit Vgo nobilis Comes Bonon. per uirgam, quam manibus detinebat, Domno Gebehardo Reuerentiſſimo præfato Archiepiſcopo, ſuæq. Rauennati Eccleſiæ, & ſui ſucceſſoribus, in perpetuum, Comitatum integrum Fauentinum, cum omnibus angarijs, atque portaticis, ſeu ripaticis, ſiue fodris, nec non publicis functionibus, atque teloneis omnibus, ad præfatum Comitatum Fauentinum pertinentibus, uel ſubiacentibus. Et tunc iam dictus Domnus Gebehardus prædictæ Eccleſiæ Archipræſul, hæc ita accipiens, & illico inueſtiuit prænotatum Vgonem Comitem Bononienſem, de medietate iam nominati Comitatus Fauentini, cum omni-*

ANN. MXXXV. *bus ad ipſam medietatem pertinentibus in beneficio. Hoc factum eſt ſub die, menſeque & Ind. II. ſupraſcriptis.* Eò qui inſecutus eſt anno XIIII. Kal. Mart. Rauennæ tribuit quoque Gebehardus, Honeſto inclyto, ut ibi dicitur, Epiſcopo ſanctæ Pupilienſis Eccleſiæ, templum, cœnobiumq. D. Cypriani, quod in vrbe Rauenna erat; in regione palatii, quod Theoderici Regis uocatur, quæq ad illud ſpectarent omnia; certa adiecta penſione, condicioneq. ut illud inſtauraret, nec quidquam umquàm inde alienaret. Quarto Id. Iul. in uico fuit, quam Mariam uocabant, cognomento Campiliam; ibi diligenti cura,

ANN. MXXXVII. bona Rauennatis Eccleſiæ explorauit, & multa reſtituit. Biennio poſt, plurima eiuſdem Eccleſiæ prædia in Auximati recuperauit, per Vgonem, & Sabatinum internuncios ſuos, qui ad conuentum in territorio Auximate, iuxta tẽplum Diui Sauini, ab Henrico, & Vgone, Chuonradi Imperatoris Legatis, kal. Martii, factum, Hildebrandum, ac fratrem, Attonis filios detulerant, quod ea Eccleſiæ Rauennatis bona occuparent, cum in eo Conuentu, multi nobiles viri, ipſeq. in primis Giſlerus Epiſcopus Auximas, interfuiſſent. Chõradus Cæſar Rauennæ commoratus eſt aliquandiu, hicq. ſanctum Domini Paſcha celebrauit. Sed nuncio moleſto perculſus, in Galliam Ciſalpinam maturauit. Attulerat is nuncius, Heriberti Mediolanenſium Archiepiſcopi fugam: quem noua, eademq. Chonrado infeſta molientem, Chunradus in Italiam profectus, paucis ante menſibus, una cum Cremonenſi, Placentino, & Vercellenſi Epiſcopis comprehendi, ac Placentiam diuerſas in cuſtodias mitti

ti

ti iuſſerat. Sed dum Rauennæ Chonradus agit, Heribertus lentas Germanorum vigilias, uino, dedita opera, obrutas, ludificatus, euaſit. Itaque Mediolanum defectionis caput obſidet, ſed D. Ambroſii Epiſcopi minis deterritus, qui ſeſe Brunoni Epiſcopo ſacra facienti, oſtenderat minacem, ſoluit obſidionē, & inde Papiam, mox Cremonam, Pontificem ad ſe venientem excepturus cōtendit. Cum autem kal. Septembris eſſet Taruiſii, Giſlæ coniugis inſtinctu, Hemæ, cœnobii ſacrarum D. Andreæ Rauennatis Virginum, Abbatiſſæ, opidum Taibanum, Carbonariam maiorem, minoremq. & alia in Cæſenati, Foro Pompiliano, Foro Liuienſi, Fauentino, Cornelienſi, atq. etiam aliis multis locis dedit, confirmauitque. Anno milleſimo trigeſimo nono Gebehardus cum multa pro Archiepiſcopatu reſtituiſſet, illa quoq. recipit, quæ Vgo Comes teſtamento reddenda iuſſit: cuius tabulas, cum facere ad horum temporum hiſtoriam uideantur, libet attexere. *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, amen. Anno MXXXIX. Indict. VII. men. Auguſti, die XVI. Quia metus mortis tollit hominibus, perfectum ſenſum habere, ideo ego Vgo exiguus Comes caſtri Britonorij, quamuis ſim æger corpore, tamen mente ſanus ſum, & uoluntate propria res meas ita diſponere uolo, ut Deus inde honoretur, & anima mea inde detrimentum non patiatur. In primis præcipio, ut medietatem caſtri Montis Saxi reſtituatur Sarſenſi Epiſcopo, quia iniuſtè teneo. Caſtrum Montis, Fraſconis reſtituo totum monaſterio ſanctæ æternitatis, & ſi aliquid in partibus illis iniuſtè teneo, uolo, ut reſtituatur: pro anima mea præcipio ducentum libræ dentur. Item uolo, & recipio, ut Gerardus filius meus ſit mihi hæres in totum: & uolo, ut det ſorori ſuæ Mariæ, totum quod habeo in Marchis, & ipſe habeo in partibus Romaniæ: & ſi Gerardus ſine filijs maſculis mortuus fuerit, totum quod habeo in plano ſcilicet caſtrum Britonorij, cum toto tenimento ſuo & cum paſcuio de Forimpopuli, & cum Malliano; quia tenimentum Malliani uſurpaui de tenimento Meldulæ; & totum quod habeo in plano, Archiepiſcopo Rauennati reſtituatur: & nunc ad præſens reſtituatur totum, quod tuli de tenimento Meldulæ, prædicto Archiepiſcopo: tamen ſi filia fœmina habuerit, habeat totum, quod in montaneis partibus habeo, quia caſtrū Britonorij non eſt mihi conceſſum, ut filia fœmina habeant. Vbertum ſeruum meum, liberum relinquo, cum tota familia ſua; ſed tamen quocumque tempore domus mea ſine filijs maſculis remanſerit, totum quod habeo in plano, prædicto Archiepiſcopo reſtituatur. Ciuitella de Galliada reſtituatur ſancto Hilaro, cum toto tenimento ſuo. Hæc eſt mea ultima uoluntas, unde ſeptem teſtes rogo. In primis, Vbertum Guarnerij, Stephani Pagani, Vbertum Azonis, Ioannis Stulti, Gisbertus de Caro, Vgolinum de Rolando, Petrus Speronzellus. Ego Petrus notarius præcepto ſupraſcripti teſtatoris hoc teſtamento ſcripſi, & compleui.* Inſequenti anno, Gebehardus, conceſſit Sexto Non. Maii, cum eſſet Rauennæ, Dauidi D. Ioannis Euangeliſtæ Abbati, templum D. Vitalis, iuxta fluuium Taullum. Menſe Octobri, plebem inuiſit ſancti Caſſiani, qui in Caſatico uocatur. Anno proximo in quibuſdam tabulis publicis, Lambertum Legi Conſulem, & Patrem Ciuitatis Rauennæ: quod qua ratione dictum ſit, planè fateor, ignoro: niſi quòd iam inde ab Othonum Cæſarum temporibus, cum illi ſpeciem quandam libertatis, ciuitatibus Italicis reliquiſſent, eo contenti, ut ſacramētum Regibus dicerent, & paucula ſoluerent tributa, fodra potiſſimum appellata, quos populi ad regendam ciuitatem, & iura moderanda deinde crearūt, ii Conſules duo, pluresve fuere: De Patre Ciuitatis, ac Lamberto nihil adhuc

ANN. M. XXXIX.

ANN. M. X L.

ANN. M. X L I.

com-

compertum eſt: ſi recte tamen è uetuſtis monumentis collegi, Conſulis in pleriſque dignitas, nomenq. ut Marchionis, ut Ducis, ut Comitis perpetua
ANN. M. LIII. fuit. Anno quadrageſimo tertio ſupra milleſimum, Decimo octauo kal. Maii. in Caſaliclo, qui locus eſt prope caſtrum Valdepondo, Rambertus, Seuerus cognomento Maſtarus, & Rodulfus Citellus fratres, Rodulfi filii, ſacramentum Ioanni Veræ, nomine Gebehardi Archiepiſcopi accipienti pro iis prædiis, quæ ibidem Druda iam Gandulfi uxor, poſſidebat, accepta in manibus uir-
ANN. M. LIIII. ga, dixerunt. Poſtero Gebehardus Archiepiſcopus, Decimoquarto kal. Mart. in Pompoſiano cœnobio, quod multis bonis, ac priuilegiis ornauerat, diem clauſit extremum, his ad tumulum adiectis carminibus.

Pontificis magni corpus iacet hic Gebehardi,
Per quem ſancta domus creuit, & iſte locus:
Plurima donauit, qua tali lege leganit
Qua patitur Iudas, raptor, & ipſe luat.
Chriſte funde preces, ſibi, Lector dic, miſerere.

Quòd autem ſit ibi mortuus, ac ſepulturæ traditus, eius loci Abbatis, Guidonis, ſanctitas fecit. Hic in agro Rauennati, Decimo ab urbe lapide, uilla Caſamaria, religioſis parentibus, Alberto, & Marotia, ex Strambiatorum familia natus Rauenna Romam proficiſcens, ſacris initiatur, dumq. Hieroſolyma cogitat, Rauennam redire per quietem admonetur, inq. Pompoſiana inſula, Martino magiſtro, ſumma continentiā, ac religione uiro, uitam agere. Vixit, ut monitus fuerat, Guido, in Martini diſciplina, annos tres, & mirabiles in ea ſolitudine progreſſus fecit. Quarto autem anno ineunte, a Martino ad Guillelmum Pompoſiani cœnobii Abbatem; ut magis adhuc proficeret, mittitur: qui cum Guidonis integritatem, eiusq. puritatem animi nouiſſet, pétiit a Martino, ut iuberet. Rauennam illum ad D. Seueri, monachorum uitam inſtituturum, proficiſci. Quod & factum eſt. Sed cum non multo poſt Guillelmus Pompoſianus Abbas, ex hac uita migraſſet, Guido, omnium cō ſenſu, in eius locum ſufficitur. Iamq. Albertus pater, filium imitatus, & Gerardus item fratris ductus ſanctitate, ac religione, monachi cucullum induerant. Contigit autem, ut cum ex cœnobii miniſtris quidam è ſublimi decidiſſet, uiro ſancto Deum orante, incolumis euaſerit: quodq. multo maius putatur, Martinus monachus, qui uitam in cellula ſolitariam degebat, millibus paſſuum octo ab cœnobio procul, cū diem ſuum obiiſſet, Guidonis rogatu, ad uitam a Deo reuocatus eſt: isq. cum de inferorum pœnis, ac locis multa enarraſſet, tertio poſt die, iterum migrauit è uita. Non caruit tamen moleſtiis Guido, & calamitatibus: nam in tam uehemens Heriberti Rauennatis Archiepiſcopi odium incurrit, ut Archiepiſcopus cœnobium illud Pompoſianum aliquando decreuerit ſolo æquare. Quod cum Guido reſciuiſſet, aſſidue una cum ſuis monachis, per tres dies ſupplex Deum exoratus, & cibo abſtinens, non ſolū pacem impetrauit ab Archiepiſcopo, ſed effecit etiam, ut ipſemet ad pedes ſuos ſtratus Archiepiſcopus, ueniam, multi obortis lacrymis petierit, multoq. deinde in honore ſemper habitus ab illo fuerit. Gebehardus item, quem Heriberto ſubrogatum in Archiepiſcopatu memorauimus, familiariſſimè Guidone uſus eſt, eumq. quotannis inuiſere, & ſecū cœnare conſueuerat: Vbi quandoque euenit, ut cum Gebehardus, religionis cauſa, Guidoni poculum, quo biberet,

biberet, præberi ſibi mandaſſet, renuenteq. Guidone, tandem impetraſſet,
quam putarat, infuderatq. miniſter aquam, uinum factam, uiri ſancti preci-
bus cognouit. Quamquam id minus mirabitur, qui intelliget ex eadem aqua,
qua ipſe manus lauerat, difficiles ſæpe morbos depulſos: quod Gerardus qui-
dam domo Longobardus, quartana laborans, expertus eſt, cum Petri induſtria
Guidonis adminiſtri, eam acceptam aquam potaſſet. His, compluribusq. aliis
rebus admirabilibus, & ſanctitatis fama impulſus Henricus ſecundus Cæſar,
cognomento Niger, qui Chunrado patri mortuo fuerat ſuffectus, cum in Ita-
liam ueniret, Legatos miſit, qui Guidonem ſibi obuium proficiſci iuberent:
multa habere, in quibus uti illius conſilio uellet. Abiit Guido, & quidem inui
tus, proficiſcensq. monachis ſuis prædixit, fore, ut ſe amplius nõ uiderent: quod
& contigit: nam in Parmenſi opido ſancti Donini cum eſſet, tertio poſt quam
ægrotare cœperat, die, Quarto Non. April. ex hac uita in cælum migrauit, an-
no ab ortu Chriſti quadrageſimo ſexto ſupra milleſimum: cum annos quadra
ginta octo Pompoſiano cœnobio præfuiſſet. Complura miracula in eius inte- ANN.
ritu ſunt uiſa: nam & ſacri Campani æris ſonus ſponte auditus, & cœcus oc- M.XL.
currens, uiſum recepit, illiusq. iam inde ab eo tẽpore hoc circumferebatur elo
gium. *Norma, decus monachorum, Doctor Pompoſianorum, Guido Beatiſſimus.* Sub
id tempus Hunfredus, cœnobii D. Ioannis Euangeliſtæ, in quo Benedictini mo
nachi commorabantur, Abbas, natione Germanus, Rauennati Eccleſiæ præfi-
citur, cum duos iam annos, poſt Gebehardum, Vuidgerus illam temerè, acer-
beq. occupauiſſet: is enim hoc tempore ab Henrico Cæſare de ſede deiectus,
Hunfredo ceſſit. Sunt qui Hunfredum hunc ſcribant Henrici Cæſaris per om-
nem Italiam Vicecancellarium; ſic enim appellabant, fuiſſe: Interea cum Ro-
mæ tumultuaretur ob tres Pontifices, Benedictum nonum, Syluestrum tertiũ,
& Gregorium ſextum; nam Benedictum, Syluester de Pontificatu deiecerat,
Benedictus Tuſculanorum Comitum factione reſtitutus, cum ſe omnium fla-
grare inuidia cerneret, Gregorium ſextum ſibi cooptauerat; non fuit mirum,
ſi ab Clemente ſecundo; quem, tribus illis Pontificibus abdicare ſe principa-
tu iuſſis, Henricus Cæſar, Pontificem Max. in Epiſcoporum Concilio, renun-
ciauerat; omnesq. approbauerant; permiſſum fuerit, uti Henricus Romanos
iurare in uerba ſua, ex ſuaq. ſententia coegerit, Pontificum Maximorum ele-
ctioni, ſe nequaquam, niſi iuſſu Cæſaris id facere cõpellerentur, interfuturos.
Habuit autem Clemens Pontifex celebre Concilium Romæ: in quo pro Rauẽ
nati Archiepiſcopo legem tulit. Nam cum de loco ſæpius inter Patriarcham
Aquileienſem, & Rauennatem Archiepiſcopum, quis eſſet, atq. ubi eſſet, in Cõ
cilio, & iuxta Pontificem Max. conſtituendus, diſſenſio non parua interceſſiſ-
ſet; utroque dextrum ſibi locum uendicante; contigit, in eo Concilio, prima
die, Mediolanenſem Archiepiſcopum, niſi cum iam ad ueſperum inclinaret,
non affuiſſe, Aquileienſi Antiſtite interea ad dextram Pontificis ſedente, inter
poſita tamen ſella Henrici Cæſaris, qui propediem affuturus credebatur, cum
ad læuam Archiepiſcopus Rauennas conſediſſet. Itaque cum Mediolanenſis
adueniens, dextram peteret, ab Rauennati, & Aquileienſi Antiſtite reclamatũ
eſt, cum unuſquiſque deberi ſibi locum illum profiteretur. Iuſſit Concilium,
vniuerſam diſſenſionis cauſam diſcuti: in qua pertractanda, numerus quidam
& Catalogus, inter cetera, productus in medium, eſt, ubi erant ſcripta eorum
Epiſco-

Epiſcoporum nomina,qui Symmachi Pontificis Concilio interfuerant,uideba turq. ibi priore loco Mediolanenſis Antiſtes ſcriptus. Verum Hunfredus litteras propoſuit Ioannis Pont. Max. illam nominum ſcriptionem,non iure prærogatiuæ factam, ſed ob Petri Archiepiſcopi Rauennatis demiſſionem, ac pietatem, teſtantes: qui Petrus permiſerit eo caſu Mediolanenſem Antiſtitem priore loco numerari: Ne uerò inde aliquod præiudicium ſucceſſoribus in Rauennatem Archiepiſcopatum accederet, uoluiſſe Ioannem Pontificem;is autem eſt, qui in Pontificatum Symmachum fuerat inſequutus; litteris illis ſuis rem teſtatam facere, decernereq. uti abſente Cæſare, dexter locus Rauennati Archiepiſcopo aſſignaretur, præſente, ad ſiniſtram. Non eſt enim incōpertum Mediolanenſem Eccleſiam, Theodoſii ſenioris ætate, Vercellenſi ſubiectam fuiſſe: quemadmodum colligi ex D.Euſebii Vercellenſis Epiſcopi geſtis, & D. Dionyſii Mediolanenſis Antiſtitis uita, atque item ex actis Concilii Mediolanenſis,ſub Cōſtantio Auguſto Arriano celebrati; facile poteſt.Diui enim Ambroſii opera atq. cauſa, Metropolitanus honor a Theodoſio Imperatore, Mediolanenſi Eccleſiæ eſt tributus. Quod nequaquam Rauennæ, nulli, præterquam Romanæ, umquam ſubiectæ,contigit:cuius Antiſtitem licet Valentinianus Cæſar, terrena poteſtate, ac iuriſdictione in quattuordecim, de quibus diximus, Epiſcopos ornauerit, atque auxerit, tamen antea Diuinam, ac cæleſtem in illos habuiſſe conſtat; quòd non ignoremus Seuerum Archiepiſcopum, Heraclianum Piſaurenſium Epiſcopum deſignauiſſe, & conſecraſſe. Geminianum item Mutinenſium Epiſcopum, ab Archiepiſcopo Rauennate deſignatum,ipſumq. Diuum Apollinarem martyrem,primum Archiepiſcopum, tota Aemilia, & conciones ſacras habuiſſe, & Eccleſias inſtituiſſe: præterquam quod a D. Clemente Pont. Max.Epiſtola ad Iacobum fratrem Domini ſcribitur. D. Petrum Apoſtolorum Principem, in quibus ciuitatibus olim, penes Ethnicos, primi erant eorum Flamines, primiq. legis Doctores,Epiſcoporum primates poſuiſſe, vel Patriarchas. In quibus Archiflamines, quos tamen minores tenebant, Archiepiſcopos. Singulis ciuitatibus ſingulos Epiſcopos præfeciſſe. Ad hæc Anacletus Pontifex item Max. teſtatur, Prouincias, multò ante Apoſtolos, diuiſas, eamque diuiſionem a Clemente Pont. Max. renouatam: & in capite Prouinciarum, ubi dudum Primates legis erant ſæculi, ac prima iudiciaria poteſtas, Patriarchas, uel Primates, qui unam formam tenent, licet diuerſa ſint nomina, legis Diuinæ, & Eccleſiaſticæ eſſe ab Apoſtolis conſtitutos, ad quos Epiſcopi confugerent. In reliquis uerò Metropolitanis ciuitatibus, quæ minores Iudices habebant, Metropolitanos poſuiſſe, qui Primatibus parerent, & Metropolitani, Archiepiſcopive dicerentur. Quæ cum ita ſint, illud etiam conſtat, Rauennam caput fuiſſe Prouinciæ: nam & uetuſta ea inſcriptio, quæ hanc caput Piceni, atque Aemiliæ, uti ſupra docuimus, affirmat, id planè monſtrat: Idem aſſerit in Hiſtoria Marci Principis, Quadratus, dum appellat Flaminiæ caput. Idem de Aemilia Otho Epiſcopus Friſingenſis. Idem indicauit Cæſar, qui, & uti etiam.L. Florus inſinuat, hanc Vrbem Conuentibus citerioris Galliæ agendis, deſtinauit. Hinc eam appellat Strabo maximam, cum minores, maiores,& maximas haberent; Hinc Martinus ordinis Dominicani ſacerdos, in ſuo Chronico ſcribit, D. Petrum Rauennam miſiſſe D. Apollinarem, quæ tunc vrbs in Italia,

lia, & magnitudine, & populi frequentia, poſt Romam, celebrior erat. His
ita inter Mediolanenſem, ac Rauennatem Antiſtitem ab Clemente, de Con
cilii ſententia, compoſitis, de Aquileienſi tractatum. Aquileienſes enim Anti
ſtites, & ueteri Rodoaldi Patriarchæ priuilegio, quo centum iam annis, ab Leo
ne VII. Pontifice, anno eius Pontificatus primo, maxima Aquileienſis Eccleſiæ
prærogatiua, cohoneſtatus fuerat, & recenti Poponis item Patriarchæ, reſtitu-
toris Aquileienſiũ, ac penè conditoris dignitate, animos plurimum erexerant.
Itaq. Aquileienſis litteras Ioannis Decimi noni Pont. Max. explicauit, quibus
ſibi ad dexteram locus dabatur. In hac diſſenſione, cum vniuerſum Conciliũ,
ſententiam Clemens, primum quidem Epiſcopos, Clerumq. Romanos, qui-
bus, inquit in ſuis litteris ipſe Clemens, auctoritas eſt maior, & res erat no-
tior, deinde ceteros rogaſſet, cumq. ex ordine Ioannes Epiſcopus Portuenſis,
& Petrus Diaconus, Apoſtolicæ ſedis Cancellarius, Rauennatis Eccleſiæ pri-
uilegia, atque item ceteri laudaſſent, Poppo quoque Brixinenſis Epiſcopus,
idem feciſſet, horum uocem, & ſententiam vniuerſa ſynodus ſequuta eſt: tan-
demq. ita ab omnibus decretum, uti Rauennati Archiepiſcopo locus, iuxta
Pontificem, dexter, Cæſare abſente, tribueretur; præſente, ſiniſter. Ne uerò
deinde hæc res apud aliquos controuerſiam faceret, Pontificiis omnia litteris
conſignarunt, manu Ioannis Scriniarii, & Notarii ſacri Pontificii Palatii: quæ
litteræ adhuc in D. Vitalis Bibliotheca ſeruantur, & fuerunt a nobis perlectæ.
Paucis poſt diebus, tradunt, Agnetem Cæſaris uxorem, Roma, ubi a Cle-
mente Pont. Max. una cum Henrico marito, diadema Cæſarianum, accepe-
rat, Rauennam fuiſſe profectam, atque in Rauennati agro filiam peperiſſe:
nec diu poſt Henricus quoque Rauennam uenit. Ceterum Clemens Ponti-
fex iis, aliiſque præſtantibus rebus confectis, ueneno, ut ferebatur, ab Ro-
manis ſublatus, ſucceſſorem habuit Damaſum ſecundum: is Poppo fuit Bri-
xinenſis Epiſcopus, qui in Concilio Rauennatem maximè cauſam fouerat, ANN. M.XLVIII.
ſummo iudicio, ac prudentia Antiſtes, ſed uix in Pontificatu, tres & uigin-
ti dies uixit: itaque Leonem Nonum habuit ſucceſſorem, anno milleſimo
quadrageſimo nono, quò Rauennæ uiguiſſe reperio Petrum gratia Dei, ut ANN. M. XLIX.
in tabulis publicis eius ſæculi habetur, ſubdiaconum ſanctæ Rauennatis Ec-
cleſiæ, Abbatem baſilicæ ſanctæ Agnetis martyris Chriſti. Interea Hunfre-
dus Archiepiſcopus, Diui Pauli templum, extra portam Diui Laurentii, iu-
xta palatium Regis; ita in iis tabulis ſcribitur; uerum cuius Regis ædes il-
læ fuerint, affirmare non auſim: coniicio Honorii Cæſaris fuiſſe, qui ea ur-
bis parte ab Lauritio cubiculario ædificari ſibi domum iuſſerat: nam ex-
structo Diui Laurentii templo, uti ſupra a nobis ſcriptum eſt, non omnino
fuerit veri diſſimile, alias ſibi ædes, Rauennæ diutius commorari cupien-
ti, extruendas eodem locò vrbis, qui placuiſſet, curauiſſe. Verum hæc
ſunt incerta: illud certum eſt, Henricum Cæſarem in Germaniam rede-
untem, D. Guidonis Rauennatis, Abbatis Pompoſiani, ſanctum cadauer,
ad ſe ex Parmenſi opido, ubi ſepulturæ traditum fuerat, allatum, Spiram, Ger
maniæ urbem, ſecum non abſque ingenti honore detuliſſe: vbi die Penteco-
ſtes feſto celebrato, uiri ſancti cadauer, in egregia æde, quæ extra vrbem ædi
ficari cœperat, eius dicata nomini, tumulandum iuſſit. Quarto kal. Maii, qui
dies, ob id, annis uertentibus, feſtus agitur. Hunfrido Archiepiſcopo per hos

ANN. dies a Leone Nono Pont.Max.in Concilio Vercellenſi, ob nonnullas inter Ro
ML. manam,& Rauennatem Eccleſiam contentiones,munere Archiepiſcopatus in
terdictum eſt: Februario tamen menſe,quarto Non.apud Auguſtam Vindeli-
cam ab Henrico Cæſare ſimul conciliantur: licet paucis poſt menſibus Hunfri
dus Rauennam regreſſus,ibidem ueneno; ut pleriq. ſuſpicati ſunt ; ſubito inte
ANN. rierit Nono. kal.Septembr,Cui Henricus Cæſar,Heinricum ſubrogauit,ſuum
M.LI. item in Italia Vicecancellarium, pridiè Id. Mart. iuſſitq. uti Nizo Friſingenſis
Epiſcopus,cũ noua quotidie;quæ illius erat uitioſa,flagitioſaq. uita,ac ingens
ANN. ſuperbiæ faſtus, moliretur,una cum Archiepiſcopo;quaſi illum in Archiepiſco
M.LII. patũ inducturus; Rauennam exulatum ueniret. Quod cum effeciſſet,haud ita
multo poſt,repentè ibidem moritur.Heinrico Archiepiſcopo pallium Leo Põ
ANN. tifex dedit,mandauitq. ut iis diebus illo uteretur,quibus Gregorius Magnus,
M.LIII. ſuperioribus Archiepiſcopis conceſſerat. Datæ ſunt de hac re Põtificis Leonis
litteræ VI.Id.April.manu Friderici Diaconi.S.R.E.Bibliothecarii,& Cancella
rii,uice Hermanni Archicancellarii,& Colonienſis Archiepiſcopi,anno Ponti
ficatus quincto,Indict. ſexta,quæ in annum incidit a partu Virginis Milleſimũ
quinquageſimum tertium. Interea Leoni Nono Pont. Max.mortuo,Victor ſe
ANN. cundus ſucceſſit: cuius tempore,Henricus Imperator, anno eodem Milleſimo
M.LV. quinquageſimo quincto, uſum aquæ dedit amnium Siclæ, & Scultennæ, E-
piſcopo, & ciuitati Mutinenſi: facultatemq. largitus eſt alueì excauandi, ad
merces in Padum Venetias, & Rauennam deferendas. Ad hæc Vgo, Cæſa-
rianus Legatus, conuentum in uico, cui Caput de Rheda nomen eſt,habuit:
cumq. adeſſent, Heinricus Archiepiſcopus Rauennas, Rolandus Ferrarien-
ſis,& Benedictus Hadrianorum Epiſcopi: Iudices etiam Rauennates,Cæſena
tes, Forliuienſes,ac Ferrarienſes: Paulus Trauerſaria,& Guido nepos, & Ale-
rardus Imolenſis Comes,& filius Vgonis Imolenſis,& Hieremias,& Petrus fil.
Vgonis. Acceſſerunt Vrſo,cognomento Rubeus,& Ioannes è prata, Martinus
Pellicia,& pleriq.alii;& apud Cæſarianum Legatum de Heinrico Archiepiſco
po Rauennate conqueſti ſunt,quòd illis integrum fundum,quæ Firminiana vo
cabatur, lite perturbaret. Legatus Ferrarienſes Iudices huic quæſtioni præfe-
cit: ab iis Ioannes Rauennas Iudex,pro Archiepiſcopo Rauẽnate auditus; qui
cum oſtẽdiſſet; eum illos fundum ab Eccleſia Rauennæ conduxiſſe, & locatio
ne expleta,in eodem perſtitiſſe,Deſiderius Iudex decreuit,Eccleſiæ Rauenna
tis fundum eſſe,perpetuoq.eſſe debere,quod a multis præterea iudicibus com
probatum eſt. Subſcripſere Epiſcopi, & ſeptem Iudices, & Dominicus legis
ANN. Doctor, & Heinricus cauſidicus philoſophiæ minimus; ita enim ſcribitur; &
M.LVI. Petrus Abbas ſanctæ Mariæ in Felonice. Poſtero anno XII. kal. Iun. coram
Chenrico Forocorneliano,Heinrico Saſſinate Epiſcopis, Bulcone ſacerdote,&
Abbate cœnobii D. Hilari Galiarenſis, Vberto Comite, Paulo Trauerſaria,
Almerico Duce,Vgone ſaxo,Vberto Bulgaro,Theobaldo Bobienſi,multisq. a-
liis, qui frequentes conuenerant, Heinricus Archiepiſcopus Rauennas Vgoni
Comiti,& Imildæ Comitiſſæ coniugibus, multa prædia,eo loco, quem Curtẽ
de caſa murata appellabant, ſita, tribuit, ea in primis condicione, ne arcem,
neve turrim excitarent: Tabulæ de his publicæ confectæ, quarum hoc eſt ini-
tium. *In nomine patris,& filij,& Spiritus ſancti, amen. Anno ab incarnatione Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo quinquageſimo ſexto; temporibus Domni Victoris,*

ſummi

ſummi Pontificis, & uniuerſalis, in Apoſtolica ſacratiſsima beati Petri Apoſtoli Domini ſede, ſecundo die. XXI. Maij, Indict. IX. Rauenna. Heinricus ſeruus ſeruorum Dei, Diuina gratia, Archiepiſcopus. Poſt duos annos, Victori ſecundo Pont. Max. mortuo, Stephanus Nonus ſubrogatus eſt: cuius ætate, cũ ſanctitate floreret, ac doctrina Petrus Damiani Rauennas, qui uitam monaſticam profeſſus, in Eremo ad fontem Auellanum, montis Catriæ, in Vmbria, agebat, Quamquam in tanta durioris uitæ ſeueritate, obtrectatores illi apud Leonem IX. Pontificem, & acerrimæ impiorũ iniuriæ nõ defuiſſent, quibus ne faciles præberet aures, ſed cauſam accuratè cognoſceret; per litteras ipſe a Põtifice uehementer etiam atque etiam petierat, tamen celebriore in dies auctoritate, famaq. clarus, cũ eius operam Eccleſiæ cõſtituendæ maximè idoneam arbitraretur Stephanus Pontifex, hoc anno milleſimo quinquageſimo octauo, initio Quadrageſimæ, illum Cardinalem fecit cum ad galerum non uocaretur, ſed, ut ille ipſe ſcribit, traheretur: neq. hoc ſatis Stephanus pro hominis probitate, ac doctrina eſſe putans, Epiſcopatum Hoſtienſem addidit, ſacriq. Cardinaliũ Collegii Principem; Decanum appellant; creauit. Mortuo autem paulo poſt Stephano, cum Tuſculani Comites, ut conſueuerant, Ioannem, eorum propinquum, armatis ſtipati, ex Epiſcopo Veliterno, Pontificem, Cardinalibus repugnantibus, creaſſent, Petrum Damiani reclamantem, atque omnes diris grauibus deuouentem, ui ad eum colendum compellunt, deinde populum, diuiſa per uicos pecunia, ad adorandum inuitant. Is Benedictus Decimus eſt uocatus: cum in Italia floreret Gothifredus, qui Mathildim, Beatricis filiam in matrimonio habebat: hanc autem Beatrix Barbanigræ Cæſaris ſoror, Bonifacio nupta, potentiſſimo Principi, Lucæ orto; quem Ioannes Baptiſta Pigna, in Hiſtoria Principum Eſtenſium, Thedaldi Eſtenſis filium affirmat; non multo ante genuerat. Illud enim pro comperto habetur, Bonifacium Mathildis patrem, Eſtenſem Principem fuiſſe: Nam in uetuſta manuſcripta hiſtoria, annalium modo compoſita, quæ nunc extat penes Vincentium Carrarium, Iuriſconſultum Rauennatem, Bonifacium illum Marchionem appellatum legimus, conſtatq. hoc nomine, honoris, & dignitatis ergo, tum temporis Eſtenſem intelligi, quemadmodum Pigna diligenter animaduertit. Inter hæc, cum poſtero anno Hildebrandus, monachus Benedictinus, uir planè ſingularis, Romam cum Gothifredo Duce ueniſſet, Petro Damiani potiſſimum hortante, Gerardus Burgundio, Epiſcopus Florentinus, Pontifex Max. Nicolai Secundi aſſumpto nomine, renunciatus eſt, & Benedictus abdicauit ſe Pontificatu. Nicolaus Rẽpublicam compoſiturus, quæ maximis perturbata calamitatibus, plurimũ quatiebatur, Petrum Damiani Mediolanum miſit, ut eam Eccleſiam malè ſentientem, & a Romana abductam, & diſcrepantem, Simoniacaq. labe, & Nicolaitarũ hæreſi infectam, cũ Romana conciliaret, & in rectam ſententiam deduceret. Conniuentibus enim ob tumultus bellicos, & ſeditioſorum potentiam Pontificibus, nec ob id ſatis apertè prohibere ualentibus, plerique Principes, uſurpato iure, & Diuina parum religione moti, Eccleſias; Epiſcopi, minores ordines, non hominum uirtutibus, ſed, mercede ducti conferrè inſtituerant. Clerici, qui Eccleſias, ordinesq. erant mercati, cum ſemel uerecundiæ fines tranſiliiſſent, ſenſim longius etiam ad alia ſe prolabi flagitia paſſi erant uſq. adeo, ut palam vxores, ac concubinas haberent, atque utrumque

ANN. M.LVIII.

ANN. M.LIX.

A

probrum, honeſta quaſi conſuetudine permiſſum, pertinaci tueri ratione non dubitarent. Hinc facile in duo incidebant grauia hæreſeos crimina: alterũ eorum, qui Simoniaci dicti ſunt, Nicolaitarũ alterum. Petrus Damiani, Anſelmo Epiſcopo Lucenſi, collega ſibi accepto Legatus Mediolanum abiit. Ibi a ciuibus cum dignitate exceptus, cum poſtridie cauſam legationis in cõcione expoſuiſſet, grauem tota vrbe tumultum ſenſit excitari, ſic ut ſacri æris Campani ſonitu, ſigno dato, ad arma populus, clericorum factione incitatus, accurrerit, Prætoriũ, in quo Petrus erat, iratus adierit, mortẽ Petro intentarit, aſſereretq. Ambroſianam Eccleſiam, antiquis Patrũ inſtitutis eſſe liberam, neq. ullum Romano Pontifici in ea conformanda, ius eſſe. Petrus conuocato in templũ populo, ita prudenter, leniterq. eorũ animos tractauit, ut tandẽ in eius omnes ſentẽtiam diſceſſerint, Apoſtolicæq. ſedi parere nequaquam abnuerint. Se miſſum dicebat a Nicolao Pontifice, ut eorum conſuleret gloriæ, ac ſaluti, non ut multitudini inſeruiret, aut amplitudinem, dignitatemq. amplificaret Romanæ Eccleſiæ, quæ cum eſſet ipſius uoce Saluatoris laudes, & omnium Eccleſiarũ Principatũ adepta, adeo tenuis hominis, qualis ipſe erat, præconio non egebat. Primos eorum ſalutis auctores, & labentis diſciplinæ confirmatores, ab Eccleſia Romana prodiiſſe: idq. D. Nazarium, quem D. Linus, D. Petri diſcipulus ſacra baptiſmatis unda abluit, & Diuos Geruaſium, Protaſiumq. qui D. Paulũ Apoſtolum magiſtrum habuerunt, edocuiſſe: Ipſumq. quo tantopere, & quidem merito, gloriabantur, Diuum Ambroſiũ, Nicolaitarum hæreſim per ſe conuellere cũ nequiret, a Romana Eccleſia præſidiũ imploraſſe. His atq. aliis in hanc ſententiam a Petro ad populum verbis factis, ſedatisq. ob id eorum quaſi fluctibus, cauſa mox cœpta eſt agitari. Vix autem quiſquam unus repertus eſt, qui non aut ordines emiſſet, aut fœda fœminarũ conſuetudine eſſet uſus. In tanta re tẽperatius agendũ Petrus pro temporum condicione, & criminoſorũ multitudine ratus, ueniam eis pollicetur, ſi ſacramento confirment, in poſterũ ab huiuſmodi flagitiis tẽperaturos. Primus ſolemnibus verbis Vuido Archiepiſcopus id profeſſus eſt, Simoniacamq. & Nicolaitarũ hæreſim corã omnibus deteſtatus; inde clerici omnes. Archiepiſcopus in terram proiectus, piaculũ iniungi ſibi poſtulauit: centũ annorum Petrus impoſuit, idq. redimi poſſe certa pecunia in ſingulos annos ſoluta, uoluit: Clerici diuerſis in uita ieiuniis obligati. Aſcendit deinde in concionẽ Archiepiſcopus, & clero, populoq. præſentibus, iurare clericũ ſuum iuſſit, ſe has duas hæreſes, pro uiribus, extirpaturũ: quo eodem ſacramento ſe populus deuinxit. Clericis, hinc, priſtina ornamenta, litteratis etiam, & caſtis officium redditum, reliqui Eccleſiæ tantum aſſociati. Ad hæc Archiepiſcopus recepit, eos ſe religionis cauſa Romam, aut Turonũ miſſurũ, ſe uero ad D. Iacobum, in Hiſpaniam iturũ. Sed quamquam hæc ad eò prolixe pollicitus eſt, tamen haud ita diu poſt, abeunte Petro, ſacris initiatorũ aſſiduis ſtimulatus querimoniis, ac penè conuiciis, in priſtinũ rediit. Itaq. inſequẽ-
ANN. M.LX. ti anno Petrus, grauiter cõmotus, Rodulfo, Vitali, Arialdo, & Erlembaldo Cottæ hac de re ſcribens, qui permanſerant in ſententia, vbi laudauit illos, de ceteris ſermonem ingreſſus, *quod tamen*, inquit, *in Mediolanenſi Eccleſia non eſt nouũ, quæ ſemper diuerſi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio, atque Ambroſio inchoato.* Atque hæc ita a ſe Mediolani acta, Petrus ſcribit: qui ut ſe Deo totum traderet, & in rerum Diuinarum meditatione, dies, noctesq. poneret, ſacro

galero,

galero, & Epiſcopatu, duorumq. præterea cœnobiorum, ſibi commendato-
rum adminiſtratione ſe abdicauit: Cumq. a Nicolao Pont. Max. qui eius Me-
diolanenſem legationem maximè probauerat, ad eas iterum dignitates, & ho
norum inſignia, cogeretur, ipſeq. conſtanter, & aliquanto fortaſſe quàm res ip
ſa, & Pontificis maieſtas ferret, pertinacius renueret, aſſenſit quidē Pontifex
eius perſeuerantiæ, ſed pœnam in eum cenrenariam conſtituit: qua pœna tene
batur ad recitandū per centum annos, quotidie, verberibus adiunctis, pſalmū
quinquageſimum, quo uſus eſt Dauid, cum ſtuprum Berſabeæ, & marito eius
mortem obtuliſſet, illumq. Nathan uehementer accuſaſſet, ac minaretur, Deū
tam grauia ſcelera nequaquam impunita, atq. inulta relicturum Subiuit hanc
pœnam libenter Petrus, tantusq. in eo fuit ardor pœnitēdi, ut annuo illam ſpa
tio exhauſerit: & ut ex Helinando teſtatur in ſpeculo ſuo Vincentius, Domini
ci exemplum habetur, qui lorica ferrea ad carnem indutus, circulis ferreis duo
bus cinctus, totidemque per armos brachiorum, armata ſcopis utraq. manu,
nudus, pſalteria duodecim, totam noctem nihil dormiens, poſtridie perſoluit,
& de tertiodecimo, ad Beati quorum. Huius exemplo uiri morem inoleuiſſe
in ſuis regionibus tradit, ut non uiri modo, ſed nobiles quoq. mulieres, id pœ-
næ genus libenter ſubirent: ipſaq. Cechaldi uxor, magna mulier dignitate, ma
rito mortuo, centenariam hanc abſoluir, dum tria uerborū millia, diſciplinas
appellanr, pro anno vno numeraret. Itaq. Petrus, poſtquam pœnam luit, elegā
tes ad Nicolaū Pontificem, officiiq. ac pietatis plenas litteras dedit, quibus &
purgauit ſe diligenter, & non minus rationibus, quàm ſanctorū uirorum exem
plo, id feciſſe teſtatus eſt. Has litteras, quoniam, & rem ipſam, & Petri pietatē
explicant, his commentariis aliqua ex parte inſerendas duximus. Sic autē ha-
bent. *Domino ſuo N. vniuerſali Papa, Petrus peccator monachus ſeruitutē. Sacrarium
Spiritus ſancti ueſtrum pectus agnoſcit, quia niſi me tunc neceſſitas Apoſtolicæ ſedis im
pelleret, & antiqua, quam iam dudum circa uos habueram, caritas inuitaret, poſt ſan-
cta memoria Domni Stephani, ueſtri quidem deceſſoris, mei autem perſecutoris obitum,
ego autem a me protinus Epiſcopatū non canonicè traditum, ſed uiolenter iniectū. fun
ditus abſcidiſſem. Meminiſtis enim de me quot querelas coram uobis ipſe depoſui, quot
gemitus. quot deniq. profunda ſuſpiria ex imis uiſceribus traxi: quoties etiam uberri-
mis lacrymis triſtia ora rigaui. Veruntamen apud uos tunc non obtinui miſsionem, quia
Romanæ Eccleſiæ. quæ minari ruinā uidebatur, id utilitas non poſcebat: Nūc etiam te in
ſagena Petri clauiū regnante. ſub tranquilla pace, tota Chriſti gratulatur Eccleſia: Vēto
rum quippe ſe turbines reprimunt, procellarum ſpumantia uolumina conquieſcunt, mi
teſcunt maria, totaq. etiam cæli ſerenitas renouata. Cum igitur ſub ſancto Pontificatu
ueſtro iucunda pace, uniuerſalis Eccleſia potiatur, grandæuæ iam ſenectuti, quæſo,
requies non negetur. Quapropter ob remiſsionem omnium peccatorum meorum,
quæ nequiter perpetraui, cedo iure Epiſcopatus, & per hunc annulum; uirgam enim
tuliſtis; deſperata deinceps omni repetendi querela, renuncio. Vtrumque etiam
uobis monaſterium reddo, & ut quieſcendi munitionem ueterano, & emeri-
to militi permittatur, imploro. Hic mihi fortaſsis obiicitur, ſemel acceptum regi-
men dimitti non debere: ad quod breuiter dico, quòd ſentio: quia plerique Pontifices
iura non deſerunt, & de ſiniſtris ſunt: Quotquot autem legimus recta intentione di-
miſiſſe, certa ſpes eſt, de æterna cum Chriſto ſocietate gaudere: Neque tamen hoc di-
cimus, ut paſsim deſeri Epiſcopatus liceat, niſi videlicet id fieri neceſsitas, ſiue ratio-*

nalis qualibet cauſa depoſcat. Hæc Petrus, qui multorum deinde exempla ſubiungit, quos Epiſcopatus deſeruiſſe compertum eſt. In his numerantur Valerius Hipponenſis, qui Diuo Auguſtino, maximo Eccleſiæ Doctori, Epiſcopatum adminiſtrandum dedit: Lucidus Ficoclenſis, Adelbertus Pragenſis, factus monachus, deinde martyr: Genebaldus Laudenſis, Bonitus, Simonichus, Mileſius item martyr: Arnulfus Metenſis, Farulfus Caſenenſis, Ildulfus Treuerenſis; Theodatus item Treuerenſis, Gubertus Senonenſis, Lambertus Florentinus, Nonnus etiam martyr: Leo Rauennas, Petrus Apſarenſis, Paulinus Nolanus, Martyrius Antiochenus, Iuſtus Lugdunenſis, Petrus Quartus Rauennas, Gregorius Nazianzenus, Siluanus Philopolenſis, & alii: tandem uero Benedictum octauum, & nonum Pontifices Maximos, commemorat: De Lucido autem Epiſcopo Ficoclenſi, id eſt Ceruienſi, ita ſcribit. *Lucidus Ficoclenſis Epiſcopus dum propinquum ſibi obitum imminere cognoſceret, ad cænobialis portam conuolat ordinis, ac ſacerdotalis infulas dignitatis, monachicis mutat indumentis. Et ut noueris quid ſibi conuerſio iſta contulerit; ſicut autentica regiſtri teſtatur hiſtoria; ſub ipſo migrantis obitu, ſpiritus ſancti gratia latiſſimo relucebat in uultu: cui nimirum, & antequam moreretur, beatus Apoſtolus Andreas apparuit, & quanam hora migraturus eſſet ex corpore, nunciauit.* Hæc ibi. Demum hac clauſula utitur. *Horum igitur aliorum patrum auctoritate ſuffultus, Epiſcopatui ſimul, & monaſteriis in ſanctis manibus ueſtris irretractabiliter abrenuncio, omneq. ius a me mouendæ in poſterum quaſtionis, ac repetitionis abſcindo: & quia pro innumeris peccatis meis, non ſum dignus in Eccleſiaſtica dignitate perſiſtere, det mihi Diuina miſericordia perſonas orationes ueſtras. .... pauco ipſo uitæ, quod reſtat, in luctu, & pænitentia permanere: Confiteor enim: Criminoſus ſimul, & uitioſus ad honorem hunc, & non ſine reprehenſione perueni, & in eo reprehenſibiliter uixi: Ideoq. mihi tutum uiſum eſt, ut ipſe me potius ſponte deponerem, quam ante tribunal tremendi iudicii, in conſpectu omnium Angelorum, & hominum, depoſitionis ſententiam, ſub æterna damnatione, ſubirem: Sed iam iſta ſufficiant: Omnipotens Deus, qui incomprehenſibili diſpenſationis ſuæ conſilio, & me ab obtinendi regiminis ambitione deiecit, & uos ad Eccleſiaſtici culminis ſummum prouexit, ſancto cordi ueſtro, cui eſt inhabitator, inſpiret, talia mihi per ſacras litteras mandata dirigere, quæ meis uotis, meiſq. ualeant deſideriis concordare.* Ceterum an illi Nicolaus Pontifex aſſenſerit, quamquam plerique omnes affirmant, tamen aliquam facere dubitationem uidetur, diploma Alexandri ſecundi, cui ſubſcribit Petrus peccator Hoſtienſis Epiſcopus, ut eſt in Chronico Caſſinenſi. Ioannes quoq. Trithemius, dum in Hirſaugienſi item Chronico, Petri Damiani Legationem in Germaniam ſcribit, ad Henricum Regem anno milleſimo ſexageſimo nono, eum appellat ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum Cardinalem. Neque tamen cum iis ſenſerim, qui arbitrantur, Vincentii in ſpeculo, dictis permoti, illum, anno Henrici uigeſimo ſecundo, qui fuit a partu Virginis ſupra milleſimum ſeptuageſimus octauus, & Epiſcopatum depoſuiſſe, & litteras de illo deponendo, quas diximus, ad Gregorium tum Pontificem, dediſſe, cum illæ in omnibus, quos legerim, Codicibus, Nicolao inſcribantur, & grauiſſimorum auctorum teſtimonio conſtet, ab Alexandro II. Pontifice, Gerardum Oſtienſem Epiſcopũ factum. Illud etiam non omittendum duxi, Petrum, ſe perpetuò monachum ſuis litteris appellaſſe, & ſe abdidiſſe in Catrianam ſolitudinẽ optatiſſimam.

ſimã.Nicolaus Põtifex eodem anno milleſimo ſexageſimo,cũ apud Acerras in
Campania eſſet, Petrum Rauennatem, Caſſinatem monachum, Venafranæ,
& Hiſernienſis ſedis Epiſcopum fecit. Henricus Archiepiſcopus,cum Sacel-
lum,templumq.in Capite Sandali,qui eſt ad Padum vicus,VI.Id. Auguſt.con
ſecraſſet,Deoq. & Diuis Blaſio, Nicolao, Sixto, Laurentio, Feliciſſimo,atq.
Agapito dicaſſet, illud,eiusq. bona, in quibus erant prædia, piſcinæ, ſyluæq.
cœnobio D.Ioannis Euangeliſtæ Rauennati dono dedit, exitu anni, Quarto
kalen.Ian. Rauennæ, ſubter confeſſionem templi D.Andreæ Apoſtoli, quod
maius vocatur, aram Deo, Apoſtolis, beatisq. martyribus Mauritio, Adel-
berto, Pancratio, Nicolao, Georgio, Theodoræ, ac Luciæ itidem dicauit,
conſecrauitq. Adhæc Liuzæ ipſius Præfectæ cœnobii, ſacrisq. eiuſdem virgi-
nibus D.Laurentii cœnobium, quod tunc demolitum uidebatur; erat autem
extra D. Zenonis poſterulæ portam; omniaq. quæ illius iuris eſſent, prædia,
in perpetuum dedit:ea condicione,ut dum uiueret,conſecrationis ſuæ die,qui
pridie Id. Mart. fuerat,ſingulæ pſalterium integrum canerent:poſt obitũ,quo
die exceſſiſſet è uita, eo,rem Diuinam fieri,anniuerſario officio,curarent,pſal-
teriũ concinerent,& certam quotannis penſionẽ ſoluerent.Proximo anno Ni- ANN.
colaus Põtifex ex hac uita migrauit:cui Alexander Secundus ſubrogatus eſt. MLXI.
In ſequenti, Rauennæ, Diuorum Simonis & Thadei, Fabiani item & Seba-
ſtiani ædes ſacræ, ab Odone, uiro religioſo,ac nobili ædificantur, ac uectiga- ANN.
libus ditantur. Gerardus Britonorii Comes, teſtamento, Rauennatis Eccle- M.LXII.
ſiæ, atque nonnullarum illi ſubiunctarum, ius explicauit:Id autem teſtamen-
tum,ad declarandum horum temporum,atque hominum morem, haud inop-
portunum duximus hic adſcribere. *In Dei nomine, Anni eius M L X I I. Indict.*
... menſe Ianuario. Quia uita & mors in manu Dei ſunt, & nullus in hoc ſæculo
permanere poteſt, niſi quantum ei placuerit, Ideo ego Girardus Comes caſtri Brito-
norij. quamuis ægrotus ſim corpore, tamen ſanus ſum mente, & timore mortis teſta
mentum facere curo, in quo filium meum..... & filiam meam Drudiciam haredes
mihi inſtituo. Drudicia ſit hæres apud ſanctam Mariam in Balneo, & ſufficiat ei:
uel ducentas libras ei detur. filium meum habeat omnia alia caſtra, & etiam Omnia
immobilia: Et ſi filios maſculos minime habuerit, totum quod habeo in montanis par-
tibus,diuidatur inter filios fratris mei Vbolinelli de Marchia, præter Montem Fraſco
nem, & montem Benedictum, quos uolo ut habeat ſancta Trinitas. Montem de ſaſſo
reddatur Boibenſi Epiſcopo: & totum planum, ſcilicet caſtrum Britonorij, cum uillis
ſuis, & cum omnibus ſuis tenimentis, cum uillis, cum ſuis rebus, vt in noſtris detine-
mus manibus. & Mallianum reſtituatur Archiepiſcopatui Rauennæ: ſed præcipue te-
nimentum Malliani, ſicut pater meus in ſuo teſtamento præcepit, omnino, & ſine mo
ra, & reſtituatur, quia de tenimento ſui caſtri Meldulæ eſt. Totum quod habemus
in Galliada, reſtituatur ſancto Hilario, ſi ſine filijs maſculis deceſſerit filius meus,
feudum, quod Gibertus de ſancta Agatha habet, ſit eius proprietas. Feudum Petri
Tonrengelli ſimiliter habeat ad proprietatem. Berta & Maria volo vt ſint liberæ, &
ab omni iugo ſeruitutis liberatæ, & Peppum de Berta ſimiliter volo, vt ſit liber. In
monaſterij S. Agathæ nunc ad præſens quinque boues, & unam iumentam Falfullam,
& decem libras relinquo: Eccleſiæ ſancti Petri quinque libras relinquo: ſanctæ Ma-
riæ de Vrano, vineam de Curſo, & triginta libras relinquo. Epiſcopatui Foripopuli
duodecim libras relinquo: In pleb. Britonorij ſex libras relinquo. Ad ſanctum Bar-

tholomæum

tholomaum de Mauriano centum ſolidos relinquo: in Archiepiſcopatu Rauennæ propter offenſionem penſionis, X X. libras relinquo. Et inſuper palafrenum, & deſtrerium, & loricam, & uexillum relinquo, per tenorem locationis caſtri Brittonorij: in eleemoſynis X X. libras relinquo. pro ſacrificio. X X. libras relinquo. Forimpopulienſi Epiſcopo equum album relinquo: Epiſcopo Caſenati mulam meam relinquo: in Eccleſia beati Apollinaris quinque iumentas ex melioribus relinquo: in Eccleſia S. Seueri quinq. iumentas relinquo: in Eccleſia S. Vitalis ſex libras relinquo. Hoc uolo, hoc iubeo & huic meæ vltimæ uoluntati fieri mando. Quod ſi filius meus hoc totum adimplere noluerit, habeat meam maledictionem, & incidat unicuique cui delegaui, in pœna legati dupli; Vnde hos teſtes uoco. Girimbaldus de Petro, Gundulus Chicalmus, Petrus de Arcidoſſo, Gabriellus, Lõgellus, Henricus Mainardus, Balduinus Tafforellus. Ego Ioãnes notarius, precibus Domini Gerardi Comitis, & teſtatoris hoc teſtamentum ſcripſi, & compleui.

ANN. M. L X I I I. Sequitur annus milleſimus ſexageſimus tertius, quo Henricus Cæſar Rauennati Eccleſiæ, quæ, ut ipſe in ſuis litteris inquit, uocatur Agia Anaſtaſis, & Henrico eiuſdem Archiepiſcopo, ac ſucceſſoribus, bona & iura, quotquot erant, confirmauit, atque ipſum in primis Comitatum Feretranum cum Epiſcopatu ſuo, D. Saluatoris cœnobio, in eo comitatu ædificato. Ad hæc Comitatum Cæſenatem, cum caſtro uetere, & nouo; Ficoclenſem, cum Epiſcopatu, & ripa: Epiſcopatum Regienſem, cum dono, & conſecratione, uti Otho Cæſar conſtituerat. Comitatus Decimanum, Trauerſariæ, Imolenſem, Cumaclenſem, Ferrarienſem, & diſtrictum, ut ait, Rauennatem: cum portis, ripa, portubus, muris, monetæq. cudendæ iure, quam deinde Rauẽnæ cudi iuſſit. Maſſam Fiſcaliam, & Cornuceruinam, Cœnobia D. Mariæ in Pompoſia, & D. Hilari in Galigata, D. Thomæ, D. Euphemiæ in vrbe Arimino, D. Mariæ .... iuxta Padũ, Atheſimq. in territorio Hadriano, ac Ferrarienſi. Integrum portum Olanam, & littus uſq. ad portũ Ceruienſem; Item quæ Petro Diacono data, confirmataq. fuerant, quæq. poſſederat Lambertus Comes cum uxore, ac filiis, a mari ad Alpes, ab amne Rheno ad Iſaurum. Comitatus præterea Bobii, Forliuii, & Foripompilii, cum eorum Ciuitatibus, & diſtrictibus, ſic enim ſcribit. Quæ etiam in Piceno, diuerſis in locis, præſertim in Auximate, Anconitano, Senogallienſi, Faneſtri, antiquitas poſſidebat, quæq. nuper Henricus Archiepiſcopus recuperauerat, Maſſam Aframanam cognomẽto Auximanam, in qua Caſtrum Hubaldi eſt, quod tunc uocabatur Gebehardi: Caſtrum Oſaniæ, Maſſam Ruſſiami, Merolanam cog nomento Senogallienſem, Victoriadam, Salam in Faneſtri: Quæ latius patent omnia ipſius Henrici Regis diplomate, quo d *Vuicbertus Cancellarius, uice Annonis Archicancellarij recognouit. Dat. VIII. Kal. Iul. anno Dominicæ incarnationis M L X I I I. Indict. I. anno Ordinationis Domni Henrici Quarti Regis V I I I. Regni uerò V I. Actum Altſtet in Dei nomine feliciter. Amen.* Ipſe autem inter ceteros Anno Colonienſis Archiepiſcopus hanc ab Rege confirmationem Rauennati Eccleſiæ, & eius Antiſtiti, procurauit. Alexandrum Pontificem grauis interea fatigabat diſſenſio Cadeli Parmenſis, quem Germani pſeudoPontificem cum feciſſent, a Romanis etiam proceribus, recipi ſtudebant. Is uero, quamquam in Concilio Mantuæ anno

ANN. M. L X I I I I. M L X I I I I. habito, quo & Alexander ipſe uenerat, reiectus, tamen inſignia Pontificia retinuit. Quamobrem Petrus Damiani, Eccleſiæ Dei tantam perturbationem magnopere miſeratus, ad hominem ſcribit, tribus illum iam

conuentibus

conuentibus eſſe damnatum, & ter, ſi non iudicio ſacerdotum, at ſaltem legum auctoritate abdicatum: Et quoniam inſtet Osborienſe Concilium, ſe quæ dici pro utroque poſſint, exponere, quaſi cuiuſdam præludii cauſa, uelle: atq. per hunc modum iuribus accuratè perpenſis, Cadolum uitio factum eſſe, planiſſimè oſtendit. Extat altera ad Gothifredum Ducem eiuſdem Petri, Epiſtola, qua, ubi illum uocauit excellentiſſimum Ducem, & Marchionem, ſummo ſe dolore angi ait, quod audiuerit, ipſum Cadoli conſuetudine uti, quem iam pridem uniuerſalis Eccleſia, tamquam letale uirus euomuerit, & amputarit è ſuo corpore, & ad æterna ſuppliciorum loca detruſerit, & quo cum ipſe conſeruerit paulo ante manus, & nefanda molientem, cum Sereniſſima, & Clariſſima coniuge ſua; Mathildem autem intelligit; ſæpius reiecerit. Quinto poſt anno X I I. kal. Decembris Henricus Archiepiſcopus, bona omnia, quæ Ioannes Lado, eiusq. filius, in palude maiore Ceruienſi poſſederat, iure emphyteutico accepit a Bono Ceruienſi Epiſcopo, qui ea, aſſentientibus ſuis ſacratis uiris, libenter cum Rauennæ eſſet, ipſi Henrico, & tribus ſucceſſoribus, præbuit. Eodem anno Petrus Damiani; quem hoc loco, uti ſupra docuimus, Ioannes Tritemius Epiſcopum Cardinalem appellat; in Germaniam ab Alexandro Pontifice Legatus eſt miſſus, ob eam cauſam, quòd Henricus Cæſar nullum omitteret auaritiæ genus in Deum, hominesque; Plebi ſtuderet, aduerſus nobilitatem, ac Principes, omnia ui magis, quam iure ageret, Epiſcopatus, & Abbatias palam uenderet, opima monachorum prædia ſectatoribus ſuis, turpi largitione tribueret. Adhæc cum coniuge Bertha, Othonis Marchionis filia; cuius haud ita diu ante ſibi deſponſæ, iam illum ſatietas ceperat; ut faceret diuortium, Moguntinum Antiſtitem, ad indicendum de ea re Moguntiæ conuentum impulerat. Itaque opportune Petrus cum in Germaniam peruenisſet, confeſtim Moguntinum, intentato acrioris animaduerſionis periculo, ab habēdo Concilio reuocauit: Mox acceſſit Francfordiam, ubi tum Henricus procerum ſuorum Conuentum agebat, in conuentumq. admiſſus, Pontificiis explicatis mandatis, & Principes, qui frequentes aderant, & Henricum ipſum grauiter increpauit: quam ille moliretur rem peſſimam, & a nomine Chriſtiano, nedum Regio planè alienam eſſe: Si minus terreretur humanis, diuinisve legibus, at ſaltem famæ ſuæ rationem, exiſtimationisq. haberet, nec pateretur tam tetro ueneno a Rege temperato inficí Chriſtianum populum, & qui deberet ulciſci flagitia, iis ſe Princeps tantus obſtringeret. Quòd ſi non flecteretur conſiliis, haberet pro certo, Pontificem uim Eccleſiaſticam adhibiturum, neque fore, ut illius vmquam manibus conſecraretur. Hanc orationem, maxima, ut inquit Tritemius, auctoritate, ac ſapientia habitam, ſecutæ ſunt graues Principum, qui aderant, uoces, æqua Romanum Pontificem iubere: nominis Regii maieſtatem tam turpis facti labe, ne commacularet, neu parentibus Reginæ cauſam defectionis præberet, & iuſtam turbandæ Reipublicæ occaſionem: qui ſi uiri eſſent, cum plurimum poſſent & milite, & armis, tam inſignem filiæ contumeliam præclaro aliquo facinore, dubio procul, expiaturi, & acerrimè pro opibus uindicaturi uiderentur. His fractus rationibus potius quam inflexus Henricus, ſe in Pōtificis auctoritate futurum affirmauit: atq. hunc habuit exitum Germanica Petri Damiani legatio: Per idem tempus non deſunt qui exiſtiment D. Vrſicini

ANN. M. L X I X.

cini martyris cadauer ex D. Ioannis baptiſtæ, ad Vrſianam ædem ab Henrico Archiepiſcopo translatum, ſed ego Honeſto id, multis de cauſis, libentius adſcripſerim. Id Heinricus hic præſtitit, quòd cum Diui huius martyris corpus ſanctum in crypta iaceret, in æde Vrſiana, ubi fuerat ab Honeſto collocatum, inde illud cum pluribus aliis Diuorum corporibus eduxit, & ſupra cryptam editiore loco, ante D. Probi Archiepiſcopi corpus, Quincto decimo kal. Decembr. omnibus ſacratis uiris, & populo ad ſpectaculum conuocatis, locauit: nec diu poſt, eo qui inſecutus eſt anno, ab ortu Chriſti milleſimo ſe-

ANN. M.LXX. ptuageſimo kal. Ianuarii, mortem obiit: cum autem Hunfredi ſecutus ueſtigia cum Romana Eccleſia decertaſſet, in Conuentu Lateranenſi damnatus eſt. Hinc Alexander II. Pont. ad Valerianum Epiſcopum ſcribens, ut apud Iuonem, & Gratianum habetur. *Studiuimus*, inquit, *quòd Heinricus, Rauennas dictus Archiepiſcopus, nixus ſit te excommunicare. Verùm quia excommunicatus, te excommunicare non potuit, Apoſtolica auctoritate, te, tuosq. abſoluendo, mandamus exinde numquam curare*. Henrico breui ab Alexandro ſecundo Pont. Max. ſucceſſor tribuitur Gibertus Parmenſis, quem uetuſta eius ſæculi monumenta Vuibertum appellant. Id fecit quidem inuitus Alexander: nouerat enim eius opera Cadolum Parmenſem ab Ciſalpinis Epiſcopis, ſibi Pont. Max. legitimis ſuffragiis electo, pſeudopontificem obiectum, indeq. eam pugnam ad montem aureum in Heronianis campis conſecutam, in qua multi ceciderint. Verum precibus Henrici Cæſaris compulſus, illum Rauennati, uti diximus, Eccleſiæ præfecit: An uerò conſecrauerit, incertum habeo, niſi id fecerit extremis uitæ diebus, ſiquidem tabulæ extant Vuiberti, de rebus, iure Emphyteutico, certis hominibus traditis, anno MLXXIII. regnante, ut ibi dicitur, Henrico, nepote quondam Chunradi Imp. anno XVII. Decimo Kal. Mart. Indict. XI. Rauennæ, quibus ſe electum Archiepiſcopum ſcribit. Mortuus autem Alexander eſt X. kal. Maii. Quamquam id libentius Gregorio VII. tribuerim, qui Alexandro ſuffectus, ſcriptis de dignitate ſua litteris, Gibertum hunc Archiepiſcopum coluit, & eius etiam uoluntate, eodem hoc anno III. kal. Iulias Henricus Rex conſecratus eſt. Cum autem accepiſſet Gregorius, Vuibertum, compellere Forocornelianos ad ſacramenta ſibi dicenda, Vuidoni Comiti mandauit, ne id in fraudem fieri Eccleſiæ pateretur. Hæc eo magis confirmantur, quod poſtero anno Vuibertus, dum tribuit Petro Abbati cœnobii D. Benedicti, qui uocatur in Biſurco, templum, ac potius ædiculam titulo D. Clementis, & quæ ad eam ſpectarent, prædia, ac iura, ſe Archiepiſcopum dicit, Electum non adiungit. Huiuſmodi eſt.n. harum initium tabularum. *Anno MLXXIIII. Regnante Henrico fil. quond. Henrici Imp.*

ANN. M.LXXIIII. *anno Octauo Decimo, die XIIII. Maij, Ind. XII. Rauenna: Domino Sancto, & meritis beatiſſimo, atque Apoſtolico Patri patrum, Domno Vuiberto ſanctæ Catholicæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopo.* Interea cum in Pontificem Max. Henricus Rex, cæde plurimorum ſacerdotum, & bonorum direptione, quæ Eccleſiam Romanam ſpectabant, acriter commotus eſſet, palam iactans, uerum Pontificem illum non eſſe, Gregorius illis, qui largitione, & muneribus ab Henrico ſacerdotia accipiebant, Concilio apud Lateranum habito ſacris interdixit: minatusq. eſt etiam, fore, ut expertem Chriſtianæ communitatis Henricum item faceret, niſi ad ſe rediret, ac reſipiſceret. Reddidit in eodem Concilio

Vuibertus

Vuibertus Archiepiſcopus omnium rerum, quas geſſerat, rationem, ſed cum inimico animo in Pontificem eſſet, ſtatim dimiſſo Concilio, Cincium Romanum Ciuem, Stephani Præfecti Vrbis filium, temerarium hominem, ac ſeditioſum, in Pontificem incitat; magna ei; Henrici nomine, pollicitus, ſi tantum facinus ex ſententia confeciſſet. Rebus per aliquot menſes, ad ſcelus, compoſitis, nocte Natalitiorum Domini feſta; capitur a Cincio Pontifex, ſacris ueſtibus indutus, cum in D. Mariæ ad Præſepe, ſacris operaretur: uerùm a populo Romano, plurimis trucidatis, Cincio uix incolumi in Germaniam ad Henricum fuga elapſo, in libertatẽ uindicatur. Vuibertus tanti doli machinator, cùm inſidiæ ex uoto non ſucceſſiſſent, ſimulata beneuolentia a Pontifice dimiſſus Rauennam, peiora moliturus, ſe contulit. Nam ad XIII. kal. Februar. in opido Auriolo fuit, ut Rauennatis Eccleſiæ iuriſdictionem reſtitueret. Rauennates hoc tempore, impetu facto in Fauentinum agrum, poſtquam cedendis arboribus, uitibusque, hominibus, ac beſtiis capiendis, ad Pignam, ſuburbanum penè rus, peruaſerant, dum Rauennam remigrantes, labore feſſi, in herba recumberent, nihil omnino ſuſpicantes, a Fauentinis, qui ad res ſuas tuendas accurrerant, circumuenti ſunt; & quamquam expedire arma, & manus conſerere tentarunt, tamen aduenientibus in horas aliis atque aliis, repentino, ac improuiſo aduentu oppreſſi capiuntur, & annulorum aureorum cauſa, quos geſtabant in digitis, maxima pars trucidantur: neque enim Fauentini, prædæ cupidiores, dum illos detraherent, abſq. Rauennatium incõmodo, expectare poterant, ſed cum omnes certatim, alius alio nobiliores, pluresq. cõparare ſibi illos ſtuderent, amputarunt digitos, ac manus. Vuibertus Archiepiſcopus XII. kal. Decembr. Rauennæ multa, Vualterio, & Aualderadæ coniugibus, renouatis tabulis, loco qui Ruſſi dicebatur, & alibi, tribuit. Poſtero anno, qui fuit a partu Virginis ſupra milleſimum ſeptuageſimus ſextus. Quarto nonas Sextil. Gerardo Comiti, iisq. qui ex ipſo legitimis nuptiis naſcerentur, filiis, opidum Britonorium locauit, ac confirmauit, quod opidum Vgo, Gerardi patruus, eodem locationis iure ab Ioanne Archiepiſcopo acceperat: eæ autem fuere conditiones, ut Gerardus quotannis penſionem ſolueret duodecim Marabõſinorum; ita in uetuſtiſſimis tabulis huius locationis, quas nos legimus in bibliotheca Vrſiana, ſcribitur; qui eius eſſent ponderis, ut ſepteni unciam conflarent: quos non per legatos mitteret, ſed ipſe afferret: id, ſi forte, publicè impeditus, non poſſet, elapſo impedimento efficeret. Quotieſcumque autem Archiepiſcopo ad Romanam aulam proficiſcendum eſſet, eum comitari, Archiepiſcopi tamen ſumptu, teneretur. In Aemilia aduerſus hoſtes Archiepiſcopi, cum centum militibus ueniret; ad obſidionem cum quinquaginta, trecentisq. amplius peditibus: citra Padum uerò, cum uiginti. Recepit autem Vuibertus hanc locationem nepotibus ſe confirmaturum, ſi legitimi affuerint. Ipſo uerò Comite, eiusq. filiis decedentibus, quicumque equi, & quæcumque arma tunc penes ipſos reperirentur, mitterentur ad Archiepiſcopum, Archiepiſcopatusq. iuris confeſtim & dicerentur, & eſſent. Hæc eò accuratius a Vuiberto procurata fuiſſe puto, quòd Gregorii Pontificis uires, ſibi conſcius, metueret; nam præter ea, quæ ſupra diximus, Theobaldum etiam, quem alii appellant Thealdum, Mediolanenſem Antiſtitem, & plerosq. alios Ciſalpinæ Galliæ Epiſcopos coniurare in

ANN. M.LXXVI.

Gregorium

Gregorium pollicitationibus illexerat, ad hos Vgonem Candidum Romanæ Eccleſiæ Cardinalem adiunxerat: qui & ſi antea idem feciſſet, in gratiamq; cum optimo Pontifice, ſimulato ipſe animo, rediiſſet, nunc tamen palàm malam mentem, malum animum præ ſe tulit: ſiquidem uiribus omnibus, atque opibus nixus eſt Henricum, & Normanos inter ſe de Imperio diſſidentes, compoſita pace, in Pontificem concitare. Quod ubi reſciuit Gregorius, coacto ſuperiore anno ad Lateranum Concilio, cum Vuibertus, & Vgo, uocati, non adfuiſſent, propoſitis, quare id faceret, rationibus, Vulberto & Vgoni, atque etiam Theobaldo dignitate priuatis, ſacris interdixerat: quod etiam

ANN. M. LXXVII. hoc anno in Henricum fecit. Verum deinde apud opidum Canoſſium anno MLXXVII. cum eo Henricus conciliatur, poſtquam regio cultu abiecto, ac ſine calceis, ſæuiente hieme, ieiunus uſque ad ueſperam, triduo, Henricus, aditum, gratiamq. Pontificis, ut anathemate ſolueretur, impetrauit: Quamquam plerique ſcribunt, Vuibertum Archiepiſcopum, qui deſcendenti in Italiam Hērico, cum iuſta militum manu, obuiam proceſſerat; quod fecerant, & Mediolanenſis Antiſtes, & reliqui Ciſalpinæ Galliæ Epiſcopi: Henricum acriter eo facto arguiſſe, ac ſe pro nihilo Gregorii anathema habere, dixiſſe: Indigne omnino feciſſe, & nullam ſuorum, qui ut eum ſequerentur, omnibus Gregorium iniuriis laceſſiuerint, curam habuiſſe. Hæc reliqui proceres affirmarunt. Eodem hoc anno Vuibertus Archiepiſcopus, nomine ſuo, ac ſucceſſorum, poſſeſſiones accepit iure Emphyteutico complures ab Hunfredo, qui his tabulis ſcribitur presbyter, monachus, & Abbas cœnobii D. Hilari in Galliata. ſubſcribitq. non ipſe ſolum Hunfredus, ſed & Petrus Populienſis Epiſcopus. Cum autem Gregorius Pontifex Henricum uideret à ſeditioſis Epiſcopis ita denuo in Dei Eccleſiam exacui, atque irritari, habita frequenti

ANN. M. LXXVIII. Synodo, Vuiberto interdixit, quæ erat ſuperbia hominis, & malitia, dum patientia optimi Pontificis, & modeſtia, nimium abuteretur; ne Archiepiſcopali, aut ſacro ullo munere fungeretur. Accitus deinde Romam, ſuorum ipſe ſcelerum conſcius parere noluit: quam uel unam ob rem, Chriſtianæ communitatis expertem ſe, & indignum præſtitit. Eam anathematis pœnam alio etiam haud multò poſt habito conuentu, Gregorius confirmauit, deq. Rauennate Eccleſia Vuibertum, diſſenſionum omnium, quæ tum uigebant, auctorem, depulit: omnibus huius Eccleſiæ ſacratis uiris edicens, ne ulla in re, illi ſcelerum omnium architecto & machinatori, obtemperarent: extant eius litteræ VI. kal. Ianuar. ad Rauenriates ſcriptæ, quibus de anathemate Vuiberti eos certiores facit, & ab illius obſequio accurate deterret, auocatque.

ANN. M. LXXIX. Poſtero anno, cum de more, Concilium in Laterano coegiſſet, Theobaldum Mediolanenſem, Sigifridum Bononienſem, & Rolandum Taruiſinum Antiſtites, communione depulit. Eo uero qui inſequutus eſt, cum Vuibertum Ar-

ANN. M. LXXX. chiepiſcopum Rauenna profectum audiſſet, Petrum Damiani, licet ætate confectum, Rauennam Legatum miſit. Profectus eſt magna uoluntate Petrus, tum patriæ charitate impulſus, tum religionis ſtudio, quo ſemper flagrauerat, mirum in modum incenſus. Accedentem Ciues humaniter, & ſumma comitate exceperunt, omnibusq. officiis cultum benignè audierunt, de Vuiberti impietate differentem, qui peruerſo iudicio, neglectaq. religione, Henrici partes ſecutus uideretur. Itaque hortari eos magnopere, ut pie inita ſan-

ctiſſimi Pontificis conſilia,ſuſciperent,& iuſtæ cauſæ fauere uellent, ſalutariq. decreto ab Vuiberti diſciplina pios,fortesq. animos auocarent. His dictis cum magnam omnium demiſſionem intueretur, populum damnati Archiepiſcopi contagione corruptum,in gratiam Eccleſiæ recepit,ac cõtracto piaculo,aucto ritate Pontificia liberauit. Rauenna tandem diſcedens,ad Pontificẽ aditurus, ne iter eſſet omnino inane,monachos inuiſit,quos Fauentiæ cõſtituerat,extra vrbis portam,in æde D.Mariæ,quam nunc intra vrbẽ adductam conſpicimus. Ibi febre correptus,octauo,poſt quã ægrotare cœperat, die,ex hac uita migrauit,ea nocte,quæ diem VIII.kal. Mart.anteceſſit, eodem anno ab ortu Chriſti M.LXXX. Eius morte,ab iis,qui excubabant iuxta cœnobium,ne ſanctum ca dauer poſſet a ſuis monachis,qui è propinquis locis aduenerant,furtim exportari; nunciata, repente ciues omnes ad eius parentalia accurrunt, breuiq. templum tanta populi multitudine refertum eſt, vt vndarum ſeſe modo, inuicem impellerent,planeq. beatus ille diceretur,cui dabatur uiri ſancti loculum attingere, munera illi præbere, pedes oſculari. Sepulcrum interea ex candidiſſimo marmore,ſumma facilitate, ipſis, qui adducebant,admirantibus,ex alio ſatis diſtante cœnobio, deuehitur, atque in eo, è regione chori, iuxta gradus, quibus aſcenditur ad aram, locato, omnibus hymnos,ac pſalmos concinentibus, Deumq. laudantibus,uiri ſancti corpus reponitur. Ceterum quoniam ampliſſimi huius Antiſtitis,ac monachi ſupra frequens habita mentio a nobis eſt, & in hunc annum eius incurrit interitus, nequaquam ingratum, ut puto, fuerit, nec omnino a noſtro inſtituto alienum, de illo quædam paulo accuratius ſcribere. Hic ut memoriæ prodit Ioannes monachus, qui eius aliquando comes fuit, & uitam deſcripſit, Rauennæ, obſcuro, propter paupertatem loco, ſed ingenuo natus; ſunt tamen qui ex nobili Honeſtorum familia ortum putant, uerùm falluntur, cum id Petro peccatori conueniat;diligenter omnibus charitatis officiis a Damiano fratre natu maiore ſic nutritus, ac bonis litteris imbutus eſt,ut ab eo ſibi cognomentum adſcripſerit,vocariq. uoluerit, & ſcribi Petrus Damiani:quod contigiſſe in Euſebio Cæſarienſi legimus,qui a Pamphilo amico,Euſebius Pamphili & vocari,& eſſe perpetuò uoluit: quamquam id obſeruari in Petro Damiani poteſt, quod ipſe ſe tantum Petrum appellat, reliqui Damiani, adiungunt. Antequam cucullũ ſumeret, bonas artes plurimos publicè docuit,ſtilo, ut illa ferebant,barbariei pleniſſima,tẽpora,ſatis eleganti: quod & ex illius epiſtolis, quas ad multos miſit, & ex libris, quos ſcripſit, & ex iis, quas ad populum habuit,concionibus, cognoſcere difficillimum non eſt. Ab ineunte ætate agitari aduerſis cœpit, cum enim mater poſt plurimos filios, hunc genuiſſet poſtremum, quadamq. die natu maior,patre demortuo, fratrum multitudinem, & hæreditatem paruam conquereretur, adeo mater, quam iamdiu egeſtatis dolor cruciabat, eſt indignata,ac dolore percita, ut ſe miſeram exclamans, atque amplius ut uiueret, indignam, Petro uix dum nato lac negauerit, & nihil aſſiduo infantis ploratu commota, expetere eius necem uideretur: quæ planè erat conſecutura, nequaquam ſero,niſi fame ſimul, & ui frigoris nigreſcentem, & uocè ferè deſtitutũ,ſacerdotis cuiuſdam pellex adueniens, iuuiſſet. Hæc ſiquidem crudelitatem matris acriter arguens, & lacrymas infantis, calamitatemq. deplorans, immanitate ſumma efferatum animũ leniit,& ſociam ſe matri iungens,calentis aquæ beneficio,aliisq. remediis,

ſemiuiuum infantem reuocauit ad uitam. Haud ita diu poſt, mater diem ſuum obiit: & frater natu maior duxit uxorem. Hi coniuges, cum gerere pueri curam uelle ſimularent, tam dura illum, aeriq. premebant ſeruitute, ut is non modo pane, cibisq. ac uino uitioſis, & corruptis aleretur, ſed perpetuò nudatis pedibus, pannoſus incederet, & multis uerberibus uapularet: pauloque grandior factus, alendis ſuibus præficeretur. In quo uili famulatu, cum die quadam argenteum nummum, reperiſſet, & perinde ac diues repente factus, gratulabundus, quid eo poſſet aptius mercari; dulci appetitu puerilem animum, ſuauium rerum omnium expertem, per mollia trahente diutius cogitaret, tandem cælitus afflatus, quid hæc, inquit, mente reuoluo? horum certe uoluptas nequaquam fuerit diuturna: præſtabit tradere hoc ſacerdoti, qui ſacra Deo faciat. Rediit alius interea eius frater, cui erat nomen Damiano, Rauennaq. aliquot annos abfuerat. Is fratris ærumnas miſeratus, eum in fidem, & clientelam accipiens, amanter ac paternè fouit, litterisq. inſtruendum curauit. Quod cum Rauennæ aliquandiu feciſſet, optima cognita pueri indole, Fauentiam primò miſit, mox Parmam, ut doctos ibi uiros audiret. Quod Petrus ſuis litteris teſtatur. Breui autem liberales artes omnes edoctus, tantum nominis, ac famæ apud omnes adeptus eſt, ut ſumma utilitate, atque auditorum frequentia, eas ceteris deinde explicans, facile primus omni Italia haberetur. Cumq. in dies fauoribus, gratia principum, diuitiis, & auctoritate creſceret, ſeipſum increpans, numquid, dicebat, his perpetuo, caducis, atque interituris bonis inhæſerim? an non potius his uale dicens, cæleſtia conſecter? Quæ cum repeteret ſæpius, tandem paulatim cœpit Diuinis ſtudiis, & obſequiis nauare operam: Itaque ſub pretioſa ueſte, induit cilicium, inediæq. & uigiliis, ac Diuinis hymnis frequens ſtudium exhibet: cumque libidinis æſtu, pro ætatis natura, iactaretur, mediis noctibus è cubili ſurgens, aquis ſe immergere, dum totus frigeſceret, indeque egreſſus, in lectum minime regredi, ſed pſalmis, atque hymnis Deum uenerari conſueuerat. Mirum fuerit dictu, quam præſtiterit egentibus liberalitatem, & munificentiam, quamque benignè, & piè prandio illos acciperet: Quo loco illud nequaquam ſilentio uidetur prætereundum, cum quadam die vnà cum ſodali ſuo, cuius opera utebatur, pranderet, neque, extra unicum ex ſimilagine tritici panem, alium haberet, ſodalique, qui eodem cibo uti conſueuerat, cibarius, & ſecundarius panis eſſet appoſitus, ſecum loqui cœpiſſe. Chriſtus ad cœnam meam inferior mihi eſt: iamq. his, atque aliis animo repetitis, cum panem cum illo commutare decreuiſſet, pudore tamen retractus eſt. Itaque comedentem pauor ſenſim arripit, & horror concutit viſcerum, tandemq. piſcis, quæ tranſuerſa in gutture inhæſerat, ſpina, nullis cedens remediis ſtrangulabat, cum id ſibi ob panem ex ſimilagine ſodali minime tributum accidiſſe exiſtimans, commutato pane, primo eius bolo, conualuit: quamobrē ſupra quam dici poteſt lætus, aperuit cunctis miraculum. His atque aliis ad Dei famulatum in dies magis accenſus, cum omninò ab his caducis rebus abduci, monachusq. fieri decreuiſſet, id tamen in patriis finibus, ob affines, aliquotq. alia impedimenta minus tutum arbitraretur, hæc cogitantem, aſſiduisq. precibus contendentem a Deo, ut ad ſalutem

ſem-

ſempiternam aditum pararet, a ſolitudine ſanctæ Crucis fontis Auellanæ, quæ eſt in Eugubina Diœceſi, monachi duo, de quibus multa iam præclara acceperat, Diuinitus impulſi, conueniunt. His Petrus, poſtquam de Deo multa loquutus cum illis fuit, aperit animi ſui ſenſum, petitq. num ab eorum Abbate, ſi monachus uellet fieri, reciperetur: Ipſis affirmantibus, lætus ſpondet ſe illuc quàm primum profecturum. Donat interea ſcyphum argenteum abeuntibus, uerùm cum inſtanter illud, nullo precibus loco relicto, renuiſſent, atque ob id conceptam in animo Petri religionem, & opinionem, eorum ſanctitatis, magis confirmaſſent, fecerunt, uti maius adhuc caducarum harum rerum faſtidium Petrus incurrerit, nec quidquam aliud, niſi cæleſtia, cogitaret. Poſt monachorum diſceſſum, ut uſu tractando cognoſceret, utrum eius eſſet laborem, aſperitatemq. uitæ laturus, coniecit ſe in cellulam ſatis arctam, ubi per quadraginta dies, uitam, iuxta leges Eremitarum ſanctæ Crucis, traduxit: quo genere uiuendi plurimum roboratus, nihil iam difficultates, & durũ uitæ illius modũ timens, ſuis omnibus inſciis, clam ad eam montis Catriæ ſolitudinem profectus eſt. Excipit eum libenter Abbas, cucullóq. indutum, vni ex monachis in diſciplinam, tyronum more, tradit. Quantum autem profecerit, quamq. obedientiam magiſtro, reuerentiamq. præſtiterit, ex eo facile cognoſci poteſt, quòd iter cum præceptore eques ingreſſurus, iuſſuſq. ab eo, ut indueret molliorem ueſtem, ac pulchriorem, magiſtrum ſupplex obſecrauit, ne, quod minus decere ipſe arbitrabatur, præciperet: Ceterum magiſter, qui eum ob perſpectas uirtutes unice diligebat, proptereaq. ne in publicum prodiret adeo incultus, optabat, nequaquam aſſiduis, repetitiſq. eius precibus aſſentiri. Igitur Petrus, ne nimis perfractè pertinax obedientiæ repugnaret, quamquam maximo pudore, ac rubore ſuffuſus, quòd, quæ reiecerat ornamenta, recepiſſe uideretur, neminem intueri præ pudore auſus, pulchriore indutus cucullo, magiſtro comes abiit: cernere autem; quemadmodum ipſemet retulit; omnes, eum digito commonſtrantes, & ſponſi nomine, non monachi appellitantes, quacumque incederet, ſibi uidebatur. Ad cœnobium reuerſus, maiori in dies abſtinentia, ac uigiliis, ad ſanctitatem, ſummumq. bonum incumbere. Per id temporis monachi illi, quattuor diebus hebdomadæ, pane & aqua, traductis, tertia & quincta feriis, parum leguminis, a ſingulis, ſuis ſeorſum cubiculis, cocti, ſumebant: diebuſq. ſacræ inediæ, panis, non quantum quiſque uellet, ſed certa quadam menſura, modoq. præbebatur. Vinum rei tantum Diuinæ faciendæ, & ægrotis, notum, nemini præterea. Cum uero is eſſet in uigiliis mos, ut ſigno dato, matutinis expletis precibus, omnes hymnos Dauidis recitarent, præueniens commune hoc ſignum Petrus, quicquid erat noctis reliquum, continentibus excubiis ducebat: unde in eum incidit morbum, ut dies, noctesq. inſomnes ageret: ſed temperatior factus, conualuit. Cumque breui in ſummam ſanctitatitis famam creuiſſet, ſummis tandem precibus; Guidone Strambiato Rauennate; Abbate Pompoſiano, id ab Sanctæ Crucis Præfecto impetrante; Pompoſiam mittitur, ut monachos illos præceptis Diuinis, ſacriſque litteris inſtitueret: ibi tranſegit biennium: quo elapſo, ab ſanctæ Crucis Præfecto, qui illuc eum miſerat, ſuiſque monachis reuocatur. Ibidem præfecto, paulo poſt mortuo, renuens, ac diligenter recuſans, tan-

dem cœnobio præficitur. Quod cum inſtituiſſet, in Camertibus primum; mox ad montem Regium, qui eſt in Peruſino, ubi cellam reperit, quam D. Romoaldum incoluiſſe ferebant; deinde in Fauentino, tum ad Aceretem; tum ad Gauiunium; nunc Cauinam appellari putant, poſtea in Ariminenſi ad Murcianum, cœnobia excitauit. Cum uerò eſſet in Gauiuniano cœnobio, iubet die quadam, monachum, qui miniſtrare ſibi conſueuerat, potum afferre ſibi ex fonte. Fecit imperata miniſter, ſed aqua in uinum mutata, alius denuo ab aſſidentibus monachis mittitur, qui aquam adferat: quæ itidem in uinum conuerſa, mandauit Petrus, id ne cuiquam patefacerent: quod & factum, nec id quiſquam, niſi ab eius interitu, vmquam reſciuit. Illud etiam fuit ſatis celebre, quod cum iuxta ſacellum ſuum, plenum uini dolium haberet, tranſeuntibus illac militibus, & a ſacerdote ſacelli cuſtode potum arroganter petentibus, cum ſacerdos uegetem indicaſſet, & omnia eius foramina ipſi operuiſſent, uinum haud quaquam prodiit. Suſpicati ſunt primo, ſe a ſacerdote deceptos: itaque ſuperiori retecto foramine, cernunt, parum deeſſe uini: ceterum quamquam iniiciebant uirgas in foramina, nihil tamen uini uſquam exiit, cum alioqui uirgæ ipſæ uino maderent. Quod miraculum eo etiam maius eſt uiſum, quòd peregrino paucis poſt horis eadem tranſeunte, ac ſibi, Dei cauſa atque nomine, præberi potum poſtulante, cum ſermone Sacerdotis, quæ militibus accidiſſet, narrantis, ipſe deterritus, magnum ſperare ſe beneficium affirmaret, ex eo quod ab inſolentium rapina, incolume, atque integrum ſeruatum fuerat, præſertim quod notus ſibi iamdudum Petrus fuiſſet, & ſuum frequenter exhibuiſſet, ſacerdos quamquam timens, & nihil ſe uini hauſturum exiſtimans, aſſiduis tamen hoſpitis egentis precibus incitatus, contulit ſe ad dolium, foramineq. recluſo, uinum hauſit. Nec minori fuit admirationi, cum uir inſignis quidam, opibusq. ac copiis affluens, qui diebus feſtis ſolenmioribus Petro piſces dono mittere conſueuerat, nocte, quæ diem natalem Chriſti Dei proximè anteceſſit, quod habere antea piſces non poterat; ſeruum cum piſce grandi miſit. Erat fœdum ea nocte cœlum, nullis aut lunæ, aut aliorum ſyderum radiis illuſtre, & ad perpetuam uiæ difficultatem, niues altæ accedebant. Itaque dum ſeruus ad excelſam ripam perueniſſet, eius extrema nimium perſequens, lapſo pede, præceps inferius agitur: & cum is fuerit caſus, ut totus diſcerpi facile, affringiq. potuiſſet, meritis tamen uiri ſancti, ui Diuina, incolumis, ac illæſus euaſit, ualidusq. & alacer excuſſum onus ceruice reſumpſit: Cumq. ueniſſet ad Petrum, & domini munus obtuliſſet, quòd eius meritis euaſiſſet mortem, ingentes gratias egit: cui Petrus, ne, inquit, fili mi, erranti homini, ac criminum labe conſperſo uelis adſcribere, quód præpotens Deus una ſua miſericordia tibi elargiri non eſt dedignatus: gratiæ illi abs te agantur, qui nuſquam deeſt iis, qui in calamitatibus, periculisq. eius opem ſuppliciter implorant. Cum item haud ita multos poſt dies, unum ex ſuis monachis ad Abbatem quendam miſiſſet, monacho autem diutius Abbatem, qui aberat, expectare, & tandem eo, quo aberat, adhibere fuiſſet opus, intelligens, niſi iter noctu faceret, ad præſtitutam ſibi à Petro diem, non eſſe reuerſurum, duce uiæ capto, iter ueſperi ingreditur: nec diu proceſſum eſt, cum ſeſe dux ex oculis furtim ſubduxit: Itaq. monachus ignarus uiæ, uehementer anxius, & incertus quo tenderet, pete-

re a Deo, ut præiret itineris Dux, meritis eius, cui obedire ſatagebat: nec diu poſt peruenit, quò ſe uia ſcindebat duas in partes, ubi dum hæſiſſet paululum, quam caperet ambigens, elegit tandem, quam magis tritam uidit, aptioremq. exiſtimauit. Ceterum dum conatur in eam iumentum dirigere, illud non modo renuit, ſed aliam ingrediebatur: Veritus autem monachus, ne iumentum id faceret, quia aliàs eam ingredi uiam conſueſſet, calcibus, ac uerberibus in aliam nitebatur, iumento nequidquam aſſentiente: ad extremum cum irrito nixu diu decertaſſet, iam demum ſuſpicans, ne fortè brutum illud animal ſibi, contra morem, Diuino inſtinctu, reſiſteret, laxauit habenas, & quidem uano nequidquam euentu: inalbeſcente enim cælo, rectâ ſe ingreſſum agnouit: pauloq. poſt, cum perueniſſet ad cœnobium, quæ contigiſſent omnia Petro narrat, Deoq. atque illi gratias agit immortales. Pari meritorum virtute, dante Deo, adoleſcentulum; quem ad Epiſcopum quendam in negocium mittebat; traiecto flumine, in limo alte hærentem, cum illum adoleſcens inuocaſſet, incolumem eduxit: cumq adoleſcens inde longius ad urbē prouectus, non reperiſſet Epiſcopum, ab iuuene Epiſcopi patruele exceptus eſt: In hoc tamen defuiſſe patruelis Epiſcopi eſt uiſus, quòd cunctis abeuntibus, adoleſcentulum in cubiculo grandi ſolum reliquit: quamobrem is magno correptus timore, noctem illam totam inſomnem duxit: Itaque patrueli Epiſcopi dormienti Petrus Damiani adeſſe uiſus eſt, qui acri uultu minitans, & obiurgans, quòd agreſti negligētia nuncium ſuum adeo malè affecerit, perterruit eum quàm maxime: Somno igitur ſolutus, expectare dum illuceat, ut inuiſat hoſpitem, quæratq. ea ſibi quid uellent: quod cum eſſet factum, & ſuam uterque moleſtiam enarraſſet, uiri ſancti potentiam admirati, extollere Dei gloriam, qui ſit in iis, qui illi ex animo ſeruiunt, mirabilis. Adeo autem hac re adoleſcens, quem Petrus miſerat, eſt commotus, ut reuerſus ad Petrum, illi ſe totum commiſerit, breuiq. poſt ibidem cuculum induerit Gregorio deinde ſeptimo hortante, è legatione Germanica reuerſus, per omnem Italiam, ſacram inediam, & ciborum ieiunitatem, die Veneris in honorem Crucis, inſtituit, ac potius antiquitus inſtitutam, & iam ferè obliteratā reuocauit: quod & de horariis precibus, quibus quotidie Diuæ Mariæ Virgini Chriſtiparæ debitus cultus exhibetur, factum eſt: iuſſitq. Pontifex ab omnibus, qui ſacris eſſent initiati, piè, ac ſanctè quotidie recitandas. Quod autem ad ſacram diei Veneris, in honorem Crucis inſtitutam, ac potius reuocatam inediam ſpectat, quædam de ipſa, quæ contigerunt, minime omittenda duximus. In cubiculo ægrotis dicato ſenex erat monachus, Leo nomine, qui continentibus precibus, uigiliis, atq. abſtinentia a cibo, iuuenili penè ardore intentus, nocte, quæ diem præceſſit, quo die hæc in honorem Crucis ſacra inedia inſtituenda erat, per quietem uidit frequentem monachorum conuentū in templo, qui alba induti ueſte, ſuauiſſimis uocibus, & prædulci concentu cantabant, *Dulce lignum dulces Clauos*, & quæ deinde ſequuntur. Quo etiam loco comedere conſueſſent, panibus extructas eſſe menſas nitidiſſimis, dulciſſimis, & ſapidiſſimis: atq. inter monachos vndiq. diſcumbentes, uirum maximè ſpecioſum, ac venerabilem, qui undenam eiuſmodi panes, nuſquam ad eam diem viſi, ueniſſent, interrogatus, Hi ſunt, inquit, panes, quibus filii Iſrael mannam percipientes, è cælo alti ſunt in ſolitudine. Vir idem Abbatis menſam,

quæ erat ad Occidentem, tranſtulit ad Orientem ſolem, ubi in pariete Chriſti cruci ſuffixi imago picta aderat. Paulo etiam poſt, alius monachus, cui Petro erat nomen, ad cœnobium feria quinta regreſſus, cum nihil adhuc noſſet de hac inedia nocte per quietem Petrum Damiani uidit, illum ad prandium inuitantem, ſecumq. accumbentem. Itaque poſtridie accipiens noui ritus diſciplinam, lætus, atque alacer, En, inquit, Diuina gratia, prandium, ad quod me Petrus Damiani uocauerat. His autem uiſis monachi ſui omnes commoti, qui ob id cernere oculis, planè Diuinum inſtitutum illud eſſe, uidebantur, ab eo flagitant, ut ſi quid prætcrea in reliquo uictu, ac ueſtitu commutandum, corrigendum, detrahendum putet, detrahat, corrigat, commutet: quamobrem magis adhuc uili, ac demiſſo ueſtis, atque habitus genere inſtituto, non minus ſermonibus aſſiduis, quam uitæ exemplis, eos ad cæleſtis uitæ præmia euehebat. Quo uerò tempore Cardinalis fuit, & Oſtienſem Epiſcopatum tenuit, quidquid ſupererat, in egentes affluenter effundere, ex illis duodecim, pedes perpetuo abluere, epulumq. præbere, & tota urbe pupillos, ac uiduas perquirere, & iuuare. In cœnobio per quadraginta quandoq. dies comedebat nihil, quod eſſet igni coctum, ſed tantum pomis crudis, abſque ullo potu, ueſcebatur: cuius rei diſcipulus eius, is, qui conſcripſit hanc uitam, teſtis eſt. Conſueuerat etiam diurnis horariis precibus, atque hymnis recitandis, nulli podio, ſubſelliove hærere, & initio utriuſque quadrageſimæ, per triduum penitus abſtinere cibo: ad quod inſtitutum licet ipſe neminem uerbis allexerit, quibuſdam tamen cœnobiis, id eius exemplo deinde ſeruantibus, uehementer laudauit, quo diligentius toto eo triduo intra clauſtra cœnobii, ſilentium ſeruaretur: inſtituens, ut ne quis, extra ſummam neceſſitatem calciamenta indueret, antequam ſingulis diebus Dauidis omnes pſalmos communiter abſoluiſſent. Sed de Petro Damiani hactenus ſatis: quæ licet fortaſſe plura, quàm pro inſtituto hiſtoriæ, uideri poſſent, quia tamen ſunt multò pauciora, quàm inclyti uiri Rauennatis egregia uirtus, & noſtrum in illius memoriam ſtudiũ poſtularet, ueniam mihi facile datam iri arbitror. Eodem hoc anno milleſimo octuageſimo, cum Rauennates ſubiungere ſub ſuum imperium, finitimos cuperent, Fauentinis ita bellum indixerunt, ut ante ſex menſes, ſe ka l. Maii uenturos ad Caſtaneum cædendum, miræ pulchritudinis, ac proceritatis arborem, in rure Cæſarolo agri Fauentini, nunciatum illis miſerint. Quo nuncio uehementer Fauentini perculſi, quòd intelligerent, plurimum apud ceteros Prouinciales, Rauennates poſſe, ſe illis ferè omnibus odio eſſe, in Galliam Ciſalpinam oratoribus dimiſſis, qui ſubſidia poſtularent, nihil uſquam opis inuentum eſt. Vnus fuit in ſubalpinis Gallus Comes Vinea appellatus, qui tum forte Hieroſolymis ab inuiſendis religionis cauſa locis ſanctis, in Galliam redibat. Is lacrymas Fauentinorum miſeratus, ſtatam diem illis ſe futurum ſubſidio pollicitus, eius rei teſtem, è manu detractam ſibi chirothecam, illis tribuit. Reuerſis Fauentiam legatis, auctus eſt ciuitatis mœror, parum fiſæ ſubſidio, quod eſſet uſque è Gallia expectandum. Itaque cum ad kal. Maii Rauennates, uti prædixerant, arborem excidiſſent, neque pedem urbe efferre Fauentini fuiſſent auſi, redeuntibus Rauennatibus, iamque inter Albaretum, & Pratam conſiſtentibus, præter omnium opinionem, cum quingentis equitibus ſeſe in conſpectum dedit

Comes:

Comes: qui inclinante in ueſperum die, ad ſanctum Proculum caſtrametatus eſt. Poſtridie Fauentini cum Gallis coniuncti, Rauennates adoriuntur, prœlioq. in campis cognomento Contratis inito, Rauennates ubi aliquandiu ſtrenuè reſtiterunt, & prœlium anceps fuit, tandem fuſi, & uſque ad Ruſſum vicum fugati. In urbem Fauentini cum Gallis ouantes redeunt, eius dominatum vrbis ad Gallum Comitem deferunt, hortanturq. hominem, quamquam magnis Imperiis ab eximia uirtute digniſſimum, ut nobili animo eum capeſſeret: Sed ipſe abnuit; neque enim uelle ſe, eam ciuitatem pro cuius libertate pugnaſſet, in ſeruitutem adducere. Duobus deinde vexillis ciuitati dono datis, remigrauit in Galliam. Gregorius Pontifex redacta in poteſtatem, opera Petri Damiani Rauenna, uti ſupra docuimus, de nouo Archiepiſcopo, qui Romanæ Eccleſiæ fidem, & partes ſequeretur, cogitare inſtituit: & ceteros etiam, quos iudicauit idoneos, conſulere. Itaque ad clericos, & populum Rauennatem ſcripſit, eodemque exemplo litteras miſit ad Epiſcopos, & Abbates Marchiæ Tuſcanæ, Firmanæ, & Exarchatus Rauennatis, rogans, ut uirũ aptum una ſecum perquirerent, qui Eccleſiæ Rauennati a Vuiberto afflictæ præficeretur. Tandem cum ipſe R. quendam legiſſet, Rauennamq. miſiſſet, Tert. Id. Decembris, ad Abbates, Comites, & milites in parochia Rauennate; utor illius verbis; Pentapoli, Marchia Firmana, & Ducatu Spoletano agentes; magnum enim momentum ad quietem Pontificii ſolii habere intelligebat, ſic ſcripſit. *Rogo vos, ut R. Rauennatem Archiepiſcopum, quem poſt diuturnas inuaſorum occupationes, nuperrime Rauennas Eccleſia, a Romana accepit, complecti, & defendere contra Vuibertum velitis.* An autem hic Archiepiſcopus Rauennam fuerit ingreſſus, & acceperit Archiepiſcopatus poſſesſionem, incertum habeo, cum poſtero anno multa Vuiberti monumenta, in tabulario Vrſiano legantur. In quibus ea nunc occurrit, anno MLXXXI. confecta tabula, Regnante, ut ibidem ſcribitur, Henrico, Henrici Imp. filio, anno XXV. die XIIII. Ianuarii, Indict. IIII. Rauennæ; in canonica ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, qua Hubaldus, & Vgo eius filius Comes, cum adeſſent nobiles uiri, apprehenſa manibus uirga, eaq. in manum Archiepiſcopo tradita, fideles, obtemperantesq. futuros, illi, ac ſucceſſoribus iurarunt: idq. pro parte caſtri Lecanati, & centum manſis inter terram, & aquam Seclæ. Aliæ etiam tabulæ extant. VIII. Id. Maii. Rauennæ ab eo ſcriptæ. Sed præſtiterit, ex tot, unam apponere integram, ut colligere ex autographo potui, quæ, & ad id, de quo loquimur, & ad hiſtoriam Rauennatem plurimum facere uideatur. Hæc autem eſt....... *incarnationis Milleſimo octuageſimo primo, regnante uerò Henrico fil. quond. Henrici Imp. anno uigeſimo quincto, die..... Vuibertus ſeruus ſeruorum Dei, ſancta Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Ioanni Cardinali presbytero, atque petro æquè presbytero, ac Prepoſito, ſeu Berardo Diacono, atque petro...... necnon per uos in ceteris fratribus, qui nunc in noſtra Canonica ſunt, uel qui in futuro tempore, per noſtram iusſionem, uel ſucceſſorum noſtrorum ordinandi ſunt in perpetuum: Eccleſiaſtica contemplationis ſecta nos pramonet, illa ſemper conſiderare, atque diſponere, qua ad augmentum, & diligentiam, ſeu, & reſtaurationem officiorum ſancta Dei Eccleſia pertinent: Et ne, quod abſit, data negligentia quoquomodo ſcribatur ad culpam. Igitur cum ſumma Diuinitatis potentia, ſua pietatis arbitrio, illud nos ambire...... quod ad pertinitatis peruenit...... & potiſſimum*

AN. LXXXI.

mum ſeu celeberrimum fore dignoſcitur, præſidium ſcilicet ſacerdotum, Diaconorum, ſubdiaconorum, aliorumq. graduum Clericorum ſanctæ noſtræ Rauennatis Eccleſiæ augmentum, uel religionem pertineat, ſtatuimus qualiter, miſerante Deo, uiuorum, ac mortuorum animabus perpetualiter uenia ſit, & ſalus. Pro his igitur Diuinè opportunitatibus, ac perpetuæ religionis cauſa, ſancimus ſupradictorum graduum noſtræ Eccleſiæ clericos iam deinceps hoc noſtro priuilegio fore unitos. Ideoq. ego præfatus Vuibertus, Chriſti miſericordia, humilis Archiepiſcopus, damus, & donamus, ſeu transferimus, & in perpetuum tranſactamus in ſanctam, ac........ Canonicam ſanctæ noſtræ Rauennatis Eccleſiæ, ideſt, omnem decimationem in curte Arientea, & curte Firminiano, & in curte Campiglio, de omnibus donicatis, quæ bubus noſtris laborantur ad noſtras manus, & in calario domnicato reconduntur: & de terratico, quæ noſtri uillani ex noſtris manſis per fictum nobis reddunt, & de omnibus gregibus noſtrorum porcorum, uel aliorum animaliū, quæ in his tribus curtibus a noſtris miniſtrialibus nutriuntur, ſed & de his, quæ noſtri uillani ex noſtris manſis per fictum nobis reddunt. Similiter de uino, & piſcibus, qui nobis per fictum reddunt: necnon, & ducentas terræ tornaturias ad Canonicorum opus laborandas, poſitas in loco, qui dicitur..... ſimiliter in omnibus curtibus a Rheno, uſq. ad Folia, quicquid ex Domnicato in pane, & uino, & oleo nobis prouenerit, datis primitus legalibus Decimis..... Eccleſiis a noſtris anteceſſoribus conſtitutis: Sed & omnem Decimationem collectionis ſalis noſtri in Ceruia. Item concedimus uobis uillam unam integram, quæ uocatur Arbillianum, cum.... & cum omnibus ſibi pertinentibus, & infra. Hæc omnia beneficia illi ſolummodo Clerici noſtræ Eccleſiæ perpetualiter, ad ſuum neceſſarium, & quotidianum uictum obtineant, quicumque in Canonica noſtra indeſinenter ſecundum paginam Canonicæ regulæ uitam ducere, & humilem conuerſationem habere promiſerint, id eſt, ut ſimul omni tempore dormiant, ſimulq. manducent, & certas horas dierum ad orandum pro uiuis, & defunctis ad reddendas Deo laudes, ſummo ſtudio obſeruent, ut cū pſalmiſta, ueridica uoce dicere poſſint, Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in unum. Si quis autem Canonicorum huius Eccleſiæ, mihi, uel meis ſucceſſoribus, qui pro tempore fuerint, contumax, aut inobediens, uel detractor, uel Eccleſiæ bonorum defraudator, aut huius ordinationis Canonicæ perturbator inuentus fuerit, per ſe, aut per ſuam ſummiſſam, uel ſummittendam perſonam, perſoluat mihi, uel meis ſucceſſoribus, pœnæ nomine, auri libram mediam: & poſt ſolutionem pœnæ, regulari ſubiaceat diſciplinæ, quatenus per ueſtram uigilantiam, & actam ſolertiam, utilitatem, & Dei ſeruitia uidelicet, & deuotis totis uiribus adminiſtrentur: Qualiter ſecuris de his non ſolum conicè, ſed de actibus ueſtris futuris, reddituri eſtis rationem: Et neçuiquam præſens præceptum, aut prædictæ res alicui homini dare, uel uendere, ſeu transferre, aut..... ſeu commutuare, aut in alio uniuerſali loco relinquere. detis, per nullum ingenium, uel argumentum, ſed ad lucrum, & utilitatem prædictæ Canonicæ conſiſtant. Si quis autem maior, uel minor contra hoc noſtrum præceptum egerit, aut illud corruperit, trecentorum decem, & octo ſanctorum patrum anathematis uinculo uulneretur: obſeruator autem qui extiterit, Domini benedictione redundetur: Quam præceptionis noſtræ paginam, Deus dedit notarius ſanctæ noſtræ Rauēnatis Eccleſiæ ſcribendam iuſsimus, in qua nos ſubſcripſimus ſub die, & menſe, & Indict. prædicta quincta. Ego Vui. Dei gratia Rauennas Archiepiſcopus huic præcepto a me facto. ſſ. Rauennam interea Henricus Rex primo uere, delectibus, ut potuit, habitis, ex Germania venerat, ibiq. ſubſiſtens, copias ſcribere diceba-

tur;

tur; quod Gregorius Pontifex, ſcriptis ad Deſiderium Abbatem Caſſinatem
litteris, ita ſignificauit. *Volumus te ſcire, Henricum, qui dicitur Rex, in ſubur-
banis Rauennæ uerſari, eo animo, ut ad Pentecoſtem ad urbem accedat. Habet ex tranſ-
alpinis, & Lombardis manum exiguam: uerum ſunt qui dicant, eum ex Rauennati-
bus, & Marchianis ſupplementum eſſe ſcripturum: quod parum credibile uidetur, cũ
ne ſocium quidem ab ijs, per quos tranſit, accipere poſſit. Noſti nimirum cariſſime
frater, niſi nos ſtudium iuſtitiæ, & honoris S. Romanæ Eccleſiæ teneret, & ſi praua
Regis, ſuorumq. uoluntati ſeruire uoluiſſemus, neminem prædeceſſorum noſtrorum ab
anteceſſoribus Regibus, & Archiepiſcopis tam amplum, & deuotum obſequium ſicut
nos, ab hoc Rege, atque Archiepiſcopo obtinere potuiſſe.* Henricus poſtquam in Cõ
uentu Brixinenſi, impia triginta Epiſcoporum ſeditioſorum ſententia, quaſi
magicis artibus Pontificium eſſet ſolium adeptus, Gregorium Pontificatu in-
dignum eſſe, conſtitutum eſt, Vuibertum Archiepiſcopum Rauennatem, ſu-
blegit, abſentem, & Clementem tertium appellauit, hoc eodem anno: cum
plerique ſuperiore factum tradant, quod tamen Caſſinati Chronico, & Rauẽ
natibus monumentis repugnat: Vuibertus contra, Italiæ Regem Henricum
deſignauit: inde Romam, itinere per Etruriam ſuſcepto, profecti, caſtris
Heronianis in pratis, de more, locatis, Vrbem Leoninam obſidere Henri-
cus inſtituit. ſed cum res ex ſententia non ſuccederet, Rauennam in hiberna
ſe retulit, poſtero anno eò reuerſus, adduxit tandem in poteſtatem: Inde ue- ANN.
teris urbis oppugnationem aggreſſus, æſtiuis deterritus caloribus, & Roma- M.LXXXII.
norum in tuenda patria, virtute, exercitu per uicina loca diuiſo, ac Vuiberto
rei bellicæ vniuerſæ præfecto, ab oppugnatione receſſit. A Vuiberto pleraq.
ædificia, quibus Henricus peperciſſet, tradunt aut ferro fuiſſe, aut igne dila-
cerata. Inſequens annus acrem habuit vrbis oppugnationem, qua tandẽ Tert. ANN.
Non. Iunias expugnata eſt. tametſi oborta deinde in exercitu peſtilentia, ſe- M.LXXXIII.
ceſſerit Henricus ad proximos colles. Vuibertum Archiepiſcopum, Quincto
Id. Decembr. & Tert. kal. Ianuar. Rauennæ fuiſſe, tabulæ publicæ ab eo con-
fectæ indicant: quemadmodum, & proximi anni initio, cum Vberto, & Ioan- ANN.
ni, fratribus, Ioannis filiis, terræ iugera uiginti quattuor concedit: earum ta- M.LXXX-
le exordium eſt. *In nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti: Anno Dominicæ in-* IIII.
*carnationis M L X X X I I I I. Regnante uerò Henrico fil. quond. Henrici Imp. anno
XXVIII. die X X V I. menſis Ianuarij, Indict. VII. in Capitulo ſancti Apollinaris in
Claſſe: Domino ſancto, & meritis beatiſſimo, atque Apoſtolico patri patrum Dom-
no Vuiberto, ſanctæ Catholicæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopo.* Aliæ etiam ex-
tant tabulæ XI. kal. Febr. ſcriptæ. atque item aliæ confectæ a Gerardo Ab-
bate ſanctæ Mariæ in regula in Vrbe Cornelienſi; quæ ſcriptæ dicuntur, annò
MLXXXIIII. Giberto Archipræſule Papa electo anno III. Henrico, Henrici
filio in Italia Regnante, anno tertio. XVI. kal. April. Indict. VII. Paulo poſt
Gregorio Pontifice, Roma Salernum abeunte, Romani Henricum aduocant,
atque ultrò cum Vuiberto aduenienti portas urbis aperiunt. XI. kal. Aprilis
Vrbem porta Lateranenſi, cum inſigni pompa ingreſſus in Lateranum diuer-
tit, nec diu poſt, petentibus Romanis, Gregorio abſente damnato, Vuiber-
tum, Clementem appellatum, ſuffecit, & per Mutinenſem, Bononienſem, &
Cremonenſem Epiſcopos; Ceruienſem ait Platina; conſecrauit. Pauciſq. de-
inde diebus ſe Imperatorem ab eo iuſſit inungi, & cum coniuge ſua Bertha de

more

more coronari. Verum cum a Saxonibus bello premeretur, relicto in vrbe cũ præſidio Clemente, ſubdititio Pontifice, in eos mouet, ac Auguſtam Vrbem Rhetorum, a Germanis occupatam, capit. Per hæc tempora Ado Treuerenſis Epiſcopus, doctrina uir inclytus, & Martyrologii reſtitutione, & antiquitatis Eccleſiaſticæ cognitione in primis clarus, Rauennæ aliquamdiu commoratus eſt: incertum qua cauſa; niſi quòd hic cum eſſet, perantiquum Martyrologium ex urbe Aquileia, ſancto cuidam Epiſcopo, a Romano Pontifice miſſum, & ſibi deinde a religioſo quodam fratre, per aliquot dies, commodatum, diligentiſſime ſe tranſcripſiſſe teſtatur. Quo factum eſt, ut intermiſſum penè eo tempore præclarum, & Chriſtiano dignum homine ſtudium excitauerit, quo tamen Pontifices Maximi, primum Clemens, deinde Antherus, tum Fabianus, poſt Lucius, demum Vrbanus, iam a naſcentis uſque religionis initio, maxime incenſi, rebus beatiſſimorum martyrum conſcribendis, præſtanti pietate notarios ſeptem præfecerant. Quamquam eorum clariſſimæ lucubrationes, & perpetua Eccleſiæ luce digniſſimæ, uariis afflictæ rei Chriſtianæ tẽporibus, magna ex parte interierunt: cum Bibliothecæ, dedita opera, eam ob cauſam inflammatæ ſint: uetitum quoque interdum fuerit edictis Principum, qui Chriſtianos perſequebantur, litteris mandari res, quas noſtri pro religione, fideq. geſſerint. Sed & ubinam faſti illi Eccleſiæ, quos municipalibus gentium ſolemnitatibus obiectos olim eſſe, ex Tertulliano accepimus? Vbi Dypticæ ſanctorum Epiſcoporum? Vbi priſcæ illæ tabulæ, quibus, & in omni Africa, ut ex D. Cypriani Epiſtolis animaduerti licet, & in omni quoq. Prouincia, primis illis temporibus dies notabantur eorum, qui martyrio coronarentur? cum & deſideremus libros, quos de martyribus Origenem, Apoſtolorum ætati ſupparem confeciſſe, memoriæ proditum eſt. Itaque grandem, & omnino nobilem materiam, Adoni, Rauenna, hoc tempore, quo tot erant in Chriſtiana Republica perturbata, ſuppeditauit; indeq. ipſe, iis, quæ Beda ex Martyrologio Romano collegerat, quæ Florus ſuppleuerat, & Caroli Magni ætate Vſuardus ſcripſerat, plurimum lucis, attulit. Interea cum Romæ peſtilẽtia præſidium omne Germanorum abſumpſiſſet, Romani nouitatis auidi, Clementem vrbe deiecerunt: ipſe ad Marſos ſe recepit. Anno milleſimo octuageſimo quinto, menſe Maio, optimus Pontifex Gregorius, Eccleſiaſticæ libertatis, dignitatisq. acerrimus, & perpetuò memorabilis uindex, Salerni, migrauit ex hac uita. Vacauit Pontificia ſedes ferè annum. Vuibertus Rauennam regreſſus, nouo anno ineunte, in æde Vrſiana, Conuentum aliquot Cardinalium, atque Epiſcoporum habuit, Rauennatisq. Eccleſiæ bona confirmauit; hoc diplomate, quod adhuc extat. *Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ſanctæ Rauennati Eccleſiæ, omnibusq. futuris in illa Archiepiſcopis per eam in perpetuũ. Cum ad nos Eccleſiarum cura reſpiciat, & de ſingulis cogitare conueniat, & ex debito ſuſcepti regiminis, omnibus nos prouidere oporteat, ſpecialiter tamen, & maximè Rauennati proſpicere debemus Eccleſiæ, cui præſumus, Deo propitio, ut ſponſa, & filiæ. Huius igitur miſerias nimis ægrè ferentes, & quantum in nobis eſt, amputare uolentes, hoc remedij genere, hoc Conſilij antidoto tandem ſubuenire curauimus, ut conſideratis priuilegijs deceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, & praeceptis Imperatorum, quæ in archiuio noſtræ Rauennatis Eccleſiæ continentur, quæcumque in illis leguntur, priuilegij noſtri adſtipulatione firmentur, ut ſublatis de cetero ſeminarijs litium,*

ANN. M.LXXXV

ANN. M.LXXXVI.

tium, nec Romana Eccleſia Rauennati Eccleſiæ, mater filiæ ſuæ iniuriam faciat, nec matri filia contradicat, ſed dignitatem ſuam utraque poſsideat: & deinde quid melius, quid Deo iucundius, quàm ſcandala tollere, lites reprimere, pacem componere, Eccleſiarum concordiam uidere? ijs Deus lætatur, & gaudet, & talibus, ſuper omne ſacrificium, placatur muneribus. Conſentientibus igitur, & collaudantibus primo Cardinalibus noſtris Ruberto ſancti Marci, & Anaſtaſio ſanctæ Anaſtaſiæ, confratribus, & Coepiſcopis noſtris Rolando Taruiſino, Milone Paduano, Hecelino Vicentino, Fulcone Foroſimphonienſe, Thebaldo Caſtellano, alijsque quàmpluribus, qui fuere præſentes, huius noſtri priuilegij auctoritate firmamus quæcumq. in priuilegijs Romanorum Pontificum leguntur, Pauli, Sergij, Anaſtaſij, Leonis, Hadriani, Eugenij, Marini, Agapiti, Gregorij, & ceterorum: Item præcepta Imperatorum Iuſtiniani, Theodoſij, Valentiniani, Ludouici, Caroli, Othonis, Chunradi, Henrici, & aliorum, omnes donationes, & conceſsiones illorum, quas Rauennati feciſſe perhibentur Eccleſiæ, tam in Epiſcopatibus, quàm in Abbatijs, Comitatibus, Exarchatu, ceterisq. ſimilibus, quæ in priuilegijs, & præceptis plenius habentur, huius ſcripturæ noſtræ aſſertione munimus. Decernentes, & auctoritate Apoſtolica ſtatuentes, ut ſi quis contra hoc noſtrum priuilegium uenire tentauerit, ſi quis contradictor extiterit, ſit anathema, maranatha, ſitq. pars eius cum Pilato, & Herode, & Iuda traditore: Quod, ut certius credatur, & ab omnibus diligentius obſeruetur, ſigillo noſtro præſentes litteras ſtatuimus roborari. Acta ſunt hæc Rauennæ, in plenaria ſynodo, in matrice Eccleſia, quæ dicitur Agia Anaſtaſeos, anno Dominicæ incarnationis milleſimo octuageſimo ſexto, Imperante Henrico Tertio Romanorum Auguſto anno Imperij eius ſecundo, Indict. nona, Tertio kal. Mart. & ſubſcripſerunt, qui præſentes erant Epiſcopi. His unis litteris Pontificio ſolio uacante ſcriptis Vuibertum, ſe Clementem appellaſſe noui: reliquis deinde omnibus, quas uiderim, ſe perpetuò Vuibertū Archiepiſcopum vocauit. Quodq. maiori notatione, atque animaduerſione dignum eſt, in quibus tabulis ipſe ſe Vuibertum nominat, eas factas eſſe tempore Clementis Papæ dicit, ut duo, iidemq omnino inter ſe diuerſi uideri poſſint Vuibertus Archiepiſcopus, & Clemens pſeudopontifex. Cumq. hoc tempore, Pontifices Maximi, ſummi Pontifices, & uniuerſales Papæ, & quidem iure, ſcribantur, hunc unico Papæ uocabulo, nullo præterea adiecto titulo ubique exaratum legi: Id puto factum, quòd populi, Rauennatis præſertim Prouinciæ, in qua ipſe plurimum morabatur, illum nequaquam uerum Pontificem ducerent, quamquam metu impulſi, de illo in tabulis mentionem ſcribæ facerent. Illa autem eo modo ſcribebat ipſe, quòd eius adhuc fluctuaret animus, neque ſe palam Pontificem Maximum iactare, conſcientia deterritus, auderet. Hinc ſe modò Clementem, idq. uti docui, ſemel tantum, cum eſſet in Epiſcoporum conuentu, & Pontificia uacaret ſedes, modò Vuibertum Archiepiſcopum, idq. perpetuò affirmabat: Nam, & Deſiderio Abbati Caſſinati, ab eo quærenti, cur Pontificatum, ita arripuiſſet, & Henricū Imperatorem conſecraſſet, Leo Oſtienſis Epiſcopus in Caſsinati Chronico, & Tritemius in Hirſaugienſi, auctores ſunt, ſe, illud, poſtulantibus Romanis: hoc, planè coactum, inuitumq. feciſſe, reſpondere ſolitum. Erat Rauenna hoc tempore mœnibus admodum, ac propugnaculis munita, quod de D. Vitalis Petrus Damiani ſermonem faciens, his verbis teſtatur. *Gaude nobilis vrbs Rauenna, gaude, & totis in Domino uiſceribus delectare, quæ licet ſis ardua muralis*

machi-

machinæ celſitudine, multo tamen excellentior es beatorum martyrum dignitate: lapideis quidem propugnaculis inexpugnabiliter cincta, ſed ualde inexpugnabilius fortium Christi militum uallata protectione: quæ quodammodo Romanis arcibus amicabiliter æmula, ſic per duos præcipuè martyres Vitalem, & Apollinarem, mater eſſe meruisti, & domina circumpoſitarum quarumlibet vrbium, ſicut illa per duos ſummos Apoſtolos Petrum, & Paulum, totius orbis ſibi uendicat principatum. Vuibertus Archiepiſcopus toto etiam menſe Martio, & Maio Rauennæ fuit; quod multæ ab eo confectæ tabulæ declarant, atque hæ in primis. *In nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, Amen. Anno incarnationis Dominicæ M L X X X V I. Anno I I I. Deo propitio Pontificatus Domni Clementis Papæ: Imperante Henrico fil. quond. Henrici Imp. anno I I I. die X V. men. Maij. ind. IX. Rauennæ. Vuibertus ſeruus ſeruorum Dei, Diuina gratia Archiepiſcopus: Gratia uenerabili Abbatiſſa, atque Abbas monaſterij ſancti Georgij, & per te in eodem monaſterio, tuis, tuæ ſucceſſoribus in perpetuum. Congruum, atque utilimum eſſe decernimus, a petentium deſiderijs non abhorrere, ſed Domini conſiderantes, citius ſubuenire, ut in futuris pro nobis petentes gratiarum referant actiones. Idcirco concedimus, & donamus, & in perpetuum confirmamus, pro æterna remuneratione, & oblatione, atque illuminatione animarum ſanctæ memoriæ Sigelfredi, ſanctæ Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopi, & Orlandi Diaconi fratris ſui, in eodem monaſterio in perpetuum permanendas, videlicet quinquaginta tornatorias terræ, laboratorias, iuxto podiſmo deſignatas, quæ ſunt poſitæ in loco, qui dicitur Mutaſeno, in finibus eius, hoc eſt ab uno latere detinet altare ſancti Georgij martyris, & beati Nicolai confeſſoris Chriſti, qui, prædicto altario intra ſancta Rauennate Eccleſia conſecratum eſſe uidetur, & ab alio latere Vngaro de Vrſone Vulpio, iuris ſanctæ noſtræ Rauennatis Eccleſiæ, a tertio latere uia percurrente, a quarto latere iuris ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, cum terris, campis, paſcuis, arbuſtis, arboribus, & cũ omnibus ad ſupraſcriptas res integriter pertinentibus ſitis territorio Fauentino, plebe ſancti Stephani in tegurio, pro prima requie concedimus uobis prædicto Abbas, & per te in dicto monaſterio, tuiſq. ſucceſſoribus in perpetuum, prædictas res, quæ ſuperius legitur, pro eo quia unoquoq. die canere deberent in Conuento Spalterium unum, prout iam diximus, pro æterna remuneratione animarum Chriſti fidelium Sigelfredi ſanctæ Bononienſis Eccleſiæ Epiſcopi, & Orlandi Diaconi fratris ſui: & non liceat nobis prædicto Abbas, neque ueſtris ſucceſſoribus prædictas res, quas concedimus uobis, uendere, nec donare, neque commutuare, neque nullum contractum, nullis hominibus neque per Feudo, ſed ad lucrum, & utilitatem prædicti monaſterij, more ſalario in perpetuum permanendas. Qui huius noſtri præcepti auctoritate conſeruauerit, Dei omnipotentis, & ſancti Georgij Chriſti martyris benedictionibus repleatur. Violator autem qui extiterit, niſi ſatisfaciens reſipiſcat, tercentorum decem, & octo ſanctorum patrum anathematis uinculo innodetur. Quod ut verius credatur, & ab omnibus obſeruetur, manu propria ſubterſcribendo confirmamus. Quam uerò paginam à Deuſdedit notario ſanctæ noſtræ Rauennatis Eccleſiæ ſcribendam iuſſimus, in qua nos ſubſcripſimus, ſub die, menſe, & Ind. IX. Rauennæ. Legimus.* Cum autem controuerſia hoc tempore de D. Adelberti ad Padum cœnobio, ac tẽplo intercederet inter Adelbertum Cymaclienſium Epiſcopum, qui ſuæ Diœceſis illa eſſe, inſulæq. Perei, in qua eſt cœnobium, templumq. decimas, ad ſe ſpectare affirmabat, & Ioannem eius Abbatem cœnobii, qui id dicebat Rauennatis eſſe, Othoniſq. Auguſti, ac ceterorum Imperatorum diplomatibus patere, lis ad Martinum

Cano-

Canonicum Cymaclienſem,& .... monachũ,Decanumq. eius cœnobii,& Ri
cardum ſacerdotem D. Mariæ .... arbitros,communi conſenſu,quinq.librarũ
auri pœna ei indicta,qui non ſtetiſſet ſententiæ,delata eſt. ii tandem ita decre
uerunt: Nullum ius Epiſcopo Cymaclienſi,neq.ſucceſſoribus in eo cœnobio,
neq. Inſula,eſſe: nullas decimas exigere illum nec conſueſſe,nec poſſe,nec ve-
ro debere.Rauennatis diœceſis eſſe,per tabulas publicas,& Principũ diploma
ta conſtare. Padum iuueniacum,uſq. ad medium canale Auguſtæ,per Huma-
nam in Padũ deſcendens,Padorenũ,Medium Grangenũ,fines ipſius eſſe: atq.
hæc tabulis publicis, Petri Rauennatis tabellionis manu ſcriptis, conſignata
ſunt, Tertio nonas Sept. Cymacli: Hoc etiam anno, Opizo Ariminenſis Epi-
ſcopus,cũ Abbati,ac cœnobio D.Ioannis Euangeliſtæ Rauennati conceſſiſſet,
confirmaſſetq.ædẽ D.Mariæ,quæ uocatur a mare,ſitam inter littus maris,& ci
uitatẽ Ariminum,præclara in ipſis tabulis de Sandalio in manibus Placidiæ a
D.Ioanne Euangeliſta relicto, ſcribit. Proximo anno nullas Vuiberti tabulas
legi, fortè alio profectus, cũ Deſiderius Abbas Caſſinas, poſtquam diu acriter ANN. M.LXXX-
repugnauerat,tandem eſt paſſus, ſe Pontificẽ, reſumpta,quam reiecerat,cru- VII.
ce, & chlamyde, ſalutari. Qui Paſchate inde Caſſini celebrato,cum Capuano
& Salernitano Principibus ad vrbem progreſſus, extra porticũ ædis D. Petri
conſedit,& quam tenebat Clemens ædem,egregia ſuorum opera uſus,recepit.
Ibiq.paucis poſt diebus ab Oſtienſe,Tuſculano,Portuenſi,& Albanenſi Epiſco
pis,cõſecratus,& Pontificio in ſolio locatus eſt,cum Victoris Tertii nomen sũ-
pſiſſet. Pridie natalitia Apoſtolorũ Clemẽs,cupiens in æde D.Petri ſacra ex mo
re conficere,induxit Romanos quoſdam,ut Tiberi traiecto,armati occuparẽt
templum. ii cum cetera occupaſſent, ingredi templum, quod tenebatur a Vi-
ctorianis, minime potuere. Ita Clemens meridie in æde S. Mariæ in Turribus
celebrauit. Sed Victor conuentu celebri, Beneuenti, menſe Auguſto habito,
omnibus Apuliæ, & Calabriæ Epiſcopis aduocatis, & eorum ſententia, Vui-
bertum ſacerdotali munere,honoreq. mulctauit,& a liminibus Eccleſiæ arcẽs
diro anathematis vinculo obligauit: eam autẽ adducit cauſam,quòd Vuiber-
tus Simonis magi perfidia infectus,aduocatoq. exercitu Henrici, nullis legiti-
mis Cardinalium ſuffragiis,Pontificium ſolium inuaſiſſet,in Gregorium ſum-
mũ Pontificẽ coniuraſſet,Romam cædibus,flagitiisq. omnibus profanam red
didiſſet,ſe tandem Pontificem, quamquam inuitum,& reluctantem factũ, per
ſequi non deſineret. Verum haud ita diu poſt Victor Caſſini diem ſuum XVI.
kal.Octo. obiit. Vacauit ſedes menſes ferè ſex. Poſtero anno menſe Aprili,Ra
uennæ Vuibertũ fuiſſe,multæ tabulæ declarant; potiſſimum duæ, in quarũ al- ANN. M.LXXX
tera Rodulfo,Rodulfi; qui uocatur de caput Sandali filio,eiuſq.item filiis,ne- VIII.
potibus,ac cõſortibus,multa prædia,in altera Stephano cognomento Amico,
& Berthæ cõiugibus, terræ iugera uariis locis decẽ ſupra centũ tribuit, initiũ
harũ tabularũ hoc eſt. *Anno Dominicæ incarnã. MLXXXVIII. temporibus Domni
Clementis Papæ ſedis eius anno V. ſicq. Imperante Domno Henrico fil. quond. Henrici
Imp. anno V. die quincto menſis Aprilis Ind. XI.* Rauenna. *Domino ſancto, & meritis
beatiſsimo, atque Apoſtolico patri patrum Domno Vuiberto, ſanctæ Catholicæ Rauen-
natis Eccleſiæ Archiepiſcopo.* Superiore menſe Victori Pontifici Max. Vrbanus
ſecundus fuerat ſubrogatus in D.Petri; Progreſſus inde Romam, a Clementis
ſtudioſis, quorum erat princeps Ioannes Paganus, repulſus eſt: Itaq. in inſu-

lam Tiberis Lycaoniam confugit, ubi menſes aliquot, pia Romanarum matronarum benignitate ſubleuatus Petro Leone, & Ioanne Caietano, Comitibus, uitam egit. Sed eo qui inſecutus eſt anno Concilio Melfi conuocato, ibi Clementem, atq. Henricum, eorumq. fautores, ac adiutores, confirmatis Gregorii, Victorisq. decretis, eſt deteſtatus, dirisq. deuouit. Vuibertum proximo anno, menſe Aprili, ac Maio, Rauennæ habuit; hicq. multas ipſe confecit tabulas, dũ renouato iure emphyteutico, poſſeſſiones multis tribuit; easq. tabulas aſſerit ſcriptas anno ſexto, & ſeptimo Pontificatus Clementis, cum tamen iis ſe Vuibertum Archiepiſcopum Rauennatem nominet, perinde ac, uti diximus, a Clemente longe diuerſum. Sub id tẽpus Henricus Rex in Italiam deſcendit: iamque cum in Saxones arma mouiſſet, commiſſo prœlio, magno ſuorum incõmodo, fuerat ſuperatus, ipſeq. decem, & ſeptem dies latuerat; quo tẽporis ſpatio, Germani Henricum eius filium, in patris locum ſubſtituerant. Sed repertus poſtea pater, coniunctis cum filio copiis, in Italiam ueniens, Clementem ſuum in Pontificatum, pulſo Vrbano, reſtituturus, Mathildim obuiam cum exercitu factam, leui prœlio, anno milleſimo nonageſimo ſuperat: quæ quidem præſtantiſſima fœmina, marito priore mortuo, paulo ante Azonem Quinctum Marchionem Eſtenſem, Aldrouandino, ut Pigna refert, natum, ac quarto affinitatis ſibi gradu coniunctum, maritum acceperat. Verum poſtea re cognita, iubente Gregorio Pontifice, diuortium cum eo fecerat: & paulo poſt Guelfo ſeptimo Eſtenſi, Guelfi ſexti Baioariæ Ducis filio nupſit, ſed cum eo etiam diuortium eſt ſecutum. Henricus poſt aliquot, cum Mathildæ, in Gallia Ciſalpina, prœlia ſecunda facta, filiorum defectionibus, Chunradi primum, mox Henrici, agitatus, Italia cedere coactus, cauſa fuit, ut in pace, florenteq. Republica Chriſtiana, expeditio Hieroſolymitana cũ tercentis peditũ millibus, equitum centum, a Chriſtianis Principibus inciperetur, Petro quodã Eremita, genere Ambiano, rem admodũ iuuante, atq. incitante: attulerat is a Simone Patriarcha Hieroſolymitano litteras, calamitatũ, miſeriarũq. plenas, quibus Chriſti fideles, dũ ipſius Domini ſepulchrum inuiſerent, a Saracenis, magna indignitate afficiebantur.

ANN. M. XCV. Itaq. Concilio Claromonte in Aruernis ab Vrbano anno MXCV. habito, ibi Vuibertus denuò piorũ cõmutione exterminatus eſt, & bellũ pro ſepulcro Chriſti Dei recuperando, magnis animorũ ſtudiis iuſſum. Tuncq. primum Vrbanus Põtifex crucem è purpureo panno, ueſtibus ſuper dexteram ſcapulam affigẽdam indulſit. Vnde vocati milites Cruceſignati, ipſaq. expeditio appellata Cruciata eſt. Et quoniam; typographorũ arte nondum reperta, librorum non omnibus facultas erat, quibus continentur, preces, laudesq. Diuinæ, celeberrimam, ac sũmis perpetuò dignam præconiis, per globulos Deũ, Virginemq. Deiparam colendi, ſalutandiq. rationem; Coronas, & Roſaria uocant; Petro ipſo Eremita acerrimo hortatore, inſtitutam tradunt: eodem ferè modo, quo noſtra ætate ad ea Roſaria Pius V. Pont. Max. militibus aduerſus Vgonottos, & Turcas pugnantibus, quamquam, & ad omnes deinde Chriſtianos, sũmo, atq. incredibili pietatis feruore traductæ ſunt; pias ex ære imagunculas, ad certam pœnæ peccatis debitæ remiſſionem ab ſe expiatas, adiunxit. Eodem anno Clemens ſubdititius Pontifex Romam reuerſus, eam, cum arce, obtinuit: ſed ab Vrbano, inſequenti anno, in Italiam redeunte, in arcem compulſus, locum ei reliquit generalis Concilii in Lateranum aduocandi, ubi de expeditio-

ne Hieroſolymitana multa denuo conſtituta ſunt. Cũ uerò omnis in id bellum Italia rueret, de Rauẽnatibus, eorumq. Prouincia quid dicam, nihil eſt: Cũ tabulas omnes publicas quas viderim, multas autẽ uidi, per hos annos ſcriptas, Clementis Papæ tẽpore, confectæ dicantur, nulla neq. Gregorii, neq. Victoris, neq. Vrbani mentione facta. Anno MXCVIII. Viuianus, & Ricciardus Ioannis Lõgi filii, domus cuiuſdam poſſeſſionẽ ab Imicha Abbatiſſa cœnobii Diui Georgii, & per eam in ſacra æde D. Mercurialis, poſtularunt, eæ dicuntur tabulæ confectæ *anno XV. Clementis Papæ, & Henrici Imperatoris, die II. men. Nov. Ind. VII. Rauẽnæ.* Tamen hoc anno Vrbanus Pont. Max. Romanam arcem, atq. in ea Clementem acriter oppugnauit: quamquam cũ uoti compos fieri non poſſet alia ratione, eam iniuit, ut pecunia corrumperet cuſtodes: quod vbi ſenſit Clemẽs, in Marſos clam euaſit. Fuiſſe tamen Rauẽnæ men. Iun. tabulæ indicant, quas ſe Vuibertus Archiepiſcopus confeciſſe ait, *tẽpore Domni Clementis Papæ, & Henrici Imp. anno XV. Ind. VI. Rauenna.* in illis prædia quædam renouato iure Rauennatibus quibuſdam concedit. Interea Hieroſolymitanam expeditionẽ, ut inſigni omniũ Chriſtianorum applauſu initiũ habuit, ita alacriter perſequebantur; tandemq. Saracenis, ac Turcis, Medis item, Syris, & Chaldæis, Arabibusq. pulſis, Nicæa, Iconiũ, Heraclea, Tarſum, Edeſſa, Maniſta, Cæſarea Cappadociæ, Antiochia, ipſaq. ad extremũ Hieroſolyma, ſub id ferè tẽpus capiuntur, cũ Paſchalis ſecundus Pont. Max. in demortui Vrbani locum ſuffectus eſt, anno a partu Virginis milleſimo nonageſimo nono. Hieroſolymorum Rex Gothifredus Bolionus Dux Lotharingiæ, omniũ conſenſu creatur, quod murũ eius vrbis primus conſcenderit. Per id tẽpus Paſchalis in Vuibertũ exercitum comparauerat: qui cum Albæ Marſorum tunc degeret, audita aduentantis exercitus Pontificii, quẽ Rogerius Siciliæ Comes, milite, & pecunia iuuerat, fama, haud ſatis copiis ſuis a Ricardo Cãpano Comite acceptis, fiſus, relicta Alba, in Furconenſium montes ſe proripuit, ibi haud ita multo poſt anno MC. repentè moriens, ſcelerum pœnas dedit. Vir, ut inquit Tritemius, ingenio, facundia, nobilitate, maieſtateq. oris, in primis clarus, nec Roma tunc, nec Rauenna benè uſus. Sunt qui in annũ ſequentem, menſe Sept. eius mortem reiiciant quibuſcũ non pugno. Huius interitu, Othonem quendam Eccleſiæ Rauennati Archiepiſcopũ datũ, cõſtat: & in Eugenii Tertii Pont. Max. diplomate, mentio de Othone Buccatorta habetur, qui per Imperatoris uiolẽtiam, in Eccleſiam Rauennatẽ intruſus, Maſſam ..... Ferrarienſi Eccleſiæ dederit. Hunc etiam pleriq. putant fuiſſe Goslarienſis Eccleſiæ Canonicum: ex iis, qui ab Henrico III. Cæſare, aſſentiente Leone. IX. Pont. Max. inſtituti: Capellani Regii dicebantur. Per idẽ tempus Rauennæ florebant Franciſcus Ferondus, & Hoſtaſius Raſponus, ambo equites, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Senatores: ſic enim in iis tabulis publicis ſcribitur, quas nos anno M C. manu Antonii, Syluestri Honeſti filii ſcribæ Rauennatis ſcriptas, apud Hieronymum Raſponũ, Ludouici filium, legimus. Ipſeq. Raſponus Magnifici titulo in iis tabulis inſignitus, Corneliam, Ferondi filiam, vxorem acceperat, nummis aureis, qui ibidem Ducati appellantur, tercẽtis doti dictis: eam affinitatẽ Antonio Palatio, Nicolao Trauerſario, & Iacobo Honeſto maximè procurantibus. Poſtero anno Mathildis Trauerſariorũ, multorũq. præterea Rauennatum, & Venetorũ auxilio, Ferrariam ab Henrico Cæſare, Eccleſiæ Romanæ hoſte, ablatam, uti auctor eſt Blondus, recuperauit. Cũ

ANN. M.XCVIII.

ANN. M.XCIX.

ANN. MC.

autẽ Vuibertoex humanis rebus exempto, tres alii occupare Pontificatũ Max.
conarentur, inter ceteros, id Maginulfus, ciuis Romanus, Rauennæ auſus eſt;
ANN. M.CII. publiceq. ibidem anno MCII. Pontificatus infulam, in æde Vrſiana aſſumpſit.
Verum hunc, & Romani exilio multarunt, & Rauennates omni ope deſtitu-
tutum ex vrbe ſua exterminarunt. Poſtero anno Otho Archiepiſcopus Idi-
ANN. M.CIII. bus Iulii, Rauennæ, Petro Trauerſario, & Mathildi, coniugibus bona con-
ceſſit, unde iuſte intentio fuit inter illos, & Vuibertum Archiepiſcopum Otho
nis deceſſorem; in loco qui uocabatur Graffito, & in Motafeno, iuris Rauen-
natis Eccleſiæ. Poſtridie eius diei confirmauit Ioanni cognomento Hernotio
res in vrbe Rauenna ſitas, in Capitolio, & erat domus integra prope pontem
Augusti. Menſe Sextili fuit Cæſenæ, vbi Idibus multæ confectæ tabulæ le-
guntur: in quibus cum nulla de Pontifice Max. mentio fiat, ſed tantum Hen-
rici Imperatoris annus uigeſimus adſcribatur, Indictione XI. ipſeq. ſe Otho,
non Archiepiſcopum, ſed electum Archiepiſcopum appellet, facile, ut pu-
to, confirmari poteſt, quod diximus, illum ab Henrico fuiſſe illatum, intru-
ſumq. non legitimè a Pontifice datum. Rauennates hoc anno auxilio iuua-
runt Albericum Guidonis Manfredi, Rainaldum Rambertini, Signorellum
Vgonis Fauentinos, qui cum aliquot aliis nobiliſſimis ciuibus, aduerſæ fa-
ctionis impetu patria pulſi huc ſe receperant. Præter milites, quos dederunt
ex ſuis, magnam pecuniam curarunt, quo plurimi è Flaminia, Picenæq. uiri
nobiles ſunt conducti; cum exules Fauentini omnem nobilitatem a Fauenti-
no populo eiectam, eorum vxores, ac liberos obtruncatos dicerent, mulierũ-
que mammas, & manus puerorum oſtentarent. Itaque Rauennates excurſiõ
nibus ad vrbis mœnia factis, ſegetes, arbores, uineas incidere, vndiq. popu-
los incitare, aliquot paucos, qui in vrbe remanſerant, nobiles, & in iis Guidum
Manfredum, & Acariſium, ad prodendam illis patriam, magnis pollicitatio-
nibus, muneribusq. ſed tamen fruſtra, allicere: Coacto tandem iuſto ferè e-
xercitu vrbem ipſam acri obſidione premere: omninoq. eam expugnaturi ui-
debantur, niſi Guido Guerra, Tuſciæ Comes ſubſidio Fauentinis adueniſ-
ſet: neq. enim iis ſolum, quas ſecum adduxit copiis, auxilio fuit, ſed quòd ex
externis tum castris, plures domum abiere, alii ob affinitatem, qua Comitẽ at
tingebant, pars quòd ex opidis eſſent, eius ditioni ſubiunctis. Itaq. cum ex vr-
be erũperet, & debilitato iam hoſti inſiſteret, inito uix prœlio, eos magno illa-
to incõmodo fudit. Interea cum Paſchalis Pont. Max. in omnem pacandæ Ec-
cleſiæ curam intentus, tumultus vbiq. componere diligenter ſtuderet, & Ma-
ginulfus Rauennatis Eccleſiæ amplitudinem, in qua fuiſſet Pſeudo Pontifex
factus, obiicere, atq. opponere Paſchali eſt uiſus, recensq. aderat Vuiberti inſo
lens, pertinaxq. temeritas, ne poſterioribus ſæculis Rauẽnatis Archiepiſcopa-
tus ea amplitudo Romanis Pontificibus grauis eſſet, & negocium faceret, ad
Guardaſtallum in Ciſalpina Gallia, conuentu multorum Principum virorum,
& Epiſcoporum anno Milleſimo centeſimo ſexto menſe Octobri, habito, ſta-
ANN. M.CVI. tuit, Aemiliæ vrbes, Placentiam, Parmam, Regium Lepidi, Mutinam, Bono-
niam, Rauennati Eccleſiæ ſubiectas deinceps non eſſe. A quo tamen decre-
to diſceſſum fuiſſe, tempora ipſa quæ inſecuta ſunt, & multa Bibliothecæ Vr-
ſianæ monumenta teſtantur. Ad hæc in eodem Concilio, cadauer Vuiberti
Archiepiſcopi, Pſeudopontificis, quod ſextum iam annum Rauennæ con-

ſecrato

ſecrato loco ſepultum erat; extrahi de ſepulchro,& in profanos campos proii: ci, & ut plerique tradunt, comburi iuſſit: quemadmodum, cum accepiſſet, paucis poſt illius interitum, diebus,ex eius dignitatis fautoribus quoſdam, ad eius ſepulcrum diuina miſcuiſſe luminaria,idq.in populo teſtari,effodi manda uerat, & in Tiberim proiici. Quod & factum eſt: ſed fluitans ab iiſdem collectum,fuerat,& Rauennam tranſlatum. Anno MCVIII.Archiepiſcopo Rauen nati, bona Archiepiſcopatus recuperanti, & ueterum iuriſdictionem reſtitue re quærenti, incolæ opidi Riuerſani, & Caſtri maioris ſacramentum dixerunt. Proximo Tert. kal. Maii, Mathildis, quæ inclyta fœmina, & Comitiſſa in iis tabulis publicis appellatur, Petri Trauerſarii uxor, uiri nomine, atque item ſuo, ordinis piſcatorii ſociis, iura omnia dedit, quæ ſibi in paludibus erant,quas poſſederant Petrus Dux, Michael,& Natalis germani ſui, ſic, ut piſces mille, ac centum, Capitaneos, ita uocabant forma, & magnitudine præſtantes; quotannis ex penſione darent.Sub id tempus Rauennates,quòd ſe cũ Patauinis coniunxiſſent, magnam a Venetis cladem acceperunt. Patauinis enim cum Venetis de agrorum finibus differentibus, apud Bebbas pugnatum eſt: Patauiniq. ingenti cæde ſuperati: quæ calamitas ad Rauennates maximè peruenit,qui cum Patauinis pugnabant.Biennio poſt Ariminenſes Legati, cũ Rauennam menſe Iunio ueniſſent,cum Rauennatibus conuenere, illis ut libere liceret ad mercatum Ariminenſe D. Gaudentii, proficiſci, tutoq. ibidem permanere, quindecimq. ante, octo poſt diem D. Gaudentii feſtum, diebus, pannum, ferrum,Chalybem uendere, præter eos nemini. Si cum Picentibus, reliquisve ultra Ariminum populis Rauennates bellum gererent, iis Picenum uerſus commeantibus, nullum impedimentum allaturos. Quæ damna,quæq. homicidia,aut iniurias ad eam diem a Rauennatibus accepiſſent, extra pecuniæ mendũ, de quo iam conuenerat,ea ex animo Ariminenſes Vrbanos ſuburbanosq. condonare.Sub id tempus Henricus Quartus Cæſar, Quinctum alii appellant,demortuo patre,compoſitis in Germania rebus,in Italiam uenit, & a Paſchali corona Imperii exornatus,in Germaniam rediit. Proximo anno Hieremiam Archiepiſcopum Rauennatem reperio, quem miror ab omnibus, qui ante me de Rauennatibus Archiepiſcopis ſcripſerunt,prætermiſſum cum multa extent illius in Vrſiano tabulario monumenta,quæ ego manu mea,in faſciculum collecta, in eiuſdem tabularii arcula,ad poſteritatis memoriam,repoſui,& Hieremiæ Archiepiſcopi eſſe extrinſecus notaui, cum mecum adeſſent Vincentius Carrarius Iuriſconſultus eruditiſſimus, & totius antiquitatis benè peritus, Ciuis,& Canonicus Rauennas,& Iulius Moriſius, uir elegans, & pangendis carminibus magnam laudem conſecutus.Sed prætermitti Hieremias ob eam fortaſſe cauſam potuit, quòd cum ſe perpetuò deſignatum, atque electum ſcribat, & de Gualterio, qui Hieremiæ ſucceſſit uerba faciens Gelaſius Pont. Max. afferat, tunc demum Rauennates iuxta Pontificias ſanctiones Archiepiſcopum elegiſſe, cum ſuperioribus temporibus Antiſtites Regibus placentes, per tyrannidem Regiam accepiſſent, facile coniici poteſt, eum ab Henrico Rege intruſum: Sed hac ratione neque Othonis meminiſſe debuerant. Vtcumque. Eius extant tabulæ, quibus hoc anno, Quarto Non. Iunii, Rauennæ cum eſſet, aliquot prædia in fundo Muchaio,& in Corrigio,& Praiolo cõcedit Gerardo Planfranco.Adhæc Vrſiani tẽpli teſtudinẽ,vermicu-

ANN. M.CI.X

ANN. M. C XI.

ANN. M. C XII.

lato opere, quod nunc cernimus, diligenter incruſtandam curauit, triplici ordine: in ſummo, Chriſti Dei a mortuis ſurgentis myſteria habentur: in medio D. Apollinaris res geſtas aliquot: Imum, quod Canonicorum incumbit ſubſelliis, Diuorum Archiepiſcoporũ, Vitaliſq. imagines, & hæc carmina continet.

His ſtat tuta bonis, præcelſa Rauenna, patronis,
Sub quorum cura nullatenus eſt peritura.

In extrema orbita, qua ordines inferius clauduntur, grandiori, hi uerſus, litterarum charactere, eodem opere picti leguntur.

Hoc opus eſt factum poſt partum Virginis actum
Anno milleno centeno poſt duodeno.

Tametſi quæ Græca aliquot locis appoſita ſunt ſigna, neque in uſu tum verſabãtur apud nos, ſuadere haud difficile poſſunt, reſtituiſſe Hieremiam potius veterem picturam, quàm omnino nouam inſtituiſſe: cum uerisimile etiam ſit tot ſæculorum curſu, inſigni ornatu, eam nequaquam teſtudinem deſtitutam. Cum autem Trauerſariorum opes, ac nobilitas maxime tota Italia florerent, Mathildis, Beatricis, & Bonifacii, uti memorauimus filia, Guillelmo Trauerſario Petri filio, Marſiliam neptem in matrimonium collocauit, ut ex Franchino prodit Ferrettus: ex quibus nuptiis natus eſt Petrus tertius, qui Trauerſarios omnes uirtute, ac potentia longe antecelluit. Poſtero anno Hieremias

ANN. M.CXIII. Archiepiſcopus, Eccleſiæ Rauennatis ditionem inuiſens, X V. kal. Mart. fuit Arimini. Mathildis grandis, ut ipſa ſe inſcribit, Ducatrix, & Comitiſſa, Sichelmum, atq. eius opidum Zellum, ac fundos, quæ Emphyteutico iure a ſacris D. Andreæ Rauennatis Virginibus, acceperat, in fidem, clientelamq. recepit: Cuius rei quoniam formulam in ipſarum ſacrarum Virginum tabulario, eius ſæculi charactere, in uetuſtisſima membranula ſcriptam inuenimus, hic adſcribere integram, haud ab re putaui, quando, & ad horum temporum mores cognoſcendos facere, & ipſius titulos Mathildis exprimere, uideatur. Hæc autẽ eſt. *Anno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo tertio decimo menſe Madij, Indictione VII. Dum adeſſet Domina Matilda, grandis Ducatrix, & Comitiſſa, Marchionis Bonifacij filia, in loco bauiana, ibiq. cum ea Vbaldus Iudex, & Bonus Iudex, Albertus de Adigerio, & Petrus Iudices: & Sigenfredus Iudex. Cauſidici quoq. Vuarnerius de Bononia, Lambertus, & Albertus ſeu amicus, namq. Azo Iudex de Ferraria, & Lambertus de ciuitate Rauenna, & Petrus Aduocatus Eccleſia ſancti Andrea de Rauenna, Ioannes & Grando da Ficarolo, & Rolandus Iudex, Marchiſellus, & Rolandus de Bononia & giſle Zone. Capitaneis quoq. Vgone de Magnifredo, Amedeus, Teberdus, Nordillus, & eius filius, ſcilicet Rainerius & Othericumus, Gerardus da Erbera Guinlielmus da Ferraria, Petrus Canes, Bombellus, Rufinus, Guuido Bonfantes, & plures alij: In eorum præſentia Sichelmus filius Rhotecherij petijt mercedem ſupraſcriptæ Comitiſſa. M. de medietate fundo. & caſtro Zello, & de medietate aliorum fundorum, re iacente in Comitatu Ferrarienſe: quam Ramelmus, & Grimilda eius congnus accęperunt per anteriorẽ emfiteoſim in monaſterij ſancti Andreæ de Rauenna; Et ante eam & præſcriptorũ Iudicum, per placitum definitum fuit, ut miſiſſet eum in tenerem, & eius bannum ſuper ipſam rem; præſcripta Comitiſſa Domina M. cum taliter audiuit, cum cõſilio Iudicum, per fuſtẽ, quem ſuis tenebat manibus, miſit bannum ſupra Sichelmum, & ſuper præfatã rem: Quod ſi aliqua perſona, magna, paruaq. præſumſerit diſueſtire, vel moleſtare ſupraſcriptũ Sichelmũ, uel ſuis eredes, ſine legali iudicio, ſi ad ſe compoſiturũ*

nomi-

nomine pœna argenti obtimi libras centũ: medietatem parte publicæ & medietatẽ prædictæ partis. Atq. hactenus habet formula, cui Mathildis ipſa, circa Crucẽ lineis
deſignatam, in hunc modum ſubſcribit: *Matilda Dei gratia ſiquid eſt*. mox reli-
qui Iudices, poſtremo Dominicus ſacri palatii notarius. Menſe Iunio Rauen-
næ ſanguine pluit, atque item in agro, & in vrbe Parma: quod etiam tradit
in ſpeculo, Vincentius. Proximo anno Paſchali Pont. Max. Canonicorum ANN.
Portuenſium ordinem, quem, ut ipſe inquit Paſchalis, profeſſi erant, con- M.CXIIII.
firmauit, utq. accipere clericos, punire, caſtigare poſſent, dedit, quæq. bo-
na illis iuſtè tributa eſſent, probauit. atque hæc omnia, *quamdiu*, inquit, *apud
nos Canonici ordinis tenor, Domino præſtante, uiguerit. Saluo Rauennatis Epiſcopi
iure Canonico, ſi quidem Catholicus fuerit, & gratiam, atq. communionem Apoſtolicæ ſedis habuerit. Dat. Laterani per manum Ioannis. S. R. E. Diac. Cardinalis, ac Bibliothecarij. III. Non. Iul. Indict. VII. Incarnat. Dominicæ anno MCXV. Pontificatus
autem omni Paſchalis ſecundi itidem XV.* ſubſcripſere autem & conſenſere,
Leo Oſtienſis, Cono Præneſtinus, Epiſcopi: Ioannes Cardinalis ſanctæ Cæci-
liæ, & Vgo Diac. Cardinalis ſancti Nicolai Fuit autem hic annus ab ortu Chri
ſti ſupra milleſimum centeſimum, decimus quartus. Eo qui inſecutus eſt Fulg-
marus Henrici Cæſaris legatus, Rauennæ, Quincto Non. Iul. conuentum ANN.
aliquot procerum, nobiliumq. uirorum egit: ex Rauennatibus fuere Petrus M.CXV.
Dux, Petrus Trauerſaria, Adelelmus clericus, Ioannes Patricius, Henricus
è porta noua, Petrus Leuzonus, Cauſidicus, Vgolinus Leuzonus, Vitalis Giſ-
ſus, Petrus Deſdedus, Clarellus Rambaldus Cõſules, atque item alii. Ibi Fulg-
marus Regis iuſſu, quoniam Rauennas Eccleſia, erat deſtituta officiis ſuo-
rum, ut ipſe dicebat, Cardinalium, nempe Presbyterorum, ſic enim ipſe idem
interpretabatur; Diaconorum, ſubdiaconorum, ſacerdotium, quod Rodul-
fi Capellani fuerat, Ruſtico tradidit Rauennatis Eccleſiæ Archidiacono, &
Grimaldo Archipresbytero, ceterisq. fratribus eorum, quos ſupra memora-
uimus, eorumq. ſucceſſoribus eiuſdem ordinis: quod ſacerdotium, Ciuita-
tis Conſules cum populo eis dederant: Id autem eſt, Plebem Argentæ. D.
Georgio dicatam, quæq. ad eam ſpectarent omnia. Item Eccleſiam S. Ioan-
nis marmorati, in Rauennati ſuburbio, & quæcumq. illius iuris eſſent. Sacellũ
Rotitulæ D. Michaeli dicatum, omniaq. eius bona. ſic ut neque ex iis quid-
quam umquam aut uendere, aut alienare aliqua ratione poſſent, neque illis
Archiepiſcopus quiſquam, aut Dux, Marchioue, ſeu Comes, quiſquamue
alius, moleſtiam inferre. Mathildis ætate admodum prouecta, hærede Ec-
cleſia Romana, eorum omnium bonorum, facta, quæ ſuperiores Principes
ab Romanis Pontificibus ui extorſerant, Mantuæ decedit, ſepeliturq. in D.
Benedicti, quod ab ſe duodecim paſſuum millibus Mantua procul ædificatum
fuerat, eodem anno ab ortu Chriſti MCXV. de cuius inclytæ Principis actio-
nibus, uir eruditus, Siluanus Razzius, Abbas Camaldulenſis, Italico nuper
edito commentariolo, diſſeruit. Ab eius interitu, Rauennates, & Mantuani
aduerſus Ferrarienſes bellum inſtaurantes, contractis ſociorum copiis; ut
Ioannes Ferrarienſis, cucullatus Franciſcanus, de Eſtenſibus Regulis ſcribens,
eſt auctor; in agro Ferrarienſi omnia populantes, incendentesq. ingentem
prædam abducebant: quamobrem Ferrarienſes ſubſidiariis copiis Verona
accitis, pacem a Mantuanis, certis datis, acceptisq. condicionibus, impe-
trant,

trant,& cum Rauennatibus fœdus faciunt. Henricus Cæſar denuò in Italiam regreſſus Quincto kal. Ian. apud Forum Pompilii, Mathildis; quam contectalem ſuam appellat;& aliorum Principum uirorum rogatu D.Vitalis Rauennate cœnobium,omni Archiepiſcoporum Rauennatum poteſtate,ac dominatu liberauit ut,extra Cæſarem, nulli ſubiecti monachi eſſent,nulli parere tenerentur: confirmauitque, quæcumque poſſiderent. Erant autem; ut ex publicis illis tabulis, quæ ſeruantur adhuc in D. Vitalis Bibliotheca; cognoſci poteſt, in Ferrarienſi multa, Curtis præſertim; ſic enim eius ſæculi uoce appellantur,D. Laurentii in Scornio, multa item in Ceruienſi,Cæſenati, ſancti Ioannis in Mariniano, Ariminenſi, Faneſtri, Senogallienſi, Fauentino,& Foro Corneliano: necnon Roncum, Troa, ſancta Maria in Tribbo: Voluitq. ut ubicumque quidquam iuris illi cœnobio eſſet in flumine Anemonis, quod uocant Fantinum,poſſent monachi inter Fauentinum, ac Rauennatem agrũ, molas frumentarias extruere. Anno inſequenti,qui fuit decimus ſextus ſupra milleſimum centeſimum Hieremias Archiepiſcopus, Andreæ è Calcinaria, bona,quæ iuris erant Rauennatis Eccleſiæ, quæ habebat in loco, qui uocabatur Roncus a fluuio Liuienſi, ad lamam, ut ibi dicitur, antiquam,confirmauit: harum tabularum, quas poſtremas legi ab hoc Archiepiſcopo confectas, tale initium eſt. *In nomine patris,& filij, & ſpiritus Sancti. Anno Dominica Incarnat. MCXVI Temporibus Domni Henrici Imper. die XXVIII.Iunij, Indict.IX.Rauenna. Domno ſancto, & meritis beatiſsimo, atque Apostolico patri patrum, Domno Hieremia electo Archiepiſcopo ſancta Rauennatis Eccleſia*. Eodem hoc anno, ex uetuſtiſſimis monumentis, quæ nos in D. Ioannis Euangeliſtæ tabulario legimus, conſtat, Mathildim, Petri primi Trauerſarii, uti diximus, uxorem, uiro demortuo,eius cœnobii Abbati, Martino,agros illos omnes dono dediſſe, ubi D. Geruaſii Hoſpitium ædificatum erat, omniaque illa, quæ cum eſſent iuris Eccleſiæ Ceruienſis, ipſa legitime a uado Buccamezo ad portum fluminis Sapis, poſſidebat. Eamque donationem ſe feciſſe Mathildis teſtatur, ut Petri mariti, ac alterius item Petri, filii, qui ſecundus hoc nomine ex Trauerſariis fuit, uita iam functi; animabus conſuleretur: quod Guido, & Guilelmus eiuſdem Mathildis, ac Petri, filii, ut patris, fratriſque manibus parentarent, ratum habuere. Terminus horum prædiorum in illis publicis tabulis, uſque ad medium Sapis ſcribitur. Qui uerò hanc donationem poſterius confirmarunt. Eugenius Tertius, & Anaſtaſius Quartus, Pontifices Max. & omnium poſtremus, Ruſticus Ceruienſis Epiſcopus,anno MCCXXVIII.utramque fluminis ripam adiiciunt. Illud autem D. Geruaſii hoſpitium ædificatum olim fuerat, ut uictus gratis ſubminiſtraretur iis, qui Romam adire, religionis cauſa, frequentes conſueuerant, cuiuſmodi aliud ad Primarium Padi oſtium erat,cui ex templi D.Clementis uectigalibus ſuppeditabatur uictus: quamobrem multa illi Archiepiſcopus Rauennas, anno MCCXXII. dono dedit. Cum autem ſub id tempus ordinis Ciſtertienſis religio latè uagaretur, Bernardo Clareuallenſe Abbate, uiro ſancto, eum ordinem ingreſſo, eiusq. ob id integritatis famam diſſeminante, D. Seueri cœnobium, quod iuxta Rauennam memorauimus, in uilla Vangaditia extructum, eius leges ordinis accepit. Inſignis hoc tẽpore habebatur Petrus Portuenſis cœnobii Præfectus: qui nobili Honeſtorum Rauennati familia genitus, litterarum haud omnino

expers,

experts, cum eſſet ſacerdos ut uotum perſolueret, quod in nauigatione, tempeſtate actus, nuncupauerat, Diuæ Mariæ Virgini, in portu Rauennati, ædem, ac cœnobium extruit: quod deinceps ob eam, a loco ſumptam, cauſam, Portuenſe cœnobium eſt appellatum. Ibi ſacerdotum conuentum inſtituit, de quo diximus, quibuſdam præſcriptis legibus, quas Paſchalis ſecundus Pont. Max. exitu huius anni milleſimi centeſimi decimi ſexti ad ſe miſſas, firmauit, Petro ipſo ita poſtulante. Eæ autem Petri fuere litteræ. *Paſchali Dei nutu, ſummæ, & Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo, Petrus peccator, clericus, cum confratribus ſuis, in Chriſto ſalutem, & obedientiam omnem. Cum ueſtra Beatitudini, Petri uicem in Eccleſia gerere, gratia Diuina contulerit, non irrationabiliter credimus, quæcumque in Eccleſiis ſtatuuntur ubilibet facienda, ueſtra auctoritatis iudiciis, pro iuſto uel reprobari, uel confirmari debere. Quapropter hanc Canonicæ inſtitutionis normam, ex plurimis, ut in ſequenti patebit, collectam, & pro noſtri temporis fragilitate, diſcretiuè conſtitutam, Maieſtati ueſtræ præſentandam mandauimus, ut eam perſpectam, &, ubi oportuerit, emendatam, huius Apoſtolicæ ſedis auctoritate firmatam, atque ſuſceptam, nobis remittatis, de cetero, ueſtra præceptione tenendam. Benè ualete.* Paſchalis autem Pontifex omnibus legi, examinariq. diligenter iuſſis, ad hunc modum reſcripſit. *Paſchalis Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filiis, apud Eccleſiam ſanctæ Mariæ in portu Rauennatis Exarchatus, regulariter commorantibus, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Hanc inſtitutionis Canonicæ regulam, tam ex ſanctorum Patrum auctoritate conceptam, quam & religioſorum uirorum exemplis, & morum honeſtate compoſitam, nos, perſpectam, Deo auctore, ſuſcipimus; & auctoritate ſedis Apoſtolicæ confirmantes, uobis, per Dei gratiam efficaciter obſeruandam iniungimus; ut quorum ſequi ueſtigia debuiſtis in terris, eorum obtinere conſortium poſsitis in cælis. Dat. Transtiberi X I I. kal. Ian. In dict. X.* Huiuſmodi Pontificiis litteris hi Cardinales ſubſcripſere. Creſcentius Sabinus, Petrus Portuenſis, Cono Præneſtinus, Vitalis Albanus Epiſcopi: Bonifacius titulo ſancti Marci, Deuſdedit, S. Laurentii, Deſiderius S. Praxedis, Vuido S. Balbinæ presbyteri: Petrus SS. Coſmæ & Damiani, Petrus S. Hadriani, Roſemanus S. Georgii ad uelum aureum, Comes S. Mariæ in Aquiro, Gregorius S Angeli, Ioannes S. Luciæ, Diaconi. ANN. M.CXVIII Anno decimo octauo ſupra milleſimum centeſimum Rauennates in Archiepiſcopum Hieremiæ ſuffecerant, deſignaueranto. Gualterium, Canonicum Regularem, circiter id tempus cum Paſchali Pont. Max. mortuo, Ioannes Caietanus nobiliſſimo genere natus, Gelaſii ſecundi ſumpto nomine, ſubrogatus eſt. Cui licet Henricus Rex, ſtatim Patauio Romam profectus, Mauritium quendam Burdinum, Gregorium V I I I. a ſe appellatum obieciſſet, aliquot nobilium Romanorum factione ſuffultum, tamen Rauennates, eorumq. Archiepiſcopus Gualterius Gelaſii perpetuò partes ſecuti ſunt: idq. tanto ſtudio, ut Pontifex eodem hoc anno reuerſus Romam; qua ceſſerat, uenientis Henrici primos uitaturus impetus; & Rauennatum uoluntatem prolixè laudauerit, & reſtituerit Archiepiſcopo, eos Epiſcopatus, quos Paſchalis Rauennati Eccleſiæ, in ſynodo ad Guardaſtallum habito, ademerat; idq. fuerit hoc Diplomate ampliſſimè teſtatus. *Gelaſius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſsimo in Chriſto fratri, Gualterio Rauennatenſi Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Vnitati Diuinæ Trinitatis gratiæ agendæ ſunt, quæ per ſuæ charitatis ſpiritum diuiſa coniungit,*

&

& multas in ſe animas, vnam facit. Eccleſia ſiquidem Rauennatium per multa iam tempora ab Apoſtolicæ ſedis vnitate diſciſſa, multas eidem ſedi Apoſtolicæ perſecutiones intulit, & Eccleſiis multis peruerſi ſchiſmatis fomitem miniſtrauit. Quapropter ad eius nequitiam deprimendam, ſubiectarum ei Eccleſiarum quaſdam, ſibi Apoſtolica ſedes aſſumpſit; ut vel ſic, eam ad humilitatis, & vnitatis tramitem reuocaret: ſed cum tandem Diuinæ maieſtati beneplacitum fuit, eandem Rauennatium Eccleſiam miſericordiæ ſuæ gratia, ad vnitatem, & obedientiam matris ſuæ Romanæ Eccleſiæ reuocauit: iniquitatem namque ſuam illius filij recognoſcentes, delicta patrum corrigere probauerunt, ut qui præteritis temporibus, per tyrannidem Regiam, Præſules Regibus placentes accipiebant, nunc demum ſecundum Canonicas ſanctiones, Epiſcopum Deo placentem eligerent, & ſchiſmate abdicato, in Catholicæ congregationis gremium repedarent. Te ſiquidem Reuerendiſſime frater Gualteri a diſciplina Fratrum regularium uiolenter aſſumptum, pro religionis, ac ſapientiæ prærogatiua, in beati Apollinaris cathedram, communi uoto, ac deſiderio poſuerunt, & in Apoſtolicæ ſedis obedientiam unanimiter redegerunt. Vnde nos Diuinæ Trinitatis unitati gratias agentes, perſonam tuam pro iure noſtræ Eccleſiæ, ad Epiſcopale miniſterium, cooperante Domino, conſecrantes, tibi, & per te Rauennatium Eccleſiæ dignitatem omnem, quam ante illius diuiſionis tempora, per Romanam Eccleſiam poſſederat, reſtituimus. Per præſentis enim priuilegij paginam, ſaluo in omnibus iure, atque auctoritate ſedis Apoſtolicæ, concedimus tibi, tuisq. ſucceſſoribus in eiuſdem ſedis Apoſtolicæ ſubiectione, atque obedientia permanentibus, Epiſcopatus Aemiliæ prouinciæ, ideſt, Placentiæ, Parmæ, Regij, Mutinæ, Bononiæ, Ferrariæ, Hadriæ, Comacli, Imolæ, Fauentiæ, Forliuij, Fori Pompilij, Bobij, Caſenæ, Ficoclij. Confirmamus etiam vobis Ducatum Rauennæ, & monaſteria ſancti Adalberti, & S. Hilari in Galliata, & cetera monaſteria, ſeu poſſeſſiones ad ueſtram Eccleſiam pertinentes, per autentica priuilegia ab anteceſſoribus noſtris, & a Catholicis Regibus tradita: Pompoſiani quoque monaſterij curam religioni tuæ, ſaluo Eccleſiæ noſtræ iure, committimus, vt, præſtante Deo, regulæ diſciplinæ, per tuam induſtriam, reformetur. Præterea fraternitati tuæ Pallium, Pontificalis uidelicet officij plenitudinem, ex Apoſtolicæ ſedis liberalitate, concedimus, quo fraternitas tua, ſecundum Eccleſiæ tuæ morem, ex Apoſtolicæ ſedis conceſſione permiſſum, ſe nouerit induendam: cuius nimirum pallij uolumus per omnia genium uendicare. Huius ſiquidem indumenti honor, humilitas, atque iuſtitia eſt. Tota ergo mente fraternitas ueſtra ſe exhibere feſtinet, in proſperis humilem, & in aduerſis, ſi quando eueniunt, cum iuſtitia erectam, amicam bonis, peruerſis contrariam: nullius vmquam faciem contra ueritatem ſuſcipiens, nullius vmquam faciem pro ueritate loquentis premens: miſericordiæ operibus, iuxta uirtutem ſubſtantiæ, inſiſtens, & tamen inſiſtere etiam ſuper uirtutem cupiens: infirmis compatiens, beneualentibus congaudens, aliena damna, propria deputans: de alienis gaudijs, tamquam de proprijs, exultans: in corrigendis uitijs piè ſæuiens, in fouendis uirtutibus, auditorum animos demulcens. In ira, iudicium ſine ira teneas, in tranquillitate autem ſanctitatis iuſtæ cenſuram non deſerens. Hac eſt, frater cariſſime, pallij accepti dignitas, quam ſi ſollicitè ſeruaueris, quod foris accepiſſe oſtenderis, intus habebis. Ego Gelaſius Eccleſiæ Catholicæ Epiſcopus ſubſcripſi. ſignum manus meæ, Deus in loco ſancto ſuo. Dat. Romæ per manum Cryſogoni S. Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis VII. Id. Auguſti. Indict. X I. anno Dominicæ Incarnationis MCXIX. Pontificatus autem Domni Gelaſij ſecundi Papæ, anno primo. Proximo anno, qui fuit a partu Virginis Milleſimus centeſimus

ſimus

ſimus decimus nonus, Petrus Peccator, ſenex obiit. Quarto kal. April. Rauennæ, in Portuenſi ab ſe extructo cœnobio, ibiq. ad læuam ingredientibus templũ, iuxta ſacram turrim ſepultus eſt. Ab eo plurimum is propagatus eſt ordo, qui nunc Canonicorum Lateranenſium uocatur: egregium certè bonorum hominum, ac doctorum ſeminarium. Illius leges ab Rhenenſibus Bononiæ: Nicoſienſibus in Piſano: a multisq. præterea acceptæ, & ſeruatæ ſunt. Cum interea confluerent vndique complures ad Portuenſe cœnobium, in diſciplinamque ſeſe eius Canonicis traderent. In iis fuiſſe Aldrobandus legitur, qui in opido Sorbetulo, è Bobio, ſeu Galliata, propè Cæſenam natus, & in Grammatica eruditus, in Portuenſe cœnobium, ut maiores in litteris, ac pietate progreſſus faceret, ſe contulit. Cum autem Ariminenſes Canonici, Præpoſito deſtituti, peterent, ut fieri ab aliis conſueuit, ex eorum Conuentu aliquem ipſis idoneum præfici, qui uirtute præſtaret, Aldrobandum obtinuerunt: qui deinde Foroſempronienſium Epiſcopatum adeptus, kal. Maii decedens, in Diuorum numerum relatus eſt. Satis autem, ut puto, conſtare poteſt, quantum inter hunc Petrum Portuenſem, & Petrum Damiani interſit. Eſt quidem uterque Petrus, uterque Rauennas, ſanctè ambo, atque innocenter uixerunt, eodemq. ferè tempore: quodque fecit, ut eos multi non internoſcerent, ambo Peccatores appellati, inoleuerat enim mos, ut, qui religioſe tunc uiuerent, ob animi demiſſionem, ſeſe inſcriberent Peccatores: idque facile cognoſcet, qui monumenta illorum temporum euoluerit. Petrus tamen Portuenſis Præfectus, ſemper Sacerdos, & Clericus, ut aiunt; Petrus autem Damiani, monachus. Ille in Portuenſi cœnobio perpetuò ferè uitam traduxit, Hic in Catriana ſolitudine. Ille Rauennæ diem obiit ſuum, Hic Fauentiæ. Ille Quarto kal. April. Hic octauo kal. Mart. Ille anno milleſimo centeſimo decimo nono, Hic octuageſimo ſupra milleſimum. Quodque hac ratione inter ſe ii differrent, Dantes de Petro Damiani ſcribens, uidetur teſtari. Dum enim Petrum Damiani loquentem inducit, ſe Petrum Damiani fuiſſe inquit, in Catrianaque ſolitudine uixiſſe: Petrum aut Peccatorem in D. Mariæ Virginis ad litus Hadrianum, commoratum. Huic autem Petro Portuenſi Præfecto, Ioannem D. Ioannis Euangeliſtæ Abbatem multa dono dediſſe legitur, ut ex tabulis publicis coniici facile poteſt, quæ de his anno M C I X. Tert. Id. April. confectæ fuerunt. In præfectura Portuenſi, illi Ioannes Bonus Venetus ſucceſſit: quemadmodum eodem hoc anno Gelaſio Pont. Max. in Gallia, Cluniaci, quo Henrici V. Auguſti metu confugerat, mortuo, Calliſtus Secundus ſuffectus eſt. Proximo anno Gualterius Archiepiſcopus prædia, bonaque alia complura, præſertim D. Margaritæ templum, eo loci ſitum, cui Conſtantiaco erat nomen, cum manſis decem, ſyluiſque, & piſcinis, Ioanni Bono, Præfecto Portuenſi, iure Emphyteutico, in perpetuum dedit. Ceruienſes Quincto kal. Iun. Rauennæ, Gualterio eidem Archiepiſcopo ſacramentum dixerunt, eique, ac ſucceſſoribus fideles fore; ad retinendum præſertim Archiepiſcopatum, & Comitatum Ceruiæ polliciti ſunt: iuraruntq. omnes a quartodecimo ætatis anno ſupra, appoſitis ad ſacra Euangelia manibus. Eo qui inſequutus eſt anno Calliſtus Pontifex, quæ Gelaſius Gualterio reſtituerat, & in iis Aemiliæ Epiſcopatus confirmauit, litteris ſuis, *Script. per manum Rauerei ſcriniarij Regionarij, & notarij ſacri Palatij. Dat. Laterani per manum Griſogoni S. Romanæ Eccleſiæ Diaconi*

ANN. M.CXIX.

ANN. M.CXX.

ANN. M.CXXI.

coni Cardinalis, ac Bibliothecarij. VII. Id. Ianuarij, Indict. X IIII. Incarnationis Dominicæ anno milleſimo centeſimo uigeſimo primo: Pontificatus autem Domini Caliſti. II. Papa, anno II. Gualterius amplitudini Eccleſiæ ſuæ, ab omni parte maximè intentus, curauit ut tandem anno M C X X I I. Guido Traurerſaria; ita enim ſcribitur in omnibus eius ſæculi monumentis; coram Petro Duce, & Guilelmo Marcheſella ſe inſpectante, ædes omnes ſacras, quas Rauennæ multas habebat, remiſerit, poſſeſſioneq. earum ceſſerit. Poſtero, cum in caſtro Hubaldo eſſet, eiuſdem opidi incolæ fidem illi ſacramento obſtrinxerunt; aderat autem cum Gualterio, Bambo Piſaurenſium Epiſcopus. Romam forte ad Concilium, quod induxerat Calliſtus Pont. Max. abeuntes. Nam &, in eo Concilio Gualterius interfuit, & cum de ſubſidio Chriſtianis in Aſia bellum gerentibus ferendo actum eſſet, ipſe de Ferrarienſium Epiſcopo, Landulfo, qui aderat, quòd Maſſam..... Rauennatis Eccleſiæ occuparet, conqueſtus eſt. Guglielmus Bulgari filius, eiuſque uxor, Adelaſia, IIII. Id. Octobr. cœnobio D. Mariæ in portu, pro dote templi D. Margaritæ Caſtellare dederunt, in quo ædificatum ipſum templum eſt, ita uti tum uidebatur, foſſis, atque Euripis cinctum: quæ ſunt omnia in Ferrarienſi. His tabulis teſtes adſcribuntur, Fulco Marchio, Petrus Canis, Salinguerra, Petrus Contrarius, Vgutio, Iſnardusq. Vgutionis filius. Inſequenti anno, Guido Trauerſaria, in opido Cunio, eius tuendi cauſa, incluſus, cum multis Rauennatibus, agrum, vrbemque Fauentiam excurſionibus infeſtam reddebat. Fauentini ſubſidiariis acceptis a Guidone Guerra copiis, obſident opidum: Sed cum non ante Bononienſium, & aliorum aliquot, quæ expectabant, auxilia, peruentura intelligerent, quàm Rauennates præſidio affuturi eſſent ſuis, opidum, quadraginta iam ferè dies circumſeſſum, deſerunt, cum ea in oppugnatione, vnus Guido Trauerſaria, lapidis ictu, mangano emiſſi; id erat machinæ bellicæ nomen; ſtrenuè cecidiſſet. Eodem anno, Gualterius Archiepiſcopus tabulas confici publicas iuſſit, quibus Albertus Comes, & Mathildis uxor Caſtrum nouum, Meldulam, atque alia pleraque opida Rauennati Eccleſiæ tribuerunt. Ceterum cum aduenisſent, poſtero anno, Fauentinis, Bononienſium, & Marchionis Corradi copiæ, opidum Cunium denuò cinxerunt acri obſidione, omninoque cepiſſent, niſi accedentibus Rauennatibus, qui ſecum Foro Cornelianos aliquot ducebant; referre pedem, & obſidionem auertere fuiſſent coacti: Itaque directa in Rauennates uenientes acie, initum eſt prœlium, ac diu utrimque pugnatum eſt, ſed incerta tandem uictoria diſceſſum. Rauennates accitis deinde Ferrarienſium, Foroliuienſium, Cæſenatum, Ariminenſiumque auxiliis, arma in agrum Fauentinum inferre, prædas agere, ad Durbechum, qui propinquus urbi locus eſt, excurrere. Tum urbe egreſſi, ſociorum auxiliis comparatis, Fauentini, tumultuario primùm prœlio, mox ferè iuſto, cum Rauennatibus congreſſi, poſtquam ab hora diei tertia, ad nonam, ſtrenuè a noſtris repugnatum eſt, uictoria tandem; ſi credimus Fauentino Canonico, Toloſano; ad Fauentinos inclinauit. Plerique ex noſtris capti, multi cæſi, obtruncatique, pars ſiti, atque æſtu extincti: omnis Fauentinis relicta præda. Annus inſequens Gualterium habuit Archiepiſcopum, ſuam ditionem inuiſentem, reſtituentemque, & cum Argentæ eſſet, ſacerdotibus templi D. Mariæ, quod eſt eo in opido, multa conceſſit prædia,

ANN. MCXXII.

ANN. M. CXXIII.

ANN. M. CXXIIII.

ANN. M. CXXV.

ANN. M. CXXVI.

ac uectigalia,eadem planè forma,qua Vuibertū conceſſiſſe Rauennatibus Canonicis docuimus.ex tabulæ confectæ dicuntur, *Anno MCXXVI.tempore Honorij papæ,& Hlotharij Regis,die XXII.Feb.Ind.IIII. Argentæ.* Quæ faciunt contra eos,qui hoc anno,Henricum Cæſarem XII.kal.Iunias deceſſiſſe, Hlotharium Ducem Saxoniæ,III.kal.Septembris Regem declaratū, atq.Idibus conſecratum,produnt.Honorium Pontificem,iam alterum annum Calliſto mortuo ſuffectum, compertiſſimum eſt. Anno ab ortu Chriſti trigeſimo ſupra milleſimū centeſimū, Nonis Iulii,Gualterius Archiepiſcopus opidum Britonorium,Caualcaconti,quem illuſtriſſimum Comitem appellat,eiuſq.filiis maribus tantū, atque etiam nepotibus, renouato iure, locauit. Comes pecuniæ Lucenſis libras centum Gualterio numerauit,ſpopondítq. cum ad aulam Pontificiam Archiepiſcopi Rauennates proficiſcerentur, Archiepiſcopis uictum præbentibus, ſecum iturum. Cum in hoſtes caſtra mouerent, in Flaminia cum militibus centum,tercentum peditibus uenturum ſubſidio:citra Padum, cum uiginti:Nouo deſignato Archiepiſcopo, ſe intra menſem ſacramento obligaturum, ſecū ad conſecrationem,Archiepiſcopo uictū ſubminiſtrante,abiturum. Arcana omnia, ſuæ fidei ab Archiepiſcopo cōmiſſa, ſecum perpetuò habiturum,nemini illa, vnde damni quidquam ad Archiepiſcopum rediret,aperiturum.Si quæ audiſſet,Archiepiſcopo, eiusve aut bonis, aut hominibus nocitura,ſignificaturum.Comite uita functo, eius arma,& equi ad Archiepiſcopum mitterentur. Atque hæc Comes pollicitus eſt. Gualterius contrà, ut rem gratam multis faceret,qui id petebant, pluribus etiam adductis Comitis erga ſe meritis,tertiam pēſionis partem,quam ſoluere quotannis ſuperiores Comites Archiepiſcopis conſueuerant,remiſit:Sic tamē ut die D.Apollinaris feſto,Marabotinos octo quotannis,nomine penſionis numeraret. Si triēnio deſtitiſſet, omni locationis iure caderet. Hæc Rauennæ a Gualterio hoc anno acta ſunt. Quo Romæ mortuo Honorio Pontifice,Innocentius ſecundus ſucceſſit. Inſequenti,Rauennates,ac Bononienſes,cū uicinos populos ſubigēdi,uehemens animos eorum,cupiditas incendiſſet,caſtris ad Forum Cornelio admotis,eoq. poſt diuturnam tandem oppugnationem potiti, & foſſam, quæ muros ambit, ipſosq. muros ſolo æquarunt,& maximam vrbis partē inflammarūt; & portas vrbis tum Bononiam, tum Rauennam exportarunt. Id cum ægrè admodum tuliſſent ForoCorneliani, tum uerò illud nequaquam ſuſtinuere, cum partiri inter ſe Rauennates,ac Bononienſes vrbem uellent. Quamobrē ſubſidio a Fauentinis impetrato, ea condicione, ut quotannis die Diuorum Petri & Pauli feſto, Foro Corneliani ſtragula duo, quæ ducentis, eius pecuniæ, ſolidis uenirent, Reipubl. Fauentinæ perpetuò tribuerent, confeſtim foſſa, muri, portæq. vrbis inſtaurata, reſtitutaque ſunt. & poſtero ánno, coniunctis cum iiſdem Fauentinis uiribus, opidum ſanctum Caſſianum, quod Rauennatibus, Bononienſibusq. fauebat, funditus, vnà cum Epiſcopi Prætorio euerterunt. Hæc fuere difficilis, diuturniq. belli initia. Eodem anno Rauennæ, Petrus Dux, Gaſdia coniuge aſſentiente, teſtamentum fecit, illudque fidei commiſit Leonis Cardinalis Sanctæ Agathæ maioris, & Alberti Sanctæ Mariæ in petrario, patruorum ſuorum, & Gaſdiæ coniugis. Voluit Armellinæ filiæ dari iure hæreditariæ portionis, manſos, prope maſſam Fiſcaliam, uiginti: quorum ſinguli triginta ſex iugera tenerent. adhæc monetæ Lucenſis libras ſexaginta, quæ illi numerarentur, cum nupſerit. Inſtituit

ANN. MCXXX.

ANN. MCXXXI.

ANN. M.CXXXII.

ſibi hæredem Guiliam, filiam, iuſſitq. ut hæreditario nomine, & Falcidia portione, tempore nuptiarum ſuarum, haberet manſos ſeptem, monetæ Lucenſis libras quadraginta. Hæredes etiam ſibi fecit Almericum, & Petrũ, filios ſuos, iureq. hæreditario eorum eſſe mandauit, quidquid ipſe haberet in vrbe Rauenna, in Anconitano, in vrbe Fano, in Cloca, in vrbe Arimino, & in territorio eius toto, & in Ficoclenſi, in campo Cæſare, in Pompilienſi, Liuienſi, Fauentino, Corneliano, Cymaclienſi, Hadriano. Domum, quæ illi erat ad portam S. Laurentii cum turricula habere Almericum uoluit. Quod ſi filii ipſi ex poteſtate, ut illius utar uerbis, uoluiſſent, Domnicata in flumine nouo, & dimidiã partem eius, quod habebat in Veterana, & Domnicatum in Pudilicula, terra ſcilicet, quæ fuit Hugonis Fragelati, & Fuſcoli Petri Bond. Molas item Frumentarias, quas iam tenuerat Albertus Rubeus, Armellinæ eſſe, illiq. aſſignari iuſſit. Eæ autem, ceteræq. huius temporis Rauennates tabulæ, tempore Innocentii Pontificis ſcriptæ dicuntur: quod magnum arguit Rauennatium in Pontificem Max. ac religionem ſtudium. Cum enim Innocentio, quàm primum renunciatus eſt Pontifex; Petrum, Petri Leonis filium, alii obieciſſent, & Anacletum Secundum uocaſſent, atq. illi, cuius erat inſignis generis nobilitas, eximia in vrbe potentia, opes penè immenſæ, populus omnis Romanus ita adhæreret, ut Innocentium vrbe expulerint, qui per id tempus in Galliam fuga elapſus, ibidem commorabatur, cum Archiepiſcopus, populusq Mediolanenſis, ac pleriq. Galliæ Ciſalpinæ Epiſcopi Anacleto fauerent; Rogeriusq. Siciliæ ab eo creatus Rex, Apuliæ, Calabriæq. Dux, & Capuæ Princeps, ad hæc Epiſcopi, Abbatesq. ulterioris Italiæ, inprimisq. Senioretus Abbas Caſſinas, maximæ auctoritatis Antiſtes, Anacletum ut iuſtum Pontificem colerent, tamen Rauẽnates, quòd ſcirent Innocentium a maiori parte, atque integriore creatum, & per Oſtienſem Epiſcopum legitimè conſecratum, illius perpetuò partes ſecuti ſunt. Qui cum biennio poſt, ad perſequendũ cum Foro Cornelianis, & Fauentinis bellum, copias aliquot Bononienſibus ſociis miſiſſent, commiſſo cum Fauentinis prœlio, tandem in fugam acti ſunt. Fauentini in eius curſu Victoriæ Serram opidum ceperunt. Vgolinus Donigaliæ, Guido Bagnacaualli Comites, Comitiſſa Maluicini mater, & equites Bononiẽſes triginta captiui facti. Proximo anno Petrus Dux, Guilelmus Trauerſaria, & alii Rauennates milites, Comitibus, populoq. Cunienſibus iuncti: excurſione in Fauentinum facta, dum meſſores in agris agerent, ad rus D. Petri Lagunæ, a Fauentinis ex inſidiis erũpentibus, uſque Cunium repulſi ſunt; ut Toloſanus memoriæ prodit, cum Rauennates hoc tẽpore ſcriptores deſint. Eodem anno, menſe Ianuario, opidi Caballi incolæ, ſacramentum Bononienſibus dixerunt; Prætores ab ipſis acceptuτos, eorumq. edicta ſeruaturos, polliciti: integro tamen, honore ac dominatu Domini eorum Archiepiſcopi Rauennatis: qui ſi quando obſeruari, quæ ſuperius dicta ſunt, nollet, quindecim, poſt eius iuſſum, diebus, Bononienſibus ſe illud ſignificaturos, Bononienſesq. & eorum bona, quæ in eorum iuribus eſſent, de ea ditione deducturos eſſe. Gualterius Archiepiſcopus ditionis Eccleſiæ ſuæ amplificandæ curam non intermittens, Rauennæ, in æde Vrſiana, anno MCXXXVI. Decimo kal. Iul. cum adeſſent Guido Archidiaconus, Andræas Archipresbyter, & multi præterea ſacerdotes & Diaconi Cardinales, & minoris ordinis ſacrati uiri, & Iudices, & Petrus Dux, Petri filius, Gulielmus Trauerſaria, Lambertus Alberti Petri Vgonis filius, & Honeſtus, de Petro, de Ho-

neſto

neſto Capitanei Rauennæ;ita enim tum Præfectos urbis uocabant;aliiq.com plures,citra Rubiconem multa,& in iis opidũ Montem Acutum,& Laſtagnanum,& Collinam; ultra Rubiconẽ portoria,vectigalia,decumas recuperauit: Zoſtamonte, & Guidone Ariardi filiis, ut patris, ac Rodulfi aui animabus ſatiſfacerent,nomine ſuo, fratris,matriſq. virga in manum Gualterio tradita,rẽ ſtituentibus,&damna omnia,dedecoraq. ac incendia Rauennatibus,eorumq; ſociis condonantibus. Cum Archiepiſcopus,contra maleficia illis remitteret; quæ ad ripam Vrſianam,Deolaguarde opida,& ad cœnobium D.Laurentii in Cæſaria,in agro Rudiano,ac Ceruienſi,Epiſcopoq.Ceruiẽſi ad Caſtellionem; aduerſus Rauennatem Eccleſiam commiſerant. Deſcenderat interea in Italiam Hlotharius Cæſar,cum Richiza Auguſta coniuge, Henrico Duce Baioariæ genero,& Chunrado Duce,qui ſe Regno nuper Italiæ abdicauerat:& cum per autumnum, & anni huius exitum in Gallia Ciſalpina ciuitates perluſtraſſet,Ianuario,Rauennam in hiberna uenit,nec inde abiit, niſi adulto iam uere. ANN. M. CXXXVII.
Hic per ocium multa compoſuit Italici Regni,& in primis Rogeriani belli con ſilia cum Henrico,Chunradoq. iniit.Fauebat enim propè vnus Anacleto Rogerus Rex. Fauentini diuturno Rauennatiũ, ac Bononienſium bello,vnà cum Foro Cornelianis,agitati,cum duabus ſe Ciuitatibus, adeo milite, pecuniaq. ualentibus,uiderent,reſiſtere nequaquam poſſe,cum Bononienſibus de Foro Cornelio, cuius cauſa bellum fuerat, ita conuenerunt, ut inter eos communis illa ciuitas eſſet.Eo qui inſequutus eſt anno X.kal.April. Rauennates, Foroliuienſesq.inter ſe fœdus religioſũ m fecerunt:ut vrbani,ſuburbaniq.eodem loco,ut ſuis quiſq. in ciuitatibus,haberentur, Rauennæ,Foroliuiique:Communi ANN. M. CXXXVIII.
Rectorum ambarum Ciuitatum ſententia, lites, diſſidiaq. tollerentur,amicitiæ inimicitiæq.cum externis populis inſtituerentur mutuo ſe auxilio,præterquam aduerſus Imperatorem,&Eccleſias ſuas Rauennatem,ac Foroliuianam, iuuarent:apud eos,precibus tantum ſubſidio eſſent.ConſulesRauennæ,Foriliuiiq. eligerentur communibus utriuſq.Ciuitatis ſuffragiis:ita ut Foroliuiani Rauennatibus,Rauennates Foroliuianis Comitiis intereſſent.Huius exitu anni,GualteriusArchiepiſcopus,Duodecimo kal.Nouẽbr.Guidone Archidiacono,omnibusq. Cardinalibus,& Cantoribus,ac ceteris Rauennatis Eccleſiæ ordinibus aſſentientibus,ea ſolum;ut ſuo ipſe diplomate teſtatur;de cauſa,ut religio,& mores conformarentur,Azoni Camaldulenſiũ Præfecto,eiuſq.ſucceſſoribus in perpetuum,cœnobium D.Apollinaris in Claſſe, quæque illius iuris eſſent, omnia,tribuit. Hæc autem ibi numerantur. In agro Tudertino, cœnobium,cui ſanctæ Illuminatæ titulus eſt. In Peruſino,ſacræ ædes quinque,quarum prima in ipſa vrbe Peruſio,eſtD.Seuero dicata:altera D. Margaritæ ſacel lum,in maſſa Syluatica:Tertia cœnobium D.Petri, in colle extructum: Quarta,cœnobium item D.Petri,in valle de Ponte uocata,iuxta Tiberim:ex altera Tiberis ripa, Quinctum cœnobium D. Fortunato conſecratum. In Eugubino, Maſſa, quæ Binole dicitur : Curtis quoque ; ut eorum utar uocabulo; cui Prætorio nomen eſt : atque item alia, quam Baroncelli appellabant : denique tertia cognomento Narciannla. In Firmano, Curtis integra, quam uocabant Campolongum, nec non & caſtrum Pauſolum: aliud item caſtrum, ubi ædificata turris eſt, Petronii dicta, iuxta agrum Camerinum,fluuium Potentinum,& litus maris. In Senogallienſi Maſſa Merlaria, ui-

cus Mauri: tandem Engalati, Arille, Dotahanum, qui tres fundi ſunt. In Faneſtri, manſos quattuor S. Viti, S. Marci, S. Apollinaris, S. Mariæ. In ipſa vrbe Fano ſacræ ædes tres S. Viti, S. Chriſtophori, quæ eſt in muro publico, & S. Apollinaris, cum domibus, ædificiisq. ipſa in vrbe, atque in agro. In Piſaurenſi, villa Treſule, curtis Vallicella, caſtrum Florentinum, & fundus, cui Rauignanæ titulus eſt. In Ariminenſi, Maſſa Vtriana, caſtrum Gaium, Maſſa brancheſe, & Rufienſe: necnon & curtis integra, cum caſtro, quod Piſſatellum appellant. Curtis item integra, quam uocabant Fontanam Sabbathi. Sala quoque noua, & uetus, iuxta fluuium Piſſatellum, & litus maris. adhæc caſtrum Caſalidum, & Montem Albanum, & pleraq. alia. In Cæſenati, ipſaq. vrbe Cæſena, domus, curtisq. Succumana, ac fundi præterea multi. In Saſſinati, S. Angeli cœnobium, Curtis integra, cognomento a plano, caſtrumq. Ciuorium, & pleraq. alia. In Foro Pompiliano, Curtis integra, & caſtrum Balneolum: In Foroliuiano, Maſſa Bariſana, & Curtis Pertuſiaca: In Fauentino, Curtis Quodrata, cum fundo Tremule, & Pituli, & Suſianæ, ſaltus maior, & minor, Granariolum, & Ceredus lacus, & Præſentianus, & Pergula. In Foro Corneliano D. Petri cœnobium, maſſa Quincta, atque item Soluſtra. In Rauennate, in Decimo, Templum cum curte integra, cui Aquæ Longæ nomen eſt ſanctæ Mariæ in Bazano, templum D. Mariæ in Peratello. Ratam etiam habuit Gualterius in iis tabulis, confirmauitque curtem integram Gamillariam, & cœnobium DD. Marci, Marcelli, & Feliculæ, quod eſt in muro ſacræ ædis D. Apollinaris in Claſſe, & cœnobium D. Vincentii in urbe Rauenna: aliud quoque cœnobium D. Eleocadii, & D. Probi, cum fundis, ſyluisque eidem cœnobio circumpoſitis. In vrbe Rauenna tribuit cœnobium Diuæ Mariæ in pace, item aliud D. Mariæ in Hortale. In Foro Semproniano cœnobium S. Sophiæ. In Ceruienſi rata habuit ſalinas, & alia omnia, quæ a ſuperioribus Archiepiſcopis tributa, tum ibi poſſidebant. Idem in Cymaclienſi: horumque omnium iura omnia eſt elargitus, quibuſdam ab Azone acceptis condicionibus, quas Gualterius, & ſuperiores etiam Archiepiſcopi propoſuerant; & in iis, ea potiſſimum habetur, qua eius Abbates cœnobii ſe in perpetuum Rauennati Archiepiſcopo ſubiectos ſignificent, & profiteantur. Hic idem annus Hlotharii Auguſti morte eſt clauſus: cui ſubrogatus eſt, poſte-

ANN. M. CXXXIX. ro, Chunradus, e familia Stoffena, Friderici Sueuiæ Ducis filius: Eo qui in-

ANN. M. CXL. ſequutus eſt, Rauennates Faneſtribus bellum intulere, coniunctis cum Senogallienſibus, ac Piſaurenſibus copiis. Cum autem eos plurimum in dies premerent Faneſtres communi conſilio legatos miſerunt, ad Petrum Polanum, Venetorum Ducem, poſtulantes, ut ſe ab infeſta finitimorum populorum impreſſione tueretur: Ab eo die, Faneſtres in ditione Venetorum futuros, certoque ſe tributo, quotannis Quarto Non. Februarii ſoluendo perpetua fidelitate illi deuincturos. Quibus Dux acceptis, de Patriarchæ manu uexillum ſumpſit, ornauitq. claſſem, & Hadriani maris littus legens, in oram Rauennatem, & ceterorum ſociorum, qui Faneſtribus bellum inferebant, direxit: oppugnatione autem urbibus oſtentata, facile omnes adegit ad pacem Faneſtribus reddendam. Proximo anno Gualterius Archiepiſcopus, cum in palu-

ANN. M. CXLI. de Ficoclenſi. XV. kal. Februarii eſſet, in nobilium uirorum conuentu, multa de ſalinis, & poſſeſſionibus eius agri ſciuit: Hoc eodem anno, per eoſdem-

que

que ferè dies, Petrus Dux, Conſul Rauennatium, & unà ſecum Vngarellus Henrici portæ nouæ, Seniorellus Vbaldus, Ioannes Canes, Opizo, Petrus Ioannis Gerardi, & alii, a Rauennatibus Ferrariam miſſi ſunt, ut fœdus cum Ferrarienſibus firmarent, & amicitiam augerent. Ibi autem cum eſſent, cauſam etiam Abbatis D. Ioannis Euangeliſtæ Rauennatis, de prædio in Tamara, quod Aldigerius Fontana, Albertus Aldigerii, Ioannes Mizanas, & filii Vgolini Sabloncelli occupabant, Conſulibus Ferrarienſibus, uti habebant in mandatis, magnopere commendarunt, cum dicerent, D. Ioannem Euangeliſtam a Rauennatibus, inter ceteros Diuos, maximè cultum. Quamquam autem procraſtinari in cauſa, & aliam ex alia ſerere Conſules uidebantur, Marchiſiusque Mainardus, vnus ex Conſulibus, pro filia Vbaldi Ingilardi, uxoris ſuæ nepte, diceret, tandem tamen Rauennatibus iam penè conquerentibus, Abbateque teſtibus adductis monſtrante, & Ingibardum patrem, & Vbaldum filium, eiusque uxorem, quæ tunc ſocrus Marchiſii erat, illam poſſeſſionem reieciſſe, prædium Abbas recuperauit. In conſulibus ipſe primum Mainardus, mox Caſiottus, Ilgibardus Scaroſius, & Artengus recenſentur. Teſtes fuere multi, ſed in primis Guglielmus Guidus; Rambertus, Paganus Coſtabilis, Albertus Bonus, & Ioannes Boſius. Hæc a Rauennatibus Ferrariæ hoc anno acta ſunt. Poſtero Gualterio Archie- ANN.
piſcopo in plebe S. Famiani Rainerius Caualcacontis filius ſacramentum di- M. CXLII.
xit, ſacroſanctisque tactis Euangeliis iurauit, nihil contra eum moliturum, neque molientibus aſſenſurum; eius uitam, incolumitatem pro uiribus ſeruaturum, *pro eo*, inquit, *quod uos inueſtiſtis mihi, ac confirmaſtis totum, quod patri meo de locatione caſtri Britonorÿ feciſtis, & promittis mihi tuo ſtudio, & tuorum epiſcoporum, de genere Fraupanorum dare uxorem mihi*. Erant tum Frangipanes Romæ inſigni potentia, ac nobilitate florentes. Cæſenæ tumultus hoc anno ingens, popularibus, in optimates arma mouentibus, quod Rauennatum conſilio factum tradunt. Optimates in arce incluſi, quo ſe præſidii cauſa contulerant, in popularium poteſtatem uenturi uidebantur, niſi aduenientibus ſubſidio optimatium Fauentinis, recedere ab oppugnatione fuiſſent populares coacti. Verum imbris beneficio, Fauentinis abeuntibus, reditus in ſuam vrbem penè integer, eſt datus, cum Rauennates illis in itinere, magna manu occurrentes, cum illis confligere iam cœpiſſent, eò maiore uictoriæ ſpe, quò ſecum habebant Foroliuienſium, Ariminenſiumque copias aliquot. Annus proximus interitum attulit Innocentii Pont. Max. cui Cæleſtinus ſecundus ſucceſſor eſt datus. Sed is cum ſextum in Pontificatu menſem ageret, exceſſit è uita, anno ſupra milleſimum, centeſimo quadrageſi- ANN.
moquarto. Quo Gualterius etiam Archiepiſcopus, cœnobio D. Mariæ ad M. CXLIIII.
oram uadi, ſeu ad uadum; quod eſt in vrbe Ferraria; Canonicis Portuenſibus elargito, cum ſatis diu Eccleſiam Rauennatem diligenter adminiſtraſſet, Idibus Febr. ad cæleſtis uitæ præmia uocatus eſt. Succeſſit ei Moyſes Vercellenſis, omnium bonorum conſenſu ad eam ſedem accitus. Eum Lucius Pont. Max. tunc primum in locum Cæleſtini ſuffectus, Romæ conſecrauit, & Rauennam redeuntem, iis litteris dimiſit. *Lucius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilectis filÿs clero, & populo Rauennati, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Vniuerſitati ueſtræ notum fieri volumus, venerabilem fratrem noſtrum M. cano*

nicè & concorditer nobis electum, debita benignitate ſuſcepimus, ipſumque Spiritus ſancti gratia inuocata, vobis in Archiepiſcopum, manibus proprijs tamquam beati Petri manibus, conſecrauimus. Eundem itaque cum gratia ſedis Apoſtolicæ, & litterarum noſtrarum proſecutione, ad ſedem propriam remittentes, per Apoſtolica nobis ſcripta mandamus, vt ipſum benignè recipiatis, affectione præcipua diligatis, & honoretis, eiq. tamquam proprio paſtori, & animarum veſtrarum Epiſcopo, obedientiam, ac reuerentiam humiliter exhibeatis. Ad recuperanda quoque poſſeſſiones, & bona Rauennatis Eccleſiæ matris veſtræ & habita retinenda, tamquam boni filij opem ei, & conſilium præbeatis. Nos autem ipſum, pro ſcientia, & honeſtate ſua, & Rauennatem Eccleſiam, tamquam ſpecialem ſedis Apoſtolicæ filiam, ſecundum Deum, diligere, & honorare uolumus, & ſuam ei iuſtitiam conſeruare. Inde eſt quod Venerabili fratri noſtro. A. Placentino Epiſcopo, per Apoſtolica ſcripta mandauimus, ut iuxta tenorem priuilegiorum Rauennatis Eccleſiæ, & antiquam conſuetudinem, debitam ei, & Eccleſiæ Rauennati obedientiam, ac reuerentiam exhibeat. Dat. Lat. II. Non. Iul. Apud eundem etiam Pontificem Moyſes, de Griſone Epiſcopo Ferrarienſi, quod Maſſam .....occuparet, conqueſtus, Pontificias ad Griſonem litteras, & ut Patriarchæ Gradenſi controuerſia cognoſcenda, mandaretur, impetrauit. Illi etiam VgoComes nomine ſuo, & Guidonis, ac Rainerii fratrum tertiam opidi Riuerſani, eiusque arcis partem, intergramque curtem Riuerſani, & alia pleraque opida, confirmauit, ea adiecta condicione, ut ipſi arcem comites haberent, ſuisq. præſidiis tuerentur. Eodem anno cum incolæ caſtri Leonis; quod Rauennates, Forliuienſesq. munitionibus firmauerant; e Fauentinis quoſdam cepiſſent, Fauentini conſtituerunt ſuis hoſtibus inferre bellum, & opidum expugnare, cum ſecum haberent Bononienſium, & Comitis Guidonis auxilia: Verùm recedentibus paulo poſt Bononienſibus, potentiam Rauennatum ueriti, qui maximū ad pontem Ronchi coegerant exercitum, conſulente præſertim comite Guidone, oppugnatione, obſidioneq. omiſſa, domū rediere. Otho Friſingenſis Epiſcopus memoriæ prodit, his diebus cum multa eſſent in Italia bella, quod Rex hinc abeſſet, illud tamen fuiſſe memoratu dignum, quod geſſere cum Rauennatibus Veneti multis ſibi inuicem malis terra, mariq. illatis:
ANN. M.CXLV. Pacem tamen, aut inducias inde conſecutas, patet, quia Poſtero anno, maiore adhuc comparato exercitu Rauennates; in quo præter Forliuienſes, & caſtri Leonis opidanos, Veronenſes, Ferrarienſes, Ceruienſes, Picentesq. & Chunradus Marchio militabant; Fauentinum agrum, menſe Iunio, ingreſſi, cum præda, incendio, & depopulatione infeſtum reddiderunt. Imperator erat exercitus, vir bello inclytus, & uirtute militari inſignis, ciuis Rauennas, Petrus Dux, cuius omnia conſilio agebantur. Erumpentes autem ex urbe Fauentini, cum ad campum Contratum perueniſſent, imminentibus iam tenebris, prædium diſtulere in poſterum diem: Verum nocte receperunt ſeſe Rauennates ad plebem Corlettam, eiusq. templi ſacram turrim deiecerunt. Inde ad XV. kal. Iul. caſtra ad S. Luciam locant. Obuios ibi Fauentinos; qui ſubſidia contraxerant incolarum Apennini, & Cæſenatium; habent: tum clamore undique ſublato, initum eſt prœlium. Extractum aliquandiu certamen eſt, uario euentu; dum autem Rauennates, qui conficiebant dextrum cornu, nonnihil cedere uiderentur, accurrit illis ſubſidio Petrus Dux cum expedita iuuenum manu, itaq. pugnam inſtaurant, & geminato robore

Fa-

Fauentinis inſtant, in aduerſo cornu dimicantibus, eosq. tandem terga uertere, & dare ſe in fugam cogunt. Sed cadente Petro Duce, cum noſtri animo, & uiribus; quæ ſolent magnam partem animo niti; concidiſſent, Fauentini, qui ſocios acerrimè pugnantes intuebantur, dedecore permoti, fugam ſiſtũt, repetuntq. quem deſeruerant, locum, & noſtros tandem in fugam coniiciunt, & ad Lanzolam uſque, id uici nomen eſt, perſequuntur. Vitalis Guiſus, Gatobatiratus, Vitalis Erlandus ex noſtris ſtrenuè pugnantes occubuerunt: Ducenti ceciderunt: Tercenti, uiui capti: Fauentini ex ſuis optimatibus Albericum, & Guidonem eius filium, Bernardinũq. Caminizam deſiderarunt. Menſe Decembri Petrus Dux, & Guglielmus Trauerſaria cognati, Ioannes, & Vgolinus Petri Ducis fratres, Sofia uidua iam alterius Petri Ducis, qui in prœlio ceciderat, vxor, D. Ioannis Euangeliſtæ cœnobio, multa in rure S. Stephani, dono dedere. Moyſi interea Archiepiſcopatus iuriſdictionem abſoluenti, Riuerſani incolæ ſacramentum dixerunt ipſe Tert. Non. Iul. Fiduciario iure tribuit Lamberto Comiti caſtrum nouum cum plebe, cum Lambertus, eo iuramento integro, quod iurauerat Rainerii Comitis filius, fidem Moyſi, ac ſucceſſoribus obſtrinxiſſet. Per id tempus Rambertus Fauentinorum Epiſcopus, Camaldulenſibus monachis, Fauentiam tunc primum ad DD. Hippolyti, & Laurentii ab ſe deductis, eam legem impoſuit, ut illis præficiendus Abbas, equum ſibi commodaret, quo Rauennam quotannis diebus Diuorum Vitalis, & Apollinaris feſtis, ſe conferret: ut iis conſtat tabulis publicis, quæ anno MCXLVI. ſexto Id. Aprilis hac de re confectæ, leguntur. ANN. M.CXLVI. Conſueuerant enim, idq. peruetuſto more, Archiepiſcopi Rauennates, ſtatis illis diebus, in dicta ſolemni omnium ordinum ſupplicatione, ſingulis annis præeuntibus in ſacra ueſte mitratis, ſubiunctis ſibi Epiſcopis, magna populi Rauennatis, ac finitimorum frequentia, ad templa procedere, ubi ſacra eorum Diuorum tutelarium corpora habentur, atque ibidem Diuinis operari: eodem hoc anno Moyſes Archiepiſcopus D. Ioannis Euangeliſtæ cœnobio multa conceſſit, præſertim plebem S. Apollinaris cum integro rure, quod uocabatur Inſigalia, ad hæc iugera terræ quadringenta in Tamara, & LXXV. in diœceſi S. Pancratii. Proximo anno cum in opido Vbaldo eſſet, eius dimidiam partem opidi, atq. item montis Cerni, fiduciario iure tradidit Traſimundo, Vguiccionio, Epiſcopo fratribus, & dimidiam partem Tertii poſitam in monte Auiano, & dimidiam partem, quæ Auſimana uocabatur, fundum Gauillianum, multaq. prætera prædia, quæ Rauẽnatis Eccleſiæ iuris erant, renouatis ea de re tabulis. ANN. M.CXLVII. Hoc anno inſignis omnium Occidentalium Regnorum, fuit in Aſiam, aduerſus Saracenos expeditio, Chunrado Cæſare, & Hludouico Galliæ Rege, Ducibus. Poſtero, Moyſi fuit cum Placentinis de eorum confirmando Epiſcopo, controuerſia: ANN. M.CXLVIII Placentinis autem rem ad Eugenium Pont. Max. deferentibus, eam Pontifex ad ſe traxit, & Moyſi deinde ſignificauit, iis litteris. *Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri Moyſi Rauennati Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quia de fraternitatis tuæ deuotione confidimus, ſtatum noſtrum tibi duximus intimandum. Non ſiquidem, & fratres noſtri, miſeratione Diuina, incolumes ſumus, & poſtquam Concilium de prouinciis Ciſalpinis, auctore Domino, celebrauimus, per Apoſtolicam gratiam multorum correctis exceſsibus, & in eodem Concilio, quæ ad honorem Domini ſtatuenda fuerant, conſtituimus, ad Italiam*

*Italiam redire diſponimus. Ceterum dilectioni tuæ nec moleſtium nec nolumus eſſe in-
cognitum, quòd Placentinæ Eccleſiæ electione, ſaluo iure tuo auctoritate Apoſtolica, cō
firmauimus: unde iam pridem per noſtra ſcripta, te duximus præmonendum, & id ip-
ſum, & præſentibus mandatis Epiſtolis, quatenus in proxima beati Lucæ feſtiuitate, ut
de illa controuerſia plenius cognoſcamus, cum tuis monumentis, & rationibus, noſtro te
conſpectui repræſentes. Placentini ſiquidem, ſicut nobis promiſere, ad præfixum
terminum venient, noſtris mandatis obtemperare parati. Aſſerebant ſiquidem, quòd
quamdiu Placentina fuit deſtituta paſtore, nullus eſſet, qui pro eadem Eccleſia ſtaret
in cauſa. Præterea tam ipſa, quàm tota ciuitas innumera incurrebant detrimenta.
Dat. Rhemis. IIII. kal. Aprilis.* Hactenus Pontifex · qui iam tertium annum Lu
cio mortuo, ſubrogatus, Romanorumq. inſolentiam aſpernatus, ac faſtum,
in Galliam ſe receperat, ibidemq. Rhemis hoc anno habuerat conuentum, de
quo iis in litteris meminit, & inter cetera Gilibertum Pictauienſium Epiſco-
pum, nouas de Trinitate quæſtiones temere inferentem, nec legitimis ſancto
rum patrum, ueteribusq. decretis ſtantem, exterminauerat. In Italiam au-
tem reuerſus Placentinæ controuerſiæ, quæ illi cum Archiepiſcopo Rauenna
ti erat, impoſuit finē, & ne deinceps dubitari poſſit, diplomate rem omnē
teſtatus eſt: quod hic apponendum integrum duximus, ita uti adhuc in tabu
lario Vrſiano, extat. *Eugenius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri,
Moyſi Rauennati Archiepiſcopo, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem: Dilecti
filij noſtri, Placentini Canonici, obeunte uenerabili fratre noſtro Arduino, bonæ me
moriæ, Epiſcopo, dilectum filium noſtrum, Ioannnem Abbatem de Columba, in pa-
trem ſibi, & Epiſcopum elegerunt: & ut ipſa electio firmitatem, auctoritatis noſtræ
munimine, ſortiretur, cum eſſemus Altiſiodori, per nuncios ſuos humiliter poſtularūt.
Nos uero Rauennati Eccleſiæ, tamquam ſpeciali filiæ noſtræ, ſuam iuſtitiam conſeruare
uolentes, eorum petitiones tunc non duximus admittendas. Poſtmodum uerò ijdem
filij noſtri apud Treuerim, noſtro ſe conſpectui præſentantes, idipſum a nobis inſtan-
tius petierunt, aſſerentes, poſſeſſiones Epiſcopatus, & bona: niſi firmaretur electio;
deuaſtari nimium, & conſumi, & nullam eſſe perſonam, quæ tibi ſuper hoc, & Ra-
uennati Eccleſiæ reſponderet, cum multas rationes dicerent ſe habere, pro quibus Pla-
centini electi, a Rauennate Archiepiſcopo conſecrationem ſuſcipere non debebant. Nos
itaque neceſſitatibus Placentinæ Eccleſiæ, paternæ charitatis debito, proſpicere cu-
pientes, electionem ipſam, in omnibus ſaluo iure Rauennatis Eccleſiæ, confirmauimus;
& ipſi Eccleſiæ Placentinæ, per Apoſtolica ſcripta mandauimus, ut proximè præterita
S. Lucæ feſtiuitate, noſtro ſe conſpectui præſentaret, tibi reſpondere, & quæ iuſtitia
dictaret, exequi præparati. Cum autem apud Papiam peruenimus, præſentibus dile-
cto filio noſtro electo, & Clericis Placentinis, tu frater Archiepiſcope humiliter poſtu-
laſti, ut inſtrumenta, & rationes Rauennatis Eccleſiæ attentius audiremus, & ipſi ca
nonicum finem imponeremus. Nos uerò eas, uſque ad terminum utrique parti præfi-
xum, audire diſtulimus, & tam tibi, quam alteri parti, dedimus in mandatis, ut me-
morato termino, omni ſepoſita occaſione, ad noſtram præſentiam veniretis. Cum igi-
tur præfixo termino, idem electus per ſe, aut per reſponſales, qui ſufficienter rationem
oſtenderent, ad noſtram uenire præſentiam contempſiſſet, priuilegijs prædeceſſorum
noſtrorum, felicis memoriæ, Gelaſii, Calliſti, Honorij, & Innocentij, Romanorū
Pontificum, & ſcriptis eorum, & noſtris diligenter inſpectis, in quibus continebãtur præcepta, ut memoratus frater noſter, bonæ memoriæ, Arduinus Epiſcopus Ra-*

uenna-

uennati Archiepiſcopo, tamquam Metropolitano ſuo, humiliter obediret, communicato fratrum noſtrorum conſilio, indicauimus, ut Placentinus electus, & ells, qui ei ſuccedent, a te, fratre Archiepiſcope, & a ſucceſſoribus tuis, tamquam a ſuis Metropolitanis, conſecrationem, ſine contradictione, ſuſcipiant, & eis de cetero, ſubiectionem, obedientiam, & reuerentiam, tamquam proprio Metropolitano, abſque moleſtia difficultatis, exhibeant: ſalua in omnibus Apoſtolica ſedis auctoritate. Si quis autem huius noſtra definitionis paginam, ſciens, contra eam temere uenire tentauerit, ſecundo, tertiove commonitus, ſi non ſatisfactione condigna, emendauerit, Clericus, Eccleſiaſtico beneficio, laicus verò, Chriſtiana communione priuetur. Fac mecum Domine ſignum in bonum. Ego Eugenius Catholica Eccleſiæ Epiſcopus. Ego Chonradus Sabinen. Epiſcopus: Ego Hubaldus presbyter Card. tit. SS. Ioannis, & Pauli. Ego Gilibertus indignus ſacerdos tit. S. Marci. Ego Guido presbyter Card. tit. S. Laurentij, & Damaſi. Ego Iulius presbyter Card. tit. S. Marcelli. Ego Guido Presbyter Car. tit. Paſtoris. Ego Octauianus Diac. Card. S. Nicolai in carcere Tulliano. Ego Gregorius Diac. Card. S. Angeli. Ego Ioannes Diac. Card. S. Mariæ nouæ. Ego Iacynthus Diac. Card. S. Mariæ in Coſmedim. Dat. Piſis, per manum Guidonis Diac. Card. & Cancell. IIII. Id. Nouembr. Ind. XII. Incarnat. Dominica anno MCXLIX. Pontificatus verò Domni Eugenij Papæ III. anno Quarto. Eodem annos confirmauit Moyſes D. Mariæ in portu, bona quæ illi tributa a Gualterio fuerant. Rauennates, per id tempus, cum ForoCornelianis fœdus fecerant, ipſiq. ForoCorneliani, Rauennatium viribus fiſi, tributum, quod ferre quotannis, Fauentinis, ac Bononienſibus, ſacramento tenebantur, aliquosq. iam annos ſoluerant, negarunt. fuit autem is annus à partu Virginis MCXLIX. Itaque Bononienſes, ANN. M.CXLIX. ac Fauentini uehementer indignati, magno comparato exercitu, vrbem ForumCornelii circumſident: arbores, uineas, ſegetes, uſq. ad foſſam vrbis incendunt, ac peruertunt: quo etiam tempore opidum ſanctum Caſſianum, & caſtrum Imolæ, quod ForoCorneliani deleuerant, reductis illuc habitatoribus, octodecim menſium ſpatio, reſtituunt. Vnde ForoCorneliani in dies acrius premebantur. Cum autem Donigaliæ, Cunii, & Bagnacaualli Comites, in ſuis ditionibus, quæ erant in planitie, patentibus campis, negociatione Fauentinos prohibuiſſent, niſi ſoluerent certum quotannis tributum, Fauentini, ſubſidio Bononienſium comparato, excurſiones faciunt in eorum agros, & undiq. populantur. Ceterum dum ouantes, domum quiſq. ſuam, redeunt, Rauennates qui rem ſenſerant, & ad opem ferendam accurrerant, irrumpunt in Fauentinos, nec diu poſt, ForoLiuienſes terga item eorum inuadunt: itaque pugnatum eſt, uſque dum aduentantes noctis tenebræ, & uulnera illata, laborq. finem, incerta licet uictoria, prœlio dederunt, adeo cruento, ut quibus in campis certamen fuit, ii dolentes, & propinquus riuus, ſanguinarius, uulgò appellati ſint. Haud ita diu poſt, Cunii Comes cum Fauentinis conuenit, ut ipſe, ciuis Fauentinus fieret, & in opido Cunio Fauentinos tantum præſidio haberet. Fauentini domum illi in vrbe Fauentia darent, & de habitatione accõmodarent. Sed cum deinde falſus increbuiſſet repentè rumor, clam ſentire cum Rauennatibus Comitem, illisq. opidum, & qui præſidio erant Fauentinos, tradere decreuiſſe, Fauentini arreptis armis, accurrunt ad opidum, illudq. funditus euertunt. Sunt qui ſcribant, id iniuſſu Conſulum Fauentinorum, factum. Exitu huius anni Quincto Id. Octobr. iuxta

plebem

plebem D. Martini è Materio,dum ibidem Moyſes Archiepiſcopus Rauennas
reſideret,&multi eiuſdem Eccleſiæ Canonici,& alii ſacrati uiri,& Lambertus
Alberri,Petri Vgonis,Petrus Honeſti,Guido Vberti,Ioannes Dux, Guido Te
grini, Salinguerra,multiq.præterea uiri nobiles, conqueſtus eſt cũ illisMoyſes
iniuriam,qua filii Guidonis de Epo, de Cuilliello,& Iſimbardus Vgonis è Sa-
bloncello filius,dum Rauẽnati Eccleſiæ præeſſet Gualterius,uillicum Eccleſiæ
Rauẽnatis, & Archiepiſcopi internuncium affecerant: nam illum Iſimbardus
in ipſis Rauennatis Eccleſiæ poſſeſſionibus, ceperat,capiſtroq. ad collum uin-
ctum, poſt equũ,uſq. Ferrariam,perq.vrbẽ ipſam Ferrariam,ad Eccleſiæ,&Ar
chiepiſcopi dedecus,traxerat.dein ambo deprædati fuerant,prædia,agricolas-
q.Rauẽnatis Eccleſiæ. Adhæc ſe aſtante Argentã iuerant,rumultuq.facto,cepe
rant opidanos Eccleſiæ Rauennati fideles. Hæc cũ Moyſes Archiepiſcopus di-
xiſſet, ſequutæ ſunt uariæ procerũ ſententiæ, neq. ramen quidquam eo die de
cretũ eſt.Poſtero,cum iterũ conueniſſent, dictis aliquot ſententiis, Albericus
Magani a fidelibus Eccleſiæ uiris ſibi imperatũ, inquit,ut diceret,uelle,eos,ut
filii Guidonis de Epo in feudum Argentæ reſtituerentur. Tunc Moyſes, Feu-
dum illis patris eorum tribuit,& internunciũ dedit,qui illos in poſſeſſionẽ mit
teret. Cum autem dixiſſet denuò Albericus, ſacramentum eos apud Moyſem
dicere oportere,iurareq.illud ſe opidum recte conſeruaturos,& fidos Archiepi
ſcopo,Eccleſiæq.Rauennati futuros,id ſtatim,manibus ad ſacra Euangelia ad
motis,nomine ſuo,liberorum,ſucceſſorumq. fecerunt,polliciti q. ſunt, auri li-
bras duas penſionis nomine quotannis ſoluturos. Biennio poſt, qui fuit annus
ab ortu Chriſti M CLI. V. Non.Iul.Rauennæ,Moyſes Archiepiſcopus, Ioan
nem cœnobii Clareuallis monachum,& Abbatem Columbæ,Epiſcopum Pla
centinum deſignatum,conſecrauit.Is autem Epiſcopum fidelem ſe fore,& ob-
ſequentem Eccleſiæ Rauennati, eiusq. Archiepiſcopis,ſacris contactis Euan-
geliis, ad altare reliquiarum in Vrſiano templo, iurauit. Adfuere Henricus
Cymacliensium, Petrus Ceruienſium,Gregorius Hadrianorum, Vbertus Bo
bienſium, Drudus Forliuienſium, Oddo Cæſenatium Epiſcopi. Paucis poſt
diebus has a Pontifice accepit litteras. *Eugenius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum
Dei, Venerabili fratri. M. Rauennati Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam bene-
dictionem. Quòd venerabilis frater noſter. L. Placentinus Epiſcopus pro ſedis Apo-
ſtolica obedientia, & reſtitutione Rauennat. Eccleſia. immenſis periculis ſit expoſitus,
fraternitas tua indubitanter agnoſcit. Dignum eſt igitur, ut in anguſtijs, & vexatio-
nibus ſuis, quas pro Eccleſia tua ſuſtinere dignoſcitur, fraternum ei ſolatium debeas
exhibere: ideoq. per præſentium tibi ſcripta mandamus, monemus, & exhortamur in
Domino, ut eidem fratri noſtro in ſuis neceſſitatibus debita benignitate prouideas,
& charitatis uiſcera ſibi fraterna aperias, ne tu de nimia duritia reprehendi rationa-
biliter debeas, & eum ad tuam obedientiam ſe humiliaſſe pæniteat. Dat. Signia. V.
kalen. Auguſti.* Interea ForoCorneliani,cum caſtrum Imolæ exiguo teneri præ-
ſidio ſcirent,Rauennaribus aliquot,ſtrenuis Ducibus, ſecum iunctis, nocte de
prima uigilia ForoCornelii erũpentes, opidum capiunt, obuios quotquot ha-
bent ad unum omnes trucidant,in quibus Guido Malabuca,Bagnacaualli Co-
mes, Rainutius Donatellus,& alii præterea Fauenrini,agriq. ForoCorneliani
incolæ maximè eminebant: Eodem anno,Guilelmus Trauerſaria, Rauennati
Piſcatorum ordini, paludes eas dedit, quas Petrus, & Mathildis præbuerant,
iiſdemq.adiectis condicionibus confirmauit.

HIERONYMI RVBEI HISTORIARVM RAVENNATVM

LIBER SEXTVS

MORSE Vercellenſi Archiepiſcopatum obeunte, quàm maxime flore Diuinus cultus apud Rauennates cœpit, dum Moyſes ſalutaribus monitis, & eximia religione, omnes ad virtutum uiam deduceret, ſummaq. ope niteretur, ut qui eſſent improborum uiam ingreſſi, diurius in ea ne cōſiſterent, & cum diu de Maſſa. . . . . cum Ferrarienſi Epiſcopo litigaſſet, eam tandem recepit, ita iubente Eugenio Pontifice, qui rationibus utrinque auditis, communicatoq. cū Cardinalibus conſilio, id litteris ſuis ad poſteritatem mandauit. Multa etiam Moyſes, Miliauaccis fratribus, in caſtro Vbaldo, Diœceſis Auximatis, dedit. ANN. M.CLII. Fundos in Taibano, quod agri nomen eſt, ab ſacris Virginibus D. Andreæ, per nefarios homines ui ablato, reſtituendos curauit, anno ab ortu Chriſti MCLIII. ANN. M.CLIII. Quo eodem anno cum ForoCorneliani a Bononienſibus, ad caſtrum Imolæ eſſent fuſi, fugatiq. cum Bononienſibus pacem fecerunt, iis præſertim pactis conditionibus, ut exercitum, atque equites mitterent, modò ne contra Rauennates. Hoc tempore, Chunrado Cæſari uita functo, Fridericus cognomento Aenobarbus, fratris filius, in Imperio ſucceſſerat. Rauennatibus autem a ForoCornelianis, iuſtis de cauſis alienatis, & præſidium negantibus Bononienſes denuo Forum Cornelii aggreſſi, illud capiunt, ſolo foſſam æquant, vrbis portas Bononiam inuehunt, & fœdus cum Rauennatibus inſtaurant. Moyſes, poſt Petrum Chryſologum, & Eleocadium, ſummæ inter Rauennates Archiepiſcopos doctrinæ famam adeptus eſt: fuit enim Diuinarum, & humanarum legum, aliarumq. præterea ſcientiarum peritiſſimus. Rauennati Eccleſiæ multa contulit, ſeptingentasq. libras auri, in redimendos oppigneratos agros illius, inſumpſit. Diem obiit, Anaſtaſii Quarti Pontificatu Max. qui fuerat Eugenio ſubrogatus, anno milleſimo centeſimo, quinquageſimo quarto ab ortu ANN. M.CLIIII. Chriſti, Sept. kal. Nouembr. Sepultus eſt in æde Vrſiana, in monumento marmoreo, iuxta ualuas maiores, ad læuam ingredientibus, ubi nunc ara extat D. Mariæ Virginis ab ſudore. Hac autem Moyſes inſcriptione utebatur. *Moyſes humilis, atque peccator, S. Catholicæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus.* iis fermè diebus Fridericus Cæſar in Galliam Ciſalpinam deſcenderat, & Romam Auguſtale Diadema accepturus contendebat. Moyſi in Archiepiſcopatu ſufficitur Anſelmus Hamelburgenſis Epiſcopus, tum primum è Græcia quo ad Emanuelem

nuelem Cæſarem a Friderico Cæſare de accipienda illi noua nupta,& de Gu-
glielmo Rege Siciliæ debellando, Legatus fuerat, reuerſus,legitimis Cleri, &
populi ſuffragiis deſignatus, qui, & Rauennatem ſimul Exarchatum, laboris
ſui magnificam,ut inquit Otho Friſingenſis, remunerationem, a Principe ha-
buit,eodemq. die,quo Fridericus Romæ ab Hadriano Quarto Pont. Max.qui
Anaſtaſio ſucceſſerat, in templo Vaticano D. Petri, coronatur, ipſe pallium,
quod eſt Archiepiſcopatus inſigne,ibidem Pontificia manu accepit, litteriſq.
X.kal. Ian.apud S.Petrum datis,Eugenii,& Anaſtaſii ſummorum Pontificum
exemplo,de Villa, omniq. Maſſa Firmiana,cum plebe S. Steph ani,ſentētiam
ſecundum tabulas tulit. Quid autem in Archiepiſcopo, Exarchi ſignificet titu
lus, Concilii Niceni ſacri Canones,de Epiſcopo Hieroſolymitano loquentes,
plenè indicant: *Reddat*,inquiunt, *Archiepiſcopo eius loci*, Cæſarienſem autem in
telligit, *debitum honorem, & uocetur ille Exarchus, id eſt maior quàm Archiepiſco-
pus*, atque ita fortaſſe ea etiam accipienda ſunt,quæ in Sardicenſi Concilio ha
bentur, de Epiſcopo conſtituere alium populo Epiſcopum renuente, *oportet*,
inquit, *admoneri per litteras Exarchi Prouinciæ, dico autem Epiſcopi Metropolitani.*
ut habet Gentiani uerſio. Egit autem apud Fridericum Anſelmus, una cum
Arnoldo Colonienſi Archiepiſcopo,ut magnifico antequam Roma diſcederet
ſcripto diplomate, Portuenſis cœnobii Rauennatis bona in clientelam recipe
ret. Nec diu poſt Fridericus Roma profectus, vbi Arnaldum Brixianum com-
buſſerat igni, cineresq. in Tiberim proiecerat,quòd ſermones ſpargeret In uul
gus, non licere Pontifici,aut ſacerdotibus tenere opes, omniaq. ad Imperato-
ANN. rem ſpectare, pleroſq. dies in Rauennati commoratus eſt. Vbi Anſelmus Ar-
M.CLV. chiepiſcopus,Chunrado Alamanno,Rauennæ Capitaneo; ita enim Præfectos
appellare conſueuerant; uſum fructum fundi Plancolæ dedit, Rodulfo Foro
Corneliano Epiſcopo, Ioanne Duce,& Guidone Deſdeo, ciuibus Rauennati
bus teſtibus. Fridericus Cæſar in Germaniam paucis poſt diebus abiit. Anſel
ANN. mus Archiepiſcopus Diœceſim de more inuiſit, poſteroq. anno VI. kal. Febr.
M.CLVI. fuit Ceruiæ. Rauennam mox reuerſus, totum ſe dedit, & ad Diuinum propa-
gandū cultum,& ad ditionem Eccleſiæ reſtituendam. Eodem hoc anno Portuē
ſes Canonici D. Iacobi ad Rafanariam, templum, Rambertino Fauentino Epi
ANN. ſcopo aſſentiente, reædificarunt. Anſelmus anno MCLVII. Quarto kal. De-
M.CLVII. cembr. ab Vgone,& Rainerio fratribus, Panigi Comitibus, Guidonis Comi-
tis Panigi filiis, aſſentiente Orabili eorum matre, & Giſa, ac Valdrada coniu-
gibus, emit nomine ſuo, Rauennatiſq. Eccleſiæ,ac ſucceſſorum in perpetuum
partes integras duas loci,qui Riuerſanum uocabatur,cum duabus caſtri,& ſub
urbiorum partibus, in territorio Cæſenati, & plebibus. S. Victoris in ual-
le, in monte Leucadii. Tertiam partem eius loci, curtemq. & arcem, Moyſi
Archiepiſcopo, auus eorum dono dederat. Centum quinquaginta quinque li
bris denariorum Lucenſium, Piſanorumve hanc fecit emptionem Anſelmus.
Quod pluris ualeret, aut æſtimaretur, id totum ex liberalitate, & ut animabus
ſuis,ac parentum remedio cederet, in perpetuum donarunt, auiq. donationem
ratam habuerunt. Acta hæc ſunt Rauennæ: Subſcripſere tabulis, Guido Vber
tini,& Thebaldus fratres, Petrus Trauerſaria, & Chunradus Alamannus Ca-
pitanei,Gutfredus miles, & Torellus filius Gruamontis Galligentis in guerra,
Reginus Trauerſaria, Gellus è Panigo, Rodaldus Bononienſis, compluresq.
alii.

alii. Qui mox Riuerſanum profecti,frequentem Conuentũ habuerunt, in quo eminebant Oddo Cæſenatium Epiſcopus, Petrus Abbas cœnobii D. Seueri, Ioannes Dux,Thebaldus Vbertini, Vbaldus Semorelli, Leonardus Andreæ è Calcinaria, Gellus è Panigo,Rodaldus Rubeus,Orlandinus Britius Bononienſes,omneſq.opidani:Illis edixerunt Vgo,& Rainerius Panigi Comites, ut Anſelmo Rauénatium Archiepiſcopo deinceps parerent. Se illos iurata ſibi obedientia eximere. Quæ cũ eſſent dicta,opidani ferè omnes fidem Anſelmo, ſacramento obſtrinxerunt: de abſentibus id ſe curaturum, Comitũ iuſſu, Oddo Cæſenas Epiſcopus pollicitus eſt.Fuit is dies Tert.Non. Decemb.Proximo anno Anſelmus Cremonam abiit,ad Cõuentũ,quem ibi Rinaldus Cancellarius, & Otho Palatinus,FridericiCæſarisLegati,in Italiam ab eo ad ciuitatum ſacramenta,de more,exigenda,præmiſſi,habuerunt.Cõſtituerat enim aduerſus Mediolanenſes, ſuum Imperium detrectantes,mouere Fridericus:neq.uerò ſolus interfuit Anſelmus ei Conuentui,ſed & ſubiuncti illi Epiſcopi;quod,& Mediolanenſis Archiepiſcopus cum ſuis fecit,Comiteſq.& Marchiones,ac Conſules finitimarumq. ciuitatum primores. Conuentu dimiſſo Legati,Aemiliaq.perluſtrata, Exarchatum Rauennatẽ adierunt, ac demum Arimino ſe contulerunt Anconem.Compererant enim Palæologum,& alios Byzantii Cæſaris internũcios ibi eſſe,ſpecie quidem,ut aduerſus Guglielmum Regem Siculum,milites, ſolidarios uocatos,conſcriberent,ſed re ipſa,ut maritimæ oræ ciuitates, quod ſæpius antea tentauerant,occuparent.Cum autem,illis Rauenna exeuntibus, parũq.iam inde progreſſis,nobiliſſimi aliquotRauennates ciues,obuii fuiſſent, qui ad Græcos ipſos Legatos profecti,in illorum congreſſum,ac colloquium uenerant,diuq. cum illis multa tractauerant,cum ſe ea cauſa a Rauennatibus deſpectos, & ſpe lucri Græcis poſthabitos noſſent, Otho Palatinus Comes diſtricto gladio,in Guglielmum Trauerſariam huius principem legationis,ac ciuitatis,irruit,captiuumq. illum abducere minatus,magnum omnibus terrorem intulit; ſed placatus tandem iter Anconam proſequutus eſt. Cum autem interea Fridericus magno contracto exercitu,deſcendiſſet in Italiam extremo mẽſe Maio,& in Brixiano conſediſſet,eum Rauennatium Legati, & optimates ciuitatis adhibuerunt, in primiſq. Ioannes Dux, qui militari uirtute apud omnes clarus,benignè a Friderico acceptus,nõ Rauennatibus modò cohortibus, ſed & aliis pleriſq. finitimorum populorum præfectus eſt. Hunc Radeuicus, *maiorem de Exarchatu Rauennatium*, vocat. Motis in Mediolanenſes caſtris, primũ ſe, tranſmiſſo Abdua, obiecit Tricium, Mediolanenſium opidum, ſitum in collis uertice. Cingebat amnis, illud Abdua ex una parte, alteram firmiſſimus murus: aderat,& turris munitiſſima: ponteq. ad copioſum exercitum traiiciendum aptiſſimo erat inſtructum. Hunc pontem Fridericus copiis ſuis traiiciendis commodum ratus, contendit occupare locum, atq. admotis caſtris, & uexillo ante portam locato, oppugnare inſtituit. Primum Rauennatibus certamen datum. ipſe ante alios Ioannes Dux ſuccedit, hortatur, imperat, quæ in rem ſunt: humilem collem eſſe, primam, ac ferè principem, eius expeditionis; prouinciam; quodq. plurimum intererat, Fridericum Cæſarem, teſtatorem, ſpectatoremq. uirtutis, atq. ignauiæ cuiuſq. adeſſe. His Rauennates uerbis, & innata uirtute, acti, in uulnera,ac tela ruunt, illis ſociam adiungit Fridericus Germanorum cohortem, & iunctis uiribus ita vrgent, ut opidani tan-

ANN. M.CLVIII.

dem, deſperata victoria, opidum tradere decreuerint. Cecidit tamen in hac oppugnatione GeebertusComes è Burench,& Ioannes Dux,ſcriptorũ eius ſæculi laudibus celebres;nam poſt Radeuicũ Canonicũ Friſingenſem,qui Othonẽ uſq. ad Alexandrum III. ſuppleuit, de eo ita carmine prodidit Guntherus.

Hic quoque Cæſareæ multi periere cohortis,
Quemq. domi famoſa Ducem Rauenna potentem
Miſerat, occubuit miſeranda clade Ioannis.

Opido occupato, & præſidio confirmato,ad oppugnationem Mediolanenſem proceſſum eſt. Eodem anno Bonifacius, Lamberti Comitis filius, ſuo,& Corboli fratris nomine, Anſelmo Rauennati Archiepiſcopo,dono dedit in perpetuum,eiusq. ſucceſſoribus,caſtri Muſtioli dimidiam partem,quam illius pater acquiſiuerat, ceteram, Albertus Comes, auus, Rauennati ipſi Eccleſiæ donauerat. Ad hæc caſtrum Montis alti integrum,& collinam cum plebe ſua; ita ruſticas nobiliores ſacras ædes appellitabant; quæ S.Apollinaris uocabatur. Caſtri etiam Maſſæ dimidiam partem,& montis S.Stephani,Caſtrum Ranclæ,cũ integra illius curte: montem Scutelum, qui dicebatur riuus latus. Fore etiam pollicitus eſt, ut eius frater, confirmaret hanc donationem, & Glazolum, caſtrum nouumq. opida integra,cum eorum templis, agriſq. ac iuribus: Donauit quoq. quæ ad illos, iure Mathildis Comitiſſæ,eorum auiæ,ſpectarent, omnia,quæq. Adelbertus Comes,eorum auus,Mathildis maritus,ipſius iuſſu vxoris, Eccleſiæ Rauennati iam elargitus fuerat, nempe, de opido Duouadora; Douadulam nunc, corrupta uoce, dicimus; & Monte acuto, & S. Angelo, & monte Raullo, & Valle de circa, & Raualdino opidis. Adhæc quicquid ad ipſos,ipſorumq. patrem,atq. auum ſpectabat in vrbe Forliuio,& eius ſuburbiis. Caſtrum item totum Meldulam, cum curte integra, iureq. omni: Quæcumq. etiam illis eſſent in agris ForiLiuii,Pompilii,Saſſinæ,Cæſenæ,Rauennæ, Fauẽtiæq.ſic tamen,ut dimidiam opidi Imeldulæ partem,Archiepiſcopus, emphyteutico iure nulli tribueret, nec alia ratione ulla alienaret, quæ nocere ipſis, qui donabant, poſſet. Ceteram dimidiam partẽ Archiepiſcopus, eodem ipſis iure daret: idem de tribus caſtri noui partibus,& arcis faceret,ceteras ſibi ſeruaret. His tabulis,Rauennæ X.kal. Iul. confectis ſubſcripſere, ipſe Bonifacius, & Albertus Archidiaconus, Petrus presbyter Cardinalis,Petrus Comes, PetrusTrauerſaria,Guido Vbertini,Petrus Dux,Chunradus Alamannus, Gerardus Tibertus,Geruaſius Lazarus, & complures alii. Interea Fridericus Cæſar Mediolanũ ſibi reſiſtentem obſedit: cuius obſidionis initio, pridie Id. Sextil. Anſelmus moritur. Illius inſcriptionem,ex uetuſtiſſimis Rauennatis Eccleſiæ monumentis,hanc legimus fuiſſe. *Anſelmus ſeruus ſeruorum Dei, Diuina gratia, ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus.& eiuſdẽ ciuitatis Exarchus*. Huncq. Radeuicus obſequio diuturno,fideliq. Imperio præſtito clarũ, prudentia inſignẽ, & litteris apprimè excultum ſcribit. Anſelmo, Fridericus Cæſar ſubrogauit Guidonẽ Mediolanenſem,Guidonis Blanderatenſis Comitis filium: fuerat is Comes,qui Mediolanenſibus ſuis perſuaſerat,ut obſidenti ſe Friderico dederent,& legatione perfunctus, ciues ſuos, Fridericumq. inter ſe conciliauerat, ſcriptis certis condicionibus,& vtrinq. VI.Id.Sept.hoc eodem anno acceptis. Fuit hæc Guidonis Archiepiſcopi Rauennatis adlectio, magni Seminariũ diſſidii,quod poſt,ingentia inter Pontificem,ac Cæſarem mala produxit. Cõpo-

ſita

ſita enim Gallia Ciſalpina Fridericus,& nouis cõſtitutis Regni iuribus,habito
ad Roncalias conuentu,cũ Albam in hiberna conceſſiſſet, Legatũ miſit ad Ha
drianum Pontificẽ, ut Guidonem Rauennæ Antiſtitẽ ab ſe in locum Anſelmi
mortui ſuffectũ,cõfirmaret. Ceterum id non impetrauit,quòd diceret Hadria
nus Guidonem R.E. ſubdiaconum eſſe,nec propterea iniuſſu ſuo,ad aliam Ec
cleſiam ſuiſſe traducendũ , uerum Romana in Eccleſia prouehendum : Vide-
bat enim Hadrianus,quò Fridericus tenderet,qui & ſuperiore anno maximas
turbas fecerat, ob id quòd Hadrianus ſcripſiſſet, Põtificem,beneficii loco, Fri
derico inſigne Regium contuliſſe,negabat ſiquidem; id, quod tamen res erat;
Reges Germaniæ,Imperium,Pontificum Romanorum beneficio obtinere. Et
Rolandum Pontificium Legatum , id affirmare conantẽ, Otho Palatii Comes
ſtricto gladio appetierat,ac mortẽ intentarat. Sicut Friderici iuſſu abire Ger-
mania Legati coacti fuerint . Proximè etiam ad tributum in vrbibus Eccleſiæ
ſubiectis exigendũ miſerat, & Epiſcopos Regalia,uti tũ dicebant,renunciare;
ac ſacramentũ apud ſe dicere iuſſerat . Hæc autem cum ita eſſent tamen nihil
Friderici potentia deterritus Pontifex,inuicto animo Eccleſiæ libertatem tue
ri,conqueri de Friderici progreſſibus,eumq.per litteras accuratè monere,inſti
tit,& licet per Epiſcopum Vercellenſem internunciũ ab eo Fridericus etiam,
atq.etiam petiiſſet Guidonẽ Blanderatenſem Archiepiſcopum a ſe Rauennati
bus datum confirmari,ac conſecrari,idemq. alio internuncio, Hermanno Fer-
denſe Epiſcopo miſſo, denuò flagitaſſet, nihilominus aſſentiri Pontifex num-
quam uoluit: cuius rei teſtes adhuc ſuperſunt litteræ ſcriptæ . Ita enim Cæſa-
rianæ habent. *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus,*
Hadriano Romanæ Eccleſiæ venerabili Pontifici. Dilecto & fideli noſtro Anſelmo, bo
næ memoriæ, Rauen. Eccleſiæ venerabili Epiſcopo defuncto, ne curia noſtra diutius tan
to careret Principe, operam dare curauimus, loco eius talem ſubrogari perſonam, quæ
pro tempore ad reſarcienda Eccleſiæ illius damna, & ad noſtrum peragendum ſerui-
tium apta videretur. Ante omnia autem præ oculis mentis habentes, & aure non ſurda
audientes quod ſcriptum eſt, Honore inuicem præuenientes, filium Comitis Blandera-
tenſis, quem uos in clericum R. E. & filium, noſtra petitione aſſumpſiſſe recordati ſu-
mus, viciſſim ad honorem ueſtrum, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ altius ſublimari intendi
mus, in ea præſertim Eccleſia, quam poſt ſanctam Romanam Eccleſiã, aut maximam, aut
unam de maximis habemus, noſtraq. uoluntatis propoſito, Diuina fauente clementia, in
electione illius perſonæ, concorditer, & uoluntaria uniuerſa Rauennas conuenit Eccleſia
præſentibus uiris honeſtiſſimis, Legato noſtro, & ueſtro, hinc Iacincto Cardinali, inde
Hermanno Ferdenſi Epiſcopo: Scientia autem, & moribus in perſonam præfati ele-
cti, unà cum genere conuenientibus, propter reuerendum ueſtræ paternitatis teſtimo-
nium commendabilior, & acceptior eadem perſona nobis iam facta eſt, quam utique
etiam diligi a uobis, & honorari gaudemus, & uolumus: ea tamen ratione, & ordine quo
patres, filios ſuos ſolent diligere, quos ſuo tempore, & manumittunt, & domui ſuæ proui
dere permittunt. Et quidem decentiſſimum, & ſanctam Romanam Eccleſiam, tamquam
matrem omnium Eccleſiarum, filios, qui ſunt fructus uentris, aggregare, & aggregatos
ad decorem domus Dei, per domos, & familias diſtribuere: quibus etiam noſtrum impe-
rium, tamquam ab utero, & gremio matris noſtræ progredientibus, debeat, & uelit con
gruum honorem impendere. Proinde altiori conſideratione ueſtra perpendat diſcre-
tio, quid in hac cauſa tam ueſtræ, quàm noſtræ maieſtati, & honeſtati cõueniat. Ad has

autem litteras, ita Pontifex reſpondit. *Hadrianus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo in Chriſto filio, Friderico, illuſtri Romanorum Imperatori, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Qualiter ſuperni conditoris intuitu, & tam Excellentiæ tuæ, quàm dilecti filij noſtri Guidonis Blanderatenſis Comitis interuentu, dilectum filium, Guidonem ſubdiaconum noſtrum, eiuſdem Comitis filium, olim in familiaritatem, & in noſtrum conſortium receperimus, qualiter etiam intuitu probitatis eiuſdem, atq. pro honore, & utilitate ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, tamquam ſi in Diaconum iam fuerit ordinatus, Eccleſiam ei ſpecialiter aſsignauerimus, & nos profecto memores, & a Serenitatis tuæ memoria non credimus excidiſſe. Nunc autem honeſtatem ipſius conſiderantes, & prouectũ ſcientiæ, ſi ei uita Comes fuerit, attendentes: intelligentes etiam, quanta per eum, ac per nobiles, & potentes parentes ipſius, ſacroſanctæ R. E. adhuc potuerint commoda prouenire, & ad quantum dignitatis apicem in eadem Romana Eccleſia ipſe ualeat, uito generi concordante, conſcendere, cum a ſede Apoſtolica in ſubdiaconatus officium ſit promotus, & ei, tamquam ſi iam Diaconus eſſet, ſicut ſuperius dictum eſt, a nobis ſit Eccleſia ſpecialiter aſsignata, communicato fratrum noſtrorum conſilio, a noſtro latere tam pretioſum pignus, iuxta petitionem excellentiæ tuæ, non potuimus remouere, ſed ipſum, opportunitate accepta, Deo auctore, in Romana Eccleſia, ad honorem eiuſdem Eccleſiæ, & Imperij, intendimus ordinare, ut, uel in ea, prout Diuina gratia propoſuerit, quandoq. ad ſublimiora conſcendat, uel exinde ad alterius Eccleſiaſticæ faſtigium dignitatis ipſum contingat, auxiliante Domino, peruenire. Conuenientius ſiquidem eſt, ut qui filius, & clericus eſt Romanæ Eccleſiæ, ab eius gremio non recedat, & ipſa ei circa ſe locum dignitatis conferens, eidem inde prouideat altiora, Ipſa etenim uiros, & moribus & ſcientia adornatos, prædictos honeſtate, & ſanguinis nobilitate præclaros, ad ſe libenter euocat, & eos aliunde conſueuit admittere, non ſe talibus, cum ipſos in gremio ſuo habeat, facile ſpoliare. Quia igitur hoc decentius eſſe conſpicimus, & honorabilius exiſtere arbitramur, confidentes etiam Imperatoriæ maieſtati hoc potius debere placere, & gratum, atque acceptum eſſe, poſtulationem tuam in hoc parte non duximus admittendam: credentes, atque ſperantes, quòd ex quo noſtram ſuper hoc cognoueris uoluntatem, tu ipſe noſtram intentionem, & propoſitum commendabis.*

ANN. M.CLIX. Inſequenti anno, dum nouis Mediolanenſium rebus incitatus Fridericus, Mediolano bellũ inſtaurat, Hermannus Vendenſis Epiſcopus, eius Legatus, Quarto kal. Iul. Conuentum ante ædem D. Mariæ in portu e ſaltu, & ſecum Rolandus Iudex aulæ habuit ad audiendum, quòd deferebatur de Girardo Comite Figarioli, qua ratione Ferrarienſibus Villam Portam, eiuſq. plebem, ceteraſq. uillas omnes, uſque ad locum, quem Ruptam de Gonzolino appellabant, tribuiſſet: deq. aliis villis Rauennatis Eccleſiæ, ac Rauennatiũ, de Inſula ſaltus. Cumq. tabulas publicas inſpexiſſet, tandem omnes eorum incolas, iurata Ferrarienſibus obedientia abſoluit, & ſacramentũ Rauennati Eccleſiæ dicere mãdauit, reſtituitq. Guidonẽ Vbertini, & Petrum Trauerſariam, in poſſeſſionem, Rauennatis Eccleſiæ nomine, eorũ omnium locorũ. Adfuere e Rauennatibus quamplures, & eius loci populus fere omnis; ſacriq. æris ſonitu ſingulis in locis ſignũ lætitiæ datum. Paulo poſt, Alexander Tert. Hadriano kal. Sept. mortuo ſubrogatus, Abbatibus D. Felicis Bononienſis, & D. Rophilli Foropõpilienſis, & Præpoſito Fauentinæ Eccleſiæ mandauit, ut opidi Britonorii homines, ſacramento fidẽ Eccleſiæ Rauennati, ad quam ſpectabant nullo medio, dare curarent: ut patet litteris Id. Octobr. Pontificatus anno primo Anagniæ ſcriptis.

Ana-

Anagniam; Octauianus ſubdititius Pōtifex a duobus Cardinalibus electus, & Victor quartus appellatus, Alexandrum eiecerat, legitimum Pontificem Max. tanto diſſidio, ut hinc non omnes ſolum Occidentales Eccleſiæ, ſed Regna etiam inter ſe, ac Prouinciæ, Ciuitatesq. diſiunctæ, dum Gibellinorum, & Guelforum nomina, ex uetere Germaniæ diſſenſione deſumpta, præferrent, inexpiabili penè in multa ſæcula, calamitate, uehementer laborauerint. Sed quando horum Comitiorum, ac diſſidii rationem integram ſuis litteris, quæ manuſcriptæ ſeruantur adhuc in tabulario Vrſiano, Alexander explicuit, non eſt, quòd diligentius enarrare ſtudeamus. Hæ autem illæ ſunt. *Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, & uniuerſis Eccleſiarum Prælatis, per Liguriam, Aemiliam, Hiſtriam, & Ducatum Venetiæ conſtitutis, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Aeterna, & immutabilis prouidentia conditoris, ſanctam, & immaculatam Eccleſiam a ſuæ fundationis exordio, ea ratione uoluit, & ordine gubernari, ut unus ei paſtor, & inſtitutio exiſteret, cui uniuerſi Eccleſiarum Prælati, abſque repugnantia, ſubiacerent, & membra tamquam ſuo capiti cohærentia, ei ſe mirabili quadam unitate coniungerent, & ab ipſo nullatenus diſſiderent. Qui verò Apoſtolis ſuis pro eorum fidei firmitate promiſit, dicens Ecce, Ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi, ille proculdubio Eccleſiam ſuam, cuius ipſi Apoſtoli magiſtrum aſſumpſerant, ſua promiſſione fraudari nullo modo patietur, ſed eis in ſuo ſtatu, & ordine, licet, ad inſtar nauiculæ Petri, fluctuare aliquando uideatur, perpetuo faciet permanere. Vnde, & qui hoc tempore tres falſi fratres, qui a nobis quidem exiere, ſed non fuere de nobis, transfigurantes ſe in Angelos lucis, cum ſint Sathanæ, inconſutilem Chriſti tunicam, quam utique ipſe idem, & perſona Pſalmographi a Leonibus petit, & a framea erui, & de manu canis, orat, ac poſtulat liberari, ſcindere, & laniare laborent, Chriſtus tamen auctor, & caput Eccleſiæ, iam uelut unicam ſponſam ſuam, prouida gubernatione tuetur, & nauem egregij Piſcatoris, licet ſæpius quatiatur a fluctibus, non permittit naufragium ſuſtinere. Porrò cum anteceſſor noſter bo: mem: Hadrianus Papa Kalend. Septembris, dum eſſemus Anagniæ, debitum naturæ ſoluiſſet, & de terris ad cælum, de imis migraſſet, uocante Domino, ad ſuperna, eo Romam adducto, & ſecundo nonas Septembris, in Eccleſia beati Petri, præſentibus ferè omnibus fratribus, ſatis honorificè, ſicut moris eſt, tumulato: cœperunt fratres, & nos cum eis, ſecundum conſuetudinem, de ſubſtituendo Pontifice, in eadem Eccleſia ſtudioſius cogitare: & tribus diebus inter ſe, de ipſius Eccleſiæ uacantis, tandem in perſonam noſtram, inſufficientem huic oneri, & tantæ dignitatis faſtigio minime congruentem, omnes fratres quotquot fuerunt, tribus tantum exceptis, Octauiano ſcilicet, Ioanne de ſancto Martino, & Guido Cremenſe, Deo teſte, quia non mendacium fingimus, ſed ueram, ſicut eſt, loquimur, ueritatem, concorditer, atque vnanimiter conuenere: & nos, aſſentiente Clero, & populo, in Romanum Pontificem elegere. Duo uerò, Ioannes uidelicet, & Guido, quos prænotauimus, tertium, Octauianum uidelicet, ruminantes, ad eius electionem pertinaciter intendebant: Vnde ipſe Octauianus in tantam audaciam, ueſaniamque prorupit, ut quod mantum, quo nos reluctantes, & renitentes, quia noſtram inſufficientiam uidebamus, iuxta morem Eccleſiæ, Oddo Prior Diaconorum, de mandato, & uoluntate fratrum, induerat, tamquam arreptitius, a collo noſtro proprijs manibus, uiolenter excuſſit, & ſecum in*

ter tumultuoſos fremitus aſportauit. Ceterum cum quidam de Senatoribus tantum facinus inſpexiſſent, unus ex eis, ſpiritu Diuino ſuccenſus, mantumipſum de manu eripuit ſæuientis: ipſe uerò ad quendam Capellanum ſuum, qui ad hoc inſtructus uenerat, & paratus, illicò flammeos oculos fremebundus inflexit; clamans, & innuens, ut mantum, quem ſecum fraudolenter, & occultè portauerat, feſtinanter afferret. Quo utiq. ſine mora delato, idem Octauianus abſtracto pileo, & capite inclinato, cunctis fratribus aut loco, inde, aut uoluntate remotis, mantum per manus eiuſdem Capellani, & cuiuſdam alterius Clerici ſui, ambitioſus aſſumpſit: & ipſe idem, quia non erat alius, in hoc opere, Capellano, & Clerico extitit coadiutor. Verum ex Diuino iudicio credimus contigiſſe, quòd ei pars manti, quæ tegere anteriora debuerat, multis uidentibus, & ridentibus, poſteriora tegebat: & cum ipſe idem hoc emendare ſtudioſius uoluiſſet, quia capicium manti, extra ſe raptus, non poterat inuenire, collo inferiorem fimbriam circumduxit, ut ſaltem mantus ipſe appenſus, & quomodolibet uideretur: ſicq. factũ eſt, ut ſicut torta mentis erat, & intentionis obliqua, ita ex tranſuerſo, & oblique, mantum fuerit, in teſtimonium ſuæ damnationis, indutus. Quo facto, portæ Eccleſiæ, quæ firmæ fuerant, reſerantur, armatorum cunei, quos; ſicut ex re apparuit; pecunia largitione conduxerat, euaginatis gladijs, cum immenſo ſtrèpitu cucurrere, & peſtis illa mortifera; quia Cardinales, & Epiſcopos non habebat; armatorum caterua militum uallabatur. Conſiderate itaque uenerabiles in Chriſto fratres, tam piaculare flagitium, & ex facto hoc, ſacrilegium diligenter attendite, & uidete ſi eſt dolor, ſicut dolor iſte: & ſi ab exordio naſcentis Eccleſiæ tanta ueſania umquam fuerit ab aliquo Schiſmatico, uel hæretico attentata. Fratres verò facinus tam immenſum, & a ſæculis inauditum ex inſperato uidentes, & formidantes ne a conductitijs militibus erectum adorare idolum cogerentur, ſeſe in munitionem Eccleſiæ nobiſcum pariter receperunt: in quâ nouem diebus continuis, ne exinde liberè exiremus, fecit nos quorundam Senatorum aſſenſu, quos pecunia oblata corruperat, die, noctuq. armata manu, cum omni diligentia cuſtodiri. Sanè populo inceſſanter, & iugiter conclamãte, & in Senatores pro tanta impietate, multa immanitate fremente; de cuſtodia fuimus illius munitionis erepti, ſed in arctiori, & tutiori loco apud Transtyberim nos ijdem Senatores, recepta inde pecunia, poſuerunt. Cumq. moram ibidem ferè per triduum feciſſemus, uniuerſo populo tantam proditionem, atque malitiam de cetero nullatenus ſuſtinente, Senatores cum nobilibus, & populo uenientes, nos, & fratres noſtros per vrbem magnificè, & honorificè, cum immenſis laudibus, & præconijs, campanis etiam in tranſitu noſtro ubique pulſantibus, conduxerunt: & ſic tandem a uiolentia perſequentis erepti, & noſtræ redditi libertati, ſequenti die Dominico, uigilia ſcilicet ſancti Matthæi, uenerabilibus fratribus noſtris Gregorio Sabinen. Hubaldo Oſtien., Bernardo Portuen. Vualterio Albanen. Ioanne Signen. & Berardo Terracin. Epiſcopis, Cardinalibus quoque, Abbatibus, Prioribus, Subdiaconibus, Iudicibus, Aduocatis, Scriniarijs, Primicerio, & Schola Cantorum, nobilibus etiam, & plurima parte populi Romani apud Nympham non longe ab vrbe congregatis, munus conſecrationis accepimus: & ſicut in Romana Eccleſia conſuetudinis eſt, ibi Pontificali Regno magnificè fuimus, ac ſolemniter coronati: Ceterum prædictus Octauianus pro conſecratione, imò execratione ſua, dum & in urbe eſſet, & poſtquam latenter Vrbem exiuit, multos Epiſcopos conuocauit pro ſua temeritate, & veſania confirmandus. Quorum quoſdam Imperialibus minis, quoſdam violentia laicali, quoſdam verò pecunijs, & blanditijs allicere voluit;

ſed

ſed nihil tunc, Domino impediente, profecit. Verùm memorati Ioannes, & Guido, cæcitatis tenebris obuoluti; quoniam ſcriptum eſt, peccator cum uenerit in profundum uitiorum, contemnet; nec ſic a ſua præſumptione damnandi reſipiſcunt, ſed eundem Octauianum, quem ſibi in ſtatuam erexerunt, obſtinata perfidia uenerantur, & eum, relicta unitate eccleſiæ, præſumunt vſque adhuc, tamquam idolum, aut ſimulachrum adorare: Ipſe autem Antichriſti tempora præfigurans, vſque adeò erectus eſt ſupra ſe, vt etiam in templo Dei ſederit, oſtendens ſe, tamquam ſit Deus, & multi abhominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, non ſine multarum lacrymarum effuſione, corporeis oculis inſpexerunt. Porrò cum videret, quòd nullus Epiſcoporum præter vnum Ferentinatem ..... ad ſuam vocationem accederet, cœpit per diuerſos anfractus, & deuia quæque terrarum, tam per ſe, quàm per milites ſuos, per Guidonem quoque Cremenſem, & nuncios Imperat. tribus continuis hebdomadibus, pro inueniendis Epiſcopis multipliciter fatigari: & ſic tandem Melfitenſem quendam Epiſcopum fugitiuum, & exulem, in Anconæ finibus latitantem, poſt multas anguſtias, & labores inuenit. Sed octo diebus antequam prædictum exulem inueniſſet, tam ipſe Apoſtaticus Octauianus, quàm præfatus Ioannes, & Guido, Ferentinus quoque Epiſcopus, qui ei, ab ipſo exordio ſuæ perditionis adhæſit, & quicumque ei præſumeret manus execrationis imponere, de communi fratrum noſtrorum Epiſcoporum, & Cardinalium voluntate, atque conſilio, accenſis candelis, & cœtu clericorum in Eccleſia congregato, a nobis vinculo fuerunt anathematis, excommunicationi adſtricti, & cum ſuo auctore Diabolo condemnati. Hanc autem excommunicationis, & condemnationis ſententiam, octauo die a conſecratione noſtra, terminum ei reſipiſcendi, & ad unitatem matris Eccleſiæ præfiximus, a nobis noueritis celebratam. Tuſculanus igitur, qui tamquam Draco .... in inſidijs latitabat, & nondum in aperto iniquitatis ſuæ virus effuderat, Melfitenſis quoque, & Ferentinus Epiſcopi inſimul congregati, præſentibus quidem ſupra nominatis Ioanne, & Guidone quondam Cardinales, a communione, & gremio ſanctæ matris Eccleſiæ ſequeſtratis, memoratus Octauianus Apoſtaticus, & ſchiſmaticus, in quinctodecimo a conſecratione noſtra, octauo autem a publica excommunicatione ipſorum, exetrare, auſu Diabolico, præſumpſerunt. Modum profectò, & formam execrationis ipſius, & quæ deteſtanda perſona excommunicata ſimul, & in perpetuum condemnata, ad celebrationem tanti conuenerint ſacramenti; ſine aliquo verbo cuiuslibet adiectionis, uel repreſſionis, audiſtis. Vos autem quàm ſanctè, quàm rationabiliter, quàm dignè excommunicatus, a publicè excommunicatis, ſciſmaticus a ſciſmaticis, hæreticus ab hæreticis conſecrari potuerit, diligenter aduertatis, & ſicut vobis veſtra conſcientia perſuaſit, iudicetis. Sanè nos infirmitatem noſtram, & virtutum indigentiam cognoſcentes, noſtrum iactamus in Domino cogitatum, ſperantes, & de Chriſti miſericordia plenius confidentes, quod Eccleſiam ſuam ſanctam, pro qua ipſe idem in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit, ut eam ſibi non habentem rugam, aut maculam exhiberet, optata faciet tranquillitate lætari, & procellarum omnium inundatione ſedata, nihil erit, quod ei iure poſſit obſiſtere, ubi unicus ſponſus eius uoluerit nubiloſa quæq. ac noxia propulſare. Nos igitur, quia de noſtrorum meritorum qualitate diffidimus, & de honeſtate, ac religione ueſtra plenam fiduciam obtinemus, ueſtris & uniuerſalis Eccleſiæ precibus, infirmitatem noſtram petimus adiuuari, Charitatem ueſtram per Apoſtolica ſcripta rogantes, & commonentes attentius, ut ſicut uiri catholici, omni fide feruentes, uos, pro domo eius, muros inexpugnabiles opponatis, & in deuotione, ac fidelitate matris ueſtræ, ſacroſan

cta Romana Eccleſia immobiliter perſiſtentes, ab eius vnitate nullo modo recedatis. Quòd ſi præfatus Octauianus vir impietatis ad partes veſtras aliqua damnationis ſuæ ſcripta tranſmiſerit, ea ſicut reſpuenda ſunt, reſpuatis & tamquam vana, atque ſacrilega, contemnere atque abijcere ſtudeatis. Nouerit inſuper diſcretio veſtra, quod tam prænominatos ſciſmaticos, & filios perditionis, quàm omnes alios complices, & principaliter coadiutores ipſius apoſtatici, & omnes, qui ſcienter ei communicauerint eidem excõmunicationi, & condemnationi decreuimus ſubiacere. Dat. Anagniæ. Id. Dec.

Hæc Alexander. Sed Fridericus Cæſar Guidonem Archiepiſcopum Rauennatem deſignatum, & Othonem Comitem Palatinum miſit, qui Alexandrum
ANN. M.CLX. & Octauianum, certo die proximi anni, qui, dies IIII. Non. Febiuar. fuit, Ticinum, in conuentu uirorum Principum cauſam ſuam dicturos, proficiſci iuberent. Quod Alexander Pontifex renuit, cum aperte uidiſſet Cæſaris adminiſtros fauentes Octauiano, & diceret, æquum non eſſe, ut cui iudicium a Deo in homines eſſet conceſſum, is humano iudicio ſe committeret. Octauianus animi Cæſaris non ignarus, eò conuenit, cumque nemo eſſet, qui aut pro Alexandro dicere, aut repugnare Friderico, Octauianũ legitimum eſſe Pontificem affirmanti, auderet, Guido Archiepiſcopus, & humili pedum oſculo illum ueneratus eſt, & perinde ac Pontifici Max. fidem ſacramento obſtrinxit: quod etiam in eodem Conuentu ab Duce Boemiæ, a Peregrino Aquileienſi Antiſtite, a Coloniæ Agrippinæ, & Viennæ Epiſcopis, a multisq. prætereа Præſulibus factum eſt, lectæq. litteræ ſunt Regum Daciæ, Normandiæ, Vngariæ, ſex item Archiepiſcoporum, Epiſcoporum uiginti, plurimorumque Abbatum, qui Friderici litteris, & auctoritate permoti, idem ſe facere, abſentes, aſſeuerabant. Guido Archiepiſcopus Rauennas, pro ſumma integritate ſemper Friderico cariſſimus, & omnium conſiliorum eius particeps fuit. Quod in eo maximè conuentu uiſum eſt, quòd paulo poſt Cæſar habuit ad Laudem Pompeiam, ubi & Octauianus interfuit ſubdititius Pontifex. In eo enim cum grauiſſimæ dicerentur ſententiæ, de ſumma belli aduerſus Mediolanenſes ſuſcipiendi, in illis Guido facile primas habuit: Eique Fridericus, Decimo ſexto Kal. Maias, omnium Archiepiſcoporum Rauennatum, quæ ad eam diem habuerant, priuilegia, Epiſcopatus, omnia denique, quæ tributa illis antiquitus fuerant, & iuſte poſſiderentur, confirmauit. Hæc autem ibi numerantur. Ager Cæſenas, vnà cum Caſtro uetere, & nouo, iisq. omnibus iuribus, quæ ad illius iuriſdictionem, ac munus ſpectarent. Opidum Riuerſanum. Ager Ceruienſis, quem ueтere uocabulo, Ficoclenſem appellat, eiusq. Epiſcopatus vrbis, & litus maris. Ager Bobianus, Foripompilianus: Caſtrum nouum. Ager Foroliuienſis, omnes Foroliuienſium Ciuitates, omniaque tandem iura. D. Hilari Galliatenſis cœnobium, cum omnibus, quæ illius eſſent. Arimini, cœnobium S. Thomæ, & D. Euphemiæ, cum iis omnibus, quæ Rauennati Eccleſiæ Diaconus Petrus, Martini Ducis filius dono dederat. Omnia item, quæ Englarata Comitiſſa retinuerat: quemadmodum Otho Cæſar Petro Rauennatum Archiepiſcopo confirmauit. Quæ etiam Lambertus, eiusq. vxor, ac filii, a mari ad Apenninum, ab Rheno flumine ad Iſaurum poſſederant. Ager Rauennas, quæq. in eo eſſent, omnia, ſummumq. in ipſa ciuitate ius: iis tantum exceptis, quæ Imperium ſpectabant, quæq. a Cæſaris Vicario, internunciove; qui commorari eadem in vrbe conſueuerat,

ſueuerat, iure beneficiario adminiſtrarentur: necnon & illis, quæ a Cæſaribus eodem iure tributa alicui vnquam fuiſſent. Ager Cymacliensis, & in eo omnia, ubi piſcatus exerceri poſſet, & ripa. Portus Volanæ, uſque ad portum Ceruiæ. Ager Trauerſarius, Decimanus, cœnobium Pompoſianum. Ager Argentæ vniuerſus, Rauennam uſque, cum Pado, ripa, & paludibus. Voluitq. uti naues omnes, quæ Argenta tranſirent, tantundem ſoluerent, quantum & Cremonenſium: iis exceptis, quorum naues nihil portorii ſoluere conſueuiſſent. Maſſam item cognomento Fiſcaliam, & Cornu Ceruinam, & alia, quæ in Ferrarienſi iuſtè poſſideret, firmauit, & rata habuit: ſanxitque ut Rauennatis Eccleſiæ bona, non niſi centum annorum ſpatio præſcriberentur. Horum omnium teſtes fuere Rambertus Fauentinus, Albertus Regienſis, Albericus Laudenſis Epiſcopi. Fridericus puer, Sueuorum Dux, Chunradi Regis filius, Ermannus Marchio Veronenſis, Otho Palatinus Comes, cum fratribus ſuis, & Principes præterea uiri complures, ipſeq. Petrus Dux, Petrus Trauerſaria, & Chunradus Rauennates Capitanei, in iis tabulis, quæ extant adhuc in D. Vitalis Bibliotheca, uocati, & Berardus Rauennatis Eccleſiæ Cardinalis, Amariſius Rauennas, Farulfus Fauentinus, & alii plures. Vlricus autem ſacri Palatii Imperialis cancellarius recognouit. Dat. Laude, anno Regni Friderici octauo, Imperii. V. Huius autem Diplomatis initium tale eſt. *Fridericus Diuina Fauente clementia Romanorum Imperator, & ſemper Auguſtus. Ratio exigit, & Imperiali congruere uidetur honori, ut affectuoſa, & præclara obſequia fidelium noſtrorum, benè merentium de nobis, præ oculis, & manibus memoriter habeamus, & iuxta Imperialem magnificentiam, dignum fauorem, dignam gratiam, dignamq. retributionem eis ita rependamus, ut aliorum ſtudia, & uoluntates ad ſeruiendum deuotius Imperio, alacrius excitemus. Ea propter vniuerſorum Imperij noſtri fidelium tam futura, quàm præſens ætas cognoſcat, qualiter, dilectus Princeps noſter Guido, Ven. Sanctæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus, adhuc ſub primordio noua electionis ſuæ, noſtræ Maieſtatis præſentiam humiliter adierit, & tam pro inueſtitura Rauen. Archiepiſcopatus, quàm pro confirmatione priuilegiorum ſuorum pia deuotione, & fideli ſtudio nobis preces porrexerit.* Haud ita diu poſt, Fridericus, retinendæ Rauennæ percupidus, edixit, ut coram Legato Cæſariano crearentur Rauennates Conſules, ipſe ſi adeſſet Cæſar. Sin alibi, in Flaminia, Ferrariæve ageret, Conſulum pars maior ad eum adirent, ab eo ſuſcepturi inſigne, & ſacramentum apud eum dicturi, quod quincto quoque anno tenerentur dicere. A quincto decimo anno ætatis, ad ſeptuageſimum, Regalia omnia, ut eorum utar uerbis, iuſtitiamq. ſeruaturos, ciuitatemq. in fide, ac ſocietate Imperatoris retenturos, omnes iurarent: iis ſaluis Regalibus, quæ iuſto feudo Eccleſiæ Rauennati deberentur. Sin extra Flaminiam Cæſar eſſet, tamen in Italia, ex Conſulibus duo, ceterorum nomine, ea præſtarent. Quòd ſi extra Italiam abeſſet, tuerentur, Conſules deſignati, iura Cæſariana, de more. Quæ latius patent omnia in iis litteris, quas hac de re in Mutinenſi agro dedit, in planitie caſtri Sauiniani, poſt Mediolanenſem euerſionem, X V I. kal. Iul. Regni anno X. Imperii VIII. Indict. X. quod eſt ab ortu Chriſti M C L X I I. Hoc enim anno Mediolanum a Friderico ſolo æquatum eſt. Triennio poſt, Rauennates Foroliuienſibus magnam opem tulerunt. Cum enim Foroliuienſe oppidum Caſtellionum ædificaſſent, ita urbi Fauentiæ

ANN. M. CLXII.

ANN. MCLXV.

Fauentiæ propinquum, ut eius umbra vrbis penè portas attingeret, iactare in Fauentinos, conuicii cauſa, conſueuerant, eos nequaquam clarum meiere. Permoti iis Fauentini conuiciis, ut retunderent Foroliuianarum contumeliarum aculeos poſſent, pacem, fœdusq. ineunt cum Guidone Guerra iuniore: nam Senior, huius pater, octauum iam annum obierat; & Ferrarienſibus coactis, in hortos ante domos Guidonis, & Henrici, fratrum, primoribus ciuitatis, cum duas a Ferrarienſibus balliſtas, manganos tum appellatas, quarum alteri Falconi, alteri Aſino nomen erat; dono accepiſſent. Contractis igitur, Guidonis Guerræ, ForoCornelianorum, Comitum Cunii, Bagnacaualli, Caſtrocari, Caualcacontis, & Montanorum eius regionis hominum auxiliis, ad oppugnandum Caſtellionum accedunt: eoq. intra quindecim dies adigunt, Foroliuianos, qui illud præſidio tenebant, ut omninò de de ditione illis eſſet cogitandum, cum repente ad Coſmam Rauennates ſeſe in conſpectum dant, quibus ſe Forliuienſes, Ariminenſes, Cæſenates, Britonorienſes, & Abbas Galliatæ, multiq. præterea milites ſocios adiunxerant. Itaque tanto conſpecto hoſtium numero, Conſules Fauentini, ueriti ne proderentur, collectis raptim tabernaculis, ceterisq. eorum trepidatione in fugam actis, Fauentiam ſe curſu receperunt, relicto hoſtibus, quem diximus, Aſino. Excepere illos, vrbem ingredientes, truci uultu, acerbiſſimisq. uerbis, ſenes pueri, ac fœminæ, quòd in eis longe magis timor ignobilis, quàm ingenuum decus ualuiſſet. Poſtridie igitur manè eò reuerſi, cum hoſtes non inueniſſent, tres eorum partes cum Maluicino Comite in Rauennatem planiciem excurrere, præda, atque incendio Rafanariam infeſtam reddere, diripere loca alia, ſegetesq. & animalia abducere. Reliqua pars Caſtrocarianis fuit obuia: cumq. hoſtes ad plebem S. Reparatæ offendiſſet, Guidone Guerra uexillum ibi ſuis manibus arripiente, inde eos deiecit; Sed Rauennates, ut recepere ſe, priorem locum recuperarunt, multis ex hoſtibus captis. Prioris Fauentinorum fugæ, Conſulibus adſcripta origo eſt, Bernardo præſertim ſapienti, qui apud populum, ſuam, & collegarum cauſam dicere orſus, ita iratos illius exacuit animos, ut lapidibus, armisq. facto in eos impetu, quos proditores appellitabant, parum abſuerit, quin interficerentur. Ceterùm neque templum vrbis maximum, neque ſacra ara, quò ſe Thedericus Guillelmi, ex illis unus,
ANN. MCLXVI. ſalutis cauſa, receperat, potuit tueri, quin ſauciaretur. Poſtero anno Beatrix Auguſta, Friderici Imperatoris uxor, filium in Flaminia propè Mutilum, Comitis Guidonis opidum, peperit Chunradum nomine uocatum, qui Sueuiæ Dux fuit. Venerat enim in Italiam Fridericus, ut Alexandrum Pont Max. oppugnaret, quem audierat, ex Gallia in Italiam ſuperiore anno reuerſum, magnis Romanorum, ac totius penè Italiæ ſtudiis exceptum fuiſſe. iamq. ipſe Octauiano Lucæ mortuo, Guidonem Cremenſem Cardinalem S. Calliſti ſub ditītium Pontificem factum, & Paſchalem tertium appellatum, complecte-
ANN. M.CLXVII. batur: & paulo poſt Romam deductum, in baſilica Vaticana collocauit: Dum autem Romam ea de cauſa proficiſceretur, Bononienſium agros latè populatus, acceptisq. ab ea ciuitate obſidibus, in Flaminiam cum parte copiarum tranſgreſſus, ingentem pecuniæ uim a Rauennatibus, ceterisq. extorſit, atq. in iis locis per totam Quadrageſimam caſtra habuit, ut has omnino ciuitates ſuæ ditionis faceret. quo eodem anno, qui fuit ab orbe redempto ſexageſimus

mus ſeptimus ſupra milleſimum, ac centeſimum, Tert. Id. April. in D. Apollinaris in Claſſe, homines, Catanei, Valuaſſores, & populus opidi Britonorii, coram Conſulibus Rauennæ, fœdus cum Rauennatibus, amicitiamq. omnis fraudis expertem ſe conſeruaturos, foreq. ciues Rauennates, eoſdemq. amicos & inimicos habituros iurarunt: Cum equitatu, ſua impenſa, per quindecim dies, quocumq. Rauennatibus placeret, ituros: quæcumq. in prædiis, templisq. Rauennatibus ſeruari, quadraginta iam annis, conſueſſent, ea ſeruaturos: Cum Friderico Cæſare, nec pacem ſe, nec bellum, abſque Rauennatibus facturos, Si quæ interuenerint diſſidia, ad arbitrium ea Rauennatium delaturos, & Conſulum Rauennatum decreto ſtaturos: Hæc acta a Britonorianis dicuntur ad honorem Dei, & Domini eorum Friderici Imperatoris. Biennio poſt, quo anno, Paſchali mortuo, Cæſariani in eius locum ſuffecerunt, Ioannem quendam, & Calliſtum Tertium dixerunt; Bononienſes, ſubſidio a Rauennatibus poſtulato, ſed pauciſſimorum impetrato, dum Fauentiam obſident, Foroliuianis Fauentinorum ſubſidio aduenientibus, unà cum Rauennatibus funduntur, fuganturq. quadringentis ſuorum captis. Cur autem exiguum, & tenue præſidium Bononienſes a Rauennatibus obtinuerint, fuit, quia Rauennates tum bellum denuò Ferrarienſibus intulerant. Fauentini Forumliuii tranſgreſſi, opidum Lauretam oppugnant, tandemq. capiunt, captiuis inde Hieremia Polentano, & aliquot aliis Fauentiam abductis: quibus deinde reddendis, ſuos ab hoſtibus redemere. Hoc anno VII. Idus Iul. Guido Archiepiſcopus Rauennas, qui ſe perpetuò deſignatum appellauit, migrauit è uita. Alexander Pontifex Henrico Præpoſito Rauennatis Eccleſiæ, eiuſdemq. Canonicis, quos Cantores ait uocari, in perpetuum, bona, quæ poſſiderent, probauit: ea autem ibi numerantur. Dono Dominici iam Rauennatis Archiepiſcopi, Domus, hortiq. ab introitu Vrſiani templi, ad cœnobium D. Michaelis, vnà cum ipſo cœnobio, quæq; ad ipſum ſpectarent, & inde uſque ad caput porticus, & aditum balnei. Curtis cognomento Colonia, cum familiis, quæ eſt in ditione, plebatum appellat; S. Caſſiani in Decima. Curtis, quæ uocabatur Vallis Baroniæ, in plebe S. Ioannis in Octauo. Plebs S. Zachariæ, cū decimis, ſacellis, poſſeſſionibus, iuriſdictioneq. Curtis Caſſanonla, in plebe S. Petri in Quincta, Piſcinam, quæ uocabatur uallis de regione, & tunc uallis Canalis dicebatur, cum terris, ſyluisq. circumpoſitis. Curtis Pozale in Claſſe. Dono Petri Archiepiſcopi, Plataneta minor, Sclai dicta, a flumine Populienſi, ad fluminis Liuienſis medium: animarumq. cura tam ciuitatis quàm ſuburbis, quam Commendatariam appellat, quidquid iuris inde habere poſſent: quæcumq. offerrentur, & cum Archiepiſcopi diuinis operarentur, & cum ſacerdotes Cardinales, Cantoresq. tam in Vrſiana æde, quàm in ſupplicationibus. Dono Honeſti Archiepiſcopi, Plebs ſancti Caſſiani in Decimo, cum omnibus ſacellis, decumis, primitiis, poſſeſſionibus; in poteſtate Præpoſitorum, & fratrum, qui in eadem Canonica; ut Alexandri verbis vtar; Cantorum pro tempore fuerint. Curtis de Molino, a foſſa rupta, ad pontem longum, a medio flumine Liuienſi, ad Euripum, Canale vocat, de Montone. Dono Gebehardi Archiepiſcopi, fundus Granaroli, cum Dominicatibus ſuis. Fundus Ciſſariæ: fundus de nouio; fundus Quarantulæ, & Caſſale, quod dicebatur Miſſeno. Dono Gualterii Archiepiſcopi, quantum olim refutauerant eidem Archiepiſcopo,

ANN. M.CLXIX.

ſcopo, Vitalis de Marino, & Petrus Guarantus, in Rotitula: & quantum plus habuit Ardicio, Feudi nomine, ab eodem Archiepi copo, in ea Rotitula: & totum quod Eccleſia Rauennas habebat, a terra, quam Chonradi tenebant, ad terram eorum Canonicorum de Longana: & a medio flumine Liuienſi, ad Montonem: Sententiam quoque inter ipſos, & Cardinales Rauennates de aditu portæ, latam, confirmauit: *Salua ſedis Apoſtolicæ auctoritate, & Rauennatis Archiepiſcopi canonica iuſtitia. Dat. Beneuenti per manum Gerardi S. Rom. Ec. notarij. Tert. Id. Nouembr. Indict. III. Incarnat. Domin. anno MCLXIX. Pontificatus anno XI.* ſubſcripſit ipſe. *Ego Alexander Catholicæ Eccleſiæ Archiepiſcopus.* Subſcripſere item Hubaldus Oſtienſis Epiſcopus. Albertus presbyter Cardinalis tituli S. Laurentii in Lucina. Guilelmus S. Petri ad uincula. Boſo, Paſtoris. Petrus S. Laurentii in Damaſo. Iacinthus Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmodim. Arditio S. Theodori. Cinthius S. Hadriani. Manfredus S. Georgii ad uelum aureum. Vgo S. Euſtachii iuxta templum Agrippæ. Petrus S. Mariæ in Aquiro. Beneuentum autem conceſſerat Alexander, Guillelmi, noui Siciliæ Regis triremibus, & pecunia adiutus, ut furentis Friderici impetus
ANN. MCLXX. eluderet. Eo anno, qui inſecutus eſt, Rauennates cum Ferrarienſibus decertantes, Argentam amittunt. Matilda Comitiſſa, aſſentiente Guidone Vbertini eius uiro, prædia donauit cœnobio Portuenſi, in plebe S. Petri, inter ſyluas, iuxta Matildam Comitiſſam, Braidam Comitem, & Ioannem Ducem. Cum autem Foriliuienſes Vbaldo Pitignani Ciui eorum, qui captiuus apud Fauentinos habebatur, perſuaſiſſent, ut de fœdere cum Fauentinis ageret, & ſi liberare eum cuſtodia uellent, opidum Latinum, cuius ipſe partem poſſidebat, traditurum ſe illis polliceretur, id Vbaldus fecit, obſideq. filio Fauentinis dato, liber emiſſus eſt, & certam Fauentinis noctem præſtituit, ad quam uenirent, accepturi opidum. Interea Foroliuienſes, Rauennatium manum cogunt, atque item Cæſenatium, Foropompilianorum, Britonorianorum, Ceruienſium, Caſtellionenſium, Galliatenſiumque: Fauentini contra accedunt ad opidum, ſed cum neque Hubaldum inueniſſent, neque eius teſſeræ, quæ inter illos conuenerat, quidquam uidiſſent, id quod erat, inſidias ueriti, inſtructa acie reuertebantur. Rauennates, quod regionis a propinquo D. Varani templo nomen habet, agmine compleuerant: uiſisq. hoſtibus, ſeſe ad certamen parant: cum Fauentini, Conſulum ſuorum iuſſu, neque pugnam detrectarent. Erant Fauentinorum Conſules, Comes Iulianus, Vgotio Actus, Bernardinus Caminizæ, Marzolus, Aureus, Pozettus, Ruſticus Berti, & Fauentinus Fantinelli. Poſtquam autem Guido Vbertini ciuis Rauennas, nobilitate, ac potentia inſignis, acri oratione milites ſuos, ac ſociorum ad prœlium incitauit, idq. fecit apud Fauentinos Thedericus Guilelmi, qui auctoritate, ac nobilitate plurimum poterat, utrimque concurſum eſt, ibiq. tres horas acerrimè pugnatum. Tandem inclinata acie, Foroliuienſes, ac ſocii cedere, & in fugam dare ſe coacti. Eos, ad muros Foroliuii, Fauentini ſequuti ſunt, & præter illos qui cecidere, capti ex Foroliuianis Albertinus Officiæ, Ioannes Ghirardini, Petri Ordelafi filius, Vgo Berardenghi, & alii. Ex Rauennatibus, Petrus Trauerſaria, Liutius è Ruuere, atque alii. Ex Cæ-
ANN. M.CLXXI. ſenatibus, Rialis & Aguſellus. Ex Britonorianis, Henricus Mainardus, & Hieremias Polentanus, aliique. Ex popularibus ſeptingenti. Poſtero anno Fauentini,

uentini, Guidone Guerra opem ferente, Forumliuii contenderunt, & captum Sclauoniæ ſuburbium incendunt. Rauennates, qui tuendi Foroliuii, & Caſtellioni prouinciam aduerſus Fauentinos ſuſceperant, Guidonem Guerram abducere a Fauentinis, & ſibi ſocium adſcribere fruſtra conati, idem cum ForoCornelianis, & Bononienſibus tentarunt. Quamquam autem ii primum id repudiarunt, tamen grandi deinde; ut inquit Toloſanus; corrupti pecunia, condicionem acceperunt. Itaque horum aucti Rauennates ſociorum auxiliis, vrbem Fauentiam oppugnare contendunt, & rus ad Diuum Proculum incendiis, ac depopulationibus vexant: ſed cum ad pontem Sancti Proculi, infelici cum Fauentinis prœlio dimicaſſent, centum ac viginti ex ſuis interfectis, ſeptingentis captis, paulò poſt, cum eodem Ariminenſes, Cæſenates, Foroliuiani, Foropompiliani, Britonoriani, & Ceruienſes fœderati ueniſſent, & Fauentini a Guidone Guerra, & Ferrarienſibus, ſubſidiarias accepiſſent copias, ad pontem omnes ſancti Proculi, ad amnem Senium caſtrametati, magnum prœlium & cruentiſſimum conſecuturum uidebatur; omninoque fuiſſet, niſi Guido Rambertus Fauentinorum Prætor, & Guglielmus Marcheſella, Ferrarienſium copiarum Dux, & Petrus tandem Trauerſaria, non abſque multo labore, pacem, quæ uel iuſtiſſimo bello anteferenda uidetur, confeciſſent. Difficultatem conciliandæ ipſa penè in manibus Rauennatium, ac Bononienſium uictoria, afferebat; qua Fauentina acies mota loco, atque in fugam uerſa, leuiore ac planè lenta pugna, ad vrbem ſe receperat. & niſi inſidias aliquas, compoſito receptui ſubeſſe noſtrates, Bononienſeſque ſuſpicati, ſuos ab inſequendo cohibuiſſent, eodem tum impetu capi Fauentia potuerat. exercitum tamen mœnibus admouerunt, ac uiis omnibus inſeſſis, quibus importari commeatus poſſet, adegerunt eò Fauentinos, ut de pace Legatos mitterent, quæ illis data eſt, his condicionibus, ut captiuos ſine pretio redderent, Rauennatibus ſatisfacerent, ac damna bello accepta reſarcirent. Eodem hoc anno Gerardus Archiepiſcopus, Guidoni demortuo ſuffectus; qui & eodem Exarchi titulo, quo ſuperiores Archiepiſcopi, uſus eſt; Quincto Kal. April. qui dies fuit ob Chriſti ad uitam reſurrectionis memoriam celeberrimus, Ferrariam ad miraculum ſanguinis Chriſti accurrens; quod in D. Mariæ ad Vadum contigerat; Canonicis Portuenſibus, Petro tunc eorum Præfecto, Agnato uerò Ferrarienſi Epiſcopo; cœnobium illud a Gualterio; uti memorauimus; eis tributum, confirmauit, & priuilegia, munera, pœnarumque, quæ peccatis debentur, condonationes, atque indulgentias uocatas adiunxit: Alexander Pontifex Max. ipſi Gerardo, Bononienſem, & Parmenſem Epiſcopatum, uti ſuperiores Archiepiſcopi habuerant, confirmauit, litteris ſuis, Tuſculi datis: quarum hoc eſt initium. *Prudentiam, honeſtatem & litteraturam, ac morum uirtutem, quam poſſidere dignoſceris, & excellentiam Eccleſiæ, ad quam, Deo auctore uocatus es, ſtudioſius attendentes, deſiderium, & uoluntatem habemus, tibi & eidem Eccleſiæ, iura, honorem & dignitates ueſtras integras, & illibata ſeruare.* Hæc Alexander. Geraradus anno inſequenti ratam habuit, tribuitque Padi ripam, quæ ANN. MCLXXII.

eſt in capite Sandali, cui templo S. Zenonis eſt nomen; ceteraque quæ ibidem habentur, Placido D. Ioannis Euangeliſtæ Abbati. quemadmodum & anno MCLXXIIII. Ioanni Tancredo, prædia, quæ erant ad imum turris opidi ſui Sauignani, conceſſit, ea ratione, qua illi Guido Archiepiſcopus conceſſerat: ſic tamen, ut cum ipſe, eiusve ſucceſſores, excitare ibidem, aut arcem, aut ædes uoluerint, quaſcumque ibi ſubſtructiones feciſſent, eas Archiepiſcopus emeret. Hæc autem inſpectante, teſteq. Petro Trauerſaria, Liutio Ruuereo, & Oddone Caſtello ſunt acta. Eodem anno cum in Italiam Fridericus Cæſar ueniſſet ad compeſcendos Gallorum Ciſalpinorum tumultus, qui fœdere inter ſe icto, aduerſus eum coniurauerant, Chriſtianum Archiepiſcopum Maguntinum præmiſerat, qui pacatos in fide contineret, tumultuantem ditionem, qua poſſet ratione, & quantum poſſet, compeſceret. Ipſe interea Cæſar Alexandriam obſedit, Chri-

ANN. M.CLXXV. ſtianus Rauennatum euocatis auxiliis, proximo anno, opidum Sancaſſianum, quod Bononienſes, Ciſalpinis fœderati, præſidio tenebant, circumſeſſum oppugnat, cum etiam adeſſent ForoCornelianorum, ac Fauentinorum multorumq. præterea firmæ cohortes. Sed Bononienſes contractis ſociorum copiis, Mediolanenſium, Veronenſium, Brixianorum, Placentinorum, Parmenſium, Ferrarienſium, Regienſium, Patauinorum, Mutinenſium, Sophiæ Comitiſſæ Veronenſis, opidum obſidione liberant, ſuos, qui erant præſidio, incolumes educunt, & ne opidum hoſtium receptaculum deinde foret, incendunt. Chriſtianus, cum Rauennatibus, reliquoque exercitu, Caſſium, Caluolum, & Vedranam opida, eadem ratione diruit, & interea Fauentiæ Ioannem, qui ſe Calliſtum Pontificem dicebat, locauit, multosq. ibidem poſtea menſes eſſe uoluit. Gerardus Archiepiſcopo menſe Octobri, cum in caſtro Caſamurata eſſet, multa reſtituit, quæ ad iuriſdictionem Rauennatis Eccleſiæ faciebant. Chriſtianus cum aliquot Rauennatum & aliorum cohortibus ad Idicem progreſſus, caſtrum uerſus, quod Britorum appellant, Bononienſes facto prœlio, fudit, fugauitque, tanti apud homi-

ANN. MCLXXVI. nem erat, liberatum obſidione Sancaſſianum. Anno inſequenti, cœnobium D. Laurentii multa a Gerardo Archiepiſcopo accepit, atque ipſum inprimis D. Pauli cœnobium, quod inde haud procul aberat, iuxta palatium Regis, uti etiam Honeſtus Archiepiſcopus conceſſerat. His autem litteris Gerardi, ſubſcripſere, Albericus Regienſis, Vgo Mutinenſis, Henricus Cornelienſis, Alexander Liuienſis, Albericus Bobienſis, Leonardus Cæſenas, Epiſcopi. Poſt hos, Præpoſitus Rauennas, multique præterea Canonici, ſeu; ut ibi ſcribitur; Cardinales Rauennates. Anno deinde

ANN. M. CLXXVII. MCLXXVII. Gentili Auximatium Epiſcopo multa etiam Gerardus conceſſit, mox Ferrariam adiit ad Alexandrum Pontificem Max. Eò ſe, Venetiis profectus, Pontifex, Sebaſtiano Ziano Venetorum Duce, & ciuitatis primoribus, multisq. præterea Cardinalibus ac minoribus Antiſtitibus proſequentibus, contulerat, ut ſocias Galliæ Ciſalpinæ ciuitates, præſens in officio contineret, quando iam Dertonenſes, Cremonenſesq. defeciſſe ad Fridericum, conſtabat. Acceſſere & cum Gerardo, ſubiuncti ſibi Epiſcopi, quòd ex Pontificis parte eſſent. Verũ ibi parum Põtifex moratus, VII. Id. Maii rediit

Venetias,

Venetias,nuncio claſſis perterritus,quam ut plerique ſcribũt,Fridericus,a Genuenſibus, Piſanisq. ad triremes quinque & ſeptuaginta contraxerat, ut a Venetis Pontificem, quem tradere renuerant, ui extorqueret. Claſſi Othonem filium Fridericus præfecit,ipſeq.Fridericus Rauẽnæ V.Id.Maii fuit,quo die cœnobii D.Laurentii in Cæſarea,bona omnia confirmauit,quæ ſuo diplomate anno,ut ibi habetur,Regni eius XXVI.Imperii autem XXIII. ſigillatim numerat, cum adeſſent Eberardus Magdeburgenſis Adelous Idenshernenſis, Arnoldus Oſneburgenſis Epiſcopi,Roudigerus Abbas de Nouuitalnt, Vualterius dapifer, & quamplures alii. paulo poſt, triremes illius quattuor, in portum ſe Rauennatem recepere, reliqua claſſe, a Venetis, qui tumultuaria opera triremes triginta raptim ornauerant, & Cæſarianæ obiecerant, commiſſo ad Piranum, eo loco, cui eſt Salboro nomen, prœlio, diſiecta, captaque, & triumphi ſpecie, cum omni milite, atque ipſo potiſſimum Othone, Venetias deducta, vti Obo Rauennas teſtis eſt, qui Friderici, horumque temporum acta, elegantiſſimè deſcripſit. Fridericus de re tota, per milites, qui Rauennam cum triremibus, fuga, elapſi, uenerant, factus certior, deinde ab Othone filio, quem fide redeundi data, Veneti ad patrem de pace dimiſerant, incitatus, & ſceleris conſcientia commotus, cum paulo ante infeliciſſimo etiam prœlio eſſet uſus, Venetias proficiſci conſtituit. Nam Alexander, quo cum in gratiam redire Fridericus uehementer cupiebat, dederat fidem publicam, eamq. Veneti confirmauerant, qua accedere tutò poſſet. Interea Rauennam; quam antea Imperatoris proceres, perindè ac locum Pontificis, ac Imperatoris congreſſui maximè aptum propoſuerant, Pontifex autem renuerat; Petrus acceſſit Principis Veneti filius, cum ſex triremibus, officii cauſa, Friderico obuiam miſſus: quibus cum ipſe, Petro Trauerſaria comite, profectus, cum Alexandro Pontifice in gratiam reductus eſt: pridie Non.Iulii. Triduo autem poſt Pontifex Rauennatia aliquot tẽpla priuilegiis ornauit. Extatq. apud ſacras Virgines D.Andreæ Rauennates ipſius Diploma, quo Caliſmeræ eius Præfectæ cœnobii, quæcumque ad eam diem poſſediſſet conuentus ille, confirmat, *Dat. Venetijs in Riuo alto per manum Gratiani S. Romanæ Eccleſiæ ſubdiaconi & notarij, ſeptimo Idus Iulij, Indict.X. Incarnationis Dominicæ anno MCLXXVII. Pontificatus anno XVIII.* Abiens Venetiis deinde menſe Septembri Cæſar, Rauennæ, quæ, cum omni Flaminia Cæſarianarum partium erat, ab Trauerſariis denuo exceptus, mox Britonorium contendit. Quod opidum cum retinere inſtituiſſet, ob loci opportunitatem, rogatu Alexandri, Eccleſiæ tandem reſtituit. Gerardus Archiepiſcopus Venetiis apud Alexandrum erat, eodemq. hoc Septembri menſe, cum in frequenti conuentu, ad Riuumaltum Alexander Pont.Max. in ædibus Patriarchæ Gradenſis, adeſſet, & ſecum Henricus ipſe Patriarcha Gradenſis, Hubaldus Oſtienſis, Vielmus Portuenſis, Manfredus Prænestinus,Ioannes olim Mantuanus Epiſcopi,Todinus,Petrus de benio,Ioannes Neapolitanus,Ardicio,Boſius Presbyteri Cardinalis,Iacinthus,Laborans,Vbo Bononiẽſis,Cincius Capell.Diaconi Cardinales,Petrus Abbas S.Vitalis Rauennatis, Rodulfus monachus,Magiſter Pozo, Albertus de Adigerio,Bonus Ioannes,Guiottus,Iudices Ferrarienſes:Gizellinus Iudex Paduæ, & aſſeſſor Pontificis, & plures alii: Surrexit Gerardus Archiepiſcopus

Rauennas, & de Guidone Abbate Pompoſiano conqueſtus eſt, qui per uim, Rauennatis Eccleſiæ poſſeſſiones occuparet. Gaugnanum, Vetreſanum, uillam Martianam, Taſinum, Cornetum, Figolam, Silbolam, Cragnanum: & quidquid habebat in fundo Arquadæ, Lauigium Conchæ, Priuignanum, Guardignanam, Rode, Caſularem, Rupinam, Boarie, Pouulare, Baurium: & quidquid in Finale illi erat, & in Curua, & Vſtulatum, & in tota ditione Cocanilæ, & multas alias: Cum autem finem dicendi Gerardus feciſſet, ſurrexit Vido Iudex, Viſdomini filius, Abbatis Pompoſiani Aduocatus, & pro Abbate præſente, reſpondit: Sed quoniam diligentius erat cognoſcenda cauſa, in aliud tempus reiecta eſt. Alexandro Venetiis proficiſcente, Gerardus Rauennam rediit, illiq. & Alexandro Liuienſi, Leonardo Cæſenati, ceterisq. Archiepiſcopo Rauennati ſubiunctis Epiſcopis, Guillelmo Abbati Sancti Apollinaris in Claſſe, & aliis eidem Archiepiſcopo ſubditis, Fridericus Cæſar conceſſit, ne ad operam quampiam, Anganas, & perangarias appellat, & alia huiuſcemodi, ab aliquo, etiam Cæſaris internuncio, præter ea, quæ ad pia opera, & legibus decreta ſunt, cogi aliqua ratione poſſent, idq. teſtatum uoluit ſuo diplomate, *Dat. in comitatu Auximi apud caſtrum Caſarola, anno ab incarnat. MCLXXVII. Ind. XI. Tert. Non. Decemb.* Eo qui inſecutus eſt anno, Gerar-

ANN. M. CLXXVIII. dus Archiepiſcopus Lamerio, & Manfredo opidi Valdenucii Regulis, ipſum opidum, querelis tandem omnibus, ac controuerſiis, quæ inter eos fuerant, atque Archiepiſcopum ſublatis, adiecta certæ penſionis obligatione denuo conceſſit: ad quod etiam in Caſtro nouo, & Meldola multa adiunxit, in quibus iam poſſeſſionis ius habebant. Exeunte anno, Decimo tertio kal. Octobr. Rauennæ, Ioannes Dux, inteſtatus ne moreretur, aſſentiente Fide, eius coniuge, teſtamentum fecit, illudq. in primis eius fidei commiſit. Reliquit Eccleſiæ Rauennati libras Lucenſes quinquaginta, pro abſolutione, ut ipſe aiebat, Decimarum. Et ſacræ ædi D. Mariæ in Portu, ubi ſepeliri cupiebat, totum agrum, quod illi in flumine nouo erat, & molas frumentarias Calanchi, & earum dimidiam partem, quæ D. Ceciliæ appellabantur: & quidquid illius iuris Bonfilius è Brandolo tenebat. Cœnobiis item Claſſenſi, D. Petri ad Vincula, D. Ambroſii & D. Mercurialis, D. Nicolai de Badareno, D. Clementis, D. Seueri, D. Apollinaris noui, D. Iacobi de Volana, D. Mariæ in Vrano, & S. Reparatæ; Templis D. Agathæ maioris, D. Mariæ in Coſmodim, D. Andreæ, D. Vitalis, & Cantoribus Rauennatis Eccleſiæ. Domui hoſpitali S. Ioannis Foroliuienſis, plurima legauit. Inſtituit ſibi hæredem poſthumum filium, filiamve, ſi qui forent: integra tamen rerum contractarum fide cum Vgone Saxo, & aliis pleriſque: Dimidia uero pars ad hæredes Matildis, &

ANN. MCLXXXI. Conſtantiæ conſobrinarum illius, ueniret. Triennio poſt Gerardus Archiepiſcopus omnia maleficia, pro turri de podio tuenda, Gorothoni incolis, præſente Ioanne Epiſcopo Bononienſe, in perpetuum, ea condicione, ut ſibi, ſuisq. ſucceſſoribus, ac intenunciis, inſeruirent, cum illuc ueniſſent. Et hoſpitium, albergarias uocat, pararent, condonauit. kalendis autem Iul. quæ inter Petrum Traueſariam, & Aimiliam erat audita controuerſia, de dote, mille librarum Lucenſium, & de poſſeſſionibus, quas doti dixerant, dicendasq. affirmabant, deq. fructibus, & quattuordecim unciis auri, quas dicebat Aimilia, Albericum iam generum ſuum habuiſſe; & centum item libris Lucenſibus,

quas

quas ſe dediſſe in muliebrem ornatum aiebat, ut pax, concordiaq. traheretur, inter eos, ceteroſq. ut in iis tabulis ſcribitur, Capitaneos, atq. in omni demum ciuitate, conſuluit, ut Conſules, reſtitui curarent Aimiliæ a Petro Trauerſaria, omnes poſſeſſiones, ceteraq. immobilia bona, quas ab Aimilia habuerat, pro placito, inquit, ſuæ filiæ, ipſe, uel eius filius Albericus, atque etiam, fructus. Ipſa autem Aimilia, quinquaginta denariorum Lucenſium libras Petro numeraret, ut reſtituerentur fructus tercentarum librarum, quas per ſex annos percipere conſtante matrimonio debuiſſet. Erat enim Rauennæ hoc anno inteſtinum de rebus huiuſmodi familiaribus diſſidium: Nam hæreditatis Ioannis Ducis, qui obierat, occaſione, magna erat Vbertino Thebaldi, cum Petro Trauerſaria, lis, & Vbertinus accitis Fauentinorum, Forocornelianorumq. auxiliis, excurſiones in agrum Rauennatem fecerat, & opidum D. Petri ad Vincula, diruerat, opidum autem Curtinam incendio abſumpſerat. Eodem anno Lucius Pont. Max. qui tum primum Alexandro mortuo fuerat ſubrogatus, litteris Velitris IIII. Kal. Octobr. datis manu Alberti S. Romanæ Eccleſiæ presbyteri Cardinalis, & Cancellarii, Ioanni Abbati D. Petri ad Vincula, quod eſt in agro Rauennati, & eius ſucceſſoribus in perpetuum, quæcumque poſſidebant bona, confirmauit: Ad hæc Innocentii, Eugenii, & Alexandri Romanorum Pontificum, qui cœnobium illud, nullo medio, ſubiici Romanæ Eccleſiæ uoluerant, priuilegia, rata habuit: ad huiusq. immunitatis ſignificationem, denarios monetæ Papienſes duodecim, Romano Pontifici numerari quotannis uoluit. Quam item Ioannes Dux eidem cœnobio immunitatem dederat, & tabulis publicis teſtatus fuerat, eam eſſe firmam iuſſit. In demortui Abbatis locum, is ſufficeretur, quem monachi, ſaniorve pars ipſorum, iuxta Dei timorem, & D. Benedicti, quam erant profeſſi, regulam, deſignaſſent: Deſignatus, ad Romanum Pontificem, ut illi benè diceretur, accederet. Seruaretur tamen in omnibus Diœceſanorum Epiſcoporum ius, quo iure uti conſueſſent in prædiis cœnobio traditis. Sanctum oleum, ac Chryſma, altarium, ac baſilicarum conſecrationes a Diœceſano Epiſcopo, ſi catholicus is eſſet, neque a communione Apoſtolicæ ſedis abduceretur, acciperet: alioqui quocumq. luberet, dum cum Romana Eccleſia ſentiret, próficiſceretur. In eorum ſepeliri templo omnes poſſent, qui nullo interdicti, aut anathematis uinculo eſſent obſtricti: integro tamen earum ſacrarum ædium iure, a quibus corpora aſſumerentur. Inter huius templi bona a Pontifice numerantur, Templum D. Petri Britonorienſis. D. Sixti Ceruienſis. D. Mariæ Aſignani. D. Blaſii è turricula. D. Stephani Argentani. D. Ioannis è Meleto. D. Paterniani è Paduleda. DD. Ioannis, & Pauli è Vetreta, D. Egidii è Calanco, D. Petri in aquæductu. D Marci Euangeliſtæ è barco. Multa adhæc multis in locis, pulchra, fructuoſaq. prædia, quæ ſigillatim numerare, moleſtum nimis eſſet. Vilitras autem abierat Pontifex, ut ferociora Romanorum ingenia, abſentia ſua mulctaret, ac leniret. Ibidem cum eſſet, Gerardo Archiepiſcopo Rauennati litteris XII. kal. Iun. ſcriptis, dedit, ut ſacramentum apud ſe dicere, plebis S. Mariæ in portu, plebis Sancti Martini in maiera, incolas, atque etiam alios in ditione Ferrarienſi iuberet, quos iurata Archiepiſcopi obedientia, Ferrarienſium Conſulum iuſſu, Peri-

cinus eorum internuncius exemerat. Alteris Kal. Iul. datis, confirmauit, ut Abbates Vrani, de more, cum ad Eccleſiam Rauennatem ſpectent, ab Archiepiſcopis Rauennatibus, certis precationibus expiarentur, illisq. Abbates ſolemne obſequium iurarent. Poſtero anno XV. kal. Sextil. in opido Ligabizo,

ANN. M. CLXXXII.

Albarara mater, & Guitta filia, dono dederunt Gerardo Archiepiſcopo Rauennati, ac ſucceſſoribus, ipſiq. Eccleſiæ in perpetuum dimidiam partem caſtri Fanani, & curtis eius, & montis de petra, in Piſaurenſi, plebe S. Chriſtophori, ut ſuis, ſuorumq. propinquorum animabus ea donatio remedium eſſet. Multi adfuere teſtes, ipſeq. potiſſimum Leonardus Cæſenas Epiſcopus. Fecit quoque Gerardus uti Vgo D. Mariæ ab Vrano, Ordinis Camaldulenſis, Octauo kal. Octobr. iurauerit, ſe in fide illius, omniumq. poſteriorum Archiepiſcoporum fore, nec ab illorum vmquam præſcripto; niſi id religioni Camaldulenſi aduerſaretur; diſceſſurum: cum ipſum Vranenſe cœnobium, a Rauennate Eccleſia; quam ſpectat: fuerit uectigalibus, ac prædiis: quotquot habet, ditatum. Paulo poſt in grauem incidit morbum Gerardus: itaque Quincto Non. Octobr. Cæſenæ in templo maximo D. Ioanni Baptiſtæ dicato, coram Canonicis Cæſenatibus, & Guillielmo de Caſtello Imperatoris legato, multisq. præterea, Lanfrando Populienſis Epiſcopus, ſacris peractis, quia etiam Epiſcopus Cæſenas, eiusq. Præpoſitus neceſſariis diſtricti negociis, aberant, Gerardi Archiepiſcopi ægrotantis nomine, Hugonem Abbatem Vranenſem expiauit, uirgaq. & mitra inſigniuit; Augeſcente autem in dies morbo, tandem Gerardus exceſſit è uita. Hunc aliqui Geroldum putant fuiſſe, de quo in uita D. Bononis Miſnenſis Epiſcopi, ex Canonico Goslariæ, Archiepiſcopum Rauennatem factum ſcribitur: ita autem ſe inſcribere, ob Chriſtianam animi dimiſſionem, conſueuerat. *Gerardus ſeruus ſeruorum Dei, Diuina ſola dignatione ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus.* Scriptores de Archiepiſcopis Rauennatibus omnes, poſt Gerardum, ponunt Guglielmum, & ab hoc, Guidum, quem & Guidottum appellant, & inde alium Gulielmum: quæ nomina cum ab eadem littera incipiant, qua ſola deſignari interdum Antiſtitum nomina in tabulis, & diplomatis conſueuerant, errori fortaſſe cauſam dedere, ut plures putarentur, quàm fuerint, Archiepiſcopi Rauennates. Nos, quæ ex eius ſæculi monumentis reperire potuimus, adducemus: aliorum deinde fuerit de tota re iudicium. Mortuum ex hoc morbo Gerardum Archiepiſcopum, & alium in eius locum eodem appellatum nomine, ſuffectum, eæ tabulæ publicæ, quas in Vrſiano tabulario legi, mihi perſuadent. *In nomine Domini, Anno ab incarnatione eius M C L X X X I I. die IIII. exeunte Octobr. Indict. XV. Rauennæ in capella Domini Gerardi Archiepiſcopi bonæ recordationis, in præſentia Ioannis Dufdei, & Rodulfi Malgaretti, & Ioannis Portij, & Vgonis Petri Hugolini Conſulum Rauennæ. Rodulfus Iudex promiſit Gerardo Archiepiſcopo S. Rauen. Eccleſiæ manutenere fidelitatem, quam fecerat ei pro feudo Argenteæ, ſcilicet pro tota parte illa integra, quam ipſe & pater eius Oderiſius, & frater eius emerunt. ab Vgone Valando, & filijs eius in ualdepondo, in tota curte ſua, uel alibi: & guerram, & pacem, & hoſtem, & caualcatam, & reductum de prædicta parte iurauit.* Eodem anno cum Bagnacauallenſes afficerent Fauentinos, Rauennatesq. moleſtia, ii coniunctis inter ſe copiis, Bagnacaualli ſuburbium funditus euertunt, & nobiliores eius loci incolas, in ſuos agros, ditionesq. diuidunt æqualiter: Ceterum

rum

rum haud ita diu poſt,incolarum fatigati precibus Rauennates,reſtituunt ſub-
urbium , ea condicione , ut incolæ quotannis Byzantium , quod eſt monetæ
genus , penderent . Proximus annus pace ab Italicis , Gallis præſertim Ciſal
pinis,cum Friderico facta, inſignis fuit,cum eæ omnes ciuitates Legatos, Præ
toresq. ſuos, Placentiam, quò uenerant Legati Cæſariani, cum mandatis, mi- ANN.
ſiſſent . Fuere in iis etiam Rauennates : qui colloquio pridie kal. Maii conſti- M.CLXXX-
tuto, ubi Legati Friderici protulerunt tabulas,in quibus ſcriptum erat, ſe arbi III.
trium pacis inter ſe, & ſocietatem Galliæ Ciſalpinæ redintegrandæ eis permit
tere, quæq. ipſi ſtatuiſſent , ea ſe rata in perpetuum habiturum,pacem his ver
bis ferè poſtularunt . *Societas Lombardiæ , Marchiæ , Veronæ , & Venetiarum cu-*
pit habere pacem Friderici in hunc modum . Vt Fridericus pacem habeat cum Eccleſia
Romana , & nos ciuitates Cremona , Mediolanum, Laus , Bergomum, Ferraria, Bri-
xia, Mantua , Verona , Vicetia, Patauium , Taruiſium , Venetia , Bononia, Rauenna ,
Ariminum, Mutina, Regium, Parma, Placentia, Bobium, Derton, Alexandria, Ver-
cellæ , Nouaria , Opizo Marchio Maleſpina , Comes de Brenone , & omnes Caſtellani,
& homines, qui ſentiunt cum Eccleſia Dei , & nobiſcum , accepta ab eo pace , uolumus
facere omnia , quæ anteceſſores noſtri a morte poſterioris Henrici Imperatoris , ante-
ceſſoribus ſuis ſine moleſtia fecerunt . Hæc autem ſunt , quæ intelligimus Imperatorem
habere debere , & anteceſſores eius habuiſſe , fodrum regale , & conſuetum , conſuetā
paratam , cum tendit Romam coronæ cauſa, & pacatum tranſitum, & commeatum ido
neum. Pacatè tranſeat , & ſine maleficio , ſacramentum a uaſallis accipiat , omni of-
fenſione remiſſa . Vaſalli expeditiones pro eo ſuſcipiant , ut ſolent , cum tendit Ro-
mam,coronæ cauſa. Ad ea cum reſpondiſſent Legati, iuraſſentq. ſe daturos operā,
ut pacem Fridericus , & eius filius Henricus his condicionibus facerent ; his
rebus in tabulas relatis , poſtridie kalendas ipſi inter ſe Prætores ciuitatum ,
conceperunt ſacramentum huiuſmodi . *Ego iuro omnibus ciuitatibus fœderatis*
Lombardiæ , Marchiæ , & Romaniæ , & Opizoni Marchioni Maleſpinæ, me pacta om-
nia ſeruaturum, quæ in tabulis pacis continentur inter Legatos Imperatoris , & ciui-
tatum fœderatarum conſcriptis ; neque auctorem futurum , ut aliquod eorum minua-
tur , & præcepta moderatorum obſeruaturum a præſentibus Kal. Maii, uſque ad XXX.
annos : & hoc quincto quoque anno renouaturum, & Conſules , aut Prætores, ac Cre-
dentiam meæ Ciuitatis hoc iureiurando obligaturum . Quibus tranſactis plerique
Prætores abiere cum Legatis Conſtantiam ; quam Cannodurum ueteres ap-
pellaſſe putant , ad Acronium Lacum ; remq. cum Friderico , atque Henrico
præſentibus VII. kal. Iulias confecere , tabulis pacis a Friderico ſcriptis . Po-
ſtero anno Lucium Pontificem Max. Veronam ad Concilium , quod ipſe indi ANN.
xerat, euntem Gerardus Archiepiſcopus Rauennas proſequutus,cum Muti- M.CLXXX.
næ eſſet, exorauit, ut ſubiuncti ſibi Epiſcopi Baſilicam D.Geminiano ciuitatis IIII.
Epiſcopo , tutelariq. dicatam , ea forte tempeſtate perfectam ; nam octuagin
ta iam amplius annos ædificari cœperat;dedicaret: quod Pontifex Ardicione
Epiſcopo , & Conſulibus etiam petentibus , magna cerimonia Tert. Id. Iulias
fecit . Idem quoq. VIII . Idus , Bononiæ , eiuſdem Gerardi rogatu de Baſili-
ca D. Petri,quæ fuerat ex incendio inſtaurata , fecerat. Ab eodem etiam Pon
tifex Gerardus complura priuilegia impetrauit , quibus uetuſtiſſimus uſus mi
trarum Canonicis Rauennatibus confirmauit, in eo magno Conuentu, quem
Friderico etiam Cæſare præſente, eodem anno kal. Sextil. Veronæ habuit: &
Fride-

ne quid de earum, quas diximus, Baſilicarum dedicatione iniuriæ naſceretur, has dedit ad Gerardum litteras. *Lucius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri, Gerardo Rauennati Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Dignum eſt, & conſonum rationi, ut cum ad tuæ fraternitatis inſtantiam, Bononienſi, & Mutinenſi Eccleſiis impenderimus dedicationis munus, numquam ex hoc aduerſus Eccleſiam tuam, cui tamquam Metropoli ſunt ſubiecta, & aliquantam uendicare ualeant libertatem: Nos itaque prouidere uolentes, ne de facto noſtro, contra te uel ſucceſſores tuos, iniuria aut ſcandali materia oriatur, auctoritate Apoſtolica conſtituimus, ut nullum ex hoc tibi, uel ſucceſſoribus tuis praiudicium in poſterum generetur, ſed ſemper iam dicta Eccleſia, ſicut ante dedicationem, quam eis impendimus, erāt in tua, & ſucceſſorum tuorum obedientia, & ſubiectione, ſine contradictione conſiſtant. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, uel ei auſu temerario contrauenire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Paulli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Veronæ I I. Non. Septembr.* Haud ita diu poſt, in tuenda etiam dignitate Eccleſiæ Rauennatis Lucius Pontifex inſiſtens, ita ſcripſit ad Senogallienſem Epiſcopum. *Lucius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri... Senogalien. Epiſcopo, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum ex iniuncto nobis officio, uniuerſis ſimus Eccleſiis debitores, eò Rauennati ſpecialius tenemur adeſſe, quò antiquius in Chriſtiani nominis confeſsione fundata, praeſt pluribus, & proficit ad ſalutem. Cum igitur in Epiſcopatu tuo, & in alijs iura ipſius a pluribus perturbentur, unde non modicum per reproborum malitiam, in ſuis poſſeſſionibus diminuta, fraternitatem tuam hortamur in Domino, & præcipiendo mandamus, quatenus ei in ſuis iuſtitijs tam prompta, & ſolicita charitate aſsiſtas, & parochianos tuos, de quibus ad te querela peruenerit, appellatione remota, excommunicationis cenſura compellas, ut Archidiacono, & fratribus ipſius Eccleſiæ ſuper omnibus, quæ requirent, iuſtitiæ non differant plenitudinem exhibere. Dat. Veronæ. I I. Non. Nouembr.*

ANN. M. CLXXXV. Inſequenti anno poſtquam diu litigatum apud Pontificem, & Cardinales fuerat, ab eodem Pontifice decretum etiam eſt, uti Bononienſia tam monachorum, quam ſacrarum virginum cœnobia; extra D. Bartholomæi, ac Damiani, certam penſionem quotannis, procurationis nomine, Archiepiſcopis Rauennatibus perſoluerent: cum D. Proculi Abbas, ceterorum cœnobiorum procurator, nihil pro Bononienſibus, quod ſatis urgeret, apud Henricum Albanum Epiſcopum, cui Pontifex cauſam mandauerat cognoſcendam, attuliſſet. litteræ extant, hac de re, Pontificiæ, III. Non Ianuar. Verona datæ. Confirmauerat etiam, cum eſſet Planell. eidem Gerardo, iuriſdictionem in cœnobio Claſſenſi, in inſtituendo potiſſimum eius Abbate, ceteriſq. quæ conſueſſent, obſequiis. Cum verò Gerardus, Placido D. Ioannis Euangeliſtæ Abbati, iam antea anno MCLXXII. Sept. kal. Decembr. Capitis Sandali, qui vicus eſt ad Padum, & D. Mariæ in portu maiori, quæ etiam ad Padū eſt, iura, ac prædia dono dediſſet, nunc conſtituit cum Gualfredo, Pompoſiano Abbate, ut omni ſublata controuerſia, pro ipſo cœnobio, & plebe D. Petri in Hoſtolado, proq. ipſa curte Hoſtoladi, & pro dimidia portus Volanæ parte, quotannis Abbas, Rauennati Archiepiſcopo, Melichinos duos, & Sturiones totidem perſolueret. Miſerunt eodem anno Rauennates, ex ſuis multos, ſubſidio Bertoldi, Cæſaris Cancellarii, qui Fauentinos parere Friderico

rico renuentes, in officio retinere contendebat, eò maiore indignatione, quò Galliæ Ciſalpinæ ciuitates omnes quas Fridericus, de more luſtrans Regnum, & populorum uoluntates explorans, peragrarat, Mediolanum, Crema, Placētia, Parma, Regium, Mutina, Bononia obſequium prolixè præſtiterant. Itaq. cum eſſet ob id Fauentiæ tumultuatum, popularibus aduerſus nobiliores arma capientibus, Comes Iulianus, Lambertusq. ciuitatis Rectores, ad Bertoldum adeunt, & ſubſidium nobilitati poſtulant. Ille contractis ex Rauennatibus, uti diximus, & ex omni præterea Flaminia, & Comite Feretrano copiis, Fauentiam tripertito agmine oppugnat. Quamquam uerò Fauentini erumpentes, & in Rauennates conuicia iactantes, quod ſoli accedere, & Fauentinos bello laceſſere non auſi, explicatis Principis uexillis, id tentauerint, aliquam obſidentibus cladem intulerunt, initio fugæ facto ab Foro Cornelianis, Ariminenſibus, Britonorianiſq. qui cum Fauentinis ſentientes, remiſſius ob id rem gerebant, ceterisq. ſociis, magna fugæ, quaſi mole, incumbentes, inſigni damno fuerant, ita, ut ex Rauennatibus Oddo Raſtellus, & pleriq. alii ceciderint, ex aliis item multi, ſignaq. capta, & in orbem adducta, dirutæq. in vrbe Comitis Iuliani, ac Lamberti domus, collectis tamen viribus, Rauennates cum Ceruienſibus ad Ceſarolam infeſti excurrunt, & Bertoldum incitant, ad perſequendam obſidionem, expugnationemq. tentandam. Cæſenates etiam, Forliuienſesq. qui ad Durbecham habebant caſtra, ſuburbana tecta capiunt, ad pontem uſque, XIII. kal. Iul. incendio excitato comburunt. Quo tandem Fauentini ad obſequium Friderico præſtandum ſunt coacti, Rectoribus Galliæ Ciſalpinæ ſpectantibus, ipſiſq. Zambraſio, Sebaſtiano, Aureo, Rainerio, & Ruſtico Berti, ciuitatis Conſulibus curantibus: Extremo anno nouis ineuntibus conſulibus Vgone Rogato, Henrico Alberici, Noteuolbo, Rainerio Drudonis Rainerii, Alberico Fauentii, Vgetto Madoſio, & Vgone Saxo, inter Fauentinos, ceteroſq. Flaminios, Friderico iubente, pax conuenit. Hoc tempore vrbem Rauennam in quattuordecim diuiſam regiones inuenio: hæ autem ſunt. Regio S. Blaſii in gurgo S. Stephani in marmorato. S. Stephani in terminello. S. Marci. S. Ioannis Baptiſtæ. S. Michaelis. S. Agnetis. S. Vincentii de moneta aurea, quæ ſuper plateam maiorem erat. S. Mariæ in uirtute. S. Stephani in fundamento. S. Petri maioris, in qua erat Vbertini, Thebaldi filii, Vbertini nepotis, domus. S. Saluatoris. S. Agathæ maioris. S. Theoderici a uultu. Berta, Petri Honeſti filia, patre iam mortuo, multa cœnobio D. Ioannis Euangeliſtæ Rauennati dono dedit: cuius donationis tabulis, hæc additur ſubſcriptio. *Signa manuum Petri Trauerſaria Comitis Arimini.* Lucius Pont. Max. poſtquam Argentam, quam memorauimus a Ferrarienſibus, Salinguerra Torello Duce, occupatam, reſtituendam iuſſit, eamq. una cum omnibus, quæ in Argentano agro, Archiepiſcopus Rauennas poſſideret, Pontificiis litteris confirmauit, migrauit ex hac uita, Veronæ, Sept. kal. Decembr. in eius locum Vrbanus III. ſuffectus eſt, qui poſtero anno litteris ſuis Veronæ VI. Id. Aprilis datis, conceſſit Gerardo Rauennati Archiepiſcopo, ut Rauennatis Eccleſiæ poſſeſſiones procul poſitas, & minus utiles, ſicuti quæ Polæ, & in quibuſdam aliis locis erant, accedente ſacratorum huius Eccleſiæ uirorum conſenſu, alienaret, ſic tamen, ut Eccleſiæ meliora proſpiceret, & quam pecuniam inde contraxiſſet, in eius utilitatem conuerteret: earum

ANN. M. CLXXXVI.

hoc eſt litterarum initium. *Cum commiſſa tibi Eccleſia, fauente Deo, multa per ſtudium tuum peruenerint incrementa, & non minus uſque modo prodeſſe curaueris, quàm praeeſſe, ſine dubitatione tenemus, quòd utiliter ei prouidere debeas in futurũ.* Geſſit hoc anno Præturam Rauennatem Lanfrancus, cuius aliquot extant acta. Gerardus Archiepiſcopus poſtquam hoc anno XIIII. kal. Iul. in Archiepiſcopio, ut pacem inter Lugienſes, & Donigalianos, Iulianum præſertim Comitem, eiusq. filios conciliaret, quidquid Comes Maluicinus, de ſententia Lotoringi Vgonis Saxi, Liucii Ruuerei, & Taliati Maltaliati, decreuiſſet, Lugienſes facturos promiſit, tri duoq. poſt Comes Iulianus in frequenti Senatu Rauennæ, nomine Donigalienſium, fidem & ipſe obſtrinxiſſet, eos pactis ſtaturos, tum Lugienſes grauiter de ipſo conqueſti ſunt, quòd ubi vadimonium illis cõſtituiſſet, eaq. de cauſa, filium ipſi illius dimiſiſſent, furtim ad opidum Lugũ ueniſſet cum exercitu, ciuemq. ibidem honeſtiſſimum Lugienſem occidiſſet, uiginti aliis, uulnera, nõnullaq. mortifera impoſuiſſet, duos cepiſſet, abſtuliſſet arma, abegiſſet pecus. Pauloq. poſt Donigalianos, ipſos quoq. irrupiſſe in Lugięſem agrum, quattuor interfeciſſe, alios grauiter uulneraſſe. Vgulinum etiam Iuliani Comitis filium boues ad quadraginta rapuiſſe. Per id etiam tempus Ceruienſes de Piſignani plebe, in territorio Vbertini Carrarii Thebaldi filii, ædificata, cum Rauennatibus diſceptarunt. Conſueuerant autem huius familiæ uiri, illius plebis tueri incolas. Rauennatumq. exercitu per ea loca iter faciente, ſuum clypeum ante fores templi Vbertinus collocare, nam eo viſo, abſtinebant omnes, omni prorſus iniuria, damnoque: Die eius templi feſto, ſerico ſtragulo ad curſum propoſito, ludos ibi celebres iuuentus Rauennas habebat: & quò ius ſuum, iuriſdictionemq. oſtenderet, fixerat ibidem furcas: ſed Ceruienſes quo tempore bellum cum Rauennatibus geſſere, eò progreſſi, ſacrum æs Campanum illius difregerant, Ceruiamq. abduxerant. Eodem hoc anno XVI. kal. Nouemb. Henricus Sextus, Rex, Rauennæ fuit, & Diplomate eo die dato, Canonicos Portuenſes a vectigalibus eſſe immunes iuſſit. Teſtes, inter cæteros, diplomat adſcribuntur, Gerardus Archiepiſcopus Rauennas, Rodulfus Cæſarianæ aulæ protonotarius, Petrus Trauerſaria, Comes Ariminenſis, Otho Frangenſpanum. Præcipiturq. Britonorii Comitibus, ne Canonicos illos uexent. Anno poſtmodum a partu Virginis MCLXXXVII. Pri-

ANN. M.CLXXXVII. die Id. Mart. apud Caſtellaranum, Fridericus Cæſar, tam Eccleſiæ Rauennati, quam Epiſcopis omnibus, qui illi ſubiiciuntur, litteras Auguſtales dedit, quibus immunitates eorũ explicabantur, confirmabanturq. & Vrbanus Pont. Max. Sexto Nonas, litteris ſuis Veronæ, ad Gerardum Archidiaconum Bononienſem, ſcriptis, Gerardi Epiſcopi decretum, de ſumptu euntium ad Conuentum Rauennatem tollendo, ratum habuerat. Liberauerat enim, triginta iam annis, Canonicos ſuos Gerardus, a ſumptibus ſuppeditandis, eis, qui ad conuentus Rauennates contenderent. Eodem anno Sept. Idus Aug. Petrus Comes, & Bonifacius, cum Rauennatibus, Foroliuianiſq. fecerunt fœdus, quo communibus conſiliis, copiiſq. bellum, præterquam aduerſus Fridericum Cæſarem, & Henricum Regem eius filium, Archiepiſcopumq. Rauennatem, gererent: Idem polliciti ſunt Brignotto Iudici Rauennatis Reipubl. & Liutio è Ruuere, Thomæq. Ghetio, ac Lothorengo, eius Reipubl. Legatis; adhæc Iacobo Forilinii Prætori, Foroliuianorum nomine agenti, reddituros illis ſe Ca-

ſtroca-

ſtrocarii arcem,ſic tamen,ut præſidio eius,cuſtodiæq. eos tantum,quos ipſi ele giſſent, præficerent: iiq.iurarent,eam ſe illis,finito bello,Bonifacio,& Petro re ſtituturos: quod,& filii eorum,ubi eſſent quattuordecim annos nati,iurarent. Octobri menſe Vrbanus Pont. cum Theobaldum Ceruienſium Epiſcopum, eamq. Eccleſiam,bonaq. illius omnia,quæ litteris ſuis Ferrariæ ſcriptis,manu Alberti presbyteri Cardinalis,& Cancellarii,ſigillatim recenſet,in Diui Petri & ſuam clientelam recepiſſet, integram tamen Gerardi Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopi auctoritatem, ditionemq. iubet eſſe,& ratam eam in iiſdem litteris habet,ac confirmat.Nec diu poſt eadem in vrbe Vrbanus uita excedens, ſucceſſorem habuit Albertum ipſum Cancellarium, qui Gregorii Octaui nomine inſignitus eſt. Gerardus Archiepiſcopus cum Non. Nouembr. eſſet Argentæ,dedit domo Hoſpitali, Domnicata,qui uocabatur S. Mariæ de charitate,& ſucceſſoribus Vincinimici,qui tum ipſi domui Hoſpitali Rector præerat, multa bona; Manſum præſertim in quo ædificata ipſa domus eſt,prope Padũ, & Bucca in panem: ut egentibus Chriſti fidelibus uictus præberetur,& piè ero garetur pecunia. Cum autem Clemens Tertius Pont.Max. qui Gregorio mẽ ſe Decembri mortuo, ſucceſſerat, Crucem pro bello Orientali proximo anno indixiſſet, ipſiq. ſe ad illud Fridericus Cæſar,Philippus Galliæ, Ricardus Angliæ,Reges,& Otho Burgundiæ Dux,compluresq. præterea exteri Principes; accinxiſſent, nam Saladinus,poſt captam Tiberiadem, exercitumq. Chriſtianum, qui frequens ad ſarcienda damna concurrerat, occidione occiſum,vrbẽ ipſam ſanctam Hieroſolymam adduxerat in poteſtatem,Crux Domini in manus impiorum uenerat, Guido Luſignanus Rex nouus captus fuerat, & in cuſtodiam coniectus; Italia huius appetens laudis principatum, Gerardo Archiepiſcopo Rauennate, miniſtrante,quem Pontifex Legatum hac de re ſuum fecerat, frequentiſſimas Cruces accepit. Præcipue verò Florentiæ Rauennas Archiepiſcopus,cum Quarto Nonas Februarias ad S. Donatum ſederet, infinitam nobilium,ignobiliumq. manum,ultrò nomina profitentem, Sacris Crucibus inſigniuit. Ceterum, ut non modò bonis externis Eccleſia Rauennas, ſed etiam intimis, ac cæleſtibus fulciretur, decimoſexto kal. Mart. cum eſſet Petrus Trauerſaria Rauennæ Prætor, ædem D. Petri,& Symonis, in ſuburbio portæ Vrſicinæ extructam; cui ſacra domus Hoſpitalis adiungebatur; ordini monachorum Cruciferorum,Ioanne eius ordinis cucullato accipiente, tradidit,non ſine populi Rauennatis inſigni uoluptate. Ipſe interea in eam expeditionem nauigaturus, Rauennatis Eccleſiæ rebus componendis operam dedit, nam Rauennæ hoc anno menſe Iunio fuiſſe comperio. Rauennam quoq. hoc tempore Tert. Idus Iul. Ioannes internuncius Henrici de Agrioge, Italiæ legati, ad portorium Cathenæ, maltolectum uocabant, exigendum uenit, conuentumq. in Prætorio Rauennati habuit, in quo interfuere Comes Sifredus,& Ioannes è Colonia,Marchionis Chonradi Iudices,ac internũcii,Petrus Trauerſaria Prætor, Vgo Berardengus, Vgolinus Salomonus, Vgo Saxus, Thedericus Maltaliatus, Maltaliadinus eius filius, Liutius è Ruuere, Rigo Vbertellus, & ceteri complures. Idibus Sextil. Cardinales Rauennates; ita enim omiſſo Canonicorum titulo in iis tabulis appellantur; Farulfo cœnobiorum D. Georgii, & D. Mercurialis Abbati, conceſſerunt cœnobium Diuorũ Philippi, & Iacobi, in vrbe Rauenna, prope murum ſitum, qui latus dicitur, &

ANN. M. CLXXXVIII

multa

multa etiam alia in fundo Benazano. Gerardus Archiepiſcopus poſtero anno, Alexandrum Liuienſem Epiſcopum, Vicarium ſuum fecit, & nauibus Venetis cōſcenſis, in quibus maxima copiarum pars deuehebatur, ſecum ducto ex ſubiunctis ſibi Epiſcopis, Ioanne Fauentino in Orientalem expeditionem abiit, cum ſe illi Piſanus Archiepiſcopus iunxiſſet. Sunt qui ſcribant, Venetæ Claſſis Ducem, Archiepiſcopum Rauennatem fuiſſe, Piſanæ; quam quinquaginta conſlabant triremes, Piſanum. Cum autem Tyrum aduenissent, magno adiumento iis fuere, qui a Saladino acerrimè oppugnabantur. Ceterum ea ſoluta obſidione, cum ad circumuallandam Ptolemaidem acceſſiſſent, adueniēte cum recentibus, inſtructiſſimisq. copiis Saladino, atroci commiſſo prœlio, Gerardus Archiepiſcopus, ſtrenuus Dux, & pius adhortator æquè factus, inſignis religione, armisq. dum hoſtes ſumma ui petebat, & tuebatur ſuos, occu-
ANN. M.CXC. buit, & ſecum unà Fauentinus Antiſtes. Allato in Italiam nuncio de Gerardi morte, in eius locum Guillielmus, qui & Guillielmotus, è Cauriano, & Otho dictus eſt, ſufficitur. Hic, de more, Eccleſiæ ſuæ ditionem inuiſens, multa vbique conformauit, cumq. populus Rauennas cum ſacratis uiris de emphyteutico bonorum iure diſceptaret, eoq. iam ueniſſet diſceptatio, uti Rauennates è ſacris huius Diœceſis ædibus, Rectores eiecerint, ita, ut res ibi Diuina non fieret, & aliōs repoſuerint, qui gererent prædiorum, & fructuum curam, quamquam populus diris ab Guillelmo ob id deuotus eſt, tamen deinde cum ſacratis uiris conciliatur eiuſdem opera, ad concordiamq. accedente Petri Trauerſarii Rauennæ Prætoris auctoritate, adducitur. Ceterum Friderico Cæſare, Armenia minore in poteſtatem redacta, multisque præterea captis vrbibus, in rapido amne, quo lauandi cauſa deſcenderat, ſubmerſo, eius exercitus maximus, & fortiſſimus paulatim conſumptus eſt. In Imperium illi ſubrogatur Hēricus filius, quem alii Quinctum, hoc nomine, ſextum alii faciunt. illiq. Pontifex conſtantiam in matrimonio collocauit, Rogerii Siciliæ Regis filiam, ipſo Siculo, Neapolitanoq. Regno, quod Tancredus, Rogerii, ex Pellice, filius occupauerat, doti dicto. Guillielmus Archiepiſcopus, haud ita diu poſt Genuam abiit, eò miſſus ab Henrico Cæſare, petiit a Genuenſibus; cum Legationis ſocium haberet Anſaldum Strictum Placentinum; Henrici nomine, aduerſus Trancredum Siciliam occupantem, ſubſidia, eaq. impetrauit: Guillielmo enim Rege Siciliæ mortuò, Siculi Tancredum ſuffecerant, Rogerii Ducis Calabriæ filium, Rogerii Regis nepotem, quod, & ægrè admodum Clemēs Pontifex tulerat, qui Regnum illud fiduciario iure, ad Romanam Eccleſiam recidiſſe, cum Legitimo nati matrimonio deeſſent ſucceſſores, affirmabat.
ANN. M.CXCI. Sed dum animum Orientalibus cladibus, quæ quotidie afferebantur, oppreſſum, in hanc etiam curam intendit, morte ſublatus, ſucceſſorem accepit Cæ-
ANN. M.CXCII. leſtinum tertium. Anno a partu Virginis ſupra milleſimum centeſimum, nonageſimo ſecundo, duodecimo kal. Mart. Guillielmus Archiepiſcopus Ceruiam profectus, eius Conſules ciuitatis ſacramentum apud ſe dicere imperauit: Adfuere, Lantherius Comes Flaminiæ; quam Romaniam hæ tabulæ appellant; Ceruienſis Epiſcopus, Ioannes Palmerius, Lothorengus Vicecomes,
ANN. M.CXCIII. & alii complures. Idem ſacramentum opidi Riuerſani incolæ dixerunt Proximo anno Petrus Trauerſaria Comitis Guidonis Guerræ ſubſidio accurrit, quē Fauentini tandem ad opidum Douadolam illis dedendum adduxere. Guillielmo

liemo Archiepiſcopo, Cæleſtinus Pont. conceſſit, ut bona quædam Argentanis, capto de fratrum, fideliumq. Rauennatis Eccleſiæ, ſententia, conſilio, iure Emphyteutico, traderet, dum inde accederet ad Eccleſiam Rauennatem utilitas: extant Pontificis litteræ, Laterani. III. Non. Decembr. Pontificatus anno III. datæ. Erant autem hoc tempore non mediocria diſſidia inter Rauennates, Ariminenſesq. &, ut illa ferebant tempora, coacta aliquot militum manu, utrimque agri diripiebantur, & incendebantur, ac paſſim trucidabantur aduerſæ partis homines. Huius fuerat belli occaſio, quòd Ariminenſes ſalem accipere, uti conſueuerant, a Ceruienſibus, & portoria, quæ debebant, ſoluere negligerent. Itaque Guillelmus, qui & Villelmus ſcribitur, ut Archiepiſcopi munus impleret, cum diu, multumque laboraſſet anno: ANN.
tandem M C X C I V. pridie Non. Septembr. in Archiepiſcopatus Prætorio, M.CXCIIII.
non modò ad concordiam eos, ſed ad fœdus etiam ineundum adduxit, quo ſe mutuis exercitibus, ac ſtipendiis, cum occaſio ferret, iuuarent. Interfuit his, cum Guillelmus ipſe Archiepiſcopus, tum Azo, Rauennæ Prætor, cum paulò ante Guillelmus Genua reuertiſſet, quam ad Vrbem officii cauſa Henricum Cæſarem denuò Siciliam, Tancredo mortuo, repetentem, fuerat comitatus. Poſtero anno, recepta Sicilia, Neapolitanoq. Regno in poteſtatem ANN. M. CXCV.
adducto; nam Sybilla Tancredi uxor, una cum Guglielmo filio, puero, nihil repugnarunt; in Galliam Ciſalpinam Henricus rediens, Rauennæ Ducem, Marchoaldum Anniniuilerium, dapiferum ſuum, declarauit, quem etiam Anconæ Marchionem conſtituit. Plerique auctores ſunt, id Henricum feciſſe, ut Pontificem ulciſceretur, a quo fuiſſet de piorum ſocietate exterminatus. Marchoaldus Prouinciæ conſtituendæ intentus, fœdus cum ciuitatibus nonnullis icit, quod quoniam plurimum facit ad cognoſcendum, quanta illius eſſet Præfecturæ, & Ducatus auctoritas, hic apponendum integrum duxi. Sic autem habet. *In nomine Domini: Anno ab incarnatione eius M. C X C V. die X V. menſis Iunij. Indictione XIII. Arimini, in camera Epiſcopi Ariminenſis. Concordia quæ fit inter D. Marchoaldum, & Vbertinum Poteſtatem Rauennæ, talis eſt. In primis, quod Rauennates debeant iurare fidelitatem Domino Marchoaldo, ſicut alij homines de Romania fecerunt, qui ei iurauerunt: & debent tantum addere iuramento, quòd concordiam factam inter ſe, & eum, de facto Ceruiæ, firmam, & ratam habebunt: & iurabunt illum, & ſuos liberos retinere partem, quam habebant in Ceruia, contra omnes perſonas hominum, nec auferenti, nec auferre illi uolenti conſentient. Ceruiam uerò communiter habere, & tenere debeat in hunc modum, ita quòd Marchoaldus, ac ſui liberi debeat habere tertiam partem bannorum, placitorum, portus, ripatici, catenæ, diſtrictus, iuriſdictionis, omniumq. ciuitatis redditÿum: aliam tertiam partem Archiepiſcopus: aliam tertiam, Rauennates debeant habere. Banna uerò ſalis, ripatici, redditus catenæ, communi debeant imponere uoluntate, & de his omnibus, & alijs, quæ in antea poſuerint, ſine fraude concordari debeat, ſine malo ingenio, ad eorum utilitatem, nec debeat in hoc fraudē aliquam habere, quo minus concordentur. Sal namque totus, qui nauibus uehitur, Rauennam portari debet: nec aliò, ſine communi tranſuehi uoluntate. Sal uendatur, ſicut alius ſal de ciuitate uenditur, & alij Rauennates uendent. Per terram ſal non portetur, niſi communi uoluntate, & Eccleſiæ Rauennæ: Et Rauennates, debent ibi ſuas poſſeſſiones, & earum fructus, ſaluos habere, ita quòd prædictis hominibus*

nullatenus derogetur, neque in bannis, neque in uectigalibus, & alijs omnibus, quæ ipſi præbeant, ut communi uoluntate fuerit conſtitutum: & Dominus Marchoaldus promittit Rauennatibus, quòd confirmabit eis prædictam tertiam partem, ſecundum prædictum modum, per ſuum, & nullum malum, nullamque moleſtiam inde faciet illis, nec conſentiet facienti, & ſi eam amiſerint bona fide illam recuperare iuuabit, & ſuum priuilegium, Domini Imperatoris priuilegio faciet confirmari: & ſimiliter faciet, quòd Archiepiſcopus eis per priuilegium confirmabit bona fide, ſine fraude: Et ſi confirmare noluerit uſque ad feſtum omnium ſanctorum proximum, debeat eſſe Dominus Marchoaldus ad uoluntatem, & præceptum Poteſtatis Rauennæ, uel Conſulum Rauennæ, qui pro tempore fuerint, de prædicta tertia parte Archiepiſcopi, quam habere debet in Ceruia. Ad hæc promittit Dominus Marchoaldus, quod Rauennam, & eius diſtrictum in bono ſtatu, & honore conſeruabit. Secundum eorum antiquam conſuetudinem: ſaluis regalibus, quas Imperator, & ipſe Marchoaldus in ciuitate Rauenna, & eius diſtrictu habere conſueuit. Rauennates debent facere rationem Cæſenatibus, Britonorienſibus, Forliuienſibus, & Forlimpopul. ſi de eis conqueri uoluerint, Salua in omnibus his fidelitate Domini noſtri Imperatoris, hæc omnia ſupraſcripta adinuicem firma tenere promiſerunt per ſtipulationem, ſub pœna centum marcharum argenti, & ſoluta pœna, omnia ſupra ſcripta maneant firma. Ego Ioannes Dei gratia tabellio, ad omnia ſupraſcripta interfui, & ſicut ſuperius legitur, ſcripſi. Teſtes rogati interfuerunt, Petrus Trauerſaria, Malateſta, Bartolus de Pilio, Rainerius de Vbertino, Louiſinus iudex, Iſaacius iudex, Rambertus de Monaldus, Gerardus Decia, Rodulfinus Iudex, Leonardus Porcellus, ad omnia ſupraſcripta. Item eodem die in præſentia prædictorum teſtium, talis concordia facta eſt, inter Dominum Marchoaldum, & Vbertinum Poteſtatem Rauennæ, de ſale Ceruiæ, per terram deferendo non debet deferri cum plauſtris, ſed tantum in ſaumis iumentorum, & aſinorum, & equorum, & mulorum: & de unaquaq. ſauma, non debeat accipi, niſi quattuor den. pro datio: & nulla ciuitas debeat impedire homines uenientes pro ſale, Ceruiam. Et ſi Rauennates uenerint cum plauſtris ſuis, ſaumerijs, tantum debeant dare nomine dacij, quantum illi, qui deferunt per Regnum, ſecundū quod cap. homines tantum de diſtrictu Rauennæ. Rauen. pro ſale uenientes, pro ſuis uictualibus, pro datio nihil ſoluent de catena Ceruiæ: ubi ſunt concordes, quòd pro milliario ſalis, non dentur a Rauennatibus, uel ab alijs deferentibus Rauennam, ultra XVI. l. Sal. & nulli homines de Romania debeant uenire Ceruiam, pro ſale, niſi ab Imola, uſque Ariminum, & ultra Imolam ſal non debeat deferri. Per aquam uerò a Rauen. poſſit etiam deferri ultra Imolam. Et ego Ioannes Dei gratia Rauennas tabellio, ſcripſi prædictam concordiam, ſicut ſuperius legitur. Guillielmo Archiepiſcopo Henricus Cæſar Comitatum Argentæ confirmauit, id autem eſt, ut ipſe ſuo diplomate explicat, ipſam Argentam, Portum, & totam plebem de Portu, ſcilicet caput Sandali, Graſulum, Ripa perſicum, Virgundinum, Portum Veterariæ, & Sandalum: Maierium quoque, Cauallum, & Curtem de podio, plebem S. Viti, cum hominibus ſuis, & quidquid in ipſa plebe Eccleſia Rauennas habebat, & in libolla, & alias, ut idem ait, capellas, homines, placitum, diſtrictum, iuriſdictionemq. a principio eius Comitatus, Rauennam uſque: *Non obſtante priuilegio, uel ſcripto Ferrarienſium, contra ius Rauennatis Eccleſiæ, ab Imperiali Maieſtate impetrato*. In hoc diplomate Henricus, ſextum ſe inſcribit, Archiepiſcopum autem Rauennatem, fidelem, & dilectum

Principem

Principem ſuum appellat. Dat. Vuormatiæ. IIII. kalend. Decembr. Indictione XIIII. anno Domini MCXCV. Poſtero, Alamannus, Salinguerra, ac Ruſticellus Rodulfi filii, nomine ſuo, Petrique Falcoli, & Petri Gregi, donarunt Gugliemo Archiepiſcopo, & ſucceſſoribus in perpetuum, omnes homines; qui olim in Collina Græcorum, tum in monte Anrignano incolebant, in caſtro nouo: excepto quod ſibi, ſuiſque filiis omnia munera, officiaque ſeruarunt, quæ ipſi eorum poſſeſſionibus debebant. Accepit magna voluntate opidanorum, poſſeſſionem Non. Martii, Ramberrus Archiepiſcopi procurator, quem Vicecomitem vocant: cum denuò declaratum eſſet, Archiepiſcopo ſe illos præſtare, quidquam nolle, extra pedites, equitesque, Hoſtem, & Caualcatam appellabant. Creſcentibus uerò in dies Trauerſariorum viribus, Petrus eius princeps familiæ, non Rauennatibus modò ſuis, ſed finitimis populis, ac Regulis carus erat. Salinguerra autem Torello, qui duro imperio Ferrarienſibus præerat, Rauennatum fines occupante, graues cum eò ob id ſimultates exercuit: quas cum deponere Salinguerra nollet, Petrus eodem hoc anno a partu Virginis MCXCVI. quo fuit Rauennæ Prætor, nacta occaſione, Azzum Octauum Eſtenſem hortatur, Opizonis Quincti filium; qui demortuo tum primum patre, Ferrariæ commorabatur; ut Marchefellam, Adelardi Marcheſellæ filiam, in matrimonium duceret. Cum enim hæc fœmina, patri, & Guillelmo patruo, qui Picentibus præfuerat, & Ferrarienſibus, dum illos aduerſus Rauennates tueretur, ſola eſſet hæres, facile futurum putabat, ut Ferrariæ dominatum, Salinguerra excluſo, aſſequeretur. Quod cum Trauerſaria, Azzoni primum, mox Marcheſellis; quibuſcum intercedebant ueteres ſibi neceſſitudines; perſuaſiſſet, & duxiſſet Azzo Marcheſellam uxorem, Ferrarienſesque ob id Eſtenſem honeſtiore loco, quam Salinguerram, deinceps haberent, fecit, ut ad Ezzelinum Salinguerra confugiens, eius filiam uxorem duxerit. Vnde haud ita diu poſt, demortua Marcheſella, Azzoneque ſe ad opidum Ateſte recipiente, priſtinam Salinguerra dignitatem, ac potentiam Ferrariæ conſequutus eſt. Auctores nonnulli ſunt, Guglielmum hanc fratris filiam, ea condicione, reliquiſſe, omnium opum ſuarum, quæ ingentes erant, hæredem, ut Iacobo Salinguerræ filio, tollendarum diſſenſionum cauſa, nuberet. Sed Petrum Trauerſariam, Almerico Iocolo iuuante, ne magis creſcerent Salinguerræ uires, è Salinguerræ domo tractam, Azzoni Eſtenſi uxorem dediſſe. Hoc anno Cæleſtinus Pont. Max. Diuæ Mariæ in portu cœnobium, in fidem, ac clientelam ſuam, & Pontificii ſolii recepit, ab omnique tributo immunem eſſe iuſſit. Montis Alboti incolæ, ſe pacta ſeruaturos Guillielmo Archiepiſcopo Rauennati, quæ fuerant facta in opido Argenta, & cum eodem Archiepiſcopo ſocietatem udituros iurarunt. Proximo, a multis Argentanis ſacramentum apud ſe dici Guillielmus imperauit, cum eſſet Argentæ Nonis Ianuar. adeſſentq. Comes Vbertus, & Comites Gerardus, Guidoq. fratres, è Conio, Lothoringus Peppi Azzi, & alii. Ceruienſes quoque XVI. kal. Mart. qui diù ſecum certauerant, reſtituit in integrum: tandem verò ita inter eos conuenit. Quotannis colligere bis ſalem Archiepiſcopo fas eſto; Annonæ is modia, ſeſtaria appellant, duo,

ANN. M.CXCVI.

ANN. M.CXCVII.

pro fumante, ut eius utar uerbis. Saliſq. tributum, quod uocabatur fodrum, in quadrageſima. S. Martini habeto. Epiſcopus, & Canonici, Epulum illi bis, Reſpublicæ Ceruienſis, ter, ſi uenerit Archiepiſcopus, præbento. Qui Ceruiæ carnes uendiderint, denarios eidem duos ſoluunto. Ex maleficiorum mulcta, certa illius pars eſto. Inſequens annus multas in Flaminiam

ANN. M.CXCVIII perturbationes intulit: Mortuo enim Cæleſtino Pontifice, Innocentius Tertius, ex Comitibus Signiæ, ſubrogatus, nihil ſibi potius duxit, quàm occupatam a Cæſaribus Eccleſiaſticam ditionem recuperare. Itaque Archiepiſcopo Rauennati ſcripſit, ut ipſe, ſubiunctique illi Epiſcopi, Carſendino adeſſent Subdiacono, & Legato ſuo, iuuarentque quibus poſſent auxiliis exercitum, quem ad recipiendum Rauennæ Exarchatum, & Comitatum Britonorii, in Flaminiam mittebat. Rauenna partes prima Pontificis ſequuta, eſt quippe quæ ciues ſuos haberet, Petrum Trauerſarium in primis, Pontificiarum partium ſtudioſiſſimos. Cæſenates difficiliorem opinione expeditionem Carſendino reddiderunt, quòd ſe oſtendiſſent maxime pertinaces. Quamobrem ubi eos Carſendinus notauit ſacrorum interdicto, accitis Rauennatibus, expugnationem adoritur. Cum Rauennatibus, quorum erat Prætor hoc anno Milo, ualidam iuuenum cohortem coniunxit Gutfredus Confalonerius Fauentinorum Prætor, ut Rauennatibus eam petentibus ſatisfaceret: coniunctis copiis, Cæſenates tandem ad auctoritatem Eccleſiæ reuocati. Durior Foroliuienſium fuit prouincia, qui non ſolum Robertum Romanum, vrbis Præfectum, rem ad Eccleſiam retrahentem, populari in foro concitato tumultu, cum aliquot ſociis obtruncarunt, ſed ipſius nepotem Pontificis nocte captum, cum pleriſque aliis, necarunt ſuſpendio, & eruptione ex vrbe facta, in Rauennatem agrum excurrunt, & Ceruiam adimunt Rauennatibus. Verum Aduenientibus Bononienſibus, quorum gerebat Præturam Vbertinus Vicecomes Placentinus, iamque Carſendini vocatu, eductis copiis, aliquot ForoCorneliani agri caſtra, ceperant, vaſtatione agris illata; ad pacem petendam, & obſequium Eccleſiæ præſtandum, adducti. Guglielmus Archiepiſcopus, cum eſſet ſexto kalend. Aug. Argentæ, nomine ſuo, Eccleſiæque Rauennatis, ac ſucceſſorum a Ioanne de Curte emit prædia multa, paludeſque in agro Argentano ſitas, quæ iis tabulis ſigillatim explicantur, quæ adhuc in tabulario Vrſiano extant, ſcriptæ Innocentii Pontificatu, nullo Imperatore Regnante. Hoc autem eſt idcirco appoſitum, quia licet Henrico ſexto Meſſanæ mortuo, anno ſuperiore, Philippus Friderici Imperatoris filius, Dux Tuſciæ, & Bertholdus Zaringiæ item Dux, & Otho Henrici ſuperbi Saxoniæ Ducis filius, de Imperio decertarent, nullus tamen habebatur adhuc legitimus Imperator. Petrus Trauerſaria, & Rauennates, quo minus hoſtium iniuriis paterent, acriusque illatas repellerent, hoc eodem anno, Legatis Ariminum miſſis, coram Girardo Bononienſi, Arimini Prætore, cum Ariminenſibus, ac Picentibus fœdus inſtaurarunt, his potiſſimum pactis, ut Rauennatibus, Ariminenſibusque militibus, cum iuerint Picentibus ſubſidio, Picentes, nec ſtipendium numerent, neque annonam præbeant: idem contra, Picentes faciant. Si obſidione; quod abſit; cingantur, Rauennates, Ariminenſesve, Picentes equite illos, ac pedite, ſine fraude, aut dolo,

pro

pro uiribus,terra,ac mari iuuent, annonamq. præbeant. Idem pro Picentibus, Rauennates, Ariminenſeſq. faxint. Ex Rauennatibus,aut Ariminenſibus, ſi quis in Picentum finibus capietur, eum,eiusq. bona recuperare pro uiribus; optima fide Picentes curent. Idẽ faxint Rauennates,Ariminenſeſq. ex his omnibus, Venetos, & Piſaurenſes excipientor, quibus promiſſum nihil ſit. Si fuerit obſeſſa vrbs Fanum, ſubſidio illi, equite, ac pedite, terra. marique aduenìant. Fauentinis, ac Bononienſibus, ceterisq. qui hoc fœdus inire ſecum voluerint, locus, ex huius fœderis moderatorum uoluntate, pateat. Iurarunt ex Aeſinis frater Giottus, & Ioannes Alberici, Ex Senogallienſibus Ioannes Attulinus Ex Ariminenſibus Ioannes Mores, Baldinettus Iudex, Bulgarus Nãzollus, Nicola a platea. Ex Faneſtribus Ioannes Ruſticus, & Rainerius è Ripa. Eodem hoc anno III. kal. Decembr. Gaiebanæ, Henricus Epiſcopus Mantuanus, aſſentiente, iubenteq. Guillelmo Archiepiſcopo Rauennate, Vgutione Epiſcopo Ferrarienſe, Attoni Pagano præcepit Rauennæ, & Iſacco Ferrariæ Prætoribus, ad hæc Oratoribus Mantuanis, ut ſuorum quiſq. Iſaccus præſertim Salinguerræ Mantuani, Iacobi Bernardi Prætoris nomine, inducias uſq. ad I X. kal. Febr. iurarent. Quod factum eſt: inde Archiepiſcopus vnà cum Epiſcopis decreuit captiuos utrimque dimitti, ſed obſides dari. Poſtero anno ſeptimo kal. Mart. coram Epiſcopo Cymaclienſe, Guglielmo è Mapello, & Ioanne Iudice Cremenſe, & Azzolino Marchione Eſtenſe, aliiſque pluribus, in opido Argenta, Vgutio Epiſcopus Ferrarienſis, aſſentientibus Guillielmo Archiepiſcopo Rauennate, & Henrico Epiſcopo Mantuano, a die Dominico proxime futuro ad tres hebdomadas colloquium,conuentumq. indixit, quò conuenire, dato iuſiurando, iuſſit, Rauennæ, Mantuæq. Prætores, in loco Regum cum Legatis ſuis. Præcepit & Prætorem Ferrariæ ad eum Conuentum prope Mutinam, cum ſuis Legatis, accedere, ita ut inter vtramque ciuitatem res conuenirent. Adhæc ex eiuſdem Archiepiſcopi, Epiſcopique ſententia inducias inter ciuitates Rauennam, Mantuamq. ex una parte, & Ferrariam ex altera,ad octauum à Paſchate diem,iuxta ſuperiorum induciarum, ad Gaibanam pactarum condiciones, laxauit: eas Prætores libenti animo acceperunt. Mox Tertio Idus Mart. inter Guillielmum Archiepiſcopũ, ſuo,& Argentanorum nomine, ac Attonem è Pagano Rauennæ Prætorem,nomine Reipubl. Rauennatis, ita conuenit. Opidi, comitatusq. Argentæ incolæ tributum exigunto,& Rauennatibus danto: Vrbis,caſtrorum, & ſuburbiorum expurganto foſſas,excauantoq.cum idẽ Rauennates,aut qui in planitie Rauẽnati ſunt,fecerint. Arma Argentani habento,ut Rauennates habent. Pacem, bellũ,fœdusq. ex Rauennatũ uoluntate faciunto. Argentanus ſi Rauennatem læſerit, Rauennam ad cauſam dicendam, & mulctam ex Prætoris, aut Conſulũ Rauennatũ ſententia accipiendam,uenito.Rauennates,eo loco Argentanos habento,quo habent planitie Rauennatis incolas. De bello,pace,fœdere,quæ dicta ſunt, de pediteq. atq. equite mittendo, & ne Argentani, ciuitate Ferrarienſi donentur,nec in ea habitent, Rectores Rauennates,edicto, Argentæ, & in omni eius comitatu edicunto. Dimidiam mulctæ partæ,ſi quis contra feciſſet, Archiepiſcopus,ceteram Reſpublica Rauennas habento Argentæ Viceco mes Archiepiſcopus, Rauennæ ſit natus, & domo, poſſeſſioneque ciuis Rauennas. Rauennates æquè, ac Archiepiſcopus, portas, ſuburbii Argentæ

ANN. M.CXCIX.

 turres,

turres, ſi quæ erunt, & turrim caſtri Argentæ, præſidio firmanto. Argentani ſe pro Eccleſia, & Republica Rauennati ſuburbium, & caſtrum Argentam ſeruaturos, Rauennates, uinum, ac ſalem, & ceteram annonam Argentanis ſe daturos iuranto. Guillielmus Archiepiſcopus nullam de Argenta pactionem cum aliquo facito, abſque Rectorum Rauennatum ſententia, in Senatu accepta. Hoc ſacramentum omni quinquennio Argentani omnes intra XIIII. & LXX. annum ætatis renouanto. Loca Comitatus Argentæ in his tabulis hæc numerantur. Villa portus, villa Materii, villa Sandali, uilla portus Vetrariæ, uilla Virgundini, uilla ripæ de perſico, & Corzoſri, uilla Capitis ſandali, uilla Graſulli, uilla portus Ruptæ, & totus alius plebatus portus, ... locus S. Blaſii, & locus S. Mariæ in filo. Multa appoſita eſt librarum Rauennatium mille. Atto Rauennatium Prætor, hæc promiſit, accepitq. omnia. Adfuere teſtes Petrus Corbus, Bartholomeus Archiepiſcopi nepos, Vgo Gozus Iuriſperitus, Margottus, & alii. Eodem hoc anno V. kal. Augu. Venetiis Marcus Epiſcopus Caſtellanus, cui Pontifex delegauerat cauſam, ſecundum Guillielmum Archiepiſcopum Rauennatem, aduerſus Comitem Ingelpretum è Goritia, & filios Oderici Polenſis, ſententiam, de domibus, & prædiis Polæ conſtitutis, quæ Eccleſiam Rauennatem ſpectabant, tulit, teſte, inſpectanteq. inter complures alios, Alberto Ceruienſi Epiſcopo. Ceterum, ut vbique Eccleſiæ ſuæ

ANN. M.CC.

Rauennatis bona Guillielmus conſtitueret, abiit proximo anno Piſaurum, atque ibidem Octauo kal. April. Petro Andreæ, Rauennati, Piſaurenſium Prætori, Reipublicæ, populi, ciuitatiſq. Piſauri nomine accipienti, in annos futuros centum, conceſſit montem, cognomento Cagnanum, in agro ipſo Piſaurenſi, prope riuum Cattilianum, diffluentem a Nubilaria in terram, ea uia, qua ad triuium antiquum itur. Teſtis interfuit Lazarus D. Apollinaris in nouo Abbas, ipſius Legatus, procuratorq. Archiepiſcopi, & Vgo Rauennas, Reipublicæ Piſaurenſis Iudex. Per idem tempus cum Salinguerra conceptum in Trauerſarium, & Rauennates odium amplius continere non poſſet, accito Veronenſium, ac Mantuanorum ſubſidio, repente Argentam adortus, opidum barbara crudelitate diripit: cumq. alii Rauennates eò accurriſſent, opem, ſi res ferret, ſuis, qui in præſidio opidi erant, laturi, ab Salinguerrianis partim acerrimè oppugnantibus, partim in inſidiis locatis capiuntur, & Ferrariam catenati ducuntur, ubi in fœdiſſimo, teterrimoq. carcere pleriq. diſceſſerunt è uita, catenæq. ferreæ, uti ſempiterni ludibrii monumentum, in D. Georgii appenſæ ſunt. Per ſex menſes in cuſtodia habiti, primum quotidie antequam comederent, mox ſingulis menſibus, certam pecuniam Reipubl. Ferrarienſi numerare, ad extremum, librarum ſalis tercenties mille dare coacti: cautum que ne reædificaretur opidum, neu caſtrum, neq. propugnaculum quodpiam ultra S. Albertum. Qui ultra Padũ ſunt, tributum Ferrarienſibus penderent, & eos milite iuuarent. His pactis ſi Rauẽnates non ſtarent, quidquid illis ditionis ultra Padum eſſet, id Ferrarienſes deinde haberent. Hæc autẽ eò maior Rauennatibus clades eſt uiſa, quòd Foroliuiani Ceruiam a Rauẽnatibus, receptã denuò aggreſſi, pulſoq. Rauẽnati præſidio, eam vrbem occupauerant. iſq. annus Rauẽnæ maximè grauis, ac peſtilens fuit: cum homines intra uigintiquattuor horarum ſpatium, ſanguinis fluxu de naribus, interirent: quæ eadem peſtilentia omni quoque Flaminiæ, atque etiam Etruriæ communis extitit: cum tamen

tamen Fauentini, nihil ob id deterriti, aſſidua cura opidum Coſmam, quod iuxta riuulum eiuſdem nominis, extruere aduerſus Foroliuianos cœperant, anno MCLXXX. hoc anno abſoluerint,& exercitum in eoſdem Foroliuianos comparauerint. Extremo anno X. Kal. Decembr. Benedictus D. Hilari Galliatenſis Abbas, monachis ſuis aſſentientibus, cum eſſet Ceruiæ, confirmauit Guillielmo Archiepiſcopo Rauennati, Eccleſiæ nomine, iure Emphyteutico, dimidiam partem iuris, dominatus, ac uectigalis, quæ habebatur in caſtro Ciuitella, eiusq. curte,in monte Veclo, in foſſa Luparia, in Collina, in Pato, in monte Rouereto, in Faſale, in Porticello, in monte Leo, in Metteleno, in S. Martino, in ceterisq. omnibus,quæ . . . . Britonorii olim ab Eccleſia D. Hilari habebat: Teſtis adfuit Albertus Ceruienſis Epiſcopus, atque item alii. Per idem tempus, Venetiis, Luſignana familia Rauennas, cum multos iam annos ſenatoria, & patricia in ea ampliſſima Ciuitate fuiſſet, in Philippo Luſignano finem habuit. ANN. M. CCI. Poſtero anno Præturam Rauennatem geſſit Albertus ſcapus. Rauennates, cum Ceruienſibus, ForoPompilianis, Britonorianis, Abbate Galliatenſi, pro Foroliuianis, aduerſus Fauentinos, quibuſcum Bononienſes, & ForoCorneliani erant, ad Caſtellionum ſtrenuè pugnarunt: Cum autem tumultuaria acciderunt multa prœlia, tum illud fuit in primis celebre, ac penè iuſtum, cum ſeſe Fauentini magno impetu in Foroliuianos pedem referentes ad amnem Montonem, qui ante ſuburbium Sclauoniæ fluit, intulerunt. Nam & fortiter reiecti, & Guglielmus Rangonus Bononienſium Prætor, qui cum Carrotio, & fortiſſima manu in expeditionem uenerat, milites ſuos in eas anguſtias accurrere ſubſidio, ut plerique ſcribunt, abnuit. Paucis ante diebus, prid. Non. Maii. Guido fili Arardi, reſtituturum ſe Reipubl. Rauennati, prædia quædam, nec ſacramentum apud Fauentinum Prætorem dicturum, iurauerat. Cæſenates Tert. Idus Septemb. Ceruiam expugnant, magnam partem incendunt, iuratum à Ceruienſibus obſequium & obſides extorquent, cum neminem deſideraſſent ex ſuis. Tradunt aliqui, Fauentinorum id gratia factum: qui Guidone Guerra, & Abbate Galliatenſi ad ſuas partes abductis, coniunctisq. cum illis, & cum ForoCornelianis, ac Bononienſibus copiis denuo Caſtellionum obſidere: Verum ubi Rauennates opem cum ſociis opido laturi, ſeſe ad montem Poggiolum in conſpectum dedere, tantus inceſſit animos hoſtium timor, ut ForoCorneliani domum redierint: & Fauentini nouum a Bononienſibus ſubſidium poſtulauerint: neque uerò fruſtra, quando Bononienſes forti, atque infeſto exercitu, ex vrbe, Quincto Idus Octobr. educto, ſecumq. reductis ForoCornelianis, aduerſus Rauennates proceſſerint. Sed Rauennates cum ſe longe impares tantæ moli cernerent, noctu abeunt: Fauentini opido potiti, magnam partem illud inflammant. Paulo tamen poſt, ita conueniſſe inter Rauennates, Bononienſesq. reperio, ut ex iis tabulis, quamquam uetuſtate, locis aliquot, exeſis, poteſt cognoſci. *In Chriſti nomine, amen. Iuro ego ad ſancta Dei Euangelia habere, & ſequi, & obſeruare preceptum, & precepta Domini Petri Trauerſaria, & Vbertini, qui mihi . . . . . de facto Bon. vt Bononia perueniat ad ſpecialem amicitiam, & ſocietatem, & adiut . . . . Rauen. de ſuis negocijs. Vel vt commune Bon. eis Rauennatibus, vel ſu. . . . . & hoc ſacramentum faciam fieri a decem bonis viris de mea parte, qua . . . . ad predicta peragenda: & credentiam, quam mihi preceperint ſuper his.*

bis . . . . . tate ; hæc omnia obſeruabo, bona fide, ſine fraude, remota omni malitia. Nomina eorum, qui . . . . hac. Guido Lambertini, & Iacobus de Bernardo. Actum hoc iuramentum in Camera palatij Domini Petri Trauerſariæ, in præſentia Domini Comitis Maluicini, Comitis Bernardini, Henrici de Vbertello, Berardi Gambulli, & aliorum plurium, & in præſentia . . . . quibus hoc ſacramentum factum fuit, ſcilicet Domini Petri Trauerſariæ, & Domini Vbertini: hoc datum eſt ſub anno Dominicæ Incarnationis MCCI. die . . . . menſis Octobris, Indict. IIII. Rauennæ. Valentinus Rauennas tabellio, & communis Rauennæ nuncius . . . . : nomina illorum de Bononia, qui iurauerunt ſecundum quòd Guido Lambertini, & Iacobus de Berardo adſtricti erant iurare facere, ſunt hæc. Alberto de Menſo, Rolandus de Manfredinis, Bucca de Ronco, Auxellinus de Vſpinello, Girardus Capuan. Baſtardellus, Rolandus Dominæ Taudiſcæ, Guido Alberici Scannabici, Guidettus de Maio, Vguizon de Auxiletto, Reſuiſenus, Rodulfi, Bagaroitus Iudex, Alberto de Ruſticanis. Nomina illorum Rauennatum, qui ſuper ea, quæ dicta ſunt, credentiam iurauerunt, ſunt hæc. Guido Signorelli, Signorellus de Muſio, Vgo de Cotto, Vgo de Alberto, de Vgolino, Buccolus Azzolenus, Bartolus de Pratis, Michilinus, Deus dedit de Signorello, Vguizon de Vbertino, Peppo de la Virde, Vgo de Gezzis, Deus te ſaluet, Lambardanus, Arconus, Albertus Saſſoli, Guido Rambaldi, Herminius, Ioannes Scarabigola, Ioannes de Paganello, Guido de Atugliano, Guido Pagani, Saracenus Vganis Volpe, Peppus de Bulgarello, Foraſterius, Paganellus da Palazzo, Vguizzon de Oddis, Ioannes Porcus, Bernardus Ioannis Palmerij. & alij multi.

Sub id tempus Guillielmus Rauennatum Archiepiſcopus; quem nonnulla eius ætatis monumenta Vuillelmum de Cauriano appellant; cum diligenter Eccleſiam adminiſtraſſet, de uita deceſſit, cui Albertus ſubrogatur, non abſque contentione, Rauennates enim ſacrati uiri, diuiſi in partes duas, alii Diuæ Praxedis Cardinalem, præſtantem uirum, alii ForoCornelienſem Epiſcopum poſtulabant. Verum Innocentius neutrum probans; Cardinalem, quòd eius opera longè magis, Romanæ, & Rauennati Eccleſiæ eſſet profutura, ſi eo Archiepiſcopatus munere non occuparetur; ForoCornelienſem Epiſcopum, quòd a paucioribus poſtulatus fuiſſet, quàm ut tertiam partem complerent; alium iubet Archiepiſcopum deſignari: ſed illis non unum ſentientibus, tandem Albertum Pontifex Archiepiſcopum fecit, Rauennatibusq. dedit. Is cum vir impiger eſſet, & ſpiritus militares gereret, Venetæ Claſſi in Saracenos paratæ, Imperator, ut tradunt plerique, præfuit: poſtero tamen anno pri- ANN. MCCII. die kal. Septembr. conceſſit Guido Boni Comitis, & fratri illius Rainaldo, eorumq. filiis, ac nepotibus, quartam caſtri Bifurcæ, & caſtri Bifurcellæ partem, quæ ſunt in Ariminenſi, in plebe S. Lauducii, eaq. de re tabulas renouauit: ipſi fidem Archiepiſcopo ſacramento obſtrinxerunt, eiusq. ſucceſſoribus. Petrus Trauerſaria hoc anno, eius uxore Aicha aſſentiente, multa cœnobio Portuenſi dono dedit. Rauennates menſe Decembri, Octauo kal. Ianuar. ad Caſtellionem cum Cæſenatibus prœlio certarunt, coniunxeruntque cum Rauennatibus, Foroliuiani ſuas copias: Captus tamen eſt Petrus Trauerſaria, & ſeptemdecim ſecum milites. Quapropter Fauentini, qui tum captiui a Foroliuianis prope Fratariam facti, in Foroliuiano carcere duriter habebantur, ita ut è lucernis oleum aliquando eis bibendum fuerit, domum liberè dimiſſi, Rauennatesq. recepti, Mouerat Rauennates ea cauſa, ut Foro-

liuianos

liuianos tuerentur, & damna ſua reſarcirent, cum Fauentini, propterea quòd Caſtellionem, Epiſcopatus Foroliuiani opidum, diruerant, diris deuoti excurſiones in Rauennate feciſſent, multaq. præda facta, ſolo æquaſſent ad Cortinam, foſſam magnam, & caſtrum Latinum euertiſſent. Sed numeratis, inſequenti anno, Epiſcopo Foroliuianorum libris mille, a Fauentinis, pax conuenit: poſtquam Fauentini, prœlio iterum congredi auſi; fuſi, & in fugam acti ſunt. Albertus Archiepiſcopus, dignitatem qua poſſet ratione, confirmaturus, Innocentio Pontifice, Bononienſium cœnobiorum, quæ certam penſionem ſoluere Archiepiſcopo Rauennnati conſueuerant, uti ſupra memorauimus, obligationem hoc anno confirmari, impetrauit, ſcriptis ea de re, ad Lateranum, Octauo kal. Mai. litteris, quas Pontifex ſua, & ſeptemdecim quoque Cardinalium ſubſcriptione firmauit. Has litteras nos & in bibliotheca ſacrarum Virginum D. Andreæ; eius cœnobii Præfecta, præſtantiſſima fœmina, Felicia Raſpona indicante, inuenimus, & Vrbinatium Cardinali, Iulio Feltrio ab Ruuere, Rauennatum Archiepiſcopo, dedimus, qui eas in Vrſiana bibliotheca, cum pleriſque aliis uetuſtis monumentis collocauit. De Villa Luci quoque Albertus cum Fauentinis controuertit, qui eam, & nonnulla Eccleſiæ Rauennatis opida occupauerant. Cuius adhuc rei teſtes leguntur, De iuramento calumniæ, item de teſtibus & atteſtat. Innocentii Pontificis ad Epiſcopum Placentinum litteræ, qui illi quæſtioni iudex præerat. Aliquot etiam fundos in opido Riuerſano, qui ad ſacras D. Andreæ Rauennatis Virgines ſpectabant, ad Archiepiſcopatum adiunxit: pauloq. poſt denuò cum Fauentinis de Villa S. Potiti, & opido Aureolo litigans, ſecundum leges, ac tabulas, litem ab Innocentio Pontifice accepit: quòd; uti Pontifex affirmat, De probationibus loquens; Fauentini temeritate, atque arrogantia, ea bona arripuerant, & poſſederant, falſiſq. & inconſtantibus teſtibus adductis, uincere nitebantur. Eodem menſe April. Pontifex, in fidem, clientelamq. D. Petri, ac ſuam recepit homines, ac poſſeſſiones Eccleſiæ Rauennatis, in Ferrarienſi ſitas, ne iniuſtis afficerentur moleſtiis. id ſe Lucii Tertii Pont. Max. exemplo facere, Innocentius adſcribit. Cum etiam Prætor, & Senatus Auximatium, ab Henrico Senogallienſium Epiſcopo, cui Pontifex cauſam delegauerat, ſæpe citati, iudicio non adfuiſſent, ad cauſam de damnis illatis Archiepiſcopo Rauennati dicendam, Henricus, ſept. kal. Septembr. Arimini, in maximo templo, Vgulinum Prætorem, ſenatoreſq. diris deuouit, & niſi reſipiſcerent ad diem D. Michaelis feſtum, illorum ciuitati ſacris interdixit; Adfuit teſtis Gualfus Epiſcopus Foropompilianus, Toloſendus Rauennæ Prætor, Ioannes Malateſta, Gerardus Capuanus, Vgutio Auxellanus, Aſpinus & Ioannes Forliuienſ. & Dux Archiepiſcopi Vicecomes. Adhibuerat quidem Auximatium Prætor, deductis ſecum tribus viris ſapientibus, Henricum, apud Aeſium, litteraſq. Pontificias legerat; dixeratq. ſe Auximatum Senatum uelle cogere, ut de ipſius ſententia reſponderet; octo poſt diebus, quos illi Henricus præſtituerat, aduenerant & iuris periti tres, ſed abſq. mandatis: itaque cum Henricus diem certum ſe finiturum dixiſſet, ad quem niſi citati reſpondiſſent, abſentes damnarentur, ipſi uerò in pertinacia contumaces permanſiſſent, ad eos è piorum communitate deturbandos, ita uti dictum eſt, Henricum, Romanæ Eccleſiæ mandatis parere uolentem, impulere.

ANN. M.CCIII.

Vbertinus Guidonis Duſdei,& GuidoDuſdei,eius fratris filius,& Anaſtaſius,
ANN. anno MCCIIII. in Prætorio Rauẽnatis Reipublicæ,Cermixono Ald. Prætori
MCCIIII. Rauennati, Reipublicæ Rauennatis nomine,receperunt, nullum ſe,neq. filios
ſuos,aut ſuæ factionis ceteros,uulnus,familiæ Perri Trauerſarii illaturos.Man
dauit Cermixonus Ald.Prætor,ipſis Vbertino,& Guidoni Duſdei, & Anaſta-
ſio, ne in Senatum, & niſi duobus tantum comitanribus, nec niſi vocati,
uenirent; neque ex eorum familiaribus, arma quemquam defe rre ſinerenr:
Hæc eadem Vbertinus Guidonis Duſdei, Guidoni è Laxario, Guglielmo è
Monte, & Petro Trauerſariæ ſeruaret. Incolæ D. Potiti Idib. Decembr. iu
rarunt ſe in fide Archiepſcopi Rauennatis futuros, & nihil vmquam dignita-
ti illius aduerſum molituros: cum etiam paulo anre, Tert. Kal. Decembr. ue-
ſperi, in opido caſa murata, in ædibus Archiepiſcopi, Bernardino Comite
Cunii, Guidone Duce, aliisq. præſentibus iudicium controuerſiæ, quæ in-
ter Albertum Archiepiſcopum, & Vbertum Comitem erat,integrum ad Pe-
rrum Trauerſariam, & Guidonem Comitem Cunii, fuiſſer reiectum. Egerat
enim iudicio, in Vbertũ Comitẽ Albertus Glazolum,Montem altum,Montẽ
ANN. Veclum,Rangle, integra opida, & octauam caſtri noui partem,depoſcens.Po
M.CCV. ſtero anno,pacem,Fauentini,cum Petro Trauerſaria confirmarunt. Itaque cũ
Bagnacauallenſes ſubſidio Fauentinis neglexiſſent proficiſci, & foſſa circum-
ducta munire opidi ſuburbium ſtuderent, Fauentini, Trauerſarii auxiliis im-
petratis,qui ad eorum caſtra ſe contulit, cum equitibus quadringentis,cò ad-
duxerunt Maluicinum Comitem, opidi Regulum, opidanosq. omnes, ut de-
ditione facta,incolumes ipſi ſeruari ſint,opidum,ſuburbanaq.tecta incẽdio ab-
ſumpta. Albertus Archiepiſcopus conceſſit Alferio Ferrarienſi, ut certum ſa-
lis numerum,cum dediſſet portorium pro eo è Ceruia auferret,anno inſequen
ANN. ti: quod idcirco notaui, ut appareat, quid, ea in vrbe, iuriſdictionis Archie-
M.CCVI. piſcopo Rauennati eſſet. Eodem anno, XVII.kal. Iulii, in uilla Salgareta. A.
Feretranus Epiſcopus, iuſſu Archiepiſcopi Rauennatis,litem decernens,qua
Archiepiſcopus ipſe, & homines qui manſum incolebant montis Fabri, qui
Viuiani erat è monte Salutari, & Druditiæ, ex vna parte, & Viuianus idem
Druditiaq. ex altera, iudicio contendebant, fecit, ut iis renunciarenr, mul-
ti, qui ab Archiepiſcopo eſſe uoluerunt,quod cum in manibus Ioannis Mala-
teſtæ eſſet factũ,eos Malateſta,Viuiano,& Druditia aſſentientibus refutauit,&
in manũ tradidit Viceeomiti Archiepiſcopi Rauennatis Alberti,qui non multo
poſt moritur.Illius hæc fuit inſcriptio. *Albertus Diuina miſeratione S. Rauen. Eccle-*
ANN. *ſia Archiepiſcopus.* Succedit in Archiepiſcopatum Egidius anno à partu Virginis
M. CCVII. MCCVII. cui Innocentius Pontifex,pallium è corpore beati Petri,per.R. ſub
diaconum ſuum, miſit, ſic tamen, ur quam primum ſeſe ferret, intra annum à
occaſio, ueniret in Apoſtolicum conſpectum, profeſſionem, quam iuramen-
to fecerat, ore proprio editurus. Quamquam enim conſtitutum iam Pontifi-
cia lege erat, ut deſignatus Rauennas, accederet ipſe Romam ad pallium ac-
cipiendum, eam ſe tamen legem temperare,cum ita neceſſitas poſtularet. Ex-
tant adhuc Pontificis hac de re litteræ, *Dat. Laterani XVI. kal. Maij. Pontificatus
anno. X.* Dum autem Egidius ſacras dirionis ſuæ inuiſit ædes, cœnobii Por-
tuenſis Præfectus, eiusq. familiares, ex ipſo Portuenſi templo, eiicere illum
armis etiam adhibitis, tentarunt; Sed huiuſmodi diſſidium Innocentius Pon-

tifex,

tifex, deinde compoſuit. Quoniam uerò oppigneraverat Albertos Archiepiſcopus, Salinguerræ Taurello Ferrarienſi, Rauennatis Eccleſiæ quædam opida, Egidius per Rolandinum, ac Soriſinum procuratores ſuos, numeratis Salinguerræ, in vrbe Ferraria libris Ferratinorum, ſupra vnam, octingentis triginta; librisq. Imperatoriis nouem, & ſolidos quinque, opida a Salinguerra redemit, recepitque, Maderium, & Sandalum: fuerant enim tantundem oppignerata. Eodem hoc anno, ab Epiſcopo Foropompiliano, è piorum communitate exterminantur in D. Apollinaris in Claſſe Caſtri noui Prætor, incolæq. quod Bagnolum, Eccleſiæ Rauennatis opidum occupaſſent, eius bona diripuiſſent, incolas partim captiuos feciſſent, alios obtruncaſſent, opidumque euertiſſent. Haud diſſimili ratione, Tert. Non. Nouembr. Ventura Epiſcopus Ariminenſis, in ſacello domeſtico, ſui Prætorii, litteras legit, Innocentii Pont. Max. quibus mandabatur illi, ut Auximates induceret, ad reſarcienda damna, & iniuriis ſatis faciendum, quibus Eccleſiam affecerant Rauennatem: addiditq. ea cum feciſſet, illi Auximates nequaquam credidiſſe: ad hæc ſententiam recitauit, quam in eos Epiſcopus Senogallienſis, auctoritate Pontificia, tulerat: Tandem Prætorem Auximatium, Senatoresq. extinctis candelis, omnemq. ciuitatem; niſi Eccleſiæ Rauennati, ad diem feſtum S. Andreæ, ſatisfaceret; interdicto notauit. Mox difficillimis, triſtiſſimisq. temporibus animaduerſis, laxiorem illis diem dedit, ad Quart. Non. Februar. Eodem ferè tempore, Venetiis, Caloprinorum familia, quæ Rauenna ortum ducebat, Senatorii ordinis, cuius erat, muneribus ampliſſimis perfuncta, Tribunitiaq. poteſtate ſæpius adminiſtrata, cum D. Benedicti templum exædificaſſet, nullo ſuccedente, deſiit. Egidius Archiepiſcopus, multa bona, præſertim quæ fuerant Vbertini Acariſii, D. Mariæ in portu cœnobio, conceſſit. Inſequenti anno, qui octauus fuit ſupra milleſimum ducenteſimum, Aſanitus Cremonæ Prætor, ipſaq. Cremonenſium Reſpubl. tabulis confectis, teſtati ſunt, ſibi a Rauennatibus de quadringentis uiginti quattuor libris, monetæ Cæſarianæ, ſatisfactum, quas Cremonenſis populus ad Rauennam amiſerat. Interea Egidius Archiepiſcopus morbo oppreſſus interiit, cui ſubrogatur Hubaldus, cum eſſet Epiſcopus Fauentinus. Huic ſtatim Innocentius Pontifex has ſcripſit litteras. *Innocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili F. V. Epiſcopo .... Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Eccleſia Rauennæ ſuo uiduata paſtore, ſuffraganeis, & capitulo eiuſdem Eccleſiæ Rauen. conuenientes ad inuicem, de ſubſtitutione Pontificis ...... uenerabilibus fratribus noſtris, Ioanne Ceruienſi, & Alberto Saſſinate Epiſcopis, & dilectis filijs, presbytero Ioanni, & Donato Canonicis, & presbyteris Voberto, & Martino Cantoribus eiuſdem Eccleſiæ, Bernardo S. Apollinaris in Claſſe, & Ambroſio S. Apollinaris in nouo, Abbatibus, & presbytero Ioanne, ac Petro Diacono, Primicerij eligendi, ſeu poſtulandi Pontificem .... prahabita diligenti ..... te in Archiepiſcopum poſtularunt, nobis humiliter ſupplicantes, ut poſtulationibus ipſorum annuere dignaremur. Nos ergo non ſolummodo approbantes, uerùm etiam ratam habentes poſtulationem .... tenebaris Eccleſiæ Fauentinæ duximus abſoluendum: Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandantes quatenus ad Eccleſiã Rauennatem accedens circa regimen eius inſiſtere ſtudeas ſalubriter, & prudenter: Nos enim ſuffraganeis eiuſdem Eccleſiæ, & clero, & populo Rauennat. per noſtras damus litteras in mandatis, ut tibi, tamquam paſtori ſuo .... & exhi-*

ANN. M.CCVIII.

exhibeant reuerentiam debitam, & honorem. Dat. Laterani Kal. Iunij, Pontificatus noſtri anno XI. Vgutio Cremonenſis, Rauenn. Prætor, adhibitis Petro Corbo, & Chunrado Dulcebono teſtibus, qui XIII. kal. Septembr. Ceruienſes inſpicerent, vrbis Rauennæ fluuios defodientes, atque expurgantes, illum præſertim, qui ante ædes, quæ fuerant Ioannis Ducis; ad pontem Caurellum, ante domum Bonhomi erat, uſque ad portæ Vrſicini Gatulum; ut eorum utar uerbis, eius uetuſtæ ſeruitutis memoriam mãdari tabulis publicis iuſſit, quòd ab ea ſubducere ſe Ceruienſes uellent. De Cremonenſibus autem, quod dictum eſt, miſiſſe eos Rauennæ pecuniam, & Vgutionem Cremonenſem, Rauennatem Præturam geſſiſſe, id eò ſpectat, ut magnam illis cum Rauennatibus coniunctionem fœderis fuiſſe teſtemur: quamobrem non ipſe ſolum Cremonenſis populus, ſed & Epiſcopus, huc ſæpe uenire conſueuerant: ſic ut ad noſtram ætatem, ab Epiſcopo, rebus certo iure tradendis, pacta de Rauennati itinere, antiqua ſeruentur: Nam Marchiones Palauicini, ad hunc uſque qui modo uiuit, Sfortiam. Venetarum copiarum Imperatorem, ita de nonnullis ad Padum locis, accipiunt ab Eccleſia Cremonenſi tabulas, ut quoties Epiſcopo Rauennam conuentus, alteriusve negocii cauſa, eundum ſit, Rauennam adducere, reducereq. Cre monam, ſua ipſorum impenſa, Epiſcopum, eiusq. omnẽ familiam teneantur. quod mihi etiam per litteras Nicolaus Sfondratus, eius Epiſcopus vrbis, inſigni uir doctrina, & omni Epiſcopali uirtute præſtantiſſimus, confirmauit. Huius exitu anni Rauennas Eccleſia, Reſq. publica, cum Azzolino; ita enim ſcribitur; Marchione Eſtenſe, fœdus iniit in hæc uerba, quæ, quoniam ad eorum temporum mores cognoſcendos magis faciunt, integra apponam. *Ego Dominus. A. Marchio Eſten. & tota parte mea de Ferraria promitto per ſtipulationem uobis præſentibus, Arcono de Saxo, & Alexandro Iudici, Ambaxatoribus, Procuratoribus, ſiue Sindicis, ſeu actoribus communis, acceptoribus nomine, & vice communis ipſius, & Eccleſiæ Rauennæ, in perpetuum, id eſt, quòd non offendam in perpetuum, nec offendi permittam, neque aſſentiã neq. offendi patiar caſtrum Argentæ, nec eius Burgum, nec homines prædicti caſtri, aut Burgi: neq. eorum res mobiles, vel immobiles: & etiam ius, & omnem actionem, & rationem & luſum, quod, vel quæ, vel quam ego, vel prædicta pars mea de Ferraria habet, vel habere ſperat, vel cauſarum, nec..... aliquo modo nobis parte ... vllo modo, aut iure, in prædicto caſtro Argentæ, vel eius Burgo, vel hominibus ipſius caſtri, uel Burgi, vel eorum rebus, vobis nomine communis Rauennæ, & Sanctæ Eccleſiæ Rauennæ, ſcilicet, maioris, do, cedo, trado, mando, & definio, & pactum perpetuale de non petendo in perpetuum facio: & ipſum caſtrum, & Burgum, & homines de cetero, & eorum res, ut dictum eſt ſuperius, liberè, & ſine ulla inquietatione, poſſidere permitto: & promitto me facturum ita, quòd omnes homines prædictæ partis meæ. præſtabunt ſacramentũ, ſubdicenda infra, quòd ipſi non offendent, nec offendi conſentient nec permittent, prædictum caſtrum Argentæ, nec eius burgum, neq. homines ipſius caſtri, uel burgi, neq. eorum res in perpetuum, & quod dabunt, & donabunt, atque perpetualiter definient nobis, nomine, & uice cõmunis, & maioris Eccleſiæ Rauennæ accipientibus, omne ius, & omnem actionem, & rationem, & buſum, quod, uel quam, uel qui habent, uel habere ſperant in prædicto caſtro, uel eius burgo, uel hominibus prædicti caſtri, uel burgi, uel eorum rebus, ullo nomin e, uel iure, & quod ipſi renunciabunt omni iuri, & exceptioni, eis hoc, & ſuper hoc aliquo mod o competenti, uel competituro:*

&

& ſpecialiter renunciabunt legi,& exceptioni agendi contra commune Rauennæ,& ſanctam Eccleſiam Rauennæ,ex eo,quòd commune Rauennæ ſua auctoritate, poſſeſſionem prædicti caſtri, & eius burgi intrauit,& quòd ab Archiepiſcopo Rauennatis Eccleſiæ neque a choro eiuſdē Eccleſiæ,nomine ipſius Eccleſiæ ſindicos,procuratores, actores conſtitutos non eſſe:& egomet eodem modo, ut dictum eſt,renuncio,& cõfirmo hæc omnia ſuprascripta promitto ſincera habere,& obſeruare & adimplere,& in nullo contrafacere,pœna marcharū mille argenti,& ea ſoluta,firma &c. Et incontinenti in dicendorū teſtium præſentia,prædictus Marchio iurauit omnia ſupraſcripta tenere firma. Act. an. MCCVIII.Indict.X. die primo Octobris. Dominus Taganus Iudex, Iſolanus notarius, Ioannes de Canoſſa, Albergetus Maluetius,teſtes rogati,in domo filiorum Domini Guidotti de Faro. Quoniam uero Hubaldo Archiepiſcopo Rauēnatium facto,Præpoſitus,Canonici,Abbates,Primiceriiq. Fauentini,deſignandi Epiſcopi facultatem ad.I.Sacerdotem, Canonicum Fauentinum detulerant,is uero Ioachimum nominauerat,S.Fridiani Lucenſis,Canonicum, iam Epiſcopum Sarzanatem,qui primo Canonicus,dein Præpoſitus Fauentinus fuerat, eratq.S.Fridiani Præfectus aſſenſus:dum a Pontifice confirmari poſtulant,obiicitur Concilii Conſtantinopolitani caput,quo cauetur,ne quis a Põtificia dignitate, ad monachi uitam,& pœnitentiæ locum profectus,ad Pontificatum deinde emergeret. Pontifex luculentis, quæ adhuc in tabulario Vrſiano extãt,litteris,Dat. Laterani IIII.Id. Februar. anno Pontificatus XI. quomodo caput illud Conſtantinopolitani Concilii, quod vnum ex quattuor eſt, quæ ſicut quattuor Euangelia,Eccleſia Catholica ueneratur, accipiendum ſit,latè explicat: ſi quis enim,aut quód pleroſq.mortales habeat aduerſos,aut morbo opprimatur,aut neceſſaria ad regendum diſciplina careat, uel quia cupiditatem parentum perſpectam tunc primum habeat, qua fuiſſet Epiſcopatum adeptus,monachū induerit,de eo minime Concilium loqui,ſed poſſe illis ceſſantibus,ad Pontificatū admitti:in illo ſecus,quem crimina,quorum eſſet,iudicio, aut cõfeſſione conuictus,eo adegiſſent. Aliis aſſerentibus, ut reſurgere per ſe nequeat,id autem eſt repetere quaſi debitum,quo ſe ita abdicauit; quamquam poſſit elegi; præſertim ſi locum tantum, non ordinem dimiſit. Itaque Hubaldo Archiepiſcopo mandat,ut ei ſi conſtiterit,ob aliquam ex ipſis cauſis,ſimilibusve Ioachimum,Epiſcopatum depoſuiſſe; auctoritate Pontificia, illi, ineundi Fauentini Epiſcopatus poteſtatem faciat,potiſſimum ſi loco ceſſiſſet,non item ordine dignitateve,uti aiebant. alioqui Præpoſito,& Canonicis iniungat,ut alium ſibi Epiſcopum deſignent. Eodem anno,MCCIX. Tert.Non.Maii Ceruiæ in æde D.Ioannis,Simone Epiſcopo Ceruienſe,Vgutione eiuſdem Ciuitatis Prætore,atque aliis ſpectantibus:Senatu coacto,litem,qua Rauennates,Ceruiēſesq. iudicio diſceptabant,reiecit Hubaldus Archiepiſcopus,easq.cõpoſuit cauſas, quibus diſſentiebant: Itaque pridie kal.Iul.Bernardus Ioannis Palmerii,& Aldreuādus nuncii Rodulfi Comitis,Legati Flaminiæ,pro Patriarcha,&Othone Raigae,&Vgolino Vbertelli conſulibus Rauennæ,vna cum Vgone e Guezzo, & Theoderico Dominæ Vſillanæ,Legatis, pro Republica Rauennati per præconem edixerunt,Ceruiæ,ne quis ſalem uſquam naui deueheret,præterquam Rauennam,neque curribus cuiquam uenderet. Nono kal.Septembr.Ferrariæ, in ædibus Petri Aldigerii,Alberrinus Salinguerræ nepós, cõfectis tabulis,pollicitus eſt,nihil ſe deinde in perpetuum,procuratoribus Reipubl. Rauennatis,

ANN. M.CCIX.

eius Reip.& Eccleſiæ itē Rauennatis nomine,ſpectantibus, ac accipientibus, de caſtro Argenta,& ſuburbiis, incolisq. ac bonis, poſtulaturum:nullam illis moleſtiam ob id illaturum:Tactisq.ſacris Euangeliis ea ſe ſeruaturum iurauit, cū teſtes adeſſent Rambertus Bazalerius,Viuianus Vbaldinus,Salinguerra, & alii. Hubaldus Archiepiſcopus,æquitatis amantiſſimus,&recti ſtudioſiſſimus, cum Archiepiſcopatus amplificandi,magno deſiderio incenſus eſſet, hæc curabat. & quemadmodum paucis ante diebus, fuit autem ad tert.Id.Aug.per Archipresbyterum Carghi,& Præpoſitum D.Martini; quorum iudicio delegata cauſa fuerat, uenit in poſſeſſionem bonorum , quæ ad Eccleſiam Rauennatem ſpectabant, ea autem fuere Caualli,Curia Podii,media Fiblia, medium Marticenium,in bucca de Tono,in pagnano,& finitimis illis locis multa,ita V. Id. Septembr.in ædibus Epiſcopi Fauentini,pignori dedit Aldebrandino Lazarini,partes duas caſtri Aurioli,& Curtis:Regrignatio, tertiam : cū illi Aldebrandinus libras centum,Regrignatius quinquaginta,mutuas dediſſent.Ab Othone etiam Cæſare; qui Philippo,Friderici Imperatoris,uti diximus,filio,interfecto,ſolus rerū potiebatur,& eodem hoc anno,V.Id.Octobr.Cæſarianū, atq. Auguſtale diadema,Romæ,de manu Innocentii Pontifici, acceperat, tabulas impetrauit Auguſtales, quibus prærogatiuæ omnes ac priuilegia, iuriſdictionem,ditionēq.Eccleſiæ Rauennatis ſpectantia,ſingulis numeratis locis,& confirmabantur,& augebantur.Ampliſſimum extat adhuc diploma,quoHubaldū Archiepiſcopum,dilectum Principem ſuum appellat,Dat.apud caſtrum S.Miniatis,manu Gualterii Imperialis protonotarii Tert.kal.Nouēb. Ind.XIII.Teſtes ad fuere Vuolfgerus Patriarcha Aquileienſis,Crigell.NurembergenſisEpiſcopus Vualter.tt. Lucenſis Epiſcopus,Alen padus Epiſcopus Verceladus,Alepradus Epiſcopus,Vulteranus Epiſcopus,Maldinus Imolenſis Epiſcopus. Gilinus Taruiſinus,Azo Marchio Eſtenſis, Salinguerra Ferrariēſis,Henricus Calēdrini Mareſcalcus Imperii,Gorozolinus dapifer Imperii,& pleriq.alii Auguſtalis aulæ iudices.Subſcripſit,poſt Othonis ſignum,Chunradus Spirenſis Epiſcopus,Auguſtalis aulæ Cancellarius,uice Theoderici ColoniēſisArchiepiſcopi, & totius Italiæ Archicancellarii. Act.anno MCCIX:RegniOthonis anno XII. Imperii,primo.Quo eodem anno, pridie kal.Ian. Ceruienſe a quartodecimo, ſeptuageſimū annum ætatis,in æde D.Ioannis Ceruienſe, fidē ſacramento obſtrinxerunt Petro Trauerſariæ,& Deſdeo Carrario,Vbertini filio,eorumq. filiis maribus,Prætorem externum ſe non recepturos,niſi quē Petrus,Deſdeus, Vbertinusq: pater probauerint.Certum item quotannis,menſeAuguſto,uectigal, ex ſale, illis, eorumq. ſtudioſis,perſoluturos : Portoriorum omnium, quæ ad Catenam in portu poſitam , exigebantur, duas illis partes , tradituros, ſibi unam habituros ; Omni Flaminia , equitem, militemque, hoſtem, & caualcatam uocabant; quocumque Catanei uellent , ſuis ſtipendiis, miſſuros: Catanei uerò,Vbertinus,& Petrus Trauerſaria,homines Ceruienſes , eorumq. bona ſe defenſuros polliciti ſunt . Erat noua inItalia Cataneorū dignitas, a Germanis inuecta Cæſaribus, qua ii inſigniebantur, qui principem in ciuitate locum obtinebant.Hoc tamen iuſirando Ceruiēſium,noluerunt,nullum Archiepiſcopo, Reipublicæve Rauennati, neque Epiſcopo Ceruienſi,aut eorum iuribus,præiudicium accedere.Hubaldus autemArchiepiſcopus,quemadmodum hac in re, ac multis aliis, conſeruare , & recuperare Archiepiſcopatus dignitatem,

tem, iuriſdictionemq. ſumma ope nitebatur, ita, quod ab ſe contra ius, & fas poſſideri intelligebat, confeſtim reiiciebat, & dominis reſtituebat: nam anno ANN.
MCCX. Adhalaſiæ ſacrarum Virginum D. Andreæ Præfectæ, quæ Albertus M.CCX.
Archiepiſcopus ſuperioribus annis apud Riuerſanum habuerat, reddidit, inde Argentam cum Bonifacio fratre profectus, ubi Non. Febr. multa conſtituit, quæ reſtitutione egere uidebantur. Per id tempus, Ferrariæ Petrus Alberti Aldigherii, cui controuerſiam inter Conſules, Prætorem, Rempublicamq. Rauennatem, & Ceruienſes, cognoſcendam, tollendamq. Dulfus, Aquilejenſis Patriarcha, Othonis Cæſaris in Italia Legatus, mandauerat in Reipubl. Ferrarienſis Prætorio, coram Vgone Vormatienſi, Prætore Ferrariæ, Caccianimico eius Iudice, Ioanne Albaro, & Leutio, legum Dominis; ita enim ibi ſcribitur; Guidone è Ferraridio Iudice, Guglielmino Iocolo, Menabono, multisq. præterea, pronunciauit, Rauennæ, Ceruiam ſubiunctam eſſe, cum expurgandis, defodiendisq. foſſis urbis, tum accipiendis, ſeruandisq. edictis, municipalibusq. legibus Rauennatum, mittendo exercitu, ac ceteris huiuſmodi faciendis, quæ ſubiectionem præferunt. Interea cum Otho Cæſar, nimia ductus dominandi libidine, nouaq. dignitate plurimum ſuperbus, Regni Siculi, ac Neapolitani clientelam, uerbis, recipere, factis Regnum occupare contenderet, Innocentius Pontifex, qui a Conſtantia Auguſta moriente, Friderici pueri tutor fuerat relictus, quos ipſe ambos paulo antè Siciliæ Reges inſtituerat; Othoni acerrimè reſtitit, & in pertinacia permanentem, iurato ſpoliauit populorum obſequio, & tandem execrationis in eum ſententiam explicauit: litterisq. hac de re ſcriptis; ea legi, diuulgariq. iuſſit, extant ad Archiepiſcopum Rauennatem, & ſubiunctos illi Epiſcopos IIII. Non. Martii, Pontificatus anno XIII. Laterani datæ, quarum hoc eſt initium. *Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus, Archiepiſcopo Rauen. ac Suffraganeis eius, Apoſtolicam benedictionem, Deo & vobis de Imperatore conquerimur; qui beneficiorum noſtrorum ingratus, & promiſſionum ſuarum oblitus, retribuit nobis mala, pro bonis, odium pro dilectione, offenſam pro gratia, iniuriam pro honore, tamquam filius indeuotus, a perſecutione piæ matris incepit, quæ ipſum contra communem penè omnium voluntatem, toto conamine ſtuduit ad Imperium ſublimare, ſicut vobis, & alijs eſt pleniſſimè manifeſtum: multis inſultantibus nobis; quòd meritò ea patimur, cum nos fecerimus gladium, de quo grauiter vulneramur: Sed inſultatoribus noſtris, reſpondeat pro nobis Altiſſimus, qui puritatem animi noſtri plenè cognoſcit, nec ſine cauſa legitur, de ſe ipſo dixiſſe, pœnitet me feciſſe hominem: illudq. debet ab omnibus iniquum, & impium reputari, quòd ad occupandum Regnum Siciliæ manus extendit, quod a nobis, cariſſimus in Chriſto filius noſter, Rex Fridericus illuſtris, orphanus, & pupillus, obtinet ex ſucceſſione materna: tamquam ſibi nequaquam ſufficiat, quòd eius patrimonium iniuſtè detinet occupatum. Quis ergo de cetero ſibi credat, aut quis de ipſo confidat, quandoquidem nobis fidem non ſeruat, qui, licet indigni locum Chriſti tenemus in terris, qui tot & tanta ſibi contulimus beneficia?* His igitur commotus Innocentius, non ſolum Othonem de dignitate deiecit, ſed & Fridericum ipſum ſecundum, Siciliæ Regem, Henrici ſexti filiũ, annos natũ ſexdecim, Cæſarem creandum iubet, Quoniam uero Bellunenſi, ac Feltrenſi Epiſcopo mortuo, Canonici non vnũ, in deſignãdo Epiſcopo, ſentiebant; Nam pars. A. Subdiaconum Pontificis, Canonicũ Vicetinũ, alii Phi. Ab

batem Pompoſianum elegerant; Pontifex, auditis utriuſque procuratoribus, Hubaldo Archiepiſcopo II. Id. Mart. ſcribit, quod ſi uiderit, abſque graui, cœnobii Pompoſiani, iactura, abdicare Abbatem poſſe, ipſumq. electioni aſſenſiſſe, ad eas Eccleſias adeundi, facultatem illi præbeat: alioqui iniungat Canonicis, ut intra octauum diem, idoneum ſibi Paſtorem deſignent, quod ſi neglexerint, ipſe, Epiſcopum deſignaret, Hubaldus. Qui his acceptis litteris, de tota re ſtatim certiorem Abbatem facit, a quo reſponſum eſt, cum grauis uideretur Monachis, Hubaldi aduentus, ueniam Abbati impertiiſſe, ut ad eas Eccleſias adiret, ſe autem electioni aſſentire. Quamquam autem eſſet Otho a Pontifice, dignitate ſpoliatus, eius tamen adhuc in Italia remanſerant adminiſtri; Itaque Quarto kal. Decembris, Arpus nuncius Leonardi è Tricano in omni Flaminia Othonis Cæſaris, Comitis ac procuratoris, ipſius iuſſu Leonardi poſſeſſionem dedit Vberto Comiti, Mõtis è Gociis, & nominatim, Arſe Saligi, Eccleſiæ Flaudenani, totiusq. eius regionis; adhæc Eccleſiæ S. Ioannis Montis Veneris, Eccleſiæ S. Andreæ, Tūbæ Cantiæ, Mercati Caſtri noui, Tumbæ Manfredorum, totius Pullaredi, Arcis Caſtri noui, integriq. eius caſtri; & iurato ſibi obſequio, quòd ad Imperium ſpectaret, eorum locorum incolas abſoluit. Ipſe autem Leonardus, Arimini, in D. Iuliani porticu, IIII. Id. Decembr. ſententiam Hubaldo Archiepiſcopo confirmauit, ab Epiſcopo Cæſenate, & Nicolao Fauentino, iudicibus ab utraque parte conſtitutis, latam, inter ipſum Leonardum ex vna parte, & Hubaldũ Archiepiſcopatus ſui nomine ex altera, de multis prædiis, quas Leonardus promiſit, nomine ſe Archiepiſcopi, precario retenturum, dum Rauennatis Eccleſiæ nomine Hubaldus in eorum poſſeſſionem ueniret. Eodem hoc anno, Caſtri Galiolæ incolæ Hubaldo fidem ſacramento obſtrinxerunt. Poſtero, Rauennates Azonis Eſtenſis

ANN. M.CCXI.

iuere præſidio, quæ imprudentibus aduerſariis, Hugonem Othonis Legatum, & ſecum vnà Salinguerram, Ferraria eiecit. Quamobrem cum obſidendæ Ferrariæ cauſa, Otho & Salinguerra, caſtra ad Doliolum, Bononienſes ad Galeriam poſuiſſent, Rauennates Pontificiarum partium ſtudioſi, ad Argentam conſedere, quemadmodum Regienſes ad Sammartinum, Mutinenſes ad Finale, Copias locauerant. Et cum Othonis Cæſaris Vicarius Argentam occupaſſet; nam arma in Pontificem, inimico animo mouebat, Hubaldus ita ſe geſſit, adeo magno rem animo tractauit, ut opidum fuerit ſibi reſtitutum. Quo loco in Hiſtoria Principum Eſtenſium Ioannes Baptiſta Pigna auctor eſt, Hubaldum anno MCCXII. quo anno Præturam Rauennatem geſſit Vbertinus Guidonis Duſdei; Argentam ipſam Azzonis Eſtenſis, & Aldrouandini filiis, fidei & cuſtodiæ commendaſſe: Inter ipſum autem Hubaldum, & Ceruienſes kal. April. in Epiſcopi Ceruienſis ædibus, cum Oddo Epiſcopus Cæſenas, & Canonici Rauennates multi adeſſent, ita conuenit. Quæcumq. conſueuerunt obſequia Archiepiſcopo & eius internunciis Ceruienſes præſtabunt. Conſules, Reſpublicaq. Ceruienſis, uenire in poſſeſſionem dimidiæ partis catenæ Ceruiæ, & littoris Hubaldum permittent: ſic tamen ut de iure agere ſit illis integrum. De obſequiis ad eam diem intermiſſis, ad arbitros reiiciatur. Eodem anno Petrus Trauerſaria, aſſentiente Imilia uxore, Piſcatorũ Rauennatiũ ordini ea bona conceſſit, quæ Ducis fuerant. Ad V. Id. Octob. Rauennæ, in Archiepiſcopi cubiculo, opidi Riuerſani incolæ iurarũt, fideles ſe

ANN. M.CCXII.

Hubaldo

Hubaldo Archiepiſcopo futuros. Inſequens annus quæſtionis plenus acceſſit,
in qua Hubaldus, Petrum Hadrianum Epiſcopum poſtulauit, de ambitu : & ANN. M.CCXIII.
XIIII. Kal Mai. iuſſit teſtes citari, Canonicos Hadrianos, qui affirmabant mul
ta a propinquis Epiſcopi, comitiorum tempore fuiſſe Canonicis promiſſa, &
inter ſacratos uiros palam dici, per Simoniam ad Epiſcopatum adiiſſe, & dum
Epiſcopus eſſet, Thomæ ſubdiacono uulnus intuliſſe, poſtea Diuinis fuiſſe
operatum. Malgaritus ſubdiaconus, & Canonicus, ſe, & Adamum ſacerdo-
tem ab Epiſcopo uocatos, aiebat, dicente, fratres eorum Canonicos, illum
maxime uexare: quapropter uereri, ne eum in iudicio arceſſerent; vnde uo-
lo, inquit, iuretis, uos ſecum hac in re nequaquam futuros, & ſi quid ipſi
aduerſus me moliri uellent, renunciaturos; quod & iurarunt Epiſcopus con-
trà, illis recepit, *in uirtute Spiritus ſancti, & per duodecim Apoſtolos, & per quat-*
tuor Euangeliſtas, & per ordinem ſuum, officio ſe illis non interdicturum; nec
ullius cauſa offenſionis, eos vnquam grauaturum; Mulierum conſuetudine
ſi uterentur, niſi ſimplici admonitione, acerbum illis non futurum. Hæc ut
ſeruaturum ſe oſtenderet, pacem eis in fide Apoſtolorum dediſſe, manusq.
ſuas, in eorum manibus poſuiſſe: Cum tamen deinde illis interdixiſſet. Sed
quis fuerit huius quæſtionis finis, non reperio. Magis patet cauſæ Bononienſis
exitus, quam iis litteris Innocentius Pontifex Hubaldo Archiepiſcopo dele-
gauit. *Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabilibus fratribus Archie-*
piſcopo Rauennati, & Epiſcopo Cremonenſi, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.
Cum Bononienſis Epiſcopus olim ad Conſilium, & ſuggeſtionem bonæ memoriæ Gal-
banen. electi, ſuam inſufficientiam recognoſcens, ſarcinam Pontificalis officij, quam
ſine ſuo, & commiſsi ſibi gregis periculo, portare non poterat, infra certum tempus de-
ponere promiſiſſet, idem præeſſe gaudens potius, quàm prodeſſe, poſt deceſſum illius,
promiſsionem inficiari non metuit ſupradictam, adeo ut a tabellione, qui fecit ſuper
hoc publicum inſtrumentum, illud, ſicut accepimus, faciat occultari: Cum igitur dicta
promiſsio dubia non exiſtat, & inſuper eius ſit inſufficientia manifeſta, fraternitati
ueſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ex parte noſtra, moneatis eundem,
ut Bononienſem Eccleſiam exoneret de ſeipſo, eum, ſi monitis ueſtris infra quindecim
dies acquieſcere forte noluerit, ab eadem, ſublato cuiuslibet contradictionis ſeu ter-
giuerſationis diffugio, penitus amouentes, & compellentes eundem, ut in manibus ue-
ſtris reſignet pecuniā, quam pro terra ſancta ſuccurſu noſcitur congregare, iniungatis
Capitulo Eccleſiæ memoratæ, ut uirum ſcientia, uita, & fama præclarum, ſibi per ele-
ctionem canonicam infra octo dies præficiant in paſtorem, alioquin uos eum tunc, aucto
ritate noſtra, ſublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obſtaculo, perſonam,
quā tanto congruat oneri, & honori, præficiatis eidem: Contradictores per cenſuram
Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcentes. Vos denique fratres Archiepiſco-
pe, & Epiſcope, ſuper uobis ipſis, ac credito uobis grege, taliter uigilare curetis, extir
pando uitia, plātando uirtutes, ut in nouiſsimo diſtricti examinis die, coram tremendo
iudice, qui reddet unicuiq. ſecundū opera ſua, dignam poſsitis reddere rationem. Dat.
Laterani IIII. Id. Iunij. Pontificatus noſtri anno XVI. Saluianenſes per id tempus
Hubaldo Archiepiſcopo Rauennati fideles ſe futuros iurarunt. Rauennates
indixere Fauentinis bellum, & ad ſuas copias, ualidam manum, Foroliuiano-
rū, Britonorianorum, Bagnacauallenſiumq. adiecerant, futurūq. uidebatur inſi
gne prœlium; cū anno poſtero, Guido Lambertinus Fauentinorū Prætor, acci ANN. M.CCXIIII.

Bononia peditibus,equitibusq. multis,& plures pollicitus,fecit,ut noſtri, propter ingentem famam nouorum auxiliorum,&Prætoris prudentia permoti,domum remigrauerint: accedente præſertim auctoritate Hubaldi Archiepiſcopi,quæ apud Frogerium Prætorem Rauennatem,& Lambertinũ Faventinum habebat ponderis plurimum; illiq. Lambertinus,cum eſſet Argentæ,VII.kal. Mai. aliquot prædiis ceſſit, propterea quod Hubaldus, qui & ipſe Argentæ erat, quoſdam illi agros, domumq. in Caualli ſitas, in quo habitare conſueuerat, iure Emphyteutico dederat. Conſtituere enim nitebatur Hubaldus, Archiepiſcopatus ſui bona,& cetera confirmare cum decreuiſſet in ſacram expeditionem proficiſci, & in Saracenos, quotidie magis inualeſcentes,ſuſcepto Crucis ſigno, arma mouere. Quamobrem Innocentius Pontifex, litteris ſuis dat.apud S. Petrum, Romæ, anno Pontificatus XVII. in beati Petri, ſuamq. fidem,& clientelam ipſum Archiepiſcopum, Archiepiſcopatumque, recepit,deditq.ut alios eodem crucis ſigno ornaret,& criminibus abſolueret: Mox in proximum annum, Concilium Romæ, generalemq. conuentum, indixit. Hubaldus interea Bononiam proficiſcitur, atq. eam cauſam in interiori ſenatu; Conſilium credentiæ uocabant; agit ſumma diligentia, nomine Pontificis. Inſequenti anno, poſtquam aliquandiu, de caſtro Bagnoli,& quibuſdam aliis cum Epiſcopo Saſſinate litigaſſet, tandem uterque, Rauennæ
ANN. X. Kal. Aug. Cæſenate, & Foropompiliano Epiſcopis ſpectantibus,iudicium
M.CCXV. totius cauſæ integrum ad Præpoſitum Rauennatem, & Aldebrandum Canonicum Saſſinatem reiecit. Menſe Nouembri Concilium Lateranenſe quadringentorum Epiſcoporum ab Innocentio eſt habitum, potiſſimumq. de concordia cum Græcis; nam Græci, Metropolitani, Græciq. Cæſaris, atque Romani Legati interfuere; & de auxiliis in Aſiam ad ſacrum bellum mittendis,tractatum. Italicæ interea ciuitates, ſpecie libertatis quadam abuſæ; & ſuorum ciuium inteſtinis bellis, & finitimarum oppugnationibus, maximè agitabantur. Et quoniam rarò admodum accidit,quin ciuium dominandi cupidorum potentia, magna in Republ.damna afferat, id tunc Rauennæ uidebatur,quæ Petro Trauerſaria, & Vbertino Carrario, non leui inter ſe odio, atque diſſidio, certantibus, adeò diſtrahebatur, ut ipſa ciuitas, duas Reſpublicas, non unam præ ſe ferret; ſemperq. Hubaldus Archiepiſcopus, conciliare eorum inter ſe animos fruſtra fuerit nixus.Qui multis ſanctè,& fortiter proRauennati Archiepiſcopatu, ipſaq. ciuium ſalute geſtis, depoſita dignitate, uitæ reliquum abſoluit in Portuenſi cœnobio, cum iis, qui ibidem uiuebant, ſacerdotibus, Petri peccatoris ſeſe legibus obſtringens: in quo ſocios habuit, ut tradunt plerique, Thomam Byzantium Antiſtitem, & Petrum Zianum Venetorum Ducem, qui magiſtratibus ſe abdicantes, ibidem,iiſdemq.legibus, Domino inſeruierunt:quemadmodum & uir ſanctiſſimus, Hubaldus Eugubinus fecit: qui deinde patriæ Epiſcopatum adeptus, iuxta Portuenſem regulam, quam ſecum deſcriptam attulerat, Canonicorum inſtituit conuentum, eoq. inſtituto uiuens, multis miraculis enituit. Nam, ut in uita ſcribitur D. Hubaldi, Apoſtolicæ inſtitutionis regula, eo tempore, in Portuenſi cœnobio, ſatis honeſtè ſeruabatur, & totius ſanctitatis ſplendor in omnibus lucebat. Florebant per id tempus Dominicus Calaguritanus, & Franciſcus Aſſiſias, uiri ſanctiſſimi & admirabiles, a quibus maximum Dei Eccleſia incrementum

accepit. Hubaldo in Archiepiſcopatum ſucceſſit Picininus, cuius pauca extant in Vrſiano tabulario monumenta, ſed extant tamen. nã anno MCCXVI. Quincto Id. Iul. pleraq. bona, renouatis tabulis, iure emphyteutico, ciuibus aliquot Rauennatibus conceſſit, cum adeſſent Albertinus, & Bonifacius, Hubaldi iam Archiepiſcopi fratres; Idẽ fecit VI. Id. Decẽb. Argentæ. Ariminẽſes hoc anno, menſe Iunio, Cæſenatesq. ad montẽ Furcarum, prœlio inter ſe decertarunt, ab opido Longiano haud procul: ſed inclinante ad Ariminenſes victoria, multi ex Cæſenatibus, ferè ad quingentos, capti. Duobus poſt menſibus, accitis Bononienſium, qui Carrotium ob id eduxerunt, Fauentinorumq. & aliorum ſociorũ auxiliis, Cæſenates, in Ariminenſem agrum excurrunt, caſtra locant ad opidũ S. Archangelum, balliſtis, & ut tum uocabant, manganis, die, noctuq. ſaxa iaciunt, diruunt muros, foſſas ſolo æquant, infeſta omnia habent, armentaq. atq. homines interimunt. Itaque Ariminenſes tanta uaſtatione deterriti, reddunt captiuos Cæſenates. Bononienſes, ſpecie triumphi, cum Carrotio, Viſconte Vicecomite Prætore præeunte, Bononiam, ineunte Septembri, reuertunt: Cæſenates, in poſterum Prætores Bononienſes ſe accepturos polliciti. Sed Pontifex Honorius Tertius, qui tum primum in locum Innocentii mortui fuerat ſuffectus, quòd hæc iniuſſu ſuo fecerit, Bononienſibus, Fauentinisq. ſacris interdixit. Meliorem habuit exitum Petri Trauerſariæ, cum Rogerio Comitis Guidi Guerræ filio, ob nonnullas poſſeſſiones, quas occupauerat Petrus, diſſidium: nam licet excitato Rogerius, caſtello, quod appellauit de ſuo nomine, Rogerium, Carpinetum obſedit, cepitq. Petri opidum, tandemque Vbertini Duſdei Rauennatis ope, inſidiis circumuentum, Petrum ipſum captiuum duxit, tamen pace inter eos facta, Rogerius ſororem Petro in matrimonio collocauit. Proximo anno, Picinino Archiepiſcopo, ſucceſſorem Honorius Pontifex, Rauennatum, qui illum deſignauerant, precibus, & ſuo muneri ſatisfacturus, Symeonem, Ceruienſem tunc Antiſtitem, uirum integerrimum, renuentem, & recuſantem in Archiepiſcopatu Rauennati confirmauit: illiq. ut profectionem Romam ad accipiendum pallium pararet, & ſacratis uiris Ceruienſibus interea ediceret, ſibi Epiſcopum deſignarent, per literas mandauit, Laterani; pridie Non. Mart. anno primo Pontificatus datis: quod & factum eſt. Idem ſacratis uiris Rauennatibus ſignificauit. Mox menſe Aprili ſcripſit ad Abbatem D. Apollinaris in Claſſe, & Priorem Præfectum D. Mariæ in portu, cum inter cetera, quo ad opem ferendam Hieroſolymitanæ prouinciæ facerent in Concilio generali, decreta, illud fuerit, communi omnium Antiſtitum ſententia, conſtitutum, ut omnes ſacrati uiri, uigeſimam Eccleſiaſticorum redditũum, partem in triennium integre conferrent, quibuſdam tantum exceptis religioſis uiris, atq. illis, qui ſumpto Crucis ſigno, ipſi in eam expeditionem irent, idq. muneris, Templarii, Hoſpitalariiq. ordinũ magiſtris, qui eorum domibus, in Rauennate prouincia, ut verbis utar Pontificis, præeſſent, fuiſſet mandatum, iubet Pontifex, ut ipſius portionis uigeſimæ ſummam, ad diem feſtum omnium ſanctorum, explicent, eamq. tam de certis, quàm de incertis fructibus ad kal. Maii conſequentes expediant. Symeon adhuc deſignatus nouo Archiepiſcopatui reſtituendo, inuiſendoq. intentus, XVIII. kal. Mai. Argentæ, Arconum apud ſe iuſſit ſacramentum dicere, Eccleſiæq. Rauennati, & ſucceſſoribus Catholicis; mox illum Vicecomi-

ANN. M.CCXVII.

tem

tem eius opidi, & diſtrictus, & comitatus; ut ibi dicitur; certo illi uectigali conſtituto, inſtituit. Impetrauit deinde a Pontifice, cui oſtendit quàm magno ære alieno opprimeretur Eccleſia Rauennas, ut ſacratorum virorum conuentu aſſentiente; de modicis poſſeſſionibus, domibusq. vbicumque poſitis, Polæ potiſſimum, ad eam Eccleſiam ſpectantibus, unde aut exigua, aut planè nulla utilitas manaret, decernere illi fas eſſet, easq. oppignerare: litemq. de caſtro Vbaldo, & Monte Cerno, ſi foret opus, componere. Extant Pontificiæ hac de re litteræ, Anagniæ datæ, Sept. Id. Iuni. anno Pontificatus primo. Opidi etiã Galliolæ incolæ fidem illi V. kal. Iul. ſacramento obſtrinxerunt, ipſe certũ illis tributum impoſuit. Romam deinde profectus, & Pallium accepit a Pontifice, & apud eum conqueſtus, Prætorem, populumq. Cæſenatem, quoſdam Eccleſiæ Rauennatis opidorum incolas, ſuos ciues facere, atq. hinc tributa ab eis exigere, compellereq. ut domos Cæſenæ emerent, fecit, ut Pontifex per litteras ſuas Laterani Octauo Id. Nouembr. ad Cæſenates ſcriptas, mandauerit, ut opidanos illos, iurato, aduerſus ipſius ius Archiepiſcopi obſequio, liberarent, liberosq. dimitterent; in poſterum ex eis neminem, ciuitate donarẽt. Symeon Rauennam reuerſus, ad exigendam vigeſimam fructuum partem, ut ſubſidio militibus mitteretur, in Aſia pugnantibus, maximè incubuit, tum Pontificis hortatu impulſus, tum binis illius litteris incitatus, quarum unis id ſcribebat, quod D. Apollinaris, & Portuenſi Præfectis ſcripſiſſe docuimus; alteris adiunxit earum exemplum, quas Templarii ordinis Magiſter ad Pontificem dederat: hæ autem ſunt. *Reuerentiſſimo in Chriſto Domino, & patri, Honorio, Dei prouidentia. S. Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, ſuorum ſubditorum deuotiſsimus ..... de Carnoito, pauperis militiæ templi magiſter humilis, debitam cum oſculo pedum obedientiam, & reuerentiam. Paternitati ueſtræ ſtatum terræ ſanctæ, quam Dominus proprio ſanguine ſuo conſecrauit, præſentibus duximus intimandum. Hoc igitur uobis conſtet, quòd ad diſceſſum præſentium innumera peregrinorum multitudo, tàm militum, quàm ſeruientium, uiuificæ Crucis inſignita charactere, ab Alemanici Imperij, & aliorum Regnorum uarijs partibus confluens, apud Acon aduentarat: Sefedinus uerò magnus Soldanus, in terra Babiloniæ commorans, ibidemq. exiſtens immobilis, de ſe minimè confidebat: reuerebatur enim Regis Vngariæ, & Ducum Auſtriæ, & Mamoniæ aduentus, qui cum copioſa multitudine militum ac ſeruientium, cleri, & populi apud Acon applicuerant: Timebat etiam dictus Sefedinus nauigium Friſonum, quod apud Acon proximo applicaturum ferebatur. Corradinus uerò filius eius, in Marchiis nobis adiacentibus, iter ſuum direxerat, & acceſſus. Et hoc uobis intimamus, quòd annis pluribus retroactis non recolimus paganiſmũ in ſtatu fuiſſe debiliori, quàm nunc extat, quem pater omnipotens de die in diem permittat peiorari. Sed in partibus noſtris, frumenti, & hordei, & omnium humanæ ſuſtentationis neceſſariorum, caritudo eſt maxima: Seges autem fallens agricolam, in hoc anno, in minima quantitate fuit recollecta. Expectabant etiam indigenæ, quòd ſeges de partibus afferretur transmarinis, ſed minimum in hoc anno fuit apportatum. Eſt & aliud incommodum, uidelicet ſuper equitaturis, adeò graue, quòd equi nullo modo poſſunt uenales inueniri. Quo circa uniuerſis Cruce ſignatis, ac ſignandis bona fide conſulatis, quatenus de prædictis ſe ſtudeant fruniri, de quibus in partibus ueſtris ....inuenient conſilium, uel iuuamen. Ceterum ſciatis, quòd ante aduentum Regis Vngariæ, & Ducis Auſtriæ, prouiſum fuit a Domino Patriarcha, & Rege, & peregrinis,*

nis, & fratribus Hoſpitalis, & nobis, quòd uerſus Syriæ Neapolim iter acciperemus, cum Corradino, ſi nos expectaret, pugnaturi. Poſt aduentum prædictorum uerò, magnum in hoc omnes unanimiter aſſenſum exhibuimus, quatenus in manu forti, per mare, & terram, in Babiloniam proficiſceremur ad destruendum Damiatam, ut ſic cautius, & prouiſius, uerſus terram ſanctam Hieruſalem, iter præpararemus. Omnes igitur Cruce ſignati, ſeu Cruce ſignandi, ſolicite moneantur, ut quàm maiorem poterunt, ſecum ducant copiam uictualium, & equorum. Has litteras Honorius, ad Archiepiſcopum Rauennatem, & Epiſcopos, omnesque per Rauennatem; ut ille inquit; prouinciam conſtitutos, cum ſuis miſit, ſignificauitque ſe illis acceptis, Deum rogaſſe ſacratos uiros, popularesque in Baſilicam Lateranenſem conuocaſſe, indictaque ſupplicatione omnium ordinum, ad uenerandam glorioſæ Virginis matris ædem, cum præferret ſancta beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli capita, nudatis pedibus proceſſiſſe ut opem peteret, auxiliumq. impetraret. Hinc curaſſe, ſingulis in locis, ubi frequens adeſſet populus, prima ſexta feria cuiusq. menſis, decerni ſupplicationes. Eas Archiepiſcopus, in vrbe Rauenna, & ceteris ſibi ſubiunctis locis ageret, nullis calceis, & in ſacra ueſte, ut eſſet alijs exemplo: Qui loca remota a populis, uiri religioſi incolerent, ii maiore aliquanto pietate id facerent, cum in ſolitudinibus abditi, longius abeſſent a tumultu. Populares uerò maresq. & fœminæ precioſa ueste depoſita, inaniq. cultu, eo habitu incederent, quo ſe mutuò allicerent, inuitarentq. ad religionem purè, & caſtè Diuino numini tribuendam, quod & Niniuitarum Rex fecit. Hæc atque alia officii pleniſſima ad Symeonem ſcripſit Pontifex, litteris VIII. kal. Decembr. Laterani datis, Pontificatus anno II. Fauentini, ut iniurias perſequerentur, quas a Lugienſibus ſibi factas dicebant, illis imperarunt, ut ſuburbiis opidoque ſolo æquatis, Fauentinum agrum ad Flabainicum incolerent: Sed hæc poſtquam reſciuit Symeon Rauennatium Archiepiſcopus; cuius erat opidum, acriter reſtitit, & tandem poſtero anno in Fauentinos dirarum telum contorſit. Ceterum cum omnes ad ſacrum bellum aſſiduè hortaretur, id maximè in Rauennates fecit, ex quibus abiere in eam expeditionem multi, aliorum ingentia animorum ſtudia egeſtas opprimebat, quæ cum Pontifici Symeon ſignificaſſet, has ab eo accepit litteras: *Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri... Archiepiſcopo Rauennati ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Per tuas nobis litteras ſupplicaſti, ut cum inter Cruceſignatos, tam ciuitatis, quàm Diœceſis Rauennæ plures ſint milites bellicoſi, & in armis ſtrenui, quibus ad exequendum uotum ſuum propria non ſuppetunt facultates, eis in uigeſima, & oblationibus collectis in truncis ciuitatis, & Diœceſis prædict. pro ſubſidio terræ, prouidere dignaremur: Nos igitur tuis precibus inclinati, Fraternitati tuæ, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prædicta, tribus, uel quattuor Cruce ſignatis, Deum timentibus, de ciuitate, & Diœceſi ſupraſcriptis, quos ceteri ad hoc duxerint eligendos, facias aſſignare, qui ea in ultramarinas partes deferant in prædictorum, & aliorum pauperum Cruce ſignatorum ciuitatis, & Diœceſis præmiſſorum ſubſidium fideliter conuertantur. Dat. Romæ apud S. Petrum XI. Kal. Iun. Pont. noſtri anno II.* Petrus Trauerſaria eodem hoc anno, ſexto Non. Octobr. ualida contracta amicorum manu, potiſſimum Mainardorum, Vbertini Guidonis Duſdei factioſos Rauenna eiecit, huiusq. dominatum vrbis arripuit. Ceterum Vbertinus IIII. Non. Nouembr. ope Co- ANN. M. CCXVIII.

mitis

mitis Rogerii, Guidonis Guerræ filii, Boncontis item Feretrani, & Bonifacii
caſtrocariani, Britonorium, & ipſe aggreſſus, illud occupat, expulſisq. inde
Petri Trauerſarii ſtudioſis, deturbauit turres: domosq Manardorum omnes
ſolo æquauit. Inde tranſgreſſus in Rauennate, omnem agrum reddidit infe-
ſtum, magnamq. inde prædam abegit. Quamquam autem hactenus nuſquam
hæc quieuit ciuitas, ut ſupra eſt dictum, reliquas imitata ciuitates Italicas, ta-
men ab hoc die multo magis ſemper in ſanguine, ferro, fuga uerſata eſt. Ita
indomitum ſe equum docet populus eſſe, cum libertatis ſpeciem præſefert,
in quo niſi prudens agitator ſedeat, nec deſinit vmquam furere, & ſe tandem
agit præcipitem. Quod & teſtatum fecerunt Nouarienſes, cum Eccleſiæ No
uarienſis opidum, magnam partem incendio abſumpſerunt, quod reliquum
fuit ſolo æquarunt, & pleriſque obtruncatis, alios in carcerem coniecerunt,
partem iurato ſibi obſequio deuinctos, tributis opprimebant: Nouumq. ſibi
in Eccleſiæ Nouarienſis agro caſtellum, quo illius ditionem vexarent, excita-
runt. Et Cum eos Epiſcopus in pertinacia permanentes, diris deuouiſſet, &
ciuitatis ſacris interdixiſſet, ipſi contrà, Epiſcopum exilio mulctarunt: qui ta
metſi fuit deinde reſtitutus, Epiſcopi tamen familiares in Epiſcopio clauſi ui-
tam agebant, fructus illius inter ſe ad ſuam libidinem, partiebantur, oppu-
gnabant aſſidue eius caſtra, & aduerſus libertatem Eccleſiaſticam multa edi-
xerant. Itaque Pontifex Symeoni ſcribit Rauennati Archiepiſcopo, ut de
his, quæ Epiſcopus ad eum detulerat, Nouarienſes admoneat, & ſi neglecta
religione permanſerint, in contumacia, ipſe, ſubiunctiq. ſibi Epiſcopi, execra
tionis ſententiam in eos explicatam, diuulgent, neque illius Præfecturam ci-
uitatis quemquam inire, patiantur. Sub id etiam tempus, Forum Cornelii a
ANN. M. CCXIX. Fauentinis oppugnatum, qui, contractis in proximum annum, ſociorum au-
xiliis, Cæſenatum præſertim, & Aghinulfi Guidi Guerræ filii, Bononienſium
ANN. M.CCXX. que tumultuario prœlio eos debellarunt. Venit in Flaminiam anno uigeſimo
ſupra milleſimum ducenteſimum Epiſcopus Spirenſis, Friderici cognomento
Rogerii, Cæſaris, Cancellarius, indictoq. ad Forum Cornelli Conuentu, om
nium Prouinciæ procerum, Vbertinum Duſdeum, & Petrum Trauerſariam
in concordiam reduxit, iuſſuq. Friderici, inſtituit Vgulinum Iuliani, Parmē
ſem, omnis Comitem Flaminiæ, in ſeptem annos: ſigillatim Rauennæ, Cer-
uiæ, Britonoriiq. in biennium, Prætorem: cum tamen Rauennatem Prætu-
ram tunc non inierit. Symeon Archiepiſcopus Sept. kal. Mart. Argentæ, in
porticu domus, extra opidum, reſtituit in manum Albizo, Lamberti è Bran
culo filio, Albertini, & Bonifacii, Vbaldi iam Archiepiſcopi Rauennatis, fra
trum, internuncio, Digeſtum nouum iuris, uno uolumine conglutinatum;
ad hæc Infortiatum, & D. Ioannis Euangeliſtæ Euangelium. Pollicitus eſt
etiam alium librum, quem ſecum tunc non haberet; fuerat autem Hubaldi,
ad kal. Aprilis, redditurum: Quod ſi, uolumen non inueniret, in quo D. Lu-
cæ erat Euangelium ſcriptum, neque aliud quod inſtitutiones, & autentica,
continebat, neque tres Codicis libros, qui omnes Hubaldi fuerant, illis ſe pre
tium eorum daturum. Conſueuerat etiam Archiepiſcopus, iuſſu Pontificis,
uni iuueni ex hac Prouincia, dum Bononiæ, in Gymnaſio, ſtudio operam da
ret, ſolidos Imperiales centum quotannis, numerare, hoc anno Symeoni, Ra
uennatis Eccleſiæ egeſtatem apud ſe conquerenti, dedit Pontifex, litteris

Viter-

Viterbii ſcriptis, ut tantum quinquaginta perſolueret. Erat enim magnum optimi Pontificis ſtudium, ut doctis uiris abundaret Prouincia, unde præclarus uſus ad Pontifices, eorumq. adminiſtros manaret. Per hos dies, è Rauennatis Eccleſiæ ſacrario, furto ablatum eius Theſaurum eſt, itaque Symeon in æde Vrſiana, è ſuperiore loco, omnes diris deuouit, qui illum, aut ipſi furati eſſent, aut conſilium præbuiſſent, aut ſocii fuiſſent, aut pignore accepiſſent, emiſſentve: Idem fecit in Senatu, cum omnes adeſſent Cardinales, Cantoresque, & Petrus Trauerſaria Prætor, Rainerius eius Vicarius, ac Iudex, Flaminiæ Comes Vgulinus, & Comes Maluicinus, atque alii. Sed Petrus eodem die, qui fuit Decimo kal. Maii, omnium Senatorum, qui frequentes conuenerant, ſententia, poteſtatem Peppo Verde permiſit, Reipubl. Rauennatis Maſſario; ita uocabant Quæſtorem, ut ex ærario Rauennatis Reipubl. Theſaurum extraheret, & Vgulino Comiti daret: iurandum enim Peppo erat, eum theſaurum ex uectigali catenæ Reipubl. Rauennatis conflatum. Sed haud ita diu poſt Vgulinus cum eſſet ForoCornelii, in D. Caſſiani, Mainardino eius ciuitatis Epiſcopo, multiſq. aliis ſpectantibus, mandata omnia Symeonis Archiepiſcopi Rauennatis ſe effecturum iurauit, ea ductus anathematis ſententia, quam in eum, cauſa Rauennatis Eccleſiæ theſauri, tulerat. Eum theſaurum iuſſerat Vgulinus, inſciente Archiepiſcopo, inde auferri, & hæc continebat. Ex auro crucem, multis gemmis diſtinctam clariſſimis; Calices è beryllo duos, quorum alteri pes ex auro erat, ſed magnum ambo auri pondus intus claudebant: pyramidalem ex argento teſtudinem. Interea Fridericus in Italiam deſcendit, Romam proficiſcens, ad Auguſtalem de manu Pontificis Coronam accipiendam. Illi obuiam Symeon Archiepiſcopus proceſſit, ab eoq. Bononiæ, Tert. Non. Octobr. eorum omnium confirmationem impetrauit, quæ Valentinianus Cæſar, Ioanni Archiepiſcopo, & multi præterea eum Romani Pontifices, tum Cæſares Eccleſiæ Rauennati dono dederant, quibusq. ſigillatim numeratis. In eo diplomate Fridericus, Symeonem Archiepiſcopum, dilectum Principem ſuum appellat, Teſtes adſcribuntur, Bertoldus Patriarcha Aquileienſis, Sifredus Auguſtanus, Olricus Patauienſis, Bertoldus Brixienſis, Albertus Tridentinus deſignatus Epiſcopi. Ludouicus Dux Boiorum, Palatinus Comes Rheni, Teboldus Marchio de Gehimburc, Comes Fuerardus de Alfeſten, & alii quamplures. Recognouit Chunradus Spirenſis, & Metenſis Epiſcopus, Auguſtalis aulæ Cancellarius, tunc eius in Italia Legatus, loco Ingiberti Colonienſis Archiepiſcopi, omniſq. Italiæ ArchiCancellarii; Regni Friderici in Germania VIII. in Sicilia XXIII. anno. Ad hæc Symeon XIII. Kal. Octobr. in ſacrario Eccleſiæ Rauennatis, Vgulino Flaminiæ Comiti eius, ui ſacramenti, quod apud ſe dixerat, imperauit, ut ab eo die, ad diem XIIII. kal. Decembr. Archiepiſcopo Rauennati, uel eius Eccleſiæ ſacratis uiris, ſi Archiepiſcopus abeſſet, theſaurum redderet, & in ſacrario, unde abſtractus fuerat, reponeret: neque inde illum, inſciente Archiepiſcopo, & ſacratorum uirorum Conuentu, ulla ratione abduceret. Cum autem X. kal. Decembr. Fridericus, Romæ, in Baſilica Vaticana ab Hugolino Oſtienſi Epiſcopo, Honorii Pontificis Legato, Auguſtali fuiſſet diademate coronatus, poſtridie, in caſtris apud vrbem, diplomate ſuo, illud confirmauit, quod Symeoni Archiepiſcopo confecerat, Bononiæ, eo addito, ut ſi quod dein-

deinde aduerſus Rauennatis Eccleſiæ iuriſdictionem, priuilegium Comiti Vberto irrogaſſet, abrogaretur. Nonis tamen Decembris, cum eſſet in caſtris prope Tibur, Vgulino ſcripſit Flaminiæ Comiti, curaret, ut caſtri noui incolæ ſacramento fidem Comiti Vberto, obſtringerent. Litigabat cum Præfecto, Canonicisq. Portuenſibus Symeon, hoc quoq. tempore, eamq. Pontifex cauſam cognoſcendam mandauerat, Epiſcopo deſignato Vrbinati, & Canonico Ariminenſi: ſed eorum hac de re litteras ad Præfectum Portuenſem, ab Oddo nepote Archiepiſcopi allatas, Adam Præpoſitus Portuenſis accipere abnuit: itaq. Præfectus Prior, ad cauſam dicendam adeſſe iuſſus. Haud ita multo poſt, Rauennæ Vgulinus Iuliani Flaminiæ Comes obtruncatus eſt, cum Præturam Rauennatem gereret. Illi Fridericus Cæſar Gutfredum Blanderatenſem Comitem, ob multa huius in ſe officia, ſubrogauit, omnibus illi uectigalibus, portoriisq. conceſſis, quæ ad Auguſtalem aulam ſpectarent, cum infinita penè poteſtate, & Imperio; iis ſublatis, ſi quæ forte huic aduerſa Vgolino conceſſiſſet. Teſtes huius diplomatis Meſſanæ dati anno MCCXXI. menſe Iunio, fuere, Berardus Panormitanus, Berardus Meſſanenſis Archiepiſcopi, Diopoldus Marchio ex Henriburg, Rainaldus Dux Spoleti, Anſelmus è Iuſtingen, Mareſcalchus, Conradus è Vuerda a cubiculo, Fredericus de Stoff pincerna, & Albertus è Saxo. Mox Idibus Iulii, Senatui, Reipublicæque Rauennati per litteras mandauit, Gutfredo, ut parerent, Comitemq. ab ſe creatum, exciperent. Controuerſia hoc anno, quæ inter Symeonem Archiepiſcopum, & Alferium Ferrarienſem de pecunia erat, ſedata eſt, in uilla Maieria, in ſacræ ædis porticu IIII. Id. Octobr. & Rauennæ in Epiſcopio, Symeon XVI. kal. Nouembr. Hugoni cœnobii D. Petri ad Vincula Abbati, confectis tabulis, pollicitus eſt, nihil ſe ab eo in poſterum, neque lapides, neque ligna, repetiturum, quod in templo D. Victoris eſſet, ab eo, qui illum proximè anteceſſit, Abbate diruto; minari enim ruinam, & deſertum iam eſſe, & in ſolitudinem redactum templum illud affirmabat; antea quàm ſolo æquaretur, & ſeptemdecim libras Rauennates Symeoni Abbas numerauit. Ad hæc V. kal. Nouembr. marmor album certis precationibus, Ioanne è Valdareta ſacerdote, petente, expiauit, quod primum ad iacienda fundamenta templi D. Mariæ dedicandi iuxta opidum Valdaretam, adhiberetur. Quoniam verò ſuſpicio erat uehemens, Rempubl. Rauennatem, quæ in Petro Trauerſaria uidebatur eſſe poſita, Vgulinum Iuliani Parmenſem, Flaminiæ Comitem, Rauennæ interfeciſſe, iis idcirco litteris Fridericus, quibus Gutfredum Comitem Blanderatenſem, Flaminiæ Comitem, ac rectorem creauit, mandauit diligenter, inquireret de Iuliani morte, & ſontes acerrimè puniret. Inde Meſſana Panormum progreſſus, litteras Quinto Id. Nouembr. ad Rauennates dedit, quibus ſignificat, hanc ſe potiſſimum cauſam de nece Iuliani, poſtquã generalia de Præfectura, mandata dederat, Gutfredo cognoſcendam, & ordine iudicandam mandaſſe. At Blanderatenſis quæſtione hac de re habita, cùm neminem, qui diceret contra Trauerſariam, aut Rempubl. Rauennatem inueniſſet, ſæpiusq. ob id Rauennam profectus, purgareq. ſe Rauennatem Syndicum, magna iuſiurandi religione iuſſum, ſe purgaſſe, cum uiginti, ut ipſe, inquit, ſacramentalibus, uidiſſet, Galinum Rauennæ Prætorem, libris Rauennatibus MDCL. Rempubl. autem Rauennatem Marchis argenti tercen-

ANN. M.CCXXI.

tis

tis primo, mox quadraginta tantum, ipſo coacto in curiam Rauennati Senatu, mulctauit: & cum tarde deinde expediretur pecunia, pignoraque Gutfredo fuiſſent data, Bartolottus, cui exigendarum Marcharum munus erat impoſitum, Reſcriptum a Friderico Cæſare, aduerſus Rempubl. Rauennatem impetrauit. Ceterum, ut ex æquo res componoretur, omnium conſenſu, totius iudicium controuerſiæ, ad Paulum Trauerſariam, & Rauaninum Forliuii Prætorem, pro Forliuiana Republ. ad Bulgarellumq. Oddum, & Bulgarellum Maltaliatum, integrum reiectum eſt. Quamobrem decreuit Paulus Trauerſaria, cum eſſet poſtero anno kal. Mart. Piſauri, uti Gallinus Prætor, Reſpublicaque Rauennas Gutfredo Comiti libras Rauennates mille quingentas quinquaginta ſoluerent, ipſe Gutfredus pignora reſtitueret. Ad hæc libras adderent CL. ut Bartolottus reſcriptum Gallino daret, neque quidquam ultra peteret. Quæ cum eſſent acta, & a Collegis Trauerſarii probata, Gutfredus Rauennates lata ſexto Non. Mart. in prouincia Flaminia, prope Hoſpitalem domum Cauedonam, ſententia, Canuſino Gotozaga, multisq. præterea adhibitis teſtibus, abſoluit: ipſo accipiente Gallino Alliate, Mediolanenſe, qui ſuperioribus annis Fauentinã Præturam geſſerat, Rauennæ Prætore, qui haud ita diu poſt, Piſauri ſpectante Vgone Lupo, Reipubl. Rauennatis nomine, Gutfredo pollicitus eſt, ſe intra octauum diem ſexcentas quinquaginta libras, quæ remanſerant, perſoluturũ. Symeon Archiepiſcopus D. Clementis, quod eſt ad Primariũ, Padi portum, templum, tẽpliq. Rectorem, cum omnibus illius fratribus; vtar uoce ipſarum tabularum, vnde hæc excerpſi; ex omni Epiſcoporum, Abbatũ, ſacratorumq. uirorum iuriſdictione exemptũ, vnà cum Inſula, in qua excitatum eſt, deinceps uni Archiepiſcopo, & populo Rauennati ſubiunctum iuſſit eſſe: & kal. Maii D. Mammæ templum, quod erat prope Rauennam extra portam Vrſicinam, conſecrauit. Multa inſuper ſacris ædibus elargitus eſt, & cũ in æde Vrſiana D. Mariæ in uilla Vangaditia Abbatem conſecraſſet, ſibi cum ſacramento, iure, ac more ſuperiorum Archiepiſcoporum obligauit: cum Ceruienſibusq. denuò diſceptauit, qui Archiepiſcopatus Rauennatis iuriſdictionem in ea vrbe imminuere, ac potius conuellere nitebantur. Cauſa apud Ariminenſem Epiſcopum, & Nicolaum S. Iuliani Abbatem, iubente Pontifice, agebatur in vrbe Arimino. Ad hæc anno eodem, Octauo Id. Maii, Venturæ rogatu, cœnobii D. Mariæ Rotũdæ Abbatis, cogitanti ſibi, & memoria ſuperiorũ Archiepiſcoporũ in illud cœnobiũ beneficia, & monachorũ vitam ſanctè actã, repetenti, uiſum eſt operæpretiũ ſe facturum, ſi & ipſe eius honori, atq. utilitati intenderet: cum præſertim beatiſſimæ Virginis Mariæ, Domini noſtri Ieſu Chriſti matris, cui illa dicata ædes eſt, & Diuũrũ Ioannis Baptiſtæ, Petri Apoſtoli, Laurentii martyris, Mamæ martyris, qui ibidem coluntur, necnon, & beatæ Iulianæ Virginis, & martyris Dei, quæ in ipſa, ut inquit Symeon Archiepiſcopus, ſacra æde requieſcit, merita reſpiceret. Itaq. de fratrũ ſuorum Cardinaliũ, & Cantorum Rauennatis Eccleſiæ conſilio, & ædem illam conſecrauit, & triũ annorũ pœnæ peccatis debitæ, iniunctæq. remiſſionem iis indulſit in perpetuũ, qui anniuerſaria ſolemnitate dedicationis huius, ad quintumdecimum deinde diem, illud templum ſancte adirent, & a ſacra confeſſione criminibus expiati, ſuis opibus iuuarent. Poſtridie in D. Appollinaris Claſſenſis, poſtquam è ſuperiore loco concionẽ habuit, Vbertello Foropõpiliano, Oddone Cæſenate,

& Ruſtico Cerulenſe Epiſcopis inſpectantibus, atq; aſſentientibus, ſacris inter-
dixit incolis caſtri Montis Boarii, quod eſt in Foropompiliano. Cum enim ca-
ſtrum illud ab Gerardo Archiepiſcopo Rauennate, in Rauennatis Eccleſiæ ſo-
lo, extructum fuiſſet, idemq; perpetuò, præter quàm duobus iam annis, ip-
ſa Eccleſia poſſediſſet, incolæ eius poſſeſſionem, Rogerio Comiti, ac fratri-
bus tradiderant. Eodem die D. Valerii Archiepiſcopi oſſa, ex æde Claſſenſi
ab ipſo Simeone, ſolemni indicta eorum Epiſcoporum ſupplicatione Vr-
ſianam in ædem tranſlata. Diſceptatio inter eundem Symeonem Archiepi-
ſcopum, & Priorem Præfectum, & Canonicos D. Mariæ in portu, qui ſe Ar-
chiepiſcopo ſubiectos negabant, ita a Pontifice compoſita, ut cum apud mul-
tos iudices acta cauſa fuiſſet, & inepte, lite non conteſtata, proceſſum, ſuperio-
ribus ad eam diem abrogatis, omnia in integrum reſtituerentur: cauſaq; Vr-
binati Epiſcopo deſignato, mandaretur. Sed cum illum Portuenſes reiecisſent,
obtinuere, mandari Ariminenſi Epiſcopo, & Priori Præfecto D. Mariæ Rhe-
nanæ, & Præpoſito D. Ioannis in monte Bononiæ. Ceterum Archiepiſcopus
appellauit Pontificem: is uerò cauſam ad Rolandum Epiſcopum Feretranum
detulit, litteris Alatri X V I I. kal Iul. anno ſexto Pontificatus datis. Galli-
nus Alliates Prætor Rauennas, menſe Septembri opidum Raſanariam mu-
niendum curauit: in illius locum paucis poſt diebus Prætor ſuffectus eſt Tho-
baldus Saracenus Romanorum Conſul: quo Conſulatus Romani titulo, mul-
tos hoc tempore, dignitatis cauſa, uſos conſtat. Albertum Magdeburgenſem
Archiepiſcopum, Cæſarianum Legatum, & Flaminiæ Comitem Rauennates
ſūmo honore acceperunt: in Senatum is profectus, ui ſacramenti, quod Rauē-
nates Cæſari dixerant, coram Sozzo Coiono, Cremonæ Prætore, Gerardo Do-
uaria, Gerardo Manaria, & Alberto Malabotta Cremonenſiū. Chunrado Mu-
naio, & Alberto Puzzono Mutinenſium Legatis, iurare Rauennates iuſſit, bel-
lum ſe Bononienſibus, Fauentinis, & aliis illaturos, qui Cæſari, eiusq; Legatis
repugnarent. Idem Ceruiam progreſſus, iurare Ceruienſes imperauit. Nam Bo-
nonienſes hoc anno Fauentiniq; ForoCornelianū agrum, & opidum Bagna-
rani, quod ad ForoCornelianum Epiſcopatū ſpectat, infeſta reddiderant, mox
vrbem ipſam ForoCornelii, poſt acerrimam quadraginta ferè dierū oppugna-
tionem, ſeſe dedentem, mœnibus, & portis nudauerant, ducentisq; acceptis ob-
ſidibus mulctauerant: quòd dicerent, ForoCornelianos, ipſorūq; Epiſcopum
malè habuiſſe caſtri Imolæ opidanos, & in ſuam vrbē recepiſſe, & ob illata ca-
ſtro ab ſe diruto, damna, tribus librarum milibus donaſſe. Cum autē Symeon
Archiepiſcopus interea Friderico Cæſari gratum facturus, Alberto Magdebur-
ANN. M. CCXXIII. genſi Antiſtiti, anno MCCXXIII. permiſiſſet, ut ſingula Eccleſiæ Rauennatis
opida, quæ in Flaminia eſſent, quinque ſolidos; pecuniæ id genus eſt; illi pro
Fodro, ut utar verbo illorum Francico, quod certum tributi genus ſignificat;
perſoluerent, Ioannes Vuormatienſis, ipſius Magdeburgenſis Archiepiſcopi
Vicarius, unà cum quibuſdam ſicariis impetu in aliquot ex ipſis opidis fa-
cto, prædam ingentem abſtulerat: de quo cum uehementer conqueſtus Sy-
meon apud Honorium Pontificem fuiſſet, Pontifex Magdeburgenſi Anti-
ſtiti ſcripſit, uti Ioannem ad reſtituenda omnia compelleret, alioqui facul-
tatem præbere ſe Diui Stephani Bononienſis Abbati, interdicto ad reſti-
tutionem illam, hominem cogendi. Quo tamen interdicto opus non fuit

Alber-

Alberto reſtitutionem confeſtim accuratè iubente. Erat enim Albertus uir optimus, iusque ſuum vnicuique reddens, & non minus Pontificis, atque Archiepiſcopi, quàm Cæſaris rationem habens. Vt autem Symeon iniuſtè erepta, diligenter repetebat, ita quæ iuſtè collata fuerant, firmabat. Nam illam Inſulæ Palatiolæ donationem, quam ab Ioanne Archiepiſcopo factam memorauimus, monachis ab ſe in eius Inſulæ cœnobio inſtitutis, non modo confirmauit, ſed adiecit quoque, ut eorum monachorum ditio, in mare, ad mille paſſus pertineret: neve Eccleſiæ Diui Clementis; quod templum in Padi ripa conſtitutum eſt; iura, & fines perturbarentur. Cui rei, Albertus Saſſinas, Albertus Foroliuienſis, Oddo Cæſenas, Vbertellus Foropompilianus, Ruſticus Ceruienſis, & Albertus Faneſtris Epiſcopi adſcripſere. Aſſenſit quoque, ut ædes D. Mariæ, & D. Nicolai Argentæ dirutæ, reſtituerentur, ita ut templum D. Mariæ, templi D. Nicolai eſſet caput: multa præterea illis bona conceſſit, adiecta libræ Ceræ penſione. Inde Quarto Non. Octobris prædia Ioanni Manfredo quædam eo loco, cui Caſæ muratæ eſt nomen, aſſignauit. Sub id tempus, Bartholomeus è ſancto Germano, Pontifici a ſacris; Capellanum uocant; Symeoni Archiepiſcopo, & ſubiunctis illi Epiſcopis, ſignificauit per litteras, a ſede Apoſtolica, ut neceſſitati ſeruiret, vrbem Ferrariam ab eo loco, qui ſanctus Georgius dicitur, ad locum ultra Padum, quam Maſſam Babiloniam appellabant, translatam, & reædificari iuſſam. Cum uerò ſedes ipſa, uicis duodecim; appellabant ab hominum cœtu, uocabulo Italico, Maſſas; Ferrarienſi Eccleſiæ conceſſis, Maſſam Fiſcaliam ſibi retinuiſſet, Ferrarienſibus dedit, ut ſubditis ſibi hominibus, tributum, in ſingula capita, aureum denarium imponeret; & mediam partem tributi ripæ Ferrarienſis, & quartam ruptæ, ut uocabant, Figaroli, donauit, ut ciuitas reſtitui facilius, feliciusque poſſet; remiſit etiam capitum tributa. Verum cum maior ciuitas in dies redderetur, creuiſſetque populus in Eccleſiæ Romanæ obſequio, ac fide, deiicere è ceruicibus, dominatus Pontificii iugum cœpit, & arma inter ſe diſſidentibus animis, exercere, durius, acerbiusque, quàm ſi ea in Saracenos mouiſſent. Quò factum eſt, ut eorum uicem miſeratus Pontifex, dolensque florentem ciuitatem, inteſtino bello, ad interitum ruere, Bartholomeum ipſum miſerit, qui Maſſam Fiſcaliam, opidum Ficarolum, & cetera loca iuris beati Petri, quæ circa Ferrariam ſunt, regeret, in concordiam Ferrarienſes reduceret, qui parere abnuerent, in eos animaduerteret: per litteras Ferrarienſibus imperans, ut illi obedirent, & ſtipendium ex Eccleſiæ Romanæ uectigalibus perſoluerent. Sed ipſi ad concordiam tandem adducti, horum beneficiorum immemores, & nihili facientes iuratum Eccleſiæ Romanæ obſequium, legibus eorum municipalibus cauerunt, ne quis a Pontificia aula reſcriptum ullum impetraret: & quia Præpoſitus Ferrararienſis, & Giliolus Gerardini Longi, Pontificias, de quadam cauſa, litteras acceperant; eos litteras illas reddentes, Andalo Prætor, capi, & dari in quæſtionem iuſſit: tamdiuque in uinculis habiti, dum Præpoſitus certa, ut inde eximeretur, pignora tribuit, Giliolus centum libris mulctatus eſt, contra iuriſdictionem Maſſæ Fiſcaliæ, quam ibidem Bartholomeus, pro Pontifice, habuerat. Ad hæc Gauſionæ uallis, ac cete-

ceterarum incolæ, quòd ab eodem Prætore uocati, non illicò iuere, ſacramentum apud illum dicturi, libris mulctati ſunt, centum octuaginta duabus. Tributum præterea illis impoſitum, ad ducentas octuaginta libras: quod cum pleriq. tardius expedierint, ac potius propter egeſtatem minime fuerint ſoluendo, per Georgium, Guglielmum, aliosq. ſatellites, domos eorum tres dirutæ, uineta ad duo millia paſſuum ſpatii occupantia, cæſa, aliaq. damna illata. Bonauenturam quoque Orlandum, Pontificis Vicecomitem, ceperant, & ſeptimum iam menſem habebant in cuſtodia, cum, & multos Pontificis fideles in carcerem conieciſſent, & cedere priuilegiis E. R. & iis, quæ Oſtienſis, ſententia lata, iudicauerat, & Pontifex auctoritate Apoſtolica confirmarat, iureiurando coegiſſent: Medicamq. & triticum præbere Gallis Maſſæ nouæ Ciſalpinis; quos deducto contractoq. à Longobardis nomine, dicimus Lombardos; communione piorum amotis, per uim, impuliſſent. Henricum uerò Bonuicinum, Pontificis ſtudioſum, ciuem Ferratienſem, quòd Bartholomeo ipſi iubenti; Eccleſiæ Romanæ priuilegia, quibus fuerat vrbs Ferraria, illiusq. Eccleſia, ornata, oſtendiſſet triginta libras, mulctam irrogarunt, easq. ut redderet, adegerunt, Ne Ficarolani, ſolemne Pontifici obſequium præſtarent, obſtiterunt, & ſoluere vrbis Ferrariæ, ex cenſu, tributum, Eccleſiæ Romanæ debitum, negabant. Dimidiam, quam diximus, partem ex ceteris opidis, & ex ſale, libras Auguſtales mille ſuperantem, ſurripiebant. Integram ripatici, ut uocabant; Rauennatum, Mutinenſium, Mantuanorum, Veronenſiumq. per uim, auferebant: cum Andalo certum etiam ſibi decerni ſtipendiũ iuſſiſſet. De his Bartholomeus per Epiſcopum, Præpoſitum, Archipresbyterum, Vgutionem, & Gerardum Canonicos maximi templi, & S. Georgii, ac S. Mariæ Ferrarienſis, & per Mantuanum Epiſcopum, & Leucium, Athonē, Iacobinum è Vetula, & Guidonem è Mazzandello Iudices Ferrarienſes, admonitos illos, & parere recuſantes, diris tandem deuouit, & ut Rauennas Archiepiſcopus, ſubiunctiq. illi Epiſcopi, hanc execrationis in eos ſententiam diuulgarent, mandauit. Cum interea cauſam Ceruienſem Symeon non intermitteret, & egiſſet apud Pontificem, ut eam mandaret Præpoſito Foropompiliano, quem cum Ceruienſes reiicere conarentur, quòd dicerent, magnam illi cum Symeone neceſſitudinem intereſſe, eam rem iuſſit Pontifex ab. G. ſubdiacono, ſibi a ſacris, cognoſci, qui rationibus vtrimque auditis, Pontificiū reſcriptum ualere, & Præpoſitum eſſe iudicem ſine controuerſia poſſe declarauit. Quod tamen ab eo non eſt factum, Foropompilianum paulo poſt Epi-
ANN. M. ſcopatum adepto. itaque cauſam denuo Pontifex, litteris anno M C C X X-
CCXXIIII. I V. X V. kalen. Febr. Laterani datis Trancredo Canonico Bononienſi credidit, cuius ad huc rei teſtes, in Pontificii iuris libris, de Iudiciis, ipſius Honorii Pontificis litteræ ſuperſunt. Apud Tancredum, procurator Eccleſiæ Rauennatis. G. Clericus ædis D. Agnetis, kal. Martii, in Canonica domo Bononienſi, petebat, procurationes ab eis appellatas, quas Eccleſiæ Rauennati, Ceruienſis Reſpublica præbere conſueuerat: Eæ autem erant, ut ter epulum daret Archiepiſcopo, & ſuis omnibus, quos ſecum haberet, & quinquaginta, atque amplius iumentis. Id enim præſtiterat Gerardo, Guglielmo, Alberto, Egidio Archiepiſcopis. Ad hæc reſtitui in poſſeſſionem uectigalium, mulctarumque ad dimidiam. Iudicem ciuitatis, qui tum eſſet, reiici, alium ex eius

ſenten-

ſententia conſtitui, neq. in poſterum abſque conſenſu Archiepiſcopi, dari, ex eo fœdere, quod factum fuerat cum Guillelmo Archiepiſcopo, detrahi caput, Eccleſiæ Rauennati, incommodũ, quo præſertim habetur, Ceruienſes, qui alia ciuitate donantur, ad ea præſtanda obſequia nequaquam teneri, quæ ceteri ciues Ceruienſes, Reipubl. Rauennati, debent. Poſſeſſionẽ iuris percipiendi quotannis collectas ſalis duas, reſtitui, atque item fodri in quadrageſima S. Martini, nempe duorum modiorũ annonæ, & a ſingulis Ceruienſibus, panis unius ac pulli: & portorii, ita ut dimidium eorum, quæ ex aduenarũ plauſtris ceterisq. onerariis exiguntur, Archiepiſcopi eſſet: dimidia etiam pars bonorum, qui homicidium feciſſet. In hac lite, neque etiam omiſſa eſt Portuenſis diſceptatio, de qua cum eſſet diu apud. T. titulo S. Sabinæ ſacerdotem Cardinalem, cui cauſam dederat Pontifex cognoſcendam, diſputatũ, ita tandem a Pontifice decretum eſt. Prior Præfectus, & fratres, ab Archiepiſcopo Rauennati ordines, altarium, & ſacrarium ædium dedicationes, conſecrationesq., & ſacramenta accipiant. Eorum conuentus Priorem ſibi Præfectum deſignet, ab Archiepiſcopo confirmandum, niſi ſi quid impedimento eſſet, nullum tamen Archiepiſcopus ſacramentum apud ſe dicere illum cogat. Prioris Præfecti crimina, iuxta iuris formulam corrigantur. Canonicorum, & fratrum a Præfecto, iuxta eorum regulam Prior Præfectus ſi uolet abdicare, id coram Archiepiſcopo faxit, Archiepiſcopo quotannis procuratio, id autem eſt epulum detur, & uiginti quinque hominibus, ac totidem equis, ſuis. Hæc omnia atq. item alia confirmauit litteris ſuis Honorius, Laterani II. Id. Febr. anno octauo. Mox ut undique altis radicibus nixa, Rauennas Eccleſia latius, & ſedatius, nullo perturbante, propagaretur, omnia illius bona, iura, iuriſdictionem, aliis litteris ampliſſimè probauit, quas hic intexere integras duximus, ut quæ eo tempore hæc poſſideret Eccleſia, pateat præſertim cum totidem ferè uerbis quod attinet ad enumerationem locorum, ſua diplomata Henricus, & Fridericus Cæſares confeciſſent.

Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri Symeoni Archiepiſcopo Rauennati, eiuſdem q. ſucceſſoribus. Canonicis ſubſtituendis in perpetuum. Etſi uniuerſis ſanctæ Eccleſiæ filijs debitores ex collato nobis a Deo Apoſtolatus officio exiſtamus, illis tamen perſonis, & locis prouidere nos conuenit diligentiore ſollicitudine, ac propenſiore ſtudio charitatis, quæ ad ſedem Apoſtolicam noſcuntur ſpecialius pertinere. Quo circa uenerabilis in Chriſto frater Archiepiſcope, tuis iuſtis poſtulationibus Clementer annuimus, & nobilem, ac famoſam, & Orthodoxam Rauennatem Eccleſiam, cui auctore Deo, præeſſe dignoſceris, ad exemplar felicis recordationis, Caliſti, Gregorij, Honorij, Gelaſii Romanorum Pontificum, prædeceſſorum noſtrorum, ſub beati Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus: ſtatuentes, ut quaſcumq. poſſeſsiones, quæcumq. bona, eadem Eccleſia in præſentiarum iuſte, ac Canonicè poſsidet, aut in futurum, conceſsione Pontificum, largitione Imperatorum, Regũ, aut Principum, oblatione fidelium, ſeu alijs iuſtis modis præſtante Domino, poterit adipiſci, firma tibi, tuisq. ſucceſſoribus, & illibata permaneant: In quibus hæc proprijs duximus exprimenda uocabulis: Locum ipſum, in quo prædicta Eccleſia ſita eſt, cũ omnibus pertinentijs ſuis. Parmenſem, Reginenſẽ, Mutinenſem, Bononienſem Imolenſem, Fauentinũ, Forliuienſem, Foropopulienſem, Caſenatẽſem. Bobienſem, Ceruienſẽ, Comaclenſem. & Hadrienſem Epiſcopatus. Monaſteriũ Galliatenſe: monaſterium S. Apollinaris in Claſſe, monaſterium S. Seueri: monaſterium S. Lau-

rentij foris muros: monaſterium S. Mariæ Rotundæ: monaſterium S. Mamæ: monaſterium S. Martini ad cælum aureum, quod nunc uocatur S. Apollinaris noui: monaſterium S. Ioannis Euãgeliſtæ, monaſterium S. Mariæ in Coſmodim: monaſterium S. Mercurialis: monaſterium S. Vitalis: monaſterium S. Andreæ: & Canonicam S. Mariæ in portu; ſalua compoſitione, quæ in præſentia noſtra, inter te, & ipſam Eccleſiã, interceſſit; & ius, quod habes in monaſterio S. Mariæ de Vrano, & in Canonica S. Clementis: Canonicam S. Gregorij in tabula, non longe a muris vrbis Rauennæ ſitam: Eccleſiam S. Bartholomei de Mauriano: plebem S. Mariæ, quæ uocatur in portu. plebem S. Viti: plebem Maierij: plebem S. Venantij de capite Canneti: plebem S. Apollinaris de Comitatu Rhodigij, cum capellis ſuis: monaſterium S. Petri in Maone. In Comitatu Peſauriense, caſtrum Gazole, caſtrum Ligabicci, caſtrum Granarolæ, cũ curtibus, iuriſdictione, & pertinentijs ſuis. In Comitatu Ariminenſi, caſtrũ montis Columbi, cũ iuriſdictione temporali, & alijs pertinentijs ſuis: caſtrum montis Crucis, cum iuriſdictione temporali, & pertinentijs ſuis. Diſtrictum Rauennatenſis vrbis, ripam integram, monetam, teloneum, muros, & omnes portas ciuitatis: & Comaclenſem Comitatum, cum honoribus, & pertinentijs ſuis. In ciuitate Ariminenſi, monaſterium S. Thomæ Apoſtoli, & S. Euphemiæ Virginis: montem caſtri Vbaldi, montem Cerni, caſtrum Offaniæ, & caſtrum montis Boddi, & alias poſſeſſiones, quas Eccleſia tua habet in Marchia, per diuerſos Comitatus. In Comitatu Ariminenſi, montem Gemanum, Marazanum, uillam Corliani, caſtrum Sauignani, caſtrum Montiliani, caſtrum montis noui. In Epiſcopatu Caſenaten. Caſtrum Subriuolæ, caſtrum montis Cuchi, caſtrum Sagliani, caſtrum montis Girardi, caſtrum Sergiani, & Flaibannum, caſtrum Deolaguarde, caſtrum Caſalecchi, & Rudiliani, caſtrum Stagnani, uillam Rotæ, caſtrum Reuerſani, caſtrum de monte, & caſtrum Ranchi, cum curtibus, & iuriſdictione, & pertinentijs ſuis, & locum, qui uocatur Mercatum Saracenum. In Epiſcopatu Populienſi, caſtrum nouum, caſtrum Tuderani, caſtrum Quiliani, caſtrũ bagnoli, caſtrum molini ueteris, caſtrum montis Boarij, cum curtibus, & iuriſdictione, & pertinentijs ſuis. In Epiſcopatu Fauentino, Caſtrum Aurioli, caſtrum Tabani, & uillam S. Potiti. In Comitatu Imolæ, uillam Luci, cum curtibus, & iuriſdictione, & pertinentijs ſuis. In territorio Rauennæ, Rouedulam, uillam S. Pancratij, uillam S. Archangeli, uillam Ruſſi, & Cabaij, caſtrum caſæ muratæ, cum curtibus, iuriſdictione, & pertinentijs ſuis, & Comitatum Argentæ, id eſt, ipſam Argentam cum Pado, ripis, paludibus, & piſcarijs ſuis, ſtratis, uijs, paſcuis, ſiluis, & publicarijs vniuerſis, & cum integro comitatu Argentæ, uidelicet, villam portus, & totum plebatũ eius, ſcilicet Caput Sandali, Graſolum, Ripam perſici, Vergundinum, portum uedrariæ, Sandalum, Maierium, Caualium, & curtem de podio, cum placito, diſtrictu, & omni iuriſdictione a Principio Comitatus Argentæ, uſque Rauennam. Vſum quoque pallij, plenitudinem uidelicet Pontificalis officij, tuæ fraternitati, Apoſtolicæ ſedis liberalitate largimur, quo in Eccleſia tua uteris, diebus inferius annotatis, uidelicet, in natiuitate Domini, feſtiuitate protomartyris Stephani, Circumciſione Domini, Epiphania, Ypopanti, Dominica in ramis palmarum, cæna Domini, Sabbatho ſancto, Paſcha, feria ſecunda poſt Paſcha, Aſcenſione, Pentecoſte, tribus feſtiuitatibus beatæ Mariæ, Natiuitate S. Ioannis Baptiſtæ, ſolemnitatibus omnium Apoſtolorum, Commemoratione omnium Sanctorum, dedicationibus Baſilicarum, anniuerſario tuæ conſecrationis die, Eccleſiæ tuæ principalibus feſtiuitatibus, conſecrationibus Epiſcoporum, ordinationibus Clericorum. Ad hæc adijcientes, arctius inhibemus, ne quis eius-

tertia

teria eccleſiarum, & eccleſiaſtica beneficia, hereditario iure poſſideat: quod ſi quis facere forte præſumpſerit, cenſura canonica compeſcatur. Præterea quod communi aſſenſu Capituli tui, uel partis conſilio ſanioris, in tua ditione, per te, uel ſucceſſores tuos fuerit Canonicè inſtitutum, ratum, & firmum uolumus permanere. Inhibemus inſuper ne excommunicatos, uel interdictos tuos, ad officium, communionem, Eccleſiam, ſine conſcientia, & conſenſu tuo, quiſquam admittat, aut contra ſententiam canonicè promulgatam, aliquis uenire præſumat, ni forte periculum mortis immineat, aut dum præſentiam tuam habere nequiuerint, per alium, ſecundum formam Eccleſiæ, ſatisfactione præmiſſa, oporteat ligatum abſolui. Sacrorum quoque Canonum auctoritatem ſequentes, ſtatuimus, ut nullus Archiepiſcopus, uel Epiſcopus, abſque tuo, uel ſucceſſorum tuorum aſſenſu, conuentus celebrare, cauſas etiam, uel Eccleſiaſtica negocia, in Rauen. diœceſi, ni per Romanum Pontificem, uel eius Legatum fuerit eidem iniunctum, tractare præſumat. Illam quoque abuſiuam conſuetudinem, uel potius abhominabilem corruptelam, qua Ciues Rauennæ, Archiepiſcopo decedente, bona mobilia Archiepiſcopatus, tamquam ad eos, ſucceſſionis iure, pertineant, rapiunt, & exportant, inhibentes electo, ne ingrediatur Archiepiſcopale palatium, niſi prius iuraſſet, illorum conſuetudines ſeruaturum, penitus abolemus, ſub interminatione anathematis prohibentes, ne talia de cetero attententur. Porro conſuetudinem, quam in portando Crucem, & tintinnabulo, cum prædeceſſoribus tuis, uſq. ad hæc tempora ſeruauiſti, uidelicet, ut quocumque iueritis, excepta urbe, & tribus milliaribus prope, & tribus milliaribus a loco ubi fuerit Romanus Pontifex, Crucem, & tintinnabulum, ſine qualibet conditione, de ſedis Apoſtolicæ licentia, deferatis, & ſignare, ac ſignando benedicere, ubicumque cum prædictis inſignibus fueritis, ſine præſumptionis nota, poſſitis, auctoritate Apoſtolica confirmamus: Salua tamen moderatione conſilij generalis. Libertates quoque, & rationabiles & approbatas conſuetudines Eccleſiæ tuæ, in Ciuitate, diœceſi, uel metropoli eius, tam circa ſpiritualia, quàm temporalia, ſicut eas iuſtè, & pacificè obtinet, confirmamus. Adhæc diſtrictius inhibemus, ne quis terras, aut homines ipſius Eccleſiæ, ubicumque conſiſtant, indebitis, & inſolitis ſeruitijs, uel exactionibus grauare præſumat. Præterea quia Eccleſia tua, grauia frequenter dicitur incurriſſe diſpendia, ex eo quòd prædeceſſores tui, non adhibitis teſtibus, conſueuerunt ſuos celebrare conuentus, uolentes indemnitati eius in poſterum præcauere, diſtrictius inhibemus, ne contractus ipſius Eccleſiæ ſine adhibitione teſtium, de cetero celebrentur: & ſi qui ad modo aliter facti fuerint, uiribus careant, tanquam contra inhibitionem Apoſtolicam attentati. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat poteſtatem Eccleſiaſticam temerè perturbare, aut eius poſſeſſiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuslibet uexationibus fatigare, ſed omnia integra conſeruentur, eorum, pro quorum gubernatione, ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura: Salua ſedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua ergo in futurum eccleſiaſtica, ſæcularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam, ſciens, contra eam temerè venire tentauerit, ſecundò, tertiove commonita, ni reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, poteſtatis, honoriſq. ſui careat dignitate, reamq. ſe Diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine, diſtrictæ ſubiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus, ſit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum iudicem, premia æternæ pacis inueniant

uenia-

ueniant. Amen. Dat. Laterani, per manum magiſtri Guidonis D. Papæ notarij. II. Idus Maij: Indict. XII. Incarnationis Dominicæ M C C X X IIII. pontificatus uerò Domini Honorij papæ Tertij anno octauo. Subſcripſere huic Diplomati, ipſe primum Pontifex, his, ſigno, additis uerbis: *Perfice greſſus meos in ſemitis tuis:* mox Hugolinus Oſtienſis, & Veliternus, Pelagius Albanenſis, Nicolaus Tuſculanus, Guido Præneſtinus Epiſcopi: Poſt hos, Leo, titulo S. Crucis in Hieruſalem, Guala S. Martini titulo Equirii, Stephanus baſilicæ XII. Apoſtolorum, Gregorius S. Anaſtaſiæ, Thomas S. Sabinæ, Ioannes S. Praxedis, presbyteri Cardinales, Demum Octauianus. SS. Sergii, & Bacchi, Gregorius S. Theodori, Petrus S. Georgii ad uelum aureum, Stephanus S. Hadriani, Diaconi Cardinales. Ceterum ut quæ generatim confirmarat Honorius, ea ſigillatim, & re ipſa, qua erat opus, ſuſtentaret XI. Kal. Iunii, è Laterano ſcripſit ad R. Canonicum Fauentinum, ut caſtrum Montis Bouarii, quod ad Eccleſiam Rauennatem ſpectare, ab Archiepiſcopo Rauennæ didicerat, auditis utrinque, quæ ad cauſam facere uiderentur, rationibus, cuius eſſet declararet; illud enim Comes Rogerius, Comitis Guidonis Tuſci filius, & fratres ipſius, Florentinæ, Fauentinæ, Aretinæ diœceſis occupatum, reſtituere negabant: Quod ſi abnuerent, mitteret Romam hominem tota re inſtructum, & certum illis diem finiret, ad cauſam apud Pontificem, dicendam. Pari ſtudio IIII. kal. Iulii, Comites, Proceres, Reſpublicasq. Picentes, per litteras monuit, ne Rauennatis Eccleſiæ poſſeſſiones, & iura uſurparent, neve uſurpari a ſubditis ſibi populis paterentur. Ipſe uerò Archiepiſcopus Symeon, cum eſſet XII. kal. Aug. in porticu hoſpitalis domus S. Spiritus, propè vrbem Ariminum, ſacramentum apud e dicere, Guglielminum Aſpini filium iuſſit, pro Feudo, quod ab Eccleſia Rauennate Aſpinus pater acceperat. Quod cum Guglielminus nomine ſuo, & Liberii fratris iuraſſet, ab Symeone, de more Romani Imperii, in poſſeſſione eius feudi confirmatus eſt. Septimo autē Idus Octobr. Rauennæ, in æde Vrſiana E. Foropompilianus Epiſcopus, ex autoritate Henrici Bononienſis Epiſcopi, & Andreæ Bononienſis Bondiq. Pratenſis Canonico, quos ſummus Pontifex iudices de controuerſia Ceruienſi dederat, Ciuitati ipſi Ceruiæ ſacris interdixit, quòd multi ex Ceruienſibus, in ea cauſa negauiſſent teſtimonium dicere, & Giraldum Archiepiſcopi internuncium, qui Ceruiam iuerat, ad ipſos excitandos teſtes, cepiſſent, ſpoliaſſent, uerberibusq. ac vulneribus grauiter affeciſſent, inieciſſent lorum in collum, & perinde quaſi latronem, tota vrbe duxiſſent: minitantes etiam ſi Epiſcopum Foropompilianum, ſi Ceruiam acceſſiſſet, eiusq. familiares, malè mulctaturos. Hanc ſententiam execrationis Henricus Epiſcopus, & ceteri iudices in Epiſcopio Bononiæ probarunt. Ita confirmare vndique Archiepiſcopatus ſui dignitatem, ac iura ſtudebat Symeon, qui hoc item anno opidum Laſtagnanum, de Ardiniſio, pro Rauennati Eccleſia, emit: licet enim illud opidum Rauennatis Eccleſiæ antea fuiſſet, traditum tamen Emphyteutico, beneficiarioq. iure adminiſtrandum, temporis diuturnitate, in maximam controuerſiam uenerat, quam Symeon tollere emptione illa tandem uoluit. Huius Archiepiſcopi tabulas ſub id tempus ſcriptas legi, Rauennæ confectas in Prætorio Valeriano: ibiq. Rauennam, Regaliopolim, id autem eſt ciuitatem Regiam, nomine ex Græcis, latinisq. confuſo potius, quàm compoſito, ut illa ferebant

tempora,

empora, appellatam. Prætorium autem Valerianum fuiſſe ædes puto, quas
Valerium Archiepiſcopum excitaſſe, ſupra memorauimus. Paulo poſt Sy-
meon, diplomate Pontificis recitato, pollicetur eis, qui cruce obſignati, comi
tarentur in acie Vuilelmum Marchionem Montisferrati, Regnum Theſſaloni
cenſe, quod ad ſe ſpectabat, recuperare parantem, iamq. arma indutum,
omnium criminum ueniam: mortem uerò piè occumbentibus, æternam cum
Diuis felicitatem. Ceterùm cum Ceruienſes reſtituere Archiepiſcopatus bo-
na differrent, & procraſtinarentur quotidie, eiusq. iuriſdictionem attenuare,
ac repudiare uiderentur, comparata militum aliquot ſelectorum manu, agri
Ceruienſis uineas, arbores, & fundos, cremari, incidi, diripi fecit. Ceruien-
ſibus autem rem ad Honorium deferentibus, Pontifex Faneſtri, & Feretrano
Epiſcopis, cauſam mandans diſceptandam, denuo Symeonem in integrum
reſtituit. Inſequenti etiam anno, de cœnobio litigauit D. Adelberti ad Padum,
quòd monachi, parere Archiepiſcopo Rauennati, ſubiiciq. renuerent: cau-
ſamq. ab iudicibus, quos Honorius Pontifex diſceptatores ſtatuerat, atque ANN. M.CCXXV.
arbitros, obtinuit. Decimo autem Nono kal. Febr. in Ticiitannum Borro-
nienſem ciuem, acerrimum dirarum telum, in Vrſiani æde, candelis accenſis,
pulſatisq. nolis, cum adeſſent multi, detorſit, quòd Ceruienſem Præturam,
nullò pacto, nulla condicione ſeruata, quæ inter Archiepiſcopum & Ceruien-
ſes intercedebat, acceptam, ab ſe monitus, nequaquam depoſuiſſet. Idem
fecit in eos, qui Præturam, aut iuriſdictionem Caſtri noui, aut uillæ S. Poti-
ti, uenia ab ipſo non impetrata, inirent. De Abbate Cœnobii Rauennatis,
D. Mariæ in Coſmodim, qui poſſeſſiones eius cœnobii, nulla ab Archiepiſco-
po, ad quem cœnobium illud pertinet, impetrata uenia, uendiderat, apud
Pontificem conqueſtus, quòd contra ſacramentum de non alienando apud ſe
ab eo Abbate dictũ, id feciſſet, Pontifex per litteras è Laterano. V. Non. Mart.
anno Pontificatus nono ſcriptas, eam cauſam Abbati S. Mariæ montis Mauri,
& Laurentio Canonico Cæſenati cognoſcendam, finiendamque mandauit.
Idem de cauſa Cœnobii D. Adelberti factum eſt, quam IIII. Id. Martii, Mar-
tinus, Rodulfus, & magiſter Pellegattus Canonici Fauentini, Iudices a Pon-
tifice dati, Fauentiæ, ita compoſuerunt, ut Archiepiſcopo Abbas pareret, ue-
nientem Archiepiſcopum vigeſies reciperet, in Diuinarum precum ratione
ab Archiepiſcopo reſtitueretur, ad eum denique confugeret. Per idem tem-
pus, Petrus Trauerſaria, de Reip Rauennatis, & Ceruienſium ſententia, Ioan-
nem Bonum, uirum religioſum, qui ſe peccatorem Eremitam appellabat, ar-
bitrum elegit, ut tot iamdiu agitatas inter ſe diſceptationes tolleret. Is cum
autoritate polleret plurimum, & ſanctitatis opinione, eos tandem pridie Id.
Quinctil. adduxit ad concordiam, iis potiſſimum legibus, ut Ceruienſes, pe-
ditumq. atque èquitum cohortibus, & aliis, ſubſidio Rauennatibus uenirent,
cum ſeſe belli ferret occaſio, iidemq. Ceruienſibus amici, inimicive, qui &
Rauennatibus, eſſent: Ad hæc, Prætores, cum nollent è ſuis, Rauennates
acciperent. Nec multo poſt Petrus, Octauo kal. Octobris interiit, Paulo fi-
lio hærede ex aſſe relicto. Sepultus eſt in monumento ex marmore, ingenti,
in D. Ioannis Baptiſtæ, quod nunc extra templi ualuas, ingredientibus ad
dextram ſpectatur. Gentilitia illius inſignia fuiſſe tradit ex Franchino Ferret-
tus, ſupra arcam, atque illius caſſidem bucculatam, Virginis caput, ad ſi-
mulacrum

mulacrum fabuloſæ Fortunæ. In area, ceruleus campum. Pinum in medio: lineas albas tres, citra ac ſupra, de radicibus ad ramos. Fuit hic Petrus omnium Trauerſariorum longè præſtantiſſimus: eamq. ſemper uirtutem animi præ ſe tulit, ut Magnanimus proprio cognomento, omnium conſenſu uocaretur, eiusq. ſignificationem dederat admodum adoleſcens: qua ætate, cum Otho, Palatinus Comes, in Guillelmum patrem manus inieciſſet, ipſe impetu facto, Othonem opprimit, ac trucidat. Tres habuiſſe filias, Aycham, Eliſabetham, & Tramontanam auctores plerique grauiſſimi ſunt: ex quibus, Aycha Britanniæ Regi nupſerit: Eliſabetha, Pannoniæ, Tramontana, Aragoniæ Reges pariter habuerint maritos. Mimatenſis Antiſtes, Guillelmus Duranti, cognomento Speculator, dum Honorii Pont. Max. Legatus, de rebus Flaminiæ Commentarium ad Pontificem ſcriberet, teſtatur, Rauennæ ſe Petrum Trauerſariam inueniſſe, qui omni illi regioni dominatus fuerit, quemq. omnes metuerint. Honorificentiſſimè quoque de illo Dantes, & Ioannes Boccatius meminere. Sub idem tempus Symeon Archiepiſcopus Abbati D. Hilarii, & D. Mariæ, cognomento Rotundæ, monachis Diœceſeos partem donauit; cum paulo ante Bonianninum Iudicem inſtituiſſet Maderii, eo omni uectigali adiecto, quo in opido Argenta, & toto eius comitatu, & uilla caualli, ceteri Iudices Argentæ, uti conſueſſent: idq. dum Bonianninus uiueret. Cum autem ſexto Id. Octobr. Argentæ eſſet, in domo Curiæ, extra opidum, ſibi in manus ceſſit nonnullis prædiis in curte de podio, Guido Lambertinus Bono-

ANN. M. CCXXVI. nienſis. Poſtero anno, incunte uere Fridericus Cæſar Rauennam ingreſſus eſt, & ibidem ad quadraginta dies commoratus, cum interea multi ex omni Italia uiri Principes, Flaminii præſertim, Rauennam ad eum conueniſſent. Sanctumq. Paſcha magna fuiſſet Friderici, & Principum frequentia celebratum. Hic multa commutauit, & ne quidquam eſſet, etiam puſillum, quod Pontificio Imperio penitus ſublato; nam graues cum Pontifice exercebat ſimultates; ſibi non ſubiiceretur, ſacras D. Andreæ Virgines in ſuam fidem, & clientelam recepit, omniumq. bonorum poſſeſſionem, quæ tunc habebant, confirmauit, Teſtatum id litteris publicis faciens, Gualdradæ earum ſacrarum virginum Præfectæ inſcriptis, quas nos, Rauennæ datas, menſe Aprili, Ind. XIIII. anno eius Imperii ſexto, Regni Hieruſalem primo, Siciliæ XXVIII. in earum bibliotheca legimus. Teſtes illis adſcribuntur Albertus Magdeburgenſis, Lando Rheginus Archiepiſcopi. Iacobus Taurinenſis, Mainardinus Foro Cornelianus, Epiſcopi... Dux Saxoniæ, Rainaldus Dux Spoleti. A. Marchio Eſtenſis, Comes. R. de Auensburc, & alii. Quod autem hic primus Hieroſolymitani Regni annus dicitur, inde eſt, quia anno ſuperiore, Iolem filiam Ioannis Hieroſolymorum Regis; qui afflictis in Syria Chriſtianis rebus, in Italiam, cum coniuge, uenerat; duxerat uxorem, omnibus illis iuribus, quæ illi erant in eo Regno, doti dictis. Quo etiam factum eſt, ut eò quamprimùm nauigare, omnem ditionem repetiturus, conſtituerit. Compoſita tamen prius Gallia Ciſalpina, & Germania, quò contendebat. Antequam autem Rauenna abiret, menſe Maio, Guidonis Generalis Præfecti adductus precibus, Camaldulenſem ordinem in clientelam recepit, Fridericiq. aui, Henriciq. parentis diplomatum, ſe præbuit adſtipulatorem, locaq. eius omnia priſtinæ reſtituit libertati. Idem D. Vitalis monachis, Lando Archiepiſcopo Rhegino, Friderici

rici familiare poſtulante pollicitus, Forum Cornelii ſe contulit: cum Fauentiam, quæ cum Gallis Ciſalpinis aduerſus illum fœdus inierat, conſulto uitaſſet; quamuis eius exercitus parte per Fauentinum agrum iter faciente, Ciſalpini fœderis legati, qui Fauentiã ad explorandos Friderici motus, & ad Fauentinos confirmandos cõuenerant, ſignũ bello dederint. In Foro Cornelio Fridericus nouis Landi precibus fatigatus, eodem menſe Maio, Hugonẽ D. Vitalis Abbatem, omnesq. monachos, ſuæ tutelæ, ac fidei commiſſos eſſe, ſignificauit: iuſſitq. ut quas ſegetes, quos fructus, quæ tandem omnia ex prædiis acceperent, ea ad uſum cœnobii, tametſi repugnantibus iuribus municipalibus, quocumque liberet, eis deducere fas, eſſet. Quoniam uerò tunc Ferrarienſes edicto cauerant, ut ne cui, quidquam in Ferrarienſi poſſidenti, liceret, è Ferraria, aut Ferrarienſe, aliò cauſam transferre, uoluit Cæſar id; quod ad monachos ſpectaret; irritum omnino eſſet, neque in illorum recuperandis bonis, annorum centum præſcriptio obſiſteret. In extrema tandem pagina, quæ Henricus Quartus confirmauerat, omnia ipſe quoque eſſe firma, & rata uoluit. Eodem menſe Paulus Trauerſaria in Rauennatem Præfecturam, & Ducatum; ſic enim in Vrſianæ bibliothecæ monumentis ſcribitur; quem ab Rauennati Eccleſia, acceperat, patri ſuffectus, cum etiam Præturam Rauennatem gereret, cum aliquot Rauennatibus ciuibus collegis, Cremonam, pro Rauennati Republica profectus eſt, ut illi conuentui intereſſet, quem Fridericus Cæſar per eos dies, eodem indixerat. Erat autem adeo rerum omnium ingens penuria, ut triticum, uinum, oleum, & reliqua huiuſmodi, quæ ſuppeditant ad uictum, ſecum deuehere cogeretur. Honorius interea Pontifex, cum Fridericum in Dei Eccleſiam arma mouentem, expertem Chriſtianæ communitatis feciſſet anno proximo, menſe Martio, moriens, ſucceſſorem habuit Hugolinum è Comitum nobiliſſima familia, Gregorium nonum uocatum. Galopinorum hoc anno, Venetorum, ex patricio ordine familia, quæ ducebat e Rauennati vrbe originem, finem habuit, cum D. Syluestri ædem Venetiis ædificaſſet, ac ditaſſet. Rauennam Paulus Trauerſaria è conuentu Cremonenſi reuerſus, Reipubl. Rauennatis nomine ſtudium adhibuit, ut cum Anconitanis pacem faceret, quibuſcum non paruas diſſenſiones habuerant, & ſæpius armis contenderant. Itaque anno MCCXXVII. quo fuit Rauennæ Prætor Thomas Corrigias, ſic ad extremum conuenere. Anconitanis ad vrbem Rauennam, & Rauennatem ditionem tutus acceſſus eſto, idemq. Rauennatibus, Anconam. Anconitani tributa tantum antiqua conferunto, ſalem, quem tollunt è Ceruia extra Anconam, alio non deuehunto. Merces, & reliqua huiuſmodi ad Rauennatium hoſtes non portanto: idem Rauennates ne faciunto. Rauennates Prætorii foſſam, canalem uocatam, expurgari, & defodi altius curanto, ita ut cum nauibus oneratis peruenire ad portam Prætorii Anconitani poſſint: alioqui hoſpitari tota urbe, & in ſuburbio illis fas eſto. Apud Archiepiſcopum Rauennatem agunto, ut Anconitani antiquum tantum portorium Argentæ ſoluant. Cum Rauennæ fuerit annonæ caritas, & annona carius Rauennæ, quàm Anconæ ueniet, extrahere a Piceno triticum, & ſegetes alias, uictus, non mercaturæ cauſa, Rauennatibus fas eſto: non tamen ex urbe Ancona, neque ex Anconitano agro; niſi id commune Rauennæ, ab Anconitano per litteras petierit. Annonæ caritas, cum Rauennæ modius tritici; ſtarium

ANN. M. CCXXVII.

rium vulgo appellant; ſeptem ſolidis Rauennatibus, atque etiam pluris, ue-niet, intelligitor: idemq. Anconitanis apud Rauennates fas eſto. Quæ omnia Andreas Martinus Anconitanorum Legatus, in Senatu Rauennati rata habuit. Symeon Archiepiſcopus per hos dies a Gregorio Pontifice, qui Anagniã patriam inuiſerat, XIII. Kal. Iul. anno Pontificatus primo ſcriptas accepit litteras: illis mandabatur, ut curaret una cum Aretino, Feſulanoq. Epiſcopis edicto præconis uoce pronunciato, ne qua mulier, eas cruces ligneas ingentes prætergrederetur, quas EremitæCamaldulenſes, caſtitatis ſtudioſi, uiæ, itinerisq. ad eremũ terminos fœminis conſtituerant. Quæ ſecus facerent, iis præſens anathematis pœna proponeretur. Inde V. Non. Mar. conceſſit D. Ioannis Euangeliſtæ Abbati ſacram D. Mariæ in patrimonio ædem in vrbe Rauenna, in regione portæ arcis Rectorum, quæ tum uulgo porta Tremalduli uocabatur, prope Theoderici Regis palatium, quam antea, uti dictum eſt Ecbohardus dederat. Quoniam uerò Reſpub. Rauennas, eiusq. Prætor moleſtia afficiebant Archiepiſcopum, & iuriſdictionem ruris Diui Blaſii, & D. Marci in Filo, & foſſæ pudulæ uexabant, Gregorius Pontifex Orbito, Peruſioq. Romam reuerſus, hanc cauſam cognoſcendam mandauit Archipresbytero Galliatæ, litteris Laterani datis III. Non. Nouembr. Pontificatus anno primo. Verum paulo poſt Symeon Archiepiſcopus exceſſit è uita; qui hoc titulo conſueuerat uti, in tabulis publicis. *Symeon non ſuis meritis S. Rauen. Eccleſiæ Archiepiſcopus*, in eius lo-

ANN. M. CCXXIIX. cum anno poſtero ſuffectus eſt Thedericus, qui Rauennatis primo Eccleſiæ Subdiaconus, & Canonicus Cantor; hic ex tribus Canonicorum Rauennatum ordinibus, unus numerabatur; deinde Præpoſitus, tandem Archiepiſcopus deſignatur, uerum non abſque contentione; quæ quoniam litteris patet a Rauennatibus ad Pontificem ſcriptis, eas, licet aliquot locis exeſas, hic apponendas curaui. *Sanctiſsimo Patri .... Gregorio, ſacroſanctæ, ac vniuerſalis Eccleſiæ ſummo, Raimundinus Ioculus Poteſtas, & Commune Rauennæ, promptum ad omnia famulatum ..... Apoſtolico mandato, ſicut intelleximus per uenerabiles uiros Clericos Eccleſiæ Rauennæ, de celebranda electione futuri paſtoris .... habebant in electione, die ſtatuta, ſicut moris eſt, in Eccleſia maiori, celebrata ſolemnitate, quæ in .... per clara indicia, multos eſſe paratos ad diſcordiam ſem nandam, vt electio differretur, & ſic. N .... quæ ad hoc fuerat aliunde apportata in damnum Eccleſiæ, quod aliquando peccatis exigentibus euenit .... Rauen. tam Comites de Bagnacauallo, quàm Paulus Trauerſaria, cum multitudine armatorum aduenisſe, præcepi ego .... vt redirent incontinenti domum, ne tanto negocio impedimentum ponerent, & ſic demum ad Dominos .... plicauimus attentius ex parte omnipotentis, per ea, quæ videramus indicia, ut Deum habentes præ oculis ad electionem ..... faciendam .... clero, & populo uniuerſo reſpiceret ad portam ... ciuitatis Rauennæ, & ne pro ſupradictis cauſis impedimentum aliquod poſſet afferre, fecimus Eccleſiam intus firmari. Peracto itaque pauco temporis interuallo, habita etiam omni concordia Dominorum clericorum, qui vocem habebant in electione facienda, & quaſi per inſpirationem collocata poteſtate in D. Magiſtrum Iacobum Archidiaconum Rauennæ, uir prouidus, & honeſtus, & omni bonitate perſpicuus. Cuius electionem per clericos ipſius Eccleſiæ, vt intelleximus, quod vobis præſentatam noluiſtis de Apoſtolica autoritatis clementia confirmare, mandantes potius capitulo Rauennæ, ut mitteret ad vos, Archidiaconum, Præpoſi-*

tum, & tres, uel quattuor ex ceteris fratribus, ut per eos aperiretur nobis plenius electionis proceſſus, merita electi, & ſtudia eligentis. Sed quia dilatauit confirmationem, doluit, & confremuit tota Ciuitas, & ut, de licentia ueſtra, uerum fateamur, damna multa & diſcrimina prouenerunt Eccleſiæ ſæpè fatæ, per circum adiacentes inuaſores, qui dilaniant, & occupant quotidie poſſeſsiones & iura Eccleſiæ Rauennæ, nec eſt qui arceat eos. Miſsis igitur ſecundum mandatum Apoſtolicum ſupradictis Dominis Clericis Eccleſiæ ſupradictæ, ad pedes clementiæ ueſtræ, ſupplicamus deuoti ueſtræ ſanctitati, quatenus de Apoſtolicæ ſedis conſueta miſericordia, Eccleſiæ Rauennæ miſerentes, electum clementer confirmare dignemini, ut ſic iam dicta Eccleſia ſubleuetur, & de imminentibus periculis, & diſcriminibus poſsit in aliquo reſpirare. His acceptis Gregorius litteris, & uiſis Comitiorum Rauennatium actis, Thedericum Archiepiſcopum confirmauit: neque uerò inani conſilio, quando magnum is ſemper animum, & conſilium præſetulit: præſertim cum, illius Archiepiſcopatu, aduerſarum rerum procellis Rauenna plurimum quaſſata fuerit: Statim autem cogitationem ſuſcepit acerrimam, reſtituendæ, conſeruandæq. amplitudinis Eccleſiæ ſuæ Rauennatis, curauitq. reſtitui ſibi multorum Pontificum, & Cæſarum diplomata, Hlotharii præſertim exemplar; quibus eam cumulatiſſimè ornauerant, ab Tancredo Archidiacono Bononienſi, apud quem, in cauſa Ceruięſi, poſita iam fuerant: Quod fecit Tancredus, eaq. in porticu Bononienſis Eccleſiæ, Guidone Graſſo, & aliis ſpectantibus Monaldo Cardinali Eccleſiæ Rauennatis, quæ erant duodecim, manus tradidit, pridie Idus Iul. Raimundinus Ioculus Prætor, poſtquam Arimini, vna cum Alberico Polentano, & aliis Rauennatibus legatis fuerat, & in Ariminenſium Senatu, egerat, ut Ariminenſis Reipubl. iura belli omnia, iudiciumq. ſe ad Piſaurenſem Prætorem reiecturam compromitteret, reuerſus Rauennam, coacto Senatu, Paulum Trauerſariam Reipubl. Rauennatis procuratorem, vno Senatorum omniũ conſenſu, qui tum frequentes conuenerant, creandum curauit: Qui autem eo die, fuit autem Nono kal. Aug. uenerunt in Senatum, cum fuere multi, tũ ii in primis eminebat: Carneualis Lambardanus, Arconus Saxus, Bonfilius Guizzolus, Ioannes Caſa, Rainutius Ioannis Paganelli, Thedorus Farulfus, Comes Maluicinus de Caſtello, Guido Rambaldus, Henricus Mainardus, Paulus Trauerſaria, Guido de Prata, Vgo Bratius, Hieremias Polentanus, Albericus Saſſetus, Ioannes Azzolinus, Guerrerius Palatius, Ioannes Vbaldini Zouolo, Albericus Polentanus, Petrus Vrſeolus, Iacobus Guidottus, Petrus Zugolaria, Vgutio Alidoſius, Guido Comes, Ioannes Michaelius, Oddo Manfredus, Vgo Ghetius, Iacobus Lambardanus; Cum uerò Diui Alberti ad Padi monachum obſequium Thederico Archiepiſcopo negarent; fecit is, ut Gregorius. V. kal. Septembr. cum eſſet Peruſii, cauſam dederit cognoſcendam Martino Roder, & Pelagotto, quem appellat Magiſtrum, Canonicis Fauentinis, cui etiam Pelagotto eam mandauit. Quincto kal. Octobr. adhuc Peruſii commorans, quæ Thederico erat, cum Prætore; ac populo Ferrarienſe, qui iuriſdictionem utebantur in homines plebis & plebatus portus, & Maierii, qui ad iuriſdictione Rauennatem ſpectant, eosque tributis prementes; minimè permittebant, ut quos ibidem fructus Archiepiſcopus habebat, deuehi ad ſuam Eccleſiam faceret. Quamquam autem Honorius Pontifex hac de re litteras ad Epiſcopum Cluſinum, & ipſum Pelagottum iudices, dederat, nihil tamen potuerat Archiepiſcopus conſequi. Ceterum quoniam quæ bona Vuillelmus, Albertus, Egidius, ſuperiores Archiepiſcopi, mutuo dederant,

rant,uendiderant,diſtraxerant,ea magno Eccleſiæ Rauennatis incōmodo facta, Thedericus dicebat,dedit illi Pontifex,litteris Peruſii.VI. Kal.Octob.ſcriptis,ea ut reuocare poſſet. V.Non.Octobr.Alogna Fidei filia, Henrico Marchione viro ſuo aſſentiente,qui & præſens erat, D.Mariæ in portu integrā partem ſuam Inſulæ,ſyluæq.Volanæ,& multa præterea in Cymaclienſi,alibiq.ſita,dono dedit. Allatæ ſunt interea Rauennam ad Thedericū Archiepiſcopū Gregorii Pōtificis litteræ,Peruſii,VII.kal.Decembr.Scriptæ,quibus Theoderico,& ſubiunctis illi Epiſcopis Pōtifex mandabat,ut Fridericum Cæſarē, cœtu piorū amotū, omnesq.illum cōſilio, aut ope iuuantes, diebus omnibus Dominicis, feſtisq. diuulgarent: Mox alias.II.Non.Decemb.Peruſio itē datas Pontifex miſit,ab Theoderico,ceterisq. Prouinciæ,ut inquit,Rauennatis Epiſcopis pecuniam poſtulantes,opēq. aduerſus Fridericum,in Italia bellū Eccleſiæ inferentem,loca infeſta reddētem, damna penè infinita importantē.Inde ampliſſimis litteris,iiſdem ferè uerbis,qui bus Honorii Pontificis ſunt,conſcriptis,bona omnia Rauennatis Eccleſiæ,quam appellat nobilem, & famoſam,confirmauit.Illis Pontifex ipſe, & ſeptem Cardinales ſubſcripſere. Datæ ſunt *Peruſii,manu Martini Vicecancellarij. V.Id.Decembr.*

ANN.M.CCXXIX. *Pontificatus an.II.* Sub id tēpus,anno MCCXXIX.VIII.kal.Febr. Bartholomeus Rondinellus,AlbertusGuidettus,Bulgarellus Balbus,Gueriſius Margotti,Farolfus Seuerolus,Salomon Guidi Ducis, ciues Lugienſes, & multi præterea,eiuſdē opidi incolæ, iurarunt fideles ſe fore Thederico Archiepiſcopo, eiusq. ſucceſſōribus.Teſtes in D.Iacobi,ſuburbii Lugienſis adfuere Oddo Præpoſitus,Petrus a Cento Canonicus Fauentinus, & alii.Pridie autē Id.Iunii, Thedericus Archiepiſcopus,in Senatum Rauennatē uenit,Senatoribusq.& Petro Deyſellæ,ac Gulielmo Iudicibus, Sozzi Collioni Prætoris, Vicariis, præcepit,uti obſides Piſaurēſes,quos a Senatu Piſaurenſi, eiusq. Prætoris Vicariis datos, Rauennæ habebant,ſtatim dimitterent, ſecum Ariminū,ad iurandū Ariminēſibus obſequiū, quemadmodū ipſe Thedericus,Prætorq. & Legati Rauennates ſacramento pro miſerant profecturos:Mox ipſis obſidibus,in eundē paulo poſt Senatū adductis; qui erant ſexdecim,& in iis Ioannes NonellusMalateſta,IacobusPalmerius,Rainerius Albericus, Ioannes Guillielmus, Vgulinus Berardi : adhæc Piſaurenſium item procuratori,qui aderat,iuſſit,pro eo ac ſibi, Rauennatibusq. fuerat iuratū, & mulcta, quæ in compromiſſi tabulis continebatur , mille marcharum argenti, in ſingula compromiſſi capita, niſi parērēt,propoſita,ut eodē die,ante horam nonam,ſeſe ad iter accingerent ſecum Ariminum profecturi,ibidemq.Ariminenſibus obſequium iuraturi.Fridericus interea Hieroſolymam contendens,dum Beryti Regulū perſequitur,ab omnibus,qui erant in Syria,Pōtifice iubente, Cæſar repudiatur: Pontifex multas Cāpaniæ vrbes recuperauit,Exarchatusq. Moderatorem,ac Rectorē Ioannem fecit,Hieroſolymorū Regē,qui copiarum Pontificiarū Imperatorem gerebat.Is.n.Rex, profectionis Friderici in Syriam fama permotus,cum uxore,Pontifici gratum facturus,ex Hiſpania, cuius Regis ſororē, vxorē duxerat, uenerat Bononiam,ut deinde Venetorū nauigio in Aſiam traiiceret. Ceterū Pontifex fraude Friderici perſpecta; qui antequam,pudore tandem,multarumq. rerum metu impulſus,abiiſſet,cœperat de fœdere cū Sultano tractare ; ne fruſtra Ioannes,aut abiret,aut ueniſſe uideretur,copiis illum ſuis,& Exarchatui Rauennati præfecit.Eodem hoc anno,Peruſii menſe Iulio,Thomas,titulo S. Sabinæ presbyter Cardinalis, in Ceruienſi tandem cauſa,diſceptationeq. ſententiā,ſecundum Archiepiſcopum tulit.Conqueſti fuerant apud eū Ceruienſes,mul

tis

tis ſe damnis affectos a Rauennatibus,qui illos in ipſa urbe Ceruia cepiſſent,& Rauennam abduxiſſent,cum eos Archiepiſcopus nuſquam defendiſſet: itaq. & damna petebant reſarciri,& libras bis mille numerari. Idē de Cæſenatibus dixerunt,a quibus damnum ad quinque millia librarū accepiſſent, Archiepiſcopo nequaquam eos,uti debebat,tuente. Mille etiam libris iacturā reſtitui, quam feciſſent,ob portum,a Rauennatibus in Ceruienſi ædificatū.Sed decreuit Thomas,eas mulctas,portoria,ſalem,Archiepiſcopo dari quotannis, quas ſupra poſtulaſſe docuimus. Patri ſtudio,Decimo kal.Septembr. Rauennæ,in Prætorio,coram Petro Dayſella,& Guillelmo Guadignano,Iudicibus Reipubl.Rauēnatis,& Vicariis Soczi Colleonis Prætoris,abſentis,inter Rauēnates, ac Ceruienſes,poſt diuturnam diſſenſionem tandem conſtituta concordia eſt: in qua cum multa fuere capita,tum illud in primis,ut iure Archiepiſcopi, Rauēnatis integro,& incolumi,ciues Ceruienſes quadraginta, ciuitate Rauēnati donarentur : qui eius concordiæ ſacramentum dicerent,ſeruandumq. curarēt:ex Rauennatibus ad id munus ii inter ceteros numerati ſunt: Deſdeus Signorelli,Rainutius Maltaliatus,Petrus Rambaldus,Petrus Duſdei, Bonfilius Benſaius Iudex,& Nicolaus Benſaius. Cum autem Ceruienſes inſequēti anno Rauennam ueniſſent,Thedericus Archiepiſcopus,tunc temporis,ut earum tabularum publicarum,unde hæc hauſimus,uerbis utar; *in ſpiritualibus, & temporalibus Rauenna, & Ceruia Dominus*, aſſentientibus Rauennatibus, pro ea urbis illius parte,quæ illos ſpectabat,ſanxit, Prætorem Ceruiæ a Rauennatibus ciuibus, Rauennatem tantum ciuem deſignandum:eum autem approbaret,confirmaretq.Archiepiſcopus,aut,ſi Archiepiſcopatus vacaret,ſacratorum uirorū Rauennatum Chorus: Iurarunt Ceruienſes,Prætoris Rauennæ ſe iuſſis obtemperaturos,leges Rauennates ſeruaturos,Rauennatibus,libras Rauēnatis pecuniæ centū,die a Rauennatibus Ceruienſibusq.conſtituto,Prætoris ſtipendiū, perſoluturos,optimè munituros uiam,a flumine Sapi,ad Ceruiam; æquaturos in ea uia,ripas,ſoſſasq. dū tamen a Rauennatibus,operæ ſubſidio mitterētur: nullam excitaturos neq.arcem,neq. munitionem,in vrbe Ceruia,eiusve agro, iniuſſu Rauennatium: Integrè pacta ſeruaturos,quæ inter ipſos,& Archiepiſcopū Rauennatem,quo tempore Vbertinus erat Prætor,inita fuerant. Qui ſecus feciſſet, illius bona,quæ in vrbe Ceruia, eiusve agro eſſent, Rauennati ærario addicerentur. Hæc Thedericus Archiepiſcopus rata habuit,qui æs alienū diſſoluturus,& pecuniam,reſtituturus,fœnori ut ad Pontificē,qui illum acciuerat, adiret,acceptam,paludem Mare mortuum uocatam, in triennium locauit:tametſi nequaquam leuis de ea, apud Pontificem cauſa ageretur, quòd Guido Prior Præfectus Camaldulenſium monachorum,ad Abbatē,& cœnobium D. Michaelis è caſtro Britonum,Camaldulenſis ordinis,Diœceſis Bononiēſis,ſpectare aſſereret:litterasq.diceret a Pōtifice ad Montis Armati Abbatē olim impetratas,quibus cū nihil Symeon Archiepiſcopus,cuius Archiepiſcopatu acta ea fuerant,reſpondiſſet,cœnobium illud,ab Iudice in poſſeſſionē primò miſſū, mox,anno abſoluto, uerū poſſeſſorē conſtitutū fuiſſe. Sed contrà,Thedericus, illas litteras ad Symeonem nequaquam miſſas, aut certè ab eo non acceptas, itaq. pro Archiepiſcopo,apud cū Iudicē,neminē dixiſſe, Gregorius Pontifex Romā reuerſus,per litteras.V.Non.Iul.an.IIII.Pontificatus,Laterani,ſcriptas, Magiſtro Pelegatto Canonico Fauentino,mandauit,ut de reſtitutione in inte- ANN. M. CCXXX.

grum,quam petebat Archiepiſcopus,cognoſceret, & ſi ita ſibi uideretur reſtitueret.Has litteras,cum Pelagotti litteris,Thedericus Archiepiſcopus Abbati S.Michaelis,è caſtro Britonũ, inſpectante Guidone Lambertino Bononiẽſi,in D.Michaelis de Caualli,XII.kal.Septẽb.reddidit.Quoniam uerò D. Apollinaris in Claſſe cœnobiũ Thedericus ingreſſus, Philippum inde Abbatẽ eiecerat, multaq. abſtulerat,quòd diceret,dilapidare eum bona cœnobii,minuere ueſtigalia, conuentum illum corruptis valde moribus laborare ea diſciplinæ regula deſtitutũ,propter quam conceſſa illi ea bona fuerant, atq. in illum homicidas, damnatos, atq. exules conuenire,grauiter hic cõmotus Pontifex,cauſam Matthæo Epiſcopo Tiphernati delegauit:extant hac de re litteræ, Laterani Nonis Mai datæ,quibus id ſibi moleſtè admodum accidiſſe ſignificat, ob ſingularem ſuam in Camaldulenſem ordinem beneuolentiam:hanc autem inde ortam puto,quòd dum Cardinalem Pontifex gereret,in ſolitudinem Camaldulenſem abditus,aliquamdiu ibidem uitam egiſſet. Guido Prior Præfectus, Camaldulenſium fratrum ſuorum conſenſu,tam fontis Boni,quàm Eremitarum,in quibus Paulus,Ioannes,Henricus,Gerardus, Simon, Lotharingus, Rainaldus,& Iacobus,incluſi,ſua quisq. cellula, tum erant, procuratorem ſuum fecit, Ioannem monachum: Thedericus Archiepiſcopus,Seuerum; ſacratorum uirorum Rauennatium chorus,Brandum Cantorẽ.Seuerus menſe Septembri,cum Tiphernũ ueniſſet,oẽs Tuſciæ,acPeruſii Iudices ſuſpectos ſibi eſſe dixit,ipſumq. præcipuè Matthæum Epiſcopum, qui & Camaldulenſium eſſet amantiſſimus, & eos frequenter hoſpitio acciperet, mutuaq. pecunia iuuaret,ac ſponſor pro illis fieret.Itaque cum in integrũ reſtitui,Abbas,& monachi poſtularent,Bonaguidæ Archidiaconi Aretini, & Oddi Præpoſiti Fauentini arbitrio mãdatum negocium eſt.Neque uerò Camaldulẽſibus tantùm,ſed & a Fauentinis,atque aliis,repetebat Thedericus,quæ iuris Eccleſiæ ſuæ uidebãtur eſſe:fecitq.ut Põtifex,Benno Epiſcopo Ariminenſi imperauerit,curaret eam ſententiam ſeruari,quam Pont.Max.Innocẽtius aduerſus Fauẽtinos, de iuriſdictione hominũ, locorumq. Luci,& S.Potiti,& caſtri Aurioli,tulerat. Quoniam uerò nec parebant ſententiæ Fauentini,nec a tributis imponendis,opprimendisq. illis ceſſabant,communione piorum amoti ſunt:Poſt,ubi conuenit illis cum Archiepiſcopo,interdicto laxati.Ceterum denuò Fauentini,cum moleſtia eos afficere, iam diu,poſt initum bellum,cepiſſent,Bennus Epiſcopus,Fabro Prætori,ſenatui,& Reipubl.Fauentinæ,per litteras mandauit,eos ne uexarent, & quam ab eis pecuniam,obſidum loco acceperant,reſtituerent.Quod autem Fauentiam adduci ab illis,fœminas nobiles duas,exulum Fauentinorum uxores,quæ in illorum manu haudquaquam erant,iuſſiſſent,& quoniam ceſſabant, aliquot eorum bona, & duorum annorum ſegetes Fauẽtiam inuexiſſent, id nequaquam ferendum eſſe: Itaque autoritate Pontificia imperare, omnia ut redderent.In eandem ſententiam Alberto ſcripſit,Fauentinorum Epiſcopo,menſe Octobri, iuſſitq.ut tertio admonitis,niſi parerent,animaduerſionem Eccleſiaſticam denunciaret.Per hos ferè dies fœdus inter Rauennates,Forliuianos, Ariminenſisq. Forliuii in Senatu initum,confirmatumq. eſt.Rauennates Bononienſibus ſubſidio accurrerunt opidum Bazanũ oppugnantibus: cum opidum tuerentur Mutinenſes, Cremonenſes,Parmenſesq. poſtquam caſtrũ San Cæſariũ fruſtra defendiſſent. Cõmiſſum eſt atrox prœlium,multisq. utrinque cæſis:opera tandem

dem Epiſcopi Regienſis, & Gualæ ordinis Dominicani ſacerdotis, uiri eloquentia, & pietate præſtantiſſimi, nouem annorum pactæ induciæ. cum Rauennatibus Cæſenates etiam fuere, Foroliuienſesq. ac Fauentini. ForoCorneliani pedites quadringentos auxilio miſerant. Poſtero anno XIIII. kal. Febr. Foroliuii, in Prætorio, Philippus eius Prætor Ciuitatis, omnesq. Senatores, qui conuenerant, Piſignolum ſcribam, procuratorem ſuum crearunt, ad præſtandum Eccleſiæ obſequium, ſacramentumq. dicendum, pro execratione, atque interdicto ſacrorum, quibus clericorum Forliuianorum cauſa, affecti fuerant: atq. ad abſolutionem, Foroliuianorum ciuiũ, & Petri Saraceni quõdam Prætoris, iudicumq. ipſius, & ſcribarum nomine accipiendam, & Archiepiſcopo ſatisdandum, reſponſuros apud Iudicem Foroliuianos, ſacratis eius Ciuitatis uiris, de Republ. Foroliuiana, conquerentibus. Cum autem Albertus Fauentinorum Epiſcopus, Benni Ariminenſium Epiſcopi litteris, quas diximus, neque ſatisfeciſſet, neque reſpondiſſet, denuò ad eum Bennus ſcripſit, eam Archiepiſcopi Rauennatis cauſam, ſibi coram a Pontifice plurimum commendatam, itaque mirari, cur imperata facere cunctaretur. Quod niſi intra quattuor dies, poſtquam has accepiſſet, exhauriret ea mandata, ſe illum, Fauentinosq. Chriſtianæ communitatis expertes redditurum, ciuitatiq. ſacris interdicturũ. Redditæ fuerunt Alberto hæ litteræ coram Egidio Epiſcopo ForoPompiliano. II. kal. Febr. De Ariminenſibus etiam Thedericus Archiepiſcopus, cũ Pontifice conqueſtus, quod Rauennatis Eccleſiæ opidanos, ciues ſuos facerent, & tributis premerent, fecit, ut per litteras Pontifex, Reate datas, VIII. Id. Iul. arbitros ad id cognoſcendum dederit, Epiſcopum Foroliuianum, Præpoſitum Fauentinum, & S. Paulæ Archipresbyterum, Ariminenſis Diœceſis: ſic tamen ut ne execrationis, aut interdicti in Rempubl. Ariminenſem ſententiam promulgarent, niſi id ſibi a Pontifice eſſet ſigillatim mandatum. Poſtridie, Rauennæ, in Epiſcopio, Thederici Archiepiſcopi, & Eccleſiæ Rauennatis procurator, alium ſubſtituit, qui ad diem ſe iudicio ſiſteret, & Auximati Reipubl. reſponderet, apud Epiſcopum Beluacenſem, Piceni Marchionem, eiusq. iudicem Sigellum, de cauſa, quæ inter Archiepiſcopum, & eam Rempubl. agebatur: ita nullum intermittebat Thedericus locum, repetẽdi iuris, quòd ad Eccleſiam ſuam faceret. Interea Fridericus Cæſar, qui ſuperiore anno Hieroſolymis, Nazareth, & Zaffo, quæ fuit ueteribus, Ioppe, receptis, cum Soldanoq. pactis induciis in Italiam remigrarat, receptisq. urbibus amiſſis, cum Pontifice in gratiam redierat, Montis Ferrati, ac Subalpinorum Regulis in Galliam Ciſalpinam eum, ex Germania, quò ſe ex Italia contulerat, uocantibus, ad diſſidia Italica componenda, ut maturius de tota re conſuleretur, Conuentum Rauennam indixit. Itaque in Flaminiam, Forumliuii primum profectus, mox Rauennam kal. Nouembr. ſe contulit, ubi Thedericus Archiepiſcopus, cum diu de Inſula Volana fuiſſet controuerſum, ut ex iis tabularii Vrſiani libris publicis conſtat, quos de acceptis, uulgoq. Diaceptos appellamus, diuiſione tandẽ octauo Id. Nouẽbr. hoc anno facta, inter ipſum, & Henricum Marchionem, ac Cellæ Volanæ, Portuenſisq. cœnobii Præfectos, ſextam eius Inſulæ partẽ habuit, Pompoſianoq. cœnobio Emphyteutico iure tradidit. Paulo poſt Fridericus, cũ diẽ natalẽ Domini feſtum Rauennæ egiſſet, diademaq. Auguſtale geſtaſſet, XIX. kal. Febr. in ſequentis anni, in Archiepiſcopi cubiculo, cũ Guillelmo Amato Prætore Par-

ANN. M. CCXXXI.

ANN. M. CCXXXII.

menſi, Bernardo, ac Rolando Rubeis fratribus, Parmenſium Legatis, Vgulino item Rubeo eorum fratre, prætore Genuenſi, Thediſio Fliſco, Lauaniæ Comite, Alinerio Panſano, ceterisq. collegis, Genuenſium Legatis, Cremonenſiũ quoque, Ticinenſium, Derthonenſium, & Mutinenſiũ conuentu ſæpius habito, multa aduerſus Mediolanenſes, qui Ciſalpinam omnem Galliam armis ſolicitabant, conſtituit. Commoratus eſt autem Rauennæ ad ſecundam Quadrageſimæ hebdomadam: Sed cum fruſtra conuenturos Principes expectaſſet, ac non multo poſt, Eſtenſis, & Mantuanus Reguli, cum omnibus ferè Galliæ Ciſalpinæ Ciuitatibus, Bononiæ in eum inimica decreuiſſent, Iacobus, Epiſcopus Præneſtinus, & Otho Cardinales, Pontificiiq. Legati, Rauennæ Fridericum conueniunt, pacem inter ipſum, Ciſalpinosq. conciliaturi. Ceterùm aduentum Fridericus Legatorum Pontificiorum intelligens, Venetias, Pontifici iratus, atque inde Aquileiam, eorum congreſſum fugiens, profectus eſt, mox in Germaniam quoque contendit, Henrici filii aduerſum ſe noua molientis, impetum ac uires perfracturus. Eodem hoc anno, quo Rauennæ Prætor fuit Rolandus è Gragnano, cum Guido Malabuca, Ludi deſignatus eſſet Prætor, ab Rauennati, Archiepiſcopo ita in eo magiſtratu confirmatus eſt, ut ne quem Lugienſem ſuæ ditioni ſubiungeret, quod Guido XI. kal. Mart. coram Guidone Bulgaro, Guidone Caſella, atque aliis, in ſacra æde ſuburbii Lugienſis ſe obſeruaturum iurauit. Sub idẽ tempus, cum Ceruienſes abduci ab Archiepiſcopatu, & Republ. Rauennate conarentur, Ioannesq. Vrſarola eius urbis Epiſcopus, priuilegia immunitatum eius urbis, & Epiſcopatus iactaret, atque alienaret quotidie animos Ceruienſium, qui tributa conferre, Rauennatesq. & Archiepiſcopum, Dominos negare incipiebant, facto impetu Rauennates, inſpecturi quibus Ioãnes Epiſcopus priuilegiis niteretur, Epiſcopi ædis ingrediuntur, & ſcripturas auferunt, quas inuenere. Non potuit autem in tanto tumultu fieri, quin ex militibus aliqui, quorumdam Ceruienſium, qui eam defectionem maximè cupere, ac curare uiſi fuerant, domos, ac prædia diriperent. Erat tum Vrſarola gratia, & auctoritate in aula Romana plurimum potens: uerum non adeò, ut cum dominatum Ceruiæ affectaret, aliud præterea obtineret, quàm ut Rauennates, Ceruienſibus, pro illatis damnis, quingentas libras Rauennatis pecuniæ, ipſi autem Epiſcopo; qui ablatarum ſcripturarum iacturam, maximam prædicabat; mille & quinquaginta ſoluerent, Othone Cardinale S. Nicolai in carcere Tulliano, ita, paulo poſt, Romæ, prope D. Mariæ nouæ, in ſuo cubiculo, decernente. Per idem tempus Thedericus Archiepiſcopus, apud Pontificem detulerat nomen Prætoris, & Communis, ita tum appellabant Reſpublicas, Auximatium, qui caſtrum Vbaldum, & Montem Cernum, in territorio Auximati, iuris Eccleſiæ Rauennatis opida, ſolo æquaſſent: itaque petere, ea ut reficerentur. Hugolino Ariminenſi Epiſcopo cauſam hanc cognoſcendam Innocentius Pontifex, dum uiueret, iam delegauerat; & ab eo Epiſcopo, Auximates diris deuoti. Idem hoc anno, cum parere negligerent, ab Anconitano, Aeſino, & Senogallienſi factum eſt, cum Rigo Teutonicus Mareſcalcus, Thederici procurator. VII. Idib. April. factus, accurate cauſam diceret. De Monte Boario quoque, Thedericus, apud Albertum Magdeburgenſem Epiſcopum, Comitem, & Legatum Flaminiæ, aduerſus Comitem Aghinulfum, Tuſciæ Palatinum, & Philippum Albe-

rici

rici è catena filium, & filios Comitis Marcoaldi, Tuſciæ Palatini, iam mortui diſceptauit. Itaq. X. kal. Mai. Albertus in Sacello ForoCorneliani Epiſcopi. M. ipſo Epiſcopo, & Margarito, Alidoſii filio, inſpectantibus, kal. Iul. diem certum eorum procuratoribus finiit, ad quam citati reſponderent: ſpectare enim ad Rauennatem Eccleſiam illud opidum Thedericus oſtendebat. Inter tot autem cauſarum tumultus, Thedericus, proximo anno, Gregorii Pont. Max. iuſſu, Bononiam profectus, ſanctum D. Dominici corpus, in honeſtiorem locum tranſtulit: Quæ fuit enim uiri illius ſancti alta animi demiſſio, tumulari ſub fratrum ſuorum pedibus, moriens, iuſſerat: & ne iuſſum tanti Patris eſſet irritum, factum ab eis fuerat. Verum in amplificanda deinde ſacra æde, forte accidetat, ea ut pars remanſerit ſub dio. Itaq. cum maiora, quo tidie fierent ad ſacrum tumulum prodigia, plurimumq. dederere Patres intelligerent, corpus uiri ſancti, tot miraculis inclyti, ordinis clariſſimi, ampliſſimiq. inſtitutoris, adeo ignobili loco eſſe, Ioannes Vicetinus ex eadem Dominicana familia, uir diſertiſſimus, & admirabili ſanctitatis opinione inſignis, cuius è froute concionantis, lumen aliquando prodiit, ut inde erueretur, & lapidea arca quadrata in loco celebri reponeretur, fuit auctor. Res ad Pontificem delata, qui dum Cardinalem gereret, & ipſo D. Dominico familiariter eſt uſus, & miracula ab eo uiuente facta præſens uiderat, & Bononiæ eius funeri interfuerat. Non modo igitur laudauit, quod decreuerant Patres, ſed non nihil eorum quoque negligentiam accuſauit, uehementerque indoluit, quod grauiſſimis negociis diſtrictus, intereſſe ipſe, præeſſeq. non poſſet: ſcripturum ſe tamen ad Antiſtitem, illius Principem Prouinciæ, Archiepiſcopũ Rauennatem, & qui ſuo nomine & præeſſet, & ſubiunctos ſibi Epiſcopos adeſſe unà ſecum iuberet. Quapropter cum ſolemni Pentecoſtes feſto die, Iordanis, Generalis familiæ Dominicanæ Præfecti uocatu, eius ordinis Comitia frequentiſſima Bononiæ haberentur, iamq. eſſet opera Stephani Prouincialis Præfecti, Sepulcrum ex marmore paratum, conuenit Thedericus Archiepiſcopus in templum, & unà ſecum Bononienſis, Mutinenſis, & Brixienſis Epiſcopi: ſunt & qui Tornacenſem addant. ii ſtata hora omnes in mitris, & ſacris palliis adfuere: & ſolemni inſtituta ſupplicatione præibant: poſt hos Iordanes Generalis, Stephanus Prouinciales Præfecti, dein primores Comitiorum: Sequebantur Prætor, nobilioresq. ciues, & qui dignitatibus inſignes habebantur: neque uerò Bononienſes tantum, ſed & ex finitimis urbibus clari uiri complures, omniumq. tandem ordinum, ac ætatum, fœminæ, maresque tam ciues, quàm exteri. Ibi corona uenerabundi cingunt ſacrum ſepulcrum Thedericus Archiepiſcopus, ceteriq. Antiſtites, Patres item ordinis, Prætor ciuitatis, eiusq. omnis nobilitas: Rodulfus cœnobii Procurator; quẽ paulo ante quàm in morbum incidiſſet D. Dominicus, ſæpe alloqui de ordinis ſtatu conſueuerat; aliquot aliis fratribus iuuantibus, egeſta humo, ferreis palis, malleisq. ſepulcrum reſerare, prægrandem è marmore tabulam, qua contegebatur ſepulcrum, in ſublime tollere. Ceterum uix magno tandem labore nonnihil ſublata eſt, cum ſuauiſſimus, & ignotus omnibus odor, ferit nares, ſacramq. ædem cunctam peruadit. Tanta uerò tum omnes cepit religio, ut Thedericus Archiepiſcopus, ac reliqui Antiſtites, Patresq. ſeſe ad terram proni demiſerint, cadentibus vbertim per ora lacrymis, quas lætitiæ magni-

ANN. M. CCXXXIII.

gnitudo excutiebat, cum præſertim è Patribus plerique, antea fuiſſent ueriti, ne è corrupto, ut ſuſpicabantur, cadauere, Diuo, atque imbribus expoſito, teter odor afflaretur, transferreq. ob id noctu illud cogitaſſent: quod tamen nequaquam permiſit, mirabilis in ſanctis ſuis Deus: Nam Prætor Bononienſis, petente populo, diuulgata iam futuræ translationis fama, aſſiduos die, noctuq. adhibuerat custodes, qui nuſquam inde abirent, ne qua fraus, neu e ſacro corpore cuiuſquam partis furtum fieret. Ceterum odor lõge fuit maior vbi amoto lapide, ſepulchrum patuit totum, in conſpectumq. ſe dedit arca lignea, in qua ſancta oſſa inerant, è cuius paruo foramine, odor omnis manabat. Eam eductam ligneam arcam, omnes flexis genibus continuò uenerati, Thedericus primò, mox reliqui, ſuo quiſque ordine, præ gaudio manantibus lacrymis, exoſculati ſunt: Quæ poſtquam aperta eſt, & odor ille Diuinus, infinitum in modum auctus, cum tamen nullis conditum aromatibus ſanctum corpus antea fuiſſet, admirabili religione omnium animos perfudit. Tunc a Iordane, ac primariis Patribus ſacra oſſa, de arca ueteri, in nouam illata, & clauibus diligentiſſime obfirmata, quas tum Prætor vrbis, tum Iordanes Generalis, tum verò Stephanus Prouincialis Præfecti, apud ſe habuere: arcam ad ſepulcrum è marmore, ad id iam paratum, magna omnium uenneratione tranſtulerunt: ibi in craſtinum aſſeruata. Poſtridie igitur eius diei, Thedericus Archiepiſcopus, ceteriq. Antiſtites, omnes in ſacra ueſte, in templũ denuò conueniunt: priorq. Thedericus, ubi ſancta oſſa ueneratus eſt, ad arcam ligneam, manum admouit, ac reliquis iuuantibus Antiſtitibus, eam cũ oſſibus, in ſepulchro è marmore locauit. Tum ſolemnia ſacra, operante Thederico Archiepiſcopo cœpta ſunt, cumq. is dies eſſet Pentecoſtes tertius, erudito concentu, choro ea uerba ingreſſo, qua Catholica Eccleſia mater, illo die Chriſtianos filios ſuauiter appellans, *accipite*, inquit, *iucunditatem gloriæ veſtræ, & agite gratias Deo, qui nos ad cæleſtia Regna uocauit*, eam vocem de cælo ad eos delapſam Dominicani Patres, in tanta eorum lætitia, feſtaq. hilaritate, receperunt. Tum inſonuere tubæ, & cum infinita penè populi frequentia ſupplicatio haberi cœpta, alternantibus choris, & ſumma omnium alacritate, D. Zachariæ canticum concinentibus. Ceterum non Bononiæ ſolum, ſed tota Italia, annus hic religionis plenus fuit, cum multi in omnibus ciuitatibus concionatores, doctrina, & uitæ integritate inſignes, ex nouis Diuorum Dominici, & Franciſci familiis, labentes populos ſuſtinerent, pacem inter diſſidentes tum maxime proceres conciliarent, errantes ad pœnitentiæ uiam ingentibus, atq. aſſiduis clamoribus reuocarent. Quo factum eſt, ut eorum exẽplo, uocibusq. matutinis, ac pomeridianis incitati, & tacita quadam religione perfuſi, in vrbibus, caſtris, agriſq. ætatum omnium, ſexuumq. atq. ordinum homines, laudes Diuinas, per uias incedentes, canerent, & Deo gratias agentes, cruces, ac uexilla præferrent, ac ramos, candelaſq. accenſas manibus geſtarent. Hinc, ille annus, *generalis deuotionis annus*, ſiue *annus alleluia* eſt appellatus: atq. hinc ſacrarum ſodalitatum, quæ poſtea in urbibus increbuere, prima inſtitutio manaſſe creditur. Ex his multæ Rauennæ inſtitutæ, quæ deinde laxiore uiuendi genere uſæ, cum ſolum uſum retinuerunt, ut homines in ſupplicationibus lintea ueſte, ſupra alias induti, bini procedant, & uerberatorum nomen, a priſca re deductum, ſeruent. Cum autem pleræq.

finem

finem habuiſſent, duæ ſunt potiſſimum a uiris piis, noſtra ætate, inſtitutæ,
quarum alteri D. Leonardi titulus eſt, cum in ædem ſancto illi uiro dicatam
conueniat, alteris D. Apollinaris. Earum ſodales, diebus potiſſimum feſtis,
congregati, diluculo, meridie, ac ueſperi, horarias D. Virgini Deiparæ pre-
ces recitant, ſeptemq. Dauidis pœnitentis pſalmos, & uirtutibus Chriſtianis
operam, ſtudiumq. nauant. Eodem hoc anno, eademq. fortaſſe religione ta
ctus, Pannoniæ Rex Andreas, auctor fuit, ut D. Petri ad Vincula templum,
quod eſt in Rauennati, nouo priuilegio Bela filius augeret: cuius hæc formu-
la eſt. *Bela Dei gratia Rex, primogenitus Regis Vngariæ, omnibus præſentem pagi-*
nam inſpecturis, ſalutem in ſalutis omnium auctore. Ad uniuerſorum tam præſen
tium, quàm poſterorum notitiam, tenore præſentium, uolumus peruenire, quòd cum
Dominus pater noſter, Andreas, illuſtris Rex Vngariæ, donationem, & pium ſtatu-
tum S. Stephani Regis Vngariæ, quod fecerat Eccleſiæ S. Petri ad Vincula, in terri-
torio Rauennæ, per adiutorium eiuſdem ſancti, ad conſilium S. martyris Gerardi, tunc
Moriſienſis Epiſcopi, quod modò nos Cenadinum uocamus, conſtructæ, & per manus
dicti martyris Gerardi, auctoritate ſedis Apoſtolicæ, conſecratæ, ſecundum quod per
ſingulos annos, tàm a camera ipſius Regis ſancti, quàm omnium ſucceſſorum ſuorum
Regum Vngariæ, pro tempore regnantium, XXV. Marchas puri argenti, pro fractu-
ris dictæ Eccleſiæ reparandis ædificiorum, & indumentis fratrum ſunt, competentes
expenſas in eundo, & redeundo factas, præfatæ Eccleſiæ Abbas, uel certus eius nun-
cius percipiat, ratum & firmum habuerit, ac priuilegium ſuum, aurea ſcilicet bulla cō
firmauerit, Nos ad petitionem, ac mandatum prænominati patris noſtri, huic tam lauda
bili ſtatuto gratum præbentes aſſenſum, hoc idem per præſens noſtrum priuilegium con
firmamus: Statuentes inſuper, quemadmodum ipſe pater noſter ſtatuit, quòd ſi prædicti
loci Abbas, uel eius nuncius annuatim, pro recuperanda pecunia non uenerit, quo- ANN. M.
cumq. poſtmodum anno uenerit, tam illius anni, quàm aliorum, in quibus ſoluta non CCXXXIIII
fuerit, inſimul, & ſine diminutione percipiat. Vt igitur noſtræ confirmationis ſeries,
ſalua ſemper, & inconcuſſa permaneat, nec proceſſu temporis in irritum reuocari poſ-
ſit, in ampliorem fidem, & cautelam, præſentem conceſſimus paginam, ſigilli noſtri in
perpetuum munimine roboratam, anno Domini Milleſimo ducenteſimo trigeſimo ter-
tio. Datum per manus Matthiæ Zagrabien. Præpoſiti, aulæ noſtræ Cancellarij, pon-
ſa magiſtro tauareucorum. Andrea filio Seraphim, dapiferorum ponſa filio ſſoulum
agaſonum, Belud filio Osliæ pincernarum magiſtris exiſtentibus. Dionyſio filio Dio-
nyſii Vermanica Tranſyluano exiſtent. & alijs quàmpluribus, magiſtratus & Comi-
tatus tenentibus. Hæc Bela Rex. Thedericus Archiepiſcopus hoc anno, Rai-
nerium ab Cunio, Lugi Prætorem confirmauit: Rauennæ magna orta diſſi-
dia, ſed qua cauſa, quiq. inter ſe diſſenſerint, ad huc mihi incertum eſt: ni-
ſi quòd anno inſequenti, VI. Id. Ianuarii, Foriliuii, in Prætorio, coacto Se-
natu, cum eſſet eius vrbis Prætor, Sclatta, Reipubl. Forliuienſis nuncius, Ioan
nes Stuldus, ipſo iubente Senatu, iurauit, omnium, qui aderant nomine, ſer-
uaturum ſe, curaturumq. ut ſeruarentur, quæ pro adminiſtranda vrbe Rauen
na, & ad diſſidium nuper ortum tollendum, ipſe ſciuiſſet Archiepiſcopus: ad
hæc ſubſidio iturum, conſilio affuturum; Rectoris, & Magiſtratus, quos Ar-
chiepiſcopus huic ciuitati dediſſet, mandatis pariturum, quæ impoſuiſſet Ar
chiepiſcopus, aut Rector Rauennas tributa, ex Archiepiſcopi ſententia ſolu-
turum: Qui ea non ſeruaſſent, ſoluiſſentve, ad eos mulctandos præſto futu-
rum.

rum. Eodem ſolemni ſacramento fidem obſtrinxit, poſtridie eius diei, ut Rauennæ nuper ortum inteſtinum bellũ tolleretur, Ioannes, Vgolini Acariſii nepos, Arimini, in frequenti Senatu, omnium Senatorum nomine, iuſſuque, donec finem diſſidium haberet. Britonorii in Senatu oratores creati, qui cũ Rauennatibus, Ariminenſibus, Foroliuianis, ac Foropompilianis fœdus ferirent. Ad ſuæ quoque Eccleſiæ recuperanda bona conuerſus Thedericus, ditioniq. Archiepiſcopatus amplificandæ intentus, cum iam diu de opido caſtro nouo, & Ducaria controuerſum fuiſſet, ut tandem aliquando finis imponeretur diſceptationi, illa opida ab Guidone Glazoli Comite, Lamberti filio, emit. Eius uenditionis Oddo Manfredus, & Hieronymus, Gualfredus, Lambertusq. Polentani; quòd eſſet Guido minor natu; prædes acceſſere; Beatrix etiam mater, Beatrix ſoror, & Amola uxor. Litem etiam Fauentinam, de poſſeſſionibus, & hominibus, quos magno Eccleſiæ Rauennatis damno Fauentini recipiebant, apud Leonem Canonicum Cæſenatem, Iudicem a Pontifice datum, per Brexaninum procuratorem ſuum, menſe Aprili proſequutus eſt. curauitq. ut Rainerius Georgius Cæſenæ Prætor, Cæſenasq. Senatus, caſtris Caſæ muratæ, & Montiliano, Montinouoq. tuti acceſſus, incolumitatisque ſacramentum dicerent: quòd XV. kal. Iul. in Senatu, qui hanc ob rem frequens conuenerat, Manzino Cæſenati Epiſcopo, & Petro Rauennatis Archiepiſcopi a cubiculo, id ipſius nomine Archiepiſcopi petentibus, iuſto ſacramẽto polliciti ſunt. Cum autem hoc anno Carneualis; quem nonnulli Carleuarium, alii Carneſalem uocant; Flaminiæ Comes, Rainerii Georgii, Cæſenæ Prætoris frater, diſſidiis inter Ariminenſes, ac Vrbinates compoſitis, obſides negaret Vrbinatium, quos ipſi in manus, Cæſenates conciliandæ pacis cauſa, dum de ea ageretur, dederant, is uerò Foripompilii in cuſtodia eos habebat, Cæſenatesq. accito Fauentinorum auxilio, facto impetu, in urbem ForumPõpilii, menſe Martio irruiſſent, & portis diffractis, eam ingreſſi, Vrbinates inde obſides detraxiſſent, Rauennates Carneualem, eiusq. partes, ac dignitatem ſibi tuendam accipientes, Cæſenatibus indixere bellum, armisq. in eos motis, premebant, cum Fauentini, agrum Rauennatem infeſtum excurſionibus reddunt, igneq. & ferro latè populati, deturbant ſacram turrim D. Stephani, & opidum Rafanariam obſidione cingunt. Sed neque tamen incepto deſtitere Rauennates, ceterum, ut auerterent Fauentinorũ arma, cum Foroliuianis egerunt, ſexcentis numeratis pecuniæ libris, ut ſuburbium Fauentinum adorti, incendium in illud excitarent: quod ab Foroliuianis factum eſt, Durbechumq. ſuburbium acri oppugnatione, aliquot interfectis Fauentinis, uexatum, cum interea Fauentini cepiſſent opidum Rafanarium, atque inde Hoſtaſium, & Hieremiam Polentanos: Vgolinum Corbum, & alios aliquot, qui erant in opido, captiuos abduxiſſent. Ioannes quoque Ceruienſis Epiſcopus, per id tempus, Cæſenatum, ac Fauentinorum pollicitis fiſus, Ceruiam repentè ingrederetur, eamq. Rauennatibus adeptam, Cæſenatibus, Fauentinisq. defendendam, ea condicione, tradit, ut inde eorum uſui, ſociorumq. in quibus numerabantur Bononienſes, quantum ſalis uideretur, exportare illis fas eſſet. Opem ferre Rauennatibus ſuis, in tanta rerum difficultate, Thedericus Archiepiſcopus, magno uir, fortiq. animo non poterat, grauioribus negociis pro Chriſtiana Republica diſtrictus, & in adminiſtratione belli ſacri,

quod

quod in Syria gerebatur, tractanda cum Pontifice, occupatus: quo etiam factum eſt, ut eum Pontifex ad Regnum Hieroſolymorum legauerit, & quæ fuit hominis uirtus, eundem Fridericus Cæſar; qui Pontifici nonnihil conciliatus, Reate per hos dies degebat; Internuncium ſuum fecit. Quæ quoniam apud nonnullos difficultatis aliquid habere uidentur, & cum pleriſque hiſtoricis nõ ſatis conſentiunt, Gregorii, & Friderici diplomata integra ex Vrſiano tabulario deprompta, hic apponenda duxi: litteræ Gregorii hæ ſunt. *Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, & dilectis filijs, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis... erſis alijs Eccleſiarum Prælatis, per Hieroſolymitanum Regnum conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. De liberatione terræ ſanctæ.... nter anxij, & ſine intermiſſione ſoliciti, non ceſſamus, dum flebilem ipſius caſum attendimus, pro eius ſtatu opportuna conſilia cogitare: Vnde nuper deliberatione præhabita cum fratribus noſtris, & Venerabilibus fratribus... Conſtantinopolitan... Antiochen. &... Hieroſolymitan. Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & multis alijs Eccleſiarum Prælatis, apud ſedem Apoſtolicam conſtitutis, præſente, & acceptante cariſſimo in Chriſto filio noſtro F. R. Romanorum Imperatore, ſemper Auguſto, Hieruſalem, & Siciliæ Rege illuſtri, piè terræ ipſi ſubueniendum prouidimus, per generalem populi Chriſtiani ſuccurſum, & ubique, ſicut eſt negocio per maximè neceſſarium, pacis, ſeu treuguarum debere fidem obſeruari: Quia uerò turbationi, & ex hoc, graui periculo ſubiacet terra prædicta, propter quod labor huiuſmodi eſſet inutilis, ſi pacem ipſa non haberet, pro qua hæc prouiſio emanauit, & facile amitti contingeret, paucas, quæ ſuperſunt, reliquias ex eadem, Nos nolentes, ſicut nec debemus, ipſius exterminium ſuſtinere, uenerabilem fratrem noſtrum.... Archiepiſcopum Rauenn. Apoſtolicæ ſedis Legatum, cuius diſcretionis & probitatis merita nos hortantur, ut in arduis negocijs uices noſtras fiducialiter committamus eidem, ad partes ueſtras duximus deſtinandum. Quocirca uniuerſitatem ueſtram monemus, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eum, ſicut Apoſtolicæ ſedis Legatum, debito ſuſcipientes honore, ſalubribus ipſius monitis, & mandatis, & ſpecialiter ſu... pace ibi reformanda, tam deuotè, quàm humiliter intendere procuretis: alioquin ſententiam, quàm ritè tulerit.... ratam habebimus, & ſeruari, auctore Deo, uſque ad ſatisfactionem congruam faciemus. Dat. Spolet. VI. Aug. pont. noſtri anno octauo.* Friderici autem ſic habet Diploma. *Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem & Siciliæ Rex, Baronibus, militibus, & uniuerſo populo Acon, fidelibus ſuis, gratiam ſuam, & bonam uoluntatem. Inter alia, quæ noſtra moderatione reguntur, & debita prouiſionis regimine gubernantur, ſpecialis nos cura ſollicitat, & ingens urget ſollicitudinis inſtantia, culmen noſtrũ, ut Regni noſtri Hieroſolymitani ſtatum in abundantia pacis & iuſtitiæ diſponamus, & tam uos uniuerſaliter, quàm ceteri fideles noſtri, poſſitis noſtræ ſerenitatis fauorem, & gratiam, iuxta ſolitum obtinere, præſertim ut Terra ſancta Hieruſalem, pro cuius obſequio & ſalute, totius Chriſtiani nominis eſt attenta deuotio, & uniuerſalem pacem exigit ad ſui ſubſidium reformari, ueſtrarum mentium tranquillitate compoſita, & omni diſſenſione ſopita, ſuorum uiſcerum quiete reſpiret. Quia ergo ſanctiſſimus in Chriſto pater, ſummus Pontifex, de uniuerſali pace, pro terræ ſanctæ ſubſidio, reformanda ſollicitus ſpecialiter mittit ad partes ipſas, dilectum Principem noſtrum Thed. venerandum Archiepiſcopum Rauenn. Apoſtolicæ ſedis Legatũ; qui, aſpera in plana conuertat, & dirigat in melius ſtatum ueſtrum, Nos, ut potè qui*

tanti

tanti patris tam laudabilem tenemur proſequi uoluntatem, ad ſuæ monitionis inſtantiam, dictum Principem noſtrum, Archiepiſcopum Rauennat. nihilominus noſtrũ Nuncium duximus ſtatuendum: qui noſtrum uobis reſerabit propoſitum, & affectum, & quod ad nos ex innata manſuetudine, benigna ſerenitate conuertimur omnes, & ſingulos, patulis brachijs recepturi, ſi uos ad nos conuerſi fueritis, prout ab eodem Apoſtolicæ ſedis Legato, & Nuncio noſtro expreſsius audietis: quo circa uniuerſitati ueſtræ mandamus, quatenus ea, quæ uobis pro parte noſtra dictus Apoſtolicæ ſedis Legatus, & Nuncius noſter proponet, intendere, & firmiter credere debeatis: Scientes inſuper, quòd ſi formam concordiæ, per venerabilẽ Patriarcham Antiochenum, & magiſtrum domus Teutonicorum, inter nos ex una parte, & uos ex alia, iam contractæ, uolueritis uobis a modo conſeruari, nos eidem Archiepiſcopo plenè commiſimus, ut eam uobis loco noſtro & auctoritate conſeruet. Nos enim id, quod dictus Apoſtolicæ ſedis Legatus, & Nuncius noſter, ſecundum tenorem formæ procedet, & faciet, ratum & firmum habere uolumus, & inuiolabiliter obſeruari mandamus. Ad cuius rei memoriam, & ſtabilem firmitatẽ, præſentem paginam fieri, & ſigillo noſtro iuſsimus communiri. Dat. Reate, anno incar. Dominic. MCCXXXIIII. menſe Auguſti. VII. Ind. Ipſe quoque Gregorius Pontifex Thederico, & ſubiunctis illi Epiſcopis mandauit, ut omnis pœnæ peccatis debitæ remiſſionem, iis auctoritate Põtificia, indulgerent, qui in Hieroſolymitanam expeditionem aut exirent ipſi, aut pecuniam, militesve mitterent: Conceſſitq. Epiſcopis, ut cruce inſignire eos poſſent, qui in eo ſacro bello militaturi, accederent: renouauit ad hæc execrationem Concilii Lateranenſis in eos, qui ferrum ad Saracenos afferrent, concordiamq. generalem, ac pacem factam in quattuor ſaltem annos ſeruari iuſſit. Extant hac de re Pontificis ad Thedericum Archiepiſcopum litteræ, anno Pontificatus octauo, VI. Id. Nouembr. Peruſii datæ, quàm ad vrbem ſe contulerat Pontifex; ut exules compeſceret, qui rem Peruſinam turbabant. Expeditionem autem Hieroſolymitam aſſerit, ſe diligenter curare, quoniam induciæ iam ad exitum properabant, inter Fridericum Cæſarem, & Sultanum pactæ. Paulo poſt fœdus inter Venetos, ac Rauennates in quinquennium, Venetiis, Tertio Non. Decembr. cum Iacobus Teupolus Dux, frequentiſſimiq. Senatores, & Guido Michaelius, Rauennatiũ Procurator, in Senatum conueniſſent, ictum eſt. Teſtes fuere, Ioannes Archidiaconus, Iacobus Cardinalis, Rauennatis Eccleſiæ, Philippus Cornarus, Romeus Quirinus, Matthæus Zenus, Marinus Mauriſinus, Iacobus Triuiſanus, & Petrus Molinus, Ducis conſiliarii: Theophilus Zenus, Nicolaus Toniſtus, Veneti, Martinus Martinelli Iudex, & Bonapax Cittadini, Reipublicæ Ariminenſis Oratores, atque item alii. Hæc autem potiſſima fuerunt fœderis capita. Veneti, terra, mariq. & ditione omni Rauennate, tuti ſunto, merces deuehũto, emunto, uendunto, negocia, quæcumq. illis erunt, agunto: ex vrbe Rauenna, Rauennateq. ditione libère exportanto, ac Venetias, quocumqueve libuerit, inuehunto, ſiue amne, ſiue mari. Nullum inde portorium, aut uectigal perſoluunto: Catenæ vrbis Rauennæ, portorii nomine, Veneti, in ſingula dolia uini, libras pecuniæ Rauennatis, quinque: in ſingula modia ſegetũ, denarios ſex danto: idem de mercibus ceteris, quæ in prouincia Flaminia emptæ, in ipſa vrbe Rauenna, in portuve Padareno, aut Sapis, impoſitæ in naues fuerint; ſi Venetos defendere a portorio Sapis Rauennates poterunt; faciunto. Pro vino, ſegete, auro, argento, pecunia, uel monetarum permutatione, gemmis,

ſeri-

ſerico, & aliis, quocumque è loco fuerint allatæ, mari ve, aut terra, ſiue amne Veneti portorium danto. Segetes ex vrbe Rauenna, atq. agro, ſal item, uti Rauennatibus placuerit, Veneti habento, non habentove: qua in re iudicio Rauennatum ſtanto. Naues ſuas, & earum onus: ſeu uectorum, alia rumve rerum fuerit, propè Rauennam, nullo prohibente excipiunto, atque inde exportanto, aliundeq. ad Rauennatium fines deuehunto: quocumque libuerit, eunto, redeuntoque, è Rauenna panem tantum, qui ſufficere in decem dies, nautis, uectoribusque poſſit, extrahunto. Si in Rauennate, naufragium Veneti, quod abſit, fecerint, iis Rauennates nullum damnum, nullam uim inferunto, ac potius ſubſidio ſunto ad recipienda è naufragio bona, liberandosque periculo homines, quinctamque partem eorum bonorum, quæ aſſentiente Veneto, receperint, habento: Sin Venetus contradixerit, nihil illis conferunto. Idem contra Rauennatibus, ſi naufragium in aquis Venetis, Rauennam uerſus fecerint, & quæ ſupra ſunt dicta, omnia, de portoriis, ſegetibus, nauibus, in Venetorum ditione, Veneti ſeruanto. Dum inter Venetos, ac Patauinos bellum fuerit, Rauennates neque ſalem, neque annonam, neque alias merces, Patauinis, dum erunt hoſtes Venetorum, minime præbento, neque ulli præterea, qui ſacramento ſe non obſtrinxerit, ea ad Patauinos, nulla ratione peruentura: Ea qui emerit, ab illo huiuſmodi iuſiurandum, ſponſoresq. exigunto: Idem faciunto, ſi Rauennam, Patauini, cum nauibus, ac rebus uenalibus commeauerint. Venetis in Rauennate commorari, nemine repugnante, cum triremibus, aliisq. nauigiis ſuis, ita tamen, ut dum in portu Padareno ſteterint, neminem lædant, fas eſto: Salem efferre, contra Venetorum, ac Rauennatium edicta, qui fuerit deprehenſus, ſalem is amittito, & nauem eius comburito: nulla præterea pœna mulctato. Prædas, rapinas, latrocinia, furta iam inde a quindecim annis, tam Rauennæ, & Cymacli, in eorumq. territorio, quàm in ditione Veneta, infra Laureti foueam; Venetias uerſus, facta, ab utraq. parte reſtituito: de iis omnibus qui cognoſcant, apud Lauretum, duo vtrinq. eligantur: ii ſi non conuenerint, Abbas Pompoſianus quinctus eſto, cuius conſilio, quæſtiones apud Cãpum Gauri decernantur: qui ſi noluerit intereſſe, aut non poterit, fratres duo, alter ex Dominicano ordine eligatur, ex Franciſcano alter, utrinque unus: & quem ii deſignauerint, is Abbatis Pompoſiani loco eſto. Hæc autem decernantor ad Reſurrectionis Paſcha proximè futurum, & poſtquam ſententiæ formulam ediderint, intra menſem ab utraque parte perſoluantor. Extra latrocinium Primicerio D. Marci, & Archidiacono Caſtellano irrogatum, de quo, ut de aliis, ſigillatim cognoſcitor, præter quàm quòd pro rebus, in ditione Rauennati, Romeo Quirino, & Ioanni Sucugullo, ſociisq. ademptis, Romeus & Ioannes iurare, ne amplius teneantur. Res ablatæ de manu Ducis, uel eius internunciorum ſcripto recipiantor, illiq. ſcripto fidem habento. Quæ latrocinio hactenus ablata Rauennæ, Cymacliq. ac in eorum ditione fuerunt, atq. item in Veneta, infra Laureti foueam, Venetias uerſus, ſi nota fuerint, ab illis, quorum in ditione fuerit uis illata, ei qui uim paſſus eſt, reſtituuntor, dum tamen ea illata uis a piratis, ſeu Sclauis, Genuenſibus, aut Piſanis non fuerit: Dux & Veneti nihil ſe noui in Genuenſes, eorumque Epiſcopum, nec in Eccleſiam, Remq. publ. Rauennatem, a ſuperioribus Kalendis Maii,

Mm in

in quinquennium molituros promittunt. Rauennatibus ad portum Padarenum è Piceno, atq. Apulia, mari cum ſegete, uino, carnibus, oleo, caſeo, ficubus, uenientibus, nullo impedimento erunt: Hæc autem ſi ſuperfuerint, ea Rauennates, ad regionem Fauentiæ, Bononiæ, Ferrariæ, uel Longobardiæ, ne deuehunto, ſed Venetis tantum præbento, eorumq. ſi ex Apulia fuerint, quintã partem Venetiis perſoluunto. Hæ fœderis leges, in legum municipaliũ Rauennatũ libros referunto, & dum fœdus durabit, ibi manento Prætor, & Magiſtratus Rauẽnæ, qui ſunt, quiq. futuri ſunt, dum inibunt Magiſtratum, in Senatu ea ſeruaturos ſe, iusiurandum danto. Hæc in Senatu Venetiis acta ſunt, uti diximus: Rauennæ item in Senatu XIIII. kal. Ianuar. eodem hoc anno a Bonacurſio è Palude, Rauennatium Prætore, Senatorum, ac Magiſtratuum nomine, iuſſuq. rata habita fuere, cum Venetorum Ducis, Reipublicæq. procurator huc ueniſſet, præſensq. adeſſet Marſilius Georgius: teſtesq. fuiſſent Bonacurſius ipſe Prætor, Bernardus è Canoſſo milites, & alii. Paulo poſt in æde Vrſiana, concione ſacri æris Campani ſonitu de more, aduocata, eius concionis aſſenſu, ac nomine, Damianus nuncius publicus, ſeruaturum ſe huius fœderis leges iurauit. Hoc anno ob hiemis magnitudinem, tempeſtatemque perfrigidam, Pinetum exaruit totum, & uites etiam & ficus, adeò, ut plurimi,
ANN. M. CCXXV. anno, qui eſt inſequutus, inopia uini, aquam ebiberint, tametſi ab inteſtinis bellis nequaquam ob id Prouincia ceſſauit: nam Fauentini, Bononienſium, Dutienſiumq. ac Tuſſignanorum auxiliis præferoces, Forumliuium oppugnarunt, menſe Iunio, egreſſumq. vrbe hoſtem, fuderunt: Sed Bononienſibus ſua auxilia reuocantibus, quòd Mutinenſibus agros eorum uaſtantibus eſſet occurrendum, Fauentini cœpto abeuntes, Diui Petri in Trentula rus inflammarunt, agri Rauennatium, qui Foroliuianis fauebant, coniunctisq. cum illis copiis, adiunctisq. Foropompilianis, ac Britonorianis, in Cæſenatem agrum, uſque Calcinariam, infeſto agmine XVII. kalen. Septembr. horæ ab ortu ſolis tertia, irruperunt. Sed Cæſenates cum eos uiderent, nullo penè ordine, ac nihil metuentes incedere, arma capiunt, acriter irrumpunt, multisque cæſis, tandem in fugam coniiciunt: quo factum eſt, ut trium ferè millium paſſuum ſpatio ad templum Rodæ, reiecti, non ante finem fugæ dederint, quàm ad Sapim amnem eſſet uentum. In eo prœlio Sclatta Vbertus Florentinus, Foriliuii Prætor, Guido Poſta, Guido Comes, multiq. præterea nobilitate inclyti ceciderunt, Britonorianus, Foropompilianusq. Prætores, & Rauennatis flos militiæ capti. Fauentini ſub ueſperum vrbe in equis egreſſi, uia ſuperiore Forumliuii prætereuntes, omnem eam regionem præda, ac ruinis, ad Foripompilii portas, uexare, cum Rauennates, qui ſibi tuendam eam vrbem acceperant, nihil tum repugnaſſent, neque etiam cum in Rauennatem planitiem irruentes, eam ad pontes uſque D. Vitalis ſunt populati: mox menſe Septembri ab opido Caminata, Meldolaue, inferius, incendio omnia abſumpſerunt, & denuò Octobri, equiteq. ac pedite omni contracto, Rauennatem agrum, uſq. ad fornaces vrbi propinquas flamma vaſtarunt. Cum autem Veneti impedimento eſſent Archiepiſcopo Rauennati, quo minus triticum, uinum, ſal, & cetera, quæ ſuppeditant ad uictum, in ſua opida, ad arbitrium ſuum conueheret, Pontifex Epiſcopo Ferrarienſi, & Abbati Pompoſiano per litteras Viterbii. IIII. Id. Nouembr. datas imperauit, ut ab iis Vene-

tos

tos ceſſare curarent, deq. tota re illum certiorẽ facerent. cum accepiſſet etiam
ex Archiepiſcopo Rauennati Prætorem, & Rempublicam Bononienſem, Ec-
cleſiæ Rauennatis opidũ hoſtiliter inuadentes, grauia illi irrogare damna, iniu-
riasq. inferre, cupiens, Prætorem ipſum, eamq. Rempublicam, *tãquam* inquit il-
le, *ſpeciales Eccleſiæ filios*, maleficio abſtinere, eos monuerat, per litterasq. manda
uerat, ut Rauennatem Eccleſiam, cum opidis, hominibusq. illius, *pro noſtra*, in
quit, *& ſedis Apoſtolicæ reuerentia*, ne moleſtia afficerent, ſed damna reſarcirent,
neq. ſimilia amplius committerent. Scriptis autem ad Priorem Præfectum D.
Mariæ in portu, Rauennatis Diœceſis, II. kal. Martii, cum adhuc Viterbii eſſet
litteris, ea ut effici curaret, diligenter mandauit: cum antea idem X. kal. Bono-
nienſibus denuò ſcripſiſſet, atq. imperaſſet. Fauentini hoc anno, menſe Aprili, ANN. M. CCXXXVI.
cum omni equitatu, vrbe exeunt, & prætergreſſo Foroliuio, cum ad D. Lauren
tii in Noceto, inde ad arcem Ermicis, mox ad Collinam, tandem tertio die ad
Foranicum perueniſſent, omnẽq. eam regionem præda, & incendio uaſtaſſent,
Rauennates cum Foropõpilianis, Britonorianisq. & Ioanne Vormatienſi, Chũ-
radi Flaminiæ Comitis, Vicario, obuiam occurrerunt: Sed Fauentinis quartò
poſt die, præda onuſtis, abeuntibus, nullum prœlium eſt ſequutum. Nec diu
poſt kal. Maii, egreſſi denuò Fauentia, in Rauennatẽ agrum irrumpunt, eodẽq.
die, cum abſtinuiſſent omni maleficio, remigrant domum: Sed coniunctis ſecũ
deinde auxiliis Mutilinorum, Ducienſiumq. rurſus, Nonis, irruunt in eundem
agrum castra locantur primo die ad Burſaliagũ rus altero, ad D. Michaelis Ar-
changeli, tertiò excurſiones, & prædam, uſq. ad pontes D. Vitalis faciunt, quar
to, nuſquam apparentibus Rauẽnatibus, reditũ inſtruunt, præmiſſis, ut expedi-
tiſſimus eſſet, carris, impedimentisq. & caſtra locant ad Godũ. Rauennates in-
terea, coniunctis ſecum copiis Ariminenſium, Foropompilianorũ Britonoria-
norum, Foroliuienſium, ac Ioannis Vormatienſis, Chunradi Comitis, Vicarii,
Bonconte Feretrano, Guidoneq. è Campigna, relictis Foroliuienſibus ad Lanza
machum rus, qui ſequerentur, ſeſe obuios, circumducto agmine, opponunt ho
ſtibus, & quod præceſſiſſe iam copias eorum exiſtimarent, carros, & impedimẽ
ta diripiunt. Fauentini re ex ſuis, qui redibant uulnerati, cognita, retro ad Lan
zamachum uerſi, in Foroliuienſes uim, atq. impreſſionem faciunt, partim capi-
unt, alios obtruncant, omnibusq. penè modis male habent. Rumor primo ab
Ariminenſibus, qui erant Foroliuianis propinquiores, mox a Rauennatibus ex
cipitur: Dum autẽ ad Foroliuianos reuertuntur, aduenere religioſi uiri, qui pa
cis cupidi, Rubacontem Prætorem Fauentinorum Prætorem Rauẽnatem, Co
mitem Maluicinũ, Paulum Trauerſariam adducunt in mediũ caſtrorum, quò
etiam Thedericus Archiepiſcopus Rauẽnas, Foroliuienſis, Ariminenſisq. Præ-
tores, & Boncontes Feretranus conuenere. Ibi cum eſſet cœptum de pace agi,
& in cõdicionibus Rubacuntes poſuiſſet, ut Fauentinis ſubiicerentur, eam ma
ximè cõdicionẽ deteſtante Paulo Trauerſario, non conuenit: itaq. cũ iam ad-
ueſperaſceret, Fauentini poſitis armis, domũ redierer cũ eo prœlio tercenti ce-
cidiſſent, ad tria millia, & ſeptingentos, captiui Fauẽtiam abducti fuiſſent.
Quincto autem kal. Iun. Gulielmus Amatus Foroliuii Prætor, Imperata Fa-
uentinorum Foroliuianos facturos, conſiliaque, & arma cum illis coniunctu-
ros, accepturos ab eis Prætorem, Foroliuienſiũ nomine iurauit: Fauentini his
aucti uiribus, Quincto Idus Iun. eductis copiis, ad Malianum, Foroliuii haud

procul, caſtrametantur, poſtridie unà cum Cæſenatibus diripiunt agros Brito
norianorum,quo factum eſt, ut Foropompiliani, Meldulenſeſq. Fauentinorũ
ſe iuſſis obtemperaturos,receperint: Idem ſibi a Caſtri noui incolis defertur,
cum eorum ſuburbium,per Mutilinos,incendiſſent: & cum redirent domum,
a Foroliuianis benignè hilariterq. excepti, qui expoſuerant in uias vaſa plena
uini,& pateris ſpumantibus,illis propinabãt: Idibus Iunii Bononiæ Salinguer
ra Petri Taurelli ciue Bononienſi, aliiſq. inſpectantibus,in ædibus vniuerſita
tis,in ipſoq. Senatu Bononienſi,Andreas Archipresbyter plebis PortuẽſisThe
derici Archiepiſcopi Rauennatis intetnuncius, Friderici Cæſaris,& Thederi-
ci ipſius Archiepiſcopi nomine,Senatoribus præcepit,ut Oratores Placentiam
mitterent, qui ſe die D. Iacobi feſto, ibidem Friderico ſiſterent, ea facturi,
quæ de confirmatione Imperii, & negocio terræ ſanctæ edicerentur. Fauenti-
ni Calendis etiam Octobr. per Foroliuianum,copias in agrum Britonorianum
adduxere: ibidemq. cum Cæſenatibus coniuncti,incendiis,ruinaq. paſſim ua
ſtitatem inferentes, in Foropompilianum deſcendunt, inde Mainardorum,&
Rauennatiũ villas,æqua ſtrage percurrunt,donec ad D. Geruaſii pontem, quo
propè mare,iungitur Sapis,uentum eſt. Illum Rauennates,duobus caſtellis,&
præſidio muniuerant. Sed præter opinionem excurrentibus eo Cæſenatibus,
Fauẽtinisq. ii,qui præſidio erant,& longe pauciores,quàm pro numero hoſtiũ
Rauennam fuga elapſi ſunt; hoſtes diſturbato põte, caſtellisq. domũ præda o-
nuſti rediere incolumes. Erant etiam per idem tẽpus inter Rauennates,ac Bo-
nonienſes diſſidia,& iam utrinq. arma parabantur, quamobrẽ Rauẽnates Mar
coaldum miſerunt ad Mutinenſes,Parmenſes,& Cremonenſes ſibi fœderatos,
legatũ,qui debita iure fœderis ſubſidia mitterent. Is autẽ cũ ad XV. kal. Quin
ANN. M. ctil. in Senatu Mutinenſi, Vgutionem a Curte, Mutinæ Prætorẽ,& reliquos Se
CCXXXVII natores poſtulaſſet, ut in Bononienſe irruentes, quibus modis poſſent, diripe-
rent,& incõmodis illos,damniſq. afficerent,id ſe libenter facturos reſpõderũt:
verum,cum id ſe recte exequi non poſſe abſq. Parmenſibus,& Cremonenſibus
fœderatis uideant,rogare illũ,ad eos ut ſe conferat, idẽq. poſtulet. Itaq. Mar-
coaldus cum ad XIII. kal. Parmam profectus, a Nicolao Adelardo Parmæ Præ
tore,& Parmenſibus Senatoribus idem eò diligentius petiiſſet, quò iam intel
ligeret Bononienſes in Rauennatiũ fines magnis copiis irrupiſſe,Rauennamq.
cõtendere,dimiſſo Senatu, Vbertus Bobius iuriſconſultus, Prætoris, Cõmunis-
que; ita uocant Rẽpublicam; Parmenſium nomine,reſponſum dedit,eſſe Par-
menſibus,ut flagitantibus id Cremonenſium Legatis ſatisfacerent; in Mediola
nenſes, qui iam in agro Ticinenſi erant, cũ Cremonenſibus proficiſcendũ: eo
abſoluto itinere,libenter ſe, unà cum Cremonẽſibus,in Bononienſes arma mo
turos,effecturosq. omnia,quæ Cõmuni Rauennatium honori, atq. uſui eſſe poſ
ſent. Qua accepta reſponſione,Cremonam Marcoaldus cõtendit,idemq. ſub
ſidium ab Vgolino Rubeo, Vgonis filio, Cremonenſium Prætore, ceteriſq. Se-
natoribus,qui in Senatum ob id ad X. kal. Quinctil. Conuenerant, petiit, cui
poſtridie eius diei in Senatu, Credentiæ uocato, Homobonus Moriſius iuriſcõ
ſultus, renunciauit, Cremonam undiq. vicino bellorum tumultu, Brixianorũ
ſcilicet, Cremenſium,& Placentinorũ eſſe circumſeptam: Ad hæc ab Cardina
libus, Romanæ Eccleſiæ, in Gallia Ciſalpina Legatis, accepiſſe litteras, qui-
bus cauetur, ne in hoſtes aut alios arma moueant: tentaret tamen Parmen-
ſium

ſium,ac Mutinenſium animos,paratos id ſe facere, quod illi molientur. Dum hæc ita aguntur a Marchoaldo, uidetq. difficilia fore, admodumq.fera hæc ſociarum ciuitatum auxilia, per litteras,a Rauennatibus fit certior, ab incœpto ut deſiſtat, quando Gregorius Pontifex Max. Thederici Archiepiſcopi rogatu; quem maximè hæc attingebat clades; ſtudio præfecti Portuenſis, Bononienſes, qui facto impetu, aliquot Rauennatis Eccleſiæ opida hoſtilem in modum inuaſerant, multamq. ex eis prædam abſtraxerant, cum illis conciliauerit: Neque uerò uana erat ſociarum ciuitatum excuſatio, quando Fridericus Cæſar denuò in Italiam profectus,Brixianos tandem,&Mediolanenſes prœlio ſuperauit, mox poſtquam aliquandiu manſit Cremonæ, ut ſui ſtudioſos præſens confirmaret, Taruiſii hiemem confecit. Cum autem Thedericus Archiepiſcopus, cum Cæſenati Republica, de damnis Eccleſiæ Rauennati, & opidi Saliani incolis, a quibus exegerant tributa, illatis, diu iudicio contendiſſet, tandem ter.kal.Septembr.ambo Egidium Fotopompilianum Epiſcopum delegerunt controuerſiæ arbitrum, ſeq. haudquaquam ab eius receſſuros ſententia, compromiſerunt. Hoc anno menſe Nouembri, legi, fuiſſe Simonem omnis Italiæ Comitem, Thomamq. eius Vicarium. Poſtero anno, octauo Kal. Maii, Arimini, in ædibus Vgolini Parcitati, incolæ montis Columbi omni beneficio ciuitatis Arimini repudiato,iurarunt ſe Archiepiſcopo Rauennati,eiusque Eccleſiæ obſequia præſtituros, iuſſiſq. obtemperaturos, & cetera obituros munia,quæ ſubiuncti populi debent. Sexto autem kal.Iul.Rauennæ in Epiſcopio, Thedericus opidi Tudurani hominibus dedit, ut habere Conſules poſſent,neque tamen alio uti Magiſtratu,niſi ſi ipſe conceſſiſſet: Haberent etiam Cōmune, in exiliumq. reos mittere, & ab exilio reuocare fas illis eſſet, dum tamen cuiuſquam ſanguinem ipſi non effudiſſent,rei aut ſi ioco effudiſſent, de damnis etiam a beſtiis illatis cognoſcere,& damna inferentes mulctare, & furta, quæ ſolidos decem pecuniæ Rauennatis non excederent, punire poſſent, ac mulctæ certa portio in Archiepiſcopi ærarium inferretur. Ingens per hos dies Fauentiæ tumultus accidit; Garatone Zambraſio ab Amadore Bulzaga trucidato, quo factum eſt,ut Acariſius vrbem occupauerit,Manfredii fuerint expulſi: ſed eam paulo poſt Paulus Trauerſaria ingreſſus, aliquot diebus tenuit, captis ibidem Acariſio, Glagerio Caſtrocarenſi, Guidone Rambe, qui iam menſem, eandem occupabant. Captiui, poſtquam aliquot dies apud Caualinum in cuſtodia fuere habiti, internunciis traditi Cæſarianis, aliquandiu etiam Arimini, ac Cæſenæ in carcere degerunt: ſed datis deinde obſidibus, ſacramento abſoluti: & Bononienſium auxilio, Paulus Trauerſaria, Fauentia pulſus eſt, magna edita ſtrage. Ceterum eam denuo vrbem Comes Aghinulfus, cum aliis factionis ſuæ Comitibus circumſedit, anno inſequenti, qui fuit ſupra milleſimum ducenteſimum, trigeſimus nonus, a partu Virginis, cū multi etiam ex omni Flaminia adeſſent,ſed aduenientibus rurſus Bononienſibus, caſtraq. obſidentium aggreſſis, commiſſum eſt prœlium ingens, acriterq. pugnatum:tandem uictoria inclinauit ad Bononienſes,qui liberata obſidione Fauentia,Bononiam captiuos, qui ad quingentos ſcribuntur fuiſſe, & in iis ipſum Comitem Aghinulfum,deduxerunt.Cū autem iis tēporibus vniuerſa Flaminia & publicis inter Fridericū Cæſarem,Gregoriumq.Pont.Max.renouatis diſſidiis,& priuatis inter eiuſdem vrbis ciues ſimultatibus,undiq. vehementer

ANN. M.CCXXXVIII.

ANN. M. CCXXXIX.

perturbaretur, Paulus Trauerſaria, fœdus cũ Bononienſibus iniit, eorumq. qui ſecum Rauennam uenerant auxilio, Comitibus, hoſtibus ſuis pulſis, eorumq. ædibus ſolo æquatis, Rauennam cepit, nec diu poſt, die D. Iuliani feſto, Friderici Cæſaris Magiſtratus, adminiſtrosq. ex ea pellit, Fridericoq. adimit: inde cum Gregorio Montelungo, Pontificio Bononiæ Legato, percuſſit fœdus: quo tempore Bononiam profectus, cum eodem Legato, Venetorum Duce, Bononienſibus, Mantuanis, & aliquot ciuibus Ferrarienſibus, cumq. Azone Eſtenſi recuperandæ Ferrariæ conſilium iniit: confeſtimq. ad circumuallandam vrbẽ

ANN. M.CCXL. poſtero ineunte anno, profectus, eam quarto poſt menſe, obtinuit, Salinguerra Taurello ſeſe dedente. Huius obſidionis, Legato, Bononienſibus, & Mantuanis cauſa fuit, quòd Salinguerra ſe, cum Friderico coniunxerat: Venetis, cauſa non eadem, ſed quòd Venetam nauim, non abſque Venetorum iniuria, in Hadriatico mare ceperit. Paulum incitauit perpetuum, atque hæreditarium a patre diſſidium, ipſaq. continens de finibus diſceptatio, in qua Salinguerra Rauennatis agri magnam partem ſemper occupauerat. Erat Salinguerra & ſenectute, & rerum uſu prudens, & Parmenſium, Mutinenſium, aliorumq. ac ipſius vrbis munitiſſimæ præſidio firmus. Vgo tamen Rambertus, qui maximè in ciuitate poterat, plurimumq. apud Salinguerram ualebat, obſidentium, ut tradunt aliqui pollicitationibus corruptus, eam deditionem Salinguerræ perſuaſerat. Qua, menſe Iunio, facta, vrbem omnes ingrediuntur, ad ædesq. Salinguerræ adeunt, ubi honorifice excepti, Paulus Trauerſaria Rauennæ Princeps, in conuentu, uti Ricobaldus teſtatur, aſſurgens, eò tandẽ deducta res eſt, inquit, quò ſcelerata tot facinorum congeries, & iuſta numinis uindicta, quæ nullum umquam inultum ſcelus patitur, iamdiu curſum intendebant. Ille, ille immortalis, ſummus omniũ Princeps, Deus, tot, ac tantarum rerum gubernationem, quæ uix poſſe humano conſilio attingi uidetur, nullo, ne inhumano, ac belluarum dicam; tractari amplius noluit: Fuit ille Dux nobis: nã Salinguerra in tot ſcelerum ſuorum conſcientia, nos, tam dementer, in noſtris caſtris, extra urbẽ ac munitiones ſuas, nequaquam conueniſſet, paucis, iiſq. nudis verbis, uir callidus, & occultus, & rerum uſu peritiſſimus, fidẽ nõ adhibuiſſet, niſi a Deo præpotente tantis ſceleribus conſilium eſſet ereptum. Ne dici quidem opus eſt, quanta calamitate Reipublicæ, diſſenſit a nobiliſſimo, & fortiſſimo Principe, Actio Ateſtino, quo exitio ciuium, ad cõmutandam Rempubl. in vrbe, ut floreret, laborauerit, contenderit, quantumq. in eo operæ, ſtudiiq. poſuerit. Reconciliatio concordiæ, ſanctaq. pacis fœdera, penes mentem hominis audacis nefariam, quàm ualuere, cur explicem non eſt, iis præſertim, quibus ſibi ea de cauſa, dies, noctesq. perſtando, ac peruigilando, aſſiduè fuit cauendum: Quamquam mortalibus ſe talem præſtitiſſe minus mirandum fuerit, cum, qui immortali, ac præpotenti Deo fidem fefellit. An, Salinguerra, putas, quæ bona ab Eccleſia Romana, ab ipſo ſummo Pontifice, Dei in terris Vicario, acceperis, ea denuo Cæſari, Pontificiam ditionem acerrimè oppugnanti, accepta referre, & quod ſacramentum apud Pontificem dixeris, contemnere, id in nullo ſcelerum loco haberi? In quem Gregorius innocentiſſimus, & ſanctiſſimus Pont. Max. illud dirarum telum detorſit, quod ſemper, iam inde a naſcente Eccleſia, pii omnes uiri, maximè omnium, iure metuerunt, ei adhærere, copias cum illo, conſiliaq. coniungere, perditæ conſcientiæ, & ferrei

animi

animi eſſe, non exiſtimas? Boioariæ Othò, Frideriens Auſtriæ Duces, Vinciſlaus Boemiæ Rex, multiq. præterea inſignes Germaniæ Principes, Pontificis; qui illos, ut & ceteros, ſacramenti uinculo, quo ſe illi obſtrinxerant, exoluit; iuſſis permoti, & ab Friderico, qui tamen ſuæ gentis eſt, diſceſſerunt, & arma in illius Regna mouerunt, tu homo Italus, nullis ſpectatus titulis, nulla, aut certe perexigua ditione præditus, hoſtem Eccleſiæ, tam iuſto, atq. diro Senatus conſulto notatum, complecteris? Sed quæ moliturum eum credimus in Pontificem Max. fore, ſi poſſet, quando huius Antiſtitem urbis, uirum clariſſimum, Philippum Fontanam, ita, uel in ipſa ſacrorum religione perturbauit, ut Ferraria ipſi excedendum, & arma capienda, & initium huic bello dandum, Bondeno, & Brigantino opidis captis, fuerit? Bonis ſociis, maximum eſt uinculum, fides, neque ullo pacto cuiquam vmquàm uiolanda; nam inter bonos, benè agier oportet; ſed tot auditæ fraudes, doliq. tot paratæ inſidiæ, faciunt, ut non ſeruanti fidem, ea ſi non ſeruetur, nequaquam dici iure poſſit, uiolari: eaq. iam ſunt Salinguerræ facinora, ut excuſationi nullus, pœnæ locus omnis pateat, & uel ipſa huius vrbis mœnia, tecta, aræ, auctorem culpæ, & reum criminis depoſcant. His Pauli uerbis, omnium animi plurimum incitantur, Gregorii præſertim legati: Quamobrē de obiectis criminibus cum purgare ſe Salinguerra parat, omnes pedibus obſtrepunt: quod etiam factum, cum denuò purgationem eſſet ingreſſus, ipſoq. iubente Paulo, ſcriba iam paratus, introducitur, qui iuſiurandi formulam, qua ſe olim Salinguerra Pontifici deuouerat, & a qua Paulus defeciſſe Salinguerram dicebat, ex ſcripto recitaret. Fuit autem hæc. *Anno a natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti MCCXV. Indict. III. tempore D. Innocentij Papæ. III. Pontificatus eius anno XVIII. die lunæ, in uigilia S. Mariæ, ſeptimo intrante menſe Septembri, in præſentia, ac teſtimonio rogatorum teſtium infraſcriptorum. In nomine Domini, Ego Salinguerra de Ferraria ab hac hora in antea ero fidelis uobis domino meo Papæ Innocentio, ueſtriſq. Catholicis ſucceſſoribus, & Eccleſiæ Romanæ: non ero in facto, conſilio, uel conſenſu, ut uitam, uel membrum, perdatis, aut mala capiamini captione. Veſtrum certum malum ſi ſciuero, propoſſe meo diligenter impediam: quod ſi non potero impedire, ſignificabo illud uobis, aut tali perſonæ, quam credam uobis pro certo dicturam. Conſilium quod mihi credideritis, ad ueſtrum damnum, me ſciente, nulli pandam præpoſitum Romanum, & Regalia beati Petri, ſpecialiter quidem totum, quod mihi conceſſiſtis in feudum de terra quondam claræ memoriæ Comitiſſæ Matildis: uidelicet, Medicinam, & duas partes Argellatæ. Alombarazone, cum plebatu S. Mariæ, Carpum, Carpenetum, Deſmantum, Mandrinem, Bibianellum, Caſtrum Ariani, Foſtondum, Mozole, Bondenum, Ardumi, Piginagiam. cum uniuerſis curijs, & pertinentijs, iuribus, & honoribus omnium prædictorum caſtrorum, & locorum, & cuncta iura & redditus reſponſiones, iuriſdictiones, & honores, uſus, & albergarias, quæ ſunt dicti poderis præfatæ Comitiſſæ Mathildis, diuæ memoriæ in his locis, ſine pertinentijs, uidelicet, in Sablono, Gazolo, Bellogaria, Biolotorta, Dinazano, Caſale magno, Caſale gigogno, Tregaſſo, Pregnano, Cauiano, Runcalijs, Planzo, caſtro Camiſiæ, eiuſq. curia, Fontana, Campogaiano, S. Martino, Dorio, Suſtiriolo, Padis, Corregia, Foſſa Canulis, Miliarin. Gurgatellis, Foſulis, Brudriono, Soleria, & in toto poderis in Epiſcopatu Bononien. Mutinen. Regin. Parmen. ceteriſq. alijs Epiſcopatibus. Adiutor uerò ad retinendum, & ad defendendum contra omnem mortalem. Eandem uerò terram nec te-*

nio,

*neo, nec tenebo, niſi a Romana tantum Eccleſia, & pro ipſa ſoluam ei ſingulis annis,
nomine cenſus, quadraginta Marchas argenti, & ſeruiam et pro ipſa terra, meis ſum-
ptibus, in Lombardia, & Romania cum centum militibus: in Tuſcia uerò, ualle Spole-
tan. uel Marchia, cum quinquaginta: ab vrbe autem, & infra, uerſus Apuliam, per
Campaniam, & totum Regnum Siciliæ, cum uiginti, per menſem integrum, ſingulis
annis, quandocumque fuero requiſitus, tempore ueniendi, & recedendi, minime com-
putato, ac deinde quàm ſibi placuerit, in ſuis dumtaxat expenſis. Legatos & nuncios Apo
ſtolicæ ſedis in terram uenientes præfatam, deuotè recipiam, & honorificè pertractabo.
Hæc omnia promitto me bona fide impleturum, & ſeruaturum, ſic me Deus adiuuet,
& hæc ſancta Euangelia. Factum in caſtro Carpi, in Eccleſia S. Mariæ, in manibus ma
giſtri Peregrini, D. Papæ Capellani, ad hoc ſpecialiter delegati, feliciter. Ego Thom.
qui uocor Bizardus, D. Othonis Imperatoris notarius, rogat. interfui, audiui, & ſcri
pſi, & duo inſtrumenta vno tenore compleui. ſignum propriæ manus D. Salinguerræ,
qui hoc fieri rogauit, & ſigillo ſuo communiri præcepit. Ego Nicolaus Regin. Epiſco-
pus interfui, ſubſcripſi, & ad maiorem cautelam meo ſigillo hoc muniri mandaui. Ego
Mainardinus Imolen. Epiſcopus interfui, ſubſcripſi, & hoc ſimiliter ſigillo meo robora
ri iuſsi. Ego Azo Abbas S. Benedicti de Laron interfui, ſubſcripſi, & ſigillo meo mu
niri feci. Teſtes autem ad hoc rogati, & conuocati, clerici & laici, ſunt. D. Abbas
S. Petri de Cremon. & D. Archipresbyter de Carpa, & D. Guilielmus Archipresby
ter Quarant. Laici autem, Raimundus, Manfredus, Guido, Acto, & Manfredus &
Guido, omnes de Siſſo Manfredus Lupi, Guilelmus de Palliano, & Hugulinus frater
eius. Paris Groſſus, Albriconus Cambiatoris, Paganus de Fauiola, Arduinus de Bon
deno, & Piſcatore iudice de Bondeno, Fulchinus de Capaniola, GuiZardinus de
Campaniola, Iacobus de la fracta, Hildebrandus de puntepar, & multi alij.*

Hæc cum eſſent recitata, dimiſſa concione, Salinguerra captus, Venetias du
citur, ubi honeſtè habitus in cuſtodia, breui tempore, annos natus octuagin-
ta, diem ſuum obiit. Ferraria Azoni Eſtenſi, Eccleſiæ nomine gubernanda,
ac regenda committitur. Nec diu poſt VI. Id. Sextil. Paulus Trauerſaria Ra
uennæ deceſſit: Sepultus eſt in D. Mariæ cognomento Rotundæ, ſumma, ac pe
nè Regia funeris pompa. Reliquiſſe ex Andronica uxore, Byzantii Cæſaris fi-
lia, Guidonem, Hadrianum, Anaſtaſium, Carolum, Petrum, Guillelmum,
& Andronicum filios, Caterinam item, Fidentiam, Rauennam & Roma-
niam, Ferettus ex Franchino auctor eſt. Verum ego in monumentis uetuſtis,
Adalaſiam Pauli uxorem, unamq. eius filiam Aycham uocatam reperio, quæ
Guillielmo Franciſio nupſit. Fridericus Cæſar, qui dum obſideretur Ferra
ria, per Tuſciam errans, Viterbium profectum, Romanum agrum infeſtum
reddidit, mox abierat in Apuliam, accepto interitu Pauli, qui iam cum Pon-
tifice, uti diximus, in gratiam redierat, diſceſſeratq. a Friderico, ob eam
cauſam, quòd ſuperioribus annis, Fridericus Rauennam regreſſus, nihil ipſius
exulis meminerat, incitantibus aliquot Trauerſariorum hoſtibus, qui exula-
bant, Apulia mouit, repentinoq. facto in Rauennates impetu, Vrbem XVIII.
kal. Septembr. Sexto poſtquam oppugnationem inſtituerat, die cepit, ubi ali
quot dies cum Henrico filio commoratus, Fauentiam oppugnare adoritur:
Interea VI. kal. Decembr. Ferrariæ, in Senatu credentiæ uocato Philippus
eius deſignatus ciuitatis Epiſcopus litteras Gregorii Montelongi, Legati Bo
noniæ ad X. kal. ſcriptas recitari iuſſit, quibus Gregorius Philippo manda-
bat,

bat, ut poſtquam opidum ipſe Argentam recipere; & Eccleſiæ Romanæ nomine tenere, uti ad eum ſæpius ſcripſerat, in eam diem, Marchionis Eſtenſis opera, diſtuliſſet, uelletq. tum, cauſis ductus neceſſariis, cuſtodiis Marchionis opidum illud contineri, ſacramento a Marchione apud ſe dicto, prædibusq. acceptis, opidum ſe Eccleſiæ Romanæ, & Gregorii Legati nomine retenturum, illud a Stephano Badoario, Ferrariæ Prætore, tradi Marchioni, integris iuribus Eccleſiæ Rauennatis, curaret: illi imperans, ut de ciuibus Bononienſibus ſponſores quattuor, quos uolet Gregorius, præſtaret, ſe quoties ſedes Apoſtolica, aut Gregorii internuncii repoſcet, opidū ſine dolo, ac fallaciis reſtituturū. His lectis litteris, aliisq. recitatis, quas in eandem ſententiā Baduario Prætori Gregorius ſcripſerat, ſurgens Prætor, lōgè maiori ſibi uideri, dixit, Eccleſiæ Romanæ honori, utilitatiq. fore, ſi opidum a Republ. Ferrarienſi, & populi ſocietatibus adeptum, eiuſdem Reipubl. teneretur præſidio, quàm ſi prophano cuiquam traderetur. Cum autem deinde rogaret Senatores ſententiam, Iacobinus Troctus, dandum dixit a Prætore Marchioni Eſtenſi opidum, & Legati iuſſis parendum, in quam ſententiam cum omnes iuiſſent, ſtatim Azo Eſtenſis Marchio, admotis ad ſacra Euangelia manibus, iurauit, deſignatoq. Epiſcopo Ferrarienſi, accipienti Eccleſiæ Romanæ, & Legati nomine, recepit, opidum firmo præſidio ſe, Eccleſiæ Romanæ, & Legati nomine, iuribus Rauennatis Eccleſiæ integris, ſeruaturum, reſtituturumq. omnino, cum ſedes Pontificia, aut Legati internuncii, illud repoſcerent, decem millium marcharum argenti mulcta, ſi ſecus feciſſet, addita: qua ſoluta, non ſolutave, adhuc quæ dicta ſunt, firma, integraq. eſſent. Sponſores fuere Bernardus & Thomas Fontani, Iacobinus Tròcta, Parthenopeus Guizardus, Michaelius Mainardus, Guido Iſnardus, G. Miſottus, G. Beroldus, G. Boccampanes, G. Vicedominus. G. Caſſetinus: V. Cōſtabilis, Liuzus Liuzius: G. Ioculi. Silerius Bouietus, & Petrizolus Floræ, ii tres, magiſtratum gerebant, uocabanturq. Antiani populi, ac ſocietatis communis Ferrariæ, qui Marchionis Eſtenſis uades facti ſunt. Eodem hoc anno, Peppus, Vgonis è ſaxo, è caſtro Perteſeda, e Flumana, e Taibisq. filius, incenſus religione, pietateq. Adamo Præfecto Portuenſi, illius ſacræ ædis, quæ eſt ad maris littus, nomine accipienti, in perpetuum inter uiuos donauit, id omne, quod illi erat, tam hominum quàm cæterarum rerum, eo in opido, eiuſq. agro, curtem appellato: Itaque tunc è Perteſeda plures, fidem ſacramento Canonicis Portuenſibus obſtrinxerunt. Fridericus Cæſar interea obſidionem Fauentinam, obſtinato ad uictoriam animo, proſequitur, cum in cuſtodia ſecum haberet Hieremiam, & Lambertum Polentanos, Fulcerium Calbulum, & alios præterea: qui cum imminere ſibi mortem, quam illis Fridericus minitauerat, cernerent, condiderunt in carcere teſtamentum: Sed ipſas teſtamenti tabulas Friderici deinde nuncius abſtulit. Tandem uerò Fridericus, ſeptimo obſidionis menſe, Fauentiam proximo anno, Decimo octauo kal. Maii, Rainerii Comitis Cunii, & factioſorum Acariſii, qui in ipſa urbe erant, ſtudio, ſeſe dedentem, occupat, eamq. Foroliuianis regendam, Thebaldo potiſſimum Ordelafo, & Superbo Argulioſo, abiens, commendat. Cæſenates kal. Mai ſecundis permoti Friderici rebus, caſtrum nouum Cæſenate dederunt, ut munitionem ibi ſuam excitaret. Fridericus ſolo æquatis eodem menſe domibus, turribusq. eius opidi omnibus, reædifica- ANN. M.CCXLI.

ri

ri illud maiori opere, munitioneq. imperauit, mox Rauennam uictor regreſſus, Turrim prætorianam magnam, quæ adhuc extat, ex ſolo æquatarum a Paulo Trauerſaria hoſtium ædium ruinis, inſtaurauit: Ex æde autem D. Vitalis, columnas ex marmore præſtanti complures, & Archiepiſcopale marmoreum puteal, multosq. præterea nobiliſſimos lapides, & præclara ornamenta Ariminum inuexit. Portam quoq. auream, quam Triumphalem, ob Claudii Cæſaris triumphum, appellabant, admirabili lapidum, ac gemmarum ornatu ſpoliauit, nauiq. Liburnica, Arimino Panormum Siciliæ urbem, eodem anno tranſuexit. Neque uerò Rauennatibus tantum erat uirium, ut furenti, uictoriq. Cæſari reſiſterent, quando & ipſe Gregorius Pont. Max. iis uehementer perturbatus, ut aliqua ex parte remedium labentibus rebus adhiberet, Concilium, Lateranum indixit; quod tamen non eſt habitum, captis à Friderico per Entium filium, multis, qui Romam proficiſcebantur, Antiſtitibus, mortuoq. paulo poſt, eodem hoc anno, XI. kal. Septembr. Gregorio, in cuius locum, licet Cæleſtinus Quartus X. kal. Octobr. fuiſſet ſuffectus, tamen cum ſeptemdecim tantum dies uixiſſet uir doctrina, & probitate inclytus, efficere nihil potuit, eò maiore Eccleſiaſticæ ditionis iactura, quò per annum uacauit ſedes, Cardinalibus, quos ceperat, aliquot, in cuſtodia habitis. Quibus tandem Balduini Cæſaris Byzantii opera emiſſis Innocentius Quartus Genuenſis, ex no-
ANN. M. bili Fliſcorum, & Lauaniæ Comitum familia, anno a partu Virginis Milleſi-
CCXLIII. mo ducenteſimo quadrageſimo tertio, VIII. Kal. Iul. Pont. Max. renunciatur. Quo eodem anno Veneti Ceruiam obſidentes, tandem pulſis inde Foroliuiãnis, eam capiunt. Fridericus Innocentio Pont. Max. creato, uehementer commotus eſt, quòd hominis uirtutem accuratè perſpectam haberet, & mirum in modum uereretur: nec timori defuit euentus: nam Innocentius à Friderico, quo cum uſus fuerat omni modeſtia, atque humanitate, ludificatus, eum,
ANN. M. Concilio Lugduni habito, Imperio, ac Regnis mulctauit, anno ab ortu Chri-
CCXLV. ſti ſupra milleſimum ducenteſimum quadrageſimo quincto: quo anno Innocentius Pontifex, Prætori, Senatui, Reiq. publ. Bononienſi, ut Archiepiſcopum Rauennatem, cum opus eſſet, iuuarent, accuratè per litteras mandauit. Captus enim a Friderico, Thedericus Archiepiſcopus, eo tempore, ut puto, quo Rauennam occupauit, ab eo in Apuliam, in carcerem, miſſus fuerat, vnde nunc primum Rauennam reuerſus; & Archiepiſcopatus ſui bona aliquot diſtracta conſpicatus, auxilium a Pontifice ſibi dari, per has litteras, quas licet mancas, in hunc locum tranſtulimus petiit. *Sanctiſsimo in Chriſto Patri, & Domino; Innocentio, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici digniſsimo, Thedericus Rauennatis Eccleſiæ indignus Archiepiſcopus, pedum oſcula beatorum. Dum illius Regis Regum benignam potentiam aſsidua meditatione contemplor, qui arcano ſapientiæ ſuæ conſilio, in mortis confinio poſitum, ex leonis faucibus, de manu uidelicet impij tyranni Friderici, & de omni expectatione plebis Apulorum, me potenter eripuit, & miſericorditer liberauit, non ſine ſtupore artuum ſingulorum, quem præteriti ſtatus memorialis refricatio repræſentat, ipſius benignitatem, ſapientiam, & uirtutem, quibus ualeo præconijs extollere non deſiſto, eo quod non deſeruit de ſua miſericordia præſumentem. Hæc itaque Apoſtolicæ duxi clementiæ flexis genibus intimanda, ut habeat in eis tam pij patris benignitas, tamq. benigni Domini pietas, in quo filio ex ærumnoſæ calamitatis naufragijs eruto congratulari, famulo congaudere.*

ualeat,

ualeat, ab inferi faucibus liberato, cum preſsione anguſtiarum præcedentium non fuiſſet. Sane dum eſſem in Apuliæ finibus, in poteſtate uidelicet impij ſupradicti, eius nuncij, crudelitatis ipſius improbi ſectatores, quibus uacat laqueos immittere pedibus innocentium, ut dum eos minus cautè non potuerint euitare, inueniat Principis ipſorum crudelitas inhumana, quos indebita poſsit extorſione mulctare, ſeu in quos ſæuitia ſua ualeat aculeis debacchari. A me importuna inſtantia exegerunt duarum millium marcharum argenti cautionem fideiuſſoriam, ſub hoc pacto, ne uidelicet metas quaſdam excederem, intra Regnum mihi præfixas, neve quidquam facerem contra iura, & honorem Imperatoriæ Maieſtatis; cumq. contra præfatum Sathanæ miniſtrum, ob innumera iniquitatum opera, excommunicationis in eundem ſententia promulgata, communis teneret opinio, ipſum in concepti doloris uindictam, malignitatis ſuæ uenena, in quos poſſet ..... præcipuè clericos refuſurum, duplici ambiguitate ſuſpenſus, utrumne corporeæ ſaluti, an fideiuſſoris indemnitati ...... conſcientia nullatenus quieſcente, quin potius ad tribunal ſummi iudicis inſtantius appellante, ne ſub ipſius excommunicati, ac depoſiti .... potentia ulterius permanerem, tandem a quibuſdam uiris religioſis accepto conſilio, decreui, potius rerum periturarum amiſsione .... ſaluti corporis indulgere: Demum metas egrediens conſtitutas ...... laboribus, ſumptibus, & timore, uiarumq. diſcriminibus, ad Bononienſem uſq. me tranſtuli ciuitatem. Ceterum cum ſæpe .... poſſ.... omnia citra Padum, ad Rauennatem Eccleſiam pertinentia, iamdudum inuaſerit armis .... quidquid ...... habeat, iamque exhauſerit, nec ad præſens ex ipſius poſsint manibus eripi, quæ nec reſtituere propoſuerit, pertinacia dare ipſis ultra .... Argentæ, cum eius curia: plebatum quoque portus, & Materia, ceteraſq. poſſeſsiones, & iura Eccleſiæ ſupradictæ, Marchio, & Ferrar. qui .... Apoſtolicæ ſanctitati duxi humiliter ſupplicandum, quatenus ne in contumeliam Eccleſiæ, ultra condignum, expoliari patiatur, ut petitione noſtra ſpoliatis antedictis Marchioni, & Communi mandare dignemini, ut prædicta, caſtrum ſcilicet ac plebatum, cum poſſeſsionibus. Hactenus Thedericus, nam plura legere, membrana corrupta ſitu, in qua erat Epiſtola ſcripta, non licuit. Cum autem Innocentius Pontifex Henricum Raſpemburgenſem, Haſſiæ, & Turingiæ Lantgrauium, Herbipoli, Regem Romanorum creandum curaſſet, is paulo poſt quam Rex eſt factus, Thedericum Archiepiſcopum per litteras monuit, ut recuperandis urbibus, recipiendisq. iis, quos in exilium Fridericus miſerat, diligenter operam daret. litteræ Henrici hæ ſunt. *Henricus Dei gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, dilecto principi ſuo. Ven. Patri, Archiepiſcopo Rauennat. gratiam ſuam, & omne bonum. Cum inter ceteros mundi Prælatos ſis membrum ſacri Imperij ſpeciale, honeſtatem tuam decet meritò eſſe ſolicitam, & intentam ad ea, quæ noſcuntur ad promotionem negociorum Eccleſiæ, & Imperij pertinere: ſpecialem itaque ſuper ea de te fiduciam detinentes, ex probitate perſonæ tuæ maximè noſtris auribus inſtillata, deuotionem tuam requirimus attentius, & monemus, quatenus uiros nobiles, qui de Arimino, Rauenna, & Fauentia, & alijs Ciuitatibus, & caſtris Romaniolæ, per Fredericum quondam Imperatorem, tunc ſuper eos regnantem, ex domibus proprijs ſunt eiecti, ac bonis omnibus ſpoliati, quantum ſcis, & potes, debeas conſilio, & auxilio confouere, ac eos efficaciter inducere non deſinas, ut ipſi unanimiter ad confuſionem ſuorum inimicorum, & recuperationem rerum ſuarum, quantum poſſent, operam exhibeant efficacem. Quia tamen, ſicut accepimus, dilectorum fidelium noſtrorum Rauenn. auxilium, contra eos eſſe ... præ ceteris*

teris

teris opportunum... nos eis ſuper hoc noſtras dirigere litteras ſpeciales, quas eaſdem per te, ex parte noſtra, petimus, & uolumus præſentari..... uolumus & mandamus, ut ad ea feliciter exequenda, ipſos, nomine noſtro, ſecundum collatam tibi à Deo prudentiam, moneas efficaciter, & inducas. Noſtrorum quoque actuum ſtatum, & qualiter Sueuiam hoſtiliter inuadamus, iam ferè omnibus illius terræ nobilibus, ad pedes noſtræ celſitudinis inclinatis, & quid de tuo, & aliorum Lombardorum negocio in breui agere diſponamus, tibi quàm cito per ſolemnes noſtros nuncios curabimus deſtinare. Dat. Vuartlt. prid. Kal. Decembr. Indict. V. Verum ut ſunt mortalia, dum hæc agit Henricus, & Chunradum Friderici filium, qui Regem ſe Romanorum creatum, decimumq. iam annum a Colonienſi Archiepiſcopo corona inſignitum dicebat, prœlio propè Francofordiam uiciſſet, dumq. uictor, multas eius curſu, plauſuq. uictoriæ vrbes illi ſe dedentes recipit, & maiora in dies molitur, ab Eburiis, qui coniunctis, cum finitimis, copiis, arma in eum mouerant, ſagitta transfixus, breui interiit: in cuius locum Guillelmus, Hollandiæ, Zelandiæ, & Friſiæ Comes a Germaniæ Principibus ſuffectus eſt. Thedericus cum neq. Archiepiſcopatus ſui, neque Pontificiæ ditionis recuperandæ curam intermitteret, Bononienſisq. Epiſcopus, ſacramentum apud eum de more, dicere abnueret, de eo apud Pontificem conqueſtus, fecit, ut Pontifex ad Bononienſem dederit has litteras. *Innocentius Papa ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri, Epiſcopo Bononienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Venerabilis fratris noſtri... Archiepiſcopi Rauenn. precibus inclinati, præſentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ei, cuius ſuffraganeus eſſe dignoſceris, exhibeas fidelitatis ſolita iuramentum, non obſtante, quòd illud nobis, recepto de manibus noſtris conſecrationis munere, præbuiſti. Dat. Lugduni, Idibus Decembris, Pontificatus noſtri anno Quarto.* Interea cum Salinguerræ, Fridericiq. ſtudioſi, Rauennæ ſuburbana tecta incolerent, Ferraria eiecti; atque inde Marcheſino Mainardo, & Parthenopeo; qui florente Salinguerra, Ferrariæ plurimum poterat; ducibus, in Ferrarienſes uillas, & paludes excurſiones, & prædam facerent, nauesq. caperent, quibus Padus nauigabatur, illis ſe Giliolus Iuſtinellus obiecit, magnamq. intulit cladem, omnibus in fugam uerſis, quadringentis captis: Ceteri a Rauennatibus pulſi, ad exercitum abiere Friderici, Vrbem Parmam tum circumſedentis: Nam quòd animo infracto, ac planè Pontificio, eum Innocentius Pont. Max. de Imperio deiecerit, adeò moleſtè ab eo acceptum eſt, ut renouatis omni Italia, Guelforum, Ghibellinorumq. factionibus, quæ centum abhinc annis, Chunrado ſecundo Cæſare; uti etiam Merula memoriæ prodit; originem habuerant, quibus poſſet artibus, tollere è medio Pontificem decreuerit. Confeſtim igitur Bernardum Rubeum; quòd eſſet cum Pontifice affinitate coniunctus, eiici Parma iubet, eiusq. ædes ſolo exæquari. Fridericum Cæſarem Bernardus ſacra, compatris quam aiunt, propinquitate attingebat, patebatq. illi ad eum omnibus horis aditus; ſed ubi tantis inter Innocentium Pont. Max. & Fridericum diſſidiis pugnari cœptum eſt, cuius Innocentii ſororem Magdalenam Bernardus habebat in matrimonio, eius ſe non amplius fidei omninò credebat: præſertim cum ſæuiiſſe in Petrum è uineis, ſibi a ſecretis, uirum ſapientiſſimum, atque in alios item familiares, & maximè caros uidiſſet: ad quod acceſſit, quod die quadam, cum ambo iter in equis eſſent ingreſſi, offendente

equo

equo Bernardi, malo illum equo uti, dixerit Fridericus, bonum ſe illi intrà paucos dies daturum: accepit Bernardus de ſummo ſupplicio: cum dicere etiam Fridericus conſueſſet, porcum ſe nullum vmquam aluiſſe, cuius non accepiſſet adipē: Itaq. ſibi timens, ſtatim ut primos ſenſit Friderici motus, con tulerat ſe ad Montelongum Legatum: Inde coactis ſociorum copiis, Henrico Teſta Aretino, Prætore Parmenſi, qui ſe illis obiecerat, obtruncato, Parma pro Pontifice recepta eſt. Quamobrem conuocatis Fridericus ex omni Italia militibus ſuis, qui ad ſexaginta millia hominum fuiſſe ſcribuntur, obſidere Parmam inſtituit, ad quam tuendam magna ſociorum ciuitatum auxilia conuenerant: ibi Fridericus vrbem ædificauit, nuncupauitque Victoriam. Cum autem multa fierent aſſidue tumultuaria prœlia, tum illud in primis celebre, ac penè iuſtum habitum eſt, cui interfuit Fridericus, duces fuere Parmenſium Bernardus, Rolandusq. Rubei fratres, qui aliquorum fœderatorum auxilio, proximo anno, Ianuario menſe, Friderici exercitum fuderunt, ipſeq. inclamans Cæſar milites, ſuos, turpe eſſe, dedecori mortem non anteponere, fugiens in vrbem Victoriam ſaluti ſuæ conſuluit, cumdeſideraſſet ex ſuis tum interfectis, tum captis ad octo millia. Sed paulo poſt Bernardus, Rolandusq. cum Parma denuo egreſſi, nouiſſimum Cæſarianorum equitum agmen carperent, ex inſidiis capti, paulo poſt necantur: Sub id ferè tempus, cum Octauianus Vbaldinus, Cardinalis, Legatus Pontificius, Bononienſibus ſecum copiis ductis, in Flaminiam uenit, ut eam Pontificiæ ditioni denuò adiungeret: Id autem tanta felicitate aſſequutus eſt, ut caſtris ad Forumliuii admotis, eam primo ciuitatem, mox Cæſenam, ac Rauennam receperit: nam & Thedericus Archiepiſcopus, id maximè curauerat, uiamque facilem tentandis, tractandisq. popularium animis, parauerat. Itaque ad Romanæ Eccleſiæ poteſtatem, Rauenna, Thederico Archiepiſcopo in vrbem, cum exulibus, redeunte, in quibus erant Polentani, pridie Non. Mai. reducitur. Pontifex ut omnem tolleret ſuſpicionem defectionis, Guillelmum, & Aycham Pauli Trauerſarii filiam, qui Rauennæ tum principem locum habebant, in Apuliam relegauit: Quamquam haud ita diu poſt, fuit Aycha ab exilio reſtituta. Interea ad Fauentiam obſidione cingendam a Rauennatibus, ceterisque vna cum Octauiano Legato, itum eſt, cuius aliquanto, quàm ceterarum, durior prouincia uidebatur, ſed tamen quinctodecimo poſt die, & ipſa recepta, menſe Iunio. Bulgari, Caſtrocarianiq. Comites, horum ſequuti ciuitatum exempla, Legati iuſſis paruerunt. Per hunc modum omnis rediit ad Pontificem Flaminia. Menſe Octobri Ferrariæ, Guillelmus è monte Cerro, Argentæ Vicecomes nomine Archiepiſcopi Rauennatis reddidit Azzoni, Marchioni Eſtenſi, Octauiani. S. Mariæ in uia lata Diaconi Cardinalis, Legati, litteras, datas ad D. Michaelis in nemore, diœceſis Bononienſis, Non. Auguſti, Marchioni, Senatui, & Reipubl. Ferrariæ inſcriptas, in quibus erat, datum fuiſſe illis opidum Argentam, non ut tuerentur illud ſolum, uerum ut vrbi Ferrariæ, ipſiusque territorio loco propugnaculi eſſet, aduerſus hoſtes, qui Rauennæ commorabantur. Itaque illis tunc Rauenna pulſis, cum nullus reliquus eſſet iam hinc metus, facileque ab Archiepiſcopo, & ſuis defendi, & præſidio firmari poſſet, monere ſe, ac iubere, illud opidum

ANN. M. CCXLVIII.

Nn Archiepiſcopo

Archiepiſcopo Rauennati reſtituerent. Cum autem adhuc obſideret Parmam Fridericus, habebant Rauennates, Octauiani Cardinalis iuſſu, Parmæ, duodecim milites, & ſingulis, libras pecuniæ Rauennatis triginta, quoque menſe, ſtipendium dabant: Quamquam haud ita diu poſt, Iacobus, atq. Vgulinus Rubei, Bernardi filii, Fauente Pontificio Legato, qui Placentiæ erat, Azoneq. Eſtenſi, ſubſidio accito, nocte, vrbem Victoriam aggrediuntur, capiunt, diripiuntq. Friderico ipſo, & Henrico, quē alii Hentium uocant, filio, Vbertino Palauicino, Ezzelino, & Alberto Onaris fratribus diſſipatis, atq. in fugam coniectis: Parmamq. redeuntes, coronam Auguſtalem, equos inſignes, Camelos, argentea, aureaq. uaſa, tabulam ex argento, quæ adhuc Parmæ, in æde maxima conſpicitur, compluraq. præterea præſtantiſſima ſpolia, per triumphum duxerunt. Hæc autem fuſius fortaſſe aliquantò, quàm Rauennatis hiſtoriæ ordo poſtularet, perſecutus ſum, quòd aliqui uiri alioqui doctiſſimi, & in veſtiganda antiquitate accuratiſſimi, de his aliter meminerint. Qui cum ueritatem diligentiſſimè ubique conſecuti uideantur, mihi ipſi uiderer, maioribusq. illis meis, & ceteris, qui uiuunt eorum poſteris, iniutiam facere minimè ferendam, ſi huius rei ueram narrationem, non modo ex priuatis noſtris, ſed etiam ex Parmenſiū publicis monumentis excerptam, hiſtoriam ſcribens, prætermiſiſſem. Fridericus deſperatis Galliæ Ciſalpinæ rebus, relicto Cremonæ Hetio filio, abiit in Apuliam. Per quod idem tempus, Vgulinus Rubeus, Iacobi frater, Flaminiæ, quā ea uetuſta monumēta bibliothecæ Vrſianæ, vnde hæc excerpſimus, Romaniolam uocant; Comes; id enim huius Rectoribus Prouinciæ nomen erat; creatur: Rauennamq. ſæpe ueniens, ibidemq. diu commorans, Thederico Archiepiſcopo, & reliquis ciuibus Rauennatibus, Polentanis præſertim, ad recuperanda plèraq. bona, quæ finitimi populi, poſt Friderici diſceſsū abſtulerant, & inſtauranda, quæ diruta fuerant, præſto fuit: diffidentesq. inter ſe ciuium animos, ali qua ex parte conciliauit, quod non fuit facile factu, ſi quidem per eos dies, fuit autē

ANN. M. CCXLIX. anno MCCXLIX. cum Octauiani Vbaldini, Cardinalis D. Mariæ in uia lata, Pontificii Legati iuſſu Philippus Vgonus Bononiæ Prætor, ceteriq. Bononienſes milites, ad circumſedendam Mutinam, qua cum de finibus ad S. Cæſareū decertabant, abeſſet, Comitum Bagnacauallenſium factio, in quibus erant Comes Rogerius Filiarardus, Comes Guido eius frater, Bagnacauallenſes & Rauennates Ciues, Anaſtaſius ex Anaſtaſiorū familia, Percellus Alidoſius Iudex, Thomas Ghetius, Vgonis filius, Vgo ſaxus, omnes Rauennates, plurimiq. eorū aſſeclæ, Guidonē Polentanum, eiusq. factionis ceteros Rauenna eiecerant, ac eorum domos, ac Prætoris diripuerant, Bartholomeo Vberto, Prætoris aſſeſſore capto. mox difractis ſacrarii ædis Vrſianæ foribus, ex area ſcribæ Archiepiſcopi, ſaccos accepere tres: quorum vnus, monetæ Venetæ, duo reliqui, Rauennatis, pleni erant, ſic ut ſingula efferre vnus omnino homo non poſſet. Interſuere huic facinori, Anaſtaſius, ipſius comitis Rogerii nepos, Guibellinus è ſancta Agatha, Præuaſtus Orſelli, & alii plerique. Quamquam autem paucos poſt dies, pacatis rebus, & capto Hentio, qui Mutinenſibus ſubſidio accurrerat, Cardinalis Legatus, cum Alberto Catianimici filio Bononienſi, Rauennæ Prætore; qui tum forte Rauenna aberat, cum Polentani ſunt pulſi, & Philippo Vgono, Conſulibusq. mercatorum, & menſariorum, ac Antianis populi, & Reipubl. Bononienſis legatis, Rauennam venerat, Catianimicum in

priſtinum magiſtratum reſtituturus, vrbemq. in fidem, poteſtatemq. ſuam, & Antianorum accepturus, tamen iuſſis non paruerant, neque urbe eos excepe-rant: Pontificiusq. Legatus eam ob rem illos, perinde ac Romanæ Eccleſiæ, Guillelmi Regis Romanorum, & Cõmunis Bononiæ hoſtes, ac perduelles, pro nunciato edicto, omni Aemilia priuauerat, & pecunia, qua damna Prætoris, & Bartholomei aſſeſſoris reſarcirentur, mulctauerat. Fuerat autem; quòd ad Vbertum Prætorem ſpectabat: libræ Rauennatis pecuniæ decies mille & octingentæ: quòd ad aſſeſſorem, quingentæ: quæ poſterioribus deinde annis, ſeptem pẽſionibus, a Peppo, Reipubl. Rauennatis procuratore, perſolutæ ſunt. Eodẽ hoc anno Bertonus Calcheria Anconæ Prætor, ipſiq. Anconitani, Senatu in domo filiorum Tarabocti habito, Marcum Florentiæ, & Pederectum Caſiatem Legatos crearunt, qui Rauennam uenientes cum huius vrbis Republ. & Archiepiſcopo agerent de cudendá tam Rauennæ, quàm Anconæ moneta, deq. pactis, concordia, & immunitatibus, quæ inter utriuſque Ciuitatis Commune intercedebant, probarentq. & ratum haberent, quidquid de modo, numero, & omni ratione cudendæ monetæ cum Rauennatibus tranſegiſſent: Quod oratores Rauennam profecti, fecerũt. Ferrariæ in Epiſcopio, menſe Octobri, Petrus Canis, Thomaſinus Fontana, Turchus Turchius, Vgutionus Coſtabilis, Guidinus Imoleſius, Reghittus Acariſius, Petrocinus Vicedominus, Peppus de Guidobertis, Menabos, Viuianus Arlottus, Gazolus Medices, Leonardus Bonus, Mainardinus Cõtrarius, Girardinus Guidonis Iſnardi, Galuanus Miſſottus, Mainardinus Mainardus, Veſcouellus Aldigerius, Ioannes Trotta, Gerardus Gucii, Bonacurſus Romanini, Buccafelle Caſſanus, & Bulgarinus Vgundualdo, promiſerunt Philippo Epiſcopo Ferrarienſi deſignato, ſe ita apud Rodulfum a pace, Azonis Eſtenſis Marchionis, Ferrariæ Prætoris Vicarium, acturos, ut Azonem ipſum promittere faciat, iurareq. intra triduum, poſtquam a Philippo fuerit poſtulatum, ſe promiſſis ſtaturum, quibus Philippus Archiepiſcopo Rauennati receperat de opido Argenta reſtituendo Archiepiſcopo, intra decem dies, poſtquam illud Archiepiſcopus petiiſſet: idq. faceret, poſt fœdus inter Rauennates, qui in vrbe Rauenna erant, quiq. extra eam cõmorabantur, ictum, aut ſi Rauennam recuperarent, qui extra eam erant: dũ tamen Rauenna Eccleſiæ Romanæ pareret: mulcta addita, ſi ſecus eſſet actum, decem milliũ marcharum argenti. Cum etiam Auximates Montem Vbaldum, & montem Cernum, opida, ad Archiepiſcopum, Rauennatemq. Eccleſiã ſpectantia, diruiſſent, egit Thedericus Archiepiſcopus apud Pontificem, ea ut ab Auximatibus reſtituerentur, qui fugati inde fuerant incolæ, reducerentur, ſemina ab illis corrupta, fructuum etiã ſubducta ratione, reſarcirentur. Conſueuerat autem Archiepiſcopus Rauennas, præter iuriſdictionem, ac fidei ſacramentum, ſeptimam ex illis opidis fructuum partẽ accipere, & libras Rauennatis monetæ, quotannis octuaginta: ad-hæc equitum, peditũq. ſubſidia, cum opus eſſet. Ceterum non multò poſt Thedericus cũ alia præterea multa inſtauraſſet, Foroliuii moritur, Nonis Decẽbr. Eius cadauer Rauennam delatum, ſepultum eſt in Vrſiano templo, iuxta maximas ualuas, in monumento Moyſis Archiepiſcopi. Vir religioſo, militariq. officio inſignis, qui cũ multa Rauẽnæ inſtituit, tum fratribus D. Franciſci inſtitutũ profeſſis ſacram ædem D. Mercurialis tribuit in vrbe Rauenna, iuxta uiam, muroſq. vrbis, & uicũ, quo itur ad gatulũ D. Georgii, ab D. Mariæ in hortis, & ho-

Nn 2 ſpitale

ſpitale ſpiritus ſancti domo haud procul. Illi Philippus ciuis & Epiſcopus Ferrarieſis deſignatus, ex nobili Fontanenſiũ familia, ſumma uir eloquentia, præſtantiq. doctrina, & excelſo, ac magnifico animo ſubrogatur: cuius Archiepiſcopatus initio, Rauennæ prodigium admirabile contigit. Venerat in hanc urbem D. Petrus Veroneſis, Dominicani ordinis ſacerdos, cui glorioſe parta martyrii corona, illuſtre deinde martyris cognomentum dedit. Ardens in homine pietatis ſtudiũ, illius cauſa aduentus fuerat, utq. concionẽ de rebus Diuinis haberet, & Rauennatem populum ad amandum Deũ magis inflammaret. Quoniam uerò illius ordinis uiris nullæ adhuc ædes hic erant, ad D. Ioannis diuertit, ibi a presbyteris, qui Deo miniſtrabant, benignè exceptus. Eum autem ſermonem ingreſſus, ut diceret, ſe aduenisſe, concionis ad populum de Deo habendæ cauſa, quapropter petere, ut illi, de more, ſacri æris Campani ſonitu, id ciuitati ſignificarent, illi, quòd hiems eſſet, & frigore inſueto, niuibusq. omnia algerent, intẽpeſtiuum id, inopportunumq. maximè affirmare, plurimumq. ut de ſententia, deduceretur, laborare. Contrà, vir ſanctus permanere in ſententia uerbum Dei non eſſe alligatum, utque morem ſibi gererent, rogare. Annuerunt tandem, & ſe poſtridie mane facturos, quod petebat, promiſerunt. Ceterũ qui ſanctis cœptis fauet præpotens Deus, humanã, vt ſæpe ſolet, prudẽtiam eluſit. Ingens funale accenſum in ſumma ſacra illius templi turri, intempeſta nocte, uiſum eſt, quodq. longè magis admirationem auxit, cum nix è cælo deſcenderet, non extinguebatur. Multi tanto prodigio permoti, ad ædem illam accurrunt, quis ibi, quave cauſa tantum funale accenderit, quærunt. Tantæ rei ignari presbyteri, primum id ſe neſcire, mox & ipſi magnopere mirari, ſtupere, cælitus demiſſum affirmare: & dum qui uenerant, quiq. aſſiduè, in horas, frequentiores accurrebant, Rauennates, mirari ſatis nequeũt, & inter ſe, quænam eſſet tanti prodigii cauſa, quid portenderet, ſciſcitantur, & aliã alii cauſam, ſignificationemq. fruſtra afferunt, presbyteri nullam aiunt aliam ſcire ſe, niſi ſi eo forte ſigno Deus uoluerit uti, ad teſtificandam uiri cuiuſdam ex Dominicana familia ſanctitatem, quem ipſi, ueſperi, hoſpitio accepiſſent, & quantum conĳcere ex ſermone, aſpectuq. poterant, ſanctum admodum uirum putabant: uelle illum poſtridie mane concionem habere. Magna illico uidendi uiri ſancti, alloquendiq. cupido Rauennates inceſſit, ſed presbyteri, hominem de uia feſſum, & mane in explicando uerbo Dei laboraturum, ea hora è ſomno, quieteq. corporis abduci noluerunt. Itaque ubi illuxit, ſignumq. ſacro Campano ære eſt datum habendæ concionis, Rauennates, cum iam tota ciuitate prodigium eſſet inuulgatum, frequentiſſimi conuenire, hominis ſanctitatem uenerari: qua in ſententia longè magis perſeuerarunt, ubi eum è ſuperiore loco de cæleſtibus rebus loquentem audierunt. Erat in D. Petri oratione neſcio quid mirabiliter incitans animos, & illuminata cælitus ſapientia, ſic ut omni Italia, incredibilis eius concionum extaret fructus: In flagitiis pertinaces reſipiſcebant, diſcordiæ componebantur, reſtituebantur uſuræ, admirabiliſque Chriſtianarum uirtutum amor excitabatur. In hæreticos acerrimus, è quibus multis, & fateri errorem, & hæreſim abiurare, ac planè deteſtari, auctor fuit: Ceteri omnes ut hoſtem, illum magnoperè formidabant. His aliiſque uirtutibus clariſſimum hominem Rauennates magno ſtudio complexi, ſumma ueneratione coluerunt, & omnibus Chriſtiani ani-

mi officiis proſequuti ſunt, & honor illi ingens ab omni ciuitate habitus. Per idem tempus, cum Innocentius Pont.Max. rogatu Guillelmi è Monte longo, Tripolitani clerici, & Pontificii Legati, & nobilium uirorum Stephani. Regis Pannoniæ filii, Marchionis Eſtenſis, Comitis Veronenſis, mandaſſet Præfecto, Conuentuiq. D.Margaritæ, ordinis Auguſtiniani, Rauennatis Diœceſis, ad cœnobium D.Mariæ in portu Rauennati ſpectantibus, ut penſionem, quam Iacobo Bernardo, uiro, ut Pontifex ſcribit, nobili, quotannis ipſius iuſſu Legati ſoluebant, Trauerſo filio, & Iacobo nepoti Vgutionis Maltrauerſi è Canturio; quem item Pontifex, uirum appellat nobilem; litterarum ſtudio operam nauantibus, ſoluerent, Conuentusq. D. Mariæ è Caritate; qui etiam iuris erat cœnobii Portuenſis Rauennatis, procurator, diceret, ei cœnobio, omnia ea D.Margaritæ uectigalia, eſſe iam diu addicta, Pontifex litteris ſuis ad Gregoriũ XVI. kal. April. Pontificatus anno ſeptimo, Lugduni ſcriptis, iubet, curare, ne qua alia penſione, uti commodius uidebitur, fraudarentur, eorum iuuenum ad uirtutem conatus. Extant aliæ Pontificis litteræ ad Philippum Archiepiſcopum deſignatum, & ſubiunctos illi Epiſcopos, datæ Lugduni. V. Id.April. anno ſeptimo Pontificatus, quibus imperat, ut ſententiæ execrationis in Ezzelinum è Romano, formulam, ab ſe die Iouis ſancto, promulgatam, diuulgandam curarent: Scribit autem Pontifex, cum in Ezzelinum iuſſiſſet inquiri, meritoq. illum habendum de hæreſi ſuſpectum comperiſſet, Ezzelinum, ad Pontificium ſolium, iis acceptis, internuncios miſiſſe: ii uerò, cum ſe ad iurandum paratos apud Epiſcopum Sabinenſem; quem cauſæ cognoſcendæ Pontifex præfecerat; oſtendiſſent, cum Romana Eccleſia, Ezzelinum de Deo, ac catholica fide rectè ſentire, ea nequaquam eſt admiſſa purgatio: neque enim de tanto crimine per internuncios, ſed coram eſſe purgandum. Itaque certam Pontifex diem ſtatuit, ad quam Ezzelinus, præſtitis ſibi a Pontifice incolumitatis litteris, iudicio adeſſet: Verum quia nec ipſe, nec internuncius eius aliquis, eò iuerat, dedit ei laxiorem adhuc diem, ſi uenire ad cauſam dicendam uellet, ad quam niſi citatus reſpondiſſet, abſens damnaretur. Sed cum id quoque neglexiſſet, alterumq. iam annum anathema ſuſtinuiſſet, eum renunciauit Pontifex piorum communione amotum, niſi ad Kal. Auguſti proximas, ad cauſam apud Pontificem dicendam, iuſſisq. Pontificiis obtemperandum acceſſiſſet. addidit etiam Pontifex, mandauitq. Philippo, ut eos, qui Friderici partes adhuc ſequebantur, niteretur ad Pontificias adiungere; diſſidentesq. ob factiones, inter ſe populos, conciliare: Quod cum diligenter Philippus faceret, Fridericus migrauit è uita, menſe Decembri, in opido Apuliæ Ferentino. Poſterò anno, Decimo kal.Febr. in porticu cœnobii D. Hilari Galliatenſis, Prior, præfectus, & monachi procuratorem fecerunt, Palmerium monachum, qui electum a Conuentu eorum, Abbatem, Rainerium, Vgonis, Carpigni Comitis filium, confirmari a Philippo Archiepiſcopo peteret, cum ad eam diem Rainerius, cœnobio D. Gaudentii Ariminenſi, Abbas, præfuiſſet. Quarto Id. Mart. Senatus in æde D.Petri ad vincula habitus eſt, in quo poſtquam placere amicis Flaminiis acceperant, Archiepiſcopum Rauennatem Ferrariam nequaquam accedere, Marchionis, & Ferrarienſium ſubſidia poſtulatum; decretum eſt, ne proficiſceretur: Ceterum poſtquam illis placeret, vniuerſo item placere Senatui, ut per eundem Archiepiſcopum a Bo-

ANN. M.CCL.

ANN. M.CCLI.

nonienſi Republ. auxilia paterent, dum tamen placeret id amicis Fauentinis, Bononienſibusque. Interea Pontifex in Italiam è Gallia reuerſus, menſe Octobri in Flaminia fuit, cum illi comites adeſſent Cardinales ſex, Guillelmus eius nepos, Ioannes Caietanus, Ricardus, Epiſcopus Albanus, Ioannes Columna, Petrus e Buro: ſex item notarii. Archiepiſcopi præterea Rauennas, Pariſinus, Senonenſis: Epiſcopi Corinthius, Mantuanus, Fauentinus, Deſignatus Foropompilianus. Comes Allobrox, qui olim fuit Comes Belgicus, Comes SanBonifacius, Comes Rogerius, Thomas Folianus, Pontificis nepos, qui Ceruiam profectus, arcem ingreſſus eſt. Philippo Archiepiſcopo, Piſauri cum eſſet, in ædibus Guidonis Gerardi è Farneto, Guido Suprapanis, & Thebaldus, fideles ſe futuros iurarunt Tert. Non. Nouembr. pro Feudo, quod illis erat in caſtro Biſurca, & aliis in vrbe Arimino. Quoniam uerò multos in Flaminia, Fridericus Cæſar, de uia ueritatis deduxerat, iiq. plurimis damnis affecerant, afficiebantq. Eccleſiæ ſtudioſos, Pontifex per litteras Peruſii ſcriptas Non. Decembr. Pontificatus anno nono, Philippum Archiepiſcopum Rauennatem deſignatum miſit, qui conciliaret animos inter ſe, & furori materiam ſubtraheret: quòd ſi pertinaces, in ſententia permanerent, mandauit, ut aduerſus eos, Prætoribus & Rebuſpublicis Fauentiæ, Cæſenæ, atque Arimini, partiſq. extorris Rauennatis, eorumq. amicis Flaminiis, Eccleſiæ ſtudioſis, eſſet auxilio, ad recuperanda, conſeruandaq. iura, & loca ipſorum: hacq. de cauſa liceret illi, ab huius Prouinciæ Eccleſiis, ſtipendia, procurationes appellat, moderata recipere: in eandē ſententiam ſcriptis ad Ducem & Rempub. Venetam litteris, hortatus illos eſt, ut Philippo adeſſent, & auxilium poſcenti, præſtarent, neque permitterent per eorum ditionem, annonam, aut merces ad hoſtes Eccleſiæ deuehi, neu illorum conſuetudine uterentur, aut merces ipſi, annonamve ferrent. Idem Antiſtitibus, ceteriſq. ſacratis uiris, qui Bononiæ, quiq. in Flaminia erant, mandauit. Poſtridie verò eius diei, has alteras dedit litteras. *Innocentius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Dilecto filio ... Electo Rauennaten. ſalutem. & Apoſtolicam benedictionem. Solicitudinis noſtræ dignoſcitur intereſſe, ut diſſenſiones & ſcandala, quæ inimicus humani generis, obſtetricante manu quondā F. dudum Imperatoris per orbem pleno ſinu, peccatis humanæ generationis exigentibus, effudiſſe dignoſcitur, ſic de populorum medio reducendo ad concordiam quoslibet, radicitus, ne forſan reliquiæ pullulent, cooperante propitiatione Domini, euellamus, ut uniuerſi, & ſinguli, ſub optata pace uiuere ualeant, ac uti late requie opulenta. Cum igitur prædictus. F. multos de partibus Romaniæ, a uia retraxerit ueritatis, iidemq. per hoc, illis, qui conſtanter in Eccleſiæ deuotione, tamquam benedictionis filij, remanſiſſe noſcūtur, intulerint hactenus, & inferre non ceſſent damna plurima, & iacturas, Nos uolentes indemnitati deuotorum ipſorum occurrere, ac ceterorum, prout ad officium noſtrum pertinet, prouidere ſaluti, te, de cuius probitate, ac induſtria indubitatam fiduciam gerimus, tamquam pacis Angelum, ad ſopiendam omnimodam, in partibus ipſis materiam ſcandali, & ad formandam inter utroſque concordiam, de fratrum noſtrorum conſilio, deputamus. Quocirca diſcretionem tuam rogamus, monemus, & hortamur, attente, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus venerabilem fratrem noſtrum ... Epiſcopum Feretranum, & dilectos filios, nobiles uiros M. & C. fratres eius, nec non Communia & Vniuerſitates Vrbini, & Montisferetri, Homodeos Bannitos Ariminen. Caſenat. Fauentin. Briſenorien. exteriores, & Ra-*

uennat.

uennat. interiores, ac homines Caſtricarÿ de Romaniola, qui dicuntur quondam F. dudum Imperatorem, & C. nati eius, manifeſti fautores, ut ad mandatum Eccleſiæ redeant, ex parte noſtra moneas attentius, & inducas. Quòd ſi monitis tuis acquieſcere fortè contempſerint, eos excommunicationis mucrone perculſos, facias tamdiu excommunicatos publicè per loca, in quibus expedire uideris, pulſatis campanis, & candelis accenſis, ſingulis diebus feſtiuis, & Dominicis nunciari, donec ipſi ad Eccleſiæ mandatum redierint, & de damnis & iniurÿs irrogatis deuotis Eccleſiæ ſatisfactionem plenariam duxerint impendendam. Interim uerò ad ipſorum proteruiam edomandam, omnes de partibus illis, tam clericos, quàm laicos, ut cum eis nullo modo communicent, nec familias eorum recipiant, ſed ipſos de terris eÿciant eorumdem, eisq. nullum præſtent auxilium, ſeu fauorem, qua conuenit diſtrictione, appellatione remota, compeſcas, prout uideris expedire. Non obſtantibus aliquibus priuilegÿs, indulgentÿs, ſeu litteris ab Apoſtolica ſede conceſsis, & obtinendis, & quibuſlibet alÿs, per quæ prædicta impediri, uel differri ualeant, & de quibus ſpecialem oporteat in præſentibus fieri mentionem: & conſtitutione de duabus dietis, edita in Concilio generali. Dat. Peruſii. IIII. Id. Decembr. Pontificatus noſtri anno nono. Hæc autem diligenter curabat Innocentius, propterea quod in Italiam hoc anno Corradus Friderici filius, poſtquam illi renunciatum fuit de obitu patris, uenerat, & quæ a patre defecerant ferè omnia recuperauerat. Philippus, ut mandata Pontificis exhauriret, Tertio decimo kal. Ianuarii, prope caſtrum, S. Petri ad Vincula, in templo cœnobii, coram Alberto Præpoſito, aliisq. ſacratis uiris, Guidone item Comite Carpignæ, ipſius Prætore caſtri, Rainerio è paucaterra, Ioanne Fantino iudice, Guidone Michaele, & aliis, coacto, ibidem, de more, Senatu, in quo uiri nobiles, popularesq. & ſacrati frequentes aderant, cum non pateret illi totus Rauennam acceſſus, tam ſacris initiatos, quam populares monuit, qui Rauennæ erant, ut intra quindecim dies, Pontificis & Eccleſiæ imperata, demiſſi, addictique; facerent: alioqui in eos iuxta formulam ſibi traditam, animaduerteretur. Haud ita diu poſt, ſcrip- ANNO
ſit ad eum iterum Innocentius, Peruſio VIII. kal. Febr. ut quemadmodum, M.CCLII.
redire ad Eccleſiam qui nollent, execrationis in eos ſententia erat promulganda, ita redeuntes, iuſſisq. Pontificiis obtemperantes, iuſto iniuncto piaculo, de more Eccleſiæ, abſolueret. Hinc Idibus Februarii in Senatu Ariminenſi, Acariſius Acariſius, eius ciuitatis Prætor, omnium Senatorũ conſenſu, Thadei præſertim Comitis Feretrani, & Vrbini, Ioannis Pultroni, Attonis Rauignani, Alberti & Signorelli Rubeorum, Vuntiani Ruboli, Ducis Toloſendi, Bonromei Burgetti, Bartholini Racchi, Iacobi Ioannis Ducis, Vgulini Tizoni, & aliorum, procuratorem fecit Cataldum, qui Senatus, ac Prætoris nomine, ea confirmaret, quæ iam Philippo Rauennati Archiepiſcopo deſignato compromiſſa fuerant, de Epiſcopo Feretrano, illiusq. ſacratorum uirorum conuentu, & Montefeltrano, & Caualcaconte, fratribus, Homodeis Ariminenſibus, Vrbinatibus, qui tum Vrbini commorabantur, ceterisq. illius ſtudioſis, atq. affinibus: ſic ut de pace, reliquisq. omnibus integrum, ad Philippum, iudicium reiiceretur. Idem fecerunt Feretrani, & D. Marini incolæ, cum & Peruſii Vgo Feretranus Epiſcopus, qui & Vgulinus dicitur, id recepiſſet, & eorum locorum municipes, per procuratores ſuos, eodem hoc anno menſe Martio, ratum habuiſſent. præſertim Benedictus pater Caſtellani, Ho-

mode-

modeorum, & opidorum Eccleſiæ Feretranæ Prætor. In Homodeis autem erant, Vgolinus Parcitatus, Parcitatus, Leo Buccaferreus, Bentiuegna, Garatonus, Toloſendus, & plures alii. Aduenere paulo poſt ab Innocentio Pontifice ad Philippum litteræ, kal. Iunii, Peruſiò datæ, quibus ſignificabat, ſe accepiſſe, in Flaminia leges quaſdam eſſe latas, quæ animorum ſaluti, & libertati Eccleſiaſticæ plurimum aduerſarentur, itaque Philippo mandat, ſi tales eſſe leges re ipſa comperiret, eas ut omnino abrogaret, & in eos ſeuerè animaduerteret, qui repugnarent. Quod curauit diligentiſſime Philippus: mox Archiepiſcopatus ſui ditionem inuiſens, cum eſſet Argentæ, kal. Octobr. leges caſtri Caualli incolis impoſuit, quibus potiſſimum iubebatur, ut auxilio eſſent Archiepiſcopi Rauennatis internunciis, qui in præſidio turris eius caſtri Caualli, collocati, illud tuebantur: ſimulq. armati in eos, una cum Archiepiſcopi internuncio, irent, qui oppugnare caſtrum, aut turrim, auderent. Duobus autem ante id temporis menſibus, VI. Id. Sextil. Bononiæ in Senatu, coacto iuſſu Accurſii Iuriſconſulti, aſſeſſoris Alamanni Turriani, Bononiæ Prætoris, in ueteri Bononienſis Reipubl. Prætorio, cum plures promulgatæ leges fuiſſent, de ſacramento Prætoris, eorumq. qui eas conderent leges, corrigerent, ſcriberent: deq. iis, qui eſſent exilio iam mulctati, aut in poſterum mulctarentur, tandem ad Senatum retulit: Acariſius de Rauennatibus, eorumque Republ. exilio, & proſcriptione, quibus affecti fuerant, Alberti Catianimici, & Bartholomei Vberti opera, liberandis, legeq. quæ de huiuſmodi exilio, ac proſcriptione in libros legum municipalium relata fuerat, antiquanda: Quæ omnia, magna Senatus approbatione decreta ſunt, ſtatutumq. eos liberari, & legem tolli. Exitu anni, Pontificis Innocentii litteræ, Tert. Non. Decembr. Peruſii, anno decimo Pontificatus ſcriptæ ad Philippum, allatæ ſunt, quibus Philippum cognoſcere iubebat, an Portuenſes Canonici, penſione, Malſ

ANN. M. trauerſis, quam diximus, ſoluta, uictu, ueſtituq. neceſſario carerent. Pro-

CCLIII. ximo anno, Philippus, conuentum Epiſcoporum aliquot ſibi ſubiunctorum Rauennæ habuit, cum ad ſupplicationem die feſto D. Vitalis indictam conueniſſent: ex cuius actis hæc adduximus, ad horum temporum mores cognoſcendos, facientia. *In Chriſti nomine: anno a natiuitate eiuſdem MCCLIII. tempore Innocentij Papæ IIII. die Lunæ, tertia exeunte menſe Aprili. XI. Indict. Rauennæ, in choro Eccleſiæ Archiepiſcopatus; præſentibus teſtibus ad hoc ſpecialiter adhibitis & rogatis Dominis, presbytero Bono: presbytero Bernardo, Iacobo de Petrella, & Peppo de Caſteluitro, Cardinalibus Eccleſiæ Rauennatis; & DD. Alberico Præpoſito, presbytero Arnulpho, presbytero Ambroſio, Floro, Ioanne, de Moriſano, Aimerico, & Giezo Cantoribus S. Eccleſiæ Rauennæ, & me Benuenuto Caſarelli notario infraſcripto. Nos frater Iacobus Epiſcopus Bononienſis. Fr. Gualterius Epiſcopus Fauentinus, Thomas Epiſcopus Imolenſis, Bone Epiſcopus Comaclenſis, Albertus Epiſcopus Mutinenſis, Richelmus Epiſcopus Liuienſis, & Ioannes electus Foropompilienſis, in præſentia uenerabilis Patris D. Philippi, Dei gratia. S. Eccleſiæ Rauen. electi, in die beati Vitalis martyris, in Archiepiſcopali Eccleſia congregati, uolentes communi concordia & uoluntate, tam indemnitati Eccleſiarum Prouinciæ Archiepiſcopatus Rauennæ ſalubriter conſulere, quàm reprimere malitias, & præſumptiones damnabiles peruerſorum hominum, inuadentium, ſiue occupantium temeritate propria, poſſeſſiones, homines, & iura Eccleſiæ, & Archiepiſcopatus, ſeu Archiepiſcopi Rauen. & Epi-*

ſcopatuum,

ſcopatuum, & Epiſcoporum, & aliarum Eccleſiarum, ac monaſteriorum, uenerabiliũquè locorum omnium, Prouinciæ ſupraſcriptæ: cum dignum ſit, ut quos Diuinus timor a malo non reuocat, ſaltem coerceat ſeueritas diſciplinæ, ut ipſorum malitia refrenata, Eccleſiæ gaudeant debita libertate, uolumus, & uoluntate propria conſentimus, quod dictus Dominus electus Rauennas contra raptores, & inuaſores, ac illicitos, notorios detentores bonorum, & iurium Archiepiſcopatus prædicti, ac Epiſcopatuum, & Epiſcoporum, & aliarum Eccleſiarum, ac monaſteriorum uenerabiliumq. locorum omnium Prouinciæ nominatæ, qui ſunt in noſtris ciuitatibus, & Diœceſibus conſtituti, cenſuram Eccleſiaſticam poſsit, & debeat exercere: ſententiam quam ipſe Dominus electus Rauennas contra prædictos duxerit proferendam, ratam & firmam habendo ad mandatum dicti Domini electi Rauennatis, denunciare, ac exequi promittentes, & ad hoc ut nos poſsit compellere, dantes ei plenam & liberam poteſtatem. Quibus omnibus ego prænominatus Benuenutus Caſarelli, S. Rauen. Eccleſiæ notarius interfui, & ut ſupra legitur, iuſſu prædictorum Dominorum Epiſcoporum, atq. Foropopilienſis Electi, & mandato præfati Domini Electi Rauennatis ſubſcripſi, & publicaui.

Viuebat per id temptis Rauennæ, Stephanus, Andrea Pannoniæ Rege, & Beatrice Eſtenſi Principe, in opido Ateſte natus, ſeq. perinde quaſi Rauennatem ciuem gerebat, ducta uxore, ciue Rauennate, Pauli Trauerſarii nepte; ab eoq. die uocari cœptus eſt, Stephanus dominus domus Trauerſariorum. Ceterum cum hæc illi uxor filium peperiſſet, pauloq. poſt ipſa exceſſiſſet è uita, breuiq. matrem filius eſſet inſequutus, Stephanus profectus Venetias, Thomaſina Maurocena, nobili Veneta, uxore accepta, Andream genuit, qui deinde Pannoniæ fuit Rex. Fœdus a Bononienſibus hoc anno, tertio Id. Iunij, cum Philippo Rauennati Archiepiſcopo in has leges ictum eſt, Petro Grillo Prætutam Bononienſem gerente: Ciues Bononienſes, quiq. ex eius vrbis agro ſunt, non alio loco erunt, quàm ciues Rauennates, & Argentani, quòd pertinet ad ſoluenda portoria. Bononienſes pacem Rauennæ conſeruabunt, & iura, quæ illi habent Ceruiæ, tuebuntur, & ab iis, qui uſurparunt citra diẽ III. kal. Octobris, recuperabunt, pro arbitrio Philippi Archiepiſcopi, & Alemanni Prætoris; & ad hæc Rauennã, Argentamq. earumq. agros in eo ſtatu ſeruabunt, in quo ante XXV. annos fuerunt, eo modo, quo, tempore Salinguerræ, Eccleſia tenuit. iidem dimidium uectigalis ſalarii, portuum, catenarumque Rauennæ, ac Ceruiæ, iure Eccleſiæ integro, colligent. Vtrique autem mutuo ſe, cum erit opus, auxilio ſubleuabunt. Hæc a Prætore, Antianis, & conſulibus ſacramento confirmabuntur, atq. in legum municipalium libros referentur. Idem hoc fœdus cum Republ. Rauennati Bononienſes inierunt VI. Id. Sextil. ut tabulis Alberti Zamboni conſtat. Bagnacauellenſes quoque cum Fauentinis conuenere, iis condicionibus, ut bagnacauallenſes Fauentini defenderent: contra, Fauentinis Bagnacauallenſes equitemq. ac peditem, cum opus eſſet darent, a Fauentinis Prætores acciperent, iidem amicis, atq. inimicis uterentur, quibus Fauentini: certisq. operibus eos iuuarent, Quæ omnia Vgulinus è Zerfugnano Prætor Fauentinus, eius nomine Reipublicæ, in domo, quæ Thomæ Lombardi fuerat, & in qua conſueuerat Fauentinus Senatus haberi, ipſeq. Senatus polliciti ſunt Iacobo Bagnacauallenſium procuratori, agenti Vniuerſitatis Bagnacauallenſis nomine, & Azonis, Friderici, Guidonis, filiorum Vbertini Caualcacõte, eiusq. fratrum, & Altæclaræ, ac Ri-

chili-

chilitiæ filiarum Henrici Teſtæ. Aduenere paulo poſt Innocentii Pontificis litteræ, Nonis Auguſti, Aſſiſii datæ, anno Pontificatus X I. ad Philippum Archiepiſcopum deſignatum, atq. etiam ad Epiſcopum Saſſinatem, quibus iubebat curare eos, ne quis Canonicos Portuenſes moleſtia afficeret, neu fructus prædiorum, quæ habebant in Flaminia, abſtraheret, aut uexaret. Per hos dies Philippus Archiepiſcopus deſignatus, in Senatu Rauennati, cum adeſſet Traſimundus Prætor Ariminenſis, Toloſendas, Gambaferrus, Leo Buccaferrus, Marinus Vitaldus, & Rainerius, eiuſdem ciuitatis Legati, fecit, ut Rogerius Bagnacaualli Comes, & eius partis, quæ Rauennæ erat, Præfectus, ſuo, eiuſq. partis nomine Orlandutium Caualcantem, qui & præſens aderat, Procuratorem ſuum, internunciumq. creauerit, de condonandiſq. iniuriis ac damnis, paceq. facienda cum Præfectis, atq. internunciis factionis Trauerſariorum. Venerant autem Rauennam ii Ariminenſes Legati, propterea quod eos Ioannes Andreæ, & Tranſimundus Prætores Ariminenſes, uniuerſuſq. Senatus ad Philippum Archiepiſcopum miſerant, ut una ſecum, & cum Prætore, vniuerſitateq. Forliuii de pace cum Rauennatibus, qui Rauennæ eſſent, quiq. exularent, agerent, conficerentq. Ita prudenter conciliare inter ſe Rauennates, & cum finitimis, Philippus ſtudebat: cuius etiam induſtria, ne qua factio maiores haberet uires, factum eſt, ut Marchoaldus, procurator ad id muneris a Senatu deſignatus, ipſius Rauennatis Senatus nomine, Idibus Decembr. ipſi dono dederit caſtrum ædificatum; ædificandumq. ad portam S. Mamæ, propugnacula, ac munitiones excitatas, excitandaſq. a turri, in muro vrbis, foſſæ caſtri imminente, portam Gazam uerſus, erecta, uſq. ad portam Vrſicinam, cum ea porta, omnibuſq. turribus, ac munitionibus, quæ tum extarent, quæq. in poſterum fierent, in vrbis muro, & ſupra foſſam caſtri. Neque uerò hæc poſſet, aut cauſa ingratitudinis, aut alia de cauſa, donatio reuocari, quæ facta eſſet, ut pax ſeruaretur, & ciuitas benè, beateq. degeret, & pro eo cultu, quo Eccleſiam Rauennatem, ipſumq. deſignatum Archiepiſcopum Philippum; a quo multis erat ciuitas beneficiis affecta, pace potiſſimum inter ciues concilianda; proſequebantur: Mox V. kal. Ianuar. in Senatu, Rogerius Comes Bagnacaualli, Rauennæ Prætor, ſuum, Senatus, & Reipubl. procuratorem Lazarum fecit, qui a Philippo, eximi pœna Eccleſiaſticæ deteſtationis, & interdicto liberari, peteret, ipſique Apoſtolicæ ſedis Legato, Eccleſiæ nomine recipienti, ſolemne obſequii præſtaret. Hæc autem cum diligenter a Philippo

ANN. M. CCLIIII. curarentur, Innocentius uitam cum morte commutauit, poſtero anno, in vrbe Neapoli, quam ſumma felicitate receperat: Pontifex magnitudine animi, ac uirtute præſtantiſſimus. Illi in Pontificatum ſuccedit Alexander Quartus, an-

ANN. M. CCLV. no quinquageſimo Quincto ſupra milleſimum ducenteſimum, ineunte, ipſo die Natali Chriſti feſto coronatus. Ampliſſimo hic diplomate, iiſdem penè verbis, quibus Honorius Pontifex Symeoni Archiepiſcopo olim fecerat, omnia Archiepiſcopatus bona Philippo confirmauit, *Dat. Laterani, manu Guillelmi, magiſtri Scholarium, Parmen. Pro Cancellario S. Ro. Eccl. IIII. Non. Decembr. anno Pontificatus primo.* Eodem hoc anno, Aycha, Pauli Trauerſarii filia, cum ægrotaret, Lucæ, in ſuburbio portæ D. Petri, in D. Concordii uico, Tert. Id. Quinctil inclinante ad ueſperum die, teſtamentum fecit: in quo Montem Veclum, & caſtellum nouum Gullielmo Franciſio, domino domus Trauerſariorum, marito,

&

& Petro, filio, quem ex ipſo Gulielmo genuerat, reliquit: cum Roberto, & Rizardo, Gulielmi, ex aliis vxoribus, filiis, certam pecuniæ ſummam legaſſet. Iuſſit autem, in eadem vrbe Luca, ad D. Columbani, quod erat fratrum Eremitanorum, ſepeliri. Philippus pacificationi Prouinciæ intentus, inter Foroliuianos & Rauennates; Marſilio Vitali, Foroliuianorum, Alidoſio iuriſconſulto, Rauennatium procuratoribus ad ſe miſſis; pacem fecit, in eoq. cauſam omnem concluſit, ut ad IX. kal. April. anno MCCLVI. quo anno Thomas Folianus fuit Rauennæ Prætor; in Senatu Foroliuiano, plurimi cum Foroliuiani, tum Rauennates ciues, ſacramento eam iuſto approbarent. Inde ad Archiepiſcopatus ſui ditionem conuerſus, anno MCCLVII. apud Pontificem egit, uti Britonorienſibus, ab Archiepiſcopi Rauennatis iuriſdictione, ac poteſtate; cui ſubiecti erant, ſeſe abducentibus, dirarum telum minitaretur: Quod cum Pontifex effeciſſet, cauſamq. litteris datis Anagniæ V. Id. Octobr. Pontificatus anno primo Abbati cœnobii D. Rophilli, Foropompiliani, Iacobo Præpoſito Fauétino, & Abbati cœnobii D. Felicis Bononienſis, mandaſſet, eas ii Iudices, litteras miſerunt ad Thomam Folianum, Prætorem Britonorianum, illiq. fuerunt hoc anno VI. kal. Aug. in opido Britonorio, redditæ, in cauædio domus Vgolini Mainardi. Quo eodem anno Alexander Pōtifex, per litteras Laterani XIII. kal. April. anno Pontificatus tertio ſcriptas, Franciſcanis fratribus Rauennæ degentibus, id petentibus, dedit, ut ex uſuris, rapinis, aliiſq. malè partis; dum ii non reperirentur, quibus eſſent reſtituēda; ex redemptionibuſq. uotorum, auctoritate Diœceſanorum prius factis; Hieroſolymitano excepto; uſq. ad ducentas libras Auguſtales, accipere fas illis eſſet. Quòd ſi ex ipſis ducentis libris, illis quidquam aut reſtituerent, aut dimitterent, a quibus accepiſſent, nihil id illis prodeſſet, ut poſſent abſolui. Bononienſes fœdus hoc anno, menſe Maio, cum Rauennatibus & Bagnacauallenſibus inſtaurarunt, miſſis a Rauennatibus ad Bonacurſum è Suriſina, Bononiæ Prætorem, Alidoſio iuriſconſulto, ex Rauennati Alidoſiorum familia, & Deomelſaluo Ghetio, Legatis, qui apud Senatum Bononienſem, &; ut ipſis dicitur tabulis publicis; maſſam populi, Rauennatum nomine omnia primo tractarent, mox Mattheo Caucho procuratore ad id fœdus feriendum, & ad pacta, quæ tractata fuerant, confirmanda. Qui eos miſerunt, Conſules fuere, ac Rectores; ita enim appellabantur; Reipubl. Rauennatis: & ii tum illum magiſtratum gerebant. Petrus Corbus, Guido Paganellus, Vſpinellus Ioannis Vſpinelli, & Antolinus: Quamquam id fuerat factum communi omnium, extra quindecim, Senatorum ſententia, qui in Senatum hac de re Nonis Iunii conuenerant. Sed neque tamen fœdus tum omninò conuenit: Itaque Idibus Octobris, Bucolus miſſus eſt, qui rem confecit, iuſſu Senzanome Pipini, Rauennæ Prætoris, & Senatorum Rauennatum, in quibus Guido Polentanus maior, Drudo Signorellus, Thomas Ghetius, Alidoſius iuriſconſultus potiſſimum numerati ſunt. Hinc maius Philippo Archiepiſcopo deſignato ocium eſt datum, ut Eccleſiæ ſuæ, ciuitatiſq. negocia diligentius tractaret. Itaque D. Mariæ de Donanis templum, quod erat Rauennæ, prope D. Petri maioris, conceſſit Epiſcopo Cymaclienſi: inde ad ſuorum ciuium ſalutem conuerſus, Anaſtaſios, Honeſtos, qui item Duces appellabantur; Saxos, Bichos, Pochepennos, Genarios, Frixios, Ghetios, Geruaſios, Polentanoſq.

ANN. M. CCLVI.

ANN. M. CCLVII.

tanosq. præſertim & Trauerſarios, inter ſe ſimultates exercentes, accedente Petri Præfecti Portuenſis, Tranſimundi item, & Legatorum Ariminenſium, de quibus iam diximus ſtudio, conciliauit, in patriamq. exules reſtituendos curauit. Ex Trauerſariis tunc Rauennæ uigebant; ſi Ferretto credimus; Vgo, & Aldebrandinus, Guidonis filii: Bernardus, Theodorus, & Thomas; qui Taurisnus fuiſſe Epiſcopus dicitur; Anaſtaſio geniti: tuncq. primum eorum uires maximè inclinare cœperunt, Pontificisq. Legatis, qui Bononiæ agebant, vrbs ipſa parere, & ab ipſis Prætores, & ius dicentes, quemadmodum & ipſa Prouincia, Comites, accipere: hocq. maxime tempore eas leges municipales noſtri Rauennates, & iuris eius temporis conſulti tulere, quibus nunc maxima ex parte vtimur. Interea cum Ezzelinus Onara, cognomento Romanus, tota fere Venetia occupata, Mantuam obſideret, Alexander Pontifex, Philippum Rauennatem Archiepiſcopum, Legatum ſuum factum, Venetias confeſtim miſit. Is prædicata Chriſti cruce, comparatoq. exercitu, Veroneſibus præſertim, ac Ferrarienſibus, rem iuuantibus, diuinitus potius, quàm humano auxilio, Anſelmum, quem uocant alii Anſediſium; Ezzelini ex ſorore nepotem, Patauio expulit, Tiſo Campoſampetro, Vgutione, Marſilio, Vbertinoq. Carrariis, aliisq. Patauinis, & omni tandem exercitu, vrbem ingredientibus. Quo nuncio Ezzelinus accepto; qui obſidione Mantuana relicta, Veronam remigrabat. Patauinos, obſidum loco apud ſe habitos, qui ad duo millia fuiſſe dicuntur, obtruncari ſtatim iuſſit. Quamquam verò circumſedere Patauium inſtituit, cum illam vrbem, contra quàm putarat, reperiſſet præſidio firmiſſimam Vicetiam rediit. Philippus abiit in Galliam Ciſalpinam, vbi Vbertus Palauicinus, Ezzelino, militari uirtute æqualis, crudelitate inferior, occupauerat Cremonam, Papiam, Placentiamque: Has duas Philippus ab eius obſequio abduxit. Ceterum cum intelligeret Foroliuianos, quibuſcum iam diu diſceptauerat, quòd damno, atq. iniuriis affeciſſent, Eccleſiæ Rauennatis opida contra arbitrium Epiſcopi Foroliuiani, ad quem reiecerant iudicium cauſæ integrum, adhuc homines, & loca eius Eccleſiæ uexare, monitosq. minime abſtinere iniuria, interdicti in eos, & execrationis ſententiam, auctoritate Legationis, qua fungebatur, iuriſdictionisque ordinariæ, explicauit, Mediolani, in Epiſcopio, tert. kal. Iunii, cum adeſſent Gerardus deſignatus Epiſcopus Veronenſis, Gratia Cardinalis Rauennatis Eccleſiæ, Lampugnanus Lampugnanius, Archipresbyter plebis S. Zenonis, Laudenſis Diœceſis, Mutius Azonis Pirouani filius, & Gerardus cuſtos, ciues Mediolanenſes. Hanc ſententiam Conſtantinus Abbas cœnobii D. Mariæ, extra muros Rauennæ, promulgauit eo in templo, Idibus Iulii. Idem in Ariminenſes menſe Martio, Albertus Mutinenſis Epiſcopus, cui Pontifex mandauerat cauſam cognoſcendam, Mutinæ decreuit: ſcripſitq. ad Ioannem Epiſcopum deſignatum Saſſinatem, ut ſe intra duodecim dies Ariminum conferret, ipſiſq. Prætori, Præfecto, Senatui, ac Reipubl. cum ab Epiſcopo Cæſenate iam admoniti, nequaquam ceſſarent ab iniuriis, damniſq. Philippo Archiepiſcopo, & Eccleſiæ Rauennati inferendis, ſacris interdiceret. Idem ut cum Piſaurenſibus Rauennatis Eccleſia bona item vexantibus, Richelmus Epiſcopus Foroliuienſis ageret, mandauit, Ariminenſes, Iacopinusq. Rangonus eorum Prætor, procuratorem conſtituere, qui apud Albertũ illos purgaret, cauſamq.

ANN. M. CCLVIII.

ſamq. diceret. Bononienſes per id tempus, Rauennatibus, uti ſupra memorauimus, fœderati, cum ex lignis caſtellum in citeriore Padi ripa, a mari fermè millia paſſuum quinque procul, ædificaſſent, illi ab Venetis paulo poſt aliud oppoſitum eſt in aduerſa ripa, iuxta ædem ſacram D. Adelberti, in Inſula capitis Vrceorum; quam alii capitis hordei uocant, quod, ut Ricobaldus ſcriptum reliquit, turribus, & muro firmiſſimò munitum, Marcamoum: quod Dantes Marcaboum dixit, ſeu; uti auctor eſt Blondus; Marcomanam appellarunt, licet noſtra ætate Rauennates, & D. Adelberti incolæ; fama a patribus accepta; caſtellum illud Marcamoum fuiſſe appellatum affirment, quod erat in citeriore Padi ripa; iuxta mare: a quo Dantes nequaquam abhorrere uidetur. Horum Caſtellorum ædificationis cauſa fuerat diſſenſio, quæ inter eos populos ob id uertebatur, quòd Veneti, ne quis in ſinu Hadriatico nauigaret, maxime uerò Pola, Venetias, niſi ſoluto portorio, pro numerum mercium, cauerant, atq. ob eam rem cum Rauennatibus conuenerant, uti merces ex Liguria, ceteriſq. Prouinciis aduectas, ne reciperent, niſi quæ aut Rauennatibus uſui eſſent, aut Venetias ueherentur: aſſidueq. Veneti ob id Magiſtratum ex ſuis, quem appellabant Vicedominũ, Rauennæ haberent: Quod & factum eſt. Ne autem quicquam ex hac imminutione uectigalium, ac portoriorum damni, Rauennatibus inferretur, certam quotannis pecuniam illis numerabant. Id nequaquam ferentes Bononienſes, qui libertatem portoriorum antea habuerant, caſtellum illud bello gerendo aptum, in Padi ripa conſtituunt, cui uti ſcripſimus, ab Venetis Marcaboum oppoſitum eſt. Quo loco allucinatur, omnium hiſtoricorum teſtimonio Spretus, qui illud ab Rauennatibus conditum putat. Non leues deinde conſecutæ concertationes, quas perſequi noſtri inſtituti non eſt. Obiit hoc anno Ioannes Dux, ciuis Rauennas, Ionne & Tuſco filiis relictis, eorumq. tutelam Orabili vxori, moriens, teſtamento commiſſit: quam confirmauit Alinerius Aſinellus, Bononienſis, Rauennæ Prætor. Interea Philippus Archiepiſcopus, poſtquam Mediolani pacem inter optimates conciliare plurimum ſtuduit; commiſſo ad Gambaram, hortatu Simonis Ritii è Foliano, Prætoris Mantuæ, Ludouici Comitis S. Bonifacii, Blanchini è Camino, & aliorum procerũ, cũ Ezzelino, prœlio, Brixianis, qui in exercitus fronte erant, diſſipatis, unà cum Brixiano Epiſcopo, captus eſt. Id maximis cumulauit moleſtiis optimi Pontificis animum, undique perturbatum, ſumma enim in Oriente, atque Occidente diſſidia uigebant. Nam Guillelmo Romanorum Rege, amne, demerſo, dum Phriſios perduelles ſuos fugeret, poſtquam Germani proceres, de ſufficiendo in eius locum Rege, iam biennium, non conueniſſent, tum primum duos elegerant, Alfonſum Caſtulonenſium, & Richardum Britannorum Reges, unde magnum in orbem incendium illatum uidebatur: Inteſtinorum bellorum ita ſe initia Byzantii dabant, ut paulo poſt Latini a Græcis ſint eiecti, Balduinuſq. Imperator in Occidentem fugere coactus. Quamquam uerò D. Ludouicus, Rex Gallorũ, expeditionem Syriacam, ingenti & Chriſtiano planè animo ſuſceperat, nequaquam tamen ex ſententia res ſuccedebant, tandemq. Chriſtiani ita ſuperati, ut extrema fuerit hæc, in eas Orientis partes, expeditio. In Italia, præter hos inſignes Ezzelini motus, Manfredus Friderici Cæſaris natus, filius ex pellice, Corrado, veneno, è medio ſublato, ne quid ad perturbandũ Pontificẽ de-

ANN. M. CCLIX.

eſſet, Regni Neapolitani titulo, & Friderici patris theſauro occupato, Saracenos euocauerat ex Africa, Gibellinis in Tuſcia enixè fauebat, & inierat cũ Venetis fœdus, qui aduerſus Genuenſes in Syria arma mouerant, & cruentis utrinque factis prœliis, dimicauerant. Ceterum Philippus Archiepiſcopus paulo poſt incolumis, ab Ezzelino, Pontifici reſtituitur: redemptione, grandi pecunia; quam ex Rauennati Archiepiſcopatu collegit; facta. Cum interea Rauennatem Eccleſiam Guidaloctus, qui & Guidaloſtus a pleriſq. dicitur; Piſtorienſis Epiſcopus, Philippi Vicarius, adminiſtraret. Is hoc anno MCCLIX. Sexto Id. Iulii, Argentæ multa conſtituit: mox Piſtorium Profectus, & Piſtorienſis Eccleſiæ negociis impeditus. IX. kal. Aug. ſuas partes B. Archidiacono, & S. Præpoſito Eccleſiæ Rauennatis, tribuit. At Philippus cum hoc interim ſpatio Vberti Pallauicini, Mediolanenſium, aliarumq. ciuitatum plurimarum animos ab Ezzelino abalienaſſet, fecit, ut Ezzelinus in ſummam adductus deſperationem rerum, exercitu coacto, omnia Inſubrum loca deuaſtans, commiſſo prœlio, uulneratus caperetur, & Soncini, ex uulnere, uir nullis decoratus uirtutibus, omni uitiorum labe fœdatus, animam exhalauerit: Nobiliſſimas enim familias delere in delitiis habebat, & infantes ex matrum ſinu abſtractos, illis ſpectantibus, trucidari iubebat, aut obcœcari, uel genitalibus partibus obtruncari: Vt taceam innumerabiles matres familias, ac uirgines, uel ſtupratas, uel interfectas: quamquam, amiſſa pudicitia, quaſdam in teterrimum carcerem mandabat contrudi: quæ tandem mœrore, pedore, atque inedia, miſerè peribant. Sæuiſſimo igitur Tyranno uita functo, filiisq. & fratre, uniuerſaque omnino familia; nam & Almericus Ezzelini frater, paucis poſt menſibus, Taruiſio pulſus, vnà cum uxore, & octo filiis, interimitur; extincta. Galliæ Ciſalpinæ ciuitates, ob adeptam, Ezzelini interitu, libertatem, Pontificis Imperium ſecutæ ſunt: Cumque Ticinenſes plerique ciuitatis ſuæ dominatum occupauiſſent, ceteri libertatis cupidi, Philippo Archiepiſcopo ſeſe dedere. Hoc anno Bartholomeus Baſacomatra, Alnerio, in Præturam Rauennatem ſucceſſit, poſt menſem Aprilem: Guido Polentanus Cæſenatem geſſit: in qua magnum ſubiit diſcrimen: propterea quòd Ioannes è Righizorum factione, dum unà cum nonnullis aſſeclis Irigos cuperet vrbe eiicere, prœlium in arce, urbeque ipſa Cæſena, ultra pontem, cœperunt, nemine, præterquam ad Vbertini Articlini ædes, ſeſe obiiciente: quo loco cum interfeciſſent Petrum Vgoli Articlini Vrſi & acriorem in horas irruptionem facerent, Polentanus Prætor, cum pleriſque aliis, poſtquam Reipublicæ capta etiam, atque euulſa uexilla uidit, inde aufugit: & quidem opportunè, quoniam multi fuere capti, & incendio abſumpti in Laurentiorum ædibus. Ceterum Guido Prætor, quarto poſt die, Cæſenam reuerſus, quæſtione habita, Martinum Vgonis, & Fulcerium, qui cum ipſis Rigutiis erant, iuſſit capite truncari, alios compluresvarie mulctauit, cum multi fuga elapſi, exilium ſubierint. Eodem hoc anno XIIII. kalen. Iunii in Pado, prope caput Orzum, in opidulo Reipubl. Venetæ, Bonus Archidiaconus, & Philippi Rauennatis Archiepiſcopi deſignati, Pontificiique Legati Vicarius, ipſius Philippi & Rauennatis Eccleſiæ nomine, multis ſpectantibus edixit Thomaſino Mauroceno, Ioanni Teupolo, & Bartholomeo, triremium, nauiumque Venetarum trierarchis, qui ad

ædifi-

ædificandum, & excitandum in eius loci inſula caſtrum, aut munitionem uetuerant, id ne facerent, & cœpto deſiſterent: præiudicium enim fieri, & damnum irrogari Eccleſiæ Rauennati, cuius ditionis locus ille eſſet. Magna etiam per id tempus diſſidia erant, Bagnacauallenſibus, cum Vgolino è Cinfrignagno, Albertini Fantolini filio, & Donigalianis, Lugienſibusq. & Maria Donigaliæ Comitiſſa, Raineri Comitis Cunii vxore, ob amnis Senii curſum: Sed res tandem ad Iacobinum Rangonum, Bononiæ Prætorem delata: Qui, cum in rem præſentem ueniſſet, decreuit, ut purgato alueo, ripiſque optimo aggere vtrinque confirmatis, & portu, Medio uocato, altius effoſſo, veterem, Senius alueum influeret. Philippus Archiepiſcopus rerum geſtarum gloria clariſſimus, Rauennam reuerſus, ne omnino ſacrum Paſtoris munus oblitus uideretur, frequentibus præſertim uiſis monitus, inſtituit, uti quotannis, die, qui proximus Pentecoſtes feſta ſequitur, Arca, cui incluſæ ſunt multæ virorum ſanctorum reliquiæ, potiſſimumque Archiepiſcoporum Rauennatum bracteato, operoſoque argento incruſtata, ex Vrſiana æde, ad Spiritus ſancti, omnium ordinum ſacerdotibus, ac populo comitantibus, ſumma ueneratione, ac pſalmorum cantu, comportaretur, ſacriſque ibi peractis, denuò ad Vrſianum templum, eadem reuerentia, atque dignitate referretur. Cum verò per id tempus Tartarorum late inſonaret nomen, Poloniaque, & Pannonia, ac finitimis vaſtatis regionibus, undique excurrerent, Alexandro Pontifice iubente, Prouinciale Concilium Rauennæ habuit: quo, cum ſacrati uiri, in Dominicanos, Franciſcanoſque fratres inuehentes, dicerent, de Decimis illos ad populum non concionari, audire a confeſſionibus eos, qui audiri ab ipſis deberent, ſibique ad ſepulturam commiſſos recipere, concionandique mun us exequi, quod tamen ipſorum eſſet, iiſq. omnibus impediri, nę pecuniam aduerſus Tartaros, Chriſtianorum ſubſidio, cogerent, Opizo San Vitalius, Parmenſis Epiſcopus aſſurgens, religioſos illos uiros accuratè defendit, mirarique ſe magnopere dixit, de eo illos accuſari, propter quod laudandi uehementer eſſent, & in quo multos nomine negligentiæ ſuſpectos eſſe non ignoraret; Dum, noſtram inopiam miſeratum, excitaſſe illos ordines hominibus affluentiſſimos, quibus ætas illa neq. doctius aliud, neque religioſius quidquam uideret, quique non colligendis modo Decimis ſtuderent, ſed omni uitæ, illiuſque commodorum cura poſthabita, in eas regiones irrumperent, ut ſuperarent agreſtes illos homines id autem eſt, ut adducerent ad Chriſtum, & Chriſtianis adiungerent. Hæc, atque alia in hanc ſententiam peroranti Opizoni, magnum aliquorum conflauere odium. Philippus cum ſacris D. Andreæ Virginibus, quæ in plebe Portus, capite Sandali poſſederant, ipſumque uniuerſum Bozoletum agrum, atque etiam Lugienſem, necnon quæ ipſe abſtulerat complura reſtituiſſet, ab illis multa, iuxta Argentam dono accipiens, ingenti ære alieno preſſus, quod contraxerat, ut ſe ab Ezzelino redimeret, opidum ſancti Benedicti Galiatenſe, Timeolo Aquabello, ut quadraginta Rauennatis monetæ acciperet libras, pignori dedit: & Timeolus deinde; fuit autem anno MCCLX. Decimo quincto kal. Iunii, in Epiſcopio, ante ſacellum domeſticum, inſpectante Ioanne Epiſcopo Foropompiliano, Aliduſio Iudice, & aliis, Rauennæ obnunciauit multam ſe ad eam diem in eius præſidium opidi impenſam feciſſe, & in poſterum facturum: quibus ſe ſatisfactu- ANN. M. CCLX.

Oo 2 rum

rum Philippus pollicitus eſt. Mox Parcitatum & Malateſtam Ariminenſes, virga Parcitato, qui ſolus præſens aderat, in manum, tradita, Vicecomites in opido Sauigniano ſuos conſtituit, coram Guidone Polentano, Lamberti filio. Poſtero anno, in æde maxima, cum idem adeſſet Ioannes Foropompi-
ANN. M. CCLXI. lianus Epiſcopus, Præpoſitus quoque, & Canonici Eccleſiæ Rauennatis Rugerius Bagnacaualli Comes, Liutius Ruuercus, Rainutius Maltaliatus, Drudo Signorellus, Alidoſius Iudex, & alii, pridie Non. Ianuar. Gerardus generalis cuſtos, ut in ipſis tabulis dicitur, fratrum minorum è ciuitate, & quorundam locorum Flaminiæ, ſpectante, aſſentienteque Gulielmino Præfecto; appellant Guardianum; loci minorum Rauennæ, renunciauit Philippo Archiepiſcopo deſignato, locum, ædemque ſacram Diui Mercurialis Rauennæ, quam a Thederico Archiepiſcopo acceperant. Ipſe autem Philippus, Canonicis id probantibus, cupiens Franciſcanos Fratres, *qui*, inquit, *Crucifixum ſequi, & regnantem ſtudent aſſidue contemplari*, locum Rauennæ habere, Diui Petri maioris illis ædem tribuit, quæque coniuncta illi erant, domus, hortos porticus: eosque omni Archiepiſcoporum iuriſdictione exemit, extra piarum precum, operumque fructus, ac eius templi, atque altarium conſecrationem. Ab eo die templum illud, Diui Franciſci nomine cœpit appellari. Philippus Argentam profectus, ibi IIII. Idus Febr. Thomam ſibi a cubiculo, & Peregrinum Argentanum, procuratores ſuos fecit, qui Venetias irent, & a uiro magnifico, ut ipſarum, unde hæc excerpſimus, tabularum verbis utar, Rainerio Zeno, Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ inclyto Duce, & ipſius conſilio; ita enim ibi habetur; peterent, reſarciri damna, quibus ipſe, & Rauennas Eccleſia affecti fuerant, afficiebanturque, occaſione uectigalis, & ripatici, ut aiunt, ceſſantium, ob eam cauſam, quod non nauigaretur Padus propter triremes in portu Primario commorantes, & caſtrum Marcamò ab ipſis Venetis ædificatum: de futuro etiam damno paciſcerentur. Quoniam uerò Bononienſes in agrum Rauennatem prædatum miſerant, propterea quod Reſpubl. Rauennas, Bononienſibus quibuſdam ciuibus libras ter mille, atque octingentas, quas debebat, tardius expediret, hoc anno, XI. kalen. Iulias, Rauennæ, in Senatu, per Nicolaum Ranaldum Reipubl. Rauennatis Syndicum, pecuniæ Rauennatis quingentas libras Zachariæ Liuci Bononienſi, ea de cauſa, numerauit. Cum autem a Rauennatibus fœdus cum Venetis, per hos dies, eſſet ictum, eius hæ in primis fuere condiciones, ut Vicedominus, id, uti docuimus, magiſtratus nomen eſt; a Venetis Rauennæ haberetur: certa mercium è Liguria genera, aut aliis prouinciis, ad aliena loca, Rauenna deuehi, præterquam illius uſui, aut Venetias, ne poſſent. Certum pecuniæ numerum quotannis Veneti Rauennatibus, qui damnum hoc fœdere ſentiebant, penderent. Hoc anno Alexandro Quarto Pont. Max. mortuo, Vrbanus IIII. Trecenſis, Gallus, poſtquam tres menſes uacaſſet ſolium Pontificium,
ANN. M. CCLXII. ſuffectus eſt, IIII. kal. Septembr. Anno inſequenti, menſe Maio, Philippus Archiepiſcopus facultatem tribuit Iacobo Faxolo cucullato, ſacræ domus Hoſpitalis, cui Ieſu Chriſti titulus erat, Rectori, uti ſacellũ ſuis, aliorumq. præterea ſui ordinis cucullatorum commodis, ædificaret. Rauennates cum hoc interim ſpatio augere nonnihil vires inciperent, ab Aeſinis, Recinetenſibus, Elpidianis, & reliquis Picentibus, quibus tum præerat Manfredus Siciliæ Rex ditio-

ditionem aſſiduè Pontificiam occupans; edici impetrant, vt omni eorum regione, moneta, quæ cudebatur Rauennæ, impenderetur. Præturam hoc anno Rauennatem geſſit, Vgutio Argentanus. Philippus Archiepiſcopus, Aimerium Abbatem Claſſenſem, Epiſcopum Foropompilianum deſignatum, VI. Id. Febr. confirmauit. Cum verò per hos dies, Abbas Galiatæ fuiſſet interfectus, Vbaldus nomine, miſerunt monachi Bentiuegnam ex hoſpitali de riuo ſacerdotem, qui hæc Vicario Philippi Archiepiſcopi, & Choro Eccleſiæ Rauennatis renunciaret, adderetque monachos, vt nouum Abbatem eligerent, in ſuffragium ituros. Inclinante anno, Philippus cum eſſet Argentæ, ampliſſimo diplomate, pridie Idus Nouembr. in caſtro nouo, dato, confirmauit, innouauit, conceſſitque Bono Archidiacono, & vniuerſis Cardinalibus Rauennatis Eccleſiæ, quæ ad eam diem poſſederant: Domum in qua tum habitabant, item aliam cum hortis, iuxta domum quondam Felicis, ponè templum baptiſmatis, & ſpatium in quo domus fuit, quæ vocabatur Felix. Plebem. S. Petri in Seſtino, Rauennatis Diœceſis, cum fonte baptiſmatis, & Sacellis: Sacram ædem Alfiani, Argiliani, Culia, S. Petri in Caſella. S. Martini de bagnolo. Sacellum S. Georgii de bagnolo. SS. Simonis & Iudæ de Ficli, S. Apollinaris in Socognano S. Martini magognato, S. Euſtorgii, S. Chriſtophori, S. Mariæ nouæ, S. Andreæ in Granarolo: Plebem, Sancti Petri in Quincto, Rauennatis diœceſis, cum fonte baptiſmatis, & Sacellis: Templum S. Iuliani, S. Mariæ, & S. Egidii in Carpenella; S. Michaelis de Trauerſaria, S. Andreæ de Maſſa, & S. Sebaſtiani: tametſi de decimis, aliisq. iuribus, inter Cardinalium ipſorum conuentum, & Mainardum Archipresbyterum, & eius plebis clericos, conuenerit: id enim fuerat Rauennati Eccleſiæ damno, & aduerſus ea, quæ Gualterius, & Simon Archiepiſcopi, Cardinalibus Rauennatibus dederant. Adhæc ſacellum S. Michaelis in Rouendula, quas ab Epiſcopatu Foroliuiano Cardinales ſuperiores acquiſiuerant, in plebatu S. Pancratii. Adhæc confirmauit fundos plures in Rouedula, in Aureliago, & plebē Pancratii. Plebem S. Georgii, Argentæ, in nemoribus ſitam, vltra Padum, eiuſq. Sacella, quæ ſunt, S. Apollinaris in Corrigio, S. Apollinaris vltra Padum: Templum S. Nicolai, Argentæ, ad quod ſacer baptiſmatis fons, Philippi auctoritate, translatus eſt: è plebe S. Georgii; Templum S. Iacobi Argentæ, S. Mariæ è Filo, S. Iuliani è foſſa putrida: Integris tamen; quod ſpectabat ad decimas; pactis, quæ inita inter Philippum ipſum, & Cardinalium Conuentum fuerant. Confirmauit ad hæc totum Corrigium, in quo erat D. Apollinaris ſacra ædes, quam diximus; iuxta Curtem Corrigii, Padum, & Marmortam. Ratam habuit aquam poſitam in malazia, uſq. ad Tauernolam, & Albanum in foſſa putrida: & aliquot fundos. Argentæ, iugera terræ tercenta, Raiboſula vocata: Villas quinque: Item ius, quod illis erat in templo Diui Blaſii, ex conuento inter ipſos Cardinales, & Diui Ioannis Euangeliſtæ Rauennatis monachos. Prædia in Filo, iuxta Padum, & Ghetios, & Bandum. Iuſſit etiam, ut quarta funeris pars, eorum qui è ditione S. Petri in Seſtino, S. Petri in Quincto, & Sancti Geogii Argentæ, alibi ſepulturæ traderentur, iuxta Diui Gregorii ſcita, ad illos ſpectaret. Ne verò quem ex iis, qui ex eorum parœciis decederent, execratione, aut interdicto notatum, fœneratoremve famo-

ſum, aut hæreticum, ad ſepulturam reciperet, inhibuit. Hæc ferè omnia Vrbanus Pontifex Max. probauerat, ac in fidem, clientelamque ſuam, & D. Petri litteris Viterbii ſcriptis XV. kalen. Aprilis, receperat: cùm in Pontificiis litteris etiam numerentur templa. S. Chriſtophori Lungan. in plebatú; ſic enim uocant. S. Laurentii de uado Rondini. S. Egidii de batipalia in plebatu S. Mariæ de Surcoli. Petrianum. Cœnobium S. Ioannis ad Litus S. Mariæ ab Hactoria. S. Raphaelis in regione ſalutaris. SS. Coſmæ & Damiani, iuxta templum Petrianum. S. Euſebii propè Campum Coriandri. S. Georgii ad tabulam. S. Sergii in Claſſe, iuxta viridarium. S. Zenonis ad puteum, S. Theodori prope domum Dragloni. SS. Apoſtolorum Matthæi & Iacobi a Petriano haud procul S. Apollinaris propè puſterulam opilionis, S. Theodori a loco, qui vocatur Calchi, S. Pauli prope Guandalanam, S. Pauli extra muros, S. Thomæ, S. Mariæ maioris, S. Ioannis Baptiſtæ, S. Michaelis ad filiciſco, S. Petri maioris, S. Saluatoris, SS. Ioannis & Pauli, S. Zachariæ, S. Agathæ maioris, S. Stephani maioris, S. Crucis, S. Vitalis, S. Stephani ad tremari, S. Stephani ad libertin. S. Zeni, S. Euphemiæ ad Veruere, S. Mariæ in Seuzanico, S. Demetrii, S. Mariæ in cauematroni, S. Petri in Androna, S. Iuſtinæ in capite porticus, S. Agnetis, S. Mariæ in Cipatello, S. Mariæ in columnello, S. Bartholomei, S. Philippi, S. Mamæ, S. Ioannis cataпareni, S. Donati, S. Petri Scotorum, S. Platonis, S. Pulionis, S. Mariæ in Senodochio, S. Martini iuxta palatium Regis Thederici, SS. Sergii & Bacchi, & quadraginta martyrum, S. Georgii, S. Mariæ in vianitæ, S. Maphani in macello, S. Mariæ, & S. Ioannis ad anno, S. Stephani ad balneum Gothorum, S. Ioannis in patena, S. Mercurialis, SS. Nicandri & Martiani, S Stephani in fundamento, S. Victoris, S. Ioannis de marmorata, SS. Coſmæ & Damiani, S. Hypoliti in Cæſaria, Sanctæ Mariæ in porta Cæſaria. Quæ omnia cœnobia in vrbe Rauenna, eiuſq. ſuburbiis erant. Poſtquam verò Philippus Archiepiſcopus ad hæc addidit, donoque dedit ea quæ ſupradiximus, nouis Pontifex litteris ea probauit, in clientelamque accepit alterasque ad Philippum Archiepiſcopum litteras,
ANN. M. CCLXIII. de grauiore negocio, poſtero anno ineunte, dedit his verbis. *Vrbanus Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei. Venerabili fratri Archiepiſcopo Rauennat. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum nos nuper contra Vbertum Pelauicinum, necnon & aduerſus quoſdam communitates, & quoſdam nobiles, ac magnates Prouinciæ Lombardiæ, præſente fidelium multitudine copioſa, ſub certa forma duxerimus procedendum, prout in litteris Apoſtolicis proceſſum huiuſmodi continentibus, quas tibi lator præſentium aſsignabit, plenius continetur, fraternitati tuæ, per Apoſtolica ſcripta; in uirtute obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus litteras ipſas diligenter inſpiciens, proceſſum ipſum, & tu ipſe per te, ac alios ſolemniter publices, cleris, & populis tuæ ciuitati & diœceſi, quos ad hoc ſolemniter euocari uolumus, & a tuis ſuffraganeis, nec non a Ven. Fratre noſtro Fer. Epiſcopo, facias ſimiliter, conuocatis ad hæc ſuis cleris & populis, per ſe, uel per alios publicari. Contradictores, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Dat. apud Vrbem Veterem Non. Ianuá. Pontificatus noſtri anno. II.* Itaque & ipſe id exhauſit mandatum Pontificis Philippus, & euocatis Epiſcopis, Abbatibus, Præpoſitisq. diuulgari mandauit, litteris ſuis Argentæ ſcriptis. II. Non. Febr. Nam Palauicinus, Manfredi Siciliæ Regis, in

Subal-

Subalpinis Vicarius, ut Comiti Andegauenſi, in Italiam, uocatu Pontificis, cum exercitu, aduerſus Manfredum, deſcendenti, omnes aditus, terra, intercluderet, laborabat, eq. eum Martino, Philippo, Napo Turrianis, Nouariæ, Comi, Brixiæ, ac penè Mediolani, Principibus pro Manfredo, in Guelfos Pontificis ſtudioſos, coniunxerat: Maſtinus etiam Scaliger, ex Prætura Veronenſi cum infinita prope auctoritate, ad abſolutum eius Ciuitatis imperium aſpirans, Gibellinis fauebat, qui ob id plurimum in ea Prouincia poterant, quemadmodum & in Tuſcia, poſtquam Guido Nouellus Manfredi Vicarius eos, Florentia extorres, diſſipauerat: Menſe Maio Octauianus Bononienſis Epiſcopus, Philippo Archiepiſcopo Rauennati deſignato, de more, ſolemni iure iurando fidem obſtrinxit: tabulæ, in quas relatum id eſt, his uerbis interruptis, & exeſis, in Vrſiana bibliotheca leguntur. *In Chriſti nomine, Amen: anno eiuſdem natiuitatis MCCLXIII Indict. VI. Bononiæ, ante Eccleſiam, ſiue per plateam monaſterij S. Stephani Bonon. tempore Vrbani Papæ .... menſe Madio, in præſentia uenerabilium Patrum Dominorum Imolen. Epiſcopo Iacobo..... Comaclen. Epiſcopis: Abbatis monaſterij Nonantulani, & Dominorum Iacobini, Diaconi, & Gratiæ ſubdiaconi Cardinalibus, Vgulini, & AzZolini Cantoribus. S. Eccleſiæ Rauennæ: Domini Iacobi Tauernarij de Parma, Bonon. Poteſtatis. DD. Bonauentura de Sauignano, Aprimundi, D. Alberici de S. Petro, Franciſci. q. Domini Accurſii legum profeſſoribus. D. Caſtellano de Andalottis, Rodulfi de Guidano, ciuium Bononien. & cleri ac populi Bonon. ciuitat. pater uenerabilis. D. Octauianus de mandato D. Philippi S. Rauen. Eccleſiæ Archiepiſcopi, præſentis ibidem D. Imolenſi Epiſcopo conſecratus, poſt miſſarum ſolemnia. S. Eccleſiæ Rauennæ, ac ipſi D. Archiepiſcopo, tactis ſacroſanctis Euangelijs corporaliter fidelitatis iuramentum præſtitit in hunc modum. Ego Octauianus presbyter, & conſecratus Epiſcopus Eccleſiæ S. Petri Bonon. fidelis & obediens ero ſanctæ .... conſecratori meo, ſucceſſoribusq. tuis canonicè ingredientibus, & conſecratis, ita ut ...... & ſucceſſores tuos, neque agentibus aſſenſum præbebo, & inimicis tuis, me ſciente, ad tuam & illorum damnitatem non ſociabo. In feſtiuitate autem SS. Martyrum Apollinaris, & Vitalis, excepta infirmitatis cauſa, aut certa canonica excuſatione, obedienter occurrere promitto, niſi per tuam, tuorumq. ſucceſſorum licentiam, remaneam. Tibi quoq. Philippo Rauen. Archiepiſcopo omnem honorem quem in Romania habes, aut in Aemiliam, ſiue habere debes, ſucceſſoribusq. tuis adiutor ero ad retinendum per rectam fidem, & conſilium rectum dabo, & quod mihi crede ſtu, uel ipſi per eos, aut per unum eorum nuncium, ad ueſtrum damnum per nullum ingenium pandam. Terras, paludes, piſcarias, ſyluas, uillas, Caſtella, ſeu omnem immobilem poſſeſſionem, & iura Eccleſiæ meæ S. Petri, quæ modo per emphiteoſim, uel pactum uel feudum, ordinata non ſunt, abſque tu .... per emphiteoſim, uel pactum, uel feudum non ordinabo, neque pi...... uel tuos, tuorumq. ſucceſſorum, per me tranſeuntes, aut ad me uenientes ... ſuſcipiam & humaniter tractabo: ſic Deus me adiuuet, & iſta ſancta Euangelia. Et ego Petrus Cauſandalenſis, imperiali auctoritate notarius, ad hæc omnia præſens exiſtens, rogatus ſcribere, ſcripſi, & publicaui.* Ceterum cum inter ſe ipſi Rauennates difficilè conuenirent, ac potius hoc tempore ad arma denuò adcurriſſent, in æde Vrſiana, ad aram, arcamq. ſanctorum uocatam, Quarto Non. Octobr. uenerunt ad congreſſum, & colloquium, Stephanus, Andreæ, Pannoniæ Regis filius, dominus domus Trauerſariorum, Saracenus Honeſtus, Saladini filius, Guidones Polentani duo, Alberici

beri ci

berici unus, alter Lamberti filius, Vgulinus Signorellus, Rizardus Parzitatus, Rec Odus, Iacobus Lambardanus,& complures prætcrea, partis Trauerſariorum. Comes Rogerius,Comes Ezzelinus,Comes Fridericus,Thomas,& Ioannes fratres,Chunradusq. Thomæ filius,Ghetii: Leucius ab Ruuere,Vgo, & Vitalis Saxi fratres, Albettinutius, & Lamberdutius Lambardani,& alii ex parte Comitum: ibiq. facta pace, ſoléni ſibi inuicem iureiurando receperunt, nulla ratione, copias ex Apulia, Piceno, Tuſcia, Ferraria, aut aliunde euocaturos, ut communi Rauennæ; Rempublicam ita uocari docuimus; eiusq. ciuibus, agricolisve damnum inferatur. Poſtero anno, qui fuit a partu Virginis M C C L X I I I I. Sacramentum illis Cymaclienſes dixere, cum Tiſinum Paſqualetti filium, Legatum Rauennam miſiſſent: qui eorum nomine fidem obſtrinxit Barufaldino Sturlitto, Rauennæ Prætori, & Rainerio Samaritano, Rambertani filio, eiuſdem vrbis Præfecto; quem Capitaneum, uti memorauimus, appellabant; Rauennatibusq. Decurionibus, recipiens Cymaclienſes perpetuo in fide,& clientela Rauennatium futuros, quemadmodum etiam maiores ſui, & ipſi quoque ad eam diem fuerant: eſſe enim & in perpetuum fuiſſe vrbem Cymaclum Rauennatibus ſubiectam; Adhæc pollicitus eſt, ab Cymaclienſibus Prætores, præterquam ex Rauennatibus, nullos accipiendos. Eodem hoc anno Philippus Archiepiſcopus ab D. Andreæ Rauennatis Abbatiſſa, poſſeſſionem; inueſtitutam appellant, eius fundi, quod circa opidum Argentam eſt Rauennatis Eccleſiæ nomine, dono accepit; & D. Hilari Abbati, complura opida confirmauit, quæ illi cœnobio donauerat Symeon Archiepiſcopus: Nam Philippus,ea opida,a quibuſdam diſtracta,occupataq. tyrannis, comparato exercitu receperat. Mox menſe Iulio Argentam, cum Guidone Polentano, & Aguſello Cæſenate, Chunradi filio, abiit: Cum ſub id tempus Azzone Eſtenſi mortuo, vnoq. ſuperſtite Obizone, eius nepote, quindecim annos nato, ne in Ferrariæ dominatum ſuccederet, plurimum laboraret. Sed Guelforum ſtudia,Philippi conatibus reſtiterunt.Ad amnem Senium, communi impenſa, ut diſſidia tollerentur, hoc anno, ſeptum ædificatum eſt, a Donigalionis, Lugienſibus, Bagnacauallenſibus, Bernardino Cunii Comite, & Vgulino Albertini Fantolini filio. Exitu anni, in Senatu Foroliuiano, cũ adeſſent Richelmus Foroliuianus, Aimericus Foropompilianus Epiſcopi, Raiputius Zanzi Iudex communis,Guido Bonattus,& alii: inita pacta ſunt inter Philippum Archiepiſcopum nomine ſuo, ſucceſſorumq. & Eccleſiæ Rauennatis ex vna parte: & Nicolaum Ramberti Bazalerii, Prætorem, Bartholomeum è Principibus, Præfectum, Guidonem Albianum Reipubl. Foroliuianæ procuratorem ex altera,omni probante Senatu; tribus exceptis, qui diſſenſerant; Itaque Philippus fecit ſe Reipubl. Foroliuianæ ciuem, iis legibus. Reſpubl. populusq. Foroliuianus, Archiepiſcopum, eiusq. ſucceſſores, Eccleſiamq. Rauennatem, horumq. iura, honorem, iuriſdictionem, pro uiribus, ſine fuco & fallaciis, omni Flaminia, citra Padum, aduerſus omnes ciuitates, Reſpubl. homines, præterquam aduerſus Romanam Eccleſiam, & Imperium,ac Rempubl. Bononienſem conſeruato,ac defendito. Si qua Archiepiſcopis, aut Eccleſiæ Rauennati quæſtio cum iis eſſet, qui cum Foroliuianis ſunt fœderati,eam Foroliuiani quæſtionem, intra menſem, prouocatione reiecta, finiunto. Prætor Meldolæ,Caſtrinoui, & Dugariæ, pontis Berni,Tum-

ANN. M. CCLXIIII.

bæ

bæ Manfredorum, Ranche, Palaredi,& ceterorum locorum, qui ſubiecti eſſe Præturæ Dugariæ conſueuerunt:& Prætores Balbadi, Vitignani,& S.Laurentii, leges, quæ honori, utilitatiq. eſſent Philippo, ceteriſq. deinde Archiepiſcopis, & Eccleſiæ Rauennæ, ab ipſis latas, & in poſterum ferendas, ut tueantur, foueantq. iura, dignitatemq. Archiepiſcoporum, & Eccleſiæ Rauennæ, ſeruanto, dum contra Rempubl. Foroliuianam, & hæc fœderis pacta ne faxint. Opidani, qui ſupra numerati ſunt, omnes ſacramento fidem Archiepiſcopo, & Eccleſiæ Rauennati obſtringunto; equitemq. & peditem præbento; dimidiamq. portoriorum, mulctarumq. partem: ea tandem omnia faciunto, quæ de uectigalibus, ac prædiis, aliiſq. Rauennati Eccleſiæ debent: copias tamen aduerſus Rempubl. Foroliuianam, aut eius ciues, aut fœderatos tribuere ne teneantor: niſi fœderati ea negarent Archiepiſcopo, & Eccleſiæ Rauennati, quæ deberent, quæq. Foroliuiani, ut præſtarentur, mandaſſent. Opidanos Eccleſiæ Rauennati, in Flaminia ſubiectos, Foroliuiani, ciues ſuos ne faciunto, neu iura perturbanto ad Rauennatem Eccleſiam ſpectantia: nempe in Guilliano .... & valdeponde, Molin veclo, Bagnolo, in Caſtro foſſæ, in monte Abbatis, & eorum agris, qui mons pertinet ad Archiepiſcopum, & Eccleſiam Rauennæ, a Comite Glazoli emptus: & in Tudurano.... & caſa murata: & ſi qui, ciuitate Foroliuiana donati ſunt, in opida, quiſq. ſua remigranto. Domum aptam, loco vrbis Foroliuii publico, & nobili, Paſcha proximum, ex Archiepiſcopi, Prætoris, præfecti, Decurionum, & populi Foroliuiani ſententia, Foroliuiani Archiepiſcopis, & Eccleſiæ Rauennati danto. leges, ſi quæ Archiepiſcopi, & Eccleſiæ Rauennatis continerent damnum, è libris legum ſuarum municipalium, tollunto, neque huiuſmodi in poſterum faciunto. Exportare ex vrbe, agroq. Foroliuiano fructus prædiorum, opidorumque ſuorum, Archiepiſcopo, Eccleſiæq. Rauennati fas eſto. Archiepiſcopus, eiuſq. ſucceſſores, & Eccleſia Rauennas, Foroliuianis adſunto, eorum iura in Flaminia, ſeruari integra curanto; homines ſubiunctos, citra Padum & Paludes, Foroliuianis ſubſidio mittunto, aduerſus omnes, extra Eccleſiam Romanam, Imperiumq. & Rempubl. Bononienſem; qui Foroliuianos uexarent. A portorio Foroliuiani, in opidis Archiepiſcopi, & Eccleſiæ Rauennatis, liberi ſunto, & incolumes ibidem commoranto. Reſpubl. Foroliuiana Prætores Meldolæ, Caſtronouo, S.Laurentio, Vitignano, Balbadi ..... Tumbæ Manfredorum, Ranche, & Palaredo, aliiſq. locis, quæ eſſe ſub Prætura Dugariæ, conſueuerunt, extra montem Abbatis, iuribus Rauennatis Eccleſiæ atque Archiepiſcopi integris, cum libuerit, dato. Hæc acta ſcribuntur, pridie Kal. Iannar. Indict. VII. utraq. ſede uacante: Nam cum Vrbanus Pont. Max. menſe Octobri exceſſiſſet è uita, nullum adhuc habuerat ſucceſſorem. Quod autem neque Alfonſus, neque Ricardus, quos diximus, Cæſares haberentur, idcirco vacare etiam Auguſtale ſolium, hoc tempore, aſſeritur. Sed paulo poſt renunciatur Pontifex a Cardinalibus, Peruſii, ipſis Nonis Febr, Clemens Quartus, cum eſſet in Gallia, & ex Anglica Legatione, quo ſe contulerat, ad cōciliandam inter Galliæ, ac Britanniæ Reges pacem, rediret. Eius maximè hortatu, Carolus Andegauenſis Comes, D.Ludouici Galliæ Regis frater, profectionem in Italiam, aduerſus Manfredum maturauit, ipſe mari Romam deuectus, copiis terreſtri itinere, per Alpes, Guidone Monteforte Duce, ſequi iuſſis.

ANN. M. CCLXV.

Romæ ad Lateranum denuo Neapolis, ac Siciliæ Rex, fiduciario iure, confirmatus a Pontifice, cum exercitu in Manfredum pergit, eoq. apud Beneuentum proximo anno, prid. kal. Mart. ſuperato, interfectoque, Neapoli, omniq.
ANN. M. CCLXVI. eo Regno ſumma felicitate potitur. Cum interea Simon tituli ſancti Martini ſacerdos Cardinalis, Pontificius Legatus, vrbe Aeſio ſuperiore menſe capta, multas præterea vrbes, opidaq. Piceni recuperaſſet. Sed inſignem attulit hic annus Philippo Archiepiſcopo Rauennati moleſtiam, ob interitum Guidonis Saſſinatis Epiſcopi, quem Rainerius è maſſa, Aldrouandus è monte Abeto, eiusq. filius, & Mainettus, cōcedere illis Epiſcopatus ſui iura, renuentem, interfecerunt. Philippus ipſe ſacris rebus conſtituendis intentus, S. Sauini Epiſcopi & martyris corpus, diu in templo D. Apollinaris noui, ſub terrā iam latitans, atque incognitum, uiſis, ut tradunt admonitus in liberiorem auram, vnā cum Richelmo Epiſcopo Foroliuienſi eduxit eodemq. in templo, in ſacello D. Catherinæ, collocauit. Interea cum Bononienſes conquererentur, Rauennates portoria & uectigalia a Bononienſibus ciuibus, mercatoribus præſertim, qui Rauenna aut per agrum Rauennatem iter facerent, maiora quàm conſueſſent, & inter ſe conueniſſent, exigere, neque pontes ſolitos facere, Rauennates per Petrum Legatum ad Henricum Turrianum Bononiæ fōriq; Cornelii Prætorem, & Videſtum Pontecarrarium, Bononienſis populi Præfectum, anno MCCLXVII. cum eſſet Spinellus Carbonenſis Rauennæ
ANN. M. CCLXVII. Prætor, Quincto Id. Septembr. Bononiam miſſum, omnia ſe facturos polliciti ſunt; dū tamen nauibus merces ne deucherent; id enim ob eam, quam ſeruare cum Venetis, conuentorum conſtantiam, cum ſibi integrum non eſſet, minimè dari illis poſſe; præſertim cum hoc etiam tempore eadem cum Venetis, Laurentio Teupulo Duce, fœderis pacta inſtauraſſent. Quoniam uerò in tot non modo totius Flaminiæ, ſed etiam Italiæ diſſenſionibus; vnde armis, non legibus ac ſtudiis, fuerat ad hanc diem opportunior locus admodum erat Gymnaſium Rauennæ imminutum, quod Theoderici Gothorum Regis tempore memorauimus aut inſtitutum, aut certe amplificatum, Iuſtinianus deinde primus Cæſar, pulſis omni Italia Gothis, & pacata Prouincia plurimum auxerat. Id cum reſtituere in priſtinam dignitatem Rauennates cuperent, anno. MCCLXVIII. Tertio decimo kal. Iul. coacto Senatu, cum adeſſet Rainerius
ANN. M. CCLXVIII. Samaritanus, Bornli filius, ciuitatis Prætor, ad alios Doctores, Paſium ab Nuce Brixianum, omnium, qui tum in Italia eſſent, iuriſconſultorum celeberrimum adiungunt, conductum ea præſertim lege, ut auditores triginta, in legum ſtudio progreſſus habentes; quorum eſſet nullus Flaminius, ſecum. Rauennam adduceret: poſtridie D. Lucæ initium lectionibus faceret: iuuaret Gymnaſii progreſſum, nihilq; contra illud moliretur: contra Rauennatem ciuem ullum non conſuleret, nullumve patrocinium ſuſciperet; Pro Republica autem Rauennate, quoties ea poſtulaſſet, id faceret. Pontificius in Gallia Ciſalpina Legatus erat hoc tempore Philippus Archiepiſcopus, quod in primis declarant tributa, procurationes uocat, in ſingulos annos, ſacratis uiris, ut uictus ſibi, familiaribusq. ſuis ſuppeditaretur, impoſita, Vercellas uſque: extant enim Philippi litteræ, Mediolani hoc anno, III. Non. Decembr. quibus Epiſcopatui Vercellenſi, & eius ciuitatis Epiſcopo deſignato, diœceſiq. uiginti quinq. libras ſupra centum, Auguſtales, huius tributum anni, impoſuit, exigendasq.

exigendaſq. mandauit. Magnus autem hoc anno, Bononiæ, ob Præturam Foroliuianam, tumultus fuit: Thomas, Galutius Prætorem lapidibus appetiit: ingensq. inter Galutios, Lambertinoſq. utriſq. eam appetentibus, ortum diſſidium eſt: Sed Foroliuiani ubi id reſciuerunt, Rectores Bononienſes deinceps noluere. Proximo anno, qui fuit ſupra milleſimum ducenteſimum, ſexageſimus nonus, VI. Non. Mart. uetuſtiſſimum D. Mariæ Galopes, quod latinè formoſum ſonat, in D. Agnetis regione templum, fratribus ex D. Dominici familia, ſummo Rauennatum ſtudio, aſſentiente curanteq. Philippo Archiepiſcopo, a Benuenuto D. Ioannis Euangeliſtæ Abbate tributum, in maiorem ampliorem q. formam redigitur: ipſiuſq. beatæ Virginis Deiparæ, & D. Dominici titulo inſignitur: cum antea Philippus Prætorium, turrimq. Bacalaurii, illi uicinam templo, eiſdem fratribus dono dediſſet. Foroliuiani reuocato conſilio, anno inſequenti Præfectū acceperunt Philippum Ligapaſſarum Bononienſem ciuem: Quo anno Rauennæ Prouinciale Concilium habitum eſt; dieq. D. Vitalis feſto, cum in ſacrarium ædis D. Vitalis conueniſſent, Michael Cymaclienſis, Gratia Saſſinas, Henuerardus Cæſenas, Rodulfus Foroliuianus, Raualdinus Foropompilianus, Synibaldus ForoCornelianus Epiſcopi, & Drudo Rauennatis Eccleſiæ Præpoſitus, Philippiq. Archiepiſcopi Vicarius, inſpectantibus, atque aſſentientibus, Aldreuandino Archidiacono, ſacerdotumq. choro; cum Rauennates etiam ad celebrandam Diui iuſ. laris memoriam frequentes concurriſſent; ut conſuleretur Eccleſiarum damnis, diris deuouerunt omnes, qui contra Henuerardum Epiſcopum Cæſenatem, eiuſque Epiſcopatum, armati, inermeſve mouiſſent, cum illiſq. conſilia, aut copias coniunxiſſent: neque poſſent abſolui, niſi ſatisfeciſſent. Quòd ſi qua Reſpubl. idem tentaſſet, illi iam ſacris eſſet interdictum. Adſcribuntur huic decreto teſtes, Placidus D. Vitalis, Benuenutus D. Laurentii, Iacobinus D. Mariæ in monte Cæſenati Abbates, atque item alii. Statim etiam Epiſcopi ſibi inuicem, alter alteri partes quiſque ſuas, detulerunt, polliciti, quam execrationis ſententiam in bonorum Eccleſiæ ſuæ raptores ex eis vnus tuliſſet, reliquos ratam habituros, diuulgaturoſq, ac ſeruaturos. Philippus Archiepiſcopus haud ita diu poſt, Rauennam cum ueniſſet, in morbum incidit, qui fuit illi poſtremus: cum autem ægrotus eſſet in lecto, Quarto Non. Auguſti, ſpectantibus Guidone Lamberti Polentani filio, Rainutio Malpilio, Guidone è Tumba, Raule Maynaſco, & aliis, Eccleſiæ ſuæ proſpicere cupiens, ſartamq. & tectam ab omni illam detrimento conſeruare, coram Archidiacono, Præpoſito, Cardinalibus, Cantoribus Eccleſiæ Rauennatis, ſanctè teſtatus eſt, nullam ſe ſtipulationem, donationem, locationemve, bonorum, iuriumve Eccleſiæ Rauennatis, extra formulam Eccleſiæ, aut quod illi eſſet damno, feciſſe; præterquam Vallis Caualli, quam ad certum tempus, de more, locaſſet. Si qua ſtipulatio, pacti, aut conuenti formula, donatio ſecus reperiretur, pronunciauit falſam, fictam, corruptam, inanem eſſe: piorumq. ſocietate amonuit ſcribas, ceteroſq. qui talia aut ſcripſiſſent ipſi, aut mandaſſent, aut iuuaſſent. Non multis poſt diebus, Philippus morbo confectus, exceſſit è uita; prudenti, perſpicaciq. ingenio vir, qui militares legati, religioſas Antiſtitis partes, præclarè impleuerat. In Gallia enim Ciſalpina inſignes admirabili dexteritate motus compeſcuerat, Pontificiiq. ſolii ſtudioſos retinuerat in officio

ANN. M. CCLXIX.

ANN. M. CCLXX.

P cio

cio: Diœceſim autem ſui Archiepiſcopatus inuiſens, multa ipſe correxit; aliis a Pontifice conſuli poſtulauit. In iis fuit de prædiis aliquot Rauennatis Eccleſiæ, quæ D. Nicolai Veneti Abbas occuparet: itaque petiit, iudices dari Archipresbyterum Ferrarienſem, D. Georgii Ferrarienſis, D. Iacobi è Volana Priores Præfectos. Cum etiam eius controuerſiæ, quæ inter Rauennatem Eccleſiam, & Guidonem Lambertinum ciuem Bononienſem, cum uacaret Imperium, de nonnullis poſſeſſionibus & pecunia, Archipresbyter Carpenſis, & Præpoſitus S. Martini Mutinenſis Diœceſis, iudices, dixiſſent, ſecundum Archiepiſcopum ſententiam, & Guido Pontificem appellaſſet, neq. tamen cauſam deinde fuiſſet proſequutus, contendit, ut in poſſeſſionem, auctoritate Pontificia ab Epiſcopo, Archidiaconoq. Bononienſi mitteretur: Quoniam uerò in iuriſdictione Ceruiæ, ei Rauennates moleſti admodum erant, dum tributa Ceruienſibus iniuſta imponerent, ſacramentumq. & obſequium ab illis ſibi dici præſtariq. iuberent, remedium his adhiberi poſtulauit. Epiſcopum Hadrianum malè audire, nempe Symoniaca labe eam fuiſſe ſedem adeptum, Onus epiſcopale neque ſuſtineri ab eo poſſe, neque diligenter adminiſtrari, itaque cupere Philippum, quid agendum eſſet, doceri. Ad hæc facultatem ſibi dari, de Caſtro Hubaldo, & Monte Cerno, opida quæ Auximates deſtruxerant, ea, de Conuentus ſacratorum virorum Rauennatum ſententia decernere, quæ Rauennati Eccleſiæ utilitati futura eſſent. D. Petri ad Vincula cœnobii, religionis cultu; & diuitiis olim præſtantiſſimi, & morum formam & opes plurimum imminutas, ita ut tres monachi, quendam pellionem interfecerint, nulla cauſa permoti, & ſacerdos Abbatis frater, monachum cum muliere concumbentem obtruncauerit, quæ & eodem interierit gladio confoſſa: Quamobrem cum cœnobium illud dicatur, quod tamen nequaquam apparet, Archiepiſcopi obedientia exemptum, petere illius ſibi correctionem, confirmationemq. mandari: Ad hæc quoniam Rauennatis Eccleſiæ uectigalia, ac fructus imminuta eſſent plurimum, ut ab omnibus Eccleſiis, cœnobiisq. ſuæ parœciæ, quartam partem teſtamentorum, legatorum, & eorum quæ donantur habere poſſet, poſtulare. Cum autem opidum Argentani Pontificis iuſſu, Marchionis Eſtenſi dediſſet, non modicaq. inde damna eſſet conſequutus, opidanis inde, ob bellum, aufugientibus, & faceret quotidie Archiepiſcopus impenſam, & inimicitias ualde graues contraxiſſet, rogare Pontificem, ut Marchionem iuberet, ipſum opidum Archiepiſcopo liberum dimittere: Quod ſi pacem aliquando faceret cum hoſtibus ſuis, ita Archiepiſcopi negocium conficeretur, ut quemadmodum fuit belli particeps, ita ipſe, ſuiq. homines pace perpetua fruerentur. Hæc atque alia diligentiſſimè Philippus curauit: Verum eo mortuo eius affines Aldigerius Fontano, & huius frater, ac filii, Ferraria pulſi, Rauennam ueniunt, grato animo ac benignè a Rauennatibus excepti: cum quibus etiam coniuncti, in ea Iulii, & Aldrouandini Turchi bona, quæ Argentam reſpiciebant, facto impetu multa deprædati ſunt. Quamobrem Opizo Eſtenſis Ferrariæ Regulus, Fontanorum bona ſubhaſtari, ædes ſolo æquari iuſſit. quãquam ab eo die quo Philippus Opizoni adoleſcenti, ac penè puero, vrbis dominatum capienti, reſtitit, uti ſupra docuimus, periclitari ceperant Fontani, tametſi in ciuitate plurimum poſſent. Rauennæ Ioannes, Guglielmi filius, Aldigerii frater, ali-

quot poſt annis vxorem accepit Honeſtinam, nobilem iuuenem, Honeſti ex Honeſtorum Rauennate familia, primaria, & Sanguineæ filiam. Decimo kal. Nouembr. Rauennæ, in maioris templi porticu, ipſius Chorus Eccleſiæ, tum uacantis, Rainerium Princettum, Iudicem olim Parmenſem, tunc Rauennatem, procuratorem ſuum fecerunt, in cauſa, quæ illis erat cum Malateſta è Veruculo, ciue Ariminenſe; ita enim in iis tabulis ſcribitur; uel cum Paulo eius filio, ſeu uxore ipſius Pauli, quæ ſe dixerat hæredem Comitis Glazoli, in iis bonis, ac iuribus, quæ ad Rauennatem Eccleſiam ſpectarent. Mox. XII. kal. Decembr. ad Cæſenatem Epiſcopum ſcripſerunt, ut memoria repeteret decretum Prouincialis Synodi, Rauennæ habiti, eo anno, quo præſenti anathemate notari eos uoluerunt, qui aduerſus Rauennatis Eccleſiæ, eiusque conuentus, bona agerent, aut illa occuparent: Itaque cum magiſtratus, ac Reſpubl. Cæſenas, & Malateſta Ariminenſis pleraque nuper occupaſſent Eccleſiæ Rauennatis loca, petere, ut eam execrationis ſententiam in illos explicaret diebus feſtis. Idem ſacratis uiris Cæſenatibus ſcripſerunt. Nequaquam leues interim contentiones Bononienſes cum Venetis exercebant, iisque diebus commiſſo ad Primarium Padi portum prœlio, eos fuderunt: Rauennatibus ſummam opem ferentibus: qui cum partem prædæ ex hoſtibus captæ Rauennam conuexerint, Anſelmus ForoCornelianus anno M. CCLXXII. Bononiæ Præfectus, Senatu habito, a Rauennatibus decernit, non modo omnem prædam, ſed quæ etiam Dominicus Bonioannes, Martinus Rubeus, Petrizoli filius, Iacobinus Pariſius, Petritiolus, Rolandus Marinus, Ioannes Vetrana, ſex Bononienſes milites, bello egregiè uulnerati, & Rauennæ fato functi, ibidem reliquerant, repetenda: alioqui bellum Rauennatibus, ſi negarent, indiceretur. At breui poſt, Luchinus Gattaluſius, in Præfecturam Anſelmo ſuffectus, Senatu habito, mirari ſe ait, quid ſit, cur cum tamdiu, atque adeo ardenter Bononienſes Rauennatium fœdus, atque amicitiam expetiiſſent, ipſique Rauennates, nullo Bononienſium ſtipendio, ſolo iure fœderis impulſi, voluntate, nomina dederint, a Bononienſibus ſteterint, pro illis pugnauerint, & Venetos è loco, ubi ſe ad Primarium poſuerant, deiecerint, tamen partem illis prædæ inuideant. Itaque uideri ſibi ad tuendam, & conſeruandam cum Rauennatibus amicitiam, ne quid ab ipſis repeteretur. Honoris autem, & uirtutis ergo, hæredibus: Bononienſium, qui egregiè fortes, in prœlio uulnerati, Rauennæ, pro patria deceſſiſſent, ſingulis centum pecuniæ Bononienſis libræ numerarentur. Quod cum Senatui, & maſſæ populi placuiſſet, dimiſſum eſt Concilium, Rauennatesque in fœdere conſeruati. Sacrati uiri Rauennates. VIII. Id. Decembr. procuratorem ſuum faciunt Hominem ſancti Andreæ; id ciuis Rauennatis nomen eſt; Cambii Artuſini filium, qui Romam ad Pontificem adiret, priuilegia, & tabulas publicas, quibus Rauennatis Eccleſiæ, in Prouincia Flaminia, ceterisque Prouinciis, iura continebantur, ipſi Pontifici, & Cardinalibus oſtenderet, ea ſeruari ut iuberet curaret, ab Venetis præſertim, & Bononienſibus, aliisque ſacris, & prophanis, a quibus occupabantur, Eccleſiæ Rauennatis, quæ adhuc Antiſtite uacabat, opida, prædiave, & moleſtia,

ANN. M. CCLXXII.

atque iniuria afficiebantur. Adhæc, quas Philippus Archiepiſcopus tabulas, contra ipſius iura Eccleſiæ confecerat, eas abrogari, & in integrum omnia reſtitui, mandaret. Is Pontifex Gregorius erat Decimus, Placentinus, ex nobiliſſima Vicecomitum familia, qui poſtquam ab obi-
ANN. M. CCLXXIII. tu Clementis Quarti uacauerat Pontificium ſolium, annos ferè tres, in Syria cum eſſet, in locum Clementis, fuerat ſuperiore anno ſuffectus: Poſtero, coram Henrichetto Bayſio, Prætore, & Thoma Ghiſilerio, Præfecto, Rauennatium; quem Capitaneum, & Defenſorem etiam uocabant; Ioannes Benſaius Reipubl. Rauennatis Syndicus, Gullielmo Trauerſariæ, eiusque ſociis, in quibus duo Guidones Polentani erant, Lamberti alter, alter Alberici filius, uectigalia, portoria, tributa, & cetera huiuſmodi, quæ eius ſæculi uoce appellabantur, maltolecta, molarum quoque frumentariarum redditus, libris quattuor millibus uendidit: iiſdem pactis, eoq. fœdere, quæ Reipubl. Rauennati, cum Bononienſi erant. Cum uerò Fauentini nequaquam deſinerent moleſtia afficere Eccleſiæ Rauennatis opida; ſacrati uiri Rauennates, diris eos deuouerunt, & hanc in eos execrationis, interdictiq. ſententiam explicuerunt. *In nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti Amen. Aldrouandinus Archidiaconus, & Chorus Eccleſiæ Rauennæ, in quibus reſidet poteſtas, & auctoritas dictæ Eccleſiæ, eadem ſede uacante, conſideratis uenenatis morſibus, & atrocitatibus Fauentinorum, qui lacerare, & conterere conſueuerunt ipſam Rauennatem Eccleſiam matrem ſuam, ut non ſolum ipſi a nunc incœpto deſiſtant, ſed & ceteris ad ſimilia materia precludatur, Poteſtatem, Capitaneum, Antianos, Conſules, conſiliarios, & ſcriptores ſtatutorum Ciuitatis Fauentiæ, & omnes alios, qui opem dederunt, ut caſtrum Aurioli, cum pertinentijs, transferrent ad iuriſdictionem Communis Fauentiæ, de facto, munitionibus præmiſsis, excommunicamus, & anathematizamus, ſiue excommunicatos denunciamus, & Eccleſias ac Ciuitatem totam Fauentinam Eccleſiaſtico ſubijcimus interdicto: renouantes excommunicationes quondam prolatas per comprouinciales Epiſcopos, in prouinciali Synodo, contra inuaſores bonorum Eccleſiaſticorum: Nihilominus etiam excommunicamus prædictos, pro eo, quia Epiſcopus Fauentinus pluries requiſitus, quòd procederet contra prædictos ad excommunicationis ſententiam, & alias pœnas, fuit ſuper hoc negligens, & remiſſus, nec in aliquo obedire uoluit Choro ſanctæ matris Eccleſiæ Rauenn. lata fuit hæc ſententia in Eccleſia Rauen. anno MCCLXXIII. die XII. Octobr. Indict. prima: multis præſentibus.* Interea uacante ab Friderico Secundo, ad hæc tempora, Occidentis Imperio, Rodulfus Habſpurgenſis Regulus, qui primus Imperium in Auſtriacam domum intulit, Cæſar creatus eſt: Is igitur hoc anno, Gregorio Pont. Max. ad Viennam occurrens, Romanæ Eccleſiæ ſacramentum præſtari ſolitum, dixit, ac Rauennam ſponte, eiusq. Exarchatum, Flaminiam item, & Aemiliam reſtituit, quæ ab Friderici primi Sueui, cognomento Ahenobarbi tempore, ad hunc Pontificem, uario euentu, per centum uiginti annos abſtracta uio-
ANN. M. CCLXXIIII lenter ab Eccleſia fuerant. Inſequenti anno, qui fuit MCCLXXIIII. Tert. Id. Febr. G. Epiſcopus Regienſis, Rauennam ſcripſit Aldreuandino Archidiacono, Drudoni Præpoſito, & vniuerſo Rauennatis Eccleſiæ choro, litterasq. Gregorii Pont. miſit, Lugduni XII. kal. Ian. datas, in quibus Pontifex illi mandabat Epiſcopo, ut quamquam euocati ad Concilium fuerant generatim

tim Eccleſiarum Antiſtites, tamen ipſe huic legi modum adhibens, ob ſumptus, aliaq. impedimenta, uoluit, ut è ſingulis dioeceſibus, ſinguli Abbates non exempti, ab aliis collegis eorum, item Abbatibus, Prioribusq. Præfectis, eiuſdem dioeceſis pari ratione nequaquam exemptis, procuratores fierent, ad recipiendum Apoſtolicum mandatum, de iis, quæ agenda in Concilio eſſent: Idem a Præpoſitis, & aliis Antiſtitibus Eccleſiarum non Cathedralium, iuſſit ſeruari, qui a ſuis collegiis procuratores inſtituerentur. Pro ſingulis uerò conuentibus Cathedralium Eccleſiarum, Decano, & maiori Archidiacon. cuiuslibet Cathedralis Eccleſiæ ab ipſis conuentibus ad idem Concilium mittendis, ac aliis maioribus, eiuſdem conuentus, ſi eſſent Decanus, Archidiaconusve impediti, uel eorum alter. Mandat autem Epiſcopo Regienſi Pontifex, ut hæc ſacratis uiris Rauennatibus ſignificari, ab eisq. ſeruari curaret. Eodem hoc anno, octauo Kal. Iulii, Fauentiæ, in Senatu, Thebaldus Ordelafus Foroliuianus, eius ciuitatis Prætor, & Florentius Floramontes, Brunusq. Aſpronius, eius procuratores Reipublicæ, Senatus vniuerſæq. ciuitatis nomine, Oliuerium Canonicum, ac Sacerdotem Fauentinum, procuratorem ſuum fecerunt, qui Rauennam iret, & a Rauennatis Eccleſiæ choro, anathematis, atque interdicti abſolutionem peteret, quibus ob caſtrum Auriolum occupatum, notatos iam fuiſſe Fauentinos docuimus: Adfuere, cum hæc mandata a Fauentinis ſunt, multi, ſed imprimis Thebaldellus Zambraſius, uir eo tempore inſignis. Rauennates autem ciues, patria ab aduerſa factione pulſi, coniunctis cum Foroliuianis, Ariminenſibus, & Cæſenatibus, copiis Forumliuii primo, vbi copiæ cogebantur, mox Fauentiam profecti, opem Lambertatiæ Bononienſium factioni, id maximè poſtulanti; aduerſus Hieremianos tulere: Quamquam enim fuerunt a Manfrediis, ne urbem ingrederentur, prohibiti, eaque nocte ad flumen Anemonem, poſtridie manè ad flumen Martianum, qua pons arcus dicitur, caſtrametati ſunt, tamen porta Montana ab Achariſiis in vrbem introducuntur, Manfrediis abeuntibus. Inde ad opidum Sancti Petri progreſſum eſt, mox ad Solarolum, in quo Manfrediani erant: opidoque haud ita diu poſt expugnato, ex hoſtibus plerique ceciderunt, multi captiui Forliuium abducti, in quibus Albericus Manfredus fuit. Tum Achariſii duos Foroliuianos ciues, Superbum Argulioſum, & Thebaldum Ordelafum, ſimul Fauentiæ Prætores deſignarunt: Bononiæ ex Lambertatiis multi in carcerem, uinculaq. coniecti, Caſtellanus Andalous, Miſottus Vrſus, Petrus Carbonenſis, Barufaldinus Sturlictus, Thomas & Michael è Principibus, Scanabiccus Scanabicchius, Gualterinus Macagnanus: Quoniam uerò aduentare ſubſidio Hieremianorum, è Ferraria, Mutinaque milites dicebantur, Lambertatii cum uxoribus, filiisq. ad montes fuga uix elapſi. Fauentiam ſe receperunt, ad quam urbem licet caſtra Hieremiani, Manfrediiq. admouiſſent, oppugnatione tamen, ad D. Perpetuæ cœnobium fruſtra tentata, re infecta, receſſere. Meduli ForoCorneliani, Fauentiam ipſi quoque abierunt, cum Manfrediorum ædes, Acariſii, Lambertatiis è Bononia, ForoCornelio, & Bagnacauallo, prædia dediſſent. Gulielmus Pacius è Valle Arni, miles inclytus bello, Lambertatianis copiis præficitur. Foroliuianas ductabat Guido Montis Feltrii Comes: Hieremianis, Malateſta Ariminenſis, Dux præerat: neq. iam è Flaminia

ſolum, ſed è Tuſcia, Galliaq. Ciſalpina multi, Hieremianos iuuabant auxilio, qui denuò Fauentiam aggreſſi; cum Gulielmus ad obſidendum Solarolum, cum militum robore, abeſſet; quamquam Fauentinos ſeſe in uia illis obiicientes, reiecerant; aduenientibus tamen Rauennatibus, ac Foroliuianis, tamdiu, ſtrenue repugnatum eſt, dum; accurrente cum exercitu Gulielmo; Malateſta, Hieremianiq. in fugam acti ſunt: multi deſiderati; in quibus Vgulinus Thebaldus, Iacobinusq Beccatellus, & Rodulfus Pacius fuerunt: plures capti. Alberghettus Manfredus, equorum obtritus pedibus, Forumq. Cornelii adductus, poſtquam diu iacuit, exceſſit è uita. Eodem hoc anno, Rauennatis Eccleſiæ Chorus, quo etiam conuenerant cucullatorum omnium Rauennatium Præfecti, Aldreuandinum Archidiaconum, Drudum Præpoſitum, & Ioannem D. Ioannis Euangeliſtæ Abbatem, ad Concilium, Lugdunum, mittunt, qui mandata Patrum, & præſcriptas ſibi a Pontifice leges acciperent; Huius autem profectionis, ea etiam fuit cauſa, quòd ab Philippi Archiepiſcopi interitu, non parua fuit inter ſacratos uiros diſſenſio, qui pro Archiepiſcopo deligendo in Vrſianam ædem conuenerant. Alii enim, Guillelmo Trauerſaria, & Guidone Polentano maiore, Alberici filio, rem iuuantibus; Perceuallum Lauanium: alii Archidiaconum Bononienſem ſublegerant. Vtriſque autem coram Gregorio Pont. Max. pro electionis confirmatione diſceptantibus, neque ſatis conuenientibus, uiſum tandem illis eſt, rem omnem ad eiuſdem arbitrium Pontificis conferri. Itaque Gregorius, utrum Archiepiſcopum con firmaſſet, maxima odii ſemina intelligens in alterius animum inſinuari, vtrum que reiiciens, in eo Concilio; quo & Palæologus Cæſar Byzantius cum magno exercitu profectus, tertiadecima uice, in ſententiam Romanæ Eccleſiæ, Græcos toties deficientes protraxit, Bonifacium ex D. Dominici familia, Lauaniæ gentis religioſum uirum, & diſertiſſimum, quem ad Philippum Francorum Regem, D. Ludouici filium, oratorem miſerat, Archiepiſcopum Rauennatibus, in demortui Fontanæ locum tribuit, litteriſq. ad Parmenſem, & Cymaclienſem Epiſcopos, Bellicadri, pridie Non. Septembr. anno Pontificatus quarto ſcriptis, iuſſit, illi Archiepiſcopatus poſſeſſionem dari. Quoniam uero implicatum erat aliquot difficultatibus id negocium, denuò
ANN. M. XVIII. kal. Decembr. cum Mediolanum ueniſſet, per litteras Benedicto
CCLXXV. Anagnino mandauit, Canonico Pariſienſi, ſibiq. a ſacris, ut in poſſeſſionem mitteret Archiepiſcopatus, eiusque opidorum, Bonifacium. Poſtero anno ſacrati uiti Rauennates, Peregrinum Plebis Archoadæ Canonicum, ab Canonicis Hadrianis, eius ciuitatis Epiſcopum electum, confirmarunt. Iacobo enim Hadriano Epiſcopo demortuo, Rauennatis Eccleſiæ chorus; cum adhuc Bonifacius Archiepiſcopus non eſſet; facultatem eligendi Epiſcopi, Martino Archipresbytero; & Gregorio Canonico Hadrianæ Eccleſiæ, dederat. Tumultibus, omnia, hic annus, in Flaminia impleuit: VII. Id. Iunii Hieremiani, qui Bononiæ tum florebant, cum Foro Cornelianis ciuibus, & exulibus Fauentinis, fœderatorumque Galliæ Ciſalpinæ, & Tuſciæ auxiliis, caſtra locant ad pontem Sancti Proculi: unde poſtquam omnia late populati ſunt, opidum Taibanum oppugnant; uerum, iis, qui erant in præſidio ſtrenuè repugnantibus, pleriſque eorum uulneratis, interfectisque in caſtra redierunt; cum eo die; fuit is tertio Id. Iun. Guillelmus

lelmus copiarum Lambertatiarum, qui Fauentiæ commorabantur, Dux, & Maghinardus è Soſenana Fauentiæ Prætor, porta ForoCorneliana, cum copiis, egreſſi, inſtructa egregiè acie, ſeſe hoſtibus oſtentaſſent. Contra, Hieremiani & ipſi poſtridie eius diei, educta è caſtris acie, pro uallo ſteterunt, mox uſque ad D. Proſperi cœnobium, omnibus quæ inuenerant, direptis, ac uaſtatis, procurrerunt. Itaque cum Lambertatiorum, & Reipubl. Fauentinæ legati, Forliuium profecti, etiam atque etiam ſociorum auxilia poſtularent, eò ſe recepere Rauennates exules, Idibusq. Iun. unà cum Guidone Comite Montis Feltris, Lambertatiæ factionis in omni Flaminia generali copiarum Præfecto, Guidone nouello, Manfredo eius filio:& Comitibus Bandino Tancredo, Rogerio, & Tigrino filiis Guidonis, Mutilianæ Comitis, exulibusq. Ariminenſibus, ac Cæſenatibus Fauentiam abiere: Inde tum porta Rauennati, tum ForoCorneliana egreſſi, cum per itinera deuia ad Hieremianos perueniſſent, conſertis manibus, prœlio admodum ſecundo uſi ſunt: cum maior eius uictoriæ gloria, penes Lambertum,& Guidonem Polentanos,Franciſchinum, Vitalem, & Vbaldum Saxos, ciues Rauennates, extaret. Occubuere autem eo prœlio, extra eos, qui Senio amne demerſi ſunt, ex Hieremianis ſupra tria millia, in quibus Nicolaus Bazalerius, Rigutius Galutius, Thomaſinus Arioſtus, Vgolinus Zambonus, Nicolaus Tencararius, Sopranus Stupa, Lambertinus Pacius,Vgonettus Gariſendus,Guillelmus Malauolta, Albertus Sala, & Bartholomæus Baſacomatra eminebant; confeſtim autem uictor exercitus, in Bononienſem agrum profectus, uineas, arboresq. incidit,domos,ac ſegetes combuſſit,Rheni amnis ſepta reuulſit, & rediens,opidum S. Petri igne cremauit. Tum Foroliuiani cum Guidone Montis Feltrii Comite, Lambertatiisq. ac Fauentinis militibus, tertio kal. Iul. progreſſi Ceruiam, eam vrbem, Bononienſibus pulſis, occupant,quam antea anno; M CC LIII. ipſi Bononienſes, diu obſeſſam,de Venetorũ manibus abſtraxerant: tertioq. poſt die, arcem etiam Imperatoris,ea in vrbe,expugnant,ſic ut ſegete,uino, inſtrumentis bellicis relictis, iis, qui in præſidio erant,militibus,abire incolumibus liceret. Riuerſanum in opidum, tribus millibus paſſuum Cæſena procul, copias duxere, ibiq. Malateſta, qui erat Cæſenæ, & opidi ſubſidio, cum aliis Cæſenatibus accurrerat, in fugam actus, rediit Cæſenam,Galeottus Lambertinus Bononienſis, Cæſenæ Prætor, & Rodulfinus Ganazeſius, quem alii Galigeſem ſcribunt, in arcem opidi fugientes, capta paulo poſt arce, Forliuium V I I. Id. Septembr. captiui, cum aliis uiginti tribus, adducuntur: reliqui liberi dimiſſi: Quamobrem imperata Foroliuianorum facere Cæſenates promiſerunt; deſignaruntque grati animi ergo, Prætores Foroliuianos, duos, Theodericum Ordelaſum, & Arguliosum Arguliosium: tumque in patriam reſtituti Raules Mazolinus, & Rainutius Pocaterra Cæſenates exules. In hac inſigni rerum perturbatione, Guido Polentanus Lamberti filius, cui minori cognomentum erat, ut a maiore, qui tunc etiam uiuebat, Alberici filio, internoſceretur, ſubſidio equitum, qui ſibi miſſi a Ioanne Malateſta, cognomento, Claudo, Arimino fuerant, aduerſariis ciuibus, Trauerſariis præſertim, ſeditione facta, pulſis, Rauenna potitus eſt.Inter eius aduerſarios præſtabant quoq.Comites,in quibus Rogerius gloria pacis,ac belli clariſſimus habebatur: isq. Rauenna eiectus in exercitu Foroliuianorum, cuius erat

 Imperator

Imperator Guido Feretranus,uti diximus,ſumma rei bellicæ uirtute militauit: eiusq. maximè conſilio Foroliuiana Reſpubl. quæ ut gratum faceret Fauentinis, Tiberianos oppugnabat, extrui opidum Cotignolam iuſſit, anno M. CCLXXVI. Inde enim & Fauentino agro munitionem, & Tiberianis; hos enim Bagnacauallenſes eſſe putant; incommodum accedere uidebatur. Quoniam autem de Polentanis incedit ſermo, ipſiq. augere uires,minuentibus in dies, illas, Trauerſariis, nunc cœperunt, illud non eſt omittendum; aliquos non deeſſe,qui horum familiam è Germania originem duxiſſe putent: ea forte conicctura ducti, quòd omnes Reguli, qui in Italia iis temporibus florebant, maximam partem inde profecti dicantur. Malateſtæ, Onari, ſeu Romani; ex quibus Ezzelinus fuit; Gonzagæ, Carrarii, Scaligeri, Guidi, Feretrani, compluresq. præterea. Verum ii omnes illuſtri initio aduentum in Italiam ſuum,non abſque honorificis prouinciis, ſignificarunt, quod Polentanis haud contigit, qui exiguis uiribus paulatim creſcentibus, tandem vrbis Rauennæ dominatum arripuere. Itaque ſum in eorum ſententia, qui dicunt, Polentanos, ex opido Polenta, quod Rauenna haud procul, ad Apenninum, iuxta Brironorium, abeſt, initium traxiſſe, eosq. non opidulum ipſum ædificaſſe, ut plerique opinantur, ſed incolas fuiſſe, & tandem diuites factos, illud emiſſe. Ex his, Guidonem quendam ſeniorem, cuius antiquior apud nos recenſetur memoria, auctorem fuiſſe legimus, a quo Lambertus, Hieremias, & Albericus orti ſunt,omnes obſcuri nominis, & intra limites priuati ciuis incluſi, quemadmodum & Hieronymus,ac Gualfredus item Polentani: qui quo gradu affinitatis ſuperiores illos attigerint, penes me incertum eſt. Lamberto, & Alberico fratribus, filium cuique fuiſſe, Guidonem nomine, reperio, Albericiq. filium, Guidonem maiorem cognomento Ritium, aliquot opidulorum, Ciuoriiq. potiſſimum dominum, qui & opidum Polentam vnà cum reliquis Polentanis emphyteutico iure, ab D. Ioannis Euangeliſtæ Rauennatis Abbate acceperit: Lamberti verò, Guidonem minorem vocatum: qui tametſi per aliquod tempus priuatus uixerit ciuis, & vnà cum Lamberto patre Archiepiſcopi Rauennatis Procurator, & Vicecomes fuerit, Rauenna tamen, uti ſupra docuimus, potitus eſt. Quattuor habuit filios, Bernardinum, Lambertum, Hoſtaſium, & Banninum, qui Polentanam familiam plurimum illuſtrarunt: in quibus ut felix fuit, ita aduerſam in Franciſca filia condicionem expertus eſt. Bonifacii Rauennatis Archiepiſcopi virtus hoc maximè tempore emicuit, qui Prouinciæ ſuæ Rauennatis populos, magno æternæ ſalutis animorum damno, inter ſe acerbè diſſidentes, conciliare conatus, magnum prudentiæ, agendarumq. rerum peritiæ ſpecimen dedit. Quamobrem arbiter omnium ferè diſſidiorum, quæ publicè hoc tempore in Prouincia vigebant, conſtitutus eſt: coactoq. ob id; hoc eodem anno MCCLXXVI. pridie Non. Ianuar. Arimini Senatu, ab Hermanno Sentinate, eius urbis Prætore, ac Præfecto, Berlingerius Ariminenſis ciuis, ea de cauſa eſt procurator factus, ut apud Archiepiſcopum omnia polliceretur, ac ſponderet, quæ polliceri, quæq. ſpondere poſſent, ipſa Ariminenſis ciuitas, ſuo nomine, atque item Malateſtæ è Veruculo, & Pauli eius filii, exulumq. opidi S. Marini, Dominorum è Plega, S. Agathæ, Ceſenæ, Ceruiæ, Foripompilii, Fauentiæ, Imeldulæ, Caſtrinoui, Britonorii,

tonorii, omnium denique amicorum, aſſeclarum, ſtudioſorum, Reipubl. Ariminenſis, ac Malateſtæ, de pace, cum procuratoribus ciuitatis Foroliuii, Cæſenæ, Foripompilii, Fauentiæ, Ceruiæ, Britonorii, eorumq. amicorum, aſſeclarum, ſtudioſorum, & cum Guidone Montis Feltrii Comite, Ioanneq. Malateſta Ramberti filio, eorum nomine, atq. Ariminenſium exulum: nomine etiam opidanorum S. Marini, S. Agathæ, & Feretrani Comitatus; adhæc cum Honeſto Rauennate, eius nomine, atq. exulum Rauennatium: ſic ut ad Bonifacium Archiepiſcopum; ius, arbitriumq. omne captiuorum, iacturarũ, mulctæ, obſidum, homicidiorum, induciarum ac pacis deferretur: Quod idẽ Rauennæ ſeptimo kal. Febr. factum eſt a Rambaldo Rambaldio, & Vitale Buccolo, ciuitatis Rauennæ Conſulibus, ac Rectoribus, omnium Senatorum ſententia, qui tunc frequentes conuenerant in Senatum. Eodem menſe Petrus Tarentaſienſis Pont. Max. renunciatus, Innocentii Quinti accepit nomen: & cum adhuc poſſeſſionem Archiepiſcopatus Rauennatis liberam accipere Bonifacius non potuiſſet, quòd Gregorio Pont. mortuo, Perceuallus, & Archidiaconus Bononienſis, electionis iura repetentes, ſeſe illi obieciſſent, aliquidq. omnino effecturi aduerſus eum uidebantur, Innocentius, cum rei merito, tum ſocietate eiuſdem ordinis; nam & ipſe ex D. Dominici familia cucullatus fuerat; impulſus, efficacibus ad eoſdem Parmenſium, & Cymaclienſium Epiſcopos datis litteris, mitti Bonifacium in Archiepiſcopatus poſſeſſionem, omni ſublata contentione, mandauit. Quod & factum eſt. Cum autem maxima impendia Archiepiſcopatus, ob Philippum Fontanam ab Ezzelino redimendum facta, multaq. ob inimicitias a Philippo pro Eccleſia Romana ſuſceptas, Rauennatis Archiepiſcopatus opida funditus diruta fuiſſent, Põtifex, ut aliqua ex parte tot damna reſarcirentur, D. Mariæ templum Ruſtillanum, ſiue ab Turri; quod in Foroliuienſi diœceſi eſt; unà cum eiuſdem uectigalibus, ac fructibus, per annos decem, Bonifacio Archiepiſcopo dari iuſſit: quibus elapſis, ad Pompoſianum Abbatem, quem ſpectat, rediret. Aliquot legibus hoc tempore, Bonifacius, a Vicecomite ſuo latis, conformauit, montis Columbi incolas: erant autem illius Vicecomites, in Foropompiliana Diœceſi, Guido, & Aginulfus è Romena, Comites in Tuſcia Palatini, qui in iis tabulis, inſigni admodum, ut illis temporibus, titulo, illuſtres Domini appellantur. Ceterum, ut maiore adhuc beneficio, Innocentius, Bonifacium afficeret, has dedit ad eum litteras. *Innocentius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Venerabili fratri B. Archiepiſcopo Rauen. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Tuã uolentes honorare perſonam, & per honorem tibi exhibitum, alijs prouidere, ut omnia beneficia Eccleſiaſtica tua Prouincia, quæ tanto tempore iam uacarunt, quòd eorũ collatio, ſecundum Lateranenſis ſtatuta Concilij, eſt ad ſedem Apoſtolicam legitimè deuoluta, conferendi perſonis idoneis: cum tibi, ſicut aſſeris, in Prouincia ipſa, nulla quaſi beneficia, quæ ad tuam collationem pertineant, haberentur, auctoritate præſentium concedimus facultatem. Dat. Laterani VII. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo.* Quarto autem kal. Sextil. Bonifacium, qui in omnibus huius tẽporis tabulis, Apoſtolicæ ſedis Legatus appellatur, Senogalliæ fuiſſe reperio. Rauennæ tamen fuit. V. kal. Septembr. quo die ſcripſit ad Franciſcum è Lauania, Canonicum Furnenſem, ut conueniret Prætorem, Præfectum, Antianos; utor eorum uocabulis; & ſapientes Reipubl. Foroliuianæ, quorum cõ-

ſilio ipſa ciuitas regebatur, & iuberet eos a uexandis Eccleſiæ Rauennatis oppidanis, Foropompilianæ Diœceſis deſiſtere, & ab exigendis mulctis, quas occaſione exercitus Glazoli hominibus Tudurani, Bagnoli, Quillani, Vallis fõdi, Foſſæ, Molendini ueteris, & Montis Abbatis dixerant: alioqui in eos ex iure ageretur. Hæc cum Franciſcus, tertio kal. ad Senatum mane retuliſſet, addidiſſetq. Bonifacium Archiepiſcopum noluiſſe, ut in expeditionem aduerſus Glazolum, Bagnacauallum, & Forum Cornelii, cum ipſis Foroliuianis proficiſcerentur, paratumq. eſſe apud quos uellent iudices, reſpondere, ſi quid iuris Foriliuiani illis in opidis ſibi eſſe affirmarent, ueſperi eadem retulit Ioanni Malateſtæ Prætori, Superbo Arguliofo, Aliotto Pipino, & aliis, cum iniuriis quotidie adderentur iniuriæ. Verum iis parum proficientibus, Bonifacius execrationis in eos ſententiam, Rauennæ kal. Septembr. explicuit, ciuitatiq. & ſuburbiis, ad quartum lapidem, interdixit ſacris; per litterasq. mandauit Damiano Primicerio Foroliuiano, animaduerſionis Eccleſiaſticæ denunciatione, ne ſacri campani æris ſono vteretur, neque popularium ſepulturæ ſacrati uiri intereſſent, neu loco ſacro tumulo eos componerent. Eodem hoc anno, ex Rauennatibus quadringenti opem Hieremianis, qui tum Bononiæ dominabantur, tulere: qui coacto etiam ex Mutinenſibus, Regienſibusq. ſubſidio, aduerſus Foroliuianos caſtra mouerant, in ſpem adducti, fore, ut ea vrbe per aliquot ciuium factionem, potirentur. Fuere ii Paganinus Arguliofus, & Guilelmus Ordelafus, Foroliuienſes ciues, qui eum in ciuitate, gratia plurimum & factione valerent, iis nequaquã contenti, ut eſt impotens regnandi libido, arripere etiam dominatum tentarunt. Itaq. tumultu excitato, & ut populares deterrerent, inclamantes, Prætorium, propè maximum vrbis templum, incẽdunt: nihil omnino intentatum, pro re ſua, proq. victoria, relinquunt. Verum poſtquam diu fruſtra maiorem tumultus molem, &, quæ in his accidere ſæpe ſolet, licentiam expectaſſent, & multa agitantibus, nihil procedit, acerbè inimicis minitantes, ſibi ſociisq. diffiſi, ex vrbe ſe, perinde quaſi ab ea defeciſſent, Florentiam proripiunt. Ibi cum Guelfis Florentinis, cumq. Hieremianis Bononienſibus tradendæ illis patriæ conſilium ineunt. Sexcentos ciues Foroliuienſes eam rem iuuaturos, ſacramento pollicentur. Cum autem Bononienſes, Legatis Florentiàm miſſis, condicionem tandem, datis obſidibus, accepiſſent, Rauennates, uti ſupradiximus, acceſſunt. Florentinarum copiarum Guido Saluaticus, Rogerii è Douadula filius, & Baſcheria Toſingus, Florentinus fuere ductores: quamobrem conſtituto die, qua Bononienſes, Rauennatesq. in Fauentinum agrum irrumperent, ut abducerent Fauentinos ab ferenda Foroliuianis ope, Florentini ſeſe ex Alpibus IIII. Non. Octobris demittentes, opida Foroliuienſium, ad Apennini radices, pleraq. occupant, Rainerioq. Calbulo, Lucio Valbona, & Regulis Perteſetæ, Foroliuienſibus ciuibus, ex vrbe abeuntibus, remq. iuuantibus, Ciuitellæ ſuburbium, & Planettum capiunt, & optimo præſidio firmant. Ceterum cum ad Valbonam, Idibus Nouembr. progreſſi, Valdoppium, Valcapram, Montem veterem rochorum occupaſſent, Guido Montisfeltrii Comes, Foriliuii Præfectus, fœderatiq. exercitus Imperator, ne malum ſerpere latius, cum Guidone Nouello, & Lambertatiis, ac Fauentinis, ceteraq. militari multitudine, quæ Foriliuii erat, egreditur vrbe, ad ſuburbium Ciuitellæ caſtra admouet, & inita pugna,

gna, XVIII. kal. Decembr. tandem recipit, captis ibidem Paganino, & Guglielmo, Franciſchinoq. Paganini filio, qui fuerant tanti facinoris auctores, multiſq. præterea ex coniuratis: cum & in prœlio plures cecidiſſent, in quibus Henricus, Lucii Valbonæ filius fuit. His Guido Saluaticus acceptis, traiectis ipſe alpibus, Florentiam, Bononienſes, ac Rauennates, domum quiſq. ſuam rediere. Guglielmo, Paganinoq. eius filio, Cæſenæ, in turri Imperatoris, ceruicibus abſciſſum caput. Haud ita diu poſt, eodem menſe, Guido Polentanus, cum aſſeclis ſuis, Fauentiam, a Tibaldello Zambraſio, qui eius principatum ciuitatis, una cum reliquis Acariſianæ, Lambertatiæq. factionis proceribus, gerebat, porta, quæ ForumCornelii reſpicit, patefacta, inalbeſcente uix ad huc cælo, introductus eſt, cum Hieremianorum, qui tum etiam introducti ſunt, partes iuuaret, eſſentque illi ſocii Fantolinus, & Tinus, Vgolini Fantolini filii, Catanei è Saxatello, Bernardinus Cunii Comes, Albericus, & Manfredus Manfredii, & Nordilii ForoCorneliani, horumq. ſatellites: magna tum eſt cædes facta, traditi in carcerem multi: Acariſii, quiq. Lambertatiam factionem fouebant, omnes, dum nihil hoſtile tunc temporis a Tibaldello eorum factionis principe metuerent, fuga uix elapſi: pleriq. armati, alii inermes, multi ſeminudi, Forumliuii abiere, direptæ domus, neq. religioſis locis, quò plures conuenerant, temperatum. Bonifacius Archiepiſcopus Rauennas cum Albertinum, & Guglielmum Fontanos, exules Ferrarienſes, induxiſſet, Argẽtam, aduerſus Obizonem Marchionem Eſtenſem bellum, aciemq. ſtruxit: ſed cum aliquandiu diuerſis eſſet; tumultuariiſq. prœliis, ac excurſionibus, certatum, tandem proximo anno VII. Id. Mai, pax conuenit, de qua in tabulis ipſis hæc verba leguntur. *Ad honorem S. matris Eccleſiæ, & Domini ſummi Pontificis, & ad honorem Domini Caroli Excellentiſsimi Regis Siciliæ, & ad honorem, ac bonum ſtatum & quietem venerabilis patris Fratris Bonifacij Archiepiſcopi, eiuſq. Eccleſiæ Rauennæ, ac magnifici uiri Domini Opizonis, Marchionis Eſtenſis Anconæ, & domini ciuitatis Ferrariæ & omnium amicorum & fidelium S. Romanæ Eccleſiæ, Albertus de Thebaldis de Lugo, Iudex, procurator Ven. patris, fratris Bonifacij Archiepiſcopi, & Pax notarius de Bonamicis, ciuis Ferrariæ, Syndicus Poteſtatis, Conſilij, & Communis Ferrariæ, & procurator præfati magnifici uiri D. Opizonis, ſecundum formam pacis, & concordiæ nunciatæ per Fratrem Stephanum de Arſinigo ordinis Ciſtertienſis, & Gratiadeum de Caluiſiano de Brixia, & Thadæum de Florentia, iudices. Conſiliarios, & ambaxatores præfati Regis, in præſentia, & cum uoluntate ambaxatorum Bononiæ, Mutinæ, ac Regij, & nobilium uirorum Iacobi Rangoni, & Manuelis de Fliſco, Comitis de Lauania, ita conuenerunt. In primis, Syndicus Ferrarienſis, oſculo pacis interueniente, perpetuam, & ſinceram pacem promittit, & quòd de cetero non ſe offendet aliquo modo: & Albertus Syndicus Archiepiſcopi promittit ſe non tenere publicè, uel priuatim in terris Archiepiſcopi, ſeu Eccleſiæ Rauennæ, inimicos, ſeu nuncios inimicorum Marchionis, uel Ferrarienſium.* Hæc ibi. Cum autem de Archiepiſcopi, & Eccleſiæ Rauennatis hoſtibus, Opizonis Eſtenſis procurator eadem eſſet pollicitus, recepiſſetq. ſe opidum Cauallum, & reliqua, libere Archiepiſcopo, Opizonis, ac Reipubl. Ferrarienſis nomine, reſtiturum, Nicolaus Zouenzonus, & Iacobus Baldoini, iudices, quos de Senatus ſententia Aldigerius è Sanaza Prætor, & Garſendonius Lamiſinus, Præfectus, Bononienſes, Legatos miſerant, Reipubl. Bononienſis nomine, pro ANN. M. CCLXXVII.

miſe-

miſerunt, adiecta decem millium marcharum argenti mulcta, Bonifacium Archiepiſcopum, eiusq. aſſeclas, pacem illis condicionibus factam, ſeruaturos. Decreuerat enim Pontifex, ad quē Bonifacius, & ſacrati uiri Rauennates per Opizonem è Lauania, canonicum S. Martini Turonenſis, procuratorem ſuū, arbitrium huius diſceptationis integrum reiecerant, uti pax omninò conueniret, & re omni cum Carolo Rege tractata, eos iudices, uiros grauiſſimos, negocio præfecerant. Miſit etiam Bonifacius; cum in caſtro ueteri eſſet, IIII. Id. Maii adeſſentq. Rolandus Lupus Canonicus Parmenſis, Albertus Thebaldus Lugienſis, iudex, Petrus Toxicus è portu maiori; Iacobinum Baliſteriū, Argentanum, Gulielmi filium, internuncium, qui a Prætoribus, Præfectis, & Senatu Cremonæ, Parmæ, Regii, & Mutinæ, peteret, eadem Iacobino ipſi, promitti per procuratores ſuos, quæ Bononienſes promiſerant. Mox ab Opizone Marchiones Eſtenſi, ſeptem millia librarum monetæ Bononienſis poſtulauit, ob fructus ex Argenta, antequam pacem feciſſent, ab eo acceptos. Opizo cum aditum, Fontanorum excurſionibus facilem, quo penetrari poſſet in Ferrarienſe, nouiſſet, agrum Ferrarienſem, ab Argentano diuiſit, a Pado ad Paludes inter Argentam, Conſandolumq. ducta foſſa. Interea cum Bonifacius Archiepiſcopus Bononienſium partes foueret, quod ipſi ad recuperanda aliquot Eccleſiæ Rauennatis opida ſubſidio ueniſſent, iuriſdictionem omnem, auctoritatem, præſidium, quæ Archiepiſcopis Rauennatibus, ipſiq. præſertim erant, in opido Cauallo, eis per duos annos tribuit. Eodem hoc anno V. kal. Iun. Guido Comes Lauaniæ, Rauennæ Prætor, ut petenti Bonifacio ſatisfaceret, conuocato Senatu, retulit, ut quando ipſe Archiepiſcopus in animo habeat Rauennæ in poſterum commorari, ſibiq. ob id neceſſe ſit, multum ſegetis moli, placeret, licere ipſi Archiepiſcopo conſtruere molam unam frumentariam, in Reipubl. Rauennatis aquis, & ſepta in aliquo flumine facere, dum nulla tamen deſtrueretur mola Rauennatis Reipubl. aut priuati cuiuſquam ciuis: Senatus frequens id, ut faceret, magna uoluntate dedit, tam Rauennæ, quam extra vrbem, ſibi, ſucceſſoribusq. ſuis, eo tamen, ut eam dare, donareve molam Archiepiſcopus cuiquam ne poſſet, ſed ipſius, ac ſucceſſorum, Rauennatisq. Eccleſiæ perpetuò eſſet. Inuiſens deinde Bonifacius Archiepiſcopatui ſubiectas ciuitates, cum Parmenſes cucullati, cognomento Humiliati, qui ad caput pontis incolebant, parere illi perinde ac ſubiecti, & tributa moderata, procurationes appellabant, ſoluere, ſuperbe negaſſent; cum tamen ceteræ religioſæ, ſacræq. domus eadem in vrbe ad nutum fuiſſent paratæ, Bonifacius tandem, cum eſſet in Epiſcopio Parmenſi, ſpectantibus Michilino Rauennate Archidiacono, Gerardo Cornazano Canonico Tornacenſi, tertio kal. Aug. eis aqua, & igni, ſacriſq. interdixit, eadem animaduerſione uſus eſt, cū ciuitatem & diœceſim uiſitaret, in Benedictum Priorem Præfectum, & fratres de Columbario, diœceſis Mutinenſis, ordinis cœnobii de Macola, ipſum Archiepiſcopum accipere, & eadem tributa ſoluere recuſantes; cum eſſet in diœceſi Mutinenſi, apud Plebem S. Mariæ de Rocca, adeſſetq. Franciſcus è Lauania Canonicus Furnenſis, & alii. Tulit etiam in Peregrinum Canonicum plebis Arquadæ diœceſis, Epiſcopum Hadrianum a ſacratorum uirorum eius vrbis conuentu, deſignatum, confirmatumq. a Rauennatibus, uti ſupra docuimus, ſententiam, quòd deficeretur ſacris ordinibus,

neq.

neq. confirmatus ritè eſſet. Hæc a Bonifacio Archiepiſcopo, pro tuendis Eccleſiæ ſuæ iuribus præclarè acta, nobili facinore, & ciuitati admodum ſalubri ipſe præuenerat, pace ciuium, iamdiu inter ſe diſſidentium, optata potius, quàm ſperata. Quoniam verò omni tractationi æquus arbiter, cum eſſet Pontificius etiam Legatus, a Natali Reipubl. Rauennatis, Tiberto autem Cipreſſo Reipubl. Rauennatium ciuium vrbe pulſorum; quos exititios, & extrinſecos appellabant; procuratoribus electus, præfuerat, ea potiſſimum condicione hanc fieri pacem uoluit, ut reſarcirentur aliqua ex parte damnata, quæ illa fuerant, ſanxitq. ut Reſpubl. Rauennas, molas frumentarias ſuas, quæ non eſſent obligatæ aliis, nonnullaq. prætcrea, illis traderentur, qui potiſſimum iacturam, dirutis domibus, ſenſerant: quòd ſi quam Veneti pecuniam dediſſent, ex ea, quam ſoluere quotannis Rauennatibus tenentur, interea dum ſatisfactum iis non fuerit, ea ad hos uſus adhiberetur, ſi tamen prius iis militibus, qui in vrbis præſidio erant, & ad quietem ciuitatis tuendam hic habebãtur, ſtipendium eſſet ſolutũ. In eorum albo, quibus hæc facta reſtitutio eſt, qui multi numerantur, hi maximè præſtant, Vitalis, & Vbaldus Saxi, Guido Paganellus, Ioannes ab Ruuere, Petrus Duſdeus. Hoc etiam anno, Ioanne Vigeſimo primo Pont. Max. mortuo, qui Innocentio V. & Hadriano item quincto ſucceſſerat, in eius locum Ioannes Caietanus Vrſinus, Nicolai Tertii ſumpto nomine, ſuffectus eſt. Poſtero, cum Gulielmo Epiſcopo Regienſi uita functo, ſacrati uiri Regienſes, in Epiſcopo deſignando, minime conueniſſent, ANN. M. CCLXXVIII. Thediſiumq. alii Fliſcum S. Martini Turonenſis Canonicum, alii Franciſcũ Folianum, eiuſdem Regienſis Eccleſiæ item Canonicum delegiſſent, eaq. omnia detuliſſent ad Rauennatem Archiepiſcopum, Metropolitanum ſuum, cũ ſuum quiſq. altero reiecto, confirmari poſtularet, iamq. in ipſa Rauennatis Archiepiſcopatus curia proceſſiſſet diſceptatio, eſſetq. lis conteſtata, Archiepiſcopus, cum profectionem in longinqua loca pararet, Andreæ Archidiacono Foroliuienſi, Vicario ſuo cauſam mandauit: in qua cum eſſet etiam aliquantum progreſſum, Thediſius, per Sorlionem Fliſcum procuratorem ſuum, ad Nicolaum Pont. Max. prouocauit: Pontifex, & Iacobum S. Mariæ in uia lata Diaconum Cardinalem illi quæſtioni præfecit, & litteris ſuis Reate, IIII. Non. Auguſti, Pontificatus ſui anno primo datis, mandauit Andreæ, Vicario, ut quæcumq. ad eam cauſam facerent, ſcripta, actaq. ad ſe mitteret. Per idem tempus Thomas Folianus, Trauerſariæ maritus, Guillelmi Trauerſarii; qui tum Rauenna exulabat, filiæ, & Matthæus Folianus frater, poſſeſſionem foſſæ pudulæ, & Longaſtrini, qui eſt ad Padum uicus, perinde ac eorum bonorum hæredes, acceperunt: Conſtabat enim ex tabulis publicis, triginta iam annis, eam Trauerſarios regionem tenuiſſe. Guido Polentanus, Alberici filius, quòd domum occuparet, D. Apollinaris noui, Rauennæ, in regione; guaitam appellant; D. Michaelis, Nicolai Pont. Max. iuſſu, piorum communione amotus eſt, tertio Id. Septembr. Pontifex per internuncios ſuos, hoc anno, in Flaminiam miſſos, iuſſit, Rauennam, ceteraſq. ciuitates, atq. adeo Bononiam, ad Romanam aulam procuratores, tam eorum qui in ciuitatibus cõmorarentur, quàm qui exularent, nomine, mitti, qui controuerſias ipſorum ad Pontificem deferrent, & compromitterent: Quod & fecerunt. Vbi autem Procuratores ad ſummum Pontificem adiere, qui tum erat Viterbii, omni negocio,

gocio, non abſq. multiplici, contentione, apud Matthæum Rubeum Cardinalem, ipſius nomine Pontificis, tractato, tandem res omnis, compromiſſo interpoſito, ad ſummum Pontificem delata eſt. Poſtulauit præterea Nicolaus Pontifex, uoluitq.& internuncios hac de re ſuos legauit in Flaminiam, ut a ſingulis huius Prouinciæ ciuitatibus, alii procuratores deſtinarentur, qui præſtarent debitum Pontifici obſequium, ſanctéq. affirmarent, Rauennam, ceterasq. huius Prouinciæ ciuitates, ac Bononiam, ad Romanam Eccleſiam ſpectare, illius iuris eſſe, eiuſq. iuriſdictioni ſubiectas. Quod procuratores fecerunt, ipſiq. Pontificii internuncii, ad ſingulas vrbes profecti, quæ a procuratoribus acta fuerant, rata haberi a Republ. harum ciuitatum, ſacramentoq. a quartodecimo ad ſeptuageſimum ætatis annum, fidem ſummo Pontifici, Romanæq. Eccleſiæ obſtringi curarunt. Qui hac de cauſa in Flaminiam poſtremum uenerunt internuncii, & rem confecerunt fuere Guillelmus Durantis, Canonicus Narbonenſis,& Pontifici a ſacris faciendis, Ioannes Viterbienſis,&Laurentius Tudertinus, è familia Dominicana fratres. Nam cum antea Gifredus Eccleſiæ S. Audemari Decanus,Pontifici item a ſacris,& ipſius internuncius, idem Rauennam poſtulatum ueniſſet,reſpondentibus Non.Iul.Bonifacio SamaritanoPrætore,& ſapientum Rauennatum conſilio,teſtantibusque,ſe,Rem publicamq.Rauennatem paratos eſſe,ad obſequium Pontifici,& Romanæ Eccleſiæ præſtandum, uti ſuis Pontifex litteris, ipſeq. Gifredus mandabant; ea tamen condicione, ut quæ iura,ac priuilegia,quasq. prærogatiuas,immunitates, dignitates ad eam diem Eccleſia Rauennas, & ciuitas iam diu habuiſſent, ea integra conſeruarentur, dixerat Gifredus, opponere in tabulis condiciones, quæ forte nequaquam Pontifici placerent, minime decere: quando ipſe Nicolaus ſummus Pontifex, eo perpetuò menſe fuiſſet, ut nemini præiudiciũ fuerit,neque illum Rauẽnatis Eccleſiæ,aut ciuitatis iuribus obeſſe quidquam uelle.Hæc cum eſſent in palatio Mercurii; ita n.in iis tabulis dicitur, Archiepiſcopatus Rauennatis, præſentibus potiſſimum Vgulino Præpoſito,& aliis Canonicis, acta, ſeptimo poſt die, a Senatu Rauennati procurator factus eſt Petrus, Pauli ſcribæ filius, qui a Nicolao Pontifice probari, confirmarique omnia priuilegia, immunitatesq. peteret,quibus Reſpubl.Rauennas Imperii tempore iam diu fuiſſet uſa; & in iis,eligendi ius, habendique Prætoris, vectigalium accipiendorum,ac portoriorum: eorum puniendorum, qui in Rauennati ditione maleficia perpetraſſent: neque plus præſtarent, quàm Imperii tempore præſtitiſſent. Idem de priuilegiis Archiepiſcopi, Eccleſiæq. Rauennatis haberetur. Vt verò pacem inter Flaminios Nicolaus faceret, quam eius arbitratu componendam iam decreuerant, ita uti ſupra dictum eſt,Bertoldum nepotem ſuum, ſeu, ut ait Ricobaldus, Germanum,in Prouinciam cum imperio miſit. Is cum Ariminum,menſe Octobri ueniſſet, arcem urbis recepit, Prætoremq. dedit. Mox Cæſenam profectus idem fecit, ſed morbo oppreſſus, eoq. diuturno,Gentilem filium Roma acciuit; qui Forolinii; magna licet,inſigniq. Romanorum ciuium manu ſtipatus; haud ſatis benignè exceptus, uix Prætorem, Præfectumq. qui præerant,a gubernaculis deiicere,& nouos dare potuit. Maiore plauſu Fauentiam ingreſſus eſt,ſub quadrata aurea umbella, arcisq. & vrbis, eiuſq. uectigalium poſſeſſionem accepit: eodem paulò poſt ſe contulit Latinus Cardinalis,Romanus,Pontificius Legatus,ipſaq.Fauentina Reſpubl.

ut

ut Latino,ac Gentili ſatisfaceret,creauitPrætorem ſuum,Stephanum Ioannis Iordani,proconſulem Romanum,qui kal. Nouembr. magiſtratum iniit. ForoCornelii & Bononiæ acta eadem ſunt: quamquam Bononiæ, quòd Hieremiani in ciuitate principes, pacem facere cũ Lambertatiis, & ciuitatis dominatũ, Præturamq. Latino,ac Gentili tradere abnuerent;diutius ſunt commorati.Itaque Gentilis captiuos omnes, atq. obſides Lambertatianos, qui Bononiæ habebantur,ſibi aſſignari,eosq. ad ForumCornelii ſecum adduci iuſſit : inde Fauentiam profectus,Hieremianos captiuos,a Lambertatiis acceptos,eodem miſit:Ceterũ cum ex Hieremianis pleriq. aufugiſſent,iuſſitCæſenam omnes adduci : quò & ipſe paulo poſt acceſſit,ad Bertoldum patrẽ, qui ex diuturno morbo collectis viribus,ſatis iam firma ualetudine vtebatur:indictoq.menſe Decẽbri conuentu,quo Rauennatũ oratores,ceterarumq.Prouinciæ ciuitatum concurrere,leges promulgauit,quæ a Prouincialibus ſeruarentur. & quoniam Ariminenſes,Archiepiſcopo Rauennati ſubiunctos populos moleſtia afficiebant, ad eos ſcripſit,ut deſiſterent,& rationẽ haberent RauennatisArchiepiſcopi,*quem*, inquit, *Dominus noſter ſummus Pontifex, tamquam honorabile membrũ Romanæ Eccleſiæ, ſpecialiter diligit.* Harum litterarũ hic erat titulus. *Bertoldus de filijs Vrſi, ſanctiſſimi patris D.Nicolai Papæ III.nepos,totius Prouinciæ Romandiolæ,ciuitatis Bononiæ, comitatus Britonorij, & pertinentiarum eorumdem Comes, & generalis Rector.* Perluſtrata deinde BertoldusProuincia,firmatisq.Forliuii,Fauentiæ,Forocornelii magiſtratibus,tractataq. inter ForoCornelianas factiones pace, acceptis utrinq.obſidibus,ineunte anno,qui fuit a partu Virginis ſeptuageſimus nonus ſupra milleſimũ ducenteſimum,menſe Ianuario,Medulos,qui Fauentiæ morabantur,ForoCornelii extorres,in patriam reduxit;profectus inde Rauennã, vrbem,uectigalia, portas,arcem, Pontificio nomine accepit : mox Fauentiam reuerſus, Manfredos,qui exulabant,in patriam reſtituit,ab Acariſiis etiam hilariter acceptos: Quamobrem cum illuc Legatus quoq. ſe contuliſſet, kal. Februar. pax conuenit,pœna iis,qui eam non ſeruarent, decem millium marcharum argenti propoſita. Poſtridie Epulum,Legatus, maximo apparatu,utriuſq. factionis proceribus præbuit:vbi & Guido Comes Montefeltrius,& Thadæus Boncontis Comes,pluresq. præterea nobiles uiri interfuere. Ad Forũ Cornelii deinde itum eſt,quo & Bonifacius Archiepiſcopus Rauennas venerat, ut præſens adeſſet cum pax,in frequẽti cõuentu,mẽſe Auguſto facta eſt,inter Lãbertatios,Hieremianosq. Aderat autem præter Bertoldum Prouinciæ Comitem,& Latinum Cardinalem Legatum, Archiepiſcopus Barenſis, Octauianus Bononiæ,Symbaldus Foricornelii Epiſcopi,& GalliatæAbbas,in ſacra omnes veſte. Hanc autem pacẽ, uiri ex vtraq. factione quinquaginta fecere, tactiſq. Diuinis Euangeliorum libris, iureiurando firmarunt perpetuam: pœna iis,qui contra fecerent, decem millium marcharum adiecta. Tandem cum Rauennam veniſſent,eorum opera Guido Polentanus facile inter ciues primus, cum Trauerſariis pacem fecit, quæ conuenit eò facilius, quòd ſubſidii parum a pleriſq. propinquis poterat Trauerſariis præſto eſſe: Per hos enim dies a Canoſſis vrbe RegioFoliani pelluntur, quibuſcum, uti ſupra docuimus, affinitate iũgebantur Trauerſarii.Itaq. Gulielmus Franciſius dominus domusTrauerſariorũ,Guido Polẽtanus cognomẽto Ritius, Alberici filius,Vincentius Honeſtus,& eorũ aſſeclæ Trauerſariarum partiũ,Vitalis,& Vbaldus Saxi è parte Co

ANN. M. CCLXXIX.

mitum, Rauennam, vnde exulabant, IIII. Id. Septembr. ingrediuntur. Eodem anno Latinus Cardinalis Legatus, Oſtienſis, Veliternusque Epiſcopus Vrſianam ædem, ruinam minantem iuuare cupiens, litteris elegantiſſimis, doctiſſimisq. ſcriptis; erat enim eximius ex ordine Dominicano Theologus; certam pœnæ peccatis debitæ remiſſionem iis indulſit, qui omni criminum labe ritè expiati, in eam ædificationem aliquid contuliſſent. Ad hæc Ariminenſes anathemate percuſſit, quòd occuparent Eccleſiæ Rauennatis opida, in eorum agro ſita, neque moniti, citatiq. paruerant. Cymaclienſes eodem hoc anno pridie Non. Iul. denuò fidem Rauennatibus ſacramento obſtrinxere, iuraruntque obſequium, & obedientiam ſe præſtituros. Inſequenti
ANN. M. CCLXXX. anno Bonifacius Archiepiſcopus, ſuo, Eccleſiæ Rauennatis, ac ſucceſſorum nomine, auctoritate ſibi ab Imperatore conceſſa, ſi Reſpubl. Rauennas tentaſſet, permiſit Ioanni, Girardino, Iacobo, & Agolanti, atq. aliis è ſocietate Amanatorum, ipſiq. ſocietati, ut monetam Rauennæ, certis, quæ conuenire viſæ ſunt legibus, in triennium excuderent: a Republ. Rauennate Prætorium, & pro Prætorio aream, quæ propè ædem Vrſianam, & D. Ioannis ad fontem erant XVI. kal. Maii. Martino Ghetio Reipubl procuratore tradente, dono accepit, cum adeſſent Bertoldus Prouinciæ Comes, ciuitatis Rauennatis Prætor, Guidoq. & Lambertus Polentani: paucisq.poſt diebus Concilium Prouinciale ForoCornelii habuit, ſuorum omnium Epiſcoporum, extra Octauianum Bononienſem, qui cum intereſſe non poſſet, procuratorē ſuum VI. Id. Maii Bonifacium è Loliano Canonicum Bononienſem, eò miſerat. Cum autem controuerſia hoc tempore, inter Corradum Thadæi Feretrani, Vrbinatisq. Comitis filium, & Conſtantiam Attonis Rauignani filiam eſſet, tam ſponſaliorum, quam matrimonii inter ipſos cauſa, eius arbiter Bonifacius Archiepiſcopus factus eſt. eaq.de re tabulæ publicæ ab Corrado confectæ in caſtris apud Forum Sempronii, vbi Picentum exercitus, Marchionis iuſſu. XIII. kal. Iun. conſedebat. Eodem hoc anno Bartolinus, & Nicolaus Foliani, Vgolino nati, quæcumq. illis bona, ac iura domus Trauerſariæ Rauennatis eſſent, Rauennæ, Argentæ, Ferrariæ, eorumq.locorum agris, ac omni Prouincia Flaminia, largiti ſunt Bonifacio Foliano, Matthæi filio. Octobri menſe Fr.Otholinus Prior Præfectus S.Georgii in Braida Veronenſis deſignatus Hadrianæ Eccleſiæ Epiſcopus, cũ in agro Patauino eſſet, in cœnobio D.Mariæ ad Carceres, procuratorē ſuum Guidonem fecit, Hadrianum Canonicũ, qui confirmari a Bonifacio Archiepiſcopo peteret, atq.impetraret Vacabat tum Pontificium ſolium Nicolai Tertii interitu, qui cum XI.Kal.Septēbr. obiiſſet, nullum adhuc habuerat ſucceſſorē, ſed neq. propter ingentes Romanorum ciuiũ diſſenſiones habuit, donec Gallis Cardinalibus conuenientibus, qui cũ Italis præſtabant, Martinus Quartus, Viterbii, PōtifexMax. VIII. kal.Mart. renunciatus eſt: quo tēpore terrarum orbis, Italiaq. præſertim, belli procellis agita-
ANN. MCC LXXXI. tus, nullibi quieſcebat: nam Palæologus Byzantius Cæſar ab Romana Eccleſia deſciuit, Siciliamq. occupaturus, cum Petro Aragonum Rege, claſſem inſtruebat: Philippus Galliæ Rex, Hiſpanias aggredi parabat: Romæ inter Vrſinos, & Annibales tumultus erat: Turriani, & Vicecomites in Gallia Ciſalpina digladiabantur: ſũptis Peruſini armis, Fulginates inuaſerant: In Sicilia adeò in Gallos dominātes ſæuitũ eſt, ut famoſa illa Veſperarũ Sicularũ clades fuerit cōſecuta,
cum

cum neq. mulieribus pepercerint, Gallico ſemine grauidatis Piſani, Genuenſesq. de poſſeſſione Inſulæ Corſicæ, quæ Cyrnus fuit priſcis, contendebant: ipſaq. Flaminia, Foroliuienſiũ potiſſimum ab Eccleſia Romana defectione, qui & Fauentinos ſecũ abduxerant, magno perturbata motu eſt: Cum autem Forliuii in foro ad arma veniſſent, Guido Vrſellus, & Ioannes frater obtruncantur: Nomaius ex Nomaiorũ familia è Fabrica, Franciſcus Herculanus, Ludouicus Põtirolus, Andreas, & Matthæus Ottorenghi fratres, in turrim fuga elapſi, conflagrarunt incẽdio. Ceterũ, ut quod in Fauentinos Guido Mõtefeltrii Comes, Foroliuienſis exercitus Imperator, fecerat, idem tentaret in Rauennates, XVI. kal. Iun. vnà cum Guglielmo Franciſco domino domus Trauerſariorum, ciue Rauennate, Foroliuii Prætore, coacto propè Rauennam ciuium, militumq. Foroliuianorum exercitu, coniunctisque copiis cum militibus, popularibusque Cæſenæ, Britonorii, Foropompilii, ac Ceruiæ, ingentem Rauennati agro vaſtationem intulit, omnibus latè ſegetibus, vitibusque, ac arboribus, ad ipſas uſque portas vrbis, die, nocteq. cæſis: domibus etiam, dum poſtridie Forumliuii redirent, qua abibant, incenſis. Quàmquam verè Foroliuiani, Lambertatiæq. factionis proceres, qui Forliuii erant, Legatos ad Martinum Pontificem, Orbiti commorantem, & recuperationem Forilinii molientem, miſerunt, a Pontifice tamen conſequi nihil potuere, ac potius reiecti ſunt, cum apud Pontificẽ, Hieremianorum Bononienſium Legati, & Bonifacius Archiepiſcopus Rauennas, Thadæusq. nouellus Montisfeltrii Comes, Guidoni ob litem de bonis hæreditariis infenſus, Rexq. ipſe Carolus eſſent. Itaque Hieremianorum etiam legatorum opera, ad recuperandum Forliuium, Pontifex Ioannem Appiam, quem & nonnulli de Epa vocant, Gallum, Caroli Regis conſiliarium, cum octingentis Gallici nominis equitibus, miſit in Flaminiam. Bonifacius Archiepiſcopus, ipſe quoq. recuperandis Argentæ iuribus intentus, cum diu diſceptaſſet de fructibus Argentæ, ac de iuriſdictione in Portu maiori, eiusq. plebatu, necnon & Maderio, & ceteris Argentani comitatus iuribus, cum Opizone Marchione Eſtenſi, & Republ. Ferrarienſi, qui magnam feciſſe impenſam in illa tuenda loca, & præſidio firmanda aiebant, multaq. ab vtraq. parte illata damna, tandem aſſentiente Rauennati ſacratorum virorum conuentu, Gerardum Epiſcopum Sabinenſem, & Benedictum S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem omnis controuerſiæ arbitrum delegit, quod & fecit Opizo: amboq. ſe haudquaquam ab eorum ſententia receſſuros, decem millium marcharum argenti mulcta, parti, arbitrii ſententiam ſeruanti, perſoluenda, compromiſerunt. Huiuſmodi autem facultas arbitris data, poſt diem D. Michaelis feſtũ, nulla ut eſſet, cauerunt, niſi ſi quid eſſet dubii declarandũ. His actis, cum proficiſci Bonifacius Rauennam cogitaret, tertio kal. Iun. Orbiti, in ædibus Bertutii ciuis Orbitani, præſentibus B. Archiepiſcopo Genuenſi. B. Epiſcopo Vicetino, & aliis, procuratorem ſuum fecit Vgolinum è Lauania Canonicum Meldenſem, fratrem: mox in Flaminiam abiit, ubi Ioannes Appia, ForumCornelii, & Fauentiam nullo negocio eſt ingreſſus, nam Guidutinus Prendipartes Fauentiæ Prætor, vniuerſusq. Fauentinus Senatus Benceuennem è Calugnano procuratorem ſuum fecerant, qui Bonifacio Archiepiſcopo Rauennati, ciuitatis nomine reciperet, ſe quæcumque imperaſſet, ſtudioſè facturum: Itaq. eò etiam ſe Bonifacius Archiepiſco-

pus contulit,& XV. kal.Iul. teſtamento interfuit, quod Thadæus Montis Feltrii, & Vrbini Comes, Fauentiæ in fratrum Dominicanorum cœnobio fecit, Bonifaciiq. ipſius Archiepiſcopi fidei,& Epiſcopi Faneſtris commiſit: horum alteri decedenti ſubſtituit Epiſcopum Piſaurenſem,& Vgonem D.Mariæ.... è Maſſa Trebaria. In eo teſtamento, poſtquam legauit Thadæus multa pro malè ablatis, terræ ſanctæ ſubſidio, quoniam ipſe erat Cruce ſignatus, quingentas reliquit Rauennatis monetæ libras. Rainaldo, ac Philippino filiis, ex pellice natis, victum, veſtitum,equos atque arma, quæ neceſſaria eſſent, dari, pro hæreditatis viribus, uoluit. Robertum filium initiari ſacris iuſſit: hæredes ex aſſe Corradum,& Thadæum filios inſtituit: e quibus, ſi quis ſeſe opponere teſtamento, neq. iis ſatisfacere uoluiſſet, eius pars hæreditatis abiret ad Magiſtrum,& fratres militiæ templi. Bonifacius Archiepiſcopus, cum præſens eſſet, id ſibi iniunctum munus accepit, nec diu poſt, Octauo Id. Iul. unà cum Ioanne Appia, & Rauennatibus, ad opidum Trauerſariam, agri Rauennatis, cum exercitu ſe contulit. Poſtquam enim Appia, litteris ad Rempubl. Foroliuianam ab ſe miſſis, quibus mandabat, ut Comitem Guidonem Feltrium, Præfectum, omnesq. aduenas vrbe eiiceret, non fuiſſe obtemperatum uiderat; neq. Comes ipſe, neq. Lambertatii, ad quos item ſcripſerat, Prouincia, ad certam diem, exceſſerant, copias è Coſna, ubi caſtra fuerat metatus, mouerat, peragratoq. Foroliuiano agro, & oſtentata hoſtibus acie, ad opidũ ſe Trauerſariam conuertit: Inito ibi prœlio, uallum eſt captum, quod Guglielmus dominus domus Trauerſariorum, ante opidum excitarat. Motis inde caſtris, ad S. Martinum, rus ſupra Forumliuii, ad ſecundum lapidem, proceſſum eſt: vnde biduo poſt, ad foſſam itum ſuburbii Raualdini: vbi erumpentibus Foroliuianis, tumultuario inito prœlio, duo uiri nobiles Galli cecidere. Tandem cum aliquandiu, non abſq. incendio, & ruinis, per Foroliuianum eſſent agrum uagati, exercitus omnis, in quo Bononienſes, ForoCorneliani, Fauentini, omnesq. eorum amici è Flaminia erant, Galliciq. & Romani, ac Latini nominis milites, Rauennam XIII. kal. Octobr. ſe recepit. Tum Guido Comes Montefeltrius, Reſpubl. Foroliuiana, exulesq. Rauennates, Bononienſes, Forocorneliani, Fauentini, & Bagnacauallenſes, qui tum omnes Foroliuii morabantur, miſerunt ad Pont. Max. Legatos, qui poſtularent veniam ſibi dari: ſed cum mandaſſet Pontifex, vt exules, aduenæque omnes Foroliuii eiicerentur, ipſi verò exules, atque aduenæ abeundi conſilium nequaquam expedirent, ac potius, quod ſuis ciuitatibus iniuſtè excluderentur, diſceſſum inde ſibi minime patere affirmarent, peterentque dari ſibi a Pontifice locum ad habitandum, quò commearent, Pontifice id negante, re infecta oratores reuerſi ſunt. Cum autem nihil adhuc eſſet in Argentana lite, cum Opizone Marchione Eſtenſi, confectum ab arbitris, denuò Michael Archidiaconus, Vgo Præpoſitus, & ceteri ſacrati Vrſianæ Eccleſiæ viri, probarunt, tertio kalen. Nouembr. ratumque habuerunt, quod Bonifacius

ANN. M. CCLXXXII & Opizo iam compromiſerant. Poſtero anno, coactis Fauentiæ copiis, Appia, aliquot ciuium opera, potiundi Foroliuii in ſpem adductus, pridie kalen. April. veſperi, curato corpore, illuc cum omni exercitu contendit, ſuburbiumque ad portam Sclauoniam, tradentibus illis, ingreſſus eſt. Verùm cum inſidias Fauentini ſenſiſſent, abire coactis. Qui coniuratio-

nem

nem inierant, cum ea nocte in campum Guidonis Bonati conueniſſent, pars capti, a capite ad pedes, iuſſu Guidonis Feltrii ſecantur, bonis alii, & exilio mulctantur, Appia, ab vrbe haud procul, iuxta ſuburbia, ad portam ruptæ vocatam, in campo Guidonis Bonati, cui ab inſigni quercu nomen erat, caſtra locat: nequaquam veritus, vrbe facilè potiturum. Contra Guido Comes Feltrius, hortante Guidone Bonato, ciue Foroliuiano, Philoſophiæ, Aſtrologiæq. tunc temporis peritiſſimo; qui benigno quodam, uti dicebat, Sydere exorto, cuncta Foroliuianis ſecunda pollicebatur; quamquam ſe longè imparem Pontificiis intelligebat, tamen ſuorum etiam virtuti fiſus, Gallorumque temeritate Foroliuianis propoſita, bono omnes animo iubet eſſe, & ſua conſilia, quæ magna calliditate animo coquebat, ſequi. Nec mora, ea porta ruptæ, quæ hoſtes reſpiciebat, patefacta, ab omniq. deſerta præſidio, aduerſa ipſe cum exercitu egreditur kal. Maii, ante lucem, qua itur Rauennam, eamque portam, aliquotq. præterea ſtationes, ualido milite firmat. Inalbeſcente cælo, ex Pontificiis, aliqui pedites, equitesq. ad vrbem, ut ſæpè alias, excurrunt, patenteq. inuenta porta, ſtatim rem omnem ſignificant Appiæ, qui hoſtes præ metu deſeruiſſe vrbem, & ſe fugæ dediſſe, arbitratus, relictis aliquot, vt plerique auctores ſunt, apud quercum cohortibus, cum omnibus copiis Forumliuii ingreditur. Facile autem comprehendi animo poteſt, cum omnia tuta exiſtimarent, quàm ſe totos Galli, prædæ, uinoq. quod ibi generoſum naſcitur, & cibo dederint, quamq. deinde altus eos ſomnus amplexaretur, cum eos, ſenes, & mulieres domibus hilariter exciperent. Quæ cum per ſpeculatores Guido Feltrius habuiſſet cognita, inſtructa acie, hortatusq. breui oratione milites, qua exierat porta, in urbem reuertitur, Gallos vino, ſomnoq. ferè ſepultos, & inopinato hoſtium incurſu trepidantes paſſim obtruncat: Nullus publico, priuatove conſilio locus eſſe Pontificiis videbatur, tandem tamen uidentes unam ſibi petendam ab armis ſalutem, Italorum, Gallorumq. proceres, in quibus Thomas Ghetius Rauennas, Corradini filius eminebat, ſeſe ſtrenuè obiiciunt Foroliuianis, ingensq. & cruentum in foro certamen committitur. Verùm poſt quam die, noctuq. non foro modò, ſed per uicos eſſet pugnatum, pugnæ facie maximè fœda, & miſerabili, cadentibus vndique Gallis, cum incerti, nulloq. ordine vagarentur, in fugam ſe coniicere, & terga dare coacti ſunt, ſenibus, mulieribusque ingentia è feneſtris etiam in fugientes ſaxa deturbantibus. Occubuit eo prœlio ex Italicis, Thomas Ghetius Rauennas; Thadæus Feltrius, Guidonis conſanguineus, ſed illi, ob litem de qua diximus, infenſus. Tibaldellus Zambraſius, qui Fauentiæ, portas noctu aperuerat: Guido Malabucca Bagnacauallenſis, Guglielmus Scanabiccus, Virundus Aſinellus Bononienſes, Guido Acariſius Fauentinus, & multi præterea. Ceterum Appia confirmato animo, reliquias militum colligens, maiore quàm antea coacto exercitu; quem potiſſimum Pontifex, & Carolus Rex, diligentiſſima conquiſitione ex fortiſſimis militibus confecerant; Rauenna, multos, qui militiam facerent publico Rauennatum ſtipendio, acciuit: in quibus Guido Polentanus, & Bernardinus, Oſtaſiusque filii, Duces, enitebant. Cum iis igitur copiis, Appia, Meldulam opidum Foroliuiani agri, obſidere inſtituit: cum interea Caſtrocariani Comites, ad eam diem Foroliuianis addicti, ad Appiam deficientes, opidum Caſtrocarum illi

tradidiſſent. Rauennates cohortes, vicina alia opida, quæ Foriliuianarum, Feretranarumq. erant partium, expugnant, agrosq. hoſtium, & domos diripiunt: ſed dum incautè, nullaq. de hoſtibus ſuſpicione iter faciunt, ad extremum anni, Maluicinus Bagnacauallenſis, & Superbutius Bouelda, magna manu illos fundunt, & uſq. ad opidum Tuduranum fugant, & quam ex hoſtibus magnam fecerant, prædam omnem abducunt: mox opidum Voltram oppugnant: cui niſi Ioannes Appia a Bulgaro Abbioſio Bagnacauallenſi certior factus, opem tuliſſet maturam, capto illo opido uiam ſibi Maluicinus ad maiores progreſſus facile aperuiſſet. Inter tot tumultus, ne Cymaclienſes a Rauennatibus abſtraherentur, cuius erat non parua ſuſpicio, anno qui eſt inſequutus, ſexto Id. Ianuar. Ghirardus Rangonus Mutinenſis, Rauennæ Prætor,

ANN. MCC LXXXIII.

ſcriptis ad Guidonem Polentanum, Alberici filium, litteris, fecit, ut ipſi Cymaclienſes, per Bonfilittum Deredoſſum, & Ghirardum Morandum Legatos, denuò ſacramentum Rauennatibus dixerint: & piſces magnos centum, vocant Capitaneos; quotannis pridiè Natalitiorum Domini, de more, afferre promiſerint. Ioannes Appia, qui Prouinciæ Flaminiæ, ciuitatis Bononiæ, comitatus Britonorii, & pertinentiarum eorundem, pro S. Romana Eccleſia Comes & Generalis Rector, in iis, unde hæc excerpſimus, tabulis publicis ſcribitur, Maluicinum Bagnacauallenſem, & Superbutium Guidonis è Bouelda filium, edicto Fauentiæ VII. Id. April. pronunciato, in exilium è Prouincia eiecit: cauſæ adſcribuntur, quòd Pontificiis militibus inſidias, interitumq. fuiſſent moliti, cum Eccleſiæ Romanæ perduellibus, Guidone præſertim Feltrio, Foroliuianisq. & eorum aſſeclis, in Pontificios coniuraſſent: Forumliuii, & cetera loca, in quibus ii commorabantur, qui defecerant a Romana Eccleſia, intraſſent, Maluicinus, cum exercitus eſſet ad Imeldulam; Superbutius poſtquam ſe receperat ad Pontificios, ad hoſtes profugiſſet, ibidemq. ad eam diem conſiſteret, armaq. in Pontificios moueret, in eos maximè, qui Rauennæ commorabantur: prædam ambo, de quadiximus, ex hoſtibus partam abegiſſent, Voltramq. opidum oppugnaſſent. Adhæc tractaſſet Maluicinus cum Guidone Feltrio, Foroliuianisq. & ſociis, Eccleſiæ perduellibus, defectionem Bagnacaualli, ceterorumq. locorum, quæ ſunt ditionis Romanæ Eccleſiæ, ut ea Guidoni ipſi, & aliis Eccleſiæ hoſtibus traderet. In ius autem ad cauſam dicendam vocati, nequaquam paruerant. Itaque perinde quaſi deſertores, & transfugas, eos è Prouincia, vrbeq. Bononia relegauit, eorumq. bona ærario Pontificio addixit, niſi ad decimum a Paſchate diem, ipſi apud Appiam, ad cauſam dicendam adeſſent, alioqui capitis damnati haberentur, & ut criminis læſæ maieſtatis rei, ſi caperentur, capite mulctarentur. Argentam interea Bonifacius, ut in officio retineret, Guidonem è Lauania, Vicecomitem ibi ſuum conſtituit. Paulo poſt, menſe Maio, Guido Feltrius, Foroliuianarum copiarum Imperator, & plerique Bononienſes exules, Lambertatiæ factionis, tanto apparatu permoti, cum nequaquam poſſe obſiſtere intelligerent, ſeſe Pontifici dedunt, atque inde incolumes abiere: Idem Cæſenæ factum eſt, quam menſe Iunio Appia, annuentibus ciuibus, eſt ingreſſus. Receptum Forumliuii, Pontificis iuſſu; qui ob id Cardinales in Flaminiam miſit; uallo & foſſa priuatum eſt: deiectæ vrbis portæ, & aliqui ciues, Lambertatiæ & Gibellinæ factionis, in

ſubal-

ſubalpinos relegati. Martinus Pontifex cum Guidonis Polentani, Lamberti filii, virtutem in hoc bello, & fidem perſpectam haberet, intelligeretque iacturam ab Romanæ Eccleſiæ perduellibus ipſi illatam, bonis omnibus Vgurionis, & Betii fratrum Britonorianorum, qui a Romana Eccleſia deficientes, Britonorii Prætorem interfecerant, quæ multa erant & ampla, eum donauit. Bonifacium Archiepiſcopum ablata, per hæc bella, Eccleſiæ Rauennatis, opida ſuapte auctoritate, recuperare ſtudentem, Martinus Pont. per litteras Orbiti. XII. kal. Septembr. anno III. Pontificatus ſui daras, monuit, ea ut reſtitueret Ioanni de Epa, ita enim ibi ſcribitur; Prouinciæ Rectori: alioqui B. Epiſcopo Portuenſi, Legato, & Guidoni è Monteforti, Pontificiarum copiarum ductori, ſe per litteras mandare, niſi pareret, ut ſacris in eum prophanisq. pœnis agerent, & ad illa reſtituenda cogerent. Interea tamen ageret apud Legatum de Rauennatis Eccleſiæ iuribus: uelle ſe ea tueri, integraq. ſeruare. Cum Foroliuianis autem per id tempus, tanta exiſtimatione Bonifacius negocia pleraque agebat, ut cum iis non eſſet contentus, quæ duodecim uiri a Foroliuianis deſignati confecerant, denuo quinquaginta uiri, iuſſu Gualdi Inceppi, Rectoris Foroliuii, Idib. Septembr. conuenerint, auditaq. Guidonis Polentani, de re ipſa, oratione, decreuerint, ab duodecim uiris, alios duodecim eligendos, ex optimaribus, quibus eius negocii cum Bonifacio adminiſtrandi, procurandiq. & conciliandæ concordiæ, ac Reipubl. Foroliuianæ bonorum ei promittendorum, uel iure iurando, facultas eſſet. Itaque ad XVII. Kal. Octobr. noui duodecimuiri, conuentu habito in ædibus Stoldi, Foriliuii Rectoris, duos ex ſe ipſis Legatos ad Bonifacium miſerunt, ut ſi contentus Bonifacius non eſſet ea ſumma, quam alii duodecim uiri polliciti fuerant, tandem id facerent, quod Bonifacius mandaſſet: Inſignis etiam fuit hic annus, non modò Piſanorum, & Genuenſium naualibus inter ſe prœliis, ſed ſingulari conſtituto certamine duorum Regum, Caroli Neapolis, Petri Aragonia: qui quamquam Burdegalam, uti fuerat decretum, non conueniſſent; propterea quòd Petrus nuſquam toto die uiſus, occidente iam fere ſole, cum tum primum abiiſſet Carolus, in campum prodiit, aſſeruitq. cer tamen ſe neque detrectare, neque uerò detrectaſſe, tamen Pontifex, qui id commentum dicebat, Petrum & diro Senatuſconſulto notauit, & Siculum Regnum iniuſte retinere pronunciauit, & Tarraconenſi Imperio mulctauit, eiuſque Regem inſtituit Carolum Comitem Valeſium, Galliæ Regis fratrem Proximo anno, tertio kal. Febr. Bonifacius Glazeſii filius, Caſtrocarii Comes, certam a Bonifacio Archiepiſcopo pecuniam mutuo accepit, cum eſſent Cæſenæ, in Prætorio, adeſſetq. Comes Vgutio, Rauennæ Prætor. Nec multis poſt menſibus, Guillelmus è Carpeneto, Iulianus, Benuenutus Paſſerus, & Petrus, qui in iis tabulis uocantur maiores, defenſores, ſeu capitanei populi Caſtrocariani, & nonnulli alii, delecti ab Albergutio Mainardo Britonoriano, Caſtrocari Prætore, ex Senatus ſententia autoritateque, quod Deo, Pontifici, & Bernardo Epiſcopo Portuenſi Legato, & Guglielmo Decano Comiti Flaminiæ honori eſſet, Bonifacium Archiepiſcopum Rauennatem, Prætorem, Rectoremq. Reipubl. Caſtrocarianæ in annum, a kal. Ianuarii proximis, ad alias kal. Ianuarias, ſtipendio librarum centum & decem Rauennatium decreto, poſtularunt; deſignaruntque: Ipſe uerò Bonifacius, pridie Non.

April.

April. teſtamentum fecit, & Eccleſiæ Rauennati, campum, ſacerdotum uulgo appellatum, extra portam D. Mariæ, iuxta muros urbis, inter portam D. Mamæ, & Gagiam, iuxta foſſam, qua aqua ad frumentarias molas deducitur, ſitum, legauit, ut eius fructus quotannis die D. Vitalis feſto, per Archidiaconum, & Præpoſitum diſtribuantur ſacratis uiris, atque egentibus omnibus, qui eo die, anniuerſariis illius exequiis interfuerint. Quoniã uero, ut damna reſarcirent Foroliuiani, eorumq. Reſpub. quibus Eccleſiam Rauennatem, & ipſum in opido Tudurano, aliiſq. ForoPompilianæ diœceſeos opidis, affecerant eos, auctoritate ſibi a Foroliuiano Senatu data, uiginti millibus libris Rauennatibus, mulctauerat, cum uideret eorum uires atque fructus ſuperioribus exhauſtos bellis, ad nouem millia librarum item Rauennatium, eam ſummam redegit, ſic ut pro quattuor millibus, illi, Eccleſiæq. Rauennati molæ frumentariæ ad pontem Vitis amnis darentur, faſq. illi eſſet alias ibidem excitare, immunes, & liberas. Adſuere præſentes, Foroliuii in aula magna ſuperiore cœnobii D. Mercurialis. R. Epiſcopus Foroliuianus, Michilinus Archidiaconus Rauennas, Aldebrandinus Arguliosus, Guglielmus Ordelafus, & duodecim uiri, quos diximus XIII. kal. Febr. Biduo poſt, Fauentini, id autem eſt; ut ex tabulis ipſis habetur; Petrus Friolani filius, Prætor Fauentiæ, Antiani, Conſules, & Conſilium generale communis Fauentiæ, Guidonem Epiſcopi procuratorem ſuum fecerunt, qui adiret ad Bonifacium Archiepiſcopum Rauennatem, Viuianum Epiſcopum Fauentinum, Malateſtam è Veruculo, Guidonem Polentanum, Lamberti filium, ſeruaturumq. polliceretur, quæ in legibus a Senatu populi, & communis Fauentiæ latis, de facultate nobilibus illis uiris data, pecuniæ Reipubl. Fauentinæ impendendæ, haberentur: mutuamq. eam pecuniam acciperet, quam Bonifacius & collegæ iuberent: Obiit hoc anno Martinus Pontifex, & cum in eius locum ſuffectus eſſet IIII. Non. April. Iacobus Sabellus, Honorius Quartus uocatus, Bernardus Epiſcopus Portuenſis, in Flaminia Legatus, cum eſſet Fauentiæ V. kal. Iunii, Canonicatus Rauennates, quos Alexander è Romena habuerat, & ducta deinde vxore; neque enim ſacris erat initiatus, reliquerat, quia intra ſuæ legationis fines erant, Bonifacii Archiepiſcopi rogatu, Guardino Griffi Strixio, illi a cubiculo dedit, inde ut perſolueret militibus ſtipendia, tributum Prouinciæ impoſuit. Anno qui inſecutus eſt, fuit autem a partu Virginis milleſimus duceteſimus octuageſimus ſextus, quo Rauennatem geſſit Præturam Guido Polentanus, Lamberti filius, Foroliuii, in D. Mercurialis æde, Bonifacius Archiepiſcopus, Octauo Idus Iul. Prouincialem Synodum habuit, cum interfuiſſent, Rainaldus Foroliuianus, Thadæus ForoPompilianus, Aymericus Cæſenas, Henricus Saſſinas, Vgulinus Fauentinus, Sifredus ForoCornelianus, Bonifacius Hadrianus Epiſcopi. & ad hos, Epiſcoporum Bononiæ, Mutinæ, Parmæ, Ceruiæq. procuratores acceſſiſſent: multa in eo ſunt ad rectè uiuendum ſalutaria, decreta, & rebus ſacris Prouinciæ Rauennatis conſultum eſt: Vt uerò Bonifacius reliquis etiam Eccleſiæ ſuæ conſuleret, aliquot prædia, eademq. ampla, iuxta Conſtantiam, mirum Guidonis Polentani per Guardinum ſibi a cubiculo, procuratorem ſuum, a Malateſta è Veruculo emit: in iis autem tabulis, Arimini, in Prætorio, ſept. kal. Auguſt. confectis, Malateſta, ciuis Ariminenſis appellatur, præſenſq. adfuit Fedéricus Malateſtæ. Exitu

ANN. M. CCLXXXV. — ANN. MCCLXXVI.

anni, internuncius a Pontifice in Galliam Bonifacius eſt miſſus: qua autem de cauſa his litteris patebit. *Honorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Cariſsimo in Chriſto filio E. Regi Angliæ illuſtri, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Habebat, inter cetera, tuarum ſeries litterarum, quas nuper nobis per dilectos filios, Radulfum Talemant dictum, & Haymonem de Ioiens militem, Regiæ magnitudinis Nuncios, ſuper tractatu treuguarum inter cariſsimum in Chriſto filium noſtrum Phy. Regem Francorum illuſtrem, & Alfonſum natum quondam Petri, olim Regis Aragonum, per te habito, direxiſti, ut ad te aliquos probos uiros, & induſtrios mitteremus, cum qui . . . inter Regem, & Alfonſum prædictos, pacis & concordiæ fœdera; ſi noſtris & Eccleſiæ beneplacitis conſona poſſent reperiri; ſeu fieri procurares: quiq. huiuſmodi firmandi negocium haberent a nobis plenariam poteſtatem. Sanè fili cariſsime, ſollicitè conſiderare te cupimus, & aduertere diligenter, quàm ſit arduum, quàm difficile, quàm profundum prætactum negocium, penſatis attentius eius circumſtantijs uniuerſis, cum illud Romanam Eccleſiam, & clariſsimam domum Franciæ, ac dilectos filios nobiles uiros, Carolum primogenitum claræ memoriæ. C. Regis Siciliæ, liberos quoq. quondam Fernandi nati inclytæ memoriæ. A. Regis Caſtellæ, necnon & eundem Alfonſum, ac Iacobum germanum, & . . . . matrem ipſius, & etiam Franciæ, Caſtellæq. Regna, quinimo totius ferè Chriſtianitatis populos propenſius, & profunde contingere dinoſcatur: propter quod penitus expedit, ut in illo non perfunctoriè, non præproperè, ſed exactè potius, & maturè, ac etiam cum deliberatione præcipua procedatur, ut, actore Deo, firmius, ſolidius ve conſiſtat, quod agi contigerit in hac parte. Ideoq. Celſitudinem Regiam rogamus, & hortamur attentè, quatenus non moleſtè ferat Regalis benignitas, ſi uenerabilibus fratribus noſtris. B. Rauennat. & P. Montis Regalis Archiepiſcopis, ad te, pro iam dicto negocio, deſtinatis, poteſtatem huiuſmodi ad præſens non duximus concedendam, quamquam de ipſis, ac eorum probitate multiplici, pleniſſimè confidamus, præſertim cum Apoſtolicæ ſedis prouidentia circumſpecta non ſoleat tam ardua, tam perplexa, difficiliaq. negocia, etiam per Nunciorum ſolemnium ſolertiam definire: Nec ambigimus, prudentiæ Regiæ profunditate penſata, quin ipſe diligenter aduerteris, quòd præmiſſæ poteſtatis auctoritas, circa memoratum negocium non erat, ſub tanta incertitudine, ab eadem Eccleſia, quibuſuis Nuncijs committenda. Dat. Romæ apud S. Sabinam. VIII. Id. Nouembr. Pontificatus noſtri anno II.*

Cum his autem litteris, alias coniunxit ad Bonifacium, & Petrum his uerbis ſcriptas. *Honorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus fratribus, Bonifacio Rauennat. & Petro Montis Regalis Archiepiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Licet vobis, & ueſtrum cuilibet, per noſtras ſub certa forma litteras, firmandi, & acceptandi treuguas inter cariſsimum in Chriſto filium noſtrum Phy. Regem Francorum illuſtrem, & Alfonſum natum quondam Petri olim Regis Aragon. per cariſsimũ in Chriſto filium noſtrum. E. Regem Anglorum illuſtrem tractatas, liberam commiſerimus poteſtatem, dummodo præfatus Alfonſus certas condiciones, in eiſdem expreſſas litteris, duxerit adimplendas, quia tamen paterno deſiderio ducimur, ut ſit populo Chriſtiano tranquillitas, & animarum, ac corporum periculis obuietur, Fraternitati ueſtræ per Apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ſi contigerit, quòd idem Alfonſus condiciones eaſdem, uel ipſarum aliquas recuſet forſitan adimplere, uos propterea nequaquam rumpatis negocium, ſed potius iuxta noſtræ directionis, & informationis tenorem, ſtudeatis prudenter procedere in eodem. Dat. Romæ apud. S. Sabinam VII. Id. Nouembr. Pontificatus noſtri anno II.* Hæreditaria in-

ter

ter hos Reges diffidii cauſa fuerat: quoniam Philippus Galliæ Rex, ut inſtitutionis Pontificiæ, de qua ſupra diximus, iura perſequeretur, Aragonenſe Regnum, terreſtribus, naualibusq. copiis petens, capto Ruſcinone; id nunc Perpinianum appellari putant; dum obſideret Gerundam, Carolus autem Valeſius, mari Narbonem primo, mox in portum Roſem claſſem adduxiſſet, Petrum obuium cum exercitu factum, in anguſtiis montis Pirenei, ſuperiore anno, uulnerauerat, ex quo uulnere migrauerat è uita: quemadmodum & morbo oppreſſus Philippus Ruſcinoni haud ita diu poſt fecerat: vnde omnia ferè ab Hiſpanis deinde recepta; diſiecta ab Rogerio Oria, Ammirante Petri Regis, Valeſiana claſſe: quam duas in partes diuiſam, alteram relictam in portu Roſeo, alteram Narbonem abeuntem, facilius ſuperauerat. Succeſſerat Philippo Galliæ Regi, Philippus filius, cognomento Pulcher. Petro Aragonio, in Aragonenſi Regno, Alfonſus filius, ii de quibus in iis litteris Pontifex meminit, in Siculo, Iacobus, frater, quam alii filium dicunt. Sub id tempus Opizo Eſtenſis, cum Bernardino Polentano Rauennate, fœdus iniit, Polentanoq. Mutinenſem Præturam gerente, eius urbis dominatum quærebat: Cum autem Polentanus duxiſſet in Pontificio exercitu, non abſq. laude, copias, Præturam quoque Ceruienſem annis ſuperioribus geſſiſſet, & hoc tempore Mutinæ Prætor eſſet, eam comparauerat familiæ ſuæ dignitatem, adeoq. ipſius nomen creuerat, ut eius fœdus, atque amicitiam, finitimi Principes expeterent, & Mediolanenſes hoc anno MCCLXXXVII. illum ſibi Prætorem deſignaſſent, atque poſtularent: uerùm ipſe ne Mutinenſi abdicare cogeretur, Mediolanenſem repudiauit. Graſſonus Graſſonius, qui vnà cũ Gibellinis, Mutina patria, per ciuilium bellorum tumultus, iam pulſus fuerat, re conſtituta cum Thomaſono, & Manfredo è Roſa, Saxoli Dominis, Thomaſino Ramberto Ferrarienſi, & Gibellinis Veronenſibus, Mantuanisq. noctu ſimul Mutinam abeunt, ſed porta Baioaria, a coniuratis pleriſq. ciuibus patefacta, vrbem ingreſſi, ab iis ſentiuntur, qui excubabant: quorum excitatus clamore Polentanus, ſequentibus Rangoniis, Boſchettis, Guidoniis, militibusq. & populo, accurrens, expulit Gibellinos, & Rambertum, aliquotq. præterea cepit, qui nece eorum infelicis conſilii pœnas paulo poſt dederunt. Eodem hoc anno, cum de agrorum finibus, præſertim qui ad amnem Sapim, Ceruiam uerſus, Cæſenates cum Rauennatibus diu diſceptaſſent, Guidone tandem Polentano, Lamberti filio, Rauennatium: Iordane Columna, ciue Romano Cæſenatium Prætoribus, fines terminantibus, finis controuerſiæ impoſitus eſt. Hoc anno menſe Nouembri Bonifacius Archiepiſcopus Rauennas, apud Bituriges in Gallia erat, parumq. poterat ad negocium, de quo miſſus illuc fuerat, incumbere, mortuo iam inde a Nonis Aprilis Honorio Quarto Pontifice, nec alio hactenus creato. Petrus Stephani Romanorum Proconſul, & uniuerſæ Præfectus Flaminiæ pro Romana Eccleſia, intuens non omnem modo Ciſalpinam Galliam bellis, ac factionibus diuiſam, acerrimè diſſidere, ſed Flaminios etiam ipſos immortalibus penè odiis inter ſe diſſentientes, eſſe non admodum libenter Romanæ Eccleſiæ ſubiectos, conuentum ad Forum Cornelii induxit, quò iubet omnium Flaminiæ ciuitatum Legatos conuenire, ut communi conſilio ſingulis ciuitatibus, & milites imperarentur tuendæ Prouinciæ, & in officio retinendæ. Polentani liberum, atque perfectum vrbis Rauennæ,

næ; ut conijci ex re ipſa poteſt; dominatum affectantes, conuocato aſſeclarum ſuorum concilio, duos oratores, Reipubl. Rauennatis procuratori ſocios miſere, qui affirmarent, Rauennam nullis huiuſmodi tributis vmquam uexari ſolitam, cum ceteræ Flaminiæ ciuitates illis agitarentur. Adſcribunt deinde in mandatis, ne oratores tributum ullum; milites ve imperari ſibi paterentur: imperatis, nequaquam aſſentirent. Id cum Petrus reſciuiſſet, Polentanorum oratores, procuratoremq. Reipubl. Rauennatis, ſe inſpectante, apprehendi, & in carcerem tertio kal. Decembr. vnà cum Manente Archipresbitero Plebis S. Archangeli, Vicario Ariminenſis Epiſcopi, Ioannino Præpoſito Eccleſiæ Ariminenſis, Blanco templi S. Manentis, & Rodulfo S. Paterniani Ariminenſis, æditimis, Reipubl. Ariminenſis Legatis, contrudi mandat; Conuentuq. habito, pecuniam, & milites, Rauennæ, ut ceteris etiam ciuitatibus, imperat: triduoq. poſt, eductis è cuſtodia Legatis edixit, ut ſe defenderent, tributumq. & milites, quos imperauerat, conferrent. Ceterum quoniam Polentanus non modo iuſſis non paruit, ſed Petrum, tamquam cum aduerſariis Polentanorum ſentientem, hoſtis loco habere uiſus eſt, illudq. tributum, non tuendæ Flaminiæ, Pontificioq. ſolio conſeruandæ, ſed eius Tyrannidi, ad quam occultè aſpirare uidebatur, imperatum aſſeuerabat, Petrus pronunciato edicto, Prætorem; erat autem Guido Polentanus, Lamberti filius; Senatum, & Commune Rauennæ, omnesq. priuatim, & publicè Rauennates, iniuria affici, & occidi impune ab omnibus poſſe, declarauit.

ANN. MCCLXXXVIII.

Verùm poſtero ineunte anno; pridie Non. Ianuar. Cæſenæ, in Prætorio, Senatu Cæſenatium coacto, ut Prouinciæ Flaminiæ quieti conſuleretur; ita enim aiebant; Rodulfus è Galiſidio, & Gerardus Azzardus, Defenſores populi Cæſenatis, aliiq. complures, Vgulinum Duidoli Roſelli, ciuem Cæſenatem, procuratorem ſuum fecerunt, ad fœdus, pactaq. cum Rauennate Republ. eiusq. procuratore ineunda; quibus iura, leges, priuilegia, conſuetudines tueri, ſacramento promitterent, eius amicos, inimicosque, ſuos item ducerent, Reipubl. Rauennati, aduerſus ſuos hoſtes, qui fœdera, inducias, bellum molirentur, armatos, & in equis, cum Rauennates iuſſerint, ſubſidio uenturos, iurarent: nullasq. inducias, nulla conuenta, pacemve habituros, cum ullo Rauennatium hoſte, niſi bona Rauennatium uenia. Quæ omnia S. Romanæ Eccleſiæ honori fieri, eſſeq. uelle pronunciarunt. Tamen Petrus Stephani, conuentus ſui ForoCorneliani decretis inſiſtens, litteris contumelioſis, & minacibus, tertio Non. Febr. in Prætorio ForoCorneliano, inſpectante Alidoſio, ex Alidoſiorum familia, ForoCornelii Præfecto, multisq. præterea audientibus recitatis, Malateſta è Veruculo, Ioanni Claudo, Zottum appellabant, Malateſtino, Malateſtæ ipſius filio, Guidoni Polentano, Bernardino, Lamberto, Hoſtaſioq. eius filiis diem dixit, quòd defectionis Arimini, Rauennæ, & Ceruiæ a Romana Eccleſia, auctores fuiſſent, easq. urbes occupaſſent. Hæc acta ſunt Pontificio ſolio adhuc uacante: quæ refrixere nonnihil, poſtquam Hieronymus Aſculanus, Franciſcani ordinis ſacerdos, cum Cardinalem gereret, tandem VIII. kal. Mart. ſummus Pontifex renunciatus eſt, & Nicolaus Quartus uocatus. Commorabatur adhuc Bonifacius Archiepiſcopus in Gallia, & quamquam integra ualetudine, tamen auctoritate ſibi a Pontifice tributa, de rebus mobilibus teſtandi in pios uſus, & ut familiam ſuam remuneraret, Sept.

Id. Martii, in cubiculo Archiepiſcopatus de Lormonte Burdegalenſis, teſtamentum fecit. Legauit animam Deo, & beatæ Virgini, & Angelis, & Sanctis Dei: corpus ſepeliri iuſſit, ubi eligerent ii, qui teſtamentum tuebuntur, exequenturq. niſi ſecus ante mortem decerneret. Libros, & quæ ſibi erant omnia, antequam Archiepſcopus eſſet factus, uoluit Conuentui fratrum Dominicanorum Pariſienſi, reſtitui, cum ad eum ſummo iure ſpectent, propterea quod fuerat inde aſſumptus. in libris, duo habebantur iuris Pontificii, Decretales uocati, quorum alter libris Turonenſibus quadraginta, alter Pariſienſibus, duabus ſupra uiginti uenierat. Plura quoque numerauit argentea uaſa; è quibus, & gemmis, & pecunia, quæ citra Alpes habebat, accipi libras Turonenſes ſexcentas uoluit, & ex illis dari quadraginta quotannis, ſingulas ſex primis Comitiis generalibus ordinis Dominicani, ab eius obitu perpetuo ordine celebrandis. Totidem eodem modo ſex primis ordinis Franciſcani: Centum uiginti, tribus primis ordinis Ciſtertienſis, quotannis quadraginta. Ab ipſorum autem ordinum Magiſtris adminiſtriſq. & futuris Comitiorum Patribus conſcriptis, quos appellant Definitores, ſupplex petebat, uoluitq. ut qui teſtamenti ſui exequendi, tuendiq. munus ſuſcepiſſent, ſupplices deprecarentur, in ſingulis Comitiis decerni, & per acta Comitiorum concedi, ut quilibet Conuentus, ſacerdoſq. pro eius anima rem Diuinam ſemel facerent, reliqui fratres certas pro mortuis preces, iuxta Dominicanos, recitarent. Omnes ex eius familia mandauit, ſuam quemq. domũ Archiepiſcopi impenſa, reduci, & ex cuiuſq. merito, remuneratione donari: extra illos, quibus ſigillatim, ante bitum, prouidendum duxiſſet. Vendi uoluit bona omnia mobilia, exceptis quibuſdam equis, & uegetibus, & pleriſque aliis, quæ ſucceſſori reliquit: ſic tamen, ut baliſtæ è caſtris non amouerentur, dum Rauennas Eccleſia vacaret: atq. etiam interea ex annona ſua. quæ erat Argentæ, uictus ſuppeditaretur eius opidi cuſtodibus, in quo eius familia habitabat: Ipſius uerò cuſtodiam opidi, & comitatus, Eccleſiæ Rauennati fidelibus, Guidoni Polentario, Lamberti filio, & liberis eius, commiſit, quibus Argentæ, & Comitatus incolæ, perinde ac Vicariis, & Defenſoribus Eccleſiæ Rauennatis parerent: idq. ſeruandum, efficiendumq. propter eius conſeruationem opidi, dum Paſtore deſtituentur, ſacratis uiris Rauennatibus, etiam atque etiam ſuadet: niſi ſi Romanæ Eccleſiæ ſecus eſſet uiſum. Guidoni fratri, uoluit libras Bononienſes centum e ſuis bonis reſtitui, quas ab eo mutuas acceptas, impendit, quo tempore fuit ad aulam uocatus. Aerario Pontificio ſex reliquit Turonenſes libras. Fratribus Dominicanis Rauennatibus, viginti, ut templum ædificaretur. Totidem Bononienſibus. Franciſcanis uerò, decem. Quos exequi, tueriq. hoc teſtamentum, in iis quæ illi trans alpes erant, uoluit, fuere, Michael Archidiaconus Rauennas, Ciprianus Parmenſis, ordinis Dominicani, familiaris eius, Iacobinus Regienſis item Dominicanus ſibi a cubiculo. Thediſius è Canali nepos. Ea quæ in Italia habebat, exequi eoſdem mandauit, adiunxit tamen illis Vgolinum Præpoſitum, & Guardinum Canonicum Eccleſiæ Rauennatis, Guidonem è Lauania, fratrem, Guidonem Polentanum, milites, id autem eſt, equites, & Ioannem Maſſecium Placentinum Aragonum ex Gallorum armis, hoc tempore, qui aſſiduè, obſtinato ad uictoriam animo, inter ſe prœliabantur, Sicilia, Calabriaq. & quod Regni Neapolitani reliquum eſt, agitabantur: Gallis

lis

lis Neapolitanum Regnum tueri, & Siciliam recuperare nitentibus, ſextum iam annum illis ademptam, cum per ingentem cedem, Veſperas Siculas appellatam, Regno, uti ſupra docuimus, pulſis, Petrus Aragonum Rex, ſucceſſor eſt inductus. Cui duobus iam annis uita functo, Iacobum filium, in Regnum Siculum, quemadmodum Carolo Gallo, Neapolis Regi, Carolus Claudius primus filius, Tarenti Princeps, Carolus Secundus uocatus, in Neapolitanum, & iura, quæ putabant, Siculi, ſucceſſerat. Is tamen; cum pater Bardogalam abeſſet, cum Petro Aragonum Rege, ſingulari certamine dimicaturus; prope Neapolim cum multis proceribus captus Rogerii Oriæ ſtratagemate, qui triremem, in qua erat Carolus perforari ab urinatore curauerat, quartum iam ferè annum, ab Aragoniis Regibus in cuſtodia habebatur. Itaque Nicolaus ſummus Pontifex, ad ſubeunda Reipubl. Chriſtianæ onera conuerſus, nihil potius duxit, quàm ut diuturnas componeret horum inter ſe Regum contentiones, Carolumq. Secundum, Tarenti, uel ut ſcribunt alii, Salerni Principem liberaret. Itaque ſcriptis Romæ, Idib. Mart. ad Bonifacium, & Petrum Archiepiſcopos, quos diximus, & Rainerium Viterbienſem, Dominicani, ut Bonifacius, ordinis cucullatum, litteris, internuncios ſuos eſſe uoluit, qui ad Alfonſum Regem Aragonium, Iacobi Siculi fratrem, adirent, cum illoque accurate, nomine ſuo, agerent, de Carolo è cuſtodia educendo, edicerentque ne Iacobo fratri, aliisve ad turbandum Siciliæ Regnum, aut ſuppetias præberet, aut alia ratione faueret: Nec diu poſt Pontifex, iis nequaquam contentus, quæ iuſſerat, noua ad illos mandata mittit, ut diligenter Alfonſo reuocarent in memoriam, quàm eius pater Petrus, abiecta prorſus dum uixit, quæ Deo, & Apoſtolicæ ſedi debentur, obſeruantia, & cultu; aduerſus propriam ſalutem, & Romanam Eccleſiam, matrem, & magiſtram omnium fidelium, molitus eſſet, & quas turbas mouiſſet, occupanda præſertim inſula Sicilia, & cetera parte Siculi Regni, quæ eiuſdem Eccleſiæ iuris eſt, & Carolo Primo, ab ea fuerat fiduciario iure tributa. Quoniam verò Alfonſus, Iacobusq. & Conſtantia inſulam occupabant, ceteram partem oppugnabant, idcirco Alfonſo Regi diem dicerent, quo ſe, intra ſex menſes, Pontifici ſiſteret, alioqui ageretur in eum Diuinarum legum, humanarumque iudicio. Et quando Alfonſum ipſum Regem tuto ſe conuenire haud quaquam poſſe intelligerent; quamquam antea mandauerat, ut illum domi ſuæ adhiberent; tamen illum in ius uocarent, diemq. illi apud ſacratos uiros Gergobienſes dicerent. Per id tempus cum in opido Riuerſano homicidium accidiſſet, continuo Foroliuienſes, miniſtros ſuos ad eam rem inquirendam miſere, iiq. Bonutium Ioannis Viuiani filium Riuerſanenſem, eius maleficii accuſatum, in carcerem Foroliuianum contruſerunt. Sed Guardino Bonifacii Archiepiſcopi a cubiculo reclamante, Anaſtaſius, & Egidius è Monte Falco, aulæ Petri Stephani Comitis Flaminiæ, generales Iudices, poſtquam per diplomata, priuilegiaq. Eccleſiæ Rauennatis, nouerunt; quod ſuis ipſi tabulis teſtantur, ſpectare ad hanc Eccleſiam, plenam, in omnibus illi ſubiunctis locis, Riuerſano potiſſimum, iuriſdictionem, Bonetto mandarunt Præfecto Foroliuiani carceris; dum adeſſet Rodulfus Foroliuienſis Epiſcopus; ut Bonutium è cuſtodia educeret, & Guardino in

manum traderet, ex Rauennatis Eccleſiæ legum præſcripto, ſi inuentus maleficii reus fuiſſet, mulctandum: Quamobrem. VII. kal. April. Bonutium Guardinus habuit. Neque tamen omnia ſatis quieta in Prouincia erant, præſertim Arimini, quæ ciuitas non admodum parere Pontificiis Magiſtratibus uidebatur. Itaque Pontifex, Hermannum Monaldenſem, qui fratris titulo appellabatur, cum imperio, Rectorem, & Comitem miſit, qui Prouinciam menſe Maio ingreſſus eſt, Petro Stephani, qui ad eam diem præfuerat, abeunte. Is autem fuerat Petri titulus. *Petrus Stephani, Romanorum Proconſul, Prouinciæ Romandiolæ, Ciuitatis Bononiæ, & Ciuitatis Vrbini, pertinentiarumq. earumdem Comes & Rector, pro S. Romana Eccleſia.* Qua item inſcriptione, qui ſecuti ſunt Prouinciæ Rectores uſi ſunt, præterquam quòd in nonnullis Vrbinum ſiletur. Fauentiam primo cum acceſſiſſet Hermannus, a Fauentinis amanter exceptus, ubi aliquot ibi dies commoratus eſt, abiit Forliuium, ubi omnis Prouinciæ conuentu habito, Nicolai Pontificis mandata exponit, ad tuendam huius quietem Prouinciæ admodum ſalutaria. Sed haud ita multos poſt dies, Malateſta è Veruculo, Arimini ad eam diem Prætor, ea ciuitate pulſus, ad Hermannum ſe contulit. Quoniam uerò Ioannes Claudus, Malateſtæ filius ſancti Archangeli Podium occupauit, Pontifex ueritus, ne eo etiam Ariminenſes, recuperandi opidi cauſa, accurrerent, Ioannemq. eiicerent Hermannum ferre illi opem iuſſit: qui omni Prouincia delectu ſtatim habito, breui egregiam manum coegit, & ad S. Iuſtinæ plebem, in uia militari progreſſus, ibiq. triduo commoratus, cum ſe in conſpectum nemo daret, domum quemq. ſuam, nulla alia tentata re, dimiſit. Quieuere inde per aliquot dies omnia, tametſi cum Foroliuiani uexare adhuc Rauennatis Eccleſiæ opida, ac iuriſdictionem pergerent, ab Corrado Priore Præfecto cœnobii D. Mariæ extra portas Fauentiæ, in ipſo D. Mariæ templo, extinctis candelis, pulſatoq. ſacro ære campano, iuſſu Iacobi Epiſcopi Fauentini deſignati, ſacrorum omnium, extra baptiſma paruulorum, & morientium pœnitentiam, expertes Non. Iul. redduntur. Hinc etiam factum eſt, ut Franciſcus Faliſcus aulæ Hermanni Comitis Prouinciæ, generalis Iudex XIII. kal. Septembr. Forliuii, in Prætorio, mandauerit, quoſdam Aureoli incolas, qui in carcere ob uulnera illata habebantur, educi, & Archiepiſcopo Rauennati, ad quem ſpectabant, aſſignari. Menſe Octobri Malateſtinus, Malateſtæ filius, & Philipputius Aeſinus, aliiq. præterea in opidum Montem Scutulum, quod eſt in Ariminenſium finibus, ſe contulerunt. Id cum Ariminenſes nouiſſent, ſubitariis communi conſilio collectis militibus, eò profecti, obſidere diligenter opidum, temerè munitum, & omnes uias, atque exitus obſeruare. Contrà, obſeſſis ſubſidio futurus, delectum Hermannus habet, milites imperat omni Prouincia, Nicolai Pontificis nomen, ſtudiumq. prætendit: iamq. parata ad iter omnia, cum ecce nuncius, captum opidum ab Ariminenſibus, Malateſtinum, & qui cum eo erant, ceteros, Ariminum, ipſo ſanctorum omnium peruigilio, abductos. Tulit id ægrè Hermannus, longeq. moleſtius Nicolao accidit: itaq. mandat Ioanni Columnæ, Anconæ Marchioni per litteras, Ariminum ſtatim iret, & perinde quaſi ſequeſter rem tractaret, ac controuerſias inter Ariminenſem Rempubl. ac Malateſtam è Veruculo, Hermannumq. componeret. Cum igitur Ariminum ſtatim ueniſſet Ioannes, diuq. de pace cũ Hermanno, & Ariminenſibus egiſſet, tamen diuerſis

utrinque condicionibus, & diſiunctiſſimis animis tractata, non conuenit: Philipputius tantum, Picentesq. ceteri, qui tum ea in urbe in carcere habebantur, liberè dimiſſi. Aegrotauit per hos dies Toloſæ, diu, grauiterq. Bonifacius Archiepiſcopus, diuq. fuerat in Aquitania commoratus, ut de liberando Principe Salernitano, & filios Ferdinandi Caſtulonenſis, ageret, itaque & impendia fecerat magna, & exigere pecuniam non potuerat: quocirca cum eſſet Carcaſſi. VII. Id. Decembr. ad Epiſcopum Matiſconenſem, eiusve Vicarium ſcripſit, ut libras Turonenſes vigintiquattuor ad ſe mitteret. Eam autem nauauerat operam, cum collegis, apud Alfonſum Regem, ut Alfonſus Carolum Secundum, tribus eius filiis acceptis obſidibus, Ludouico, & duobus aliis, quos alii alio nomine appellant; ſeptem enim filios mares habuiſſe dicitur; liberum dimiſerit, iis etiam inter ipſos pactis condicionibus, ut Siciliæ Regnum Iacobo Carolus concederet, & Valeſii Comes, Aragoniæ Regnum renunciaret. Quæ deinde, quòd ſui iuris non eſſent, præſtare non potuit. Rauennatibus, hoc anno, contentiones cum Venetis fuere, ob eam cauſam, quòd dicerent, Rauẽnates quoſdam illis nequaquam pactis ſtetiſſe, quibus, de ſale, oleo, ficubus, uinoq. ex vrbe Rauenna, certo numero, non exportando, inter ſe conuenerant: portoriumq. uini, quod ex opido Bagnacauallo, per Rauennate, Venetias deuehebant, auctum: Cum de his negociis Ioannem Segolinum Veneti, legatũ; Vicedominum appellabant; Rauennæ aſſiduè haberent. Ceterum cum multa utrinque fruſtra acta, tentataq. fuiſſent, tandem XVII. kal. Nouembr. Senatu habito, Veneti, Paulum Ber. procuratorem ſuum fecerant, ut Reipub. Venetæ nomine, vniuerſum iudicium ad Marcum Peſarum iuriſconſultum deferret: cuius rei teſtes in tabulario Rauennatis Reipubl. tabulas legi, quæ initio ſic habent. *Illuſtris Dominus Ioannes, Dei gratia, Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ Dux, Dominus quartæ partis, & dimidij totius Imperij Romani, de conſenſu & voluntate minoris & maioris Conſilij ſui, & Communis Venetiarum, ad ſonum Campanæ, & voce præconis, more ſolito, congregati, & ipſa Conſilia, & homines ipſorum Conſiliorum, quindecim dumtaxat exceptis, cum eodem Domino Duce ſimul, tam nomine dicti Communis Venetiarum, quàm nomine perſonarum, de quibus inferius fit mentio, & utroque modo in ſolidum, fecerunt.* Hæc ibi. Poſtero anno, res cum Rauennatibus potiſſimum agebatur, ob conuentum, quem Petrus Stephani, antequam Prouincia abiret, ad Forum Cornelii habuerat: cum non modo pecuniam imperatam, ſed ad mulctam, quæ illis dicta ob eam contumaciam a Petro fuerat, expediendam, cogerentur. In ius vocatus eſt, his de cauſis, Guido Polentanus, & Malateſta è Verucu lo, eorumq. filii, quos diximus: in iis etiam, qui admodũ multi Polentanis aſſenſerunt, atque ob id læſæ maieſtatis crimine ſunt accuſati, hi maximè præſtabant. Signorellus & Vgo fratres Ghetii, Lazarus Bacarius, Paracaria Rizardi filius Parzitatus, Hubaldinus Signorellus, Philippus Drudus, Signorellus Anſelminus, Vitalis Lazarus, Ioannes Balbus, Albertinus Berardengus, Vitalis Buccolus, atque, uti memorauimus, plurimi præterea, uſque ad poſtremi ordinis uiros. Adiungebat Monaldenſis, Polentanos, quod tunc Venetis eſſent fœderati, permiſiſſe, ut Venetias triticum, & ceteræ ſegetes exportarentur, tyrannidemque Flaminiæ affectare: hasque omnes ob res Ioannem Marcoaldum miſit, qui apud Pontificem pro cauſa diceret. Hac nominis delatione accepta orato-

ANN. MCC LXXXIX.

res aliquot, & Iacobum Bononienſem, Reipubl. Rauennatis, eorumq. præſertim, quos ſupra ſcripſimus, procuratorem, Polentani ad Pontificem miſere, qui oſtenderent, Petrum priuatis potius ſimultatibus ductum, quàm Eccleſiæ Romanæ cauſa, & conuentus egiſſe, & pecuniam, militesq. imperaſſe, & Polentanos, ceterosq. Rauennates rei capitalis, deq. crimine læſæ Pontificiæ maieſtatis inſimulaſſe: cũ Polentani & Rauennates tanto flagrarent, flagraſſentq. amore Romanæ maieſtatis, atque dignitatis, ut ſuperioribus annis, ſponte, pro Eccleſia Romana ſtipendia, milites, ac Duces in Guidonem Feltrium præbuerint, Pontificiosq. Legatos, Foroliuii, & reliquis Flaminiæ urbibus recipiendis, tantum iuuerint, quantum facile omnes intelligerent, id autem erat quam maximè: Ipſum Petrum facinoroſum eſſe hominem, qui neque ſacratis uiris uiolandis abſtinuerit, & Tyrannidem expetens, Forumliuii, Pompilii, Britonorium, & arcem Ceruiæ hoſtiliter inuaſerit. Quibus Pontifex, quem Romanos inteſtinorum bellorum tumultus, uitantem, Rauennates Oratores Reate adhibuerunt; cognitis, rem omnem Saluo Bononienſi, in aula Romana, prouocationum cauſarum capitalium generali iudici, mandat diſquirendam: & Hermanno Monaldenſi Rectori, ſuffecit Stephanum Ienazani, Columnam, ciuem Romanum: Neque tamen ante è Prouincia Hermannus abiit, quàm Ricciardus Alatigus, Stephani Vicarius, menſe Auguſto, Prouinciam ingreſſus eſt: quemadmodum & Bartholomeus Epiſcopus Groſſetanus, Prouinciæ, ad eam diem, ſacrarum cauſarum; in ſpiritualibus uocant; Rector, & Legatus, diſceſſum extraxit, in aduentum Petri Saraceni Vicetinorum Epiſcopi, qui eodem Legati, & ſacrarum cauſarum Rectoris titulo, ac munere, in hanc Prouinciam, ſucceſſor Bartholomeo a Pontifice fuerat miſſus, pauloq. poſt Ricciardum, Prouinciam intrauerat. Cum autem illi florenos aureos tres Pontifex, in dies ſingulos decreuiſſet, litteris Reate datis pridie Id. Auguſti, anno Pontificatus II. ad Bonifacium Archiepiſcopum, eiq. ſubiunctos Epiſcopos, aliosq. ſacrarum ædium antiſtites ſcripſit, ut Petro eos poſtulanti, perſoluerent. Huic ſtatim ab Ariminenſibus, omnia opida, quæ tenuerant, data ſunt Romanæ Eccleſiæ nomine. Cumuerò Columna Rector, eodem quoq. adueniſſet, liberaliter, honorateq. ab Ariminenſibus tractatus, in magnam familiæ Polentanæ Rauennatis, & Malateſtiæ Ariminenſis perturbationem incurrit, ob Franciſcam Polentanam, Guidi filiam. Hæc enim pulcherrima, a patre in matrimonium Ioanni claudo; quem, lingua patria, Ioannem Zottum, ob debilitati cruris uitium, dicebant; Malateſtæ è Veruculo filio, uiro maximi animi, & rerum bellicarum non minus ſtudioſo, quàm perito, ſed deformi, collocata, fuerat. Cuius cũ frater, Paulus, eſſet pulcherrimus iuuenis, humanitateq. ac moribus ſuauiſſimis præſtans, nec non longe amoribus aptior, quàm armis, eius conſuetudine Franciſca familiariter uſa, non fuit difficillimum, ut in perditos amores degenerauerit. Itaq. cum diu ambo cõceptum ſcelus, animo incluſum compreſſiſſent, contigit, ut illis die quadam Artus Britanniæ Regis poema, in quo tenero luſu multorum deſcribuntur amores, legentibus, malum exemplum, ad peſſimum facinus dux, atque impulſor extiterit. Quod poſt multos dies Ioannes ſentiens tandem deprehenſos, eodem gladio, ictuq. confodit. Sunt qui ſcribant, matrem, Paulo, Franciſcam deſpondiſſe, & Ioannem claudum, cum Rauennam ueniſſet, eam fratris nomine,

atque

atque item proprio ſalutatum, præ eximia pulchritudine, confeſtim amore illius ardere cœpiſſe, & cum alia ratione non poſſet, per uim impetraſſe, ut ſibi uxor adiungeretur. Huius Dantes facinoris, in poemate ſuo magno memi nit, ſed ita obſcurè, communibusq. notis deſcribit Rauennam, ut niſi eam Petrus filius, ac Benuenutus ForoCornelienſis, eius æqualis, qui ſunt librum; latinè ille, hic Italicè; interpretati, explicuiſſent, & manuſcripti annales me moriæ hiſtoriam mandaſſent, utrum'ne Franciſca, Rauennas fuiſſet, haud difficile poſſet dubitari: Natam enim ſe ea in urbe dicit, quæ eſſet ad mare, in quod Padus influeret: Sed Ariminum, Piſaurum, Fanum, Ancona in huiuſmodi litore maris ædificatæ ſunt. Quod ſi Padi ſpectauit propinquitatem, Cymaclum certè, vrbs olim inſignis, quæ non ſolum cum naſcentium, ſed cum creſcentium quoque Venetiarum opibus, atque armis confligere eſt auſa, propius abeſſe a primo Padi oſtio, quàm Rauenna, uidetur: nam paſſuum millibus circiter decem & octo diſtat Rauenna a Primario Padi oſtio, a quo ad Cymaclum, circiter duodecim numerantur: Vt eam etiam, quæ mari nomen dedit, Hadriam prætereamus, quæ omnium longe ampliſſimum Padi alueum, Fornaces dictum, propinquum habet, multis quaſi alter Nilus, inſulis, atque oſtiis erumpentem in mare. Pleriq. exiſtimant, Dantem ſequutum fuiſſe ueterem curſum, quo Rauennam circumdabat, atque interfluebat Padus: Cum tamen nequaquam ſit ueriſimile, adoleſcentulam, qualis Franciſca fuit, deſcribere ſuam patriam, ut tum erat, cum uiuebat, noluiſſe, uetuſtiora ſecutam fuiſſe, quorũ eſſe ignara potuit: præterquam quòd nõ Padus ipſe, ſed è Padi alueo principe deducta foſſa, huc pertinebat. Eam autem foſſam, licet eruditus noſtræ ætatis Hiſtoricus ab Valentiniano Cæſare ductam ſcribat, fuit tamen longè antiquioris operæ, cum de ea Plinius tradat, aſſeratq. anguſtam fuiſſe, appellatamq. Meſſanium, uti ſupra dictum a nobis eſt. Eam uerò tum foſſam deſiiſſe putandum eſt, cum Felix Archiepiſcopus, inciſa, uti docuimus, Padi ripa, omnem hanc inundauit regionem, in eumq. deinde alueum, Padus, qui modò per Conſandolum, Boccaleonem, & ſanctum Albertum, uicos, prætetlabitur, eſt reductus; quiq. fortaſſe ob id in tabulis publicis; quibus inſulæ Perei termini, ſexcentis iam ferè annis, deſcribuntur; appellatur Padus iuueniacus, eius ſeculi uoce, quæ Padum iuniorem exprimit: ſi quidem eam foſſam, anguſtam fuiſſe, ita ut naues militares non caperet, oſtendit præ ceteris Sidonius Apollinaris, qui illam uocat tramitem, & Droctulfi Sueui Ducis iter, qui Zmaragdo Exarcho, opidum Claſſem obſidenti, auxilio futurus, ut Rauennam milites ad duceret, Brixillo ueniens, ſecundo Pado, ad Spineticum oſtium deuexit, ubi etiam cum Longobardis ſeſe obiicientibus, ſibi fuit acriter, nec ſine diſcrimine pugnandũ: Satis autem conſtat, ſi per eam foſſam patuiſſet claſſiariis nauibus iter, minus periculoſiore, & multo breuiore uia, deſcenſurum fuiſſe: cum neq. etiam ea, in mare, foſſa influeret, ſed per paludem, in qua ſita Rauenna ex Strabonis, Sidonii, & Procopii auctoritate, erat, funderetur, diſpergereturq. Eius foſſæ uicem nunc ſtagnantis aquæ Euripus refert, de quo diximus. Ceterùm, ut dicam quod ſentio, propinquitatem reſpexit Dantes, quando nulla ſit urbs litori maris propior, uiciniorque Pado. Ariminum, Piſaurum, Fanum, Ancona longius a Pado, Cymaclum a mari, abſunt: Nam quamuis diſtet altero nunc ferè milliario Rauenna a mari; noſtrorum tamen patrum ætate

multo minus diſtabat, quòd Padus ipſe, & quæ Rauennam ambiunt, flumina, multum arenæ ad oſtia inuehant, quibus tamquam aggeribus, mare repellitur. Procopius Rauennam ſuo tempore a mari procul uix ducentos quinquaginta paſſus fuiſſe ſcribit. De Adria quod dicitur, nihil facit, quia & longius a mari abeſt, & ille Padi alueus, licet nunc maximus, ipſius tamen ætate Franciſcæ, ita nouus erat, atque anguſtus, uix ut Padi nomen haberet: Centum ferè ante annis, Sicardo quodam auctore, alueum illum, ad fornaces, Padus ſibi ſtrauit, ſed ita exiguum, ut eò caruerint, quæ eo tempore, & poſterioribus deinde multis annis, deſcriptæ ſunt, Roberti præſertim Regis, & Franciſci Petrarcæ, ut ait Blondus, Geographicæ tabulæ: quarum uſus, non Ptolomei, aut Marini ætate cepit, ut nonnulli putant, ſed Anaximandri Mileſii, qui floruit circiter Olimpiadem quinquageſimam: Is primus dicitur Geographicam tabellam edidiſſe, ut ſcriptum reliquit ex Eratoſthene Strabo: quamquam Ariſtoteles, ridiculè, ſuo tempore, habitatam terram circulo deſcribi aſſerit. Sed de Padi, eiusque oſtiis id accidit, quod in Nilo contigiſſe idem tradit Ariſtoteles, Aegyptum omnem ſemper fieri ſicciorem uideri, & totam regionem, adaggerationem Nili eſſe, Homerumq. illius loci facere mentionem, tamquam nondum Memphis exiſteret, aut omnino, aut non tanta: nec ſemper terræ eadem loca, aut aquoſa eſſe, aut arida, ſed permutari fluuiorum generatione, aut defectu: Hinc fieri, ubi terra, mare: Vbi nunc mare, hic iterum terram: horumq. cauſam eſſe, quòd interiores partes terræ, ſicuti corpora plantarum & animalium, ſtatum habeant, & ſenectutem, idq. propter ſolem, cæleſteſq. alios motus: Quo tempore ſcripſit Polybius, mille octingentis iam fermè annis, Padus binis in ſinum Hadriaticum oſtiis erumpebat, Padoa, ducto a Pado nomine, Volanaque: & Volana portum efficiebat, inter omnes Hadriatici maris portus tutiſſimum. Cæterum Plinius, qui tercentis poſt Polybium annis uixit, inter Volanam & Padoam; quem appellat Vatrenum, a Vatreno ForoCorneliani agri fluuio, qui eò loci Padum augebat, nos hodie uocamus Primarium, duo Padi adiungit oſtia, Capraſiam, & Sagum, quorum nunc nullum ſupereſt, tametſi Capraſiam, Magnauaccam eſſe hodie aliqui putant, cum tamen illuc nequaquam Padus influat. Supra Volanam, deriuato Tuſci per foſſas Pado, ſtagna Hadriatica fecere, quæ cum paterent ſeptem capitibus in mare, ſeptem maria ſunt appellata. Hæc etiam ætas minorem uidit portuum Padi numerum: cum enim, noſtra memoria, quinque eſſent, Primarium, Volana, Abbas, Gaurus, Fornaces, paucis ante annis obſtruxit Abbatem Alfonſus Secundus Eſtenſis, Ferrariæ Dux, prudentia & magnanimitate celſiſſimus, dum exiccata finitima regione, fertilitatem auxit ſuis populis, & liberam animi oblectationem ſibi parauit, ea inſula, quam, trianguli forma, quaſi paruam Nili Deltam, gemini illi Padi aluei mediam claudebant; Græca, eam ob rem, ut puto, uoce, Meſolam dictam, plurimis amœniſſimam lucis. Hanc vndique muro, qui eſſe in circuitu millia paſſuum nouem fertur; cinxit, turribus firmauit, & Regiis planè ædibus, in quibus habitaret, ornauit. Eo loco ad uenationis, & piſcatus commoditatem nihil commodius. Salſa aqua, per ipſum portum Abbatem, qui adhuc aliquot naues excipit, ingreſſa, eoque admiſſa, æneis tabulis mòdo ſublatis, nunc demiſſis, magnis omnem locum euripis peruadit, in quibus ludentes ui-

deas

deas omnis ferè generis piſces: adſunt & Cymbæ, quibus nauigari quacumque penè uelis, liceat: aprorum, ceterorumq. ſilueſtrium animalium ratio, & numerus mirabilis eſt: Apros, cuſtos eorum, in nemoris planitiem, currui inſidens, quotidie cornu euocat: uideres certatim undiq. accurrentes, vt glandem comedant, quam cuſtos illis diſtribuit. Idem Ceruis efficitur, quorum ſunt greges penè infiniti, & cum caſtrantur, inſignem ſpectantibus uoluptatem afferunt. Capreoli, Damæ, lepores habentur innumerabiles. Sed iucundiſſimum eſt, nobiliſſima colligere, extantia è dumetis pyra, inſitione optima, quæ paſſim viſuntur. Superat tamen omnia ipſius humanitas Principis, qui belli & pacis artibus clariſſimus, & laude Imperatoria florentiſſimus, maioribus ſuis, quorum ſemper fuit nobilitas Italico ſolo præſtantiſſima, ueſtigiis non inſiſtit modò, ſed adiungit immortalia ornamenta. Cum illum forte tum in hoc ſeceſſu commorantem, ego ſuperioribus diebus, Venetias proficiſcens, officii cauſa ſalutaſſem, ab eo ſum benignè exceptus, fauoreq. honeſtatus, & perluſtrandi loci commoditatem nactus: cum humanitatem Principis aulici ipſius, uiri ornatiſſimi, qui tum aderant, apud me fuerint imitati, Hercules Giliolus Comes, Ioannes Baptiſta Laderchia, ForoCornelianus, iuriſconſultus acutiſſimus, Principi a ſecretis, Hieronymus Braſauola, eius item Principis medicus, Græcè, latineq. doctus, & alii præterea, quibus ea aula diues eſt. In tot igitur oſtiis Padi, tantaq. varietate illorum, unum Primarium vetuſtiſſimum locum retinens, deſcribendæ patriæ apud Dantem, iuſtam, propter eas cauſas, quas diximus, Franciſcæ anſam præbuit: cuius acerbo, grauiq. caſu, ut magna accidit Arimini, & Rauennæ concitatio animorum, ita ne muliebris magis pateret infamia, altiſſimè compreſſa eſt. Hoc caſu perturbatus Columna, Cæſenam diſceſſit, ibiq. Raulem Mazzolinum Cæſenatem, Mantuæ Prætorem deſignatum, ſolemni pompa, in æde maxima, equeſtri dignitate decorauit, cum in Deiparæ Virginis honorem Petrus Epiſcopus Vicetinus, Legatus, frequentiſſimo hominum concurſu, rem ſacram egiſſet, Bonifaciusque Rauennatum Archiepiſcopus, cum Ariminenſi Epiſcopo adfuiſſet. Tandem verò Forliuium Columna profectus, Quincto kal. Octobr. cuius Præfectus vrbis erat Nerius Bardus Florentinus, eò totius Prouinciæ indixit Conuentum, conuenereq. ad dictam diem, Bononiæ, ceterarumq. Flaminiæ ciuitatum Legationes: cum, uſitato iam Præfectorum huius Prouinciæ titulo, Stephanus & Petrus, ille prophanarum, hic ſacrarum rerum, ciuitatis etiam Bononiæ, & Comitatus Britonorii, eorumq. quæ ad ea ſpectarent, Rectores dicerentur. In eo conuentu Stephanus, quod eloquentia valeret, poſtquam recitauit Nicolai Pontificis litteras, quibus obſequium Pontifex a ſubiectis populis, fidemq. in primis petebat, Stephano ipſi maximam iuriſdictionem in Prouincia, eorum, quæ facerent ad eius munus, ſtipendiis potiſſimum in milites, ceteriſq. eius negocii redimendis; præſtabat. Nemo omnium fuit, qui ſuæ quiſque ciuitatis nomine, ſe præſto dictis futurum, Pontificiq. pro eo ac deberent, obediturum, libenter ac prolixè non confirmaret. Nec diu poſt Bernardinus Polentanus, Guidi filius, ingenti vir animo, ſummaq. prudentia, Mediolanum Prætor abiit. Fuit is annus ab ortu Chriſti nonageſimus ſupra milleſimum ducenteſimum: quo D. Bartholamæi templum, in turricula coniuncta cum Hoſpitali domo Miſericordiæ, cui poſtea D. Lazari titulus

ANN. M. CCXC.

lus fuit, eamq. modò Camaldulenſes monachi incolunt, die D. Matthiæ Apoſtoli feſto, a Bonifacio Archiepiſcopo eſt dedicatum. Eodem hoc anno noui, ingentesq. Arimini, & Rauennæ tumultus exarſerunt: Poſtquam enim Columna Fauentiam, Forum Cornelii, Rauennamq. pacatè inuiſerat, inter Guidonem Polentanum, & vniuerſitatem Rauennatem ex una parte, & Malateſtam è Veruculo, Ioannemq. Malateſtam, Ramberti filium, & eius factionis reliquos ex altera, cum multa diu tractaſſet, tandem menſe Martio pacem fecit: mox ſe contulit Ariminum, ut eundem Malateſtam è Veruculo, eiusq. aſſeclas ex una, Rempubl. ciuitatemq. Ariminenſem ex altera, pacatos inter ſe redderet: quod & factum eſt: nam Malateſta, Ioannes Ramberti Malateſtii filius, Guido Rubeus, Lambertus filius Michaelis Guidonis Rubei, & multi præterea, cum eſſent in opido S. Archangelo, in ipſius ædibus Malateſtæ, procuratorem eorum fecerant Vgolinum iuriſconſultum Benuenuti filiũ, qui eorum nomine, ſucceſſorumq. promitterent Guidoni Polentano, Lamberti filio, Prætori, Senatui item, & Reipubl. Rauennati, ſe, ſuosq. aſſeclas, & poſteros, pacem, pactaq. & leges ſeruaturos, quæ Stephanus Columna Prouinciæ Rector, inter ipſos ex una parte, & Rempubl. Ariminenſem ex altera laturus eſſet, pœna, iis, qui contra facerent, marcharum argenti uiginti millium propoſita. Per eoſdem dies piſcatorum Rauennatium ſocietatem, Ariminum acciuit, ea autem miſſo procuratore, paludes, quas a Trauerſaria Guillelmi Trauerſarii filia, Thomæ Foliani vxore iam viginti annos, fiduciario iure habuerant, Stephano ipſi, ærarii Pontificii nomine, acceptas retulerunt, cum Stephanus de earum poſſeſſione Matthæum Folianum. III. Non. April. deieciſſet. Ceterum Ariminenſi confecta pace, Malateſtam, ac filios ad Roncofreddum Malateſtæ opidum Stephanus relegauerat, cum, menſe Aprili, veſperi, Mariſcalchi familiaribus, id autem eſt; ut hoc ego loco interpretor; Equitum Præfecti in vrbe ocioſè inambulantibus, inter ipſos, & Vrſi, Arimini Prætoris familiares, accidit rixa. Cuius a Prætore ſigno dato, nolæ ſonitu, quæ in ſumma turri Prætorii erat, accurrit populus, & ſecum unà Martinus Cataldus, qui Dux Ariminenſis populi, ac penè Dominus habebatur: Quamquam enim dicitur incondita multitudo, & multorum capitũ bellua, populus, tamen auctoritatem ſemper paucorum quorumdam, & ſententiam ſequitur. Prœlium ſatis inſigne cœptum eſt, popularesq. baliſtis, ac aliis armorum generibus, peditesq. atq. equites, ad ædes Columnæ, iaciendis perpetuò lapidibus, & ſtrenuè prœliando concurrunt. Malateſtæ amici conuenere in Seclanorum compita, ſeq. ibi ſunt a popularibus tutati: in ipſum quoque forum, & qua domus, ac turres erant, iaciebantur lapides, magnaq. tandem cum militibus, & familiaribus Columnæ pugna fuit: & ni ſumma ope Montagna Parcitatus; vir, uel Dantis, qui eo tempore uixit, teſtimonio, in ciuitate princeps; maiora ne fierent, reſtitiſſet, & diſcedere ab armis populares, pedemq. referre curaſſet, palatium dubio procul Columnæ ademiſſent: ſed laxata pugna, inſtante Parcitato, ea nocte abiere. Patefacta interim prope Atti Rauignani domum poſterula eſt. Cum enim eo tempore, ciuium multæ eſſent, plurimumq. poſſent in Flaminiæ ciuitatibus, factiones, conſueuerunt in vrbis mœnibus occultas, & quaſi cæcas portas minores, poſterulas, tamquam poſticulas uocatas, leui opere lapidibus, & cemento obſtructas, facere:

per

pereas; ſi forte maiores, præcipuæq. vrbis portæ occuparentur, reiectis facilè lateribus, apertas, amicos ſubſidio introducebant: quod & Arimini tum contigit, Malateſta, eiusq. ſociis, per huiuſmodi poſticum vrbem ingreſſis: Qua de re populares funduntur, complureſq. metu vrbe abeunt: multi nihilo minus capti, & Columnæ in poteſtatem traditi. Fuit in iis Martinus Cataldus, qui actus in quæſtionem, ſe cum aliquot ciuibus coniuraſſe faſſus eſt, ut Columnæ eam vrbem auferrent, illumve, & familiam eius omnem, ac ſtipendiarios milites obtruncarent, aut ſaltem vrbe pellerent, vt ſolus ea potiretur: itaque Martinus ſuſpendio necatus, reliqui coniurationis ſocii relegati, pars Cremonam, Anagniam alii, quæ vrbs Hernicorum in Latio eſt, multi in Sabinos, Aquilam, triginta iam & ſex circiter annos, inter Amiternum, Forconamq. dirutas vrbes, mediam ædificatam. Adhæc Stephanus, in ipſo Arimini Prætorio, graui edicto pronunciato, ex Bernardi Epiſcopi Portuenſis, iam Cardinalis, & Legati Pontificii, promulgata ſuperioribus annis ſententiæ formula, vrbem Ariminum, honore, dignitate, priuilegiis, agro, Prætura, & omni demum iuriſdictione mulctauit: mox Andream Montagnam, uirum prudentia, & nobilitate inſignem, amplis honoribus vſum, ciuitati Prætorem dedit. Sub id tempus Bonifacius Archiepiſcopus Rauennas, cum eſſet Argentæ, VII. Id. Iul. teſtamentum, quod in Gallia fecerat, confirmauit, in ſacello Archiepiſcopali. Guido Polentanus; quem hoc anno, menſe Auguſto, Prætorem Rauennæ reperio; cum Bagnacauallenſibus de ripa Anemonis fluminis; quem Rafanarium uocant; conuenit, in eam condicionem, ut ab agro Fauentino, ad paludes, utrinque fluminis ripa, tam quæ Rauennam, quàm quæ Bagnacauallum reſpicit, Rauennatium eſſet, ac diceretur: curarent Rauennates, uiam vtrinque conſeruari latam: Poſſent Bagnacauallenſes, quæ illos reſpicit ripam munire, dum tamen mediam partem expenſi conferrent. Has leges, Lazarus Gattus, Bagnacauallenſium Syndicus, Iacobus Bargozus Bononienſis, eorumdem Prætor, ratas habuerunt. Verùm ſi conuenit cum Bagnacauallenſibus Guido, ab D. Mariæ in portu Canonicis plurimum diſſenſit, in quorum ſacra turri armatos in præſidio collocare, ipſis repugnantibus, nitebatur: tandemq. collocauit, Bittino ForoCorneliano, milite, & quondam ſocio Guidonis, ipſius iuſſu, in cœnobium irrumpente, foreſq. effringente: itaque ad Prouinciæ Comitem Portuenſes Canonici prouocarunt: Sed paulo poſt Guido, Florentiam Prætor abiit: Rauennatem iniit Hoſtaſius filius: quo tempore, cum menſe Nouembri, Rauennam Stephanus Columna Rector veniſſet, Rauennates inter ſe ciues pacaturus; ut ſuis litteris, quas nos legimus, Nicolaus Pontifex Max. teſtatur; ab Hoſtaſio, & Lamberto Polentanis fratribus, poſtulauit, vrbis arcem: Id cum Polentani recuſarent, metuerentque propterea ſibi a Stephano, neu per uim claues ipſe extorqueret, amicorum ſatis magna manu, equitum, peditumq. Rauennam accita, medium Nouembrem circiter, ſtata nocte, ab eis tumultuatum eſt: eaq. occaſione, Stephanum ipſum Columnam, Prouinciæ Rectorem, Ioannem filium, Mareſcalchum generum, Petrum Palombaram, Guidonem Pileum, Petrum Frangipanem, Petrum è Segia iudicem, Angelum Signinum, Medicum, & ex eius familia reliquos, equites etiam, & ſtipendiarios milites, ex improuiſo oppreſſos ceperunt, & in carcerem, ac uincula coniecerunt; bona eorum, arma,

 equi,

equi, quos gregarios decem, egregios,& generoſos unum ſupra centum fuiſſe certum eſt, direpta. Is nuncius iam ante exulceratum Ariminenſi coniuratione optimi Pontificis animum, ſupra quàm dici poteſt, momordit: idq. eò acrius, quò Calbuli Foroliuiani, & Flaminii fœderis ceteri; ii Prouinciæ primores erant;coniuraſſe in id facinoris putabantur.Fori Cornelii quoq.per eoſdem dies eſt tumultuatum, Alidoſio cum factionis ſuæ reliquis, arma in Nordilios mouente: quamobrem aduenientibus ex opido Medicina, inde haud procul, multis; prœlium atrocius, quàm pro numero pugnantium, editum, pluribus ab omni parte trucidatis. Ceterum cum Nordiliorum ſubſidio, aſſiduè equites Bononia venirent, pedem referre Alidoſius cum ſuis, & vrbe tandem excedere cogitur: a Bononienſi Republ. miſſi confeſtim agricolæ, qui diruerunt vallum, munitionesq.& foſſas æquarunt. Fauentiam quoque; ubi Columnæ increbuit captiuitas, coacta Manfredii multorum manu, ingreſſi ſunt, fugientibusq. inde Acariſiis, Zambraſiis, Rogatis,& Bernardini Comitis Cunii filiis eius dominatum vrbis occuparunt,foſſa,& uallo, ſuburbiũ quod eſt ad pontis portam, munierunt: Verùm coniunctis Acariſii, ceteriq. vrbe pulſi, cum Maghinardo è Soſenana conſiliis, copiisq. quas ſatis inſtructas, & validas ex amicis contraxerant, paucis diebus, poſtquam profugerant ex vrbe, hora diei tertia, in eam rediere, Manfrediis, qui aduerſus tantam copiarum, molem, poſſe vrbem tutari forte diffiderent, paucis ante horis abeuntibus. Eius urbis Præfecturam iniere Maghinardus, & Lambertus Polentanus, Guidi filius. Hac eadem inſigni rerum perturbatione, Ariminenſis Prætor, quem Stephanus Ciuitati, diſcedens, præfecerat, uti ſupra memorauimus, ex urbe euolauit:Vrbis dominatum accepit Malateſta,& in ſex menſes Rodulfinum Galiſidium Cæſenatem, Prætorem deſignauit. Vniuerſæ Iudices Prouinciæ,Cæſenæ tum erant tres, Andreas Cæſius,Gentilis è ſancto Elpidio, Ferapecora Parmẽſis:ii cum intelligerent,Cæſenates aſſentiri illis,qui Stephanũ ceperant,uiderentq. ſe tutos ibi eſſe nõ poſſe, multis quotidie indecoris ſuccedentibus rebus, longè melius ſibi conſultum putantes, ſi inde quamprimum abirent, in Riuerſanum Archiepiſcopi Rauennatis opidum,mox aliquot poſt diebus, Forliuium; quæ tunc ciuitas populari libertate adminiſtrabatur; ſe contulere. Ibi a populo, qui Eccleſiæ Romanæ iuſſis; quod & ceteri populi, ſuæ quiſq. ciuitatis, affirmabant; obſequi perpetuò uelle profitebatur, in tutelam accepti. Grauiter, moleſteq. tulit hæc Pontifex, ac Petro Saraceno in hac Prouincia, ita uti dictum eſt, Legato, mandauit, ut inſigniendis Cruce Prouincialibus,in officio cõtinere illos pro uirili parte niteretur:Quod Petrus Forliuium & ipſe profectus, diligenter fecit: aduocataq. ſæpe concione, crucis ſigno decorabat, & remittebat multa, condonabatq. iis, qui apud illum eſſe, illiusq. præſidio uellent. Verùm menſe Decembri ad Decimum tertiũ Kal. Ian. Maghinardus, & Lambertus Fauentiæ Præfecti, Guido Polentanus cum Rauennatibus, Malateſta cum Ariminenſibus,Ceruienſibus,Foropompilianis, Britonorianis, cumq. Toſolino Abetis, & omni peditum eorum, atq. equitum manu,Forliuium portis S.Blaſii, & S.Petri repente ingreſſi,neq. damno,neque ui ulla cuiquam illata, eius dominatum ciuitatis occuparunt. Nicolaus Pontifex tanto malo, qui latius manabat in dies, acrioribus remediis ſubueniendum ratus, dum eſſet Orbiti, XI. kal. Ianuar. Flaminiæ Comi-

tem,

tem, Rectoremq. creauit Ildebrandinum, Epiſcopum Aretinum, è Comitũ Guidorum gente, uirum & nobilitate generis, & uirtute ſua, ad id muneris longè aptiſſimum: mandatis additis, ut quas vrbes, quæq. opida ad Romanam Eccleſiam ſpectare in hac Prouincia cognoſceret, ea repeteret, ac una cum Petro Saraceno, daret operam, Stephanos, captiuosq. omnes liberè è cuſtodia dimitti, & cognita cauſa, acerrimè noxios puniri. Caſtrocarum primò, mox Forliuium, Florentinorum Legatis comitantibus, Ildebrandinus peruenit, litterisq. ſtatim ad Rauennatem Rempubl. Hoſtaſiumq. & Lambertum Polentanos ſcriptis, mandauit, Pontificis nomine, iuſſuq. Stephanum, & ſocios è cuſtodia educerent, & tribus florenorum aureorum millibus numeratis, eorum damna ſarcirent. Ceterum cum Hoſtaſius, & Lambertus, cum priuato ſuo, tum publico ciuitatis nomine præſtare, quod imperatum eſſet, negarent, Ildebrandinus indicto Forliuium conuentu, quo Oratores & primarii ciues Ariminenſes, Cæſenates, Foroliuiani, Fauentini, Bononienſesq. conuenerunt, interfueruntq. ii, quos ſupra diximus, Florentinorum Legati, ut melius de controuerſiis publicis conſtitueretur, decreuit, Rẽpubl. Rauennatem, ac Polentanos omnium iniuriarum abſoluere, dum Stephanum, ac ſuos è cuſtodia liberos dimitterent, & tria florenorum millia, quæ ablata fuerant, expedirent. Hoc decretum per litteras Forliuii X I. kal. Febr. anno ſupra milleſimum ducenteſimum nonageſimo primo datas, ſignificauit, eo addito, ut Fauentiam adducerentur, Stephanus, captiuiq. omnes, ibiq. Hoſtaſius eos, ac Lambertus, in manum Ildebrandino traderent. ANN. M. CCXCI. Acceperunt condicionem Hoſtaſius, Lambertusq. vel hortante Guidone patre, & Bernardino fratre, qui ad tantæ perturbationis nuncium, abdicatis Præturis, Rauennam venerant; Guidoq. ipſe Polentanus, Federicus Pontes, & Leutius Balbus, Ioannis filius, Rauennatis Reipubl. procuratores, Ildebrandino receperunt, tria ſe florenorum aureorum, Florentiæ excuſorum, millia Stephano Columnæ, tribus penſionibus perſoluturos: intra quindecim dies primam, ad diem D. Michaelis feſtum alteram, poſtremam ad omnium ſanctorum: quod & factum deinde eſt:, & floreni mille, ubi terminus primæ aduenit, penes Simonem Bonacurſii è Carentorum Piſtorienſium ſocietate, depoſiti a Reipubl. Rauennatis Sindico. Alteram Montanus Viuiani filius, è burgo S. Laurentii agri Florentini, Rauennatium procurator, ad dictam diem, in ſinu Ildebrandini Rectoris, poſuit, cum eſſet Fori Cornelii, adeſſetq. Albertus Comes Mangonæ, Thediſius Canalis, Bitinus Dioniſius Bononienſes equites. Poſtremam, coram Ildebrandino, in manum Simoni Bonacurſii, mercatori Piſtorienſi, è ſocietate, quam diximus Carentorum, Forliuii, dedit. Huius promiſſionis uades pro Polentanis acceſſerant Malateſta è Veruculo, Rodulfinus è Galiſidio, Maghinardus è Soſenana, Rainerius Cunii Comes, Rainerius Calbulus, Alberigutus Mainardus Britonorianus, Thebaldus, & Thedericus Ordelafi Foroliuiani, Argolioſus Guaiferus, & Hieremias Rubeus Foroliuiani omnes. Eodem menſe ad Non. kal. Hoſtaſius, & Lambertus, unà cum Liutio Balbo Reipubl. Rauennatis Syndico, in campis propè Fauentiam, Ildebrandino liberos; nomine eorum, & aſſeclarum; in manum tradiderunt Stephanum Columnam, Ioannem, filium, & ceteros omnes: cum adeſſent Petrus Epiſcopus Vicetinus, ſacrarum cauſarum in hac

Pro-

Prouincia Rector, Pontificiusque Vicarius, Bonifacius Archiepiſcopus Rauennas, Lotherius Epiſcopus Fauentinus, Gerardus Eremita Camaldulenſis, eius ordinis generalis Præfectus, Aghinulfus, & Alexander Romenæ, Comites in Tuſcia Palatini, Albertus, & Azzolinus Mangoni Comites, Guelfus Caualcantes, Sinibaldus Pulcius, Lapus Saltarellus, ciues, Oratoresq. Florentini, multiq. præterea uiri nobiles. Ildebrandinus contra, omni culpa Rempubl. Rauennatem, & Hoſtaſium liberos in perpetuum eſſe pronunciauit, itaque eius abſolutionis, ac ſententiæ formulam ſcriptis mandauit. Idem Foroliuianis condonauit, agrumq. & priuilegia, & immunitates, quibus eandem ob cauſam mulctati fuerant, reſtituit, diplomate Foriliuii. VI. kal. Febr. dato. Ipſe quoq. Stephanus, Ioannes filius, ac reliqui, tabulis publicis, eodem, quo liberi è cuſtodia dimiſſi ſunt, die, manu Iacobi Benincaſæ filii, prætorio Fauentino, confectis, teſtati ſunt, ſatisfactum ſibi fuiſſe ab Hoſtaſio, & Lamberto Polentanis, Guidi filiis, Lamberti nepotibus, Liutio Balbo, Ioannis filio, Rauennate, pro Rauennatibus: Vgone Aſprono Fauentino, pro Fauentinis: Nicolao Magiſtro Ioannis filio, pro Forliuienſibus: Barchino Palatio, Rigutii filio pro Cæſenatibus: Albergutio Mainardo pro Britonorianis, proq. fratribus, nepotibus, fidelibusq. ſuis: Leoni Fanto pro Ceruienſibus: Rainerio Calbulo pro Meldulenſibus: a Tigrino pro ſe, fratribus, atque amicis; a Maghinardo è Soſenana, eiusq. fidelibus: Rainerio Cunii Comite & fratribus: Rodulfino è Galiſidio, Theoderico eius filio, Saluatico, & Ghello eius nepotibus, & Galiſidianis: Malateſta è Veruculo filiis, ac nepotibus, eiusque fidelibus. Albergutio è Polenta, & fidelibus, ac opidanis Polentæ, & Cuglianelli, a Paterniano pro Ariminenſibus, qui uades Rauennatibus fuerant. Stephanus cum ſuis, Fauentia, Aureolum profectus, Archiepiſcopi Rauennatis opidum; & poſtridie eius diei Caſtrocarum, poſtquam aliquot ibi dies perſtitit, abiit è Prouincia, Ildebrandino, & Petro Rectoribus Foriliuii interea commorantibus, ubi conuentus iterum Rectorum, Oratorumq. & Syndicorum, omnium Prouinciæ Ciuitatum, kal. Mart. actus eſt. In eo, Pontificis, Max. lectæ litteræ, quibus Ildebrandinus Prouinciæ rerum prophanarum; in temporalibus dicunt; Rector, cum magna auctoritate declarabatur, legesque latæ omni Prouinciæ Communes, decretumque uti Ildebrandino quotannis uiginti florenorum millia a ciuitatibus Prouinciæ, ad perſoluenda ſtipendia numerarentur: neque vlla ciuitas imperare tributum poſſet: itaq. quæ erant imperata abrogauit: & ſi quis contra feciſſet, minimeq. paruiſſet, in eum Bernardi Epiſcopi Portuenſis, Pontificii Legati, leges, multamque renouauit. Cum autem hoc tempore Opizo Marchio Eſtenſis, & Thediſius è S. Vitali, Parmenſis, Ferrariæ Prætor, in Sandalo, Maderio, Ripa perſici, & aliis locis, Flaminiam verſus, munitiones, operaque excitantes fines turbarent, ditionemq. Archiepiſcopi Rauennatis, ſacro anathemate a Michaele Archidiacono, Bonifacii Archiepiſcopi Vicario, notati ſunt, & a piorum ſocietate. VI. Id. April. Argentæ, multis audientibus, ipſoque in primis Guidone è Lauania Vicecomite, amoti. Hoc interim ſpatio Pontifex, re omni, ita uti acta fuerat in Flaminia, de Stephano, accepta, Ildebrandinique uehementer laudata uirtute, pacatam intuens, quieſcentemque Prouinciam, eum, Vicarium ſuum, litteris hac de re, Orbiti V. Kalen. Iul. ſcriptis fecit.

fecit. Itaq. Ildebrandinus utraq. iuriſdictione, ſacrarum, ac prophanarum cauſarum potitus florebat & fama rerum geſtarum, & prudentiæ opinione plurimum. Commorabatur ipſe Cæſenæ hoc tempore, eoq. Rauennates Ioannem è fonte Ilicis procuratorem miſerunt, qui prouocaret ad Pontificem de eo, quòd tributa imperari prohibuiſſet: retinere enim iam diu Rauennatem Rem publ. huius quaſi poſſeſſionem: ſed huic prouocationi, Malateſtino Malateſtæ filio Cæſenæ Prætore ſpectante, Ildebrandinus non detulit. Profectus autẽ fuerat Cæſenam, ut acciperet hoſpitio Gerardum Blancum, Parmenſem, Cardinalem, reuertentem è Gallia, quò illum, unà cum Benedicto Caietano Romano Cardinale, Pontifex legauerat, ut pacem inter Philippum Galliæ, & Odoardum Britanniæ Reges, cōponerent. Videbat enim optimus Pontifex, eos & Regna ſua euertere, & quod maximè omnium Pontificis animum angebat, a nobiliſſimo & Chriſtianis Principibus longè digniſſimo uictoriæ genere abduci, quo in Syria aduerſus Sultanum, pro Chriſti Dei religione, pro Chriſtianis miſerè afflictis, & in vrbe Acri, quæ fuit ueteribus Ptolemaida, acriter obſeſſis, & opem vndique aſſiduè implorantibus, uti poterant. Quo factũ fuerat, vt complures ex hac Prouincia, hoc anno, quemadmodum & ſuperiore fecerant, ſancto Crucis ſuſcepto ſigno, propriis ſtipendiis, nauigarent in id bellum, multi pecunia & milite iuuarent. Quamquam ea tandem urbs a Sultano capta eſt, magna Chriſtianorum clade, qui ad ſexaginta millia occubuiſſe dicuntur. Erat interea Bonifacio Archiepiſcopo, apud Ildebrandinum Rectorem, cum Rainerio Abbate S. Apollinaris in Claſſe, diſceptatio, quia cum eſſet Rainerius eius cœnobio deſignatus Abbas, & a Bonifacio, ad quem inſtitutio ſpectabat, poſtulaſſet inſtitui, id Bonifacius abnuerat, quod diceret, certò ſcire ſe, illum ab iis deſignatum, qui anathemate, & interdicto eſſent notati, ſtareq. ſe de ea re iudicio Ildebrandini velle: Verùm id contempſiſſe Abbatem, affirmauit Bonifacius, illumque ſe, in eius adminiſtrationem cœnobii, magna auctoritatis Rauennatis Eccleſiæ iactura, intruſiſſe. Itaq. Ildebrandinus diem dixit Abbati, ille uerò ad Pontificem prouocauit: iterũ tamen Ildebrandinus, cum eſſet ForiCornelii IX. kal. Auguſti, eum citauit: tum affirmauit Abbas, iura illum ſua ſecum non habere, in aula Romana eſſe apud Petrum Columnam Diaconũ Cardinalem S. Euſtachii, nec facile haberi poſſe, tum quod ea Cardinalis, abſq. Generalis Præfecti Camaldulenſis conſenſu, nemini traderet, tum propter mutationem aulæ, cum ea forte priuilegia Cardinalis, vnà cum ceteris, rebus ſuis ad vrbem tranſmiſiſſet: Paucos enim poſt menſes Nicolaus, tranquillatis rebus Romanis, Orbito profectus, remigrauit Romam. Ildebrandinus pacandæ Prouinciæ ſtudioſus, quãquam cum eſſet ForiCornelii, pacẽ inter eos ciues conciliare non potuit, tamen profectus deinde Forliuiũ, ibi haud ita diu poſt, in populi Prætorio, cum Reipubl. ForoCornelianæ Syndico & ciuibus, qui ea in urbe erant, Alidoſium & Litum Alidoſios fratres, ita cōciliauit, ut ingenti populi totius plauſu, Alidoſius ciuitati reſtitutus, ipſo Ildebrandino reducente, exciperetur. Verum ex utraq. parte, octo, Forliuiũ, ad V. Id. Octobr. relegauit, ut eriperetur nouis cōtentionibus occaſio. Cum verò Ildebrãdinus ForoCornelii deinde proficiſcens, Fauentiã verſus iret, Fauẽtini in ſuſpicionẽ adducti, ne ſecum quoq. reduceret in vrbẽ Manfredios, concurrunt ad arma, ſicq. tumultuatum inter eos eſt, ut ingredi vrbẽ Ildebrandinus noluerit: ſed foris,

ſubter pontem arcus,muros vrbis prætergreſſus,ſecum ex Alidoſianis,decem, vndecim ex Nordilianis,Forliuium abduxit. In Prætorio Forliuii Ildebrandinus hoſce omnes multis apud ſe diebus eſſe uoluit,cũ omnes interea magnam eius prudentiam, dexteritatemq. & paternum pacis ſtudium in optimo Pontifice amarent. Quo etiam factum eſt, ut quamquam accipere ſuperioribus diebus Cæſenates Prætorem noluerint,quem illis præfecerat Ildebrandinus,atq. ob eam rem cum omni familia,ea vrbe decedens, Forliuium abiiſſet, & aqua, atq. igni Cæſenæ interdixiſſet, eamq. marchis argenti mille mulctaſſet, ipſiq. ad Pontificem Cæſenates per Syndicum prouocaſſent,paulò poſt tamen ad Ildebrandinum miſſis Oratoribus,ac Syndico,Prætorem acceperint.Rauennates hoc eodem anno menſe Nouẽbri,peditum, militumque; nam ita tunc temporis loquebantur, magnam manum Fauentiam miſerunt:quod quoniam cõtra edicta ſua Ildebrandinus factum dicebat. IX. kal. Decembr. mandauit dici diem Prætori,Senatuiq.Rauennati,quo apud illum cauſam dicerent,ſeq.excuſarent,vadesq. adducerent idoneos,de eo quòd iuiſſent,miſiſſentq.Fauentiam armatos pedites,atq. equites: Quo autem id Conſilio Rauennates fecerint,incertum, niſi forte id quidquam ad cauſam inueſtigandam facere uideatur,quòd Lambertus Polentanus,menſe,qui eſt inſequutus,Defenſor ciuitatis Fauẽtiæ,& eius agri,creatur,coactoq. iuſſu Albertutii Ramiſini militis,ſocii,& Vicarii ſui,Fauentino Senatu,ſexcentarum librarum ſtipendio,familiaq. & equis, qui adhiberi de more conſueuerant, decretis, in futuros poſterioris anni ſex menſes,Fauentinus Prætor,ab eius vrbis Senatu deſignatus eſt:cum eodẽ Senatusconſulto, in idem temporis ſpatium, Maghinardus è Soſenana,Præfectus populo eſſet renunciatus, hac adiecta lege,ut ne cuiquam eorum,de maleficiis, quæ biduo ante quàm magiſtratũ udituri eſſent,perpetrarentur, iudiciũ, aut quæſtionem exercere fas eſſet.Geruaſius Ricobaldus Ferrarienſis,Canonicus Rauennas,hoc tempore,rerum Romanarum Rauennæ ſcripſit Hiſtoriam, illiusq. alio libro Epitomen: in qua cũ nonnulla tractet,de Eccleſia,vrbeq.Rauennati,illi titulum ob id fecit, *Pomerium Rauennatis Eccleſiæ*: adſcribuntur autem ad calcem,Rauennatum nomina Archiepiſcoporum: iſque hodie liber in

ANN. M. CCXCII. bibliotheca Vaticana,manuſcriptus habetur. Sub id etiam tempus Vitalis Bagnolus Rauennas,Bagnoli ſcribæ filius,quòd copiis Foriliuii coactis,vrbẽ Forũpompilii occupaſſet,foſſa,& muris refectis muniiſſet, pulſisq. inde Romanæ Eccleſiæ adminiſtris, diripuiſſet, opidum Britonorium magna equitum, ac peditum manu, acerrimè oppugnaſſet, in Prouinciæ Comitem coniuraſſet, Prouinciæ pacem, quietemque perturbaſſet, ab Ildebrandino,perduellis, & Chriſtianæ communitatis expers declaratus, honoribus, dignitatibus, feudis, bonis omnibus mulctatus,& ut impune occidi poſſet,omnibus propoſitus eſt: Ipſe, quòd hæc vera negaret eſſe, nulloque iuris ordine ab Ildebrandino in tabulas relata affirmaret, cum diceret tutum non eſſe ad Ildebrandinum aditum,qui in carcerem conieciſſet, qui coram prouocabant,nonnullos; per Michaelem Ioannis Moncii filium ad Pontificem, Pontificiumque ſolium. IIII. Non.Martii prouocauit, coram Vgolino è S. Ambroſio Bononienſi, Dominicanorum: Iacobo è Caſtellione, Franciſcanorum, Ioanne Regienſi Eremitarum Auguſtinianorum Rauennæ Præfectis, eorumque ſociis, ſe nihil horum perpetraſſe, nemini qui ea feciſſet, fauiſſe: Quod & Guglielmus Fonta-

na, Aldigerii iam demortui filius, & Aldigerius Guglielmi filius fecere: caque omnia ipſi ſacrarum ædium Præfecti Ildebrandino, litteris, tabuliſq. publicis ſignificarunt. Ceterum hoc anno, Nicolao Quarto ſummo Pontifice, pridie Non. April. uita functo, cum Romanum ſolium vacaret, eodem menſe, Rauennates, Cæſenates, Foroliuiani, & Britonoriani plerique, apud Guidonē Polentanum, Lamberti filium, Rauennæ Prætorem accuſati, quòd cum magno inſtrumentorum bellicorum appararu, pedites, atq. equites, in agrum Rauennatem ad D. Zachariæ irruentes, domos, agricolas, familias ipſas, bobus, equis, pecore, ſupellectili exportatis, vino è doliis effuſo, inſigni damno affeciſſet, Thomam Raualdum, Chriſtiani fratrem, plurimis vulneribus malè habuiſſent, è quibus eſſet mortuus, cepiſſent Lazarū Curſinum, ipſum D. Zachariæ tēplum combuſſiſſent, diffregiſſent, abſtuliſſentq. ſacrum illius æs campanū, plura demum excitaſſent incendia, a Laurentio Guazzo Parmenſi, Guidonis iudice, Vicarioq. & aſſeſſore in ius vocantur, & niſi ad cauſam dicendam adeſſent intra biduū, & ſe defenderent, exilio mulctauit. Quod cum non feciſſent, duum millium librarū Rauennatium pœna conſtituta illis eſt. Fuere in iis ex Rauennatibus, quindecim, Hieremias præſertim, Albericus, & Franciſcus Polentani, Guidonis filii, Alberici nepotes, Auneſtinus, Saladinus, Valiranus, Bartholinus, Vincētii Honeſti filii, Cipreſſus Tiberti Cipreſſi filius, Ioannes Albaranus, Grittus è Grittorū familia. Ex Cæſenatibus numerati quinque ſunt, in quibus Vbertinus, & Agnella Articlini, fratres eminebant. Ex Foroliuianis ſex, Superbutius, Ioannes, Clarutius, Vbertutius, & Lambertutius Arguliosi omnes. Ex Britonorianis tredecim, Saladinus potiſſimum, & Letirolus Bulgari, fratres, Maleſardus, & Homodeus fratres, Vbertinus itē Baldinetti filius, Mainārdii. Sed ad hos tumultus, maiores ſequuti ſunt: Polentani, Rauennatesq. & Cerui ēſes, Maghinardus item è Soſenana, ac Fauentini, eorumq. fœderati, magno cōparato exercitu, Forliuium, vbi Ildebrādinus erat Prouinciæ Rector, Non. Iunii, cum adhuc Pontificium ſoliū vacaret, ſe conferunt, Rectorē circumueniunt, & vrbe tandē eiiciunt: Ipſe perpaucis comitatus, aufugit Cæſenam: ex ſuis, pars Caſtrocarū, alii Douadulam, pleriq. Britonorium, alii aliò abiere. Aghinulfus frater, cum duobus filiis capti: Quo factum eſt, vt Ildebrandinus Cæſenæ, Caſtrocaro, Britonorioq. tantum dominaretur: reliqua Prouinciæ loca hoſtes occupauerint: qui aſcitis etiam Foroliuianis, Cæſenæ Ildebrandinum, caſtris prope flumen Sapim XV. kal. Iul. locatis, obſident. Sed cum Malateſta, Malateſtinuſq. eius filius Cæſenam veniſſent, Ildebrandinus, Cæſenate, Britonorianaq. Malateſtino Prætura mandata, poſtridie abiit. Forliuium haud ita diu poſt, IIII. Non. Iul. acceſſere Bononienſium Legati, introductique in Senatum, enixè, ne quid in Ildebrandinum, opidave, quibus tum præerat, molirentur, rogant: Idem Fauentiæ actum eſt, eo addito, ut fœderatis omnibus placeret, Senatum Bononienſem, arbitrum de tot diſſenſionibus cū Ildebrandino, ſtatuit: Aderant tum ibi Guido Polentanus Ceruiæ Prætor, Ceruiēſiumq. Oratores, Malateſta Ariminenſis, Ariminenſiumq. Oratores, a quibus reſponſum eſt, explorare ſe ſuarum ciuitatum ſententiam prius velle: quod cum feciſſent, nihil impetrarunt, mandaruntque Bononienſes Legati Baſacomatræ Fauentiæ Prætori, Comitibus Cunii, Guidoni Rauli Cæſenati, Maghinardo è Soſenana, qui ſe Bononienſes ciues dicebant, id ut accuratè ſtu-

Sſ 2 derent.

derent. Sub id ferè tempus IIII. kal. Sextil. Bandinus Mutilianæ Comes,
in Tuſcia Palatinus, Prætor, Magiſtratus, Senatusq. Foroliuienſes, litteras
ad Neapoleonem S. Hadriani Diaconum Cardinalem, qui tum Forliuii mo-
rabatur, propè D. Blaſii, in cubiculo Foroliuiani Prætorii, dederunt, cum-
que Præfectum Forliuii, Capitaneum appellabant, in ſex menſes crearunt.
Interea Fauentini veriti, ne vrbem Bononienſes inuaderent, & Ildebrandi-
no traderent, pridiè kal. Septemb. eam munire aggreſſi ſunt: Maghinardus
Præfectus, ſacri æris ſonitu ſigno dato, populum ad foſſas faciendas, extruen-
damq. munitionem eduxit, eodemq. die Baſacomatra Prætor magiſtratu ab-
dicauit. Adfuere, ut eam munitionem iuuarent, Hoſtaſius Polentanus Ra-
uennæ Prætor, militesq. ac populus Rauennates. Bernardinus Polentanus Cer-
uienſium Prætor, cum Ceruienſibus: Ioannes Claudus Malateſta, cum Ari-
minenſibus: Malateſtinus Cæſenæ Prætor, cum Cæſenatibus, Britonoriani,
Caſtrocariani, Bagnacauallenſes, Bandinus Mutilianæ Comes, Flaminii fœ-
deris Imperator, cum Mutilianenſibus, aliisque, quibus nullum umquam
maiorem in Flaminia collectum exercitum memorabant: Optimè autem vrbe
foſſa & uallo per hunc modum munita, cum nihil Bononienſes mouerent, Flo-
rentini Gentilem Vrſinum, Bertoldi filium, Prætorem ſuum, Legatosq. Bo-
noniam mittunt, qui de pace inter Bononienſes, ac Flaminios, ob munitam
Fauentiam, quod ſibi iniuriæ Bononienſes ducebant, ex æquo & bono age-
rent: Verum pleriſq. Bononienſibus affirmantibus, ſibi nihil negocii cum Fla-
miniis eſſe velle, Gentilis, & Legati Fauentiam adeunt, eoq. accerſunt Guido-
nem Polentanum, Malateſtam Ariminenſem, Rodulfinum Galeſidium Cæſe-
natem, Lambertumq. Polentanum Foriliuii Prætorem, circiter medium Se-
ptembrem menſem, ſed cum in ſententia perſtitiſſent, & munitiones demoliri
negaſſent, re infecta, Florentiam rediere. Cum autem Polentani, Trauerſa-
riorum, & aliorum exulum Rauennatium bona diriperent, Petrus Colum-
na S. Euſtachii Diaconus Cardinalis, fecit, illis mandari, ut ea moleſtia ab-
ſtinerent. Sub id tempus Venetiis nobiliſſima Amizorum, familia origi-
nem Rauenna ducebat, in Ioanne Amizo finem ſortita eſt, cum, quæ Tri-
bunitia poteſtate, multisq. honorum gradibus in Veneta Republ. floruiſſet.
Octo ſapientes Foropompiliani, quorum Principem gerebat Bernardinus
ANN. M. CCXCIII. Argonus, anno poſtero; qui fuit milleſimus ducenteſimus nonageſimus ter-
tius; IIII. Non. Quinctil. Lambertum Polentanum, & Fulcerium Calbulum,
in annum, Prætores fecerunt, ea condicione, ut Polentanus prioribus ſex
menſibus præeſſet, poſterioribus, Calbulus: miſſis Vitali, & Almerico Bo-
catiis, ad eos Legatis. Obiit hoc anno Guido Polentanus, cognomento
Ritius, quæ uox cincennatum Italica lingua exprimit: huius Comites ulæ
habuit eodem ferè tempore, Guidones item duos, alterum Mutilianæ Co-
mitem, alterum Nouellum appellatum: adhæc Vgolinum Vbaldinum. Fœde-
ris autem locorum Flaminiæ omnium Imperator, Bandinus Mutilianæ Co-
mes, Forliuium acceſſit: Ildebrandinus Prouinciæ Rector, Balneum; quod
eſt opidum in Flaminia ad Apenninum: profectus, teſtificationes omnes, quæ-
ſtiones, ſententias, diras omnes, atq. anathemata, quibus notauerat Bonifaciũ
Archiepiſcopum Rauennatem, remiſit, laxauit, abrogauitq. eam ob cauſam,
ut illi ardentiore ſtudio Bonifacius aſſideret. Pridie autem Non. Nouembr.

Sena-

Senatus Rauennas Albertinum Berardengum iuriſconſultum Rauennatem, procuratorem ſuum fecit, qui vnà cum Ducis Vniuerſitatiſq. Venetiarum arbitro, ea diligenter quæreret, ac tractaret, quæ contra pacta a Rauennatibus commiſſa fuiſſe Ioannes Sucugellus, iam Rauennæ Venetorum Vicedominus, affirmabat. ii duo ſi conuenire minime poſſent, facultas Albertino data eſt, tertii eligendi, qui eſſet Venetus, ſi ipſis Venetis placuiſſet: alioqui Venetis fas eſſet, tertium eligendi, Rauennatem, qui Rauennam incoleret, vniuerſitatiſq. Rauennatis mandatis pareret. Anno inſequenti, qui fuit nonageſimus quartus ſupra milleſimum ducenteſimum, ſeptimo kal. Iun. pax tandem inter Ildebrandinum Prouinciæ Comitem, & fœderatos Prouinciales, Foriliuii conuenit, & tabulis publicis conſignatur: Ildebrandinuſq. omni interdicto Rauennates, ceteroſq. Flaminios liberauit: & cum eſſet Tuſſignani Nono kal. Iun. poteſtatem per litteras Lotherio Epiſcopo Fauentino dedit, omni interdicto, Eccleſiaſticæq. deteſtationis pœna eximendi quoſcumque homines, quaſcumq. vniuerſitates. Mox. XVIII. kal. Iul. Mutilianæ, ad quod opidum ſe contulerat ob tumultus in ſe, & aſſeclas ſuos Tuſſignanenſes, ab alterius factionis Tuſſignanenſibus excitatos; cum Pontificium adhuc eſſet interregnum; Vgulinum Bononienſem, Dominicanorum: Iacobinum Franciſcanorum, conuentus Rauennæ Præfectos, ſigillatim deſtinauit, qui Rempub. Rauennatem, ſinguloſq. ciues, mares & feminas, omnibus execrationibus, ſententiiſq. aduerſus eos, ad eam diem ab ſe latis, ſuo nomine abſoluerent: quod fecerunt ipſi in Rauennatis templi maximi exedra, ubi coram Guidone Genario, Bonifacio Archiepiſcopi Vicario, Napo Toſingo, ſeu a Toſa, Florentino, Rauennæ Prætore, Guidone Polentano, Lamberti filio, & frequenti ciuium corona, a Cambio Artuſino ſcriba, Ildebrandini hac de re, ſunt lectæ litteræ. Neque tamen hæc quieuit Prouincia, verùm cum menſe Augusto tumultus eſſet Foriliuii ortus, currentibus ad arma Calbulis, Ordelaſiſque, Guidonem Polentanum vrbis Præfectum, Lambertumq. filium uulneribus confoſſos capiunt, ſecumq. unà alios Rauennates, & Fulcerium Calbulũ, Ioannem eius fratrem, Nicolutium Calbolum Rainerii filium: cum multi præterea ſauciati fuiſſent, ipſeq. in primis Fulcerius lethali uulnere percuſſus, qui cum ceteris Calbulis vrbe pulſus eſt. Adueniente ſi quidem haud ita diu poſt Maghinardo Pagano è Soſenana, Polentanus & reliqui è cuſtodia emiſſi, & dono illi dati ſunt. Maghinardus Præturam Forõliuianam kal. Septembris, in ſex menſes iniit. Diſcedenti è Prouincia Ildebrandino, Robertus Gernayus ſucceſſor datus eſt a Cæleſtino V. qui poſtquam Pontificia ſedes biennium, atq. amplius vacaſſet, ex Eremita, & Abbate S. Petri ad Maiellam, Nonis Iulii sũmus Pontifex, Peruſii, a Cardinalibus tandẽ fuerat renunciatus. Robertus. IIII. Id. Octobr. Prouinciam, unà cũ Petro è Ruolano, Prouinciæ item Legato, ingreſſus ad Mondainũ, agri Ariminenſis opidũ diuertit: mox XIIII. kal. Nouembr. abiit Cæſenã, IX. kal. Forliuiũ. IIII. Non. Nouembr. Fauentiam. VI. Id. Forum Cornelii, ubi totius Prouinciæ cõuentu habito, litteras legi Pontificias, de ſuo munere, auctoritateq. iuſſit, legeſq. promulgauit, in quibus cũ aliquot eſſent in Rauẽnates ſeueræ, dureſq. ii per Guidonẽ Aldreuandinum, Cõmunis, ut aiebant, Rauẽnæ procuratorẽ, quòd iuribus, atq. immunitatibus Rauennatiũ repugnarent, reſtitere: & coram Andrea Cæſio, Bartholomeo Reatino, & Iacobo

ANN. M. CCXCIIII.

Arcilio Parmẽſi,generalibus huius Prouinciæ iudicibus,tertio Id.apertè teſtati ſunt aſſentiri illis ſe minimè velle:quæ dictaGernayius perinde,ac futilia, cō mentitiaq.reiecit.Bonifacius Archiepiſcopus;poſtquam ſe per Oratorem apud Pontificem Max.qui tum Peruſii erat; ut habetur in iis tabulis publicis;excuſauit,Diuorum Petri & Pauli limina inuiſere ſe non poſſe;ut quotannis Archiepiſcopi Rauennates tenebantur; eiusq. fuit excuſatio ſi & quatenus;ut aiunt; ab eo accepta, quem ad id muneris Cardinalium Collegium deſtinauerat: cum accepiſſet D. Iuſtæ, quæ Bononiæ eſt, ſacerdotium, tamdiu uacaſſe, ut iure Metropolitano, iuxta Lateranenſis decreta Concilii, ad ſe perinde, ac ad Metropolitanum, eius conferendi ius, in quem mallet, eſſet deuolutum, illud Ramberto Abbati, ſacrato uiro Bononienſi tradidit: litterisque ſuis ad Gerardum Cornazanum, Canonicum Fauentinum, Epiſcopi Bononienſis Vicarium, ex opido Aureolo iam inde a menſe Iunio ſcriptis, mandauit, ut ſi vera eſſent,quæ acceperat, Rambertum mitteret in poſſeſſionem, & ſi qui obſiſterent, conſeruaret. Verùm cum adhuc in Aureolo Eccleſiæ Rauennatis opido, quod eſt ad Apenninum, ab Foroliuii haud procul, commoraretur, Nono kal. Ianuar. ex hac uita,non ſine omnium ſuorum ſacerdotum, ac etiam Rauennatum ingenti mœrore, multisq. lacrymis migrauit: eodem ferè tempore, quo Cæleſtinus Pont. Max. ad priuatam uitam rediens, quam antea in ſolitudine duxerat, poteſtatem Cardinalibus, Bonifacii Octaui eligendi, fecit. Bonifacius Archiepiſcopus, ex Aureolo, ſui ordinis habitu indutus, ſuorum etiam cucullatorum humeris Rauennam delatus, in Vrſiano templo ſepultus eſt, ante D. Mariæ Magdalenæ aram; quam ipſe erigendam, dedicandam, & ditandam curauerat; in monumento ex marmore mirificè ſcalpto, quod a D. Laurentii in Cæſarea importari uiuens iuſſerat. Id nunc monumentum in eodem templo, iuxta ſacræ turris portam conſpicitur: Extructum autem Chriſtianorum Principum tempore fuiſſe, Conſtantini Magni labarum, nempe Chriſti nomen duobus tantum primis græcarum litterarum elementis maioribus, complexis; quod eſt in ſacris ædibus huius urbis frequentiſſimum; inſculptum teſtatur. Itaque uel Honorii Imperatoris, qui templum D. Laurentii ædificari mandauit, uel Theoderici Regis Gothorum ætate, mille iam & ſexaginta annis; quo tempore arcas huiuſmodi multas factas,ex Caſſiodori Epiſtolis cognoſcimus; elaboratum eſt. Ibi præter cetera, in egregio uaſe, cardui illius quod plerique Cinaram, Itali Carcioffum,& Artichioccum uocant, plantam, fructumq. perinde, ac eo ſæculo rariſſima uidemus. Non deſunt, qui huius Bonifacii Archiepiſcopi meminiſſe; cum de abdominis uoluptatibus addictis,verba facit,in altera ſui operis parte, Dantem putent. Sed fuit Bonifacius Chriſtiana liberalitate maximè inſignis, quod oſtendit uel illud, quod in magna annonæ caritate, qua hæc omnis laborabat Prouincia, cum Argentani plurimum affligarentur,ipſe & horrea quæ ibidem habebat aperiri, & cum neque illa ſufficerent, & opido etiam Catholica frumentum illuc ſuum conuehi, & in populum, ex ſui Vicecomitis præſcripto diſtribui iuſſit. Extant adhuc in Vrſiano tabulario illius hac de re litteræ, ad Vicecomitem Argentanum, Cæſenæ ſcriptæ. Rauennatis chori iuſſu comitia ſtatim ad

ANN. M. CCXCV. futurum deſignandũ Archiepiſcopum poſtero anno indicuntur: quibus cum etiam Rodulfus Foroliuienſis Epiſcopus interfuiſſet, Archiepiſcopus eligitur

IX.

IX. kal. Febr. Rambertus Malateſta : ſed is a Bonifacio Pontifice impetrare ut confirmaretur, nequaquam potuit : Verùm ſufficere Bonifacius Pont. Guillelmum Duranti uoluit, qui tunc Mimatenſem Epiſcopum in Aquitanis gerebat, ſed renuente id muneris Guillelmo, quòd tanto oneri uires ſuas longe impares affirmaret, in aliud tempus hoc reiecit negocium. Bertoldus interea Prior Præfectus D. Dominici Bononienſis nomine ſuo, & ForoCorneliani Epiſcopi, Guardinus Rauennatis Eccleſiæ, ut ibi ſcribitur, Cardinalis, nomine item ſuo, & Michaelis Archidiaconi Rauennatis, Artuſinus Artuſinius Rauennas Guidonis Polentani, Lamberti filii procurator, quibus exequendi teſtamenti Bonifacii Archiepiſcopi, munus incumbebat, nomine etiam Peregrini Franciſcani, & Guidonis è Lauania, uaſa aurea, argenteaq. multa, ſacram ueſtem, multiplicem, atque ornamenta, mille quadringentarum ſeptuaginta quattuor librarum, & duodecim ſolidorum Bononienſium pretio Opizoni è Lauania Seneſcallo beati Martini Turonenſis, qui ſtudebat Bononiæ, uendiderunt. Contrà, Hondideus templi S. Iuliani, Rauennatis diœceſis, nomine Rauennatis Eccleſiæ, eiusq. ſacratorum uirorum, & futuri Antiſtitis, ac Lamberti Polentani, citra Padum eiuſdem Eccleſiæ Vicecomitis generalis, poſſeſſionem opidi Corliani, Ariminenſis diœceſis, & opidi Sauignani, accepit, ſeq. in eis perinde ac Lamberti Polentani Vicarium XIIII. kal. Maii conſtituit : Quo ferè tempore, Petrus Archiepiſcopus Montis Regalis a Pontifice huius Comes, Rectorq. Prouinciæ miſſus, eam ingreſſus eſt, Tuſſignanumq. primò, mox ForumCornelii uenit. Eius tum iuſſu. V. kal. Malateſtinus, Malateſtæ filius, Cæſenæ Prætor, magiſtratu abiit, Vbertinusq. Articlinus, qui exulabat, multiq. præterea Cæſenam rediere. Pari ratione, iuſſuq. Maghinardus è Soſenana, Fauentinam Præfecturam depoſuerat: cumq. Conuentum Petrus omnis Prouinciæ ForumCornelii indixiſſet, illi interfuere, Epiſcopi, ciuitatumq. Oratores ac primores ciues: facultasq. illi data eſt, quot uellet equites, peditesq. ſtipendiarios, eo quo liberet ſtipendio conducere, & præſidio habere : Itaque equites accepit tercentum, pedites centum, tributumq. Fauentinis impoſuit, librarum Rauennatiũ, in quattuor menſes, mille & quadringentarum, nec diu poſt ad eam ſe vrbem contulit : quo cum officii cauſa ad eum uiri in Prouincia principes, Comes Bandinus è Mutiliano, Comes Manfredus, Guidonis Nauelli filius, Fulcerius, & Franciſcus Calbuli ; ipſum adiere Rainerius, Bandezatus, & Bernardinus Cunii Comites, & Quincto Id. Maii, foſſam, uallum, munitiones vrbis omnes ſolo æquari poſtularunt : cum autem cõtra Maghinardus diceret, ad certamen res deuentura uidebatur, niſi Petrus inde ad decimum lapidem relegaſſet : Maghinardus ad opidum ſuum Benclarum in ualle Anemonis, Comites Cunii Lugum, & Fuſignanum, Comes Manfredus Mutilianum diſceſſerunt. Senatu deinde Fauentiæ coacto, eius Præfectus ciuitatis, Petrus Archiepiſcopus Prouinciæ Rector, in annum, centum librarum in ſingulos menſes ſtipendio, creatus eſt, & Fauentini per Vgulinum Mediceum, & Thedericum è ſalutare iudicem, procuratores ſuos, ſolemne Petro, nomine Pontificis accipienti, obſequium præſtiterunt. Per hos dies Guido Montis Feltrii Comes, Forliuium cum Legato Pontificio profectus, omnia illi bona, iuraq. ſua tradidit. Petrus, Rector, acceptis Fauentinis obſidibus, Guidonis Raulis, & Alberici Comitis Cunii filiis, quos miſit

Cæſenam,

Cæſenam,aliorumq. quos diximus,Cunii Comitũ,Franciſci,& Alberici Manfredorum item filiis,quos Caſtrocarum amandauit, contulit ſe ad Archiepiſcopatus Rauennatis opidum Aureolũ,Maghinardo,Manfrediis,quos acciuerat, Zambraſiisq.& Acariſiis comitatus: in eoq. opido pacem inter eos fecit: mox Fauentiam cum omnibus reuerſus, conciliauit Albericum Cunii Comitem, eiusq. uxorem Beatricẽ Manfredi Manfredii filiam, cũ Alberico, quem etiam fratrem inſcribunt, Franciſco,& Vgulino,ob ipſius Manfredi,& Alberghitti filii necem diſſidentes: inde ad fines quiſque ſuos, quo relegati fuerant, redire. Rauennam tandem uenit, exulibus ſecum reductis. V. kal. Quinctil.cum huius eſſet ciuitatis Prætor Napus è Toſa Florentinus. ibiq. eius opera conciliata eſt pax, pridie kal. inter Guidonem Polentanum, & Bernardinum, Hoſtaſium, ac Lambertum eius filios, Rodulfinumq. Roglelli, Reipubl. Rauennatis ſyndicum, eiuſdem nomine Reipubl. ab una parte, & Guillelmum Trauerſariam, Petrum eius filium, Albericum, Hieremiam, & Franciſcum Polentanos, Guidonis cognomento Ritii, filios: Maluicinum Bagnacauallenſem, Valeranum, Saladinum, Honeſtinum, & Bartolinum Honeſtos, Vincentii filios, atque Ioannem Ducem, item Honeſtum, qui exulabant, ex altera: Cum omnes ipſi Petro, Eccleſiæ Romanæ nomine, atque item ſuo ſtipulanti, omni inter ſe iniuria abſtinere polliciti eſſent: pœna, ſi quis id forte fœdus uiolaſſet, duarum millium marcharum argenti adiecta. Acta autem hæc in agro ſunt, propè vrbem Rauennam, Thadæo Foripompilii, Leonido Cæſenæ, Henrico Saſſinæ, Epiſcopis: Andrea Archidiacono Foriliuii, Guidone Rauennatis Eccleſiæ Cantore, Bernardino Cunii Comite, Signorello Ghetio Rauennate, multisq. præterea aliis ſpectantibus & teſtibus. Ceterum quò firmiora eſſent omnia poſtridie eius diei, kalendis ſcilicet Quinctil.in D.Mariæ in portu, rogatu Polentanorum, Polentanæ partis uades facti ſunt, obſeruandæ tuendæq. pacis, Hoſtaſius Puſterla, Simorellus Ghetius, Albertinus Berardengus, Ioannes Saxolus, Vitalis Lazarus Vgutionis filius, Rigutius Malpilius, Vgulinus Blancus, Guido Aldrouandinus, Zanutius Tornarius, Rainutius Maltaliatus, omnes, ciues Rauennates. Vades Trauerſariæ partis fuere, Rech Oddus, Franciſchinus Saxus, Gettius Diomelſaluus, Palmerius Pinzus, Zannes Mainardus, Millior Caſtrouicianus, Iacobus Zafaranus, Matthæus Carde, Iacobus Nouellinus; Rauennates: atque hac ratione, quæ antea in duas partes diuiſa, duplicem habere Rempubl. ciuitas, & quidem magno detrimento, uidebatur, una facta, reſpirare tandem cœpit. Vt autem in poſterum occaſio diſſenſionum omnis tolleretur, & his tumultibus aliqua ratione conſuleret, cum adhuc eſſet Rauennæ, in ædibus Guidonis Polentani, ubi morabatur, Bernardino Cunii Comite, Ioanne Andreæ, Rauennatis Eccleſiæ Præpoſito, & aliis ſpectantibus, has tulit leges: In primis, Rodulfino Raglello, qui aderat, Reipubl. Rauennatis ſyndico eius nomine Reipubl. mandauit, ut cum Prouinciæ Comites; quicumq. deinde fuerint; Prouinciam ingredientur, Prætor, Senatus, & ceteri Rauennæ Magiſtratus, honorifice eos excipiant, ſumma fide illis obediant, & ubi Rauennæ appropinquauerint, oratores ad illos mittant. Vrbem ingredientem accipiant inſigni ſtudio ac ueneratione: ipſosq. eorumq. familias, & vrbem, firmo præſidio, dum ibi morabantur, tueantur. Curetur, ne ædificentur in poſterum domus, ſubſtructiove

ulla

ulla ne fiat, intra fines municipalibus legibus uetitos: ædificata ſi qua fuerint, ſolo æquentur. Turres,& ædificium propugnaculi, aut ualli ſpeciem referens, in ipſis conſtruendis domibus,nemo excitet: Qui ædificauerit,aliarum ædium formam, altitudinémq. ne ſuperet. Domus nimium nobiles ne extruunto, modò quæ adſunt, deturbanto: de quibus tamen Rectoris Prouinciæ arbitrium eſto. Prætores, & Magiſtratus abdicanto, qui modò ſunt: nouos, iuxta ueterem ciuitatis, uiginti iam amplius annis,conſuetudinem eligunto: neque inire iis Magiſtratum, abſque Comitis uenia, fas eſto. Bernardino, Rainerii è Cunio fratris, ac potius eius uxori, domorum, quæ prope portam D. Mamæ, ſpectare ad eos dicuntur, vnà cum Guidonis Polentani ædibus,quas tum ipſe inhabitabat Comes, iuxta portam Vrſicinam, intra triduum, ipſius Comitis iuſſu, ſolo æquandarum, a Repub. Rauennate, idoneum pretium, ſuo tempore, numeretur. Hæc Petrus Montis Regalis Archiepiſcopus, Romaniolæq. Prouinciæ,& ciuitatis Bononiæ,ac Comitatus Britonorii,iuriumq. quæ ad ea ſpectant, omnium, pro Romana Eccleſia, Comes & Rector: Qui facultatem tamen dedit, ut Prætoriæ ædes publicæ, ubi habitarent ciuitatis Magiſtratus, & Flaminiæ Legati, Comiteſq. cum Rauennam uenirent, qui ad Archiepiſcopatus ædes diuertere ad eam diem, magna ex parte, conſueuerant; ædificarentur. Dirutæ hac de cauſa ſunt,eius iuſſu, Guidonis Polentani,Lambertiq. eius filii,& Puſterularum,aliorumq.domus: Multi ex utraque parte in exilium acti: Guido Polentanus ad D. Mariæ in portu relegatus eſt. Nequaquam tamen diu hæc pax integra perſtitit, quia haud ita diu poſt, eodem Quinctili menſe, Trauerſarii, eorumq factionis ceteri, quod uidebatur non eas illis condiciones datas eſſe, quas æquum fuiſſet, nimiumq. è contrario, Polentanis tributum, magna manu ciuium, agricolarumq. aſſeclarum, & exterorum coacta, conſ. enſis vrbis mœnibus, & poſitis ad D. Adelberti ad Padum, pluribusq. præterea Rauennatis agri locis, inſidiis, è medio tollere Polentanos, & urbem Rauennam occupare, per proditionem, & Eccleſiæ Romanæ hoſtibus tradere, ſtudium adhibuerant. His permotus tumultibus Bonifacius Pontifex, ne Rauennas diutius uacaret ſedes, & magnis inde incommodis afficerentur, eius opida, ceteræq. ditiones, Opizonem Archiepiſcopum dedit, ex nobili SanVitaliorum Parmenſi familia, patre Guarino milite ortum: matrem habuit Margaritam Fliſcam Genuenſem, Innocentii Quarti Romani Pontificis ſororem, Vir præſtanti doctrina, ſumma eruditione, & rerum agendarum peritiſſimus, militariq. laude inſignis: qui magnanimus cum eſſet, & admodum liberalis;quod inter cetera maximæ illi laudi fuit; afflictos & clamitoſos miſeratus, quibuſcúque rebus potuit, ſemper eos iuuit. Hunc Parmenſis Eccleſiæ primò Canonicum, mox Tripolitanum Epiſcopum, in quo munere quinque annos elaborauit. Innocentius Quartus auunculus, Parmenſem Epiſcopum fecerat: cui Eccleſiæ,cum per quadraginta circiter annos, ſumma cum laude, præfuiſſet, ad Archiepiſcopatum Rauennatem a Bonifacio Octauo aſciſcitur: ut iis litteris patet, quibus Pontifex Anagniæ datis. X.kal. Auguſti, anno primo Pontificatus, ſacratis viris Rauennatibus, & ſubiunctis Epiſcopis mandat, eum ut recipiant, atque audiant. Cum autem factionis ſuæ Principem gereret, ita ſtrenuè, ut Parmæ eadem SanVitalium factio, etiam Epiſcopi factio appellaretur, & hoc anno Parma

vrbe

vrbe pulſa, Rauennam ſe contulit: In quo tumultu Opizo apud Pontificem conqueſtus eſt, quod in ſe, tunc in Epiſcopio Parmenſi commorantem, in ſuosq. familiares, armati ciues Parmenſes irruiſſent, quoſdam uulneribus affeciſſent, ſupellectilem abſtuliſſent: ad ædesq. Rogerii Sanuitali pari impetu progreſſi, eadem furta commiſiſſent: Petrus Archiepiſcopus interea, pacandæ huic Prouinciæ, cui præerat, intentus, ciues Ariminenſes, eò profectus, conciliauit inter ſe, Malateſtas præſertim & Parcitatos. Sed Fauentiæ denuò ad arma itum eſt, Cunii Comitibus, & Manfrediis, aduerſus Maghinardum, & Raules, Acariſiosq. pugnantibus, quòd Bononienſibus, qui iam ad Forum-Cornelii uenerant, vrbem tradere in animum induxiſſent: Sed Manfredii, & Comites menſe Auguſto, vrbe pulſi ſunt, & ciuitas Romanæ Eccleſiæ ſeruata. Menſe Octobri, Guglielmus Durantes, Epiſcopus Mimatenſis, huius Rector Prouinciæ, & Piceni Marchio a Pontifice creatus, Ariminum uenit, Petro Archiepiſcopo Montis Regalis, qui hactenus præfuerat, eodem die abeunte. Ad illum, officii cauſa, Gallaſſus, Montisfeltrii Comes, Cæſenæ exiſtens, cum oratoribus vndecim, quamquam Malateſtæ infenſus, acceſſit: eodem Guido MontisFeltrii item Comes, Vrbino, ſe contulit, comitatiq. ſunt Guillelmum Cæſenam ad conuentum agendum proficiſcentem: in quo Conuentu interfuerunt ipſi, & Feretranus Epiſcopus, Calbulenſes, Maghinardus, & Oratores, Legatiq. & procuratores, procerum omnium, & ciuitatum Prouinciæ, decretumq. ut Prouincialium ſtipendio; Guillelmus, milites tercentum conduceret. Haud ita diu poſt, indignatus Guillelmus, abiit Britonorium, atque inde Forliuium, tandem Caſtrocarum: ubi poſtquam aliquot dies perſtitit, tertio Id. Decembr. per itinera deuia, quibus uitauit Fauentiam, ForumCornelii adiit. Per eos dies Malateſta, contractis amicorũ copiis, in ipſa vrbe Arimino, cum Parcitatis conſeruit manus, magnoq. commiſſo certamine, Parcitatos ex vrbe eiecit, Vgulinus cognomento Cignatta, Parcitati filius, Moſtatius & alii, interfecti ſunt, ſed longe plures uulneribus confoſſi: Guillelmus è ForoCornelii. XIII. kal. Ianuarii, Rauennam uenit, hicq. tres dies commoratus Ariminum, atque inde in Picenum receſſit. Venerat interea in hanc Prouinciam Ricciardus Ferentinas, D. Audomari, Morinenſis Diœceſis Canonicus, Pontifici a ſacris: cui Cæleſtinus Pontifex iam mandauerat, ut a Guidone Monteſeltrio, & aſſeclis, quidquid urbium, opidorum, arcium, locorum ab ipſis teneretur, eorum acciperet poſſeſſionem: neque uerò tantum in Flaminia, ſed in Vrbinati, Piſaurenſi, Callienſique, ſic ut ea loca Romanæ Eccleſiæ Magiſtratus, Præfectosq. acciperent, atque illis parerent. Adhæc exules, obſides, relegatos, eius occaſione defectionis, ac belli, reſtitueret; qui in cuſtodia haberentur, emitteret. Guidonem, & Gallaſſinum Feretranos, ceterosq. qui ſibi uiderentur, ut conſeruaretur pax, relegaret: Qui non parerent, quive repugnarent, in eos, omni reiecta prouocatione, ſacris, & prophanis pœnis ageret. his peractis, Guidonem, Gallaſſinum, aſſeclasq. anathemate liberaret, honoriq. ac famæ reſtitueret. Quoniam uerò dum id negocii Ricciardus extrahit, nihilq. planè confecit, abdicauit Celeſtinus Pontifex, Bonifacius, qui Cæleſtino ſucceſſerat, nouis, Guidonis Monteſeltrii precibus fatigatus, qui ut Cæleſtino fecerat: ſupplex deiectus ad Pontificis pedes, quibuſdã acceptis, datiſq. conditionibus, in gra

tiam

tiam receptus, & imperata Eccleſiæ ſe facturum fuerat pollicitus; id illi muneris confirmauit. Cum autem Cæſenates interdicto liberaſſet, Opizoq. Archiepiſcopus Rauennas, opida Rauennatis Eccleſiæ, occupare illos aſſereret, pronunciauit Ricciardus, eam liberationẽ, illud tantùm ſpectare, quòd Guidoni Monteſeltrio fauiſſent, non ſi Rauennatis Eccleſiæ opida, bonaq. haberent. Argentam, hoc anno, Azzo Marchio Eſtenſis, adortus, poſt aliquot oppugnationis dedentibus ſe opidanis, ea potitus eſt, cum eſſent Eſtenſium copiarum Ducis, Petrus Abbate, Lilius Turcus, & Ioannes Gondoaldus. Cum autem Ricciardus; ut ſuis litteris, Romæ apud S. Petrum. V. kal. Decembr. anno primo Pontificatus datis, Bonifacius teſtatur; mandatorum fines, temere, ac imprudenter tranſiliret, laxatiſq. habenis, Senatum, & vniuerſitatem Foroliuianam, Cæſenatemq. omnium criminum, ac offenſionum abſoluiſſet, quamobrem caſtra fuerint occupata in hac Prouincia a pleriſque temerè, Ricciardum Bonifacius dignitatibus, honoribusq. mulctauit, a ſacris coram Pontifice faciendis amouit, è familiarium numero reiecit, quasq. abſolutiones fecerat, irritas eſſe pronunciauit; idemq. munus mandauit Guidoni Epiſcopo Papienſi: Qui proximo anno ingreſſos Prouinciam, cum Cæſenam Idibus ueniſſet, quæ Ricciardus Guidonis Monteſeltrii amicis, aſſeclisq. &c. ciuitatibus reſtituerat, ea repetiit omnia, nec reſtituta eſſe uoluit: Galaſſum Cæſenæ Præfectura, Baldum è Burgo S. Sepulchri Prætura, illi a Guglielmo Duranti, ſuperiore menſe tradita, mulctauit. Ipſe autem Guillelmus, ut quoad eius fieri poſſet, pacatior redderetur Rauenna, atque adeo Prouincia omnis, fecit ut ſui iudices, Thadæus è Presbyteris Aſſiſias, Guglielmusque Parmengus Parmenſis, Arimini cum eſſent, eos condemnauerint, qui ſuperiore anno vrbem Rauennam occupare, Polentanosq. interficere tentauerant. cum enim a Rodulfino Raglelli, Syndico Rauennatis Reipubl. maieſtatis accuſati, atque ob id citati fuiſſent, nuſquam reſponderant. itaque præter marchas argenti mille, quæ in tabulis erant de pace, tribus etiam millibus librarum Rauennatium, ærario Pontificio perſoluendarum ſunt mulctati: quòd niſi parerent, & mulctam expedirent, addicerentur bona eorum ærario, & a quocumq. capi, & capite obtruncari impunè poſſent. ſed quò magis tranquillis Prouinciæ rebus Guillelmus ſtudet, eò latius turbari uiſa ſunt: ſi quidem cum Azone Eſtenſi Ferrariæ Marchione fœdus inierant Rauennates exules, Ariminenſesq. & Britonoriani. Vniuerſitates etiam Cæſenæ, Foriliuii, Fauentiæ, & Lambertatii exulis Bononienſes conſilioq. cum Azone habito Comes Galaſſus cum Cæſenatibus, Foroliuianisq. & exulibus Rauennatibus Trauerſariæ factionis, kal. April. abiit Fauentiam, quo etiam conuenere Petrus Abbates Marchionis Ferrariæ patruus, Maloſius Comes Montis Feltrii, cum ſociorum Aretinorum auxiliis: Inde motis caſtris, in quibus erant & Anſelmus Prætor, & Neapoleo Præfectus, populusq. & milites, copiæque ex finitimis ſociiſq. Fauentinorum contractæ, ad amnem Raſaulem; quem Santernum appellant aliqui; peruentum eſt, ſed heſternis inflatus imbribus, traiici tum non potuit. Itaque ForoCornelianis cohortibus; quas Bononienſes pedites ad quattuor millia, & multi ex ForoCorneliano territorio, exules item Fauentini, & tribus portæ S. Petri Bononienſis, conflabant; tempus eſt datum, quo ſeſe obiicerent hoſtibus, & tranſitum fluminis

ANN. M. CCXCVI.

im-

impedirent: ſed decreſcentis ſenſim fluminis impetum, cum hoſtes, diſpoſitis, ſepti ſpecie, ſupra uadum militibus, fregiſſent, iamq. plures in aduerſam ripam euaſiſſent, ceſſere loco Bononienſes, & hoſtibus hac ratione in vrbem aditus patuit, cum multi ingredientibus illis ſaucii, alii obtruncati, plerique capti fuiſſent. Reſtitere tamen, cum eo facto, in uicis, foroq. ex Bononienſibus nonnulli, tandem recepere ſe in Prætorium, ſed poſtquam aliquandiu egregiè propugnarunt, admoto tandem igne, recentibus in horas ſuccedentibus hoſtibus, ſe Maghinardo dederunt. Itaque ipſi ad unum capti, Alidoſiusq. & Litus eius frater, & Gibellinæ factionis omnes in vrbem reſtituti. Tum Catanei e Saxatello, opidum Saxatellum: Cunii Comites, Cunium, ſibi a Maghinardo metuentes, deſeruerunt, quamobrem ea opida a Maghinardo, & Fauentinis æquata ſolo: Guillelmus Duranti, Prouinciæ Rector, iis uehementer perturbatus, cum in prætorio, Arimini eſſet, VI. kal. Maii, ſacris interdixit, iis Flaminiis, qui contra ius, faſq. cum Marchione Eſtenſi, & aliis extra Prouinciam, fœdus, & ut illius utar uerbis, coniurationem inierant, arma, & milites coegerant, reſtituerant demolitas arces, ut urbes, opidaq. Romanæ Eccleſiæ occuparent: iamq. tum Meldulam tenerent, Riuerſanumq. & Talamellum, Brandonum, pluraq. præterea in Cæſenati, ForoPompiliano, ac Foroliuiano, Romanæ Eccleſiæ, caſtra. Adhæc agri Corneliani partem, opidum Bagnacauallum, quod ad ipſam Eccleſiam ſummo iure ſpectat, parere ſibi compellerent: cepiſſent Forum Cornelium, ciuibusq. & militibus, qui in præſidio erant, in fugam actis, neque prophanis, neque ſacris aut rebus, aut hominibus temperaſſent: nihilq. reſtituiſſent, ab ipſo Guillelmo licet de reſtituendis illis fuiſſent moniti. In tabulis publicis, hac de re a Guglielmo confectis, cum multi numerentur, quorum nomina ſi referre uelim, infinitum penè fuerit, ii tamen in primis leguntur. Anſelmus è Campania, Prætoris, Neapoleo Reatinus, Præfecti, milites, Magiſtratus, Senatores, ac vniuerſitas Fauentiæ, Maghinardus è Soſenana, Guido Raulus miles, Raules eius frater: Federicus, Thadæus, Maſius Acariſii: Paganus Maghinardi frater, natus ex pellice: Vgulinus, & Andrcutius Medicei, atque item alii, Fauentini omnes; Maſius Tarlati è Petramala, qui tum ſe pro Prætore, Ricardus è Meuania, qui ſe pro Præfecto, & omnes qui ſe pro Magiſtratu, ac Senatoribus Forliuii gerebant, gererentque: Superbus, Ioannes, Rambertutius, Marchiſinus, Hubertutius Arguloſi: Thedericus, Ordclaſus eius filius, Scarpetta, Pinus, Ceccus, Sinibaldus & Peppus Ordelaſi, Orſellus & Tancredus Orſelli, Bonfilius, & Arſendinus, Petri Arſende, Saluolus Calegarius, Ioannes, & Iacobus Deumeldei Rubei, Ioannes Moratinus, & plures præterea, Foroliuiani omnes. Baldus, Caſtellani filius, è Burgo S. Sepulcri, qui ſe pro Prætore, Galaſſus Montisfeltrii Comes, qui ſe pro Præfecto, octo, qui ſe pro Defenſoribus, & omnes, qui ſe pro Senatoribus gererent, ipſaque uniuerſitas Cæſenas: ad hos Vbertinus & Agnellus Articlinus, Ioannes Palatius, Raules Mazolinus miles, Andreas & Palmerius Tiberti, Gerardus Arzardus, Franciſcus pocaterra, & alii Cæſenates, Maluicinus fratris Ezzelini è Bagnacaual lo; Hoſtaſius Comaſii Puſterlæ, Rauennas: Federicus Guglielmi Polentani. Vignotius, Franciſcus, & Hondedeus Marchiolis, Britonoriani: Alidoſius & Litus Alidoſii. Faciolus Guizoli è Dutia ForoCorneliana: Vgutio & Thebaldus

dus Rainerii Fagiolani. Petrus Abbate, Marchionis Eſtenſis, legitimis nequaquam ortus natalibus. Thomaſinus miles, & Vbaldus Boccampani. Hos omnes, quod ea perpetraſſent, & in iudicium uenire citati, ac parere renuiſſent, pœnas, de quibus dictum eſt, incurriſſe, Guillelmus Prouinciæ Rector pronunciauit. Tandem, quoniam Guglielmus, Maluaſius, Petrus, ac Theodericus fratres, Caſtrocari Comites, magiſtratusq. omnes Caſtrocariani, Isbrandus Vgolini Tentamentis filius, Sperantia, Vgolinus, & Thomas Carpenterii filii, Petrus Ioannis Offi, & multi præterea, Caſtrocariani omnes, arcta adeo obſidione Caſtrocari arcem, & qui ibidem pro Romana Eccleſia in præſidio erant, cingere inſtituerant, ut eò introduci nihil annonæ poſſet; & Pontificii ad eos euntes capiebantur, habebanturq. in cuſtodia, idcirco eorum bona Romanæ Eccleſiæ ærario Durantes addixit, in eaſdemq. incurriſſe pœnas, quas diximus, declarauit: Vniuerſitatibus uerò, Ciuitatibus, ſingulis ciuibus, qui in hac Prouincia Pontificiarum partium erant, edixit, ne eorum, dum non reſipiſcerent, nec integrè ſatisfacerent, conſuetudine uterentur, neu annonam ad eos deferrent, ſubſidiove illis irent. Qui ſecus feciſſet, is ſi eſſet prophanus, infamis, & ad honores, magiſtratusq. inhabilis eſſet. Sacrati autem uiri hanc interdicti formulam ſeruare, uirtute ſanctæ obedientiæ, & pœna, qua omnibus muneribus interdici illis poſſet, tenerentur. Ceterum Durantes nequaquam iis contentus, quæ in Fori Cornelii occupatores edixerat, ſigillatim per Thadæum, & Guglielmum Iudices ſuos. X. kal. Iunias, grauiter edixit in Rauennates exules, Guillelmum Trauerſariam, Petrum eius filium, Hieremiam Polentanum, Saladinum, Honeſtinum, Bartholinumque Honeſtos fratres, Hoſtaſium Poſterlam, Maluicinum Bagnacauallenſem, Vgolinum Marci, ſcribam, Ioannem, & Bonfilium Benſaios, Grettum Grettium, Rauennates omnes, quòd cum ingenti armatorum manu, tam Prouincialium, quàm exterorum, contra ius, & ipſius Moderatoris Prouinciæ decreta, vrbem Forum Cornelii, quæ Romanæ Eccleſiæ eſt, menſe Aprili, inuaſiſſent, occupaſſent, ciues, ſtipendiarios, aliosq. Eccleſiæ Romanæ fideles, qui erant, Rectoris iuſſu, in eius vrbis præſidio, fugaſſent, quoſdam occidiſſent, alios in cuſtodiā tradidiſſent, pluribus eos contumeliis, moleſtiis affeciſſent: rapinas feciſſent inauditas, furta, ſacrilegia: ſalē occupaſſent Romanæ Eccleſiæ, vrbem ipſam muniiſſent, adulteriis, ſtupris, raptu virginum, & iam ſacrarū non abſtinuiſſent. Ariminū bis in ius uocati, ut ſe purgarent, nec ipſi acceſſiſſent vnquā, nec qui eorum nomine id faceret, miſiſſent: ac potius permiſiſſent duum millium librarū, & exiliis mulctam in ſingulos edici: Itaque cū eos ob id confeſſos haberent, conuictosq., mulctauit mille marchis argenti, in ærariū Romanæ Eccleſiæ inferendis: Quòd ſi quis ex eis in manus deinde curiæ perueniſſet, atq. intra decem dies poſtquam perueniſſet, mulctam non expediret, abſcinderetur ceruicibus caput: eius bona fiſco addicerentur inter tot tamen tumultus, de re ædificando ornandoq. Prætorio Rauennati, cum Leonardo, & Ognabone nobilibus architectis Raimundo D. Andreæ Rauennate Prætore, tractatum eſt. Haud ita diu poſt, cum Rauennatem Præturam iniiſſet Manfro Azzonus Parmenſis, & Comes Galaſſus, Maghinardusq. è Soſenana, cum Cæſenatibus, Foroliuianis, ac Fauentinis quartum iam & uigeſimum diem, Caſtrum nouum, quod tenebant Calboli, obſiderent, Rauennates, eorumq. fœderati con-

iunctis copiis cum Ariminenſibus, Ceruienſibusq. ac Malateſtis, ut Rainerio, Fulcerio, Frãciſco, & Ioanni Calbolis, auxilio eſſent, abiere Forliuiũ, foſſaq. & uallo æquatis, ut facilior pateret aditus, eam ſunt vrbẽ ingreſſi, & quos habuere obuios, obtrũcarunt: Fuere in iis, Theodericus, & Ioannes Ordelafi, & Ioannes Arguliosus. Quæ cum eſſent, iis, qui Caſtrum nouum circumſedebant, cognita, Scarpetta Ordelafus Thebaldi filius, Maghinardus, Galaſſusq. relicta ſtatim obſidione, Forliuium contendunt, recipiunt vrbem, pulſisq. Rauennatibus, ac ſociis, occidunt quos inueniunt, Rainerium præſertim, & Ioannem fratres Calbulos, Alberguti iq. Mainardi filium. Quarto autem poſt die, qui dies XII. kal. Auguſti fuit, Galaſſus Cæſenæ Prætor, cum Foroliuianis, ac Fauentinis, in planitiem Rauennatem tranſgreſſus, incendio totam, uſq. ad vrbis mœnia, abſumpſit. Tunc enim Pontificiis iuſſis, Magiſtratibusq. parentes Rauennates, habebant aduerſos ForoCornelianos, Fauentinos, Foroliuienſes, ac Cæſenates: cũ tamen huius exules ciuitatis Azoni Eſtenſi, Cæſenatibusq. ac ceteris, aduerſus Pontificios Magiſtratus, eſſent fœderati, quotidieq. noui aliquid molirentur; nam Maghinardus huius fœderis in Flaminia Imperator, ſuperiori menſe, cum Azo ad Criſpelanũ agri Bononienſis opidum, atq. inde ad uicum Panicalem procurriſſet, Frãciſcusq. Azonis frater, ad Peolam, & Alcedum eodem in agro, uaſtationem, atq. incendia intuliſſet; populatus eſt omnia ad Lignanum, Vetrianũ, Fraxenatam, Galegatam, & uſq. ad opidum Medicinam irruperat; His adductus bellorum tumultibus Opizo Archiepiſcopus Rauennas, aſſerens ſe tum ad tuendum opidum Argentam, eiusq. munitiones conſeruandas incumbere non poſſe, ipſis præſertim inter ſe opidanis diffidentibus, Rolandinumq. è Canoſſa ciuem Regienſem, & Maghinardum Paganum è Soſenana ipſius eſſe Archiepiſcopi, & Eccleſiæ Rauennatis plurimum ſtudioſos, eorum fidei, ac clientelæ opidum commiſit: ſeruatis ſibi, & Eccleſiæ Rauennati iuribus, iuriſdictione, uectigalibus, quæ ad Archiepiſcopum, Eccleſiamq. Rauennatem ſpectabant. Statimq. Rolandinus, & Maghinardus, qui aderant, ſeruaturos ſe omnia, & reſtituturos opidum, cum Archiepiſcopus iuberet, polliciti, in poſſeſſionem opidi uenerunt, tertio Non. Auguſti, ſpectantibus teſtibus, in arce Argentæ, Bernardo Foliano Præpoſito Carpineti, Roglerio Sanuitalio Canonico Parmenſi, Thomaſino è Saxolo ciue Mutinenſi, Vgulino Mediceo Ferrarienſi Iudice, Venetico Gafaro, Vbaldino Boccampane, Lancilotto Signorello, & aliis, Maghinardus Nono kal. Octobr. cum omnibus fœderatorum copiis, in quibus Azzonis Ferrariæ Marchionis, milites eminebant quadringenti, Maſſam, Longobardorũ uocatam, circumſedit: Quamobrẽ Maximus Priuernas huius Comes, Rectorq. Prouinciæ, Petri Priuernatis, S. Mariæ nouæ Diaconi Cardinalis, Pontificiiq. in hac eadem Prouincia, Legati, frater, Fauentiã, VI. Non. Octob. profectus, iuſſit eos diſcedere, & obſidionem ſoluere. Bononiam interea ſe contulerat Petrus, Cardinalis Legatus, ut aliquam his diſſenſionibus pacem imponeret, atque inde VII. Id. Octobr. ad Opizonem Archiepiſcopum Rauennatem ſcripſit, eumque laudibus effert, quòd per litteras Comitis, & Vicarii Prouinciæ huius accepiſſet, aſſiduo illum, ſingularique ſtudio laborare, ut obedirent Prouinciales Comiti, & in Romanæ Eccleſiæ obſequio retinerentur: *Nos autem*, inquit, *cum Bononienſibus ſuper pace reformanda inceſſanter inſiſtimus, & uias, & modos exquirimus, per quos pax huiuſmodi ualeat prouenire, & ſperamus,*

auctore

auctore Domino, quòd tractatus huiuſmodi ad finem ueniet peroptatum. Sed tamen fefellit eum opinio, eumq. Bononienſes ciuitate abire indecore fecerunt: itaque Florentiam profectus, eſt: Maximus Prouinciæ Comes, cum ſe ire Venetias uelle diceret, uenit Rauennam, Foroliuianis, Cæſenatibus, Fauentinis, ForoCornelianisq. aduerſam. Paulo poſt, Hoſtaſius, ſeu ut alii, Lambertus Polentanus, partes Bononienſium vnà cum Malateſtino Malateſta, & Philippo Ramponо iuuans, cum delecta iuuenum manu, Bazanum cepit, opidumq. Belforte, quod paulo ante ab Azone Eſtenſi occupatum fuerat, expugnauit, tametſi ea Maghinardus, haud ita multis ante diebus, Ferrariā primo, inde Mutinam, Azonis ſubſidio, cum magna manu profectus, muniiſſet. Guido Montisfeltrii Comes. XV. kal. Decembr. die Diui Gregorii cognomento Thaumaturgi memoriæ dicato, militaribus Imperiis & gloria vbique florentiſſimus, ordinis Franciſcani habitum induit, & quam in omni actione expediti, præſtantisq. uiri perſonam præſe tulerat, eam in tanta morum ac uitæ diuerſitate egregiè præſtitit: iisq. fermè diebus, Gelſi, qui Rauennates uetuſta & nobili origine ſunt; vnà cum aliis quattuor & uiginti familiis, in Senatorium ordinem, Venetiis, cooptantur, & Patritii fiunt. Opizo Archiepiſcopus opidi Riuerſani incolas adegit, cum nonnihil dubii uiderentur; ut ſibi ſacramentum, quē admodum & ceteris Archiepiſcopis ſuperioribus, dicerent: quod & Cymaclienſes, per Guglielmum Pontem Rauennatem, eorum Prætorem, & per aliquot legatos, apud Manfrum Azonem Prætorem Rauennatem, dixere. Per id tempus exilio mulctati ſunt, quòd ad diem ſe iudicio ſiſtere, & reſpondere neglexerint, a Petro Cardinale Legato, & Maximo eius fratre, Comite Prouinciæ, qui tum Rauennæ, in Archiepiſcopio commorabatur; Vbertutius Argolioſus, Bagnacauallenſium Prætor, eiusq. opidi incolæ: Comes Maluicinus præſertim & Ioannes, Tibertusq. Brandolus, qui impetu facto, cum armatis peditibus, equitibusq. pontem Rafanarium, quo amnis Anemo iungebatur, euerterunt, tumultumq. eo loco maximum excitarunt, nulla reuerentia coerciti Petri Priuernatis, Cardinalis, Flaminiæ Legati, neque Maximi eius fratris, eiuſdem Comitis Prouinciæ, qui Rauennæ erant, induciasq. inter Rauennates, qui Polentanis fauebant, & Bagnacauallenſes, qui ſtabant a Trauerſariis, ab eodem Legato paulò ante factas parum curantes: At potius haud ita diu poſt, profecti Forliuium, cuius urbis Prætorem Comes Maluicinus gerebat Alidoſius è Maſſa ſeu Linario Præfectum, eodem Guglielmus Apulus, qui ſe facit; inquiunt, in iis tabulis; nominari dominum domus Trauerſariorum; cum Petro filio, Alberico, Hieremia, Franciſco Polentanis fratribus, Ioanne Duce, cognomento Honeſto, Honeſtino, Saladinoq. Honeſtis, fratribus, Ioanne Guizzolo, Ioanne Lambardano, Arcono, Duſdeo, & plurimis præterea eiuſdem factionis, armatis, ſe recepit; ſeq. cum Cæſenatibus, Foroliuianis, Fauentinis, FotoCornelianis, & eorum aſſeclis, Romanæ Eccleſiæ hoſtibus, ac perduellibus, coniuratione facta, hacque & illac excurrentes; opida quiſque ſua, & vrbes, nulla impetrata a Prouinciæ Rectore uenia, munierunt, Forum Pompilii præſertim, & opidum Monticulum. In agro Rauennati ad ſanctum Petrum in Trentula, Cingolorum, plurimorumque præterea domos, diripi, concremarique a ſuæ factionis agricolis, ineunte autumno, paſſi ſunt: pontemque Bruſabecchi ſupra amnem Sapim, qui

erat Reipubl. Rauennatis, incendi: In Bononienſes poſtea motis armis, eorum agros, opidumq. Medicinam uaſtarunt; & Meldulam, ac opidum Salutare occuparunt: hæcq. menſe Auguſto, Septembri, & Octobri. Cum iis multi etiam numerantur Foroliuienſes, in quibus potiſſimum ſunt, Superbus, Rambertutius, Marcheſinus, Vbertutius, Iacobus Arguliofi, Rainutiusq. & Guidutius Superbi filii: Scarpetta, Pinus, Ceccus, Sinibaldus, Peppus, Iacobus, Philippus, Bartholomeus, Ordelafii, & Ordelafus Theoderici filius. Petrus Marinelli, Guillelmus, & Maluaſius, Maghinardi: Aliottus, Petrus & Homizolus, Aliotti filii: Ioannes Herculanus, Tancredus Orſellus, Rainerius Pungettus, Iacobus, Ioannes, & Rainerius Rubei, multiq. præterea. Adfuere iis teſtes, Guido Polentanus, Lambertus eius filius, frater Albericus Fauentinus, Rainerius Cunii Comes, Andreas Cæſius, iudex in hac Prouincia generalis. Hæcq. in eos generatim, atque uniuersè decreta: Sigillatim uerò, quod iura, ac uectigalia ſubtrahere, quæ Forliuii habet, atque in eius agro Romana Eccleſia decreuiſſent, huic crimini marcharum argenti mille & quingentarum mulcta fuit: Quòd Romanæ Eccleſiæ ſubiunctos, fidosq. & obedientes, ab eius abducere dominatu, ditioneq. tentaſſent, iamq. abduxiſſent, magno Romanæ Eccleſiæ damno, mille Marchis mulctati ſunt. Quòd Prætor, Præfectus, Senatus, uniuerſitasq. Foroliuii, contra pacatum Prouinciæ ſtatum, ipſi ciuitati Foroliuii, equos, armaq. & milites imperaſſent, mille marcharum pœna indicta eſt. Quod pedites, atque equites, contemptione Romanæ Eccleſiæ, conſcripſiſſent, comparaſſentq. & per Prouinciam, ut eam euerterent, duxiſſent, eadem tenerentur pœna. Quòd exercitum in Bononienſe, ipſamq. vrbem Bononiam, opidum Medicinam; quòd ad Romanam Eccleſiam omni iure ſpectat; multis allatis damnis, intuliſſent, Marchas bis mille argenti penderent. Quòd inſtruxiſſent belli apparatum, pedites alios, equitesq. comparaſſent, & eos, contra ipſius iuſſa Comitis, Marchioni Eſtenſi ſubſidio miſiſſent, mille marchas ſoluerent. Quod cenſum equitum, atque peditum habuiſſent, & contra Rectorum Prouinciæ leges, conueniſſent, cœtusq. egiſſent, huius eſt facinoris quingentarum Marcharum pœna conſtituta. Quòd pacem inter ciuitates, vniuerſitatesq. Prouinciæ a Rectoribus, ſummis laboribus conciliatam, & magnis pœnis confirmatam, multiplici ratione uiolaſſent, eius fuit criminis mulcta marcharum argenti duum millium. Quòd Eccleſiæ obſequentes, contumeliis affeciſſent, damnisque; a popularibus extorſiſſent ſubſidia, pecuniam mutuam, tributa, portoria, Marchæ argenti quingētæ ob id ſoluerentur. Quòd excepiſſent exules, perduelles, capitis damnatos, Eccleſiæ hoſtes, fauoribusq. ac auxiliis eos eſſent proſecuti, & cū eis quotidie eſſent, mulcta eſſet mille marcharum argenti. Quod ipſi Prouinciæ Comiti, aut magiſtratibus, internunciisve nunquam paruiſſent, ac potius rebelles fuiſſent, marchas argenti quingentas in ærarium Pontificium inferrent. Quòd Forliuium foſſa, & vallo, mœnibusq. munirent, contra formulam ſententiæ priuationis in eos dudum latæ, huius delicti ea pœna ferenda eſſet, ut marcharum argenti mille perſoluerentur, & munitiones ſolo æquarentur. Quod poſt comitis aduentum occupaſſent urbem Forum Pompilii, quæ Romanæ Eccleſiæ eſt, Prætoremq. ibidem Foroliuianum creaſſent, duum millium marcharum argenti pœna id ſcelus ſequeretur, Quod opidum Monticulum rapuiſſent,

puiſſent, Britonorianæ diœceſeos, & unà cum Britonorianis perduellibus, exulibusq. muniiſſent, huic noxæ, marcharum argenti quingentarum deberetur pœna: Quòd Meldulam, & Salutare opida, & plura alia, quibus Eccleſia Romana iure dominabatur, & Prouinciæ huius Moderatores, da re Prætores conſueuerant, tenuiſſent, tenerentq. huius eſſet pœna criminis marcharum mille. Quòd iuriſdictiones, Præturam, Præfecturam, magiſtratus, in urbe Forliuio ſibi arrogaſſent, & quibus uiſum eſt mandaſſent, quæ tamen ſpectabant ad Romanam Eccleſiam, & illis, ne ea deſignarent, traderent, interdictum iam erat: huius peccati ea danda pœna eſſet, ut marcharum argenti mille in Pontificium ærarium inferrentur. Quòd citati, ut ſacramento fidem ipſi Prouinciæ Comiti, Romanæ Eccleſiæ nomine obſtringerent, quam debent ſubiuncti, non dediſſent, hoc maleficium mille marchis argenti mulctaretur. Quòd ad conuentum ab ipſo Comite, ut Prouincia conformaretur omnis, Rauennæ ad huius menſis Nouembris Nonas indictum, procuratorem, & oratores, Foroliuiani, ut moniti ab ipſo fuerant, non miſiſſent, huius eſſet mulcta criminis quingentarum marcharum argenti. Quod, ut iuſſi fuerant, Forum Pompilii non dimiſiſſent, Prætorem ſuum non abdicaſſent, alia commiſiſſent contra ius, faſq. complura, mulcta illis, ex lege, mille marcharum argenti eſſet. Quòd principes fuiſſent, auctoresq. coniurationum, fauiſſent ceteris, ſubſidioq. miſiſſent, marcharum argenti quinquies mille pœnam ſubirent. Tandem ſingulos & exilio, & quinque marcharum millibus mulctauit, niſi intra tres dies Magiſtratus omnes, & Vniuerſitas per oratorem, ceteri, ipſimet coram, apud ipſum Comitem ſe purgarent, cauſamq. ſuam dicerent, alioqui omnium, quæ ſuperius numerata ſunt, maleficiorum rei, conuictiq. haberentur, honoribus, priuilegiis, immunitatibus, iuriſdictionibus, quæcumque a Romana Eccleſia haberent, mulctati iam eſſent, eos nemo exciperet, auxiliove iuuaret. Quòd ſi quis eorum in poteſtatem Magiſtratuum, qui tum eſſent, quive futuri eſſent, capti, peruenirent, niſi ſi ad certam diem expedirent mulctam, eas corpore pœnas darent, quæ Comiti, aut ſucceſſoribus uiderentur. Ceterum cum . VII. Id. Nouembr. Conuentum omnis Prouinciæ, Maximus Comes Rauennæ haberet, in Archiepiſcopatus Prætorio, & leges omni Prouinciæ communes ferret; inſcribebatur, enim *Prouinciæ Romaniolæ, Ciuitatis Bononiæ, & Comitatus Britonorij Comes, & Petri S. Mariæ nouæ Diaconi Cardinalis, in temporalibus Vicarius*; Guido Aldreuandini, Prætoris, Senatusq. Rauennatis procurator, palam teſtatus eſt ſe legibus, ac decretis, quæ promulgatæ eſſent, quæq. promulgandæ forent, quà prærogatiuis, immunitatibus, & conſuetudinibus Rauennatium repugnarent, nolle obtemperare. Aderant in eo conuentu, Malateſta, Guido Polentanus, frater Albericus Fauentinus, Andreas Cæſius iuriſconſultus, Matthæus Roſa Priuernas. Ex alia parte Galaſſus Montisfeltrii Comes, & Maghinardus, extremo Decembri menſe, vnà cum oratoribus, Cæſenæ, Foroliuii, Fauentiæ, ForiCornelii, Bagnacaualli, & Caſtricari, trans Padum, in congreſſum, colloquiumque Azonis Marchionis Eſtenſis uenerunt, & de ſumma bellicæ rei tractarunt: nec diu poſt, Vgutio Fagiolanus Cæſenatium, Foroliuianarum, Fauentinarum, & ForoCornelianarum, ſociorumq. copiarum Imperator, in Flaminiam, Forliuium, poſtero

 anno,

ANN. M. CCXCVII anno, IX. kal. Mart. ſe contulit, inde Fauentiam, & ForumCornelii Cæſenatem Præturam iniit, poſt Rambertutium Arguliofum, Guillelmus Aeſinus: Fauentinam, Ordelafus Ordelafius. Hoc etiam tempore Polentani, quamquam uires quotidie maiores Rauennæ accipientes, primi ex ſententia Rempubl. adminiſtrare: ab Senatu tamen Rauennati magiſtratus accipere, quibus Conſules, & Rectores Ciuitatis uocabantur. Verùm Lambertus, ac Oſtaſius fratres, ea mutantes uocabula; quæ in uetuſtis eorum temporum codicibus, nos legimus; pro Rectoribus, & Antianis, Conſulibusque, nouem ſcilicet, & quandoq. ſex hominibus, qui magiſtratum Ciuitatis obirent; ipſi Sapientes appellarunt: quod nomen adhuc ſupereſt: Adhæc familiari rei ſtudentes, ab Opizone Archiepiſcopo emerunt mediam partem frumentariarum molarum, quæ riuo, extra vrbem Rauennam, perq. ipſam vrbem a porta Gaza, ad pontem Albarellum fluenti, erant impoſitæ. cum Lambertus Polentanus, ſuo nomine, & Bernardini fratris, Guidi item, & Attonis, Rainaldi quoque & Hieremiæ, fratris filiorum, huius rei tabulas confeciſſet. Creati autem a Senatu Prætores hoc anno fuere Oſtaſius, & Lambertus fratres: cumq. is magiſtratus, ſex menſes, certo a Senatu ſtipendio, gereretur, ipſi fratres alternis quindecim diebus; ut ſeruaretur concordia, & dominatus æqualis; eum adminiſtrabant: quo ſemeſtri ſpatio elapſo, a Senatu; Lamberto Polentano præſidente; Bernardinus Cunii Comes, Prætor creatus eſt. Interea Petrus Saracenus S. Nicolai Priuernatis Canonicus, Petri Cardinalis Legati, in rebus, cauſisq. ſacris; ſpiritualibus aiunt; in Flaminia, generalis Vicarius, per litteras ſuas Arimini. IX. Kal. Mart. datas, Opizoni Archiepiſcopo mandauit, ut intra octo dies, libras Rauennates centum expediret, ſtipendio futuras militibus, quos Maximus Priuernas, Prouinciæ Comes, in duos menſes retinere decreuerat. Vgutio Fagiolanus, Præfectus, Ordelafus Ordelafius, Prætor, Maghinardus Præfectus Fauentiæ, & Fori Cornelii; cum omni eorum peditatu, atque equitatu, Lugum profecti, arcem ueterem, ipſumq. opidum; quod ſummo Pontifici, Romanæ Eccleſiæ, & Rauennati Archiepiſcopo honori eſſet; ingenti foſſa, ualloq. munire, VI. Non. Maii ceperunt: quo menſe, Bernardino Cunii Comite, Rauennatem Præturam ineunte, Cymaclienſes, qui; ut ipſimet teſtabantur; uetuſtiſſimo iure, ſupra omnium memoriam, ſubiecti Rauennatibus fuerant, eorum imperium detrectantes, ad Eſtenſem Ferrariæ Regulum defecere, ſecundum, ut puto, rerum illius curſum ſecuti, quo in dies magis florere Azo, aduerſus Bononienſes præſertim uidebatur, quos Vgutio Fagiolanus, & Maghinardus bello premebant: Cum enim quarto Id. Maii, copias Fori Cornelii coegiſſent, inde ad S. Stephanum in quaterno, & ſupra uiam ad Varignanam, præda, & cædibus omnia complent. Mox aduenientibus Aretio equitibus ducentum, & Galaſſo Comite Monteſeltrio Præfecto Cæſenæ, cum ceteris fœderatis; quamquam Bononienſes equites peditesq. caſtra ad caſtrum S. Petri locaſſent, tamen cum in eos Vgutio, & Maghinardus eduxiſſent copias, triplici agmine inſtructas, & firmiſſimam in fronte locaſſent, quæ daret initium prœlio, phalangem, & per nuncios Bononienſibus ſignificaſſent, ſe ad pugnam paratos eſſe, Bononienſes renuere: itaque Flaminii milites paſſim, quaſi uictores, uagari, & militaribus lætitiæ ſignis, tubarum ſono, ForumCornelii redire. Sed quod a Bononienſibus non accidit,

dit, id Tuſſignanenſes fecerunt, cum in eos haud ita diu poſt Maghinardus, populatum ſegetes, multos ex ſuis miſiſſet: nam egreſſi Tuſſignano, irruenteſq. in eos, fundunt, fugant, diſſipant, alios capiunt, pleroſq. ad ſexaginta, obtruncant. Quamobrem Maghinardus uehementer incenſus, caſtra ad Gagium, Vgutionis Saxatelli opidum, ponit, obſidione cingit, decimoque poſt die, dedentibus ſe opidanis, diruit, omninoq. æquat ſolo. Ipſi quoque Cæſenates Britonorium eodem menſe Iulio circumſident, arcem excitant in monte Maio, poſteroq. menſe, cum ſociorum auxiliis, Lonzanum, & Arimini agrum ferè omnem, ingenti illato damno, inflammant. Ariminenſes verò, qui contra fœderatos hoſce ſtare hactenus conſueuerant, inter ſe diſſidere; Vberto Malateſta, Pauli filio, Malateſtæ nepote, qui materno iure Glazoli erat Comes, ſuis omnibus inſcientibus, ad Comitem Galaſſum, Cæſenæ Præfectum, & hoſtem Malateſtarum infenſiſſimum, tranſeunte: factionisq. Gibellinæ in Flaminia Præfecturam militarem accipiente. Conqueſtus eſt hoc tempore per litteras Petrus Gradonicus Venetorum Dux, de Rauennatibus, quòd merces, & aromata, quæ mille circiter Rauennatibus libris venirent, Rauennam, contra fœderis leges, adducta fuiſſent: ſalem noctu curribus Hadriana porta emiſiſſent: naues onuſtas ſale tres in ſuburbio Hadriano inuentæ fuiſſent, & Rodulfinum Raglelli Vicedomini ſcribam, ſalis huiuſmodi uectores perſequentem, prohibuiſſent, ſalemq. deuehi Cæſenam, Forliuium, Fauentiam, Forum Cornelii ſinerent: Bernadinus tamen Cunii Comes Rauennæ Prætor, menſe Iunio, Andreæ Boldu Vicedomino vera hæc non eſſe oſtendit. Quod ſi ad eas ciuitates ſal deferretur, id neque facere, neque verò prohibere Rauennates poſſe, propter ea, quæ Rauennates cum illis gerebant bella, & Decimo ab urbe lapide procul accidat. Huius exitu anni, Franciſcum Samaritanum Bononienſem, Rauennæ Prætorem reperio. Opizo Archiepiſcopus, tertio kal. Ianuar. Ioanni filio Malateſtæ è Veruculo, prædia aliquot in Piſaurenſi diœceſi, iure emphyteutico, tribuit. Inſequens annus, nullis fuit neque Rauennæ, neque in cetera Prouincia tumultibus inſignis: licet enim Bononienſes, ut popularentur agros, prope Forum Cornelii ueniſſent, Fauentinis tamen copiis procurrentibus, ab eo maleficio ceſſatum eſt: maiora eidē agro damna intulit Maluiſinus Bagnacaualli Comes, ob eam, quæ ſibi cum Comitibus Cunii erat ſimultatem, pluribus incenſis domibus. Tertio kal. Octobris, Guido Montisfeltrii Comes, Franciſcano iam habitu, ut ſupra memorauimus, indutus Anconæ, migrauit ex hac uita. Acceſſit annus interim nonageſimus nonus ſupra milleſimum ducenteſimum, omni Flaminiæ admodū ſalutaris, quò uniuerſa Prouincia multis iamdiu bellorum, factionumq. procellis miſerè agitata, aliquem tandem finem eorum, & quietis initium, paciſq. inuenit, & Rauennas Eccleſia opida aliquot ſua recuperauit: litteris enim ſuis Bonifacius Pontifex VIII. kal. Febr. Laterani, anno Pontificatus quinto, ad Azzonem, & Franciſcum Marchiones Eſtenſes ſcriptis, poſtulauit Argentam Archiepiſcopo Rauennati, aut Rogerio Cazæ, Pontifici a ſacris; qui uenerat ſuperiore anno in Flaminiam, & Britonorium, a Galaſſo Comite, & ſociis circumſeſſum receperat; reſtitui. Cum autem Marchiones Eſtenſes traditum ſibi nequaquam opidum fuiſſe dicerent, ſed Rolandino Canoſſæ, & Maghinardo è Soſenana ab Opizone Archiepiſcopo datum, atque idcirco ſibi

ANN. M. CCXCVIII.

ANN. M. CCXCIX.

bi non eſſe reſtituendi illius facultatem, idemq. aliis adhuc Pontificiis litteris reſpondiſſent, Pontifex a Rogerio conſilium quærente, excitatus, etſi eorum condicione, ac ſtatu perſpectis, quibus mandata eius opidi ab Archiepiſcopo cuſtodia fuerat, quiq. ipſi illam Petro Abbatis mandauerant, adduci ad ſuſpicandum uehementer poterat, ac potius ferè omnium ferret opinio, eius opidi reſtitutionem in illorum manu eſſe, tamen ad tollendas quæſitas, & ut inquit Pontifex, fraudulentas excuſationes, pro eo, ac debebat, ipſius Archiepiſcopi, & Rauennatis Eccleſiæ, quæ; ut ipſis utar Pontificis verbis; *nobiliſſimum fore dignoſcitur Eccleſiæ Dei membrum*, occurrere damnis, intēdens, etiā ſi conſtaret, Archiepiſcopum in committenda Maghinardo, & Rolandino eius opidi cuſtodia, plurimum deliquiſſe, cum perſonæ delictum, ad damnū Rauennatis Eccleſiæ redundare nequaquam deberet, omnem eam cuſtodiam pro poteſtate reuocauit penitus, & ut Archiepiſcopo, aut Rogerio, Archiepiſcopi nomine reſtitueretur, mandauit. Cum autem, ſuperiore anno, inter Azzonem Ateſtinum, ac Bononienſes, Florentinorum opera, per Rainerium Bondelmontem, Nerum Nerium, & aliquot alios Legatos, aſſentiente Pontifice, conueniſſet pax, hoc anno facta eſt inter Bononienſes, qui in ciuitate morabantur, & eos qui exulabant. Aduenere ob id menſe Aprili Fauentiam Legati Matthæi Vicecomitis Præfecti Mediolanēſis, Alberti Scaligeri Veronæ Principis, Azzonis, & Franciſci Marchionum Ferrarienſium, & Reipubl. Bononienſis: Angelus quoq. Fauentinus Prior Præfectus Dominicanorū fratrum, cum Octolino è Mandello de pace egit inter Bononienſem Rēpubl. & Flaminios, qui Lambertatiorum, exulum Bononienſium partes fouebant; adfuere in Monte Regio, ubi res agebatur, una cum Cæſenatium, Foroliuianorum, Fauentinorum, ForoCornelianorumq. Legatis, Galaſſus, & Maghinardus, vniuerſi Flaminii fœderis moderatores: tandemq. XII. kal. Maii conciliata pax inter omnes eſt. Ne quid verò non quietum hic eſſet, cum pridie Non. Iunii. omnium ferè ciuitatum, opidorumq. huius Prouinciæ Legati in ſuburbium Caſtri S. Petri, agri Bononienſis, conueniſſent, Hubaldino Malauolta, Iacobo Tencarario iuriſconſultis Bononienſibus, Bernardino Cunii Comite, Alberto Aſinello, aliisq. compluribus teſtibus accitis, inducias in quinquennium fecerunt. Qui miſerunt eò Legatos, ii fuere, Rauennates, Ceruienſes, Ariminenſes, incolæ S. Archangeli, Verucoli, Paſſarelli, Longiani, Sauignani, Roncofreddi, Zerlæ, Monleonis, Montigliani, ſcorticatæ, Mondaini, S. Laudutii, Montis pectorini, Saliani, Monticuli. S. Ioannis in Galilæa, Calbanæ, Calbanellæ, Foroliuiani, Cæſenates, Fauentini, ForoCorneliani, Tuſſignanenſes, Caſtrocarenſes: adhæc exules; quos extrinſecos, & exititios appellabant; Medicinæ, Arimini, Ceruiæ, Britonorii, & quidam præterea, qui ſe Flaminiorum amicos, nullo certo nomine dicebant: quorū fuit Legatus, Benuenutus Blancus: neque verò induciæ tantum factæ, ſed etiam percuſſum fœdus, multis, ſed iis potiſſimum legibus. Quæcumq. bellis ſuperioribus, capta, occupataq. ſunt, iis ne quiſpiam vtitor: extra ea, quæ Malateſtinus Malateſta, Cæſenatium maximè, arripuit, dum tamen id Communi Ariminenſium placuerit: alioqui illis ne ipſe quidem fruitor. Extrinſeci Ariminenſes, exititiiq. agros excolunto, tributaq. conferunto, ut intrinſeci: præter Hubertum Malateſtam Glazoli Comitem, & Ioannis Malateſtæ

hære-

hæredes. Si hæ frangantur induciæ, eius rei cognitio, & illius qui fregerit, quæſtio, Pontificis Max. aut Comitis Flaminiæ, aut Decurionum Bononienſium eſto. Opida, arceſq. Trauerſaria, Alfianum, Orazanum, aut deſtruitor, aut in priſtinum ſtatum, quo initio belli erant, reſtituitor: ſic tamen ut ne quid de iure Foriliuii; quod ſibi eſſe in opido Orazano affirmat, detrahatur: Capti & obſides, liberi emittuntor. Octolinus è Mandello, Bononiæ Prætor, fœderis huius moderator eſto: iſq. ut quæ ſancita ſunt, ſeruentur, curato. His ita compoſitis, Opizo Archiepiſcopus Rauennas, Eccleſiæ ſuæ iura conſeruaturus, Guidonem Genarium Rauennatis Eccleſiæ Cantorem, procuratorem ſuum fecit, apud quem ſacramentum diceret Antonius Ceruienſis Epiſcopus: quod pridie kal. Auguſti Rauennæ in Vrſiano templo ad aram maximam, in hæc verba dixit. *Ab hora iſta in antea, ego Fr. Antonius conſecratus Epiſcopus Eccleſiæ S. Paterniani Ceruienſis, fidelis, & obediens ero S. Ro. Eccleſiæ, & Ven. Patri Domino Opizoni Archiepiſcopo eiuſdem Eccleſiæ, & ſucceſſoribus ſuis canonicè ingredientibus, ita ut contra eam non agam, aut contra ipſum, aut ſucceſſores ſuos, neque agentibus aſſenſum prabebo, & inimicis eius, & illorum, me ſciente, ad ſuã, & illorũ damnationem non ſociabor. In feſtiuitate autem ſanctorum martyrum Apollinaris, & Vitalis, excepta infirmitatis cauſa, aut certa canonica excuſatione, cum ordinibus Eccleſiæ meæ obedienter occurrere promitto, niſi per ſuam, ſuorumq. ſucceſſorum licentiam remaneam. Tibi quoq. Rauennati Archiepiſcopo omnem honorem, quem in Romania, aut in Aemilia habet, ſiue habere debet, ſucceſſoribusq. tuis adiutor ero ad retinendum per rectam fidem conſilium rectum dabo, & quod mihi ipſi credes, uel ipſi per eum, aut per ſuum certum Nuncium, ad ipſius damnum per nullum ingenium pandam: Terras, paludes, piſcarias, ſyluas, uillas, caſtella, ſeu omnem immobilem poſſeſſionem, & iura Eccleſiæ meæ S. Paterniani, quæ modò per Emphyteuta, uel Feudum ordinata non ſunt, abſq. ſua, ſuorumq. ſucceſſorum licentia, per Emphyteuta, uel Feudum; aut pactum non ordinabo, neq. pignerabo. Nuntios quoq. S. Rauennatis Eccleſiæ, uel ſuos, ſuorumq. ſucceſſorum per me tranſeuntes, aut ad me uenientes, ſi mihi notum fuerit, honorificè ſuſcipiam, & humaniter tractabo: ſic Deus me adiuuet & iſta ſancta Euangelia.* Eodem hoc die Rainerius Bicchius, Canonicus Lichefeldenſis, Pontifici a ſacris, ex duodecim uiris litibus iudicandis, Anagniæ in palatio Pontificio, tulit, ſecundum decreta Bonifacii iam Rauennatis Archiepiſcopi, ſententiam, qua Archipresbyteratum plebis S. Ioannis e balneo, Regienſis diœceſis, Antonio Maletacco eiuſdem plebis Canonico, confirmauit. Cum enim illum, ita diu uacantem, ut ex Concilii Lateranenſis decreto, eius conferendi ius deuenerit ad Rauennatẽ Archiepiſcopum, Bonifacius Antonio dediſſet, idq. eius plebis Canonici, in quibus erant Guglielmus Matthæi, Thomaſinus Bartholomei Folianorum, filii, ratum habuiſſent, Guido Taccolus tamen, & plerique alii, cum dicerent, ab interitu Guidonis Foliani, qui eum Archipresbyteratum geſſerat, tempus non eſſe lapſum, Thebaldum Gerardi è Sexo filium, & eo mortuo, Guidonem Vgolini Taccoli filium elegerant. Opizo Archiepiſcopus. V. Id. Auguſti, cum eſſet Argentæ, ad Rauennatis Eccleſiæ ſacratos uiros ſcripſit, ut iuxta Romanæ Eccleſiæ ritum, ac morem, ſingulis diebus, quibus eſſet dicendum, uoce ſummiſſa, horarium beatæ Virginis officium, ſingulis horis canonicis, in perpetuum, ſimul perſoluerent. Bonifacius Pont. cum accepiſſet, Azonem, & Franciſcum Marchiones

Eſten.

Eſtenſes, paratos eſſe ad Argentam reſtituendam, Anagnia. X. kal. Septembris per litteras mandauit Bonſardo militi; & Manetto mercatori è Pulitorũ Florentinorum domo, opidum illud; quod Pontifex iis litteris aſſerit diœceſis Rauennatis eſſe, & ad Rauennatem Eccleſiam pertinere: Conſilicem quoq. ForoCornelianæ diœceſis, & Eccleſiæ opidum, a Marchionibus illis reciperent, & nequis è Gallia Ciſalpina, è Venetia, Flaminia, aut ſubiunctis Archiepiſcopo Rauennati, aut Marchionibus, locis, quiq. aut Archiepiſcopo, aut Marchionibus ſuſpectus, in eorum præſidio locaretur, curarent. Quod ex vectigalibus, impenſæ ſupereſſet, apud fidum aliquem, dum ſecus ab Apoſtolica ſede non fuiſſet conſtitutum, deponerent. Deuteguardum Archipresbyterum plebis S. Bandani, diœceſis Saxenatis, familiarem ſuum, Opizo Archiepiſcopus Idibus Septembr. in turri caſtri Lugi, procuratorem fecit, qui Apoſtolorum limina, & Bonifacium ſummum Pontificem inuiſeret, & cetera ageret, quæ illi eſſent de more, ac iure in huiuſmodi negocio agenda. Aduenere circiter hos dies in Flaminiam, ad Montem Veclum eorum opidum ſupra Forliuium ad Apenninum, Columnii proceres: qui cum per litteras Pontificias toto orbe dimiſſas, diro Senatus conſulto notati, & piorum communione amoti eſſent; Maghinardus Forliuii, & Fauentiæ Præfectus, Galaſſus Cæſenæ, ut iuſſis Pontificiis obtemperarent, eò adducunt X. kal. Nouembr. exercitum, & opido aliquandiu oppugnato, potiuntur, & dum a Pontifice mandata expectant, firmum præſidium imponunt. Ioannis enim Columnæ, Iacobum, fratrem, & Petrum, filium Cardinales, ſacra purpura exuerat Bonifacius Pontifex, qui aduerſæ factionis ſtudioſus fuiſſe ſcribitur, & comparato exercitu urbem Neptam, Zagarolum, & alia eorum caſtra receperat, Columnam opidum ſolo æquauerat, ut ſuis ipſe teſtatur litteris exitu ſuperioris anni Reate ſcriptis ad Rainaldum Vicetinum Epiſcopum, quem hoc anno ineunte, cum in Galliam miſiſſet internuncium, ad conciliandam inter Philippum Galliæ, & Edoardum Britanniæ Reges pacem, iuſſit etiam ab eius Regni Antiſtitibus, ſacratiſq. uiris; quorum, dicebat Pontifex, gratum, ingratumve experiri ſe animum velle; ſubſidia Pontificio ærario poſtulare, tum iis, quæ diximus bellis exhauſto, tum quòd, ut Iacobum iuuaret Aragonum Regem, aduerſus Fridericum; *quaſi Regulum*, inquit Pontifex, *ex radice colubri*; Petri olim Regis Aragonum filium, Siciliam occupantem, claſſem ornaſſet: Vt his tandem tranquillitatis regionibus ad terræ ſanctæ recuperationem facilius incumberet. Quod ſi quos offenderet contumaces, eos iuberet ad cauſam de ſuo crimine dicendam Romæ adeſſe. Neque tamen defuerat Pontifex, quin certum Rainaldo decreuiſſet in dies ſingulos ſtipendium, a Florentina Franciſcorum ſocietate numerandum, &, ut eius honori conſuleret, ſex ſacris initiatis viris, quos ſecum habebat, dediſſet, ut quamquam non reſiderent, tamen dum in eius eſſent familia, ſacerdotiorum ſuorum vectigalibus; extra diſtributiones, ut aiunt, quotidianas; fruerentur: nec diu poſt, mirari ſe plurimum ſcripſit, ex ipſius accepiſſe Rainaldi litteris, Philippum Regem mutuã
ANN. M. CCC. ſibi pecuniam non tribuiſſe. Inter hos tamen tumultus, inſequentem annum Bonifacius Pont. ſæcularem, vocatum Iubileum primus inſtituit. Quo anno, cum in exilio Guillelmus Trauerſaria, obiiſſet diem ſuum, Pontifex filium eius Petrum, optimæ indolis adoleſcentem, & reſtituit in patriam, & paternis

nis omnibus iuribus donauit: Quamobrem cum reuerſus Rauennam ea undique iura repeteret, Piſcatorum collegium adegit, ad renunciandum illis tabulis, quibus fuerat a Stephano Columna Proconſule Romanorum, & Flaminiæ Rectore, ita uti ſupra docuimus, paludibus donatum. Inde tertiam earum partem Petro, & Liutio Balbis, Ioannis filiis dedit, reliquas eidem Piſcatorū collegio tribuit, fiduciario utriſque iure. Eodem hoc anno, cum Honeſti Honeſtii, ciuis Rauennatis vxor, Sanguinea, decedens, hæredes teſtamento feciſſet Fantinum, & Honeſtinam filios, hæreditatem ex dimidia parte Honeſtina Ioannis Fontanæ vxor, quæ ad ipſam ſpectabat, cum adeſſet Aldigerius Fontana, iniit. Othomannus, Zichi, uiri humilis, & obſcuri nominis filius, famam, & claritudinem apud Turcas adipiſci, incipiens, nomen familiæ dedit, quam nunc adeò latè Tyrannidem, & bella exercere, noſtris multis peccatis, ſentimus. Opizo Archiepiſcopus opidi Aquiliani incolas dum condemnare minaretur, quòd illum auxilio non iuuerint, opidum Rauennatis Eccleſiæ Taybum, defendentem, Aquilianorum precibus fatigatus, qui mulctam omnem, ac pœnam æquò animo, & libenter laturos affirmabant, in ueterem eos gratia recepit. Eſt autem Aquilianum, in ForoPompiliana diœceſi opidulum, propè caſtrum nouum. Cum autem eſſet Lugi, litteris ſuis patentibus X V. kal. Aprilis, ad Ioannem Andream Præpoſitum Rauennatis Eccleſiæ, Vicarium ſuum ſcriptis, ſtatuit, ut cum ſepeliretur quiſpiam alibi, quam in ſuæ parœciæ templo, candelarum, & reliquorum cereorum dimidiam partem, eius diei, quo funus efferretur, ſepeliretur ve, parœciæ ſuæ haberet templum: Quidquid exequiarum tempore illatum fuiſſet in re, ut aiunt, uel ſpe, vſque ad diem ſeptimum, illi templo, vbi cadauer eſſet ad ſepulturam datum illius cauſa cadaueris, quarta eius pars parocho proprio daretur. Qui uim, cum haberentur exequiæ, intuliſſet, parte ſua caderet, quæ ſpectaret eum, cui eſſet uis illata. Qui adhibuiſſet dolum, pœnam dupli ſubiret. Quincto autem Kal. Maii. Colūba Abbatiſſa cœnobii. SS. Iacobi, & Philippi propè Cæſenam, ſacris ſuis Virginibus aſſentientibus, Opizoni Archiepiſcopo fidem ſacramento per procuratorem obſtrinxit, perinde, ac eorum, ut ibi dicitur, Ordinario, cum cœnobium illud ſummo iure Archiepiſcopo ſit ſubiunctum: ab eodem etiam Thadæus Epiſcopus ForoPompilianus. VI. Id. Maii petiit, facultatem ſibi dari, pleraq. eius Epiſcopatus bona, ut æs alienum diſſolueret, alienandi. Menſe Nouembri, ſacrati viri Fauentini, Conuentu in Epiſcopio habito, Matthæum eorum Epiſcopum, Thimaſium Præpoſitum, & Abbatem cœnobii extra portam, procuratores ſuos fecerunt, qui in Prouinciali Concilio ab Opizone Archiepiſcopo celebrando, adeſſent, & quæ tempori conuenire viderentur, cum reliquis, præſertim de mandatis Pontificiis, pro generali celebrando Concilio, probarent. Per id tempus uenit in Flaminiam Matthæus Aquaſparta, qui ex ordine Franciſcano, cuius fuit Magiſter, a Nicolao Quarto in Cardinalium Collegium cooptatus, huius Prouinciæ, & ciuitatis Bononiæ Legatus a Bonifacio factus fuerat, ea potiſſimum de cauſa, ut Cæſenam, Forlipium, Fauentiam, & ForumCornelii, quæ ciuitates Bonifacii Pont. & Romanæ Eccleſiæ detrectabant imperium, ad parendum adduceret. Perluſtrata Prouincia, contuliſſe Bononiam, inde Rauennam cum rediiſſet, huc omnes conuocauit Prouinciæ proceres, & X V I. kalen. Mart. eo loco, cui Cana- ANN. M. CCCL.

zoſia

zoſia nomen eſt, in Rauennatium, Fauentinorumq. finibus, Conuentum habuit. Interfuere maximè Fridericus, Guidonis Comitis Montiſfeltrii filius Cæſenæ Præfectus, cum ipſius Oratoribus ciuitatis, Maghinardus Paganus, Forliuii, Fauentiæ, & ForiCornelii Præfectus cum ipſarum item ciuitatum Oratoribus, ibiq. de pace omnis Prouinciæ genaratim relatum eſt, Cum Fauentiam veniſſent Bononiæ, ForiCornelii, Forliuii, Piſtorii, & Alborum exulum Florentinorum, Legati, initi inter ſe fœderis, & copiarum Imperatorem, Salinguerram crearunt, Petri Taurelli filium, Salinguerræ Ferrarienſis nepotem: idq. eò diligentius, quò magno comparante exercitu, equitum, peditumq. & ſagittariorum Marchione Ferrariæ, Bononienſes, quorum potiſſimum ſtudio in id fœdus coiuerant, magna ſuſpicione tenebantur: Sed menſe Maio, tertio Id. Raulus Mazzolinus, & populus Cæſenas, Fridericum Monteſeltrium, Vgutionem Fagiolanum, & Zapitinum Vbertinum pellunt ex vrbe Cæſena, & quam reſtituerat arcem, deturbant; poſtridieq. eius diei Matthæus Aquaſparta Cardinalis Legatus, qui erat Arimini, vrbem, Raule, omniq. populo aſſentiente, ingreſſus eſt, Gerardusq. Mazolinus, Præturam, Ofredutius Almanus Aurelianenſis, tradente Cardinali Legato, inierunt. Bernardinus Polentanus, Mediolanum ſe, eius ciuitatis iam tertio Prætor, contulit, ſtatimq. cum Galeatio Vicecomite, Matthæi filio, Mediolani Præfecto, multiſq. armatis, Vigleuanum profectus, magnam laudem relaturus videbatur, niſi Philippi Languſchi, Ticinenſiumq. militum ſtudio, qui Garlaſcum contenderant, fuiſſet reuocatus: neque tamen omninò fruſtra reuocatus eſt: in eodem opido Languſcum oppreſſit, Lumellum, ac Gropellū opida, & Garlaſchi agrum incendit, excurſioneſq. fecit Nouariam vſque, multis ex hoſtibus reductis captiuis. Ticinum mox conuerſus, porta igni conſumpta, quam S. Stephani uocabant, parum abfuit, quin vrbe potiretur, ſed Ticinenſibus impigrè propugnantibus, repellentibusq. ipſa quidem re infecta, turri tamen, Ticino haud procul, eo loco, cui Mangano nomen eſt, capta, optimeq. munita, & firmo præſidio in tuto locata, Mediolanum cum Galeatio, omnibusq. copiis regreſſus eſt: denuoq. irrito licet euentu, tamen bono, ac prudenti Conſilio, Nouariæ expugnationem tentauit. Interea Lambertus frater Rauennæ Prætorem, ſumma ferè auctoritate gerebat: & eodem hoc anno, Rauennatum nomine Rodulfum Raglellum Legatum miſit, qui Iacobo Pagano, Reatino Epiſcopo, Flaminiæ, Bononiæ, Comitatusq. Britonorii, in ſpiritualibus; utar verbis earum tabularum, unde hæc hauſimus; Rectore, & in temporalibus excellentis uiri Domini Caroli Regis Francorum; ita ibidem habetur; filii Comitis Andegauenſis, pro S. Romana Eccleſia Vicario generali, fidem ſacramento obſtringeret, Romanæ Eccleſiæ ſe, illiusque in hac Prouincia adminiſtris obediturum. Quamquam Principatum Rauennatem in Polentana domo iam ferè confirmaſſe Lambertus uidebatur: nam quæ prius ſemeſtri tantum ſpatio Prætura gerebatur, & in quam externi etiam vocabantur, ea Lamberto, certo illi annuo ſtipendio conſtituto, in perpetuum, a Senatu Rauennati, ea condicione, ut numquam efferret Rauenna pedem, mandata fuerat. Quam tamen paulò poſt condicionem, moderandam impetrauit, ſic ut quandoque Reipubl. cauſa, vrbe abeſſe liceret. Quocirca cum eſſent tunc multa in Rauennati opidula, in

quibus

quibus ad præſidium milites conſtituebantur, a Rauennatibus, præſertimq. in caſtro S. Zachariæ, quibus militibus ſtipendia, de exacto ex vicinis agricolis tributo, perſoluebantur, miſſus eſt a Senatu, vnà cum duobus ſapientibus Aloyſio Balbo, & Guidone Aldreuandino, Lambertus, qui arces, ac opida omnia, ipſaque Rauennæ ſuburbia ſpecularetur, & muniret. Impoſuerat per id tempus Bonifacius Pont. in ſumptum belli Siculi, ſacratis uiris omnibus Italiæ, Siciliæ, Sardiniæ, Cyrni, Principatus Achaiæ, Ducatus Athenarum, finitimarumq. Inſularum, tributum, eiusq. confectioni in Flaminia, Ioannem Dominicani ordinis cucullatum, Epiſcopum Bononienſem, præpoſuerat: Ceterum poſterioribus ad eum III. kal. Octobr. Anagnia ſcriptis litteris, declarauit, tributum nequaquam eſſet ab Hoſpitalibus domibus conferendum, quæ egentes, leproſos, ceteroſq. ægrotos alerent, neque a religioſis uiris, qui cum viuant cõmmuni regula, templorum tamen ali, ſuſtentariq. fructibus nequeunt. Ex ſyluis etiam, quæ vendi non conſueſſent, idẽ de paſcuis, ipſorum, de ſtagnis, piſcinis, uenationibus: quæ ſi uenderentur, decumas darent. Quas autem procurationes appellant, & ſolui, etiam ſi non uiſitarent, conſueuerunt, earum acciperentur quoque decumæ. Quemadmodum verò Polentanorum hoc tempore dignitas, auctoritasq. augebatur, ita Trauerſariorum decreſcebant vires, Rauennatibus ferè omnibus Senatoribusq. præſertim; ut humana ſunt, in aduerſisq. contingit, potentiorum, & creſcentium animum, ac ſententiam ſequentibus: Hinc factum eſt, ut hoc anno MCCCI. Pridie Id. Decembr. Petro Trauerſariæ, & Roberto eius fratri dicta dies fuerit, quòd menſibus Quinctill, Sextili, & Septembri ſuperioribus, in uia populari, iuxta Trauerſariam uillam, quæ in Rauennati eſt; ſic enim in iis tabulis, unde hæc excerpſimus, legitur, propria auctoritate, ab omnibus fœnum, triticum, uinum, ligna, atque alia huiuſmodi è Rauennati exportantibus, item ab iis, qui è ForoPompilii, aliundeq. Rauennam, cum earumdem rerum ſarcinis, plauſtriſve acceſſerant, vectigalia exegiſſent. Eodem hoc anno a Cæſenatibus, Opizoni Rauennati Archiepiſcopo, quæ ablata iam fuerant, multa, & equi potiſſimum, reſtituuntur. Proximo Rainardus Epiſcopus Vicetinus, domo Mediolanenſis, familia Concorregia, Rector ſacrarum, prophanarumq. rerum in Flaminia a Pontifice creatur, tertio Id. April. Prouinciam ingreſſus eſt, cum tribus ante diebus Andreas è Cereto, omnis Prouinciæ Conuentum, iuſſu Caroli Strabonis, fratris Regis Gallorum, Cæſenæ egiſſet: abeunte Iacobo Pagano Epiſcopo Reatino, quem ob male geſtam in hac Prouincia rempublicam Bonifacius Pont. Epiſcopatu mulctauit. Ceterum cum Cæſenates litem de finibus tandem cum Ariminenſibus compoſuiſſent, & nonis Septembr. opidum in maris litore excitaſſent, Bernardinus Polentanus, Guido filius, cum Rauennatibus, Ceruienſibusque, & valida militum manu, atque opidanis, qui in Cæſenati ſunt, Rauennati Eccleſiæ ſubiuncti; cuius tum erat Bernardinus Vicecomes, cum adeſſent etiam ſecum Fridericus Montisfeltrii Comes, Vgutio Fagiolanus cum Aretinis, Cæſenam, ultra, citraq. Sapim amnem XI. kalen. Nouembr. obſedit, uniuerſumque latè agrum incendit: recepta etiam ſunt, extra Riuerſanum, & Firmignanum, opida agri Cæſenatis omnia. Vbi verò conſtitit in monte Diuæ Mariæ biduum, motis caſtris, ad opidum ab Cæſenatibus ad litus maris ædificatum

ANN. M. CCCI.

ANN. M. CCCII.

adiit, illudq. nonnullis, qui erant in opido, tradentibus, expugnauit. Rainaldus interea Prouinciæ Rector, pacis ſtudium non intermittere, incommodisq. ut res ferebat, diligenter occurrere: Sed cum eſſet Foroliuii; quam ciuitatem Ordelafi, eorumq. aſſeclæ adminiſtrabant; tumultu excitato populari, lethale accepit uulnus kal. Septembr. quo ferè tempore Maghinardus è Soſenana ForiCornelii, ac Fauentiæ Princeps, ForiCornelii exceſſit è uita. Premebat adhuc Cæſenam Bernardinus Polentanus bello, eamq. Ioannes Putirolus Mediolanenſis regebat, uirtute vir clarus, ſed cum acrius vrgeretur in dies, nulliſq. iuuaretur auxiliis fœderatorum, Vbertus Malateſta, Glazo-
ANN. M. li Comes, Pauli filius, eius Præturam, Præfecturamq. XIII. Kal. Febr. iniit,
CCCIII. cum præſertim diſſidentibus inter ſe Thederico Caliſidio, & Vbertino Articlino, qui iam in foro ad arma concurrerant, magnum propediem diſcrimen ſubitura uideretur. Sed aduenit triduo poſt Rainaldus Prouinciæ Rector, a vulnere, diuino planè miraculo liberatus, eosq. inter ſe conciliauit, & Thedericum, qui cum filiis vrbe ceſſerat, redire in patriam iuſſit. Mox Pontificis nomine, Opizoni mandauit Archiepiſcopo Rauennati, ne, ForoPompiliano uacante Epiſcopatu, ad Thadæi Epiſcopi interitum, Peppum Ordelaſum Foroliuianum, eius ciuitatis a pleriſq. Epiſcopum deſignatum conſecraret, neu electionem probaret: Idem ſignificauit Rauennatis Eccleſiæ conuentui, eorumq. Vicariis. Eam ſibi electionem certis de cauſis, tunc Bonifacium ſeruaſſe: Quoniam verò accepiſſet, Peppum, infidelem Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ eſſe, eiusq. agitare, & inſectari adminiſtros, litteris illis Pontifex Romæ, apud D. Petri, IX. kal. Mart. anno nono Pontificatus ſcriptis, diem illi dici iuſſit, quo ſe Pontifici ſiſteret, ad dicendam cauſam. Rauennæ, cum Bernardino, & reliquis fratribus Cunii Comitibus eſſet datum, ut quas in Rauennati collegerant, ſegetes, ſua in opida abducerent, id negatum fuit Petro Trauerſariæ, qui in opidum Trauerſariam ſuum, triticum, ac reliquas ſegetes, etiam prohibentibus Polentanis, atq. ob id vniuerſis ferè Senatoribus, importabat. Itaque dum haberetur Senatus, Lamberti Polentani Prætoris uocatu, quo adducere Petrus omnes ſegetes Rauennam ex prædiis ſuis iuberetur, rem Petrus ſentiens, dum adhuc in Senatu diſceptaretur, confeſtim multis conductis operis, omnia in opidum ſuum aduehenda curauit, nullis deinde aut edicto, aut iuſſu Senatus, quæ tamen a Polentanis manabant; ductus ut Rauennam ea deueheret. Quamobrem poſtridie Senatus conſulto decernitur, armatorum manum ad opidum expugnandum, & extrahendas ſegetes, mittendam: Quod & factum eſt: & plerique putant, tunc illud opidum ſolo exæquatum, Petrumq. Trauerſariam in Tuſciam, omnibus ſpoliatum bonis, & exulem ſe recepiſſe: cuius deinde aliqui nepotes, in opido Portico, Fabriferrariam exercuerint. Lambertus rem priuatam, ac publicam aucturus, curauit, uti Rauennas ager, aquis aut ſublatis, aut in amnes deriuatis, culturæ aptus, & ferax redderetur. Qua de re ipſo conſulente, & Sapientibus ad Senatum rem deferentibus, Vitalique Lazaro, Vgutionis filio perorante, foſſa, quam Lamam uocamus, ſub id tempus facta eſt. Cui, & alia eſt ad Pinetum adiuncta, quam vulgo adhuc Canale Dimilii appellamus. Duplex erat Senatus Rauennas hoc tempore: alter ſecretus, & interior; Credentiæ uocabant; huiusque conſul-

to

to ante decernebantur omnia: alter generalis, in quo eadem, quæ erant in priori decreta, probabantur aliquando, ac firmabantur, quandoque irrita fiebant. Vniuerſa item Ciuitas in populum diuiſa erat, & milites. Nobiliores, milites: ignobiliores populum dicebant: quoſque nunc iuriſconſultos, Doctores vocamus, eos tunc maximam partem, Iudices appellabant. Sub idem tempus, Opizo Archiepiſcopus, cum obæſus admodum eſſet, & confectus ætate, cum nouem menſes Parmam, coacto exercitu, in quo fuerunt etiam Pontificis, ut ferunt, auxilia; circumſediſſet, paceq. cum ciuibus tandem facta, eius dominatum, titulo Defenſoris, Giberto Corrigiæ tradidiſſet, Rauennam, inde Orbitum profectus, ibidem variis afflictus curis, & oppreſſus ære alieno ſuo, quod maximũ contraxerat, ſupremum ſpiritum, pridie Id. Septembr. exhalauit. Sepultus eſt in ſacra Franciſcanorum cucullatorum æde, iuxta aram maximam: Conſueuerat ſigno maiori, quo obſignabat diplomata, ita adſcribere. *Opizo, Dei gratia, Archiepiſcopus S. Rauennat. Eccleſiæ, Agiae Anaſtaſis.* Signum erat, Archiepiſcopi, ſacra induti ueſte, impreſſa in cera rubra, imago: virgam, in cuius erat ſummo, Crux, ſiniſtra manu geſtantis: dextra ſublata, tribus maioribus extenſis digitis: hinc dextrorſum, Agnus: illinc ſiniſtrorſum, piſcis. Sacrati viri Rauennates, de more in Vrſiano templo Comitiis, habitis, cum non unum ſentirent, elegerunt duos, Rainaldum Concorregium, Mediolanenſem, & Leonardum Fliſcum, Eccleſiæ Burgenſis, quæ eſt in Tornacenſi Diœceſi, Præpoſitum. Moritur haud ita diu poſt, Romæ Bonifacius Pont. Max. Vndecimoq. poſt die, qui fuit X I. Kalen. Nouembr. in eius locum Nicolaus Bocaſinus Cardinalis, Dominicani olim ordinis Magiſter, ſufficitur, Benedictusque Vndecimus appellatur. Hic, quamquam Bonifacius Pont. antequam decederet è uita, ſedi Apoſtolicæ, ius Archiepiſcopi Rauennatis deſignandi, reſeruauerat, irritumq. pronunciauerat, quidquid ſecus inſcienter, ſcienterve ageretur, tamen quoniam Rauennates, eius ignari Pontificii Decreti id fecerant, libenter accepit, audiitq. Albertinum Cantorem Eccleſiæ Rauennatis, maioris ſacratorum uirorum partis procuratorem, qui Leonardum impugnaret, dariq. Rauennatibus Rainaldum Archiepiſcopum poſtularet. Qui pridie kal. Nouembr. in Vrſianam ædem, ad id conuenerunt, ii fuere. Rainutius Eccleſiæ Rauen. Archidiaconus, Aldebrandinus Præpoſitus, qui in iis, unde hæc hauſimus, tabulis, primas partes in deſignando Archiepiſcopo tenere dicuntur; mox reliqui ſacerdotes, Diaconi, & ſubdiaconi eiuſdem Eccleſiæ Cardinales: inde ſacerdotes, & Diaconi Cantores: ad hos, Rodulfi Foroliuiani, Fr. Matthæi Fauentini Epiſcoporum, Rauennati Eccleſiæ ſubiunctorum; quos a ſuffragiis huiuſmodi ferendis, ſuffraganeos appellant; procuratores. Petrus S. Vitalis, Stephanus S. Ioannis Euangeliſtæ, Rainerius S. Apollinaris noui, Rainerius S. Apollinaris in Claſſe Abbates, & Vberti Galiatenſis cœnobii adminiſtratoris, Bonni Abbatis Diuæ Mariæ Vrani procuratores. *Martutius presbyter, Rector S. Mariæ in luminaria, Primicerius congregationis Sanctæ Agnetis Rauennatis. Presbyter Deuſaleui, Rector Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Calos eo, Primicerius congregationis S. Michaelis Rauen. Presbyter Naſſolus Rector Eccleſiæ Sancti Georgij de pontibus, Primicerius congregationis SS. Ioannis & Pauli Rauen. Presbyter Bonacurſius, Rector*

Eccleſiæ SS. Ioannis & Pauli, Primicerius congregationis S. Ioannis Baptiſtæ Rauen. Presbyter Aillinus, Rector Eccleſiæ S. Vincentij, Primicerius Congregationis S. Theodori Rauen. Presbyter Henricus, Rector Eccleſiæ S. Georgii de Porticibus, Primicerius Congregationis S. Agathæ Rauen. Benedictus Pont. quamquam erat utraq. electio, iis, quas diximus, cauſis, inanis, tamen, ut gratum Rauennatibus faceret, ductus etiam inſigni hominis virtute, Cardinalium aſſentiente collegio, per litteras Laterani XIII. kal. Decembr. Pōtificatus anno primo ſcriptas, Rainaldū probauit, eodemq. die conſecrauit, ſpectatæ probitatis virum, qui nouē ante annis, cum ex familiaribus eſſet, ac domeſticis Benedicti Caietani Diaconi Cardinalis SS. Coſmæ, & Damiani, & Canonicus Laudunenſis, a Bonifacio Pontifice, Benedicti patruo, ipſo petente Benedicto, obtinuerat, ut in aula Pōtificia, eius Cardinalis obſequiis inſiſtens, uel eius iuſſu, aut permiſſu, vbicumq. terrarum, fructus, quos in Laudunenſi, ac S. Martini de Bolate Mediolanenſis Diœceſis, ſacris ædibus, quarum Canonicum gerebat, & aliis, quæ in poſterum adipiſceretur, etiam cū animarum cura, ferret extra quotidianas diſtributiones, caperet, neq. reſidere teneretur: Inde Epiſcopus Vicetinus factus, & in Galliam uti docuimus, miſſus, huic Prouinciæ a Bonifacio, rediens, præfectus cum Imperio, & magna auctoritate fuerat. Archiepiſcopatū autem eo ineunte, Rectorem Benedictus Pōtifex Prouinciæ dedit Thebaldum Bruſatum Brixianū:
ANN. M. CCCIIII. qui modico comitatu anno MCCCIIII. Non. Febr. ingreſſus Prouinciam, omne ferè Præfecturæ tempus, Cæſenæ traduxit. Induciarum autem iam factarū inter Flaminios, tempore ad exitum ferè perducto, illas renouaturi, Foroliuiani; quorum erat Prætor, Franciſcus Carpigni Comes, Præfectus, Zapitinus Vbertinus; Drogolum Faſolum, & Naſcimbenum Lizerium: Fauentini, Pelegrino Gallutio Prætore, Comite Tancredo Mutilianenſi, in Tuſcia Palatino, Præfecto, Ioannem Faſolum ſcribam: ForoCorneliani; cum eius vrbis Præturam Bandinus Paganus è Soſenana, Præfecturam, Pocaterra è Montiliano, gererēt; Ioannem Mauſignanum: Albericus Polentanus; qui ad opidum Polentam ſe cum fratribus receperat; Hieremiam & Franciſcum fratres: Bagnacauallenſes, Iordanem Brandolum: Caſtrocariani Boucium Zobedum, Legatos, Ceruiam miſere, qui apud Bernardinum Polentanum, Cæſenam adhuc bello urgentē, inducias cum Rauennatibus renouarent: Quamobrem ibidem menſe Maio inſtauratæ ſunt: quo extremo menſe, Vbertus Glazoli Comes, Cæſenæ Prætor, capi filios Alberici è monte Riuerſani, duos, qui Cæſenæ commorabantur, Cæſenatiumq. ſtipendia merebant, iuſſit: quòd diceret, opidum, Bernardino Polentano, acerrimo Reipubl. Cæſenatis hoſti, vnà cum Maranis è Riuerſano, prodere eos velle: Mox eodem die, qui fuit V. kal. Iun. adduci ad opidum, & furcam è regione illius figi, mandauit, minatus, niſi efficerent, fratres in opido degentes, Reipubl. iuſſis parere, eos ſuſpendio necaturum. Sed cum non expedirent conſilium, aut non poſſent, iniici imperauit in collum laqueum, & in furca ſuſpendi: Tum fratres deditione tandem facta, dederunt opidum: alii, detracto è collo laqueo, ægrè licet, uiui tamen euaſere. Rauennæ interea leges, quæ ad Piſcatorium ordinem, cognomento Caſamattam, ſpectabant, ſunt latæ: ipſa enim Piſcatorum conſociatio, iugera paludis Fanariæ & Iuſuerti, triginta ſex millia, iuxta Padum, poſſidebat, in qua piſcatus exercebatur, a Trauerſariis, iure fiduciario, certa adiecta penſione, quam quo-

quotannis ſoluerent, uti ſupradictum eſt; accepta: Eratq. is Piſcatorum ordo, hoc tempore adeò celebris, ut omnes ferè Rauennates, ipſiq. etiam Polentani cooptari in eum ſtuderent: nam inde ad egentes vtilitas manabat; ad diuites, cum aliqua nonnumquam utilitate, dignitas, quod in ordinis fructibus ſatis amplis adminiſtrandis, neſcio quid honorifici ineſſe putarent. Nunc ad poſtremi ferè ordinis uiros, & in anguſtum, hæc ſocietas redacta eſt, paludibus hinc, atque inde diſtractis. Sub id tempus, eodem hoc anno, Cymaclienſes quòd eos uel facinoris conſcientia deterreret, uel tæderet iam pœniteretq. Eſtenſis Principis dominatus, aut inopia cogerentur, Legatos Rauennam mittunt, qui ſuppliciter peterent, ab Rauennatibus Cymaclum denuo, ut reciperetur: ſe iuſtis, ac veris, antiquiſſimisq. ſupra omnem memoriam dominis eſſe ſubiunctos uelle: iamq. ipſam vrbem Prætoris, Senatus, populiq. Rauennatis nomine tenere: mittant ipſi, qui ciuitatem accipiant, tueantur, & ius dicant. Re accepta, Senatus, Lamberto Præſidente, accipiendam condicionem decreuit: itaq. duos Legatos mittit, qui ſtipendiis de publico conſtitutis, id muneris obirent. Horum Princeps Guido Polentanus, Hoſtaſii filius extitit: qui cum equitibus, ſagittariis, peditibus ſelectis, Senatus, populiq. Rauennatis nomine, eò profectus, vrbem accepit, ibidemq. peditum triginta, & ſagittariorum aliquot præſidium, Rauennam proficiſcens, reliquit. Cymaclienſes ex aduerſo, Legatos Rauennam miſere, qui fidem, ac perpetuum in Rauennates ſtudium ſacramento obſtringerent, ac pollicerentur: intereaq. vini, ac panis, quantum ſatis fuit, Cymaclum tranſmiſſum eſt. Ne verò furtim & dolo rē hanc egiſſe viderentur, legant ad Eſtenſem Principē, Ferrariam, qui omnia illis ſignificet: Verùm is coacta ſtatim militum manu, & Cymaclium profectus, Rauennatem Præfectum, Syndicum vocabant, & Cymaclienſes proceres expulit, vrbemq. recuperauit. Cymaclienſibus ob id, Rauennam profectis de publico datum ſtipendium, unde uiuerent, a Senatuq. decretum, idem ut Cymaclienſibus omnibus fieret qui Rauennam ad habitandum venirenr. Rainaldus Archiepiſcopus, facultate ſibi a Benedicto Pontifice data, pecuniam mutuam accipiendi, ad ſua, & Eccleſiæ Rauennatis conficienda negocia, apud Pontificiam ſedem, millia florenorum duo, a ſocietate Clarentorum kal. Iul. mutuatus eſt: Ceruienſibus hoc interim ſpatio, cum Cæſenatibus, de portu potiſſimum litoris maris, vehementer diſceptantibus. Horum, uti ſupra memorauimus, Prætor, ac ferè Princeps Vbertus Malateſta erat, ab Glazolo Comes: illorum, Bernardinus Polentanus, qui ambo non minus publicè; Rauennatis præſertim Eccleſiæ nomine, Polentanus; quàm priuatim, incendiis, incurſionibusq. ſeſe inuicem hoſtilem in modum perſequebantur: dum Polentani, Ceruienſiumq. partes, incolæ Saliani, Montis Augutii, Soriuoli, Deolaguardi, Rodiliani, & Caſalecchi, Rauennatis auctoritatem Eccleſiæ ſequentes, magno ſtudio fouerent, Verùm inſequenti anno, Thebaldi Bruſati Brixiani, Flaminiæ Rectoris, eiusq. ad maleficia iudicis, Sordelli Bottenghi Mantuani cura, ac diligentia, cum procuratorem quiſque ſuum, Ariminum miſiſſent, ita tandem coram Malateſta è Veruculo, Malateſtino eius filio, Dino Rubeo milite, conuenere, ut apud Pontificem, aut Flaminiæ Præfectum, non armis, ſed ſcripturis, ac legibus dimicarent, interimque ab armis diſcederetur, & pax conueniret: quod & factum eſt. Thebaldus Prouinciæ Rector, cum ANN. M. CCCV.

eſſet Cæſenæ, X V. kalen. Mart. Cambio Artuſino Rauennati, Rainaldi Archiepiſcopi internuncio, familiariq. dedit, ut Archiepiſcopus, Eccleſiaq. Rauennas, Mercatum, vbicumq. liberet, in opido potiſſimum Molinuecio, habere poſſent. Vacabat per id tempus cum Pontificio ſolio, Saſſinatum Epiſcopatus, ipſiq. inter ſe ſacrati uiri de Epiſcopo deligendo minime conueniebant: pars Henricum eius Canonicum Eccleſiæ deſignarunt, Theodericum alii, qui Canonicus non erat: Itaque Rainaldus Rauennas Archiepiſcopus; quamquam Aſſiſii tum erat; tamen, ne res, magno eius Eccleſiæ incommodo, diutius traheretur, per litteras menſe Maio datas, Vicarium ſuũ, rem omnem cognoſcere, deq. ea tota ſummatim decernere iuſſit. Arguloſi; qui pace cum Calbolis facta, coniunctisq. copiis, Forliuium occupare, ſuperiore anno, fruſtra tentauerant, dum Zapitinus Vbertinus Foroliuiani exercitus Dux oppugnaret opidum Cuſerculum, Meldulam tamen ceperant, hoc tempore cum Ordelafis, & vniuerſitate Forliuienſi coniuncti, inſcientibus Calbulis, & tradunt Meldolam, & Forliuium reuertuntur. Poſtero menſe, cum inter ſe conuenire Cardinales non poſſent, vt ex ſuo Collegio ſummum Pontificem renunciarent, cum eſſent Peruſii, iamq. decem ferè menſes uacaſſet ſolium Pontificium, Raimundum Gothium Aquitanum, Pontificem orbi dederunt: Is Burdegalenſem Epiſcopum gerebat, vbi tum commorabatur, cum ſummus Pontifex eſt factus, accitisq. in Galliam, Lugdunum, Cardinalibus, ſedem Romanam Auenione, magno incommodo orbis Chriſtiani, Italiæ potiſſimum, locauit. Iacobus Rector S. Mariæ in Cepadella, quod eſt Rauennate templum; Rainaldi Archiepiſcopi Rainutii Archidiaconi, Ioannis Andreæ Præpoſiti, & chori Rauennatis Eccleſiæ procurator. IIII. Non. Octobr. *in Leſeda, in uia publica, ante Hoſpitale de meza pigneta* ſignificauit Rainutio Abbati Claſſenſi, nouum, eundemq. primum Rainaldi ipſius Archiepiſcopi, ad Rauennatem Eccleſiam ſuam aduentum: eumq. ad cœnobium illud diuertere eo die velle, & ibidem de more eſſe: itaque pro eo ac deberet, illi obuiam ſolemni ſupplicatione procederet, Antiſtitemq. reciperet. Sub idem tempus cum Bononienſes, Parmenſes, Brixiani, Veronenſes, Mantuanique fœdus inter ſe feciſſent, locumq. in eo Polentanis reliquiſſent, Rainaldus, Hieremias, Guido, & Atto fratres, Hoſtaſii filii: Bernardinus item, & Lambertus fratres, Guidonis filii, è Polentanorum omnes familia, Vitalem Bagnolum Rauennatem, legarunt ad Guidonem Bonacolſum, Mantuæ Præfectum, qui in opido Suzaria Mantuani agri, cum Franciſco Marchione Eſtenſi, Gilberto Corrigia Communis, populiq. Parmenſis Defenſore, Alboino Scaligero, & reliquis, aduerſus Azzonem Eſtenſem, cùm proprio ipſorum, tum vniuerſitatis Rauennatium, & Ceruienſium publico nomine fœdus pepigit. Ceterum cum Bononiæ diuiſa in partes duas eſſet Hieremiorum factio, aliis ſe partis Marchionum, aliis, aduerſæ, qui in ciuitate poterant plurimum, appellantibus, relegati ſunt, ea de cauſa, multi e Marchionum par-
ANN. M. te, menſe Martio, eorumque dirutæ domus. Sed breui mutatis rebus,
CCCVI. auctisque partis Marchionis uiribus, in ciuitate primas obtinuit, eiectoque, qui Præfectum eius ciuitatis gerebat, Lamberto, Salinguerræ Ferrarienſis filio, Bernardinum Polentanum in eius locum ſufficiunt, Prætoremque faciunt, cum Præfecturam dediſſent Pino Rubeo Florentino: mul-

tis

tis ex aduerſa factione relegatis. Aduenit ſub id tempus, a Clemente Pontifice Bononiam Legatus, Neapoleo Vrſinus Romanus, Cardinalis Diaconus S. Hadriani, ut tot, tantisq. tumultibus finem imponeret, miſſus: neque uerò Bononiam ſolum, ſed ut ſuis teſtatur litteris Pontifex, *ad Prouincias Tuſcia, Romandiola, Marchia Triuiſina, Patriarchatum Aquileien.& Grandenſem, Archiepiſcopatum, & Prouinciam Rauennatem, Ferrariam ciuitatem, & Diœceſim, Archiepiſcopatum Ianuenſem, Inſularum quoq. Sardinia, & Corſica, & Venetiarum partes, & alias partes circum adiacentes*. in ſuum autem, & familiæ ſumptum, annuum ſtipendium Archiepiſcopo Rauennati, & ceteris ſacratis uiris ciuitatis, Diœceſisq. etiam immunibus, quingentos quinquaginta ſeptem florenos aureos per litteras Bononiæ. V. Kal. Maii datas, impoſuit. Ceterum cum pacificatoris aggreſſus munus, conciliare concordiam inter Bononienſes ſtudet nec quidquam aſſequitur, quòd multas iniurias accepiſſet Marchionis factio, ac eas quotidie, magna Cardinalis moleſtia, perſequeretur, ex illis plurimi, X. kal. Iunias, ad Epiſcopium Bononienſe, ubi Cardinalis hoſpitabatur, armati adcurrunt, & ut proditor moreretur, ſublatis uocibus, inclamant: Iamq. ualuis diffractis, accurrit & Bernardinus Polentanus Prætor, factioſos proceres benignè appellat, quid agant mali, edocet, quamq. irrito omnia euentu. Tumultum tandem omnem compoſuit, recedereq. inde armatos iubet. Neapoleo Legatus, haud ita diu poſt Bononia proficiſcens, ſibiq. timens, per deuia, ForumCornelii contendit, cum ex eius ſupellectili, quæ uehebatur mulis, direpta, in recto itinere, multa fuerint: Eam ob rem relegati quamplures, eorumq. euerſæ domus. cum perueniſſet autem incolumis ForumCornelii Neapoleo, Bononienſes, quos diximus, quiq. plurimum in ciuitate poterant, Gymnaſio priuauit, honoribusq. & priuilegiis mulctauit: auditores ferè omnes, ac Doctores Patauium abiere. Ipſe cum Fauentiam deinde ueniſſet, ibi opidum Aureolum præſidio firmandum, cuſtodiendumq. tradidit Ildebrandino Epiſcopo Aretino, & Aghinulfo è Romena Comiti Palatino in Tuſcia. ſic tamen, ut eius abſoluta Legatione, Archiepiſcopo Rauennati, quem ſpectat ſummo iure, reſtitueretur. Rainaldo autem Ioannis Epiſcopi Spoletani deſignati, Pontificii Quæſtoris litteras confirmauit, quibus a Benedicto Pontifice impetrarat, ne ad quas Opizo Archiepiſcopus, aut ſucceſſor tenebatur, pœnas, pro aulæ obſequio, debito, promiſſove, cum ad Rauennatem Archiepiſcopatum translatus eſt, teneretur. litteras etiam ForiCornelii X. kal. Iul. ad Rauennates ſcriptas, ad omnes Legationis ſuæ ciuitates dimiſit, quibus cauebat, ne Bononienſium conſuetudine uterentur, neu illos auxilio iuuarent: magna eſſe, & nefaria crimina, Prætoris, Præfecti, Defenſorum, Proconſulum, Antianorum, eorumq. Vicariorum, ceterorumq. adminiſtrorum, Senatus, & Vniuerſitatis Bononiæ: in Diuinæ Maieſtatis offenſam, Apoſtolicæ ſedis iniuriam, ac detrimentum Eccleſiaſticæ libertatis: cum Florẽtinis Eccleſiæ Romanæ perduellibus iniiſſe fœdera, religioſos uiros ſpretis Neapoleonis ipſius mandatis, nonnullos præſertim fratres tertii ordinis Humiliatorum, & S. Mariæ Gaudentium, contra priuilegia Pontificia, tributis impoſitis; preſſiſſe: Albizum, & Franciſcum Vbaldinos germanos, Eccleſiæ Bononienſis Canonicos exilio mulctaſſe: ſolo æquaſſe Archipresbyteri S. Laurentii in collina, domos: ſpreuiſſe Neapoleonis litteras, quibus iubebat, ut

iis

iis abſtinerent, Epiſcopo Bononienſi, & Dominicanorum, Franciſcanorum, Eremitarum Auguſtinianorum, Bononienſium Præfectis, qui eas litteras, Bononienſibus reddiderant, referentibus. Quarto Non. Sextil. Rauennam Neapoleo ueniens, magna gratulatione, honorificè admodum exceptus eſt: Commoratus eſt hic per menſem, mox rediit Fauentia, inde Forliuium ſe contulit, habitoq. ibidem conuentu, ac recitatis Pontificiis litteris de ſua Legatione, cum è Campania milites tercentum quinquaginta, pedites centum adueniſſent, Forum Cornelii abiit: ſub id ferè tempus, cum Pandulfus Malateſta ex vrbe Fano, cuius Præturam gerebat, populari tumultu eiectus eſt, atque, etiam è Piſauro, ubi erat quoq. Prætor; eodemq. tempore Senogalliam amiſit, multis per id tempus Italiæ ciuitatibus, huiuſmodi populari tumultu perturbatis, Mediolano præſertim, Regio, Mutinaque: quam vrbem Manfredus è Saxolo, coniunctis cum Rangoniis, Boſchettis, & Sauignanis conſiliis, pulſis Magiſtratibus Azzonis Eſtenſis Ferrariæ principis, occupataq. arce, Alberto dedit Auſtriæ Duci, Regi Romanorum, qui ſextum iam annum, obtruncato Adulfo Cæſare, Regiam dignitatem, coronamq. acceperat. Idem Regii accidit, ſed occupauit eius dominatum vrbis Gibertus Corrigia. Interea Rainaldus Archiepiſcopus, in dies uirtutibus, ac religione proficiens, puriſſimum cultum numinis Diuini, legibus perſanctè editis, propagandum apud ſuum populum diligenter curauit: quapropter & ſæpe Archiepiſcopatus opida, Argentamq. potiſſimum inuiſit, & Prouinciale Concilium anno ab ortu

ANN. M. CCCVII. Chriſti MCCCVII. Rauennæ celebrauit: curauitq. uti, Senatui Rauennati, Lamberto Præſidente, atque ſuadente, placeret, monetam Rauennæ cudi ad Anconæ modum, Ceruienſes Senatus conſulto, Legatos duos crearunt, qui Senatores Rauennates orarent, ut unà cum Matthæo Epiſcopo Ceruienſi deſignato, & duobus item Rauennatium Legatis, Rainaldum Archiepiſcopum conuenirent, peterentq. ſuppliciter, ab eo, Matthæum ipſum deſignatum, confirmari. Graues interim aduerſus Templarios equites litteræ, ad Rainaldum a Pontifice miſſæ, aduenerunt, quibus eam cauſam cognoſcendam Rainaldo, & aliquot collegis omni Italia, mandabat. Fuerat is equitum ordo centum iam & uiginti ſeptem annos circiter, Hieroſolymis inſtitutus, tenui ut reliqui, exordio, ut peregrinos ad ſepulcrum Domini adeuntes ſuſciperent, & incolumes deducerent: cumq. paulo poſt, in Concilio apud Trecas, Hugo Paganus, primus ordinis Magiſter, in Galliam ad poſcendum ad Damaſcum oppugnandam auxilium, profectus, habitum album, Honorii Pontificis, & Stephani Patriarchæ Hieroſolimitani præcepto, accepiſſet; nam eouſque fratres eas veſtes induerant, quæ fuerant ab ipſa piorum hominum liberalitate oblatæ; fratres creſcere hominum numero, prædiorumq. cœpere. In Rhemenſi deinde Concilio, quem Eugenius III. habuit, crux illis purpurea albis ueſtibus aſſuenda, conceſſa: Ab eo tempore maioribus in dies augeri diuitiis, hominibusq. militari plurimum virtute præſtantibus. litteras Clementis ſummi Pontificis ad Rainaldum Archiepiſcopum, & collegas, quoniã ſatis apertè rem declarant, hic duximus integras apponendas.

Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus fratribus... Rauen. & Piſan. Archiepiſcopi &... Florent. &... Cremon. Epiſcopis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionẽ. Faciens miſericordiã cum ſeruo ſuo Dei filius, Dominus Ieſus Chriſtus, ad hoc

nos

nos uoluit in ſpecula eminenti Apoſtolatus aſſumi, ut gerentes, licet immeriti, uices eius in terris, in cunctis noſtris actibus, & proceſsibus, ipſius ueſtigia, quantum patitur humana fragilitas, imitemur. Sanè dudum circa noſtræ promotionis ad apicem ſummi Pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus noſtræ coronationis inſignia, ueniremus, etiam poſt tam ibi, quàm alibi, ſecreta quorumdam nobis intimatio inſinuauit, quòd Magiſter, Præceptores, & alij fratres ordinis militiæ templi Hieroſolymitani, & etiam ipſe ordo, qui ad defenſionem patrimonij eiuſdem Domini noſtri Ieſu Chriſti fuerant in tranſmarinis partibus deputati, contra ipſum Dominum, in ſcelus apoſtaſiæ nefandum, deteſtabile idolatriæ uitium, execrabile facinus ſodomorum, & hæreſes uarias erant lapſi. Quia uerò non erat uериſimile, nec credibile uidebatur, quòd uiri tam religioſi, qui præcipuè pro Chriſti nomine ſuum ſæpe ſanguinem effundere, ac perſonas ſuas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quiq. multa etiam magna, tam in Diuinis officiis, quàm in ieiunijs, & alijs obſeruantijs, deuotionis ſigna frequentius prætendebant, ſuæ ſic eſſent ſalutis immemores, quòd talia perpetrarent, huiuſmodi inſinuationi, ac delationi ipſorum, eiuſdem Domini noſtri exemplis, & Canonicæ ſcripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare. Deinde uero cariſsimus in Chriſto filius noſter, Philippus Rex Francorum illuſtris, cui eadem fuerant facinora nunciata, non typo auaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil ſibi uendicare, uel appropriare intendat, imò ea ..... per deputandos a nobis ſuper hæc generaliter, & per Prælatos Regni Franciæ in ſuis Dioceſibus adminiſtranda, & gubernanda in Regno ſuo dimiſit, manum ſuam exinde totaliter amouendo, ſed fidei orthodoxæ feruore, ſuorum progenitorum ueſtigia clara ſequens, accenſus, de præmiſsis quantum licitè potuit, ſe informans, ad inſtruendum, & informandum nos ſuper his, multas & magnas nobis informationes per ſuos nuncios & litteras deſtinauit. Infamia uerò contra Templarios ipſos increbeſcente ualidius ſuper ſceleribus antedictis, & quia etiam quidam miles eiuſdem ordinis magnæ nobilitatis, & qui non leuis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis ſecretò, iuratus, depoſuit, quòd in receptione fratrum præfati ordinis hæc conſuetudo, uel uerius corruptela ſeruatur, quòd ad recipientis, uel ab eo deputati ſuggeſtionem, qui recipitur, Chriſtum Ieſum negat, & ſuper Crucem ſibi oſtenſam, ſpuit, & in uituperium Crucifixi, & quædam alia faciunt recipiens & receptus, quæ licita non ſunt, nec humanæ conueniunt honeſtati, prout ipſe tunc confeſſus extitit coram nobis, uitare nequiuimus; urgente nos ad id officij noſtri debito; quin tot ac tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum fama publica deferente, ac clamoſa inſinuatione dicti Regis, nec non & Ducum, Comitum, & Baronum, & aliorum nobilium, cleri quoque, ac populi dicti Regni Francorum, ad noſtram, propter hoc, tam per ſe, quàm per procuratores, & ſyndicos, præſentiam uenientium, quod dolenter referimus; ad noſtram audientiam perueniſſet, quòd Magiſter, Præceptores, & alij fratres dicti ordinis, & ipſe ordo præfatis etiam pluribus alijs erant criminibus irretiti, & præmiſſa per multas atteſtationes, confeſsiones, & depoſitiones; præfati Magiſtri, & plurium Præceptorum, & fratrum ordinis prælibati, coram multis Prælatis, & hæreticæ prauitatis Inquiſitore, in Regno Franciæ factas, habitas, & receptas, & in publicam ſcripturam redactas, nobiſq. ac fratribus noſtris oſtenſas, probari quodammodo uiderentur, ac nihilominus fama, & clamores prædicti in tantum inualuiſſent, & etiam aſcendiſſent, tam contra ipſum ordinem, quàm contra ſingulares perſonas eiuſdem, quòd ſine graui ſcandalo præteriri non poterant, nec abſque immenſo periculo tolerari: Nos illius, cuius uices, licet immeriti, in terris

gerimus,

gerimus, ueſtigijs inhærentes, ad inquirendum de prædictis ratione praua duximus procedendum, multoſq. de Præceptoribus, presbiteris, militibus, & alijs fratribus dicti ordinis, reputationis non paucæ, in noſtra præſentia conſtitutos, præſtito ab eis iuramento, quòd ſuper præmiſsis interrogauimus, & plenam nobis dicerent ueritatem, ſuper præmiſsis interrogauimus, & merams uſque ad numerum ſeptuaginta duorum, multis ex fratribus noſtris nobis aſsiſtentibus, diligenter, eorumq. confeſsiones, per publicas manus, in autenticam ſcripturam redactas, illico in noſtra, & dictorum fratrum noſtrorum præſentia, ac deinde, interpoſito aliquorum dierum ſpatio, in Conſiſtorio legi fecimus, coram ipſis, & eas, in ſuo uulgari, cuilibet eorum exponi: Qui perſeuerantes in illis, eas expreſsè, & ſpontè, prout recitatæ fuerant, approbarunt. Poſt quæ ..... & præcipuis Præceptoribus præfati ordinis, intendentes ſuper præmiſsis inquirere, per nos ipſos, ipſum Magiſtrum, & .... Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ .... Aquitaniæ, ac Pictauiæ Præceptores maiores, nobis Pictauis exiſtentibus, mandauimus præſentari: Sed quoniam quidam ex eis ſic infirmabantur tunc temporis, quòd equitare non poterant, nec ad noſtram præſentiam quoquo modo adduci, Nos cum eis ſcire uolentes de præmiſsis omnibus ueritatem, & an uera eſſent, quæ continebantur in eorum confeſsionibus, & depoſitionibus; quas coram Inquiſitore prauitatis hæreticæ in Regno Franciæ, præſentibus quibuſdam notarijs publicis, & multis aliis bonis uiris, dicebantur feciſſe; nobis & fratribus noſtris per ipſum Inquiſitorem ſub manibus publicis, exhibitis, & oſtenſis, dilectis filijs noſtris Berengario tituli. SS. Nerei & Achillei, & Stephano tituli. S. Cyriaci in thermis, presbyteris, & Landulfo. S. Angeli Diacono Cardinalibus; de quorum prudentia, experientia, & fidelitate indubitatam fiduciã obtinemus; commiſimus, & mandauimus, ut ipſi cum præfatis Magiſtro & Præceptoribus inquirerent, tam contra ipſos, & alias ſingulares perſonas dicti ordinis generaliter, quàm contra ipſum ordinem ſuper præmiſsis cum diligentia ueritatem, & quidquid ſuper his inuenirent, nobis referre, ac eorum confeſiones, & depoſitiones per manum publicam in ſcriptis redactas, noſtro Apoſtolatui deferre, & præſentare curarent, eiſdem Magiſtro & Præceptoribus abſolutionis beneficium a ſententia excommunicationis, quam pro præmiſsis, ſi uera eſſent, incurrerant, abſolutionem humiliter ac deuotè peterent, ut debebant; iuxta formam Eccleſiæ impenſuri. Qui Cardinales, ad ipſos Magiſtrum, & Præceptores perſonaliter accedentes, eis ſui aduentus cauſam expoſuerunt. Et quoniam ..... perſonæ .... ipſorum, & aliorum Templariorum in Regno Franciæ conſiſtentium, nobis traditæ fuerant, quòd liberè abſque metu cuiuſquam plenè ac purè ſuper præmiſsis omnibus, ipſis Cardinalibus dicerent ueritatem, eis auctoritate Apoſtolica iniunxerunt. Qui Magiſter & Præceptores Franciæ, terræ ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictauiæ, coram ipſis tribus Cardinalibus præſentibus quattuor tabellionibus publicis, & multis alijs bonis uiris, ad ſancta Dei Euangelia, ab eis corporaliter tacta, præſtito iuramento, quòd ſuper præmiſsis omnibus, meram, & plenam dicerent veritatem, coram ipſis ſingulariter liberè ac ſpontè, abſque coactione qualibet, & terrore depoſuerunt, & confeſsi fuerunt, inter cætera, Chriſti abnegationem, & ſpuitionem ſuper Crucem, cum in ordine templi recepti fuerunt: & quidam ex eis ſe ſub eadem forma, ſcilicet, cum abnegatione Chriſti, & ſpuitione ſuper Crucem, fratres multos recepiſſe. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia, & inhoneſta confeſsi, quæ, ut eorum ad præſens parcamus verecundiæ, ſubticemus. Dixerunt præterea, & confeſsi fuerunt eſſe vera, quæ in eorum confeſsionibus, & depoſitionibus continentur, quas dudum fecerant coram Inquiſitore hære

ticæ

tica prauitatis, quæ confeſſiones, & depoſitiones dictorum Magiſtri, & Præceptorum, in ſcripturam publicam, per quattuor tabelliones publicos redactæ, in ipſorum Magiſtri, & Præceptorum, & quorundam aliorum bonorum virorum præſentia, ac deinde interpoſito aliquorum dierum ſpatio, coram ipſis eiſdem lectæ fuerunt, de mandato, & in præſentia Cardinalium prædictorum, & in ſuo vulgari expoſitæ cuilibet eorundem: qui perſeuerantes in illis, eas expreſsè ac ſponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt, & poſt confeſſiones & depoſitiones huiuſmodi ab ipſis Cardinalibus, ab excommunicatione, quam pro præmiſſis incurrerant, abſolutionem, flexis genibus, manibusq. complexis humiliter, & deuotè, ac cũ lacrymarum effuſione non modica, petierunt: Ipſi verò Cardinales; quia Eccleſia non claudit gremium redeunti, ab eiſdem Magiſtro, & Præceptoribus hæreſi abiurata expreſsè, ipſis ſecundum formam Eccleſiæ, auctoritate noſtra, abſolutionis beneficium impenderunt, ac deinde ad noſtram præſentiam redeuntes, confeſſiones, & depoſitiones prælibatorum Magiſtri, & Præceptorum, in ſcripturam publicam, per manus publicas, uti eſt dictum, redactas, nobis præſentauerunt, & quæ cum dictis Magiſtro, & Præceptoribus fecerant, retulerunt: Ex quibus confeſſionibus, & depoſitionibus, ac relatione, inijcimus ſæpe fatos Magiſtrum & fratres in præmiſſis, & circa præmiſſa; licet quoſdam ex eis in pluribus, & alios in paucioribus grauiter deliquiſſent. Verùm quia in vniuerſis mundi partibus, per quas idem ordo diffunditur, & fratres degunt, ipſius, ſuper his non poſſumus inquirere per nos ipſos, fraternitati veſtræ, de quorum circumſpectione ſpecialem fiduciam gerimus, de fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad Aquileienſem ciuitatem, Diœceſim, ac Prouinciam perſonaliter accedatis, & per publicum citationis edictum, per vos faciendum, in locis, in quibus vobis viſum fuerit expedire, vocatis, qui fuerint euocandi, ſuper articulis, quos vobis ſub bulla noſtra incluſos tranſmittimus, ac ſuper alijs, de quibus prudentiæ veſtræ videbitur expedire, inquiratis, ac auctoritate noſtra, contra dictum ordinem, necnon & contra magnum Præceptorem dicti Ordinis, in partibus Lombardiæ conſtitutum, cum diligentia, veritatem, quam ſuper præmiſſis inueneritis, fideliter in ſcriptis publica manu redacta, ſub veſtris ſigillis, ad noſtram præſentiam delaturi, ſeu etiam tranſmiſſuri. Teſtes autem ſi qui a vobis requiſiti, ſeu ammoniti, vel citati, vt ſuper dictis articulis ferant veritati teſtimonium coram vobis, ſi prece, vel pretio gratia, timore, odio, vel amore a ferendo teſtimonio ſe ſubtraxerint, necnon fautores, receptatores, & defenſores prædictorum fratrum, qui a vobis citati, vel vocati, vt præmittitur, coram vobis non comparuerint: eos inſuper qui prædictam veſtram inquiſitionem, directè, vel indirectè, publicè vel occultè, per ſe vel per alium, ſeu alios, vel alias quoquomodo præſumpſerint impedire, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcatis, inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis. Quòd ſi non omnes, his exequendis, potueritis intereſſe, tres, aut duo, ſeu vnus veſtrum ea nihilominus exequatur. Datum Pictauis. II. Id. Auguſti, Pontificatus noſtri anno Tertio. Eodem hoc anno: Alteclara, Saladini Honeſti, ciuis Rauennatis filia, uxor Rainaldi Comitis Carpigni, Ramberti filii, hæreditatem omnem, & quodcumq. Saladini patris ius eſſet, & Vincentii aui, cuius ex ſemine Saladinus filius fuerat hæres, Rainaldo Archiepiſcopo vendidit: Numerantur autẽ, Opidi Taibi, quod eſt in agro Bobiano, Saſſinatis Diœceſis, pars vna, atque item altera, quæ fuerat Alberici Saraceni, & ius Caualcacontis ſpectauerat: Hæc autem indiuiſa, cum

ipſo

ipſo Archiepiſcopo, & Eccleſiæ Rauennate, & Ioanne Duce, atque Honeſtino, fratribus ex Honeſtorum familia poſſederant: Ad hæc ius quod erat illi in molis frumentariis, & aqua amnis Sapis: prædia item & ſyluæ: opidi etiam Muſtri pars, & eius, ut aiunt, curtis, eodem in agro, cum Archiepiſcopo, & Eccleſia Rauennate, & conſortibus, indiuiſa. Sub id tempus cum Petrum Zuffum, Clugienſes, Rauennam Legatum miſiſſent, qui cum Rauennatibus conquereretur, de Cymaclienſibus exulibus, qui ubi Clugienſium, quas conductas habebant in Cymaclienſi; paludes, damno affeciſſent, Rauennæ reciperentur, in Senatum is: credentiæ uocatum, admiſſus, rem omnem expoſuit. Ceterum ne temere, atque inconſideratè illis reſponderetur, ad extremum menſem Decembrem, Lamberti Polentani Prætoris Rauennatis, & Petri Pungetti Fauentini, Iudicis, & Vicarii eius iuſſu, in cauadium Prætorii Reipubl. Rauennatis, ii conuenere. Guido Polentanus, alterius Lamberti iam demortui filius, Guido nouellus, Atto Polentanus, Albertutius, & Vgutio Berardenghi, Guido Gezzus, milites: Vgulinus Buccolus, Nicolaus Bondus Iudices: Artuſius, Signorellus Signorellius, Melchiſedech Lambardanus, Ioannes Chriſtianus, & Guido Raualdus: è quorum tandem ſententia, ita reſponſum eſt, Rauennates magna Clugienſes beneuolentia, proſequi, & cariſſimorum fratrum loco habuiſſe, ægrè ferre quæcumque damna, quaſcumque iniurias illi acciperent, eorum id uoluntate nequaquam fieri. Quæ nuper illata damna fuiſſent, ea curaturos, ut ſtatim reſarcirentur: de antiquioribus, quæ Donatus eorum item Legatus conqueſtus antea fuerat, nihil ſe certi, ſed neque uериſimilis comperiſſe, tametſi dari eos in quæſtionem curaſſent, quorum Donatus propoſuerat nomina. In poſterum ne damni quidquam inferatur, acerrima in eos, qui ſecus agerent, pœna propoſita; curataros: & ut aliis eſſent exemplo, quos inueniſſent, in eos grauiſſimè animaduerſuros. Verum, eſſe quod & Rauennates de Clugienſibus quærantur, quòd ab iis, qui occupant Cymaclum per uim, paludes ad piſcandum, contra Rempubl. Rauennatem conducant: quod iis ipſi ſe rebus immiſceant, nihil eſſe: neque deinde conquerendum, ſi quid eis aduerſi; cum Cymaclum recuperabitur; ſua culpa acciderit. Hoc reſponſo, reſtitutis nuper illatis damnis, Legatus Clugienſium dimiſſus eſt. Neapoleo Cardinalis Legatus, Rainaldo dedit Rauennati Archiepiſcopo, per litteras Cortonæ. XVI. kal. Ian. ſcriptas, ut religioſos uiros, Ciſtertienſes S. Benedicti, uel S. Auguſtini, aut quorumlibet aliorum ordinum, intra Legationis ſuæ terminos, præficere aliis cœnobiis, templisq. ipſorum ſuorum ordinum poſſet. Tuſciam hoc anno inuiſerat Neapoleo, Legationi ſuæ creditam, ſed feliciore nequaquam euentu, quam Bononiæ fuiſſet: Eum Florentini, Aretii obſederant, Fridericumq. Monteſeltrium ac Foroliuianos, ſubſidio illi accurrentes, propè Molinuecium Cæſenates, Ariminenſesq. fuerant aggreſſi, irrito licet nixu: Nam & opem Legato attulerunt, & Florentini deinde, ne pleriq. ciues vrbem Neapoleoni traderent, ueriti, caſtra ex Aretino deduxere. Tametſi Foroliuianis inde maior cum Ariminenſibus, Cæſenatibusq. fuit contentio: nam Britonoriani Foroliuianis fœderati Montem Saracenum opidum, quod tenebant Cæſenates, ceperunt, combuſſeruntque: Malateſtinus Malateſta cum cohortibus Ariminenſibus, Vbertus è Glazolo, Cæſenæ Prætor, cum Cæſenatibus, contulere ſe paulo poſt

Britonorium,

Britonoriũ,quòd occupare opidũ,Albergutio Mainardo prodente,ſperarent: iamq.habuerant omnem Mainardorum partem,cum aduenientibus Scarpetta Ordelafo Præfecto Forliuii,& Zapitino Vbertino,cũ Foroliuianis copiis,quam quam inito prœlio deſiderarunt ex ſuis quinque & uiginti , tamen & hoſtes in opidum reiecerunt,& tandem ad deditionem impulerunt,multis captiuis Forliuium abductis. Bononienſes ut Guidoni Ram. Bernardino Coſpario , Bernardino è Cunio , & Comiti Guidoni è Valbona ſatisfacerent , ad opidum Lugum muniendum , equites ducentos miſere. Sub id tempus , abſentia Pontificis illecti, Abertoque Cæſare , ab Ioanne fratris filio , interfecto, omnes ferè Galliæ Ciſalpinæ ciuitates , dominos ſibi eos delegerunt , quos antea Præfectos habuerant:in quibus Scaligeri, Veronæ fuerunt: Paſſerini,Mantuæ: Carrarii, Patauii. Bernardinus quoque Polentanus,ex Prætore Ceruienſi,eius ſe ciuitatis Dominum facit, Lambertus frater , cum in Rauennati multa excoleret , a Matthæo Ceruienſi Epiſcopo , emphyteutico iure , locum omnem illum accepit , ubi ad Sapim amnem , hoſpitium extabat , iuxta D. Geruaſii : ad hæc adiunctum eſt etiam , quidquid a uado cognomento Buccamezo, ad portum Sapis pertinet, ipſamque ſacram Diuorum Geruaſii, & Protaſii ædem : neque id Lamberto ſolum , ſed & Bernardino Lamberti fratri , & Attoni , Guidoni , Hieremiæ , & Rainaldo , fratribus , Hoſtaſii paulo ante mortui filiis , datum uoluit : quòd ipſi Polentani auxilio fuerint Epiſcopo , ad ea bona recuperanda , eaque illorum extrahenda manibus , qui perperam , & ingenti Ceruienſis Eccleſiæ damno , exiguisque admodum penſionibus , & familia , cui tradita ſuperioribus ſæculis fuerant , iam ad interitum redacta ; illa occupauerant : quemadmodum iis tabulis publicis conſtat , quæ anno MCCCVIII. Quarto Non. Ianuar. in D. Apollinaris Claſſenſis, confectæ fuerunt. Cum autem de Templariis iam agi in Italia eſſet cœptum , Otho Mediolanenſis, ordinis Dominicani , Quæſitor in hæreticos , in Gallia Ciſalpina , Marchia , & Genua, Lunato Bazzano præcepit , & Vgoni Garilio, pœna Eccleſiaſticæ deteſtationis , niſi parerent , propoſita , ut Ioannem Bazanum , Petrum Garilium , Manfredum è Vitreo , fratres Templarios in conſpectum Coſpadi è Cata, Caſalis Prætoris producerent : aderat tum Vbertinus Dominicani item ordinis cucullatus , Andreæ Comitis Frix. filius : eodemque die præſentes , tamquam in manum dati ſunt ; Franciſco Corrigiario ſpectante: In Flaminia,tranquilla tandem ſunt reddita hoc anno omnia : poſtquam enim Comes Fridericus Præfectus , & Scarpetta Ordelaſus cum ForoCornelianis, Fauentinis, & Foroliuienſibus Cæſenatem agrum decurſionibus per equites , peditesq. uaſtauerat:& Cunii Comes,Franciſcus Manfredus,& filius Guidonis Raulis,Fauentini , quaſi furtim Comitibus è Romena , & ſociis , Bagnacauallum ademerant , occupabantque , tandem Octauo kal. Septembr. inter Bononienſes, Ariminenſesq. & Cæſenates ex vna,& Forliuienſes,Fauentinos, ForoCornelianos , Britonorianosque ex altera , dimiſſis utrinque captiuis , concordia conciliatur; Arnaldi, puto , Pelagruæ,quem & Pelaguram uocant, S.Mariæ in porticu Diaconi Cardinalis,opera , quem Legatum Clemens Pontifex Bononiam miſerat , illiq. paucis ante diebus Rainaldus Archiepiſcopus , ſacratiq. ANN. M. CCCVIII.

uiri Rauennates, florenos quingentos ſeptuaginta quinque huius anni ſtipendium, uocabant procurationem, perſoluerant. Lambertus Polentanus muniendæ Rauennæ maximè intentus, per hoſce dies Rauennæ Arnuſium Clementis Pontificis Max. internuncium, & cum eo Arnaldum Cardinalem, Legatum, Degumq. Dalmaſium cum ala equitum excepit. Cauſa horum aduentus, diſſidium fuerat Eſtenſium fratrum, de Ferrarienſi inter ſe dominatu acerbè diſceptantium, quorum plerique Venetos introduxerant. Reddiderant autem internuncii, Lamberto, Clementis Pontificis litteras, quarum hæc erat inſcriptio. *Clemens Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Lamberto de Polenta, Poteſtati Rauennæ, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem*. Poſtquam autem fidem Lamberti, multis ſibi teſtibus probatam laudauit, Ferrarienſem illi magnopere cauſam, internunciosq. ſuos commendat, dolere ſe Ferrarienſium uicem aſſerens, qui uario dominatu miſerè acti, innumeris calamitatibus afficerentur. Vbi autem Ferrarienſibus paterna omnia officia prolixè pollicitus eſt, ac detulit, ipſum Lambertum in extrema pagella appellans, *Nobilitatem*, inquit, *tuam rogamus, & hortamur attentè, quatenus attendens prouidè, quanta non ſolum illorum prauis actibus, qui Ferrarienſes prædictos hactenus ſubiugarunt, ut præmittitur, emerſerunt diſcrimina, inſurrexerunt ſcandala ...... ritas procuratur præfatis Nuncijs noſtris, in his, quæ ad huiuſmodi negocij proſecutionem pertinuerint, pro Diuino Apoſtolicæ ſedis ...... ex parte ipſorum requiſitus fueris, fauoribus & conſilijs promptis aſsiſtas. Nos enim, qui eiuſmodi negocium ſollicitis ſtudijs ... ... ſupradictæ, eò amplius gratioſa nobis exiſtent, tuosq. honores, & commoda efficacius amplectemur, quò ſpecialius negocium ipſum ad honorem Dei, exaltationem Eccleſiæ, ac bonum, & quietum ſtatum dictorum Ferrarienſium, & circumpoſitæ regionis, finem ſortietur optatum: ſic te..... Eccleſiæ deuotum, & ſollicitum reperiſſe filium gratuletur, tuque, præter ipſius Eccleſiæ gratiam, Diuinæ retributionis premia merearis*. Cum autem Franciſcus Eſtenſis, Azzonis filius, ab Friſco fratre, nequaquam iuſto, & legitimo concubitu nato, dominatu Ferrarienſi excluſus, Rauennam quoque ueniſſet, congreſſu cum Polentano, & ceteris primo, decretum eſt, ut ſubſidiis undique coactis, Friſcus principatu pelleretur. Itaque Lambertus, & vnà ſecum Bernardinus frater comparata magna Rauennatum, & Ceruienſium manu, adiunctis item aliquot Bononienſibus, & exulibus Ferrarienſibus, Patauinisq. vrbem terra, ac flumine obſedit: & tertio Non. Octobr. nocte, reliquis non ſentientibus, ingreſſus eam Bernardinus, capit: qui honoris ergo, in Prætorium deductus, ipſius Rector ciuitatis in quinquennium declaratus eſt: quamquam is abiit octauo poſt die, Lambertus ad trigeſimum ferè diem remanſit: Cum interea Veneti, quos Friſcus in arcem eius vrbis, Thebaldi appellatam introduxerat, baliſtis, ſagittisq. & inſtrumentis aliis militaribus; uocabant manganos, & trabuchos; oppugnare vrbem uexareq. aſſidue non deſiſterent. Miſit ob id, Arnaldi Cardinalis Legati iuſſu, Rainaldus Archiepiſcopus Rauennas, Ferrariæ præſidio, per duos menſes, milites quinquaginta: cuius rei teſtes Arnaldi litteræ XVII. kal. Nouembr. Bononiæ ſcriptæ adhuc extant, quibus Rainaldo concedit, ut exigere ob id a ſubiunctis ſibi Epiſcopis, Antiſtitibusq. florenos ducentos quinquaginta; hoc modo poſſit, ut ſolueret Archiepiſcopus ipſe, eiusque ſacrati uiri florenos uiginti nouem

totidem Epiſcopus Bononienſis. Mutinenſis, vndecim: Regienſis, viginti: Parmenſis uigintiquinque: Foropompilianus, decem: ForoCornelianus Tredecim: Foroliuianus, decem: Cæſenas, quinque: Ceruienſis, vnum: Saſſinas, duodecim: Hadrianus, vndecim: Cymaclienſis, duos: Ariminenſis, ſeptemdecim: Feretranus, decem: Abbas Nonantulanus, quattuor: totidem Galliatenſis: Pompoſianus, ſex: Archipresbyter Balnei, quinque: aliquot deinde additis ſolidis, quæ eam ſummam conficerent: atque id etiam, quia equos emere, militibus eo in præſidio mortuos, neceſſe eſſet. Neque uerò hæc ſolum Rainaldo Archiepiſcopo, Arnaldus Legatus imperauit, ſed; quòd ita per litteras a Clemente Pontifice ſibi impoſitum oſtenderet; iniunxit, ut cruce inſignirentur ii, qui arma in Venetos caperent, Thebaldi arcem occupantes: nam paulo ante, Ferrarienſes, Friſco pulſo, fidem obſtrinxiſſe, ſacramentumq. dixiſſe, Romanæ Eccleſiæ, nomine, apud Arnaldum Abbatem cœnobii Tutelenſis, Lemouicenſis Diœceſis, & Onuphrium Trebbum, Meldenſem Decanum, Pontificios internuncios, Ferrariam hac de cauſa miſſos. Verum Dux, Conſilium, & Commune Venetiarum; ita.n. Pontificiis ſcribitur litteris; poſt innumeras clades, poſt incendia, arcē ipſam per Ioannem Superantium, Venetiarum copiarum Ductorem occupaſſe, Pontificiis internunciis, in Ferrarienſi Prætorio; quia ſic Ferrarienſes ipſi ciues uellent, peterentque; benedictionis ob id filii, a Pontifice, in litteris, vnde hæc accepimus, uocati; adhuc commorantibus. Itaq. ſe, quamquam cum magna animi moleſtia, tamen & Cardinalium conſilio, & ſua ipſius conſcientia adductum, ut arcem recuperaret, ad illos monendos fuiſſe, & poſtquam monita & hortatus ſpreuerant, cum Cruce ſignatis perſequendos. Hæc Pontifex: quæ diuulgare in ſua Diœceſi, ac Prouincia Rainaldum Archiepiſcopum, efficereq. Arnaldus Legatus iuſſit. Sed Rauennates milites, Ferrarienſesq. ciues, & Bononienſium, quæ aduenerant auxilia, cum moleſtiis continentibus Venetorum reſiſtere ſe amplius nequaquam poſſe cernerent, vrbem Ferrariam. V. Kal. Decembr. Venetis liberè dimiſerunt: ea condicione, ut Præturam Veneti gererent, Pontificii reliqua adminiſtrarent, ipſaque eſſet in Pontificis ditione ciuitas: quod teſtantur Arnaldi Abbatis Tutellenſis, Onuphriiq. Trebbi Meldenſis Decani, Pontificiorum internunciorum litteræ ad Rainaldum Rauennatem Archiepiſcopum. X V. kal. Martii, Pontificatus Clementis V. anno quarto Ferrariæ ſcriptæ, quibus Rainaldo, & ſubiunctis Epiſcopis, a kal. Martii proximè futuris, ad kal. Septembr. procurationis nomine, tributum florenorum centum imponunt: *cum*, inquiunt, *occaſione negociorum Ferrariæ multæ expenſæ neceſſariæ nobis fuerint*. Tum aliqua tranquillitatis uiſa eſt, ea in vrbe ſpecies, quæ tamen parum perſtitit, Ferrarienſibus arma expedientibus in Venetos pleroſque milites, qui Taruiſium abeuntes, furtum Ferrariæ fecerant. Itaque cum ex arce Veneti, vrbem oppugnarent, denuò bellum menſe Aprili inſtauratum, Polentaniq. ſtatim cum Rauennatibus, ſubſidio Ferrarienſibus accurrere: quod & a Bononienſibus factum eſt: Arnaldusque Cardinalis Legatus nouum in ſumptus neceſſarios Ferrariæ præſertim tuendæ, tributum Rauennati Archiepiſcopo, eiusq. Prouinciæ, quos diximus Antiſtitibus, impoſuit, quod florenorum octingentorum ſummam attingebat. Habebat autem florenus, Bononienſes

ANN. M. CCCIX.

ſolidos quadraginta. Bernardinus Polentanus Præturam, ac Præfecturā Cæſenatem IIII. Non. Iunii accepit: cū pridie, hora cœnæ, populari ea in vrbe excitato tumultu, plurimis vndiq. arma, & Gibellinis mortē inclamantibus, Glazoli Comes, Prætor, Præfectusq. ciuitatis, è Prætorio, quaſi ſemiuiuus, ut qui paſſus diu fuerat, deſcendiſſet, conſcenſoq. equo, magna uirtute, ſeſe tumultum cientibus obieciſſet. Sed in facie accepto uulnere, & de equo deiectus, uix in Prætorium eſt reductus, vnde paulo poſt in ædes Ioannis Fantini ſeceſſit. Itaque & ea nocte vrbem intrauit Thedericus è Galiſidio cum filiis, & ſummo mane Polentanus Prætorium ingreditur, & Præturam, Præfecturamq. iniit. Gerardus Mazolinus, & reliqui comitis aſſeclæ vrbe pulſi: multi ſaucii, pleriq. uulnerati. Poſtridie, comes ipſe quoq. a meridie, abiit. Cū autem iam bellū cum Venetis Ferrariæ ſatis arderet, & partes quiſq. ſuas, ex Pontificiis Ducibus optimè ageret, Lambertus Polentanus, cū Rauennatibus, ceterisq. quos adduxerat Flaminiis, traiecto Pado ad Gaibanam, magnum attulit Venetis incommodum: tandem initum in Pado, prœlium eſt, menſe Auguſto, in quo, præter illorum cadauera, quæ Pado ſubmerſa ſunt, circiter mille octingenti ac quinquaginta, ex Venetis, interiere. Qua tam celebri parta uictoria, recepta arce Thebaldi, vrbeq. Ferraria externo omni dominatu liberata, Lambertus Polentanus cum uniuerſa claſſe; caſtellum Marcaboum; quod Veneti denuò occupauerant, expugnauit, & incendio in illud excitato, tandem ſolo æquauit, cum intra menſtruū ſpatium opidani ſeſe dedidiſſent, ſic, ut abire, permanereve, ex animi ſententia incolumibus liceret. Hinc per aliquot deinde annos inter Rauennates, & Venetos diſſidia. Cymaclienſes ad uictoriam inclinantes, conuentu habito in uia publicā, præ ponte Euripi Cymacli, denuò ſubiici Rauennatibus decernunt: miſſoq. Rauennam Tiſino, ab Rauennatibus recipiuntur legibus iis, ut quotannis decimo ante D. Vitalis feſtum die, brauium Rauennam ferrent, quo ſe ſignficarent ſubiectos, in perpetuumq. Prætores è Rauennatibus ciuibus haberent. Quieſcentibus per hunc modum rebus, Rainaldus Archiepiſcopus, Templarii negocii, ſuiq. muneris non oblitus, Prouinciale Concilium indixit, cum & Clemens Pontifex generale, atque Oecumenicum indixiſſet. Itaque VI. Id. Octobr. Cæſenæ in Epiſcopio, coactis in Synodum Antiſtitibus, Rectoribusq. & ſacratis aliis uiris ciuitatis, Diœceſisq. Cæſenatis, Leonardi Epiſcopi, Cæſenatis iuſſu, cum ipſe ad Synodum Epiſcopus retuliſſet, Clementem Pontificem, decreuiſſe generale eo tempore habendum Concilium, mandaſſeque ut Archiepiſcopus Rauennas, unà cum Fauentino, Mutinenſi, & Parmenſi Epiſcopis, ad illud accederet, reliqui eiuſdem Rauennatis Prouinciæ Antiſtites eò procuratores mitterent. Rainaldum Archiepiſcopum, omnes Prouinciæ ſuæ Antiſtites, per litteras iuſſiſſe, Synodos Diœceſanas habere ad confirmandos mores, & nihilominus, Diœceſani ipſi Concilio Prouinciali a Rainaldo interim celebrando intereſſent, communi cū ſuis ſacratis uiris conſilio, elegit Vbertum Rectorem S. Crucis Cæſenatis Canonicæ Portuenſi, ita in iis tabulis ſcribitur; ſubiectæ, Realem Canonicum Cæſenatem, & Bartolinum Archipresbyterum plebis S. Mariæ montis Regalis, qui eorum nomine Prouinciali Concilio intereſſent. Idem coactis Rodigii ſacratis ſuis uiris, Fr. Ioannes Epiſcopus Hadrianus, idem reliqui complures, fecerunt. Qnibus conuenientibus, Bononiæ habita Synodo, ut iudicium

legitimo iure faceret, Rainaldus Archiepiſcopus, ſtudioſe in Templarios cepit inquirere. Itaque poſtero anno, ipſius, & Fr.Ioannis Piſani Archiepiſcopi, curatorum, & adminiſtratorum omnium bonorum ordinis militiæ templi Hieroſolymitani, procuratores, & domos eorum, & prædia locabant, & pecuniam inde pro Eccleſia Romanâ, accipiebant: Quod idem ius Quæſitoribus in hæreticos etiam erat. Curarunt Pontificias hac de re litteras omni Gallia Ciſalpina, Tuſcia, atque Iſtria diuulgari: quod kal. Mart. Bartolinum Puteum Archidiaconum maximi templi Alexandrini, in ſacra æde maxima D. Petri Alexandriæ ſacratis uiris, nobilibusq. popularibus admodum multis ſpectantibus feciſſe, eius, quæ adhuc extant, litteræ, teſtantur. Contrà Rainaldus, eiusque Vicarius, Bonincontrus Archipresbyter Mutinenſis amanter complexi ſunt fratres templi ſanctæ domus S. Mariæ Bethlehemitanæ, qui eius priuilegia templi, in ſacris ædibus Rauennatis ciuitatis, ac Diœceſis, palam recitare optabant, eamq. ob rem Rauennam cum mandatis Pontificiis uenerant: hortatus eſt autem etiam, atque etiam Bonincontrus populum, ut illos & benignè audirent, & quibuſcumq. rebus poſſent, iuuarent, quando ipſi aduerſus Saracenos, pro Catholica fide, contenderent. Non defuere tàmen aliqui, hoc etiam anno, bellici in Flaminia tumultus: Nam Veneti ne Marchaboum ſolo a Polentanis æquatũ, inultum paterentur, Sanctum Albertum; qui Rauennatium ad Padum uicus eſt; incendio cremarunt, nauesq. Ferrarienſes aliquot, eo impetu, a militibus demerſæ ſunt, onuſtæ Germanis, religionis cauſa, Rauennam, mox Romam abeuntibus. Fauentiæ Sinibaldus Ordelafus Foroliuienſis, & Bartolus Acariſius Fauentinus, Prætorem ciuitati datum a Raimundo Attonis è Aſpello, huius Prouinciæ Comite, aggreſſi, XVII. kal. Iulii, eiecerunt ex vrbe, aliquibus eius familiaribus obtruncatis: eamq. ciuitatem Eccleſiæ Romanæ ademerunt. Quam indignitatem Clemens Pontifex nequaquam ſibi ferendam ratus, hanc Prouinciam Roberto Regi Neapolis, quẽ Auenioni eius Regni corona decorauerat, adminiſtrandam tradidit: Is Vicariũ in Flaminiam ſuum miſit Nicolaum Caratiolum Neapolitanum. Per idem tempus, cum Henricus Cæſar, Alberto ſuffectus, Ciſalpinarum diſſenſionum, Mediolanenſium præſertim, periti ſſimus, Regniq. propagandi cupidus, in Galliam Ciſalpinam deſcendiſſet, familiariſſimo ſemper, grauiſſimoq. Senatore uſus eſt Rainaldo Archiepiſcopo: cuius etiam, aliorumq. prætereà Senatorum cõſilio, cum eſſet Aſtæ Coloniæ, omnes Ciſalpinarum ciuitatum exules, in patriam quemq. ſuam, reuocauit. Nec diu poſt, cum Cremonam obſidione premeret, ipſiq. parum ad obſidionem ferendam muniti Cremonenſes eſſent, Rainaldi Archiepiſcopi ope, atque opera, certis pactis, tributi pendendi, condicionibus, vrbem ultro dederunt. Henricus autem Cæſar, murorum vrbis diruendorum, demoliendæq. arcis prouinciam, Rainaldo mandauit: uti prodidit etiam memoriæ, actorum Henrici ſcriptor Corradus Vecerius. Tametſi non ita multò poſt, mutata ſententia, omnẽ ferè Italiam perturbauerit, & Robertum Neapolis Regem, pronunciato publicè edicto, Regno priuauerit. Nicolaus Carratiolus Prouinciã Octobri menſe ingreſſus, cõciliandis inter ſe Prouincialiũ animis maximè ſtuduit: profectusq. Aureolum. V. Id. Nouembr. pacẽ ibi inter Comitẽ Rogeriũ, Guidonẽ Raulis, Guidonem è Glauzano, & Franciſcum Manfredum ex vna parte, & Scarpettã ANN. M. CCCX.

Ordelaſum ex altera, fecit: Poſtridie abiit Fauentiam, inde Forliuium redu-ctisq. in patriam exulibus, eas ciuitates, magna omniū hilaritate, pacauit. Cæſenæ a Bernardino Polētano Præfecto honorifice exceptus eſt, cum ibidē adeſſet etiam Rainaldus Archiepiſcopus. Cuius litteræ extant ex ea vrbe die feſto D. Catherinæ, ad Dominicani; Franciſcaniq. ordinis Quæſitores in Rauennati Prouincia datæ, quibus ſcribit, cum Clemens Pontifex decreuiſſet, de Cardinalium ſententia generale Concilium habendum, ad eiuſque, & eorum quæ tractari in eo debebant, præparationem, mandauiſſet per ſingulas Prouincias Chriſti fidelium Concilia Prouincialia celebrari, in quibus uoluit inquiſitiones in ſingulos Templarios fratres examinari, & perfici, uocatis etiam, ſi intereſſe uoluerint, Quæſitoribus, ſe, ne a Pontificiarum litterarum præſcripto diſcedat, Octauo ab Epiphania Domini die, in Rauennati ſacra æde, Prouinciale Concilium habiturum, eosq. ob id monere, ut conuenire eò uellent, quæque de Templaribus per quæſtionem nouiſſent, afferre. Interea de pace inter Cæſenates agebatur, tandemq. conuenit Idibus Decembris, quo die Gerardus Mazolinus, Ioannes Azardus, eorumque factionis ceteri, qui exulabant, in patriam reſtituuntur. Parcitati etiam Ariminum reuocati. Hoc anno Berengarius Cardinalis, Epiſcopus Tuſculanus, Rainaldo Archiepiſcopo Rauennati, Pontificis auctoritate, iuſſuq. mandauit, ut Venetos interdicto, quo fuerant ob Ferrariam oppugnatam notati, liberaret. Rainaldus Polentanus, ex Cantore Rauennatis Eccleſiæ, Canonicorum, uti diximus, ordo hic eſt, Archidiaconus eſt factus. Hoc interim ſpatio, cum aduentaret Concilii Prouincialis tēpus, magnam Antiſtites Rauēnatis Prouinciæ diligentiam adhibebant, ut ſe ad illud pararent, in quo ea eſſent, de Templaribus potiſſimum, tractanda, quæ maximè curaret Pontifex, & ad generale Concilium referrentur. Itaque nouo ineunte anno. VII. Id. Ianuarii, Vgo Abbas. S. Proculi Bononienſis, Franciſcus Abbas S. Felicis, Altichinus Prior SS. Victoris, & Ioannis in monte, Ioannes Prior S. Michaelis in nemore, Michael Prior S. Barbatiani, Iacobus Præpoſitus Conſortii; ita enim aiunt; S. Petri, Bittinus Præpoſitus Conſortii S. Stephani, Gregorius Archipresbyter Plebis Pōticulanæ, Guido Prior S. Bartholomæi portæ Rauennatis, Vgolinus ordinis hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, cum Bonacurſio Abbate SS. Stephani Bononienſis, & Bartholomæi è Muſiliano, Ioanne priore S. Mariæ Rhenanæ & S. Saluatoris Bononienſis, & Paſquale Abbate S... de Opleta Bononienſis Diœceſis, fecerunt Bartholomæum Archipresbyterum Bononienſem, pro iis, qui immunes non eſſent, & Venturam Priorem Præfectum S. Damiani Bononienſis, pro immunibus; Syndicos, qui ſacratorum uirorum Bononienſium nomine, ſe Rainaldo Archiepiſcopo, in Concilio Prouinciali, aut ubicumq. iuberet, ſiſterent. Poſtridie eius diei eadem de cauſa, in rure Milliarino, Rector templi S. Vitalis è Maſſa Fiſcalia, qui & Archipresbyter, Rector S. Crucis è Milliarino. S. Martini. S. Laurentii. S. Bartholomei. S. Margaritæ; Canonicus S. Petri è Maſſa noua Fiſcalia Ceruienſis Diœceſis, Gerardum Canonicum ipſius templi S. Petri ſyndicum eorum fecerunt, qui vnà cum Matthæo Ceruienſi Epiſcopo, ad Concilium Rauennam accederet. Ita Bonus Abbas D. Mariæ Vrani, Britonorianus, coacto monachorum conuentu, Bonū monachum procuratorem, eodē die fecit. Mutinæ, Quarto kal. Februar.

cum

cum Epiſcopatus,ob Bonadani Epiſcopi interitũ, uacaret, Bonincontrus Archipresbyter,Iacobus Sataccnus, & Bernabos Boſchettus Canonici;cũ plures ea in vrbe non reſiderent;conuenere:&Epiſcopalis aulæ & choti,Guidonẽ Rectorẽ tẽpli S.Pancratii è Fredo Diœceſis Mutinenſis,eorũ Procuratorem,Vicariumq. fecerunt,ad ea accipienda,quæ in Prouinciali Synodo decernerentur.Aduenete interea F.Iacobi Epiſcopi Dertonenſis.IIII.Id.Febr.ſcriptæ ad Rainaldum Archiepiſcopum litteræ,per quas purgabat ſe illi,de eius internunciis, quos ob Templariorum cauſam illuc profectos, non uidiſſet: ſe fauere Tẽplariis fratribus nequaquam velle;neque ex eis ullũ, cuiquam ex familiaribus ſuis fuiſſe cõmẽdatum: Tametſi pro ea, quæ illi,in aula Romana,interceſſerat cum fratre Moro conſuetudine, in familia ſua Mori fratrem Germanum, domi, aleret, Dertonenſem Templariorum domum ab internunciis Rainaldi, ipſo inſciente, abſenteq. Iacobo, fuiſſe Præpoſito Papienſi commendatam: tandem ſe, quæcumque Rainaldus imperaſſet, factum. Acceſſere ad has litteras, alteræ Roberti Regis, quæ Epiſcoporum Rauennati Eccleſiæ ſubiunctorum cõfirmarunt plurimum animos: Fuerunt autem hæ. *Robertus Dei Gratia Rex Hieruſalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ Prouinciæ, & Forqualquerij, ac Pedemontis Comes, Prouinciæ Romandiolæ, & Comitatus Britonorij Rector per ſanctam Romanam Eccleſiam conſtitutus, Nicolao Carrazzolo de Capua, militi, præſenti in eiſdem Prouincia, & Comitatu Vicario, Mareſcalo noſtro magiſtro, Cambellano, Conſiliario, & familiari, alijsq. ſuis in eodem Vicariæ officio ſucceſſoribus, fidelibus ſuis, gratiam ſuam, & bonam uoluntatem. Debentes Deo gratias de uniuerſis beneficijs, quibus nos in Regalis praeminentiæ dignitatis extollit, dignè facimus, ſi Eccleſias, earumq. bona, & iura, Diuinis dedicata ſeruitijs, & manu tenere, & augere, cum poſſumus, procuramus. Ad factam itaq. nobis litteratoria ſupplicationis inſtantiam, per uenerabiles Patres, R. Archiepiſcopum Rauen. V. Bononien. M. Fanen. M. Imolen. P. Comaclen. M. Geruien. P. Foropompilien. Epiſcopos, & procuratores ſuffraganeorum Epiſcoporum Eccleſiæ Rauennæ, totiusq. Cleri eiuſdem Eccleſiæ, & Prouinciæ Rauennatis, & deuotos noſtros, fidelitati ueſtræ diſtrictè præcipimus, & expreſſe mandamus, quatenus prænominatis Archiepiſcopis, Epiſcopis, ceteriſq ſuffraganeis Epiſcopis, & Prælatis, Capitulis, Collegijs, Conuentibus, miniſtris, & procuratoribus eorum, ac omnibus, ſingularibusq. perſonis Eccleſiaſticis iam dictæ Eccleſiæ, ac Prouinciæ Rauennatis, libertates, immunitates, priuilegia, honores, bona, & iura, quæ ipſis, ac prædeceſſoribus, & Eccleſiis eorumdem, per ſummos, qui fuerunt Eccleſiæ Romanæ, Pontifices, & Catholicos Principes alios, cõceſſa noſcuntur, & in quorum ab hactenus, uſq. ad tempus noſtri, in prædictis Prouincia, & Comitatu, regiminis, poſſeſsione, ſeu quaſi, manuteneatis, & iuſti fauoris præſidio defendatis. Et quia circa reſtitutionem certorum Eccleſiaſticorum bonorum & iurium, Eccleſiæ, & perſonis faciendam præfatis, quorum poſſeſsione ſe aſſerunt deſtitutas, aliquid ſupplicatio tetigit antedicta, uolumus, & mandamus, ut tu præſens, præfate Vicarie, cum debita diligentia, ſcire, & inquirere ſtudeas, quæ ſint huiuſmodi bona, & iura, taliter poſtulata reſtitui, & a cuius temporis ſpatio, eorum poſſeſsione iam dicta Eccleſiæ, & perſonæ ſpoliatæ fuerunt, quive ad præſens ſint poſſeſſores eorum, & de circumſtantijs alijs opportunis, nobis inde relationem per tuas facturus litteras ſeriosè, ut ſuper hoc poſsimus, prout iuſtum, & congruum fuerit, prouidere: præſentibus poſt opportunam inſpectionem, earum remanentibus præſentanti: Dat.* Nea-

Neapoli, per Bartholomeum de Capua, militem, Logothetam, & Protonotarium Regni Siciliæ, anno domini MCCCXI. die XXIII. Febr. nona Indictio. Regnorum noſtrorum anno II. Per idem tempus Concilium Prouinciale habitum Rauennæ eſt, in quo de negocio Templariorum actum eſt diligentiſſimè, & quæ faciebant ad morum conformationem, & Catholicam fidem, decreta. Ceterùm quoniam reſtabant adhuc nonnulla, neque fuerant abſoluta omnia, Rainaldus, in proximas kal. Iunias, aliud Concilium Bononiam indixit: quò omnes conuenirent, Templarii præſertim fratres Prouinciæ Rauennatis, ut audirent ſententiam, quam de ipſis Concilium ferret. Mox; prudentibus etiam conſulentibus uiris; eum Concilii diem ad XVII. kal. Iulias reiecit, locoque item mutato, Rauennæ in Vrſiano templo habendum decreuit. Leguntur adhuc Rainaldi hac de re litteræ, Argentæ X. kal. Iunii ſcriptæ: quarum hæc inſcriptio eſt. *Rainaldus permiſſione Diuina, & Apoſtolicæ ſedis gratia S. Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Inquiſitor contra ſingulares perſonas, & ordinem militiæ tẽpli Hieroſolymitani, in Lombardia, Tuſcia, Marchia Taruiſina, & Hiſtriæ terris, & partibus, a ſede Apoſtolica deputatus, Venerabilibus in Chriſto Patribus, & Dominis, Dei gratia Epiſcopis ..... Sanctæ Rauennatis Eccleſiæ ſuffraganeis, Electis, Abbatibus, Prioribus, Diaconis, Archipresbyteris, Archidiaconis, Capitulis Cathedralium, & aliarum Eccleſiarum conuentualium, & collegiatarum, Rauennati Eccleſiæ ſubditis, ſalutem & ſinceram in Domino charitatem.* monet autem, mandatque, ut quos in eorum diœceſi Templarios haberent, diligenti eos adhibita cuſtodia, adducerent: Petrus Cymaclienſis Epiſcopus, quòd ægrotaret, Armanninũ Ghisleriũ Bononienſem, è Dominicana familia fratrem, ſuum, Eccleſiæq. ſuæ procuratorem. VII. Idus Iunii, fecit, qui Concilio intereſſet. Pari ſtudio, poſtridie eius diei a Papiniano Epiſcopo Parmẽſi, Anſelmo S. Ioannis Parmenſis Abbate, Bernardino Arimundo, Bonifacio Arena Canonicis Parmenſibus, Iacobo Abbate cœnobii Brixilli, Parmenſis Diœceſis, & Harmanno Præpoſito Parmenſi, procuratores creantur Andreas Pelizonus S. Nicolai Parmenſis Rector, Epiſcopi Vicarius, & Gerardus è Cornazano, Præpoſitus S. Domnini, Diœceſis Parmenſis: adiectis litteris, quibus ſe apud Patres Concilii, quamobrem non veniſſet, accuratè excuſabat, & ut excuſationem acciperent, ob ea quæ illius procuratores relaturi eſſent, impedimenta, rogabat. Quoniam verò Seuerus Abbas cœnobii D. Mariæ extra portam Fauentiæ, ſacratorum virorum Fauentinorum immunium procurator, vnà cum Fr. Matthæo Epiſcopo, & Tinioſo Præpoſito Fauentino, intereſſe, ob morbum non poterat, pridie Id. Iunii Franciſcum eiuſdem cœnobii monachum, ſibi a cubiculo, procuratorem ſubſtituit: In Concilio autem ii fuere; Vgo, Placentinus: Vbertus, Feretranus: Fridericus, Ariminenſis: Vbertus, Bononienſis: Henricus, Regienſis: Matthæus, Ceruienſis: Petrus, Foropompilienſis, Epiſcopi: Vgulinus cucullatus, deſignatus Fauentinus: Nicolaus, & Ioannes cucullati Dominicani, Vincentius, Franciſcanus: qui tres, in Prouincia Rauennati, Quæſitores, in hæreticos erant: Bonincontrus Archipresbyter Mutinenſis, pro ſacratis viris Mutinenſibus: Gerardus Cornazanus, S. Domnini Præpoſitus, pro Epiſcopo, ſacratiſq. viris Parmenſibus: Gentilis, Ferrarienſis Epiſcopi Vicarius: Preuoſtinus Mutinenſis, Epiſcopi ForoCorneliani item Vicarius: Ioannes Abbas Gauellianus, pariter Epiſcopi Hadriani Vicarius: Armannus

mannus cucullatus Dominicanus, Epiſcopi Cymacliensis procurator; Guercius D. Damiani Canonicus, Epiſcopi Saſſinatis procurator. Omnibus igitur, ſuo quiſque loco, in Archiepiſcopatus Prætorio XV. kal. Iulii conſidentibus, introducti ſunt, Raymundus Fontana, Iacobus item Fontana: Maurus, Iacobus, Albertus, Guillelmus ab Pigazano, & Petrus Cazia, Templarii ordinis equites: qui iurati, cum nihil eſſent obiectis criminibus, teſtibusque aduerſis debilitati, atque abiecti, ad omnia breuiter, conſtanterq. ſeorſum ſinguli, reſponderunt. Erant autem hæc ferè quæſtionis a Pontifice præſcripta capita. Cum in ordinem cooptabantur, in ipſis ſacrorum ſuorum initiis, Chriſtumne, aut Deum, aut Virginem Deiparam, aut Diuos abiuraſſent, vel ut abiurarent, moniti fuiſſent, alioſve ipſi ad abiurandum incitaſſent. An Chriſtum, uel Ieſum, Crucive ſuffixum, verum Deum eſſe, uel paſſum, pro humano redimendo genere negaſſent: An fuiſſe pſeudoprophetam, & pro ſuis ipſis afflictum criminibus affirmaſſent. An ordinis Magiſtrum, qui nullis erat ſacris initiatus, crederent, per pœnitentiæ ſacramentum, eluere animæ ſordes, & peccata poſſe: An ipſe id feciſſet. An quæ occulta habebantur in eorum legibus, ea Orthodoxæ Romanæ Eccleſiæ uituperationi eſſe, criminaq. ac errorem fouere putarent. An ipſo ordinis ingreſſu edocerentur, poſſe inter ſe luxurioſè commiſceri, idq. eſſe faciendum, neque vllum ob id perpetrari flagitium: An hæc Tyrones etiam docerent. An ordinis ſui amplitudini ſtudere; vel contra, quàm fas eſſet; iuraſſent: ad idq. iurandum alios induxiſſent. An qui cooptabat eos in ordinem, ne ſpem ſalutis ſuæ in Chriſto Deo poſitam haberent, illis ediceret: An conſpuiſſent Crucem, imaginemve Chriſti Dei, aut pedibus protriuiſſent, ac conculcaſſent, & die Veneris ſanctó, uel alio in eam minxiſſent. An Cattum, craniumve, aut ſimulacrum quodpiam, & idolum huiuſmodi fictum, & commentitium Diuinâ veneratione coluiſſent, in magnis comitiis, aliove fratrum loco: diuitiasq. ab eo, & terrarum, arborumq. vberes fructus ſperauiſſent: An quo cingulo, interulam, carnemve cingebant, eo idolum quodpiam huiuſmodi tetigiſſent: An Tyrones, adoleſcentulos præſertim, libidinosè, intemperanterq. atque alia, quam deceat, parte oſculati fuiſſent: An, dum rem Diuinam facerent, ſacra myſteriorum, & conſecrationis verba omiſiſſent: An ſceleſtum, & nefarium facinus ducerent, hæc committere. Quod cum affirmaſſent, ceteris fortiter, perpetuoq. negatis, ab Concilio dimiſſi ſunt. Rainaldus Concilium tunc conſuluit, de tota re quid fieri placeret: in quo cum multæ ſententiæ dicerentur, tandem interrogati primũ; an iudicium illud accuratè, & legitimè conſtitutum exiſtimarent, annuerunt: Deinde, an dandi eſſent in quæſtionem, reſponderunt non dandos: Nicolaus tamen, & Ioannes Dominicani, in hæreticos Quæſitores, dandos eſſe dixerunt. Præterea an ad Pontificem Max. deferendum eſſet iudicium: negatũ ab omnibus eſt, quòd propè adeſſe Concilium generale dicèrent. Poſtremò eſſentne omninò abſoluendi, an iubendum, ut ſe de obiectis purgarent, de purgatione affirmatum eſt. Sed poſtridie cum iterum conueniſſent Patres, cõmuni ſententia decretum eſt, innocentes abſolui, nocentes ex lege puniendos. Intelligi innocentes debere, qui metu tormentorum confeſſi fuiſſent, ſi deinde eam confeſſionem reuocaſſent: aut reuocare, huiuſmodi tormentorum metu, ne inferrentur noua, non fuiſſent auſi; dum tamen id conſtaret.

capita delictorum contra Templarios

De

De Ordine, eiusq. bonis, conſenſere omnes, ſeruanda innocentibus ea fore, ſi innocentes, maior pars ordinis eſſent:|& nocentes, abiurata hæreſi, meritas ſceleris pœnas, ipſo in ordine, dediſſent. De Terræ ſanctæ ſubſidio, de quo item in eo Conuentu eſt actum, Reges, Principes, Regulosq. a Pontifice inducendos ad mare traiiciendum, eamq.expeditionem perſequendam cõſuluerunt. Atque ita dimiſſum Concilium eſt. Ceterùm quoniam in eo decreuerant etiam,ut Bartholomeus Tencararius,Albertus Arientus,Petrus è Monte Cucco, Albertus è Brezano, & Ioannes Bonus, Templarii fratres, Vberto Epiſcopo Bononienſi, de obiectis, quæ diximus, criminibus, ſe, intra kal. Auguſti, purgarent, ſeptem adductis teſtibus, qui & eorum acta noſſent, & Catholica fide, uitæq. probitate præſtarent, neque eſſent tamen ex eo ordine Tencarius Rainaldi Archiepiſcopi litteras XI. kal. Iulii, Rauennæ ſcriptas, VI. kal. Vberto Epiſcopo, Bononiæ reddidit,& ſe uirum Catholica fide profeſſus, cum affirmaſſet ea ſe numquam ſcelera perpetraſſe, ſeſe de omnibus egregiè purgauit: cum acciti teſtes, Henricus Abbas montis armati, Franciſcus & Iulianus D. Michaelis in nemore monachi: Gerardus,& Dominicus, monachi S. Proculi: Ioannes æditimus S. Mariæ è Tubonibus, Iacobus S. Homoboni, Antonius Rector S. Ceciliæ, ſacerdotes Bononienſes,& Guillelmus Guidezagnus, miles, Corbellanus menſarius, mercatorq. Iacobinus, Petri Graſſi filius, & Hieremias Vgulini, qui duo ordinis, Pœnitentiæ uocati, erant, iureiurando affirmaſſent, ſe credere, Tencararium vera iuraſſe: ut conſtat iis tabulis, quæ in Epiſcopio Bononienſi,teſtibus, inſpectantibusq. Ioanne Archipresbytero S. Mariæ è portu maiori, Rauennatis Diœceſis, Epiſcopi Bononienſis Vicario, Ioanne Andreæ Pontificii iuris Doctore, Ioanne Graſſo, Petri filio, Ioannino Gerardini Boncompagni filio, atque item aliis confectæ, in tabulario Vrſiano adhuc extant. Eadem ſe ratione purgauit Albertus è Brezano. Hæc autem omnia cum Clemens Pontifex accepiſſet, ſic de tota tandem re iudicauit, ut multis eorum combuſtis, in Concilio Vienněſi vniuerſum ordinem deleuerit. Eodem hoc anno, Ortonæ, Nonis Iulii, Ioſephus Madii; Canonicus Ortonenſis, Vicarius Iacobi, Archiepresbyteri S. Mariæ, maximi templi Ortonenſis, eiuſdemq. ſacræ ædis Chorus,ut ſedis Apoſtolicæ, quæ ſignificauerat illis Theatinus Epiſcopus, iuſſis parerent,quibus mandabatur, ut ipſum Epiſcopum, aliumve procuratorem facerent, quæ Archipresbyteri ipſius, & chori nomine, ad Synodum nuper habendam accederet, auditurus, quæ ſtatuerentur, & expoſiturus moleſtias, quibus premerětur, *D. Rainaldum Archiepiſcopum, eorum Dominum, ſub cuius protectione conſiſtunt, eſſe tamquam ſuffraganei, & ſubditi dictæ Eccleſiæ Rauennati, de communi uoto, vnanimiter, ipſorum procuratorem ſtatuerunt ipſum Rainaldum Archiepiſcopum, Metropolitanum ſuum.* ita enim ſcribitur in iis tabulis, unde hæc hauſimus. Rainaldus interea, cum Benedanum alterum a ſuperiori, Epiſcopum Mutinenſem deſignatum confirmaſſet, peteretq. Benedanus dari ſibi a Rainaldo, ut ne Rauennam adiret, quod pleroſq. mortales haberet plurimum aduerſos, ſed in ſacra æde ſua Mutinenſi conſacraretur,id illi conceſſit Rainaldus, & per litteras Foriliuii IIII. Non. Aug. ſcriptas, ſubiunctis ſibi Epiſcopis,id propterea ſe dediſſe teſtatus eſt, quod ſibi eſſent inimicitiæ illæ, & ſimultates optimè perſpectæ. Dedit deinde operam, ut perſolueret tributi ſummam, quam omnibus

nibus religioſis viris,extra ſacras D. Claræ virgines, diſtribuerat Ioannes Plebis portus maioris Archipresbyter, Epiſcopi Bononienſis Vicarius, cui id muneris Gentilis cucullatus Franciſcanus, tituli S. Martini in montibus ſacerdos Cardinalis, Pontificius ad Regnum Pannoniæ, & finitimas partes Legatus, delegauerat: Impoſiti autem fuerant in ſingulos dies, quibus Bononiæ fuerat, floreni aurei quadraginta: Ita diſtributi, ut Rauennati Archiepiſcopo, ſacratisq. uiris Rauennatibus, intra viginti dies, ſoluendi eſſent floreni octo, ſupra nonaginta. Bononienſibus totidem, Cymaclienſibus, viginti: Piſtorienſibus quattuor & ſexaginta. totidem Feſulanis: cum ad tributum acceſſiſſent multæ in internuncios, & epiſtolas hac de re, impenſæ, & florenorum tercentorum quadraginta quattuor, mutuo acceptorum, in ſex hebdomadas, fœnus: Cum autem multis penſionibus eo ſe liberare tentaſſet, tandem florenis aureis ſexaginta ſeptem, per Oſtaſium Artuſinum, procuratorem ſuum, Franciſco Abbati S. Felicis Bononienſis, apud quem erat omnis eius generis deponenda pecunia, III. Non. Decembr. numeratis, quod debebat, abſoluit. Præturam hoc anno Rauennatem geſſit Nicolaus Carrazzolus: & cum Henricus Cæſar Rerumpubl. licĕtiam, & Tyrannorum dominatum coercere, abrogareq. profeſſus, tamen Canem Scaligerum, Veronæq. & Vicetiæ, Ricciardum Caminum Taruiſii, Gibertum Corrigiam, Parmæ, Paſſarinum Bonacolſum Mantuæ, Franciſcum Picum Mutinæ Vicarios, confirmaſſet, Turrianiq. per tumultum popularem Mediolano eſſent pulſi, & aduerſus Canem Scaligerum Patauini arma mouiſſent, Bononienſes, immatura etiam Pontificis abſentia inuitati, ueteribus inſtauratis ſtudiis factionum, ſeſe ab imperio Eccleſiæ, quod nuper amplexi fuerant, remouerunt, ac libertatis ſtudio rapti, ueterem Communis, & Populi Rempubl. renouarunt. Per idem tempus Ricoli, Zaccari, & Maltalenti Ceruienſes ciues, Bernardini Polentani eorum Prætoris dominatum, moleſtè, grauiterq ferentes, cum is Cæſenam abeſſet, vbi fuerat Præfectus, armati in forum procurrunt, ingrediuntur Prætorium, quæq. ibidem offendunt arma, ſuis aptant vſibus: in forum mox egreſſi, ſublatis, in cælum uocibus, necem Polentano, Ricolis uitam, felicitatemq. & popularem libertatem. Cumq. plurimi accurriſſent, facto in prætorium impetu, Polentani familiares, iniuria, & contumeliis affectos, inde eiiciunt, domeſticam ſupellectilem diripiunt. Hoſtaſium filium, & Magdalenam vxorem captos, in cuſtodia aliquot dies habent. Ceterum; ut natura multitudinis eſt; ii conatus breui ad nihilum reciderunt, grauiterq. a Gilberto Santillo, ex Hiſpania citeriore, Catalano, Roberti Regis, poſt Carrazzolum, Vicario, Polentano deferente, eiuſdem iuſſu Regis mulctati ſunt: omnia enim eò grauiora ſunt uiſa, quòd erat Polentanus Regis Conſiliarius, & familiaris, iam inde ab eo tempore, quo Prouinciam hanc regendam Rex a Pontifice acceperat: qua etiam dignitate ornauerat Lambertum fratrem, quòd eorum maximè opera tum in Flaminia, tum in aliis regionibus vteretur. Proximè enim dum Henricus Cæſar per Etruriam iter faceret, Romam proficiſcens, Polentani, Flaminiæ partem, quæ pertinet ad Tuſcos, diligenti præſidio, pro Rege, firmauerant. Ipſoq. Cæſare Roma abeunte, Lambertus cum peditibus ſexcentis, militibus quinquaginta, omni Flaminia, Roberti iuſſu, coactis; in quibus Rauennates ducentum, Rauennatis Reipubl. ANN. M. CCCXII.

ſtipen-

ſtipendio militabant; Regi, aduerſarios ſuos Romæ perſequuturo, ac deleturo, præſto fuit: & eò quidem opportunius, quò Carolus Roberti filius, per Cambium Artuſinum Rauennatem, qui Aquilas magnas, Falcones appellatas, illi dono attulerat, Lamberti nomine, ipſum Polentanum fecerat certiorem: Rauennatique Reipubl. Rex ipſe per litteras imperauerat, ut Lambertum ad ſe Romam mitterent, cum maiori, qua poſſent armatorum manu. Diſſenſionis cauſa fuerat, quia Robertus Rex ad totius Italiæ Imperium aſpirans, cum Guelfam maximè factionem foueret, per Ioannem fratrem, Henrico Cæſari, Auguſtalem coronam, more maiorum, accepturo, ſic reſtiterat, ut ea non in D. Petri, uti conſtituerat, ſed in Lateranenſi Baſilica, fuerit eodem hoc anno M C C C X I I. inſignitus: Vrſinisq. a Roberto ſtantibus, Columniis autem Henrici partes ſequentibus, pugnæ tumultuariæ complures inſecutæ fuerant. Bernardinus quoque Polentanus, menſe Martio, Cæſenatibus ſecum, Ceruienſibusq. adductis, ut Gilberto Sintillo iubenti, pareret, opidum Salianum circumſederat; cum eodem etiam cum Ariminenſibus aduenifſet Malateſtinus Malateſta, qui vno tantum oculo aſpiciens, longius uidere dicebatur, quam ceteri, & odio alte compreſſo, eius ruinam opidi conſtituerat: Poſtquam verò opidani diu ſtrenuè repugnaſſent, tandem aduerſus creſcentem in dies multitudinem hoſtium, nullas ſibi amplius uires eſſe intelligentes, pridie Kal. Iul. pacti ut ſibi abire liceret, atque omnium, quæ efferre ſecum poſſent, bona incolumia præſtarentur, deditionem fecerunt. Opidum & ipſum per ſe inſigne, & præaltis turribus, & prætorio egregiè munitum ſolo æquatur: Cum autem maxima hoc anno penuria rerum ferè omnium fuiſſet, tamen frumento is plurimum abundauit exercitus, quod Malateſtinus ex Apulia conuehendum curauerat. Rainaldus Archiepiſcopus inter tot armorum ſtrepitus, ut opida, prædia, ceteraque Archiepiſcopatus ſui bona, ablata recuperaret, apud Pontificem conqueſtus, fecit, ut Pontifex litteris Viennæ V. Id. Maii, Pontificatus anno. V I I. datis, Epiſcopo Ariminenſi, Abbati Nonantulano, & S. Romani Ferrarienſi, mandauerit, ut ea reſtitui diligenter curarent. Venetiis, finem hoc anno, Tenera, patricia familia, Rauenna oriunda, in Philippo Tenero, habuit. Ceterum neque ab hac tantum parte Polentani, & Rauennates bello erant impliciti, ſed & Parmæ apud Gilbertum Corrigiam, vniuerſitatemq. Parmenſem, pedites, ac Duces Rauennatis Reipubl. ſtipendiis militiam facientes habebant, cum eam vrbem, Rubei, patria a Giberto pulſi, ita premerent, ut tan-

ANN. M. dem coacta fuerit ſeſe Roberto Regi committere, qui Gibertum deinde Præ-

CCCXIII. fectum ciuitati dedit: Pugnabant etiam ad Padum Rauennates, vbi Veneti, non Rauennatibus modò; ob Ferrarienſe bellum; uti ſupra docuimus, ſed ipſi etiam Pontifici, a quo, graui edicto, fuerant redditi communitatis Chriſtianæ expertes; aduerſi, cum triremibus, aliisq. generis nauigiorum armatis commorantes in ſtatione, non abſque magno Rauennatum incommodo, mercatorum maximè, cuſtodes, Præfectosq. Rauennates ex omni illa Padi, & maris ora, alterum iam annum, exturbabant. Hoc interim ſpatio, V I I. kalen. Aprilis anno M C C C X I I I. Guglielmus, & Bulgarus Canonici Cæſenates, & Chriſtophorus Abbas cœnobii D. Laurentii Cæſenatis; ad quos ſacrati uiri Cæſenates, eligendi ius Epiſcopi reiecerant; Ioannem Præ-

poſi-

poſitum Ariminenſem, Cæſenatem Canonicū, in locū Leonardi Epiſcopi nuper mortui, ad Dei, beatæ Mariæ matris eius, & D. Ioannis Baptiſtæ, cuius titulo ea ædificata ſacra ædes eſt; laudem, & Rainaldi Archiepiſcopi Rauennatis honorē, reuerentiamq. ſuffecerunt: eaq. ab vniuerſo choro, & ab ipſo Ioanne probata electione, eodem die, mane, magno plauſu, in Epiſcopali ſolio collocant: cū omnia per litteras Rainaldo ſignificaſſent: qui in Bononienſi etiam vrbe, ut ſacerdotia idoneis hominibus præberētur, curauit, quod hæ teſtantur litteræ. *Rainaldus permiſſione Diuina, & Apoſtolicæ ſedis gratia S. Rauēnatis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Venerabili in Chriſto Patri, Domino V. Dei gratia Epiſcopo Bononienſi, ſalutē, & ſinceram in Domino charitatem. Cum, ſicut accepimus, Eccleſia S. Laurentij, plebatus Marani, veſtræ Diœceſis, vacet ad præſens, & tanto tēpore vacauerit, quod eius collatio, ſecundum ſtatuta Lateranenſis Concilij, eſt ad nos legitimè deuoluta. Nos attendentes pericula, quæ propter vacationes diutinas conſueuerunt Eccleſiæ ſuſtinere, & graues incurrere læſiones, Paternitati veſtræ, præſentiū tenore committimus, quatenus, ſi eſt ita Eccleſiam ipſam, cum iuribus, & pertinentijs ſuis, perſonæ idoneæ conferre, & aſſignare curetis, ipſamq. perſonam uel alium pro ea, in poſſeſſionem ipſius Eccleſiæ inducatis, & defendatis inductam, contradictores, eadem auctoritate, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Dat. Rauennæ, die VII. menſis Maij. Indict. XI. MCCCXIII.* Eodem anno, atque item die, Rainaldus, poſtquam litteris ſuis conſecrationis templi D. Ioannis Euangeliſtæ Rauennatis hiſtoriam luculenter explicuit, ampliſſimasq. & uetuſtiſſimas noxarum illuc adeuntibus remiſſiones narrauit, & ut fieri ab eo potuit, probauit, quoniam, peruetuſta conſuetudine, è diuerſis, remotisq. etiam regionibus, illuc accedere frequentiſſimi Chriſti fideles, & in templo pernoctare conſueuerant, eas ipſe uigilias ſuſtulit, in poſterumq. ne fierent accuratè cauit, experientia doctus, ob concurſantium impetus pueros, fœminasq. præſertim grauidas, comprimi, & flagitia perpetrari. Cum uerò ob Philippi & Zozamontis Malcoaldorum, ex oppido Aureolo, in Archiepiſcopum & Eccleſiam Rauennatem facinora, eorum ad Archiepiſcopū, & Eccleſiam ipſam caſtra recidiſſent, eaq. aliquandiu Archiepiſcopus quiete poſſediſſet, Franciſcusq. Manfredus Fauentiæ Præfectus, & eius Magiſtratus ciuitatis; qui Antiani dicebantur; occupare ea quoniam eſſent in Fauentino, niterentur, Rainaldus per litteras Vgulino Epiſcopo Fauentino V. kal. Iul. mandat, ut iubeat illos omni abſtinere moleſtia, declaretq. in cā. illos anathematis pœnam incurriſſe, quæ in Prouinciali Cōcilio lata aduerſus eos fuerat, qui Eccleſiarū bona occuparent. Id autem accuratè fecit Vgulinus Epiſcopus, cum Magiſtratū gererent, Nicolaus Thederici, Princeps; appellant vexilliferum; Bonauentura è Cento, Petrus Cafarellus, Ioannes Guidutii è Collina, Mengus Amatoris, Viuianus Aſſalius, Lippus Siuiroli, & Iacobutius Tomaſini. Veneti per id tempus ad Pontificis redeuntes obſequium, tandem impetrarunt, ut Eccleſiaſticæ, quam diximus, deteſtationis pœna eximerentur. Itaque ſcripſit litteras Malauſan. Vaſſionenſis Diœceſis. VI. Id. Octobr. datas ad Rainaldum Archiepiſcopum Rauennatem, Berengarius, Tuſculanus Epiſcopus, ut ex auctoritate Pontificia, eos qui quoniam eis fauiſſent, & quidpiam cum eis communicaſſent, eandem ſubierant dirarum, & anathematis pœnam, poſſet abſoluere: Extremo anno IIII. Id. Decembr. Oratores vniuerſitatis Caſtri medii, Catholicæ, in domo Archiepiſcopi, eius Vi-

cario polliciti ſunt, ſanctèq. iurarunt, ſe quotannis ſemel, Archiepiſcopũ, aut
illius internuncios honorificè accepturos. Præturam geſſit hoc anno Rauẽnatem Lãbertus Polentanus, Franciſcũq. Matarellum Iuriſcõſultum, Vicariũ habuit. Poſtero, Clemens Pont. decedẽs, eiuſdẽ viæ paulo poſt comitẽ habuit Hẽ
ANN. M. CCCXIIII ricum Cæſarẽ. Quo factum eſt, ut eodẽ tempore de Põtifice, & Cæſare creandis, maxima inter Principes diſſenſio ſit cõſecuta, duosq. amplius anno Põtificia ſedes uacauerit. Qui Cæſarẽm eligebant, Hludouicũ alii Baioariæ, alii Fridericũ Auſtriæ Regulos, proponebant: ſed cõmiſſo prœlio, ſuperatoq. Friderico, tanta elatus ſuperbia Hludouicus eſt, ut nulla Romanæ ſedis auctoritate, & ſe appellauerit Cæſarẽ, & quò facilior ſibi aditus pateret, ad coronã Auguſtalem Romæ accipiendam, Vicecomitibus in Gallia Ciſalpina ſic fauerit, ut Mediolanenſi dominatu potiti ſint. Interea verò dũ Hoſtaſius Polentanus, Præfecturã, Banninus Hoſtaſii patruus Præturam Cæſenæ gererent, Cæſenatici portus opus kal. Iunii aggreſſi, tandẽ pridie Id. Sextil. cũ Cæſenatẽ Præturam, pridie, Guido Nouellus Polẽtanus iniiſſet, ad exitũ deduxerunt, tumq. is in mare prorupit portus. Rainaldus Archiepiſcopus VI. Id. Octobr. in ſacra æde D. Nicolai Argentæ Prouinciale Cõcilium egit. Interfuere Fr. Matthæus ForoCornelianus, Petrus Cymaclienſis, Matthæus Ceruienſis, Petrus Foropõpilianus, .I. Cæſenas, Fr. Vgolinus Fauentinus Epiſcopi: Procuratores etiã Epiſcoporũ Bononiæ, ac Regiũ, Hadriæq. & Mutinẽſis chori, quòd ea tũ Eccleſia Epiſcopo uacaret. Cũ autẽ edicta ab omnibus Rauennati Eccleſiæ ſubiũctis, poſt mẽſes tres, ſeruanda, eſſet edicturus Rainaldus, aſſurrexere Vbertus Canonicus S. Mariæ in portu Rauẽnatis Diœceſis, Põtificii iuris conſultus, Bononienſis Epiſcopi Vicarius, eius nomine Epiſcopi, & ſacratorũ uirorum Bononiẽſiũ: Buonacurſius Abbas S. Proculi Bononienſis, ordinis S. Benedicti, nomine cœnobii ſui, ſacratorũq. uirorũ ciuitatis, Diœceſisq. Bononienſis, qui immunes non ſunt: & Prior S. Bartholomæi portæ Rauennatis Bononiæ, eiuſdẽ ordinis, ſacratorũ uirorum Bononienſium, immuniũ nomine, palamq. teſtati ſunt, cũ ad eam diẽ ſatis cõformati fuiſſent Epiſcoporum, & aliorũ Prouinciæ Rauennatis, mores, legesq. editæ, & quæ promulgandæ tum eſſent, iura honoresq. Epiſcopo, & ſacratis uiris Bononienſibus derogarent, ſe nequaquam aſſentiri illis, neq. parere uelle. Menſe Nouẽbri, cum Gilbertus Santillus, in hac Prouincia, Regis Vicarius, Florentiam abeſſet, Franciſcusq. Manfredus, occupato Fauentiæ domi natu, redeuntem Santillum, & Simonem Boolectum, ingreſſu prohibuiſſet, Lambertus Polentanus, & Banninus frater, cum Manfredio coniuncti, comparato exercitu; in quo fuiſſe equites quingenti, pedites ad decem millia plerique tradunt; Forliuium ingreſſi ſunt, ut inde eiicerent Arguliosos, urbeque potiti, eius, unà cum Calbulis, Principatum V. Id. arripuere. Verùm Gilbertus, ac Simon, nihil ob id deterriti, Hiſpanas, quæ ad Caſtrocarum latitabant copias educunt, Arguliosis, qui Forliuianum adhuc Prætorium impigrè tuebantur, ſubſidio ueniunt, eamque illis ferunt opem, ut Viuiano Calbulo trucidato, Calbuli, & Polentani, ex vrbe tandem excedere cogerentur. Agnella Articlinus hinc Gilbertum, Guidonemq. è Valbona, ac Hiſpanas copias Cæſenam adduxit, eam vrbem cum Fuſco Vbertini, & aliis uſq. ad campum cõmunis, ingreditur: ſed accurrente Guidone Nouello Polentano, Prætore, cum armatis ciuibus, ſtrenuè repugnatum eſt, & non ſine eorum damno,

Agnel-

Agnella & reliqui vltra pontē reiecti: Ceterum cū Guido Prætor, & Hoſtaſius item Polentanus, Præfectus, longè ſe impares viribus ceruerent, vallo excitato, ut defendi aliqua ratione vrbs poſſet, nocte, vnà cum Caliſidiis abiere. Tū Zenonis Azardi, Franciſci Pocaterræ, & Fuſci Guidaldi hortatu Cæſenates conuentu habito, Malateſtinū accerſunt, qui idem intelligens, quod Polentani, pactis quibuſdam condicionibus cum Hiſpanis, eos Forliuiū remiſit: Atq. ita Polentanis, qui Cæſenæ dominati ad eam diē fuerant, pulſis, Malateſtinus, Cæſenati ſuſcepta adminiſtratione, Foroliuianam quoq. paulo poſt Præfecturam adeptus eſt: Quo eodem tēpore Nicolaus Rampanus abſq. liberis decedens, Rāpanæ familiæ Venetæ, quæ & oriunda Rauēna erat, & ob id Venetiis D Apollinaris templū extruxerat, ac dedicauerat finem dedit, cum patritia fuiſſet, & omnibus in ea Repub. honorū inſignibus decorata. Annus inſequens quamquam nullam attulit inſignē Rauennatibus moleſtiam, non potuit tamen finiti morū tumultibus hæc ciuitas non affici, quibus Forliuium turbatū eſt, dum Vbertus Glazoli Comes, Calbuli, Ciccus, & Sinibaldus Ordelafi, Guillelmus è Soliano, Ciccus è Petra Guidola, Ciccus Zappitini, & Guillelmi Comitis filius, multiq. præterea, cōmiſſo in ipſa vrbe cū Arguliosis Foroliuianis, & Malateſtini copiis prœlio, in quo, præter vulneratos ex Argulioſis, Argulioſus, ex Calbulis, Rainerius, cecidere, Malateſtinū & Argulioſos, IIII. Non. Septēbr. eiecerūt ex vrbe, & rerū ipſi potiti ſunt: Sed breui gloria, ut infida ſocietas Regni eſt: duobus enim ferè poſt mēſibus, ab Ordelafis, quibus opē tulit Glazoli Comes, & in memoria reditus in patriam, parum inſidebat; pulſi ab vrbe ſunt Calbuli, & omnem ciuitatis adminiſtrationē Gibellina ſuſcepit factio. Hoc anno fuit Rauennæ Prætor Thedericus è Galiſidio. Anno ſupra milleſimum tercenteſimū, decimo ſexto. Idibus Febr. Neapoli, Robertus Rex, per litteras mandauit, ut Rainaldi Archiepiſcopi Rauennatis; quē appellat conſiliarium, familiarem, fidelemq. ſuum, cauſæ ſummatim agerentur: Idemq. de Rauēnatis Eccleſiæ cauſis fieret: Vicarius erat hoc tempore, Rainaldi, Georgius Cainus, Eccleſiæ Mediolanenſis Ordinarius, vir inſignis: quemadmodū & Præpoſtus ſacræ ædis D. Mariæ maioris Rauennatis Rector, Vicarium Fr. Matthæi Epiſcopi ForoCorneliani gerebat. Polentani quoq. dominatum vrbis Ceruiæ receperunt; cū Auenſor, & Guido Leonis, ciues Ceruienſes inita pugna, Guglielmū Ricolum, eiuſq. propinquos & aſſeclas, exturbaſſent ex ea vrbe, accitoq. Hoſtaſio, & Bannino Polētanis, eam illis, ſed Hoſtaſio potiſſimum, in decennium regendam. VIII. Id. Aprilis, liberè tradidiſſent. Rainaldus Archiepiſcopus XIII kal. Maii, cū Argentæ eſſet, inſpectante Octauiano Abbate S. Mariæ ab Inſula, Iacobum ordinis Camaldulenſis, deſignatū Abbatem S. Hilari Galiatēſis, per internūcios id poſcentē, cōfirmauit. Lābertus Polentanus, cū multos annos Rauēnā, Prætor, adminiſtraſſet, in morbū incidit, ex quo hoc anno Decimo kal. Iu. interiit. Cū verò teſtamentū paulò ante faceret, domi ſuæ, tūc in villa Altura Rauēnatis agri cōſtructa, hæredē ex ſemiſſe, Hoſtaſiū, Bernardini fratris præmortui; quē Mediolani Prætorē fuiſſe memorauimus; filiū inſtituit. Guidonē itē cognomēto Nouellū, & Rainaldū fratres, Hoſtaſii fratris filios, ex alio ſemiſſe: Guidone Raualdo ſcriba Rauēnate teſtamēti tabulas cōficiēte. Habuit & alios duos ex Hoſtaſio eodē fratre ſuo nepotes, Attonē & Hieremiā, huiuſce tēpore teſtamēti, fato iā functos, quorū mentionē faciūt Ceruiēſis Epiſcopi tabulæ,

ANN. M. CCCXV.

ANN. M. CCCXVI.

bulæ, de quibus ſupra meminimus: nam plurimis comparatis diuitiis, & Prætoria dignitate inſignis, Polentanæ familiæ nomen, Lambertus, maxima ex parte in lucem è tenebris uindicauit: cum fratres, eorumq. filii adminiſtrandis & ipſi, recipiendisq. ciuitatibus, atque opidis, ditionem propagaſſent, finitimorum etiam populorum, ac potius ceterorum Italicorum morem, id illis animi, ac uirium Pontificis abſentia tribuente, imitati: Iam enim eò res in hac Prouincia deuenerat, ut Diegus Rattus, eius Rector, Comesq. a Roberto Rege miſſus, uix Britonorium, Meldulam, & Caſtrocarum teneret: qui tamen VI. kal. Iunii, Cæſenatium uocatu, cum vxore, & filiabus, Cæſenam in Epiſcopium ad habitandum ſe contulit: quamquàm deinde XI.kal. Iul. cũ omni familia abiit Britonorium, & vnà cum Cæſenatibus, & Ferrantino Malateſta, patris ſui Cæſenæ Prætoris Vicario, aduerſus Foroliuianos, arma mouit: Facta deinde cum ipſis pace, menſe Septembri, Ferrariam, quam vrbem pro Rege erat adminiſtraturus, profectus eſt. Anfuſo Regis Vicario in hac Prouincia commorante, eodem hoc anno XIIII. kal. Nouembr. Arimini, Galuanus Malghizardus Mutinenſis, Reipubl. Ariminenſis Iudex, eius, & Malateſtini Prætoris iuſſu, præcepit Vguzzolo Marcheſello, cum adeſſet Baſſianus Oltellus S.Laurentii Laudenſis Canonicus, Rainaldi Archiepiſcopi procurator; ne tributum opidi Catholicæ incolis, eiusq. Territorii impoſitum, exigeret; ſpectare illos liberam Archiepiſcopi Rauennatis iuriſdictionem. An-

ANN. M. CCCXVII. fuſus Regis Vicarius proximo anno, Scarpettam, Pinum, & Bartholomeum Ordelafos, in arce Caſtrocarii in cuſtodia habitos, liberos dimiſit. Guido Genarius Ciuis, & Canonicus Rauennas, Epiſcopus hoc anno Ceruienſis deſignatus eſt, & in Vrſiana æde, incredibili Rauennatis populi frequentia, XVII. kal. Auguſti, conſecratus: ſtatimq. ſacramentum de more dixit, cum adeſſent, interfuiſſentq. Fr. Petrus Epiſcopus Cymaclienſis, qui illum conſecrauit, Petrus Epiſcopus ForoPompilianus, Fr. Vgulinus Epiſcopus Fauentinus, & Andreas Prior Præfectus S. Pelagiæ Cremonenſis, Rainaldi Archiepiſcopi Vicarius. Quoniam verò Rainaldus Polentanus, Archidiaconus Rauennas, Ceruiam erat, ob priuata negocia, & ut obſequii cauſa ipſum Guidonem Epiſcopum comitaretur, profecturus, & Nicolaus Cardinalis, Ognibenusque Cantor, Canonici Rauennates, quibus id Rainaldus Archiepiſcopus mandauerat, occupati, impeditiq. tenebantur, Andreas Vicarius id muneris Rainaldo Archidiacono iniunxit, ut Guidonem in Epiſcopatus Ceruienſis poſſeſſionem induceret: quod egregiè præſtitit, Guidone VII. kal. Auguſti, vrbem Ceruiam ingrediente. Extant adhuc tabulæ, Iacobi Artuſini, Hoſtaſii filii manu, Nicolao Carneualio, Hoſtaſii Polentani Vicario, aliisq. teſtibus, hac de re ſcriptæ. hoc eodem anno X. kal. Octobr. Thediſius Canalis, Alberti filius, Parmenſis, olim Comitiſſæ Rengardæ, Comitis Caualcacontis è Bagnacauallo filiæ, & hæredis maritus, Rauennæ cum eſſet, prædia nonnulla vendidit, Caualcacõtis, & Vgolini filiorum ſuorum nomine, in Rauennati poſita, iuxta Comitiſsã Catherinam, vxorẽ Guidonis Nouelli Polentani: ea autẽ prædia Caualcacontes, & Vgulinus, æquo iure, cũ Comitiſſa Ringarda Vbaldini Circli Florẽtini vxore, & Comitiſſa Conteſſina ſorore Rengardæ eorũ matris, poſſidebant. Rainaldus Archiepiſcopus Concilium interea cum eſſet menſe Septembri, Argentæ, Bononiam, ad XIIII. kal. Nouembr. inchoandum, indixerat, Itaque

que in templum D. Michaeli in Africiſco Rauennæ V. Non. Octobr. conuene
runt, qui non erant è ſacratorum uirorum Rauennatum Conuentu, Signorel
lus, & Gratia Canonici S. Ioannis Baptiſtæ: prætetea D. Michaeli in Africi-
ſco, S. Agathæ maioris, & S. Vincentii Rauennatium templorum Rectores,
eorumq. nomine, ſuarumq. ſacrarum ædium, procuratorem fecerunt Baldum
S. Agathæ Rectorem, qui; cum accedere ipſi multis impediti negociis, non
poſſent, Concilio intereſſet. Ita Fr. Vgolinus Epiſcopus Saſſinas, Calbanæ
in Epiſcopatus Saſſinatis ædibus Rainerium Archipresbyterum Plebis Mon
tis Sorbi, Saſſinatis Diœceſis, & Manzinum Canonicæ Saſſinatis a ſacris fa-
ciendis procuratores fecit ſuos V. Id. Octob. qui in Concilio, Bononiæ, cau-
ſas apud Rainaldum Archiepiſcopum, & reliquos Patres adduceret, cur non
acceſſiſſet ipſe, & tamdiu a Saſſinate Epiſcopatu ſuo abeſſet, neq. reſidere in
eo aſſiduè poſſet. Poſtridie congregati in Epiſcopii Parmenſis aulam, Zacha-
rias cuſtos, Bonifacius Arena, Pantaleo Cornazanus, & Manuellus Ghil-
dus, maximæ ædis Parmenſis Canonici, qui eius Conuentum Eccleſiæ; cum
non reſiderent eo in templo plures; faciebant, ipſos Pantaleonem & Manuel
lum procuratores conſtituere ſuos, qui in Prouinciali Concilio, Bononiæ,
adeſſent. Eodemq. die Guido Prior Præfectus Canonicorum templi S. Dom
nini, Parmenſis Diœceſis, Petrus Grogus, Conradus Lupus, Guglielmus
Cornazanus, & Battanus eius Eccleſiæ Præpoſito, & Paſtore uacantis, Cano
nici. M. Ghidolum Canonicum Parmenſem Procuratorem ſuum fecere, qui
& intereſſet Concilio, & Canonicos, qui adire illuc non potuerant, excuſa-
ret. Ita. III. Id. Octob. Antonius Rector S. Mariæ in Pluteo Forliuienſis, For
liuii in maxima æde a Nicolao Archipresbytero S. Pancratii Foroliuianæ
Diœceſis: Ioannes Rector templi Baltadi plebatus Meldulæ, & Paulinus, a
Gentili Archipresbytero plebis Meldulæ, conſenſu Rainerii, & Rigonis ſuo-
rum, ipſiusq. plebis Canonicorum, procuratores, eadem de cauſa, Idibus,
facti ſunt. Et Fauentiæ in Epiſcopio Donatus Canonicus Fauentinus, Dona
tinus Archipresbyter plebis S. Andreæ, Ioannes D. Mariæ in Marzano, Zan-
nes S. Martini è Rheda, & Fr. Ioannes D. Margaritæ è Bondiolo Fauentinæ
Diœceſis, & Rainaldus S. Bartholi Fauentini, Rectores, Primicerii Con-
uentus ſacerdotum Fauentinorum Fr. Iacobum, Epiſcopi Fauentini Vicariũ
eorum eſſe procuratorem decreuerunt: quod & fecere reliqui, qui conuenire
Bononiam in Concilium nequaquam poterant. In eo autem Concilio, multa
Rainaldus ſtatuit, admodum ſalutaria; quæ recitari, diuulgariq. in ſubiun-
ctis ſibi Eccleſiis, & ſeruari accuratè iuſſit: quod Foriliuii VI. Id. Iannarii inſe ANN. M.
quentis anni, coacta Antiſtitum, Rectorumq. & ſacratorum virorum eius ciui CCCXVIII
tatis, ac Diœceſis in maximum templum, Synodo, mane, fuiſſe factum com-
perio. Cumq. nonnulli eos Archiepiſcopatus Rauennatis fines, qui ſunt in Fer
rarienſi, perturbarent, neq. ſæpius moniti, deſiſterent, apud Aymericum è Ca-
ſtro Lucii Archidiaconum Tranſigenenſem, in Eccleſia Turonenſi; qui pro
Pontifice vrbem Ferrariam, cum Bernardo Atrebatenſi, Vberto Bononienſi
Epiſcopis, ut adminiſtraret venerat; appellantur enim in iis tabulis publicis,
*Rectores, & adminiſtratores generales in temporalibus ciuitatis Ferrariæ, eiusque co-
mitatus, & diſtrictus per Papam Ioannem XXII. ſpecialiter deputati*; conque-
ſtus, Rainaldus Archiepiſcopus, ii Triumuiri cauſam ad Superantium Cin-

gulanum, Guidonis Ferrarienſis Epiſcopi Vicarium, deferentes, effecerunt,
vti tandem Rainaldus tranquille, pacatèq. hoc eodem anno MCCCXVIII.
Archiepiſcopatus ſui bonis frueretur: Pontifice iam Ioanne Vigeſimoſecun
do, uti diximus, qui poſt diuturnam Cardinalium diſceptationem, in Clemen
tis demortui locum fuerat, alterum iam annum, Lugduni ſubrogatus. Con-
tra, Rainaldus Triumuiris ipſis tributum, quod Pontificia auctoritate, ſacra
tis viris impoſuerant, ſtatis penſionibus perſoluit: miſitq. ad eos, Bononiam,
ineunte Iulio, nomine ſuo, Epiſcoporumq. Hadriæ, Cymacli, Ceruiæ, For-
liuii, Cæſenæ, Foropompilii, Saſſinæ, Fauentiæ, Fori Cornelii, Arimini,
Montis Feltrii, & Vrbini, eorumq. ſacratorum virorum, Diœceſiumq. flore-
nos aureos centum ſexaginta quinque in illorum, familiariumq. ſumptum a
kal. Iuliis, ad kal. Auguſti: ineunte autem Octobri in eorumdem ſumptum a
kal. Auguſti, ad kal. Octobris, florenos ſeptuaginta nouem ſupra centum. Ce
terum licet quà eius ad Ferrarienſes pertinet ditio, Rainaldus pacatè dege-
ret, in Cæſenati tamen plurimum perturbatus eſt, cum pridie Non. April. no
cte, aſſentiente Agnella Articlino, Rubeus, Anaſtaſii è Suriuola filius, opi-
dum Suriuolam, volentibus opidanis, fuerit ingreſſus, & Fauentinum Me-
diolanenſem Rainaldi Vicecomitem ceperit. Menſe Nouembri in hanc Pro-
uinciam, Rainerius Zachariæ filius, Orbitanus, Rector, & Comes venit, tunc
que Cæſenam Thedericus Caliſidius, vnà cum Ghello filio, & nonnullis aſſe-
clis rediit. Florebant Rauennæ hoc tempore, ſecundum Polentanos, Balbi,
nobilitate, & diuitiis inſignes, quorum proceres Iacobus, Nicolaus, Iſaa-
chus, & Petrus, multas ad Padum ſyluas, ac paludes, in quibus piſces egre-
gii capiebantur, iuxta Cunii, & Tiberiaci Comites, ipſosq. Polentanos poſſi
debant. Ex hac Balborum familia, cum pleriq. Venetias ad habitandum ſe
contuliſſent, in Senatum cooptati, Patricii facti ſunt: a quibus D. Iuliano
templum, quod ſupereſt adhuc, exædificatum eſt, ac dedicatum. Rauennæ,
poſt Lambertum Polentanum fato functum, Hoſtaſius, & Guido nouellus, il-
le Bernardini, hic Hoſtaſii filius, Rauennæ dominatum primi occuparunt: in
quo Hoſtaſius, cum eſſet ualde cautus, & acri ingenio, primas partes habuit:
ANN. M. Guido Prætor declaratus eſt: illiq. anno MCCCXIX. Tert. Id. Ianuar. Cyma
CCCXIX. clienſes per Benuenutum, Petri Ferrarienſis filium, Legatum, iuratum obſe-
quium, ut ciuitati Rauennati ſubiuncti, præſtitere. Aimericus è Caſtroliuii,
Triumuir adminiſtrandæ Ferrariæ, uti ſupra dictum eſt, uir ingenio præſtan-
ti, & vtriuſq. iuris magiſter, Ioannis Andreæ Bononienſis auditor, Flaminiæ
Comes hoc anno factus eſt, quo Rainaldus Archiepiſcopus, ineunte Martio,
ſubiunctorum ſibi Epiſcoporum, ſacratorumq. uirorum, nomine, atque item
ſuo, ad Aimericum, & collegas, in ſumptus a kal. Ianuarii, ad kal. Maii futu-
ANN. M. ras, ducentos nonaginta duos florenos aureos, Bononiam miſit. Poſtero anno
CCCXX. menſe Aprili, Donatus cœnobii D. Ioannis Euangeliſtæ Abbas, iure Emphy
teutico, Caſtrum Cerſonianum, eiuſq. agrum quod eſt in Fauentino territo
rio, dedit Tano Circlo, Vbaldini filio, nepotiq. & hæredi Comitiſſæ Cathe-
rinæ, Vgolini Fantolini filiæ. Aimericus Prouinciæ Comes, ſacris, prophaniſq.
cauſis æquè præpoſitus, menſe Decẽbr. eam primùm ingreſſus eſt. Sub id tẽpus
Rauennæ deceſſit Guido ex nobili Genariorũ familia, Epiſcopus Ceruienſis,
qui moriens, Virginis Deiparæ, in æde Vrſiana, aram, quæ eſt ſecundum ſugge-

ſtum,

ſtũ, prædiis ditauit, ut quotidie ſacerdotes ſacra ibidem facerent: Sepultus eſt pro maximis foribus Vrſiani eiuſdem templi. Annus ſupra milleſimum tercenteſimum, uigeſimus primus a partu Virginis, magnos Rauennam tumultus tum inuexit, tũ ſeuit, qui graues in poſterũ ederent fructus: Octauo Id. Martii, ante lucem, Ioannes Polentanus; iubentibus Guidone Nouello, ceterisq. Polentanis, Malateſtis; cum irrupiſſet in opidum Polentam, ibi Albericum Polentanum Guidonis Ritii filium capit, uinctumq. Rauennam ducit. Eodem anno Rainaldus Archiepiſcopus, Ioannis ſummi Pontificis iuſſu, auctoritateq. Friderico, Guidoni, & Sperantiæ, Comitis Vrbinatium filiis, quos filios, peſtilentes è uenenata radice natos appellat litteris ſuis Pontifex; ipſisq. Vrbinatibus, ſacris interdixit: quòd cædibus indigniſſimis, maximisq. factis, Vrbinũ & pleraque alia Romanæ Eccleſiæ ſubiecta opida occupaſſent, ciues multos expuliſſent, reliquos duriſſimo imperio opprimerent: Ad hæc, Fridericus Auximatem, Ricinenſem, exulum item Aeſinorum, aliorumq. Picentum Præfecturam ſibi aſſumpſiſſet, ipſumque opidum Piram, diuturna obſidione prius circumuallatum, cepiſſet, ac nefarie diripuiſſet. Guido in opidum S. Donati idem perpetraſſet, Ameliiq. Belmontis Præpoſiti; qui Picentibus pro Pontifice præerat; Legatum, cum literis comprehendi iuxta Vrbini portas, & tradi in cuſtodiam iuſſiſſet: vnde niſi aufugiſſet Legatus, ingenti Dei beneficio, capite dediſſet pœnas. Neque uerò has Pontificias interdicti litteras Rainaldus ſolum recitauit, diuulgauitq. ſed omnes iuſſit, è ſua ditione, ad quos ipſe miſiſſet, idem ut efficerent: iuuitq. eiuſdem iuſſu Pontificis illius Prouinciæ Rectorem, equite, pediteque, ut Picentum exulum audacia, atque improbitas retunderetur. quapropter Recinenſes, qui Auximatibus iuncti, & Præfecto Pontificio nequaquam parentes, exules receperant, & ex iis, qui adhæſerant Præfecti fratri, tercentum circiter obtruncauerant, Epiſcopatu mulctauit Pontifex, eumq. in vrbem Maceratam; cuius altera pars in Firmana Diœceſi, in Camerte altera, ſita eſt; ut ſuis teſtatur Pontifex litteris; tranſtulit, D. Iuliani Plebe, Epiſcopatus ſede cõſtituta, ſic ut Epiſcopus perpetuò Maceratenſis diceretur. Sed cum Petrus Sacconis Tarlati, Aretini Epiſcopi frater, & Lipatius Auximas Rainaldum Archiepiſcopum Rauennatem damno affeciſſent, idemque Lipatius, vnà cum Andrea Auximate, & Friderico Montefeltrio, Vberto è Glazolo, Paulutio Fagiolano, Lucenſiumq. Piſanorum, ac Aretinorum copiis, caſtra Ariminum admouiſſent, Ciriſolum, Montem Guelfum opida occupaſſent, Pontifex Aimerico per litteras, etiam atque etiam mandauit, ut reſtitui omnia Archiepiſcopo Rauennati, & omnem compeſcere tumultu, pro ea, qua præſtabat, uirtute, diligenter curaret. Dolereq. ſe plurimum, & credere uix poſſe ait, Aretinum Epiſcopum, conſilium ad ea perpetranda dediſſe, ac Ducem potius fuiſſe, militesq. ſuos abiiſſe in eam expeditionem; cum tamen in opido Balneo, ubi colloquium habitum fuerat, interfuiſſe diceretur. Per id tempus Dantes Aligerius Florentinus, philoſophus, ac poeta inſignis, Rauennæ ſupremum diem clauſit. Patria enim pulſus, vnà cum ceteris factionis ſuæ Albæ ciuibus, cum ſæpè reditus in eam, Bononienſibus, & Canegrandi Scaligero iuuantibus, fruſtra a ſe tentatus fuiſſet, primum Veronæ aliquandiu cum Scaligero familiariter uixit, Germaniam deinde, & Galliam profectus, coniunctaque, ad peritiam agendarum rerum, optimarum

ANN. M. CCCXXI.

marum diſciplinarum cognitione, Rauennam ſe ad Guidonem Polentanum contulit: a quo honorifice exceptus, & amanter tractatus eſt, Legatusq. ſæpe ad Venetos miſſus. Cum autem hoc anno a partu Virginis MCCCXXI. ab eadem Veneta Legatione regreſſus eſſet, menſe Quinctili ex hac uita migrauit. Hoſtaſius, & Guido cum doctiſſimi uiri mortem immaturam; nam ſextum & quinquageſimum agebat annum; acerbè tuliſſent, honorificentiſſimè, Rauennatibus omnibus lacrymantibus, elatum, nobili ſepulcro donarunt: quod uetuſtate collapſum, Bernardus Bēbus Prætor, Petri Cardinalis pater, uir erudi tiſſimus, Muſis incenſus, Etruſcis, reſtituit. Rainaldus Archiepiſcopus, cum interea uideret Diuorum Benedicti, & Auguſtini familias, ſuæ ditionis, ciuitatis præſertim, Diœceſisq. Rauennatis, laxiore uiuendi inſtituto, uetere diſciplina plurimum defeciſſe, quod Deus benè uerteret, cuius & beatæ Virginis, Diuorumq. Apollinaris, Vitalis, & Vrſicini, Benedictiq. & Auguſtini, atque omnis aulæ cæleſtis, honori, & animarum ſaluti, & quieti hæc ſe præſcribere teſtatus eſt, his potiſſimum legibus conformauit. Primum ne quem ex Dominicanorum, Franciſcanorum, aut Eremitarum Auguſtinianorum ordinibus, in perpetuum, abſque illius uenia, in ordinem ſuum cooptarent. Deinde ne Antiſtitis, fratrisue arcanum, aut piaculum cuiquam quis patefaceret, præterquam ſuo Antiſtiti, aut Archiepiſcopo, eiusve Vicario, uel in eo conuentu fratrum, in quo aperire illud teneretur. Diſſidia, & huiuſmodi ſimultates, quæ in eorum familiis acciderent, nulli populari quis narraret, neque multò minus opem ab eo peteret, niſi ſi Aduocatus, procuratorve aut ſcriba eſſet, qui intereſſe illis neceſſario deberet. Qui a cubiculo eſſet Antiſtiti, ex eodem is ordine haberetur: qui omnia adminiſtraſſet, & quoque die Veneris, Antiſtiti, eiusve internuncio; ſingulis autem menſibus, etiam Antiſtiti, & Conuentui referret omnium rationem. Popularium conſuetudine ne uterentur, niſi Superioris permiſſu, qui duobus adiunctis ſociis id permitteret. Seruos autem, extra coquum, bubulcum, & olitorem, ne popularem haberent, cauit. Nullus popularis in triclinio cum fratribus epularetur: numquam a menſa abeſſet lectio. Quo in loco dormire fratres conſueſſent; appellant Dormitorium; in eo cum illis nullus alterius ordinis religioſus uir, extra fratres ordinis paupertatis, cubaret. Mulierem, aut puellam, quacumq. eſſet ætate, in clauſtrum, officinas, hortos cœnobii ne quis introduceret. Suſceptor cuiuſquam, patrinum, compatremq. dicunt, ne eſſet. Quibus horis aut dormitur, aut curantur corpora, aut ad Diuina incumbitur officia, illis ne quis è clauſtro exiret, ſed lectioni uacaret, aut aliquid manu in clauſtro ageret: niſi ſecus poſtularet aut muneris adminiſtratio, aut exoneranda aluus: quibus ubi eſſet ſatisfactum, ad clauſtrum ſtatim rediret. Domo exeuntibus Antiſtes comitem, religioſum daret, ſic ut honeſte, taciteq. incederent. Popularium ne ingrederentur domos, uel propinquorum etiam in mortis articulo: niſi ſi forte qui uocaretur, ſacerdos eſſet, neque haberi ſacerdos proprius poſſet, cum dicat Dominus, Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos: aut ſi ad ædes eſſet Medici, Aduocati, Chirurgi, Procuratoris ab Antiſtite miſſus. Si ob fratrum morbum, aut paucitatem comes illi dari non poſſet, tum præberet Antiſtes honeſtum, atque Eccleſiaſticum hominem, in ea magna neceſſitate. Tutelas, teſtamentariaq. popularium munera ne aſſumerent. Extra Triclinium,

nullo

nullo modo comederent, uinumve biberent, niſi ob morbum, aut in itinere, quo caſu Eccleſiaſticam, honeſtamq. domum, quoad eius fieri poſſet, quærerent. Conſulerent Antiſtites, iuxta ſuorum ordinum leges, fratrum ueſtitui, uictuiq. ſic ut pannus, uel pro Antiſtite, in ſingulum Rauennatis menſuræ cubitum, octo ſolidos non excederet: nec, ſi cui, maioris pretii donaretur, induere is illud poſſet. Nemini fratrum liceret, abſque ſuperioris uenia, dare quidquam, aut accipere: neque Antiſtes alicui, ultra ſolidorum triginta quinque ſummam, abſque conſenſu ſaltem maioris partis conuentus, præberet. Piæ erogationes de more fierent, uel pro locorum uiribus: Animaduerſionis, deteſtationisq. Diuinæ denunciatione, mandatum eſſet Antiſtitibus, ut Medicos adhiberent ægrotis, aſſidentesq. & exteriora. Panem, uinum, culinam, & cetera, omni cura prouiderent, ut iuxta Eccleſiæ, eorumq. ordinum præcepta, ſacra uti inedia fratres poſſent: Azardo, Latrunculis, Fritillo nemo luderet, ubi motus eſſet corporis, pedumve, aut manuum indecorus, aut aliis turpibus ſe immiſceret, uel iret uenatũ, aut ſpectaculis intereſſet. Antiſtes, quo frequentius, ardentiusq. poſſet, eſſet cum fratribus in triclinio, in clauſtro, & quotidiano conuentu, rem Diuinam faceret, ſanctoq. ſuo exemplo induceret ad ſeruandas regulas, de pia potiſſimum, promptaq. obedientia, integræ caſtitatis cuſtodia, & abdicatione omnis proprietatis, ut neque ueſtem, neque librum, neque pecuniam uel minimam, poſſidere auderent, aut nominare: obedientes foueret, deſides ſtimularet. Poſt completorium, clauderentur portæ omnes uſque poſt primas preces: uideretq. Antiſtes diligenter, an clauſæ eſſent, & apud ſe claues perpetuò haberet. Cum ex hac uita quis migraſſet, uicini omnes, ad primum lapidem conuenirent ad exequias: & in Conuentu vnde fuiſſet, ad trigeſimum ab interitu eius diem, quotidie ſacrum pro illius anima fieret: in aliis uerò locis ſingulis, ſemel. & ad triginta dies, in ipſo ſacro, oratio ex libro Miſſali certis uerbis concepta, pro mortuo haberetur: & nihilominus, quilibet ordinum ipſorum, ad triginta ipſos dies, ſeptem Pſalmos pœnitentiales uocatos, adiectis iis precibus, quarum eſt initium *Inclina*, *Deus omnium*, *& fidelium*. quotidie recitaret. Mortem illius intra biduum, Fratres conuentus, vnde fuerat, ceteris omnibus ſignificarent. Antiſtites æs alienum ne contraherent, legitimè contractum diſſoluerent. Qui ſacerdotes non eſſent, clerici ſaltem ſemel in hebdomada, die Dominico, & peccata ſua ſacerdoti confiterentur, & ſacram hoſtiam ſumerent: populares, quotannis octies, ſtatutis quos præſcripſit, diebus. Sacerdotes ſingulis diebus eſſent parati, ut eis dominus adminiſtraret, ſacroſanctam ſalutarem hoſtiam Domino offerre pro redemptione animarum ſuarum, & omnium uirorum, & fidelium mortuorum. Mortuo Antiſtite, & ad ſepulturam dato inuocaretur Spiritus ſanctus, ſacro peragendo, ſi ante prandium eſſet, uel cantico ad id ſcripto, ſi a cibo: Coactoq. conuentu, Senior; omnibus, extra Aduocatum, & ſcribam, inde expulſis; uacationem eius Magiſtratus referret ad Patres, hominemq. eligerent, ac ſufficerent idoneum: quod ſi hac ratione non conuenirent, decernerent, qua uia, ſcrutandisne ſingulorum ſententiis, an compromittendo, eligendus eſſet, ſtatimq. eligerent; ita ut è conuentu illo nemo exiret, uel preces aut litteras pro aliquo reciperet, exaudiretve: Qui egrederetur, neque is eligere, neque eligi deinde poſſet. Hæc autem quolibet

bet die Mercurio, primis recitatis precibus, nemine è conuentu illo exeunte, integrè legerentur. Antiſtites ordinis D. Benedicti, & fratres, ciuitatis, Diœceſiſq. Rauennatis, qualibet feria ſexta, dimiſſa in ſuis domibus, apta cuſtodia, in vnum ex ciuitatis huius cœnobiis, ſic ut circulo abſoluto in omnibus factum id eſſet conuenirent; ibiq. peracto de Cruce ſacro; niſi ſi quis incurreret ſolemnis dies feſtus; primò Antiſtes loci, quò conueniſſent, de ſuis ſe criminibus accuſaret, mox demiſsè ceteri: vnoq. loquente, reliqui tacerent. Inter Antiſtites diſſidium, fratreſq. antequam cibum ſumerent, pacatè componeretur: Quod ſi abnuerent, quàm primum Archiepiſcopo, illiusve Vicario renunciaretur. Idem conuentus ab Auguſtinianis in cœnobio Portuenſi ageretur. Hæc Rainaldus Archiepiſcopus pronunciari ad eos cum iuſſiſſet, illud etiam addidit, ut ſi in eligendo Antiſtite non adeſſent omnes, citarentur, conſtituta pro locorum interuallo, die. Qui hæc, piè aut legerent ipſi, aut legi audirent, iis ab omni criminum labe, per pœnitentiæ ſacramentum expiatis, quadraginta dierum pœnæ peccatis eius iniunctæ liberationem indulſit. De grauioribus fratrum caſibus, mandauit, ab iis qui confitentes audirent, Abbates proprios, aut, ſi uideretur, Archiepiſcopum, aut eius Vicarium conſulendos. In ueſtitum pecunia nequaquam daretur, ſed pannus, uti ſupra dictum eſt. Cum autem Rainaldus ſacrarum etiam Virginum, mores ac uitam conformaſſet, & in æde Vrſiana aram Cruci erexiſſet ac dedicaſſet; in qua ex marmore arcam, multis, & præſtantibus uirorum ſanctorum reliquiis plenam incluſerat; eamque, certis legibus latis prædiis ditaſſet: Sacerdotumque, qui Rauennatibus parœciis præſunt; conuentum, qui ſtatis, diebus parentarent, & pro mortuis pſalmos, & preces ex libris ſacris conceptas recitarent, iam multis ante ſæculis inſtitutum, & hoc Rainaldi tempore, ob ſacerdotum licentiam corruptum, reſtituiſſet; qui contumelias in Deum, ac ſanctos uiros, conuiciaq. iactarent, & meretriciis amoribus operam darent, aliiſq. uitiis notarentur, omnino reiectis, eodem anno M CCCXXI. non abſque ingenti apud omnes ſanctitatis opinione, Quinctodecimo kal. Septembris, tranquille decedens, in cæleſtem patriam euolauit: omni uir laude merito cumulandus: qui cum magnarum rerum humanarum uſu, tractationeq. religionem, & pietatis, rerumq. æternarum curam, coniunctam perpetuò habuit. Sepultus eſt in monumento ex marmore in æde Vrſiana: quod cum ſuperioribus annis Iulius Feltrius ab Ruuere Cardinalis, Rauennatum Archiepiſcopus, aperiri coram ſe mandaſſet, uiri ſancti cadauer; ut ipſe mihi affirmauit Cardinalis; integrum, ac penè recens, promiſſa barba, ſtatura procera, ingenua forma, & ſpecie ad dignitatem appoſita inuentum eſt. Ad eius cadauer, cum adhuc in ſepulcrum illatum non eſſet, multa miracula, & inſequentibus etiam diebus, & annis ſunt facta: & ut reliqua omittam, Iacobus Benincaſa, Iuriſconſultus Rauennas, cum, deſperata omni ſalute, & penitus deſtitutus, acerrimis podagræ doloribus affligeretur, ſeque, uoto nuncupato, diem Rainaldi feſtum quotannis ſolemniter celebraturum obligaſſet, poſtridie eius diei doloribus, & morbo ſolutus eſt. Quod Ioanni quoque Grado, in graui capitis, oculorumq. dolore, cum eſſet ad Rainaldi ſepulcrum profectus, eiuſq. opem ſuppliciter imploraſſet, per idem tempus contigit. Ex agro item Rauennæ, eo uico, cui Herboſæ nomen eſt, mulier Blonda uocata, cacodæ-

mone

mone, ſupra quam dici poteſt, agitata, a cognatiſq. ſuis, maxima ui ad Rainaldi ſepulcrum pertracta, liberatur. Pari felicitate Thomaſina, Petri Lambardani Rauennatis filia, ſacra uirgo cœnobii D. Mariæ cognomento Padrielis; quod in Cenceda a mœnibus haud procul erat; nunc in vrbem tranſlatum D. Stephani in oliuis appellamus; membrorum omnium reſolutione languens; cum uiri ſancti patrocinium inuocaſſet, repente ſanitati reſtituitur: atque hæc pauca de multis, quæ in dies fiunt, collegiſſe ſat fuerit. Chori, conuentusq. Rauennatis Eccleſiæ Vicarius erat hoc tempore Franciſcus Calbulus Canonicus Cardinalis. In locis autem ForoPompilianæ Diœceſeos Hoſtaſius Polentanus, Vicarium item gerebat. Verum paulò poſt Rainaldo in Archiepiſcopatum ab ſacratis uiris ſufficitur Rainaldus alter Rauennas, ex Polentanorum familia, Hoſtaſii primi filius, qui ad hanc diem Rauennatis Eccleſiæ Archidiaconus fuerat. Cum autem ea lege Archiepiſcopi Rauennates deſignati, hoc tempore tenerentur, ut illis ad Pontificem Max. intra menſtruum ſpatium, præſentibus adeundum eſſet, petendumque, Pontificem, ratum habere, ac firmum, quod ſacrati uiri Rauennates, in ſe deſignando feciſſent, per Bartholinum Parmenſem, Pontifici a ſcribendo, Guidonem è S. Fabiano, & Ioannem Morandi, Legatos, apud Ioannem Pontificem, XIIII. kal. Nouembr. in Galliam a ſe miſſos, Polentanus id fecit: adiectis litteris omnium primariorum ſacerdotum, ac ſcribæ item manu obſignatis, quibus erat ſcriptum, ſe abſque uitæ diſcrimine ingredi iter illud non poſſe: Maiores ſuos, auum præſertim, proauumq. atque etiam patruum, a Gibellina factione plurima ſemper incommoda, tum Florentiæ, tum aliis præterea multis locis, paſſos: eiſdemq. dum Flaminiam a Friderico Cæſare, pro Romana Eccleſia, recuperarent, pericula capitis ſumma ab illis conflata fuiſſe: & recenti iniuria Gibellinos Foroliuianos in eum irruiſſe. Ex quibus litteris; quæ ſeruantur adhuc in Vrſiana bibliotheca, coniici fortaſſe poteſt, Polentanos; quod tamen plerique ſcribunt; Gibellinæ factionis proceres nequaquam extitiſſe. Hoc tempore, cum Prætorem, Defenſores, Senatum, Rempublicamq. Faneſtrem, Pontifex; quod defeciſſent a Romana Eccleſia, & pleraq. alia facinora conſciuiſſent; eo edicto mulctaſſet, ut qui caperentur ex illis, in ſeruitute perpetua eſſent, apud eos, qui caperent: & eorum ſupplex occupari iure poſſet: atque ob id Ferrantinus Malateſta Ariminenſis, Faneſtres, eorumque bona infeſta redderet, Venetiq. ut inde Ferrantini conatus auerterent, Ariminum miſiſſent Legatos, qui Faneſtres in Venetorum clientela, ac patrocinio eſſe, Ferrantino & Ariminenſibus edicerent, accurateq. mandarent, illos abſtinere ab exhibenda Faneſtribus moleſtia, alioqui, ni abſtinerent, Venetos in Ariminenſes moturos, his Pontifex uehementer commotus, Auenione. VIII. Id. Febr. Pontificatus anno VI. Aimerico ſcripſit, huius Rectori Prouinciæ, curaret diligenter, ne Veneti patronos ſeſe Romanæ Eccleſiæ perduellium gererent: Pontificis ſenſum illis; & contumaciam Faneſtrium ſignificaret: moneret, uti mandata eiuſmodi reuocarent: Ferrantinum & Ariminenſes Romanæ Eccleſiæ parere, & ab illa haberi cariſſimos: Itaque abſtinerent moleſtia: *alioqui eos*; ſuis inquit litteris Pontifex; *ad reuocandum mandatum huiuſmodi, & abſtinendū a ſimilibus, ac nouitate prædicta, per ſpirituales & temporales pœnas, de quibus uideris expedire, tam Apoſtolica, quam Imperiali auctoritate, qua in nos,*

pro,

pro eo quod Imperium Romanũ Imperatoris regimine caret, ad præſens reſidere dignoſcitur, compellere non omittas: deſcripturus nobis, per tuas patentes litteras, uel inſtrumentum publicum harum ſeriem continens, quicquid in præmiſsis duxeris faciendum. Hæc Pontifex: qui de Romano Imperio ita ſcribit, quoniam magna adhuc erat inter Hludouicum Baioariæ Ducem, & Fridericum Auſtriacum, de Imperio contentio: quamquam Friderico, hoc anno, prœlio, a Hludouico uicto, captoq. finem habuit. Pontifex alteris ſuis ad Rauennates, ceterosq. Prouinciæ proceres ac Decuriones ſcriptis, hortatus eſt, ut Aimerico Rectori ſtipendia perſoluerent, quæ ſuperioribus Rectoribus, in equites tercentum, totidemq. pedites ſolui conſueſſent: Ipſorum id Prouincialium cuſtodiæ, & quietis cauſa fieri: Ad hæc, ne uſquam reciperent Andream, Lippatiumq. Auximates, Gonzolini filios: Taraboctum, Rainaldutii Tarabocti, Anconitanũ, aliquotq. præterea Recinetenſes, qui Auximatis, & Recinetenſis defectionis auctores fuerant. Iam enim eos a Laurentio Mondainenſe, Franciſcani ordinis cucullato, hæreticos illos, atque Idololatras, obſcænum domi Idolum colentes, eſſe declaratos. Quapropter ſi peruenirent in Flaminiam, eos caperent, haberentq. in cuſtodia, & Aymerico Prouinciæ Rectori interea fauerent.

Eodem hoc anno pax inter Rauennates, & Forliuienſes, cum hactenus eſſet de finibus dimicatum, tandem conuenit, opera Henrici Mauroceni, & Marci Cornarii, quos Dux, Reſpublicaq. Veneta, ad eam conficiendam Legatos miſerant. Itaque Cecho Ordelafo Foriliuii Præfecto aſſentiente, XIIII. kal. Maii, cum ipſe, Venetiq. Legati adeſſent, fines agrorum terminati ſunt, iiſdem locis, quibus fuerant antequam belli tempore dimouerentur. Magnis interea bellorum procellis, ac ſumptibus agitabatur Pontifex, qui cum Carolum Valeſium, Gallici Regis fratrem, in Galliam Ciſalpinam ſuperiore anno, de Roberti etiam Regis ſententia, a ſe miſſum, reditum meditari accepiſſet, Raimundum Cardonam Taraconenſem, cum magno exercitu, deſcendere in Italiam hoc anno iuſſerat, ut coniunctis cum Bertrando, tituli S. Marcelli preſbytero Cardinale, Pontificio legato, conſiliis, copiisq. ad Pontificis obſequium eam Prouinciam adduceret. Picenum quoque omne, & finitimæ regiones, perduellium Friderici præſertim Montisfeltrii motibus mirum in modum turbabantur: tametſi per id tempus populari tumultu Vrbini excitato, Fridericum ipſum, & filium, qui eius Præturam ciuitatis gerebat, Vrbinates trucidarunt, ſeq. Romanæ Eccleſiæ dediderunt: Cum tamen contrà, Claudellus Articlinus, Stephanus Donolus, & plerique aſſeclæ, Cæſenam Ferrantino Malateſtæ, qui eam regebat, & Pontificias in Flaminia partes tuebatur, adimere, & Vberto Glazoli comiti, Filiutio Mazolino, & aliis exulibus tradere tentaſſent. tot igitur circumuentus, ac penè obſeſſus curis Pontifex, has ad Rauennates dedit litteras. *Ioannes Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis ... Poteſtati ... Capitaneo .. Sapientibus, Conſilio, & Communi ciuitatis Rauenna, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quantum aduerſus vos fideles, ac deuotos ceteros regionis, præſentis temporis exigente malitia, continue viget hoſtilis iniquitas, & proteruia rebellis excreſcit, vos proculdubio, filij, bene ſcitis, qui tanquam ſignum ſagittis expoſitum, patetis perſequentium ictibus, & nos etiam indubiè nouimus; qui ex paterna charitatis affectu, perſecutionis veſtræ conſortio non caremus; partes noſtræ ſollicitudinis adhibentes, ut huiuſmodi hoſtium atque rebellium*

conculcata

conculcata ſuperbia, quieſcat a tot, & tantis laboribus ipſa mater Eccleſia, noſque Domino auctore, fruamini quietis, & pacis pulchritudine opulenta. Et quia pecuniaria tallia, hoc anno ferè præterito uobis impoſita, in futuro menſe Septembri expirat, in qua ipſa Eccleſia ſibi aſsiſtere ſolitas reſpicit manus ueſtras, uniuerſitatem ueſtram rogamus, & hortamur attentè, quatenus pro inſtanti futuro anno, huiuſmodi pecuniarũ talliam, dilecto filio, Prouinciæ Romandiolæ Rectori, nomine noſtro, & ipſius Eccleſiæ ita promptè & efficaciter exoluatis, quòd ex promptitudine circa id, ueſtræ deuotionis, & fidei, noſtram, & ſedis Apoſtolicæ gratiam poſsitis uberius promereri. Dat. Auenione. Id. Auguſti, Pontificatus noſtri anno VII. Rainaldus Polentanus, Archiepiſcopus deſignatus, cũ interea Pontificis reſponſum, Legatosq. ſuos expectaret, ab Hoſtaſio Polentano, Bernardini filio, fratre patruele, quem diximus vnà cum Guidone, Rauennatem arripuiſſe principatum, interficitur. Cum enim XIII. kal. Octobris Hoſtaſius ueſperi Rainaldo dixiſſet, Ceruiam ſe poſtridie abire conſtituiſſe, atq. in itinere interim uenari, eaq. de cauſa illius equos, ſibi fortaſſe opus futuros, Rainaldus omnia prolixè pollicitus eſt. Mane, inalbeſcente uix adhuc cælo, cum miſiſſet Hoſtaſius, qui vrbis claues ab Rainaldo acciperet, easq. habuiſſet, introductus eſt, cum ualida manu militum Vgulinus, Bernardini Cunii Comitis, filius, continuoq. ad Rainaldi ædes concurſum eſt: ibi cum Hoſtaſius colloqui ſe cũ Rainaldo de magnis rebus uelle diceret in cubiculũ admiſſus, vnà cũ Vgulino, & ſeruis armatis, Rainaldum, cum etiam tũ in lecto eſſet, per ſummum ſcelus obtrũcant. Huius facinoris, ſocietatis, & fidei impatiens dominandi libido, inſanaq. Regni cupiditas, quæ tranſuerſos agere plerumq. mortaliũ conſueuit animos, cauſa fuit: Erat Rainaldus facile omnium Polentanorum, & aliorum Rauennatum ciuium Princeps, populariq. gratia florebat: Sed quamquam renuebat Hoſtaſii imperium populus, coactus tamen paucorum potentia; nam & Malateſtarum Ariminenſium ope nitebatur; tyrannidi ceruicès præbuit. Guido Nouellus Rainaldi frater, Bononiæ, Banninus eorum patruus, Florentiæ Præfecti, tunc temporis aberant. Exitu anni ſacrati uiri Rauennates, ciuitatis, Dioeceſisque florenos aureos centum nonaginta, ad Cautibranchem Scalam, è ſocietate Scalarum Florentina, familiari, internuncioq. Bertrandi Cardinalis, ad Galliæ Ciſalpinæ, Tuſciæ, nonnullasq. alias Italiæ partes a Pontifice Legati, penſionem ex litteris Pontificiis debitam, per Antonium Genarium, Vgonis filium, Rauennatem, miſere. Guido Nouellus Polentanus, licet initio inſequentis anni, qui fuit a partu Virginis MCCCXXIII. aliorum exulum Rauennatum, ciuium nobiliſſimorum, ope, Bononienſisq. militiæ apparatu, coniunctis cum Cicco Ordelaffo Foroliuii Præfecto, viribus, hoſtilem in modum, ad portæ Hadrianæ ſuburbium contendiſſet, putans fore, ut non minus copiarum ſubſidio, quàm ſtudio popularium, Rauennam reciperet, tamen deprehenſo ab Hoſtaſio, & aſſeclis, eo conſilio, cum hæc illum ſpes fruſtrata eſſet, re infecta diſceſſit, nec diu poſt, Bononiæ, exul, Regnoque Rauennati ſpoliatus, uir alioqui inſignis, obiit. Per idem tempus, Rainaldus Eſtenſis, ut Argentam occuparet, Opizonem fratrem eò miſit, qui rem conficeret, ſua ſententia, multis de cauſis, ſed Archiepiſcopatu præſertim vacante, facilem. Verùm Opizo, verbis Argentanorum fiſus, qui ut oppugnatione abſtineret, poſtridie ſe deditionem facturos dixere, intereaq. introduxere Venetos, ludificatus, ad Rainaldum re infecta rediit. Ioannes Pontifex, ne quid detrimenti Eccleſia Rauennas acciperet, Pa-

ANN. M. CCC-XXIII.

Zz ſtore

ſtore nudata, Archiepiſcopũ illi præfecit Aimericum è caſtro Lucii, huius Pro
uinciæ Rectorem, uirum egregiis uirtutibus clarum: litterisq. ad eum VII. Id.
Aprilis, Pontificatus anno VII. Auenione ſcriptis, mandat, ut aduerſus Rainal
dũ Azzonẽ, & Opizonem Eſtẽſes mouenti Bertrando Cardinali Legato, aſſiſte
ret, faueret, & qua ratione poſſet, ferret opem. Tentabat interea Vbertus Mala
teſta Glazoli Comes, Rambertũ Malateſtam, ut de occupando Arimino, iniret
conſilium, ſecum: paratis autem, ut uidebatur, omnibus, ad Caulem contendit
ANN. M.CCC XXIIII. ibi confidens, de improuiſo a ſuis. XII kal. Febr. confoditur, & ad forum Bran-
dorum defertur, tanto malo a Ramberto deceptus. Aimericus Archiepiſco-
pus, & Prouinciæ Rector, ditionẽ vno itinere vtramq. inuiſens, Meldulæ, octa
uo Kal. Martii fuit, illiq. tum in ſacrario Franciſcanorum fratrum, inſpectanti-
bus Comite Rogerio è Douadula, Ramberto Comite Glazoli, Thomaſino
Aquabello, Ioanne Sperono Britonoriano, atq. aliis, Arduinus D. Hilari Gallia-
tenſis Abbas, more maiorum, genibus innixus, contacto Euangeliorum libro,
ſolemne obſequium præſtitit. Abiit deinde Aimericus Ariminum, interfuitq.
cum militari cingulo inſigniti ſunt. III. Non. Iun. ipſo feſto Pentecoſtes die, Pã
dulfus Malateſta, Malateſta, & Galeotus eius filii: Ferrantinus, eiusq. filius Ma
lateſtinus: Rãbertus, Ioannis claudi filius; Ioannes Tini fratris filius, ex Malate
ſtia omnes familia: Oddo Bernardini Vrbinatis, Muzolus Dotoli Ariminenſis;
Ghellus è Caliſidio, Rainaldus Cincius Cæſenas, Iacobus è caſtro S. Petri, Gui
do è Carignano, Faneſtris. Cũ eo die magna hilaritate, lætitiaq. omnia Arimi
ni complerentur, aduenissentq. ea de cauſa ex omni Flaminia, Tuſcia, Piceno
uiri complures nobiliſſimi, omnesq. ferè huius Prouinciæ proceres, honoris er
go, munera magnifica miſiſſent. Menſe Iulio Comes Sperantia, cum Friderici
Comitis filiis, Vrbinum, aſſentientibus, uolẽtibusq. ciuibus rediit; nec diu poſt
Aimericus ab Ioanne ſummo Pontifice accepit litteras, Auenioni kal. Iulii,
Pontificatus anno VIII. ſcriptas, quibus mandabatur, ut Biordi Aretini filios,
poſtquàm fidelitatem Eccleſiæ Romanæ, & ſummis Pontificibus, eorumq. ad
miniſtris iuraſſent, commendatos haberet. Exarſit tamen paucis poſt diebus
bellicum aduerſus Ferrantinum Malateſtam incendium, quod reſtinguere Ai
mericus plurimum nixus eſt. Reſtituerat Malateſtinus Ariminẽſium, exulumq.
Vrbinatium ope, caſtrũ Cauallinum, & montem Fabiorum, cum repente Spe
rantia, & Friderici filius Nolfus, Aretinis ſecum ductis copiis; in quibus pedi-
tum quattuor millia, milites, ut eorum utar uoce, octingenti fuerunt: præda, &
cædibus uaſtatis vndiq. agris, Ferrantino uix incolumi abeunte, cum paucis,
qui eorum aduentum acceperat; caſtra tandem, non abſq. difficili oppugnatio
ne, quamquam non inulti, expugnarunt: Quo felici commotus euentu Clau-
dellus Articlinus, Cæſenas exul, adimere & ipſe Ferrantino, quam regebat
Cæſenam denuò auſus eſt: Sed cum menſe Auguſto, Cichi Ordelafi copiis,
auxilioque ſuffultus, per domum Lucentis, eſſet vrbem ingreſſus, captus, cum
ſociis, temeritatis pœnas dedit. Argentanum negocium accuratius Rai-
naldus Eſtenſis, Ferrariæ Marchio confeciſſe uiſus eſt: qui fœdere cum Vi-
cecomitibus, Bonacoſſis, Scaligeris, & pleriſque aliis Ciſalpinis, Tranſalpi-
nisq. Regulis facto, req. omni cum Guidone Troncaduro, & opidanis ali-
quot tractata, opidum aggreſſus, nullo ferè labore, Tert. kal. Nouembr. cepit:
nec multo poſt, arcem quoque adeptus, omnem tandem eam ripam, ipſumq.
ſanctum Albertum, Rauennatium uicum, anno eodem MCCCXXIIII. te-
nuit.

nuit. Aimericus, quando alia non poterat, monuit diligenter Eſtenſem de Argenta reſtituenda: ſed cum non proficeret quidquam, ad extremum; Ioanne Pontifice auctoritatem per litteras impartiente, iubenteque; dirarum telum in Eſtenſes detorſit: Mox conuerſus ad Archiepiſcopatus cetera bona rectè adminiſtranda, eodem anno, Ramberto Malateſtæ, Vberti filio, opidum Glazolum, dimidiamq. partem Valdepondi; quod eſt in ForoPompiliana Diœceſi beneficiario iure confirmauit: Idem Bandino Aghinulfo ab Romena Vberti filio, de opido Monte Boario tribuens: opidum quoque Valdenucium; quod Rauennatem Eccleſiam ſpectat; & agrum ForoPompilianum, ac Caſtri noui, iure Emphyteutico, ac beneficiario, Iordani, & Cechino, Guidonis Valdenuciani, uiri nobiliſſimi, filiis, necnon Ciuccio, Nanni, & Perino, Muccioli item Valdenuciani filiis, tradidit, ſic ut dimidia pars illis, altera his tribueretur: qui omnes ſacramentum apud Aimericum dixerunt. Nec multo poſt accepit graues ab Ioanne Pontifice litteras, quibus Hludouicus Bauarus Chriſtianæ communitatis, & ſacrorum expers renunciabatur, iubebaturq. uti Aimericus diebus feſtis per omnem Flaminiam diuulgandas illas curaret, hortareturq. ac mandaret, ut Hludouici congreſſum omnes uitarent. Eo uerò magis ſe in Hludouicum permotum ſcribit Pontifex, quòd Galeatio Vicecomiti, & illius fratribus, quamuis eſſent hæreſeos damnati; & nonnullis prætera Eccleſiæ perduellibus fauiſſet. Poſtquam autem per alteras litteras, paſſim eadem ratione diuulgandas, Hlodouico ut ad illum adiret, cauſamq. ſuam præſens diceret, animaduerſionis Eccleſiaſticæ denunciatione mandauerat, neque Hludouicus paruiſſet, huc ſe dicit deſcendere coactum. Nam, quòd ad deſignandum Imperatorem ſpectat, *electio huiuſmodi*; ut ſuis inquit litteris Pontifex. XV. kal. Nouembr. Auenione datis; *& perſonæ electæ examinatio, approbatio, admiſſio, ac etiam reprobatio, & repulſio, ad ſedem Apoſtolicam pertinet.* Cum autem acciperet, noua quotidie fœderatos moliri, & arma parare in Pontificiam ditionem, ſcripſit ad Aimericum VII. kal. Febr. anno Pontificatus nono, ut Bernardini Comitis Cunii progreſſus accuratè obſeruaret: quem ſi uidiſſet à fidelitate eccleſiæ deſciſcere, ſeq. cum perduellibus coniungere, ſtuderet, ne quid Prouincia detrimenti acciperet; laborare enim perduelles, ut ad ſuas illum partes traducerent. Pandulfus Malateſta; qui Prætor, ac Defenſor ciuitatis, agriq. Ariminenſis, iis, unde hæc hauſimus, tabulis, appellatur; pridie kal. Aprilis, opidi Catholicæ incolas, immunes, ac liberos eſſe iuſſit: præberent tantum pridie D. Iuliani, quotannis brauium: & qui opidum incolerent, aduenæ, Rauennates ſolidos quinque in ſingulos ſoluerent. Eodem hoc anno, qui fuit ab orbe redempto, vigeſimus quinctus ſupra milleſimum tercenteſimum, Bartholinus Vaccarius Ceruienſis, quem Banninus Polentanus eius Prætor ciuitatis miſerat in exilium, ipſam urbem ingreſſus, nefario Hoſtaſii Polentani furore inſtinctus, tumultum excitauit, Hoſtaſii nomen, felicitatemq. inclamans. Hoc Banninus audito, vnà cum filio profugit ex urbe. Verum Hoſtaſius Bannini filium, ante portas Rauennæ, inhumana cæde iugulari, Banninum per deuia fugientem perſequi, iuſſit, cumque aſſecuti illum ad tumbam Thautorum eſſent, necari: Inſequenti anno, militare ingenium Polenteſiæ, Guidonis Nouelli Polentani filiæ, præclarè enituit, cũ Rãbertus Malateſta. VII. Id. Iulii,

ANN. M. CCCXXV.

ANN. MCCC XXVI.

conuicii ſpecie, Ferrantinum Prætorem, ac Præfectum Arimini, Malateſtinumq. eius filium, Galeotum item Pandulfi filium, ac plures præterea Arimi nenſes, domi ſuæ, cepit, ipſamq. ciuitatem ferè omnem, ratus eam ſibi omnino ſubigere, occupauit. Tumultu eam ob rem facto Malateſtini uxor Polenteſia, diſtricto enſe, & manu ſua Ferrantini uexillo in forum producto, diu uiri nomen, magnis ſublatis clamoribus, extulit ac ſuſtinuit. Ceterum cum putarentur iam Malateſtinus, & reliqui, mortui, tandem in fugam acta, receſſit. Galeotus tamen haud ita diu poſt è cuſtodia dimiſſus, Malateſtæ Pandulfi filio, opem, vnà cum Faitanis, tulit, ut è Piceno redeunti, aditus in vrbem, nocte, porta S. Andreæ pateret. Quo factum eſt, ut Rambertus ipſe, & Ioannes, fratris filius poſtridie mane ex vrbe pellerentur. Guido tamen Archipresbyter, Ramberti frater, qui cum nouem annos Arimino exulaſſet, pridie eius diei, redierat, captiuos quos diximus, ſecum ad opidum S. Archangelum abduxit: Sed in concordiam paucis poſt diebus reducti, captiui dimiſſi omnes, Guido Archipresbyter introductus in vrbem, Rambertus in agrum relegatus. In iis perturbationibus, Aimericus & uehementer Galeotum, Malateſtamq. laudauit, & Ioannis Pontificis litteras, quibus ut in officio manerent, & Ferrantinum iuuarent, etiam atq. etiam hortabatur, reddidit. Britonorii autem ſe continebat, ut propius adeſſet, quò inclinaret res; Id Cæſenæ accidit: cui cum Ghellus è Caliſidio, & Rainaldus Cintius equites Cæſenates dominarentur, Rainaldus auxilio Ramberti Malateſtæ, qui equites tercentum, pedites centum ſuppeditauerat, ceperat Ghellum, & filium in fugam coniecerat: Poſtquam autem aliquot dies, domi ſuæ Ghellum habuit in cuſtodia, in opidum Montem ueclum ita occultè illum in carcerem miſerat, ut mortuus ab omnibus haberetur. Cũ autem Cæſenatem Præfecturam, in locum Ferrantini Malateſtæ, qui ad eam diem præfuerat, iniiſſet, Aimengonus huius Mareſcalcus Prouinciæ, & Amblardus Vicecomes opidorum Eccleſiæ Rauennatis, Aimerici Archiepiſcopi, & Rectoris, fratris filii, Rainaldo eos ad Cæſenæ cuſtodiam euocante, cum equitibus quinquaginta, ad Articlinorũ opidum, nomine Burghettum, XVII. kal. Aug. acceſſerunt. Rainaldum interea eos aduocaſſe pœnituit, portaq. illos vrbis prohibebat, cum diceret, ſe claues non habere. Verum Amblardus oſtiolo, cum uiginti circiter equitibus vrbem ingreditur, & affatus Rainaldum, ambo vrbem egreſſi, Mareſcalcum conueniunt; multis uerò uerbis ultro citroque habitis, cum ea eſſet ſermonis Rainaldi ſumma, ne vrbem ingrederentur, captus ab illis eſt, & ad Aimericum miſſus. Magno ob id tumultu Cæſenæ miſcentur omnia, & vndiq. populi inclamatur nomen. Mainardinus Articlinu, Henricus Palatius, & complures alii Cæſenates exules, Cicco Ordelafo, Foroliuii Præfecto iuuante, ad pontem S. Martini properarunt, rati fore, ut in vrbem reciperẽtur, ſed Aimengonus, Cæſenate populo ſecum ducto, ſeſe illis ad pontis caput obiecit, & poſtquam pugnatum aliquandiu eſt, expulit; cum cecidiſſent in eo prœlio Vitalis Palatius, Fuſcus Bonatus, & alii complures. Henricus Palatius in valle Sancti Victoris, abſque vulnere mortuus inuentus. Ceterum biduo poſtquam Rainaldus captus fuerat, Aimericus Archiepiſcopus, & Rector, Cæſenam abiit, ſummaque omnium gratulatione exceptus, tradente populo, ciuitatem accepit. Tum Ghellus è cuſtodia dimiſſus, & multi exules in patriam reſtituti, concordiaq. Cæſenatibus genita;

paucisq.

paucisq. poſt diebus nouam arcem, propria impenſa, ædificare aggreſſus eſt.
Rainaldus multa, eademq. magna crimina cõfeſſus, Britonorii, capite mulcta-
tur. Hoc interim ſpacio, cum in dies Rainaldus Archiepiſcopus Rauennas
iam mortuus, admirabili prodigiorum claritate eluceret, eodem hoc anno,
menſe Auguſto, quæſtio de illis, a Nicolao Cortonenſi, Aimerici Archiepi-
ſcopi Vicario, inſtituta eſt, multis teſtibus, qui ſe grauibus periculis, ac mor-
bis, uoto illi nuncupato, Diuinitus liberatos iure iurando affirmabant, in
Vrſiano templo, collectis; ut iis tabulis conſtat, quas hac de re Ioannes
Morandus, Morandi filius, Guidonis nepos, Rauennas ſcriba, ad ea te-
ſtimonia ſcribenda uocatus, confecit. Sub id tempus Verra familia Rauen-
nas, quæ Venetias profecta, Patritiaq. facta omnibus honorum ornamentis
decorata fuerat, Andrea Verro abſq. liberis decedente, deleta eſt: & Hoſta-
ſius Polentanus, Rauennatem Præturam diligenter gerens, Guillelmi Polen-
tani, Præfecti Portuenſis, cõſilio impulſus, municipales ciuitatis leges confor-
mauit, & in uolumen unum retulit: quibus eſt cautum, ut ſummum ius, penes
eum, & Principatus Reipubl. Rauennatis eſſet. Earum legum edendarum mu-
nus Vgulino Buccolo, Nicolao Carneuali, iureconſultis, &; ut tunc ipſi dice-
bant; iudicibus, ac Petro Suclo, Guidoniq. Raualdo, ſcribis Rauennatibus, in-
iunctum eſt: fuitq. is annus uigeſimus ſeptimus ſupra milleſimum tercenteſi- ANN.
mum: ſub id ferme tempus, cum Aimericus Archiepiſcopus, & Prouinciæ Re- MCCC
ctor, in arcem ab ſe Cæſenæ conditam, menſe Maio ad habitandum ſe contu- XXVII.
lit, eiusq. ciuitatis Præturam iniit, cuius etiam Vicarius dicebatur; & Hludo-
uicus Bauarus, Romæ a Stephano Columna, vrbis Senatore, coronam; renuen-
te Pontifice; Auguſtalem accepit. Quamobrem litteræ a Pontifice ad Aimeri-
cum denuò miſſæ; quibus Hludouicus e piorum communione exturbatus de-
clarabatur, iubebatq. ab Aimerico omni id illius diuulgari ditione. Quod &
de Petro Coruaria præcipiebat: Nam Hludouicus, ſeditioſum hunc uirum, do-
mo Reatinum, qui, inuita uxore, cucullũ in Franciſcana familia induerat, pſeu-
dopontificem creatum, & Nicolaum Quinctum appellatum, Ioanni oppoſue-
rat. Aimericus igitur nihil Hludouicum, aut Corbariam ueritus, Pontificis im-
perata fecit: ſtrenueq. Flaminiæ populos, Rauennatem præſertim, quem unicè
diligebat, in officio cõtinuit, & ſi quid Bauarum cuperet, ad Pontificem adiun-
xit. Monuit etiam Foroliuianos, ita per litteras. V. Idus Iun. Auenioni ſcriptas.
edoctus a Pontifice; ne Spoletinos exules, aliosve perduelles, qui turbare fre-
quẽter quietã, & florentem hanc Prouinciam cõſueuerant, & maleficia cõmit-
tere, ulla ratione exciperent: quod & alias ciuitates, atq. opida monuit. Sed ex-
tremo menſe Iulio turbata admodũ eſt ciuitas Fauentia: Hoſtaſius enim Polẽ-
tanus, ut ſparſi rumores ſunt; Alberghettino Mãfredo Fauẽtino, Franciſci filio,
fuit auctor, ut coniunctis cum Cichino Manfredo item Fauentino conſiliis Fa-
uentiam adimeret Franciſco patri, qui tũ fortè aberat: quod pulſo inde Fulce-
rio Calbulo Foroliuiano, ciuitatis Præfecto, exturbataq. omni familia patris,
facilè contigit: nec diu poſt, ipſum quoq. Cichinũ, ad colloquiũ Hoſtaſii, pro-
pe D. Mariæ è foſſa, ab ſe miſſum, excluſit urbe, & familiam eius vniuerſam eie-
cit Alberghettinus. Haud diſpari ferè ratione, prœliũ in ipſa vrbe Foro Corne-
lii kal. Septembr. exarſit, populo eius ciuitatis in Ricciardum Manfredum Fa-
uentinũ Prætorem, Præfectumq. irruente, quòd tradere vrbem Bertrando è

Podietto Cardinali, Pontificio Legato, Bononiæ commoranti, diceretur. Per hos enim dies Ioannes Pontifex, infeſta iam pridem populorum defectione accenſus, ut ciuitates Italiæ ad antiquum Eccleſiæ obſequium reuocaret, Bertrandum tituli S. Marcelli presbyterũ Cardinalem, ciuem ſuum, id autẽ eſt, Cadurcenſem, Legatum in Italiæ prouincias miſerat, exercitu ornatiſſimo attributo, quo uim facere imperium detrectantibus poſſet. Eum aduentantem, Bononienſes cum Carrocio egregiè inſtructo, ſacratis uiris, atque Epiſcopo obuiam ex vrbe effuſi, magno ſtudio receperant, ac mox Conſilio populi habito, vrbis illi imperium tradiderant. Aimericus Archiepiſcopus, Arduinum Galliatenſem Abbatem, iuſſu Pontificis, in eo munere confirmauit, a quo deiectus fuerat, eodem iubente Pontifice; ad quem nonnulli detulerant de aliquot maleficiis Arduini nomen, purgauit enim ſe apud Pontificem diligenter Arduinus. Ioannes Dux de Auneſtis ciuis nobiliſſimus Rauennas, tunc temporis Cæſenas, IIII. kal. Ianuar. Guillelmo Polentano, Præfecto Portuenſi, ius ſuffragii ſuum, in Rectore templi D. Mamæ Rauennatis, deſignando, tunc tantum dedit. Cum autem de prophana, temporalem appellant, iuriſdictione ruris Portus maioris, & aliorum quorundam locorum ab Aimerico Archiepiſcopo, & Republ. Ferrarienſe pro Romana Eccleſia diſceptaretur, Bertrandus Cardinalis Legatus, cum iudicium eius controuerſiæ integrum, ad illum Aimericus, & Ferrarienſes reieciſſent, ita Pontificis auctoritate rem omnem compoſuit, ut iuriſdictionem Aimericus Reipubl. Ferrarienſi daret, Reſpubl. Aimerico ſex millia Florenorum aureorum numeraret. Iam enim redire cum Pontifice in gratiam Marchiones Eſtenſes ceperant: cumq; Hludouicum Bauarum, Mediolani, Galeatium, Ioannem, & Luchinum Vicecomites, Matthæi Magni filios nouiſſent in carcerem conieciſſe, ut vrbis imperio potiretur, rebus ſuis conſulentes, neque illi amplius fiſi, quo cum fœdus inierant, Legatos miſerant ad Pontificem, qui ſolemne obſequium præſtarent. Quòd cum eſſet factum, communionem illis Pontifex piorum reſtituit, & reddita Archiepiſcopo Rauennæ Argenta Ferrariæ Vicarios confirmauit. Bertrandus Cardinalis Legatus ſtipendium interea ſibi, procurationis nomine, a ſacratis Rauennatis Prouinciæ uiris perſoluendum, Rauennati Archiepiſcopo, in hunc, quem ex tabulis publicis accepimus, modum præſcripſit, ſubiunctis illi Antiſtitibus partiendum. Rauennati ipſi Archiepiſcopo floreni imperantur DLXXV. Epiſcopo Parmenſi LXVIII. Regienſi CCCCIII. Mutinenſi CCIX. Bononienſi DCLXXV. Fauentino CCCXLV. Foro-Corneliano CCCX. Fauentinino CCCX. Forliuiano CCVII. ForoPompilia CCVII. Cæſenati CIII. Saſſinati CIII. Ariminenſi CCCXLV. Ceruienſi XXIII Hadriano CXXVI. Cymaclienſi XXXV. Abbati Põpoſiano CXXVI. Abbati Nonantulano LXXXI. Abbati è Taliato Ferrarienſis Diœceſis LXXXII. Galiatenſi XCII. S. Mariæ è Mõtino III. Plebi è Mercatello XX. Plebi Bagnacaualli XX. ſic ut omnium ſumma ad nongentos triginta unum florenos ſupra quatuor millia aſcenderet: & cum Epiſcopis, ſacrati Eccleſiarum ſuarum uiri tributum conferrent. Quoniam uerò exeunte hoc anno MCCCXXVII. Pontifex Auenioni. VI. kal. Ianuar. Oſtienſi ac Velitrenſi Epiſcopatibus Bertrandum cohoneſtauit, mortuo tum Rainaldo earum ciuitatum Epiſcopo, litteris ad eum datis, ſanxit, ut quod illi munus, quamq. iuriſdictionem

nem mandaſſet, cum ſacerdos ad titulum S. Marcelli eſſet, eadem illi tum Epiſcopo in tegra ſeruaretur. Has Bertrandus litteras, cum ſuis, poſtero anno Bononiæ Nonis Februarii ſcriptis, miſit Rauennam, ubi. IIII. Non. Mart. publicè recitantur. Cum uerò exercitu. V. kal. Iunias Fauentiam admoto, excurſiones in Rauennate Bertrandus fieri mandaſſet, ipſeq. paulo poſt cum magna manu ad vrbis portas excurreret, Rauennates ſtrenuè repugnãtes, certum frumenti numerum, quod Bononienſes Rauennæ habebant, ad portum ſparſere. Itaq. quòd fruſtra teri tempus, & maioris molis Rauennate negocium videretur, Fauentiam reditum eſt: cuius vrbis agro præda, & populationibus vaſtato, ademptoq. ponte S. Proculi, tandem Bertrandus, potitur vrbe, Alberghettino Manfredo certis eam condicionibus, menſe Iulio, tradente. Maior hinc de reliquis vrbibus Flaminiæ, Legatum, ſpes, & cupido, Rauennates, & finitimos timor inceſſit. Itaque ex Foroliuienſibus, Bagnacauallenſibusq. proceres, cum Rauennatibus, factionis fœdus Gibellinæ feriunt, ſeſeq. aduerſus Legati impetus muniunt: Quò factum eſt, ut quamquam Bononienſis populi tribus duas equitare Legatus in Foroliuianum agrum, mox in Foropompilianum, menſe Auguſto, tandem Ceruiam, quam ſperabant per proditionẽ ſe occupaturos, iuſſit, re tamen infecta redierint domum, quòd immatura cõiuratio patuiſſet. Eodem tamen Auguſto menſe, ipſis kalen. in arce Douadulæ Bartolatio Mainardo Britonoriano, atque aliis inſpectantibus, Liuzinus, Nannes, Nerius, Rigo, & Malateſta, Manfredi è Valbona filii, cum in defectione a Romana Eccleſia, & huius Rectore Prouinciæ perſtitiſſent, occupaſſent caſtra, & Bellum Vicariatui, ita enim appellant, Galliatæ intuliſſent, incendia excitaſſent, homicidia, innumeraque penè maleficia admiſiſſent, coram Rogerio è Douadula Comite in Tuſcia Palatino, Vicario pro Romana Eccleſia in partibus Galliatæ, & Flumanis Caſatici, & Raiborum, atque item Aimerico Rolando, pro eadem Eccleſia huius Prouinciæ Mareſcallo, Eccleſiæ Romanæ nomine accipientibus, debitum obſequium præſtitere, polliciti neminem ſe exulem, aut Romanæ hoſtem Eccleſiæ, præſertim filios Comitis Tigrini è Porciano, tectis, ac ſedibus ſuis recepturos. Timirolo, & Peregrino de Aquabelli, arcem Poſſoli, intra tres dies, Franciſchino Guidonis è Valbona filio, & Sandro, Guidatioq. fratris filiis, quidquid in occupando opido Bidimeolo ademptum illi fuerat, intra decem dies, reſtituturos: & pro iis omnibus ſeruandis, tradituros ſe Aimerico Archiepiſcopo, Flaminiæ Rectori, Romanæ Eccleſiæ nomine accipienti, intra triduum, Biſerrum, & Montem Rizolum opida, & libras quadraginta quinque, ſingulis menſibus, in ſtipendium præſidii eorum opidorum, perſoluturos: nihil acturos, in opidanos Bocane, & Flumanæ Raiborum, qui quo tempore gerebant bellum, Eccleſiæ paruerant. Ab Archiepiſcopo Rauennæ, adminiſtratore cœnobii Galiatenſis, tabulas de caſtris, locisq. ad cœnobium illud ſpectantibus, renouato iure accepturos, tandem perſoluturos, quamcumq. Prouinciæ Rector, & Quæſtor maleficiorum mulctam illis dixiſſent: Acceperat per idem tempus, Aimericus Archiepiſcopus, a Cæſenate Reipubl. in fidem, clientelamque portus Cæſenatici caſtrum, cum Hoſtaſius Polentanus ſocium ſeſe Cicco Ordelafo, Foriliuii Præfecto adiungens, unà cum Comite Claramontano; qui ſe huius Comitem, Rectoremq. Prouinciæ pro Hludouico Bauaro dicebat; octingentisq.

ANN. MCCCXXVIII.

tiſq. militibus, peditibus ad octo millia, ad ipſum caſtrum copias admouit, menſe Septembri: & cum decem tantum ſerui præſidio illius eſſent, coniuratione etiam cum pleriſq. inita, occupauit. Mox turrim continenti opere, quæ erat ad portum, ſolo æquauit. Sed paulo poſt Aimericus, Bertrandi Legati ope, & recepit caſtrum, & egregiè muniit, cum adhuc Præturam, Præfecturamq. gereret Cæſenatem. Poſtero anno Rauennates, menſe Martio, fœdus cum Bertrando Legato inierunt: A Foroliuianis idem, & Ceruienſibus eſt factum: Ceterùm Fauentina defectione hæc penſantur, Alberghettino Manfredo, ſeſe ab Legato abducente. Itaque cum eam Legatus pridie Non. Iul. circumſediſſet, tandem VIII. kal. Auguſti, Franciſci Manfredi patris, & Ricciardi fratris conſilio, magniſq. Legati promiſſis, pactionibuſq. adductus, ac in eius familiam, ac gentem honeſtiſſimè cooptatus, eam Alberghettinus Legato reſtituit, parum ſtabili rerum humanarum condicione: Eodem anno XI. kal. Septembr. Bertrandus Cardinalis, Legatus, & Aimericus Archiepiſcopus, Rectorq. Flaminiæ, tabulis publicis, Bononiæ in Epiſcopii viridario coram Hoſtaſio Polentano, quem appellant militem, aliiſq. teſtibus, confectis, Poano Balbo, Nicolao Carneuali, Philippo Benincaſæ, Iacobi filio, Rainerio Pochepennæ iuriſconſultis, Guidoni Raualdo ſcribæ, Guidoni Genario, ciuibus Rauennatibus, Auenſori quoque Fanti, Ceruienſi, condonarunt, quæ commiſſa fuerant, maleficia, cædem præſertim qua, Banninus Polentanus eques, & Guido eius filius fuerant occiſi; impetum, inſidiaſq. contra Guidonem Polentanum equitem, ac ſocios in Britonoriano locatas: edictaq. in eos omnia, ac quæſtiones, iudiciaq. capitis deleuerunt. Cum enim, ut ibi ſcribitur, Prouincia Flaminia, eſſet, opera potius aliquot potentum, quàm communi populorum culpa, plena defectionum, Rauennaſq. & Ceruienſis Reſpublicæ, earumq. Rectores, ac ciues, Eccleſiæ Romanæ minime paruiſſent, atque inde in omnem Prouinciam manaſſent cædeſq. & domorum euerſiones, ac ruinæ, tunc uerò ad obſequium rediiſſent, Bertrandus Legatus, Aimericus Rector, & Franciſcus Palhayrolus Prouinciæ Quæſtor, ita rem tranſegere, ut Rauennates, Ceruienſeſq. dependerent libras quingentas, ipſi iudicia quæſtiones, ac ſententias in illas vniuerſitates iam latas, delerent, eſſentq. ipſæ, ac earum ciues honori, ac famæ reſtituti. Poſtero anno Bononiæ Alberghettinus medio in foro, Legati iuſſu, capitali ſupplicio afficitur, quod prodere Hludouico Bauaro, qui tum Cremonæ erat, Bononiam, unà cum Mutotto Sabadino, Archipresbytero Gallutii, Nanne Docto, Philippo Aſinello, & Cola Foroiulienſi uelle dixiſſet, & in quæſtionem datus, comprobaſſet: qui eandem omnes pœnam dederunt. Hæc autem eò magis confirmari ſuſpicio potuit, quod paulò poſt Bauarus, ubi acceſſiſſet Parmam, in Germaniam reuertitur. Malateſtinus Malateſta, Ferrantino genitus, ad Podium Berni, iniuriarum nequaquam oblitus, Rambertum Malateſtam, per proditionem interfecit: Tumq. Ceule & Caſtilionum opida ſolo æquata; Rauennæ hoc tempore Rectorem pro Romana Eccleſia præeſſe Lancem Scalam Florentinũ reperio. Cum autem in eos ageretur, qui a Bauaro ſtetiſſent, Guido Mutinẽſis, Guido Ariminenſis, Superantius Ceruienſis, & Benuenutus Borgiſinus, Dominicani ordinis, deſignatus Hadrianus Epiſcopi, Egidius Gallutius, & Lambertus Cingulanus, Dominicani, Quæſitores in hæreticos, Chriſtianæ

ANN. M. CCCXXIX

com-

communitatis expertes XII. kal. Aug. renunciarunt Mutinenſes aliquot ſacratos viros, & Canonicum quendam Regienſem, quia Hludouico Bauaro hæretico adhæſiſſent: cuius etiam fautores duo potiſſimum fuere, Orlandinus qui Mutinenſem, &. N. qui Nouarienſem ſe Epiſcopos appellabant. Nec diu poſt Benuenutum deſignatum Epiſcopum Hadrianum, in Superantii, quem ad Ceruienſem Epiſcopatum tarnſtulerat, locum ſuffectum per litteras Pontifex VIII. kal. Nouembr. Pontificatus anno XIIII. Auenioni ſcriptas, Aimerico Archiepiſcopo Metropolitano ſuo, plurimum commendauit: iiſdem ferè diebus, cum Petrus Corbarius pſeudo Pontifex, Piſis captus, & ad Pontificem a Piſanis miſſus, collo in laqueum inſerto, ad illius ſeſe pedes abiecit, illumq. Pontifex, ſumma benignitate uſus, in cubiculo, ſuis ſubiecto, iiſdē quibus ipſe cibis, dum vixit, triennio, liberali ſeptum cuſtodia, conſeruaſſet. Extremo anno Aimericus Archiepiſcopus IX. kal. Decembr. ſuo, & ſacratorum virorum nomine, florenos aureos tres ſupra ducentos, numerauit Bertrando Legato, poſtremam huius penſionem anni, qua, ex vetere præſcripto, quingentos ſeptuaginta quinque florenos, quotannis ſoluere, tributi, & procurationis cauſa tenebatur: idq. eò maiore ſtudio, quò regere iam, atque imperare liberius populis huius Prouinciæ Bertrandus cœperat, eodemq. hoc anno, Bononia aduerſus hoſtes mœnibus confirmata, ad impetum populi coercendum, arcem ibidem ad portam Galeriam condiderat, atque inde gerere eam quoque ciuitatem pro arbitratu. Aimericus poſtquam diu cum Bagnacauellenſibus de finibus diſceptaſſet, tandem anno MCCCXXXI. IX. kal. ANN. M. CCCXXXI
Mart. in Prætorio Lugienſi, cum teſtes adeſſent Matheutius Cacciaguerræ, Maſius Rondinelli Lugienſes, Nannes Iſnardus ForoCornelianus, a Iacobo Bellouiſo Iuriſconſulto, arbitro, certi fines impoſiti ſunt. Eodem anno V. Id. Mart. Samaritana Hoſtaſii Polentani filia, a Gurono Sala Bononienſi, Rauennæ Rectore, & Alberto Prendiparte eius iudice, in poſſeſſionem mitti poſtulauit eorum bonorum, quæ tunc ablata ſibi fuerant, cum ex vrbe Rauenna eiecta eſt, Hoſtaſio Polentano, cum ſuæ factionis ciuibus, eam occupante. Interea Bertrandus reliquas accepturus huius ciuitates Prouinciæ, Malateſtæ Malateſtio Pandulfi filio, Ferrantinum, inuito Pontifice, Arimino dominantem, eiusq. filium, ac nepotes expellere conanti, præſto fuit. Res autem ſucceſſit ex ſententia. Malateſtaq. Pontificiis copiis præfectus, ita ceteros ſuæ gentis perſecutus eſt, ut inſigni cognomento Guaſta famiglia Italicè, quod familiam uaſtantem exprimit, paſſim diceretur. Tumq. menſe Auguſto, Forliuium Berttandus, Flaminiorum, ac Bononienſium circumſedit copiis Pontificium imperium detrectans, ſibiq. ſubiunctum habens Forumpompilii, aliquotq. perpauca opida Cicco autem Ordelafo, eius ciuitatis Præfecto, ex equo delapſo, & poſtquam diu in lecto iacuiſſet, uita functo, ad ſepulturamq. in D. Franciſci Forliuii dato, Franciſcus frater, vrbe potitus, ſucceſſit. Rauennæ per hos dies cum multarum rerum quæ ſpectabant ad mores, & ad ciuitatis ſtatum, conformatio fieret, illud ab frequenti Senatorum ſtudio non parum emicuit, quod de cultu, ornatuq. matronarum coercendo ſancitum eſt: cum enim de illo eſſet relatum ad Senatum; quò ſeptuaginta Senatores conuenerant; is autem numerus tunc maximus habebatur; ſumma contentio, aliis diuerſa ſentientibus, conſecuta eſt, nec omninò uidebatur conuenire poſſe.

ſe. Erat autem, ne qua mulier, corona ex auro, argententove uteretur, quæ vnionibus,aliisve gemmis interniteret; hanc eius ſæculi mulieres Rauennates in capite coronam geſtare conſueuerant; Item ne gemmas aut uniones ad humeros, dorſumve adhiberet: nec ex auro cingulum, aut ex argento,nec quidquam quod excederet libras, Rauennatis pecuniæ, decem, haberet: nec veſtium poſterior ad fimbriam pars,quæ trahitur,pedes quinque excederet. Itaque, dum ob varias dictas ſententias, nihil conſtituti haberetur, Guido Raualdus grauiter, ac facundè diſſerens oſtendit, pluribus de cauſis eam legem ferendam eſſe:cùm enim Deo uehementer id placere,qui immoderatum huiuſmodi cultum deteſtetur,in quem ea abſumantur, quibus multorum poſſit inopia ſubleuari; tùm non minimum conferre ad rempublicam,ac priuatam augendam. Docet,nihil eſſe, quò muliebris licentia non ſeſe effundat, ſi frena relaxentur, & dum pretioſa, multipliciq. veſte,& ornatu, effrenatis cupiditatibus ſatisfaciant, dum adoleſcentes, pudicitiæ ſuæ ſi non expugnatores, ſaltem oppugnatores, ac certe nequaquam propugnatores in ſui admirationem trahant, nihil illis curæ eſſe, ſi mariti patrimonium effundatur: nullum ſumptum, nullam iacturam, nullam verſuram timere, donec libidinem inopia tandem miſerè impediat. Addit, in omni benè conſtituta Republ. cùm Romanorum, tum exterorum id diligenter cautum fuiſſe: neque uiros tunc quòd eſſent fortes,& liberi, quibus vxores non imperarent, muliebribus ad hæc concedenda blanditiis illectos, ſed ſtrenuè, non ſine ſumma gloria conſeruatæ honeſtatis,integritatisq. muliebri ſtudio, quod ſuapte natura immoderatum eſt, reſtitiſſe. Hortatur, non ut ea ſolum ſeruarentur, quæ erant propoſita, ſed qualis etiam pro faciendis ueſtibus pannus deberet accipi, adiungeretur, decernereturque: ne ſumptus quoque immodicus hac in parte fieret. Commouit adeò Senatorum omnium animos is Raualdi ſermo, ut licet multi in contrariam ſententiam loquerentur, quemadmodum Vgulinus Buccolus iureconſultus, qui auctoritate,& doctrina plurimum præſtabat, ingreſſus in eam orationem, ut diceret, minime decere, nobiles, ac diuites matres familias, ignobilioribus, ac pauperibus exæquari, tamen omnibus ferè numeratis ſuffragiis, lex lata ſit. Mox ad maiora conuerſi, Poanus Balbus, & Franciſcus Cuzius iureconſulti Ferrariam Legati mittuntur, initio anni MCCCXXXII. qui cum Venetis Legatis, eò miſſis, diſceptationem componerent, qua tunc Rauennates,& Veneti contendebant,ob id, quia uetuſta conſuetudo nuperrimè probata, tolli uidebatur. Septuaginta enim ab hinc amplius annis; uti demonſtrauimus; inter Venetos, Rauennatesq. conuenerat, ut Rauennates tributa omnia remitterent, quæ mercibus è Rauennati ab Venetis exportandis deberentur: nec reciperent, quæ ex Oriente merces inuehebantur: & hanc ob rem Præfectum Venetum, quem Vicedominum appellabant, Rauennæ aſſiduè commorari permitterent: Venetis contrà pollicentibus, octo librarum pecuniæ Rauennatis millia,duabus penſionibus quotannis Rauēnati Reipubl. perſoluturos. Itaque cum ſuperiore anno, denuò hæc inter eos firmata fuiſſent, Rauennatesq. omnibus accuratè obſeruatis,primam penſionem peterent, & Franciſcus Dandolus Dux, Venetusq. Senatus renuiſſet, apud Bertrandum Legatum Pontificium Rauennates conqueſti ſunt,cum præſertim ad hæc acceſſiſſet damnum haud exiguum, quod ab triremibus Venetis,

ANN. M. CCC. XXXII.

tis, in Rauennati commorantibus, indignaq. perpetrantibus, & multa per vim rapientibus, acceperant. Legatus cum multa, hac de re, apud Venetos egiſſet, impetrauit tandem, ut Legati Ferrariam mitterentur: quò, cum Rauennates veniſſent, omnia abrogata ſunt, licet eos Eſtenſis Princeps conciliare plurimum fuerit conatus. Cum autem ipſe interea Eſtenſis noua animo moliretur, & cum Maſtino Scaligero, Philippino Gonzaga, & multis prætera Regulis fœdus aduerſus Ioannem Boemiæ Regem, qui ſuperiore anno, Brixianorum accitu, in Italiam deſcenderat, & Brixiam, Bergomum, Parmam, Regium, Mutinam, & Lucam habuerat, feciſſet, iamq. eius copiæ ad opidum S. Felicis fuſæ, fugatæq. fuiſſent, Pontificius Legatus, in ſpem adductus recuperandæ Ferrariæ, Argentanos iubet, ut bello initium præbentes, excurſiones in Eſtenſis fines faciant. Quod cum ipſi exequerentur, facto impetu, confeſtim uallum, baſtiam appellabant, quod ad Conſandolum Rainaldus extruxerat, occupat: eoq. cum ſe Nicolaus Rainaldi frater cum claſſicula contuliſſet, tranſmitteretq. foſſam, concidente equo, ab Argentanis captus eſt. Hoſtaſii, & Lamberti Polētanorum, quibus fuerat Guido pater, Hoſtaſius auus, curatorem, hoc anno Zuccum Parthum, Cæſenatē fecere, vt ex tabulis publicis collegi, quibus ii Polentani fratres, ciues Rauennates, nihil præterea, appellantur. Iam autem Bertrandus Legatus, ad ſecundos Argentanorum euentus, Flaminios etiam adiunxerat, cum illi, poſtquam XV. kal. April. vniuerſæ huius Prouinciæ nobilium virorum, Fauentiæ, conuentum egiſſet, ſeptimo kal. Franciſcus Ordelafus Foroliuienſis, ipſum Forliuium, cuius Præfecturam gerebat, eamq. putabat ſe tueri amplius non poſſe, deditione facta, tradidiſſet. Quoniam uerò ſexdecim annos eius imperium ciuitatis Ordelafi tenuerant, Bertrandus ne ſine imperio Franciſcus eſſet, Forumpompilii illi dedit, cumq. paulo poſt, excitato nocte Foriliuii tumultu, obtruncatus fuiſſet Paulus Ordelafus, Franciſci frater, & unà ſecum Andreas Puntirolus, quamquam id diſſimulato habitu, ignoti homines feciſſent, capti ſunt tamen Petrus Caudiferrus, & Baptiſta eius patruelis, & capite mulctati: omniſq. quieta reddita ciuitas: quod & Cæſenæ accidit, Guillelmo Truello Legati Quæſtore, Articlinos, Palatios, Caliſidios, omnes deniq. inde Gibellinos, Guelfoſq. exules, magna populi voluntate, atque hilaritate, in vrbem reducente. Aimericus Archiepiſcopus, Carnotenſem, per hos dies, a Ioanne Pontifice adeptus Eccleſiam; qui deinde etiam Cardinalis titulo S. Martini in montibus, ut tabulæ Vrſianæ Bibliothecæ publicæ teſtantur, eſt factus; Rauennatem reliquit. In cuius locum licet Guillelmus Polentanus, Portuenſis Præfectus, ſubrogari plurimum contenderit, tamen Guido Bayſius, Regienſis Epiſcopus Tripolitanus, ſuffectus eſt: uir & nobilitate, & doctrina clariſſimus: quem Bonifacius Archiepiſcopus Rauennas quadraginta iam annis Canonicum Regienſem, & in aula Romana commorantem, in cauſa Claſſenſe de qua ibi diximus, unum ex quattuor, cui fideret, nominauerat. Cum autem hac de re ſacrati viri Rauennates accepiſſent ab Ioanne Pontifice litteras, uidentes Guidonem ipſum abſq. pallio a beati Petri corpore, & ab Apoſtolica ſede aſſumpto, in quo Pontificalis officii plenitudo cum Archiepiſcopalis nominis appellatione confertur, officii ſui munus plenè exercere neque poſſe, neque verò debere, cum in Vrſianum templum XVI. Kalen. Aug. conue-

niſſent, Goccium Ari.. Pontifici a ſacris, Duodecimuirum litibus iudicandis, & Rauennatem Canonicum, eorum procuratorem, ad pallium pro Guidone a Pontifice petendum, accipiendumq. fecerunt. Guido Archiepiſcopus Rigo, Cecco, & Ioanni Manfrediis, fratris Alberici hæredibus, in portu Vedraria, & plebe portus maioris, denuò multa firmauit: & cum Ramberto Malateſta de opido Glazolo, & dimidio uallis pondi controuertit: quòd ea ad Archiepiſcopatum, quaſi poſtliminio, ob penſiones a Malateſta non ſolutas, recidiſſe, Guido affirmaret: eamq. ob rem Guido Florentinus, Guidonis Archiepiſcopi, in opido Riuerſano Vicarius; quem appellant Vicecomitem; penſionem renuerat, quam deinde ſoluerat Rambertus. Inſequenti
ANN. M. CCC XXXIII. anno Bertrandus Legatus, comparato iuſto exercitu, Ferrariam obſedit, exercitusq Duces fecit Hoſtaſium Polentanum Rauennatem, Galeotum Malateſtam Ariminenſem, Franciſcum Ordelafum Foroliuianum, Ricardum Manfredum Fauentinum, & pleroſque alios Flaminios proceres, ea de cauſa, quòd omnes hæ Flaminiæ ciuitates, Rauenna præſertim, pro ſtipendio certis militibus perſoluendo, Bertrandi Legati iuſſu, tributum conferebant: ipſeq. Hoſtaſius Polentanus certam ab Senatu Rauennati habebat penſionem in ſingulos menſes: neque verò hoc bello ſolum, ſed etiam eo, quod initio ſuperioris anni, pro recuperandis, pacandisq. Flaminiæ ciuitatibus, atque ad Rauennæ quoque præſidium habendum, certus militum numerus mercede conductus eſt, non ſine ingenti ciuium iactura, qui cum tardius aliquanto quàm iuſſum fuiſſet, ob egeſtatem pecuniæ, imperatam expedirent, ſolutionemque differrent, & ob id Petrus Galutius Bononienſis; qui Bertrandi Legati, & Romanæ Eccleſiæ nomine, Rauennam, Rector adminiſtrabat; eis minaretur, Rauennates, habito Senatu, de ſuo quiſque, tantum pecuniarum in ærarium publicum, mutuo datum, intulerunt, quantum ſoluendæ penſioni ſatis eſſet. Oppugnabatur, interim acriter iam inde a XIII. kalen. Februar. Ferraria, captumq. iam S. Silueſtri ſuburbium erat, cum auxiliares copiæ a Gonzaga, Scaligero, Vicecomite, & Florentinis fœderatis miſſæ, animum ad erumpendum Ferrarienſibus adauxerunt: Quamobrem Pontificii fuſi ſunt, Idibus Aprilis, ſunt tamen qui poſtridie ſcribant: & cum ad duo millia deſiderati fuerint, pars amne demorſi, alii traiecti ferro, maiores tamen ferè omnes Duces capti, in quibus Hoſtaſius Polentanus, Manfredii duo, Cechinus, & Ricardus, Franciſcus Ordelaſus, Malateſta, & Galeotus Malateſtii fuerunt: Galeotus Balnei, Rambertus Glazoli Comites tum fortè in Padi ripa ocioſe inambulantes, fuga euaſere. Poſtridie eius diei, ex captiuis millia duo, pro Nicolao Eſtenſi permutantur. Rainaldus Eſtenſis ita ſe liberaliter, & benigne cum Polentano, Malateſtiis, ac Manfrediis geſſit, ut illos dimiſerit ſibi perpetuò deuinctos. Cum verò interea Cæſenates tributum impoſuiſſent incolis Riuerſani, Caſtellioni, Caſtri montis caualli, Leſtagnani, caſtri Borii, Ronchi, iamq. edictis acrioribus eos premerent, Petrus Ariſendas Guidonis Archiepiſcopi Rauennatis, eorumq. locorum procurator, apud Marinum Eugubinum, Maleficiorum in hac Prouincia Iudicem, id contra ius, ſasq. a Cæſenatibus fieri dixit, aſſeruitq. illa opida ad Rauennatem Archiepiſcopatū ſpectare: Quamobrem petere, edicta illa abrogari, alioqui appellare Pontificē. Hoſtaſius Polentanus Rauennam regreſſus paulò liberius

admi-

adminiſtrans Præturam, haud ita multò poſt, Legati Pontificii iuſſa contemnens,palam,Romanæ quidem Eccleſiæ Vicarius,ſed etiam Dominus,ac Princeps appellari: quod & Forliuii, Arimini,Britonorii, multisq. præterea in opidis,factum eſt. Nam quo tempore in cuſtodia huius Prouinciæ Reguli Ferrariæ habebantur,ipſi inter ſe,& cum Ferrantino,Malateſtinoq.Malateſtiis,clandeſtinum fœdus,inieres quamobrem licet ſeſe pecunia redemiſſe dicerent,liberè tamen dimiſſi, Malateſtæ primi omnium Ariminum reuerſi, agri Ariminenſis opidis captis,cum illis ſubſidio veniſſent è Piceno,Aretio,Ferrariaq,complures, vrbem Ariminum obſident: poſtquam autem & iam menſem duraſſet obſidio.X.kal.Octobr. propius admoto exercitu,Ferrantinus per poſticum domus Faitanorum,cum tribus aſſeclis,in vrbē irrupit, portaq. Andreæ refracta, aditum ſuis omnibus copiis patefecit: cum verò diu per vicos,ipſa in urbe,cũ Bertrandi Legati militibus pugnaſſent,Pontificiis tandem in fugam verſis, ipſe cum ceteris Malateſtiis vrbe potitus eſt. Idem fecit Franciſcus Ordelafus, Forliuium vnde exulabat,nocte,perpaucis comitantibus, ingreſſus,pulſoq. inde Legati præſidio,Guglielmoq. Truello Quæſtore, capto, & quæſtionum diſcerptis tabulis: Cæſenæ quoq. cum inter ciues tumultuari eſſet cœptum,mutuisq.ſeſe deferrent apud Bertrandum Legatum,& eius magiſtratus accuſationibus,eamq.ob rem Bononiæ apud ſe,Legatus, in libera cuſtodia haberet, Filiutinm Mazolinum,Mainardinum Articlinum,Baſtardinum Aguſellũ,& Muzolum Liſardum, Ghellus è Caliſidio ſtipatus filiis, factioſiſq. è Talamello,& Strata,XI.kal.Octobr.ueſperi,totam vrbem percurrere,& Eccleſiæ nomen,ac felicitatem,ſublatis uocibus,conclamare.Ceterum occurrerunt illis idem cõclamantes,Ioannes Aguſellus,Maſii filius, Marcolinus Ottardus, Parmerinus Liſardus,Muzoli, quem ſupra memorauimus,filius,aliiq. quos tunc de Eccleſia noua dicebant,multi: Ab iis eiecti ex urbe,Mazolinus,& ſocii ſunt: poſtridieq.eius diei Rodulfus Graſſonus Mutinenſis,qui Præturam vrbis pro Legato gerebat,ceteriq.Magiſtratus,vrbe abeuntes,in arcem,turribus,muroq. admodum firmam,quam extruxerat Aimericus Archiepiſcopus Rauennas,cum Prouinciæ eſſet Comes,ſe recepere. Rambertum Malateſtam Glazoli Comitem,Cæſenates, Prætorem faciunt; Præfectum, Franciſcum Ordelafum creant,arcemq.obſidere inſtituunt.Tum Riuerſanum,extra arcem,Salianum,Sorriuola,Deolaguarda,& Rodiolanum deficiunt ad Cæſenates. Quamquam verò Bertrandus Legatus comparato exercitu equitum bis mille,peditum ad ſex millia,Gherardo è Caſtro nouo Toloſano Imperatore, opem obſeſſis ferre cõtēdit,erantq.in eo exercitu Franciſcus Calbulus Epiſcopus Saſſinas,Paulutiusque & ceteri Calbuli,Galeotus quoq.Balnei Comes,Sabatitii è Caliſidio filii, Firmagnanũq.primo impetu & Polētam opida,ceperunt,ſponteq.illis ſe dederunt Tiſſillum,Lugarana,Reblancanũ,Laugene,Borium,Mõſuetlus,Scanellũ, Deolaguarde,&Caſalectum,opida,triginta tamen poſt diebus,quibus magna damna illi agro intulere, abierunt. Hoc eodem anno, Guido Archiepiſcopus Rauennas, menſe Septembri, Bononiæ interiit: ſepultus ad D. Franciſci: ne quid verò detrimenti Archiepiſcopatus bona acciperent, Franciſcus Burſolus Præpoſitus IIII. Id. Octobris in Rauennatis Eccleſiæ opidis, agrorum præſertim Cæſenæ, Arimini, & Piſauri, in ipſoque maximè Riuerſano, Vicecomites, Vicariosq. conſtituit Rainerium Liazarium, & Hieremiam Ma-

razanum,eiuſdem Eccleſiæ Canonicos. Interea Pontifex ſuffecit in Guidonis
Archiepiſcopi locū,Franciſcum Michaelium,Patricium Venetum:qui cum ad
huc eſſet Venetiis,in Patriarchio VIII.Id.Nouembr. procuratores apud Pon-
ANN. M. tificē,qui pallium ab eo peterēt,atq.impetrarent,duos fecit: mox nouo ineun
CCC- te anno V.Id.Ianuar.Vgonē Bagnolum,Rauennatem Canonicū, per litteras,
XXXIIII. Vicarium ſuum iuſſit eſſe: iiſdem diebus, cum ii, qui incluſi erant in Cæſenati
arce,omni commeatu deſtituti,poſtquam ſe impigrè defenderant,certis datis,
acceptisq.condicionibus,arcē Cæſenatibus præbuere. Harum ciuitatum defe
ctionibus plurimū cōmotus Bertrandus, Hoſtaſium Polentanum,cum Lāber-
to eius propinquo, Guidonis nouelli Polentani filio, in concordiam adduxit,
remiſitq.Rauennā,hortatus ut perinde ac fidi,acerrimiq. defenſores,ac cuſto-
des,aduerſus hoſtes Eccleſiæ pugnarent.Hi tamen vbi Rauennam,Ceruiamq.
venere,eas vrbes,pulſis inde Bertrandi Legati Magiſtratibus,& ex urbe Cer-
uia,Ricolis,ſibi rapiunt,Ceruienſemq.arcem pecunia expugnant.Idem Brito
noriani fecerunt,cum veniſſent ad arma inter ſe, & Legati Magiſtratus in mu-
nitiſſimam arcē,quam etiam Aimericus,Rauennas Archiepiſcopus,& Prouin
ciæ Rector excitauerat,ſeſe recepiſſent. Senatu habito Britonoriani, Hoſtaſiū
Polētanū creant Prætorem ſuum,& Dominum:Qui cum Britonoriū ueniſſet,
iniiſſetq.Præturam,ac imperiū,oppugnare arcem adortus,uallo eam,atq.agge
re obſidet, telisq.ac ſcalis conſcendere nititur muros: ſed cū nihil proficeret,
neq.ipſi etiam inter ſe obſeſſi ſatis conuenirent,tandem quæ magis poterat fa
ctio,Bartolatio Mainardo,& Andreæ Bulgaro,dedere arcē: Cū verò eius quo
que arripere dominatū Polentanus uellet,reſtitiſſent autem Bartolatius, An-
dreasq.multis utrīq.iactatis cōuiciis Polētanus indigātus,opido etiam ceſſit,
Nec diu poſt Lābertus Polentanus & fratres,qui cū Hoſtaſio in gratiam redie
rant,Rauēna repente abiere, nullis neq. Legatis,neq. ſpecioſis verbis, quibus
mulcere illos Hoſtaſius tentauit,ad redeundū in patriam adducti: Occupauit
per idē ferè tempus Franciſcus Ordelafus,& Præfecturam Cæſenatē, expulſis
Malateſtiis,& Montem Abbatē,Bagnolumq.quod habebat Franciſcus Calbu
lus Epiſcopus Saſſinas,Rauennatis Eccleſiæ opida. Idē de Argenta loco tunc
tēporis & munitionibus,& habitatorū frequentia inſigni Bertrandus Legatus,
ſed meliore ſenſu,apud Pontificē tentauit, cum illud opidū a Rauennati qui-
dē abſtrahere Eccleſia cogitaret, ſed ad Romanam adiungere: Verùm iis re-
bus,earūq.dominis,quarū decreuerat facere permutationem,prohibitus eſt,
pro Argēta enim,& Vicecomitatu D.Mariæ in Portu,& D.Apollinaris Claſsē
ſis cœnobia; sūt qui addant D.Seueri,& Vranēſe; Archiepiſcopis decreuerat:
ſed ab Neapoleone Cardinali,in cuius fide,ac tutela Portuenſe erat cœnobiū,
repugnatū eſt, effectūq.uti Rauēnatibus Archiepiſcopis opidū, & Vicecomi-
tatus reſtitueretur. Sunt autē in Argētano Vicecomitatu, quæ a Vicariis Ar-
chiepiſcopi Rauēnatis adminiſtrabantur,ipſa primū Argēta,mox Caualii,Por
tus maior,Portus Vedraria, Buccaleonū,Bandū,Coſandolū,Ripaperſici, San
dalū, & Maderiū.Interea tamen, dum Argentā Legatus tenet,Rainaldus Eſtē
ſis ad eam circūuallandam cū ſatis magna manu Ferrarienſiū Vicecomitū Sca
ligerorū,Rauēnatiū,Forliuienſiū,Cæſenatū,Ceruienſiū,Ariminēſiū, & Aretī
norū,fœderatorū, Nicolaū Maccaruſum Patauinū miſerat. Verùm reuocare
gradum, ab incœptisq.propugnaculis deſiſtere coactus eſt,iis copiis,quæ iuſſu

Legati,

Legati, Argentam, huius initio anni, ſubſidio ſunt profectæ, cum Maccaru-
ſum nihil tale cogitantem penè oppreſſiſſent. Aberat tum Opizo Rainaldi fra-
ter, tametſi Rainaldum ſcribant alii, Peſcheriam, agri Brixiani opidum, ad
celebre fœderatorum congreſſum, colloquiumq. quo Azzo Vicecomes Me-
diolanenſis, Albertus, & Maſtinus Scaligeri, tunc Veronæ, Vicetiæ, ac Pata-
uio imperantes, Malateſta Malateſtius Ariminenſium, Piſaurenſium, Mala-
teſtiæq. gentis: Bitinus Petramala Aretinus, Aretinorum, Burgenſium & Cor-
tonenſium nomine: Rambertus Glazoli Comes Cæſenæ Prætor, Franciſcus
Ordelaſus Cæſenæ, Foripompilii, ac Foriliuii Præfectus; Legati quoq. Barto-
latii Florentini, & Guidonis Carignani Faneſtrium nomine: conuenerant: in
terfuitq. Archiepiſcopus Embrumenſis ad inueſtigandam inter ipſos fœdera
tos, & Bertrandum Legatum diſſenſionis, ac diſſidii cauſam. Quo etiam tem
pore, cum increbuiſſet apud Cæſenates, Rambertum Glazoli Comitem, quẽ
copiis eorum Argentam obſidentibus præfecerant; tradere Cæſenam, Ber-
trando, vnà cum Mainardino Articlino conſtituiſſe, Prætura mulctarunt:
Mainardinus Forliuium relegatus eſt, vnusq. Franciſcus Ordelaſus a fœdera-
torum congreſſu reuerſus, Præfectura etiam in annum adepta, Cæſenam ob-
tinuit. Quod & Rainaldus Eſtenſis adeptus Argentæ eſt: Ipſe enim met; vbi
ab eodem conuentu Opizo rediit; cum ſubſidiariis copiis Argentam profe-
ctus, quamquam laborãtibus obſeſſis ſuccurrere Legatus ſæpe & multum ten
tauit; aditibus tamen omnibus interclusis, opidum ad deditionem redegit:
nam cum deſperatam defenſionem omnem Argentani, creſcentemq. in dies
Eſtenſis oppugnationẽ conſpicerent, petiere, ut abſtineret oppugnatione, aut
ſaltem per octo dies remitteret: iurare enim ſe, ac ſacramento fidem obſtrin-
gere, niſi intra ſpatium illud Pontificii opem tuliſſent, deditionem facturos.
Qua accepta condicione Rainaldus, habitisq. obſidibus, ne id ſibi continge-
ret, quod Opizoni accidiſſe ſupra memorauimus, ſeſe ad Mergonem conſti-
tuens, accedentibusq. ſubſidiariis Legati copiis, cum claſſicula, quam in ea
parte Padi habebat inſtructam, occurrens; omne facile ſubſidium repulit. Ita
que Argentani, Nonis Martii, deditionem ea condicionẽ faciunt, ut omni-
bus, extra perduelles, parceretur. Legatus cum amiſſum opidum, ferre multis
de cauſis non poſſet, propugnaculo ad turrim Pontonaram facto, opidi recu-
perationem moliebatur: cum Rainaldus, cũ aliò traducturus, in Bononiẽſe e-
quites miſit, qui incurſiones facerent: Eæ tamen breui habuere finem, propte
rea quòd Bononienſes, cum Rauennæ, & ceterarum Flaminiæ ciuitatum defe
ctionem accepiſſent, ſeq. nobiles quidam immodica Bertrandi pati imperia nõ
poſſe dicerent, opem ferente, ut pleriq. auctores ſunt, ipſo Eſtenſi Principe, eo-
dem menſe Martio, quæſita occaſione, tumultum in vrbe ingentem, populi in
clamando identidem nomine, conciuerũt: cuius metu Bertrandus exterritus,
intra arcem ſe incluſit: Florentinumq. Epiſcopum, cum lecta equitum manu
auxilio a Florentinis ſummiſſum, permittentibus Bononienſibus, ad arcis cu-
ſtodiam recepit: Huius hortatu, ut vrbem, quam tueri non poſſet, vltrò relin-
queret, Bertrandus, & tradidit Bononienſibus arcem, & Epiſcopo comite,
Ioanneq. Pino, ac Thoma Corſino, ducentisq. & quinquaginta equitibus, qui
eius accitu Florentia uenerant; cum ſecum etiam Ricciardus Manfredus Fa-
uẽtinus, Ioannes Andreæ iuriſcõſultus clariſſimus, Bononienſesq. equites octo

adeſſent, Epiſcopo ForoCorneliano, Vicario in hac Prouincia ſuo conſtituto, per poſticum egreſſus Florentiam abiit, inde Piſas, mox Genuam: tandem Auenionem proficiſcitur. Bononienſes arcem ab eo in ceruicibus impoſitam euerterunt, & Rempubl. popularem inſtituerunt. Ricciardus Manfredus, quamquam in hac rerum commutatione, Fauentiæ, Foriq. Cornelii occupauerat, ſecum tamen Fauentiæ, & ForoCornelianum Epiſcopum, Prouinciæ Vicarium, & Guglielmum Truellum Quæſtorem, qui ius dicerent, habuit. Caſtrocarum per hos dies, quod Fulcerius Calbulus Eccleſiæ Romanæ nomine tenebat, Franciſcus Ordelafus, cum Foroliuianis, oppugnauit. Ita Borrum, Reblancana, Mons Cauallus, Lugararia, Teſſellus, & Mons Saracenus; quibus pro Legato Fulcerius Calbulus, Epiſcopus Saſſinas præerat, ab eodẽ, Reipubl. Cæſenati, pace facta, reſtituuntur. Tantum autem audaciæ is rerum felix motus Flaminiis Regulis attulit, ut non iis cõtenti, quæ in hac Prouincia fecerãt, irruperint etiam illorum pleriq. in alienam. Malateſta enim, & Galeotus Malateſtii fratres, & unà ſecum Ferrantinus Malateſta, Iacobus è Carignano Faneſtris, aliiq. exules, Forum Sempronii, adoriuntur, partem eius inferiorem intrant, & ad munitiones uſq. occupant. Accurrere in arcem ciues, & Romanæ Eccleſiæ adminiſtri, quos Piceni Rector, Marchionem appellabant, illi ciuitati præfecerat: ſed paulò poſt, certis pactis condicionibus, ſe dediderunt. Opidorum in hac Prouincia direptiones ita fuere per id tempus multæ, uix ut explicari rectè queant. Hoſtaſius Polentanus XII. kal. Maii Lugum, nobiliſſimum Eccleſiæ Rauennatis opidum, vſurpauit, Franciſco Archiepiſcopo deſignato Venetiis adhuc cõmorante, ad quem cum ſe adire non poſſe diceret Alexander monachus cœnobii D. Hilari Galiatenſis, deſignatus Abbas, neq. etiam Rauẽnam ire ad illius Vicarium, & Priorem, ut ipſe inquit, Cardinalium Rauennatium, & Collegii, ob graues inimicitias, quæ intercedebant ſibi; ſuiſq. maioribus, cum Comite potiſſimum, Guglielmo & filiis, è familia Comitũ Guidonum, & cum Franciſco Manfredo, eiusq. item filiis, & aſſeclis, cum eſſet in plebe S. Petri de Caſſia, Diœceſis Feſulanæ, Vannem Rectorem templi Sanctæ Mariæ de Gricciano, eiuſdem Diœceſis, procuratorem ſuum fecit, qui apud eos, quos diximus, & illum excuſaret, & impedimenta affirmaret, confirmariq. peteret: Cùm autem Malateſta ſuæ gentis internecionem adhuc tertio moliretur, III. Non. Iunii Hoſtaſium Polentanum clam mittit Ariminum, mox euocat poſtridie Malateſtinum, inde Ferrantinum, poſtea Guidonem Ferrantini fratrem, quos ſeorſum ad ſe venientes capi iuſſit, cum putaret, ut ferebatur, in uia fuiſſe occiſos. Itaq. paucis poſt diebus in opidum eos Gradariam miſit, ibiq. in cuſtodia multos menſes habuit: Cum interea Ferrantinus, Pandulfini filius, Ferrantini nepos; quem in exercitu ad Padernum agri Bobienſis, commorantem, obtruncari mandaſſe fama percrebuerat; aduerſus Malateſtam, ut ſe tueretur Mondainum, S. Lauditium; S. Ioannem in Galilea, Roncumfrigidũ, & Melionem, opida Nolfi Comitis Feretrani ope, egregiè muniret. Eodem hoc anno menſe Decẽbri Ioannes Pont. Max. interiit, in eiusque locum, Benedictus XII. ſuffectus eſt, qui ſtatim, & in Bauarum diras ab Ioanne detortas probauit, & Archiepiſcopum Rauennatibus confirmauit
ANN. MCCCXXXV. Franciſcum, quem, antequam diem obiret, Ioannes Pontifex, uti ſupra dictũ eſt; deſignauerat: Huic Idibus Mart. anno MCCCXXXV. Montẽ Abbatis, Ec-

cleſiæ Rauennatis opidũ, Foropompilianæ Diœceſeos, Franciſcus Ordelaſus
Forliuii,ac Cæſenæ tunc Præfectus, tradentibus opidanis, ademit,cum opida
eius tractus omnia occupare niteretur: quo factum eſt,ut VI. kal. opidum Li-
nariumCæſenatis agri,mox Montem cauallum XV.kal.Iun.opidanis Cæſenã
captiuis abductis, inde Bagnolum, Eccleſiæ item Rauennatis opidum, multis
detractis ſpoliis,ceperit,Frãciſco è MõteAbetis,Archidiacono Saſſinate,odio
Franciſci Calboli,Saſſinatis Epiſcopi,qui ea tenebat opida, ad eorum aliquot
oppugnationẽ,cum magna,ac valida manu accedente.Excurrit etiam ad por-
tas Tudurani,ſed maximè omnium de Meldula fefellit eum ſpes: id opidũ Ec-
cleſiæ Romanæ nomine,PaulutiusCalbolusPrætor adminiſtrabat,diuturnaq.
obſidione,Ordelaſus,cum Foroliuianis copiis,quarũ erat Vannes è Soſenana
Dux,circumſedit,machinisq.bellicis admotis acertimè oppugnauit: Sed Flo-
rentinis,Pontificis iuſſu; durauit enim quattuor amplius menſes obſidio; ſub-
ſidio aduenientibus, in concordiam adducuntur, & opidũ Florentinis eſt tra-
ditum : cum tamen paulò ante, Otholino Belgæ cum aliquot ſociis militibus,
ut opidum intraret,a Guillelmo Truello Quæſtore,miſſo,cum in manus hoſtiũ
incidiſſet, iubente Vanne Duce,brachiis abſciſſæ manus fuiſſent: de quo dein
de diligens quæſtio in Vannem,& Foroliuianos eſt habita.Pari ſtudio Malate-
ſta,Razzanũ,Calbane,& Calbanellẽ,quæ Ferrantinus munitionibus firmaue-
rat,Geneſtredum,& Siclamem,vicina opida,partem ſolertia , ingenioq. non-
nulla armis,ac ui ſubegit.Ceterùm dum hæc a prophanis aguntur proceribus,
ſacri etiam nonnihil inter ſe Antiſtites diſſidere uiſi:nam Epiſcopus Foroliuiẽ
ſisThomas,cœnobii D.Hilari Galliatenſis adminiſtrator,Bonauenturam Ge-
narium Rauennatem,procuratorem ſuum fecit,qui apud Vicarium chori Ra-
uennatis,oſtenderet,ſibi illud cœnobium iam diu a ſede Apoſtolica,uſq. dum
ſecus ipſa iuberet, commendatum:ac ediceret,ne quem admitterent,neu deſi
gnatumAbbatem confirmarent.Franciſcus Archiepiſcopus,ne diutius,magno
Eccleſiæ ſuæ malo,abeſſet,XVIII.Kal.Septembr.Rauennam uenit, recupera-
req.ſtatim amiſſam ditionem ingreſſus, nihil omiſit, quod facere uideretur ad
optimiAntiſtitis munus,ſacramq. ædem D.Georgii in porticibus Rauennatẽ,
cũ Prioratus Venetiarum, quem tunc Neapoleo Tibertus Hieroſolymitanus
eques gerebat,coniunxit: cum illius interea opera multis in rebus Benedictus
ſummus Pontifex uteretur,in exigendo potiſſimum tributo,in ſtipendium cru
ce ſignatorum,quos Benedictus in Agarenos armauerat,impoſito: & in ea quæ
ſtione , quæ de Benuenuto Præfecto generali Cruciferorum Bononiæ agente,
qui nec ſeruare ordinis ſui leges , nec eius bona tueri,ac potius euertere , uili-
busque, ac indignis , gradus , & honores , etiam Simoniacæ labe infectus ,
præbere, tributa grauia imponere , intemperanter viuere, ex adulterio filium
ſuſcepiſſe , Seuerino Sancti Spiritus , Viterbienſis, Andrea Sanctæ Mariæ de
Virginibus Neapolitanæ Præfectorum , deferentibus , dicebatur ; hoc
anno eſt conſtituta . Cum verò intelligeret , Aureolum Eccleſiæ ſuæ Ra-
uennatis nobile opidum , ab ipſis incolis occupari , illuc ſe contulit , opidum-
que nonnullis ſuadentibus opidanis , recepit Idibus Octobris. Sed Franci-
ſcus Ordelaſus , cuius nixi fauore , opidum Aureolani tenebant , hoc acce-
pto,accurrit ſtatim,& irruptione in opidum facta,Archiepiſcopum, omnemq.
illius familiam cepit , opidumq. pleriſq. interfectis, qui ſibi repugnauerant ;

magna opidanorum voluntate, ſuo imperio adiecit. Qua verò Archiepiſcopum ratione tractauerit, malo ex litteris Pontificiis cognoſci, quas poſtero anno Franciſcus Archiepiſcopus, tametſi miſſus factus, nam Idibus Ianuarii Rauennæ fuit, Vicariumq. ſuum, Belectum Michaelium Venetum, propinquũ, Canonicum Caſtellanum conſtituit, per Deutaleuem Maceratenſem, Vicarium item ſuum X V I I. kal. Iunii, Guillelmo è Querio, Flaminiæ Rectori reddendas curauit: hæ autem ſunt. *Dilecto filio . . . Rectori prouinciæ Romandiolæ. ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Grauem Ven. fratris noſtri Franciſci Archiepiſcopi querelam recepimus, continentem, quòd Franciſcus natus Sinibaldi de Ordelaſis, ciuis Forliuij, qui ſe dicit Capitaneum Ciuitatis Forliuij, in Romandiolæ Prouinciæ exiſtentis, ac ad Romanam Eccleſiam immediate ſpectantis, in illam prorupit ſacrilegæ temeritatis audaciam, ut caſtrum Aurioli, Fauentinæ Diœceſis, quod ad Eccleſiam Rauennæ pleno iure dicitur pertinere, tamquam principalis huiuſmodi facinoris perpetrator, & auctor, damnabiliter occupauit: nec ijs contentus, ad capiendum eundem Archiepiſcopum, ipſumq. vulnerandum, & diſrobandum, tam in eum, quã in nonnullos familiares ipſius extendit improbas manus ſuas, dictumq. Archiepiſcopum uulneratum, & ſpoliatum uſq. ad camiſiam ſeu rochettum, abſque debito tegumento, ſuper ronceno viliſſimo poni, & cum dictis familiaribus eius, uſq. ad dictam ciuitatem Forliuij duci fecit, ipſumq. ibidem cum dictis familiaribus, idem Franciſcus, dictusq. Sinibaldus pater ipſius, qui ad hæc ſacrilegia præſtitit auxilium, conſilium, & fauorem, non abſq. iniectione manuum in perſonam dicti Archiepiſcopi, Dei timore poſtpoſito, temerè, uiolenter detinuere captiuum. Cum itaq. huiuſmodi temeritatum exceſſus in perſonam ſic honorandi membri eiuſdem Romanæ Eccleſiæ nequiter perpetrati, ſi ſic præmiſſa ueritate in tantum non poſſumus, nec debemus pertranſire conniuentibus oculis impunitos, diſcretioni tuæ diſtrictè mandamus, quatenus ſi tibi per informationem ſummariam conſtiterit de præmiſſis præfatos Sinibaldum, & Franciſcum ex parte noſtra peremptoriè citare procures, ut infra duorum menſium ſpatium poſt citationem huiuſmodi, perſonaliter Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent, eidem Archiepiſcopo ſuper præmiſſis de iuſtitia reſponſuri, & alias ſuper his facturi, & recepturi, quod ordo dictauerit rationis. Diem uerò huiuſmodi citationis, & formam, & quidquid ſuper præmiſſis duxeris faciendum, nobis per tuas litteras, harum ſeriem continentes, ſtudeas fideliter intimare. Dat. Auenione. X. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri anno I I.* Ceterum tenues admodum erant Pontificiorum Magiſtratuum, per id tempus, in hac Prouincia, vires, & primores ciuitatum ciues, aſpirantes ad tyrannidem, ferè omnia poterant: nam & Franciſcus idem Ordelafus, Præpoſitum, & Canonicos Cæſenates, abire iuſſerat ſuis ædibus, Canonicam appellant; & alio migrare, quod nemine; præter vnum Rialem, qui amicorum ſuorum tunc regnantium potentia fultus, remanſit; repugnante, factum eſt, & cum Guglielmus idem è Querio, Rector, Prouinciam ineunte anno ingreſſus, generalem conuentum Fauentiæ VIII. kal. habuiſſet, diſſidentesque inter ſe, eorum qui conuenerant, conciliare ſententias non poſſet, reiecit omnia in menſem Martium: quo cum iterum VI. Id. coiiſſent ciuitatibus imperantes, pars omne illi ſe præſtaturos obſequium, alii certam tantum pecuniam in ſtipendium militum, ſunt polliciti: cum interea Rambertus Glazoli Comes, Iordane Archipresbytero Caſtrinoui, & Cichino eius fratre contrucidatis, opidum Valdenuncium occupaſſet, illud verò paulò poſt

ANN. M.CCC XXXVI.

Su-

Sucius & Nannes Valdenuciani, Muzoli filii Franciſco Ordelaſo dediſſent: nec minori inter ſe diſſidio Malateſtii certantes, paſſim opida raperent. Hoc loco operæpretium futurum putaui tradere, quod de Galla Placidia, Theodoſii Cæſaris filia, & Valentiniani tertii matre; uti ſupra docuimus; hoc anno contigit: quemadmodum legitur in albo mortuorum cœnobii D. Vitalis: habet autem ſic. *In Chriſti nomine, amen: anno* Domini MCCCXXXVI. Indict. IIII. die quarta Iunii, tempore D. Benedicti Papæ XII. Vannutius, & Bartholus de Fano, nuncii, ac familiares nobilis D. D. Philippæ uxoris quondam Sampiroli Petri Venariæ de Fano, obtulerunt Eccleſiæ Reginæ Gallæ Placidiæ Auguſtæ, centum, minus tribus libris ceræ, eò quòd quædam eius filia, nomine Druda; quæ longo, & incurabili morbo, nec ſe iuuare, uel ſuſtentare poterat, & a medicis derelicta, tenebatur; ſicut Domino placuit, precibus dictæ Dominæ Reginæ fuit liberata, & priſtinæ reſtituta ſanitati. Vouerat igitur dicta domina, quod ſi eius dicta filia foret liberata, quòd offerret eidem, & Eccleſiæ ſuæ tantam ceram, quantum ponderaret: & facto pondere cum pannis, & Zoiis ſuis, inuenta eſt ponderaſſe quantum ſupradictum eſt. Et ſic uolens uotum implere, dederunt religioſo uiro Domino Don Guidoni Abbati venerabilis monaſterii S. Vitalis Rauennæ pondus ceræ prædictum: præſentibus & adſtantibus in Eccleſia dictæ Reginæ monachis ſuis, uidelicet fratre Iacobo, fratre Ioãne Nanni Rectore Barbatiani: Domino *Franciſco de Raſponis iuriſperito: Antonio de Genariis, & aliis quampluribus de Rauenna.* Hæc ibi. Veneti ac Florentini, cum Ciſalpinæ Galliæ Regulis fœderati, in Lucenſes, & Maſtinum Scaligerum; qui Lucæ, & multis præterea ciuitatibus dominabatur, & ceteris ſpretis Italiæ Principibus, Regem ſe Galliæ Ciſalpinæ facere, putabat; arma per id tempus parant. Hoſtaſius Polentanus Gallicos omnes milites, qui permoti huius apparatus fama, ſuopte ſtudio, uoluntateq. Venetias militiam facturi ueniebant, Rauennæ benignè, & liberaliter excepit, & Venetias tranſportari incolumes curauit: neque enim rectè Venetias per Galliam Ciſalpinam tutum patebat iter, ſed per Etruriam, ac Flaminiam. Quamquam non id ſolum beneficii Polentanus in Venetos contulit, ac Florentinos, ſed equites triginta ſelectos miſit, qui illius ſtipendiis militarent. Deſiit hoc tempore patritia Venetiis Opizorum domus, quæ Rauenna ortum ducebat. Per hos etiam dies. VI. Idus Iunii Fr. Bartholomæus Epiſcopus Cymacliensis, per litteras a Franciſco Rauennate Archiepiſcopo monitus, ut conſecrationi aſſentiret Fr. Ioannis Epiſcopi Fauentini deſignati, quem Franciſcus confirmarat, in maxima æde Fauentina, aſſenſum præbuit, idq. litteris in uilla SS. Viti & Modeſti ſcriptis teſtatus eſt. Malateſtiis uerò inter ſe adhuc certantibus, cum Ferrantinus vnà cum Ferrantino fratris filio, Mondaini eſſet, defectionemq. Montis Scudoli, & plurimorum præterea opidorum a Republ. Ariminenſi confeciſſet, Malateſta euocatis Hoſtaſii Polentani, & Florentinorum auxiliis, octingentorum equitum, peditum ad quattuor millia, XI. kal. Iul. obſedit Montem Scudulum: Quamquam uerò hoſtes, acci tis & ipſi Feretranorum Comitum, & Peruſinorum copiis; quæ ad peditum octo millia, equites quingentos fuiſſe ſcribuntur; uaſtatoq. omni Piſaurenſi, atque Ariminenſi agro, captoq. opido Monte Gredolfo, abducere ab obſidio ne Malateſtam, & Hoſtaſium tentaſſent, Peruſinis tamen opem, uti putabant,

nequa-

nequaquam ferentibus, minime uictoria potiti ſunt,& Mons Scudolus a Malateſta tertio kal. Auguſti, ded entibus ſe opidanis, receptus: quod & de S. Ioanne in Galilea, & Monleone, Ferrantini item opidis, paulo poſt accidit. Venit interea in Prouinciam Bertrandus Archiepiſcopus, Pontificis internuncius, ut eam conformaret: Fauentiamq. XIII. kal. Nouembr. primum ingreſſus, eò conuentum ad IX. kal. Decemb. indixit: quò tamen ægrè Prouinciales acceſſerunt. Guillelmus Prouinciæ Comes, Curiam generalem, Imeldulam tranſtulit, ubi commorari conſtituerat: quamobrem Franciſcus Ordelafus, ut ſeſe Guillelmo opponeret, Foroliuianorum ope, caſtrum nouum munitionibus ſepſit. Poſtero anno Hoſtaſius Polentanus pacem inter Malateſtas, per

ANN. MCCCXXXVII. Mercenarium Firmanum, quo cum affinitatem nuper contraxerat, in decennium confecit, ea potiſſimum condicione, ut quo ſtatu tunc eſſent res, in eo manerent; haberetq. a Republ. Ariminenſi Ferrantinus, ſingulo menſe florenos aureos ducentos, & bonorum ſuorum fructus. Ita VI. Id. Iunii conuenit. Eodem hoc anno Thadæus Pepolus, ceteriq. Bononienſes ciues, comparato exercitu, cui Iacobus præerat, Thadæi filius, natu maior, Rauennam ſunt aggreſſi: Verum quibuſdam in Rauennati uillis incendio abſumptis, nulla re alia præterea tentata, diſceſſerunt, paucis diebus, poſtquam populus Bononienſis, magnarum diſcordiarum, quas libertus alebat, pertæſus, dominatum urbis ipſi Thadæo, commiſerat. Quæ tamen parum ad ſe Italicorum animos traxerunt, omnibus in illud bellum conuerſis, quo Veneti, & reliqui fœderati, Maſtinum Scaligerum acriter prementes, Patauino dominatu expulerunt, eoq. Carrariis tradito, latè patentem aditum Scaligerorum ruinæ iecerunt. Nouus Prouinciæ Rector, pridie Id. Octobris Ioannes Amabrucii, Prior Præfectus ſacræ ædis S. Britii, Vaſatenſis Diœceſis, Fauentiam, ingreſſus eodem de more in III. kal. Nouembr. indixit Conuentum. Anno qui

ANN. MCCCXXXVIII. ſequutus eſt, Zaccus & Veclus Rontagnanenſes. XI. kal. Septemb. noctu, Taibum ingreſſi, Archiepiſcopi Rauennatis opidum, illud occupant, mox pridie Id. Nouembr. Franciſco Ordelafo Cæſenæ, ac Foriliuii Præfecto tradunt. Rebus nihilominus Rauennatis Eccleſiæ ſacris, prophaniſq. conſtituendis opera hoc anno data: Benedictus Genarius Rauennas Subdiaconus, & Primicerius, ac reliqui Rauennatis Eccleſiæ Cantores; qui, uti diximus, Canonicorum ordo ſunt; Nonis Septembris ipſius eorum Conuentus leges optimas promulgarunt. Franciſcus Archiepiſcopus Rainerio, Balduini Comitis Cunii filio, ſuo nomine atque item Lamberti fratris, & Marci, Bernardini filii eorum propinqui, accipienti, iure emphyteutico tradidit domos, quas olim Marcus Michaelius Venetus, Rauennæ, regione Gazii, prope S. Mamæ portam tenuerat: a turri in muro urbis conſtructa ſupra foſſam caſtri, portam Gazam uerſus, ad portam uſque Vrſicinam, vnà cum ipſa porta, munitionibusq. ſuis omnibus, quæ tum in muro vrbis eſſent, quæq. in poſterum excitarentur. ea condicione, ut ſua ipſi impenſa eas munitiones, honoris, & felicitatis ipſius Archiepiſcopi, ſucceſſorumq. ac Rauennatis Eccleſiæ ergo, conſeruarent: & ut pacatus Ciuitatis Rauennatis ſtatus duraret, bellumq. & pacem ex Archiepiſcopi Rauennatis ſententia facerent, illius, & Reipubl. Rauennatis tuerentur iura, bonaque, neque alienare ea, Archiepiſcopi iniuſſu, cuiquam liceret. Hæc autem, & pleraque huiuſmodi cum Rauennæ ipſe conſti

tuiſſet

tuiſſet Franciſcus, Ferrariæ per Nicolaum ſacerdotem D. Marinæ Venetæ, Vicarium, Galatio, Mediceo, Ferrarienſi, Righetti filio, multa: Ioanni quoque Andreæ, Pontificii iuris doctori, eiuſque filio, complura, eo loco, cui dicitur Bocca Toni, in foſſa Granaria, & fundo parono, renouatis tabulis conceſſit. Cum uerò Franciſcus Ordelafus debitum ærario pontificio tributum perſoluere negaret, Pontifex ad Eccleſiaſtica tela manum admouens, Diuina Foroliuii officia interdixit, & Franciſcum communitatis Chriſtianæ expertem renunciauit. Quod & Bononiæ accidit ob Thadæum Pepolum, Pontificiis iuſſis; quibus mandabatur, ut coram Pontifice adeſſet; parere recuſantem. Poſtero anno, Benedictus Pontifex, multum conferre intelligens, ANN.
ad pacem, quietemq. in ciuitatibus, Eccleſiæ Romanæ nullo medio ſubiunctis, M.CCC
tuendam, Antiſtites illis idoneos a Pontificio ſolio præfici, per litteras Aueni XXXIX.
nioni. IIII. Non. Iunii, Pontificatus anno V. ſcriptas, ſibi, ſediq. Apoſtolicæ, in biennium, Eccleſiarum omnium Antiſtitum deſignationem, electionemq. integram reſeruauit, extra ſacrarum Virginum cœnobia, & Priorum nō conuentualium, templa, quorum fructus florenos aureos quinquaginta non excederent. Extremo anno Franciſcus Archiepiſcopus cum eſſet Ferrariæ, in cœnobio S. Romani, Galatio Mediceo Ferrarienſi, plurima in Feudo, & plebatu S. Martini è Maderio, Rauennatis Diœceſis. IIII. kal. Ianuarii, dedit. Sed cum recuperare aliquando opidum Lugum poſſe ſperaret, eò minor hæc illius ſpes eſt reddita, quod Cunii Comites anno MCCCXL. ipſum opidum: ANN. M.
quod tunc Hoſtaſius Polentanus occupabat; per occaſionem. VI. Idus Iulii, CCCXL.
noctu aggreſſi, rapuerunt, Caſſone Hoſtaſii fratre, ex pellice nato, qui in præſidio erat, uix rem ſentiente: pauloq. poſt a Comite Manfredo, Thadæo Pepolo dono datum eſt: cum eſſet huius Comes, Rectorq. Prouinciæ Rainaldus ForiCornelii Epiſcopus: Quo eodem anno Monaldeſca cognomento Cicina, & Zizola, Baccalarii è Monte uiridi Firmanæ Diœceſis, filia, Bernardini Polentani, Hoſtaſio patre nati, uxor, adulta, marito ipſo ſuo ſpectante, aſſentienteq. tutorem ſibi Thebaldinum Florentinum, a Franciſco Raſpono, & Iacobo Benincaſa, iuriſconſultis Reipubl. Rauennatis dari petiit, accepitq. cum litem intendere hæredibus Mercenarii Fiduſtrini filii, è Monte uiridi, conſtituiſſet. Magnam inſequens annus Flaminiorum animis ſuſpicionem at- ANN. M.
tulit, ob eam cauſam, quia inſignis equitum, peditumq. manus Thadæi Pepo CCCXLI.
li Bononienſis, Albertini Carrarii, & Marchionum Eſtenſium in Foroliuienſem agrum uenit, ibiq. tres dies morata. III. Id. Iulii Cæſenam aggreſſa, quamquam ſuburbium Trochæ occupaſſet, atque inde in aliquot irrupiſſet vrbis domos, à Cæſenatibus tamen ſtrenue reiecta, multis ex ſuis deſideratis, receſſit. Nicolaus Maccaruſus Patauinus, Vicecomes Argentæ pro Opizone, & Nicolao Eſtenſibus, & Anconitanis Marchionibus; ita enim in iis, vnde hæc hauſimus, tabulis dicitur; VIII. Id. Octobr. ueniam dedit, uti Nicolaus Brunus, ſacerdos Venetus, Franciſci Archiepiſcopi Rauennatis procurator, in poſſeſſionem aliquot prædiorum mitteretur, obiit proximo anno Benedictus ANN. M.
Pontifex VII. kal. Maii, & in eius locum vndecimo poſt die Clemens ſextus CCCXLII.
ſufficitur: quo anno Germanæ cohortes; quæ poſtquam aduerſus Maſtinum Scaligerum cum reliquis fœderatis ſtrenuè pugnauerant, a Ludriſio Vicecomite conducto, in Italia remanſerant, & maioribus in dies collectis uiribus,

magnæ

magnæ ſocietatis ſibi nomen aſciuerant; Nonis Octobris in Ariminenſe, apud S. Iuſtinam uenerunt, poſtridie Gattheum, inde menſe Nouembri Cæſenam, caſtris in ſuburbiis locatis abiere. Vbi cum permanſiſſent ad triginta dies, redière in Ariminenſem agrum, relictis Cæſenæ, Franciſci Ordelafi ſtipendiis, aliis equitum octo Malherba, & Thederico Præfectis, qui Ordelafo id enixe petenti, ſatisfacere optabant. Erat enim hoc tempore, quo hanc Prouinciam Philippus de Ancilla, Prior S. Petri Scanadii Florentini, pro Pontifice, Rector, adminiſtrabat; Ordelafus, Vicecomiti, Gonzagæ, Carrariis, & Piſanis, aduerſus Florentinos, Thadæum Pepolum, & Maſtinum Scaligerum, fœderatus: cum Hoſtaſius Polentanus his potius, atque Eſtenſibus Regulis, faueret, quibuſcum Malateſta etiam Ariminenſis conſilia, opesq. coniunxerat: quo fuerat factum, ut magna ſocietas in Ariminenſe irrupiſſet, ibiq. latè omnia ferè uaſtaret. Quamquam contra, Malateſta, Pepolus, Scaligerq. in Foroliuienſe, ac Cæſenate copias, Ioanne Pepolo Duce, miſerunt, quibus Germanæ aliquot cohortes Forliuii ſubſidio accurrere auſæ, Cæſenam reiiciuntur. Quoniam uerò maioris molis ea pernicies, Malateſtæ uidebatur, quàm ut opportunè poſſet ea ratione reſtingui, Opizone Eſtenſi conſulente, decretum eſt, magnam illam ſocietatem traducere ad eorum partes. Vrbem Ceruiam huic negocio locum idoneum deſignant: vbi Hoſtaſius Polentanus magnifico apparatu paulo poſt, Opizonem, & Varnerium magnæ ſocietatis Ducem, accepit. Ibi re ex ſententia confecta, & Varnerio a Malateſta numerata inſigni ſtipendii penſione. VII. Id. Ianuarii, ex Ariminenſi abiit magna ſocietas, & Rontam acceſſit: inde ad recuperandum pro Malateſta Fanum, quod illi Tereſinus è Carignano Faneſtris ademerat, felici euentu ſe contulit: Sub id ferè tempus, cum Hoſtaſius Polentanus, coniunctis cum Scaligero copiis, irrito conatu, Parmæ expugnationem tentauit: Quoniam uero eodem erat Opizo Eſtenſis profecturus, ne illi idem contingeret, quod ſibi acciderat, vnà cum Bertolatio Britonoriano, obuiam Eſtenſi factus, ad Abbatiam Vangaditiam, quæ eſt in peninſula Rhodigina, eum deduxit: quo Scaligeri etiam cum ueniſſent omnium ſententiæ conſtitutum eſt icere cum Luchino Vicecomite, Mediolanenſi Principe, in triennium, fœdus. Franciſcus Michaelius, Rauennati Archiepiſcopatu relicto, Cretenſis primò, mox Patrarum Antiſtes factus, in Rauennati ſucceſſorem ſuperiore anno habuerat Nicolaum Canalem, Venetum patricium, qui iam Epiſcopus Bergomenſis fuerat deſignatus: illiq. huius initio anni. XI. kal. Febr. Franciſcus, cum ſeruare promiſſa, & liberare fidem uellet, Sacelli domeſtici Archiepiſcopatus Rauennatis ſupellectilem, choro, Conuentuq. Rauennatis Eccleſiæ inſpectante, per Guglielmum Canalem, Nicolai Vicarium, illam accipientem, reddiderat. Pontificiæ paulo poſt ad opidi Tudurani incolas uenere litteræ, Auenioni Non. Maii, Pontificatus anno II. datæ, quibus ſignificabat Clemens Pontifex, ſe ob eorum fidelitatem illud opidum ForoPompilianæ Diœceſis a Nicolao Archiepiſcopo, in triennium, Bartolatio Britonoriano dari poſſe, nomine ipſius Archiepiſcopi, & Rauennatis Eccleſiæ adminiſtrandum, gubernandumq. concedere: uadimonio tamen a Bartolatio conſtituto, ſe poſt triennium, opidum liberè reſtituturum, intereaq. Archiepiſcopo, illiusq. familiaribus, in opido, & arce morari, ex animi ſententia licere. Sub id tempus

ANN. M. CCC. XLIII.

Hoſtaſius

Hoſtaſius Polentanus cum ſalis portorium XIIII. kal. Maii, Stephano Benno,
Epiſcopo Fauentino deſignato; in hac Prouincia pro Pontifice Quæſtori, ſol-
uiſſet, idemq. Franciſcus Manfredus, & Lippus Alidoſius feciſſent, ſuarum ii
ciuitatum Capitanei, id autem eſt; uti docuimus; Præfecti, in tabulis, a Ste-
phano appellantur Manfredus Fauentiæ; Alidoſius ForiCornelii: Hoſtaſius
uerò Regens Rauennæ, & Ceruiæ dicitur: cum adhuc Prouinciæ Rector
pro Pontifice præeſſet Philippus Ancilla. Nec diu poſt, ipſe Polentanus Fa-
uentiam profectus, Idibus Quinctil. cum Pontificio Legato, in Epiſcopio,
pactionem de vrbe Rauenna fecit: in qua fuit illud potiſſimũ, Prætores vrbis,
ut ab Hoſtaſio crearentur, quos Legatus probaret Pontificius, qui Bononiæ
præeſſet: Iam enim Pontifex Bononienſes in gratiam receperat, miſſusq. ab
eo Legatus comites ab omnibus fuerat acceptus, ipſeq. compoſitionis condi-
cionibus recitatis, nomine Pontificis, vrbis poſſeſſionem, atque imperium,
Thadæo Pepulo, ex populi ſententia remittente, ac per aliquot dies eam ad-
miniſtrauerat: quibus tranſactis, ipſum Thadæum, nomine Pontificis, Vica-
rium vrbis declarauerat in triennium. Frugapanes Patricii Veneti, uetuſtiſſi
mi tribuni, quorum erat è Rauenna origo, finem hoc anno, in Ioanne Fru-
gapane, iuſtitiæ Præfecto, ſortiti ſunt. Hoſtaſius Polentanus Ceruienſem
etiam ſibi dominatum denuò confirmauit, & Rauennam liberius regere, ci-
uibusq. imperare cepit. Quamobrem in ciuitate, & apud reliquos Principes
potentior, gratioſiorq. factus, aduerſæ factionis ciues urbe penitus exter-
minauit: Honeſtos, Bichios, Saxos; & pleroſque nobiliſſimos alios ciues,
in quibus nonnulli Trauerſarios etiam numerant. Erant enim ex Trauerſariis
hoc tempore; uti Ferrettus & Franchinus teſtantur; Paulus, Bernardo patre
genitus: Petrus, Azo, Guido, Thomas, Ioannes, Theodori filii: Vgulinus
etiam Theodori eiuſdem filius, ſed concubitu nequaquam ortus legitimo:
qui primò cũ Turrianis Mediolani Principibus, uti ſuperiores auctores ſunt,
mox apud Venetos ſtipendia in bello meruit, Venetiisq. deceſſit. Patria igi-
tur pulſis nobiliſſimis ciuibus, reditus in eam poſt annos aliquot omnibus pa-
tuit, præterquam Trauerſariis: qui cum nullam ſpem ſibi reliquam uiderent,
in uarias Italiæ regiones abiere, extra Theodorum, qui Byzantium vnà cum
Ioanne filio natu minore profectus, haud multo poſt ibidem uitam cum mor-
te commutauit. Petrus, uti ſupra demonſtrauimus; in Etruriam: Azo,
Ferrariam: Thomas, Venetias conceſſerunt: Guido cum uxori, cui Nobili
nomen erat, ex uetere, & nobili Ducum familia Rauennati, quæ item Hone-
ſta, & Aunesta dicebatur, cum ſe ad Anemonis uallem, quæ eſt ſupra Fauen
tiam ad Apenninum, Breſichella nobili opido celebrem, contuliſſet, Mon-
ticulam uillam emit, deq. ſuo nomine Trauerſariam appellauit. Cum uerò
ſpe, ac deſiderio teneretur patriæ repetẽdæ, coactaq. manu ſatis ualida uicino
rum agricolarum, ad ipſas urbis portas ſæpe excurriſſet, dum tandem nititur
extremo conatu, amicis pleriſque fauentibus, Rauennam ingredi, in ipſa Ana
ſtaſia porta trucidatur. Sepultus eſt ad D. Mariæ maioris, in monumento Præ-
fectorum, qui nobiliſſimi Ciues Rauennates erant, & Trauerſarium affinita-
te attingebant. Hæc Franchinus & Ferrettus. Id quidem ſepulchrum pro ra-
tione eorum temporum, admodum nobile, & egregiè ſculptum, ab eius tem-
pli ualuis, quæ D. Vitalis reſpiciunt, egredientibus uiſum eſt, ad annum MD
LXX.

LXX. a partu Virginis; quo tempore uetuſtiſſimi illius templi Rector, lapici-
dæ illud uendidit, ad profanos forte uſus adhibendum. Decreuit etiam Hoſta-
ſius, ut leges omnes, quæ per gratiam nobiliſſimis quibuſdam ciuibus Rauen
natibus, & vxori Guillelmotti Polentani, & filiis eorumdem, Guidoni, Ber-
nardino, Fulco, & Ioanni fratribus latæ fuerant, perinde ac perduellionis reis,
abrogarentur. Ipſe ex Adeleta uxore, quam Letam alii appellant, Marcheſi-
ni Arguliofi Foroliuienſis filia, Carati ſorore, Bernardinum habuit hoc nomine
ſecundum, Pandulfum & Lambertum tertium filios. Finitimiq. Principes eius
beneuolentiam diligentius cupere: in quibus Opizo Eſtenſis fuit, qui aduerſus
Luchinum Vicecomitem, cum Hoſtaſio fœdus iniit: ad quod deinde fœdus
Aimingo Flaminiæ Comes, Maſtinus Scaliger, Ioannes Manfredus, Albergher
tini filius, Fauentiæ Princeps, Ricciardus Alidoſius Fori Cornelii Regulus,
Thadæus Pepolus, qui Bononiæ dominabatur, & Ioannes Cagnolus Corrigias
adiuncti ſunt. Cum uerò iis diebus Clemens Pontifex, multis de cauſis, Opizō
nem Eſtenſem Ferrariæ Vicarium probaſſet, nouis pactionibus, hac motus op
portunitate Nicólaus Archiepiſcopus, qui præſens aderat, apud ipſum Ponti-
ficem & Cardinales conqueſtus eſt, Argentam Eccleſiæ ſuæ Rauennatis opi-
dum iamdiu ab Opizone & Nicolao Marchionibus Eſtenſibus occupari, itaq;
etiā atq. etiam petere, ut illud reſtitui curaret. Reſpōdentibus autem Marchio
num Eſtenſium internunciis, paratos Marchiones eſſe ad ea facienda, quæ Pō
tifex imperaſſet, Clemens, Gaucellino Epiſcopo Albanenſi, Bertrando tituli S.
Marci, Stephano tituli SS. Ioannis & Pauli, ſacerdotibus & Galliardo S. Luciæ
in ſilice Diacono, Cardinalibus mandauit, ut de concordia inter partes age-
rent. Poſtquam uerò diu, multumq; & ſatis magno labore tractatum eſt, ipſo
Archiepiſcopo, Dalſino Fleſſo ciue Ferrarienſi iuris perito, & Deleo Mutinen
ſi, ſcriba, Eſtenſium procuratoribus, præſentibus, iudiciumq. eius rei inte-
grum ad Pontificem reiicientibus; Pontifex opidum illud ſtatim in ipſa Roma
na aula, Nicolao Archiepiſcopo, & a Marchionibus Eſtenſibus in Italia, re
ipſa, intra tres menſes reſtitui, iuſſit: Nicolaus Archiepiſcopus idem opidum,
eiusq. prophanam iuriſdictionem, in ſexennium, Marchionibus locaret, iis
condicionibus, ut quotannis Marchiones pro ea locatione Archiepiſcopo ſol-
uerent Florenos aureos, nota Florentina ſignatos, bis mille: Ciues Ferrarien
ſes decem, totidemq. Mutinenſes huius rei uades fierent: Iuriſdictio ſacra eſ-
ſet Archiepiſcopi, Eccleſiæq; Rauennatis. Villæ portus maioris, & aliquot
præterea locorum uenditionem, quam Bertrando Cardinale, Oſtienſe Epi-
ſcopo, Legato, decernente, quòd ſpectat ad prophanam iuriſdictionem, Ai-
mericus olim Archiepiſcopus, tunc titulo S. Martini in montibus ſacerdos
Cardinalis, uniuerſitati Ferrarienſi, ſex florenorum aureorum millibus, fece-
rat, Nicolaus probaret: penſionum terminos, moderatos aſſignaret: Archi-
epiſcopis ad illud opidum, eaq; loca adire; ſic tamen ut ne veriſimilis ſuſpi-
cio de Archiepiſcopo & ſuis, daretur; liberè liceret. De his litteras ſuas Cle-
mens Pont. Aueniome. VII. Id. Aprilis, Pontificatus anno II. datas ad Archi-
epiſcopum Arelatenſem, & Epiſcopos Ferrarienſem, Vercellenſemq; ſcripſit.
Eodem hoc anno. V. kal. Octobr. Ceruiæ, Thebaldo Auocato, Placentino,
aliisq. inſpectantibus, Pandulfus Polentanus, eius ciuitatis, pro S. Roma-
na Eccleſia; ſic enim in iis tabulis ſcribitur; Prætor, coacto Senatu, de Sena-

torum

torum omniũ ſententia,eius procuratores ciuitatis fecit,Poanũ Balbum,Fran
ciſcum Raſponum, & Bonauenturam Genarium,abſentes;qui Aimerico,Ro-
lando; hunc Aimericonem, & Aimengonẽ etiam uocabant; huius Prouinciæ
pro Romana Eccleſia Rectori, cui hanc mandauerat curã Aimericus titulo S.
Martini in montibus ſacerdos Cardinalis,Põtificius Legatus, florenos aureos
mille numerarent:ita.n.Legatus ipſe,Hoſtaſius Polentanus,& Rauẽnatis,Cer
uienſiſq. Reip. procuratores conuenerant, cum abrogatæ ſunt tabulæ quibus
ob defectionẽ,& inobedientiam Hoſtaſii,& earum uniuerſitatum,Bertrando
Epiſcopo Oſtienſe Prouinciam adminiſtrante,Hoſtaſio,& pleriſq. earũ ciuita
tum ciuibus,ſacris interdictum fuerat,& Chriſtiana communitas adempta. In
terea fœdere inter Vicecomitẽ,& Eſtenſem fracto,Opizo Eſtenſis Parmam ab
Corrigio emit, fœderatoſq. Mutinam acciuit: Quo cum ſe Hoſtaſius Polenta
nus contuliſſet, aduenere etiam Aimingo Flaminiæ Comes,Ioannes Manfre
dus Fauentinus,Malateſta Ariminenſis,& Bertolatius Britonorianus, qui pri
die Non.Octobr.conuentu habito,ab Eſtenſi in armis eſſe monentur: quod &
domũ reuerſi fecere.Sed Aimingo,copias; interea dũ nihil agitur pro Eſtenſi;
Cæſenam admouit, inde menſe Nouembri traduxit Forliuiũ; uaſtato agro:ue
rùm antequam Fauentiam peruenirent,a Forliuienſibus funduntur,quod & a
Cæſenatibus etiam illi cõtigerat: Nec diu poſt Hoſtaſius,menſe Decẽbri,ſub
ſidio Eſtenſi accurrit,cum,Parma rediens,a Philippino Gonzaga aggrediente,
penè oppreſſus eſt:quamquam nullam tũc opem Polentanus attulit,quod iam
ſe Eſtenſis denuò Parmam recepiſſet. Sub id tẽpus,Clemens Pont.XI.kal.No
uẽb.de negociis,quæ Põtificis,Eccleſiæq.Romanæ,& Edoardi Britãniæ Regis
intererant,legauit ad eum Regẽ Nicolaum Archiepiſcopum Rauẽnatem,illiq.
collegã,Petrum Aſtoricenſem Epiſcopum adiunxit: magno.n.tũ inter ſe bello
dimicabant Galli,Britanniq. Initio deinde anni MCCCXLV.Hoſtaſius Ferra
riam regreſſus,cũ Eſtenſi,Scaligeris,Pepolis,Malateſta,Piſanorũq Legatis,ad ANN. M.
uerſus Vicecomitẽ,& Gonzagã,fœdere facto,eo bello, quod deinde inſecutũ CCC-
eſt,tũ Regio Lepidi oppugnando,tũ munienda urbe Parma,præſidioq. in eam XLV.
inferendo,ſtrenuã operam nauauit. Ab Aimerico,titulo S.Martini in mõtibus
ſacerdote Cardinali,a Clemente Pontifice,in Flaminiam, Tuſciam,Siciliam,
& aliquot alias Italiæ partes, Legato, Rauennam paulo poſt uenere litteræ,
Neapoli ſcriptæ kal. Febr. quibus Archiepiſcopo Rauennati mandabat, ut
quingentos ſeptuaginta ſex florenos,tertii anni ſui propediem ineuntis ſtipen
diũ,ſuo,& ſacratorũ uirorum ſuorum immunium nomine,expediret. Quoniã
uerò Luchinus Vicecomes Parmam adhuc premebat, occupaueratq. Sora-
gnam,& Nocetum Giberti Sanuitalii opida. VI.Non.Iul. Opizo Eſtenſis,& ſe
cũ vnà Hoſtaſius Polentanus,Maſtinus Scaliger,& Azo Corrigias,Bononiã,in
Thadæi Pepoli congreſſũ,colloquiumq. abierunt:ſed quamquam accepti ma
gnificè,& multæ,eædẽq. diuturnæ fuerunt congreſſiones,profuere tamen illis
parum,quòd Pepolus de concordia cũ Luchino reconcilianda iam ageret. In
Gallia res turbatæ vndique,mœrore omnia cõpleuerant,cum nihil pene pro-
ficerent Pontificii Legati, & Edoardus Britanniæ Rex, uictor, multa Gallo-
rum millia,quæ nonnulli tradunt uiginti fuiſſe, interemiſſet. Itaq. Pontificiis,
Nicolaus Archiepiſcopus Rauẽnas,litteris,Idibus Nouẽbr anno quarto Pon-
tificatus Auenione datis,edocetur,quibus ad impetrandam a Deo inter Chri

ſtianos Principes concordiam precibus uteretur ipſe,ſacratiq.illius uiri,ſactis peractis.Fuit autem canticum,quo Dauid ſanctus Rex, *Lætatus ſum*, inquit. *in yſ,quæ dicta ſunt mihi,in domum domini ibimus*.quo abſoluto,addebatur,ut Deus ſaluos Reges, & populum conſeruaret, benediceret hæreditati ſuæ, regeret, eueheretque: pax fieret,affluerent bonis omnia, Eccleſiæq. ſuæ preces placatus,admitteret.Nec diu poſt Nicolaus,alteras Vgulino Rubeo,Parmenſi Epiſcopo,& Comiti,ceterisq.pariter Epiſcopis, Rauẽnati Archiepiſcopatui ſubiunctis,a Pontifice miſit litteras, quibus decimam fructuum partem, in triennium,pro expeditione aduerſus Turcas,ſoluendam,mandabatur:Nam Orchanes eorum Rex,quamquã ſuperiore anno a Venetis;qui cum Ioanne Palæologo,& Ioanne Cantaculeno,Byzantiis Imperatoribus arma coniunxerant; ſuperatus, tamen reſumptis hoc anno uiribus, multa denuo loca occupauerat.

ANN.M.CCC XLVI. Poſtero ineunte anno Nicolaus Archiepiſcopus, quia præſens adeſſe non poterat,cum deſignandus erat Rector templi S.Apollinaris, Catholicæ, Diœceſis Ariminenſis,cuius ex duabus partibus patronus eſt Archiepiſcopus Rauennas,procuratorem ſuũ VII. Id.Ianuarii Guidonem è Caminatis, Ricciardelli filium, ſcribam Ariminenſem fecit, qui eius nomine, apud Alidoſium Epiſcopum Ariminenſem, Gentilinum è Monte Abbatis ſacratum uirum, eius Rectorem templi deſignaret.Cum autem Aimericus Valloni Regulus, Flaminiæ pro Romana Eccleſia Rector conuentum Prouinciæ indixiſſet Fauentiam, Pandulfus Polentanus Ceruiæ pro Romana Eccleſia Rector, Senatu. IX. kal. Aprilis habito,Philippum Benincaſam Iacobi filium,iuriſconſultum,procuratorem vniuerſitatis Ceruienſis fecit, qui conuentui ad VII.Kal. intereſſet, & quæ conducerent ciuitati,curaret.Hoſtaſius Polentanus,pater,Ferrariam profectus,inde vnà cum Opizone Marchione Eſtenſi,& Giberto San Vitalio.VII. Id.Septẽbr. Nonatũ abiit:quò in opido Maſſæus Vicecomes, & Brutius, Luchini filii,ex pellice nati, aderant, qui eos comiter complexos, Mediolanum adduxere,cum Opizo de tradenda Luchino Parma,iã conueniſſet.ibi Opizo, & Hoſtaſius,collegis ad id ſanctũ munus adhibitis,Marchione Mõtisferrati,& Caſtellano Beccaria,Ticini Principe, geminos mares:quos Luchino marito, Iſabella Fliſca Genuenſis, vno partu ediderat; dum ſacra ablueren tur vnda baptiſmatis,ſuſcepere. tumq. Luchino Parmam, Opizo, præſens, in manum dedit: Illorum autem infantium alteri,Luchino nouello,alteri Ioanni eſt nomen impoſitũ, adiectaq.a ſuſceptoribus dona ampla,eadẽq.eximia. Diſceſſere Eſtenſis,& Polentanus,Mediolano,VII.Kal.Octob.cumq.eſſent Modoetiæ pranſi,ueſperi,comitati adhuc Maphæo,& Brutio, quos diximus, officii & honoris ergo,Tricium peruenere. Inſignis ibi, inopinatusq. caſus Polentano uitam penè eripuit. Cum enim ea nocte, in cubiculo, quo dormiebat,è carbonibus arderet ignis, eius fumo, ipſe, tresq. a cubiculo ſerui ferè ſtrangulatĩ ſunt. Quamobrem biduum ibidem commorati Marchio, & reliqui, dum nonnihil conualuit Hoſtaſius. Veronam inde recepere ſe, & ſexto poſt die, Ferrariam, nono kal. Nouembris. Ceterum Hoſtaſius Rauennam reuerſus, ſeu concepti iam a fumo carbonum morbi ſemina reuiuiſcerent, aut noua laboraret aduerſa ualetudine, XVIII. kal. Nouembr. ibidem ex hominum uita inteſtatus deceſſit. Elatus honeſtiſſimo funere, & ad D. Franciſci ſepultus. Per idem ferè tempus Clemens Pontifex, Carolum Ioannis

Boemiæ

Boemiæ Regis filium, ob inſignem uirtutem, & egregiam multarum diſciplinarum peritiam, Cæſarem deſignandum curauerat, oppoſueratq. Bauaro, adhuc in Germania furenti. Ex tribus Hoſtaſii filiis, Bernardinus maior natu Rauennam habuit, Pandulfus Ceruiam: Lambertus minimus, nullo inſignitus titulo imperii, in fidē, clientelamq. fratrum recipitur. Sed inſequenti anno, qui fuit a partu Virginis ſupra milleſimum tercenteſimum, quadrageſimus ſeptimus, propagandi imperii, Pandulfus & Lambertus, qui Ceruiæ morabantur, cupidi; ita arduum eſt, eodem loci potentiam & concordiam eſſe, capiendi Bernardini fratris, & Rauennæ occupandæ conſilium ineunt: mittuntq. qui Lambertum ex equo decidiſſe, ægrèq. uiuere, Bernardino ſignificent, itaque ſi uidere uiuentem uellet, minimum cunctaretur. Nihil mali Bernardinus ueritus, ſtatim Ceruiam aduolat, Lambertumque in lecto lamentatione & gemitu complentem omnia offendit: & ubi per occaſionem datum eſt iuſſu Pandulfi, tert. Non. April. comprehenditur, & in carcerem, ſeptus diligenti cuſtodia, coniicitur. Poſtridie ſummo mane, Pandulfus, cum aliquot armatis, & intimo familiariſſimoq. Bernardini ſeruo, Rauennam uenit, cuſtodes portæ inclamare hunc iubet: is Balzum ſe dicit eſſe, Bernardini, Principis ſeruum: ad accipienda pro Lamberto curando, qui ægrotaret grauiſſimè, medicamenta, aduenisse, illico rediturum. Patefacta porta: increbuerat enim tota urbe caſus Lamberti; tum ſeſe in vrbem proripuere omnes, aitque iis, qui in præſidio portæ erant Pandulfus, Bernardinum eſſe mortuum, Rauennate imperium ſibi uelle: firmaque cuſtodia ad portam locata, diſtrictis gladiis in forum accurrentes, Pandulfi nomen conclamant. Conuenere ſtatim Pandulfi amici, & in Prætorium deducto, dominatum vrbis cō miſerunt, Rauennatemq. Principem ſublatis vocibus appellarunt. Ceterum aduenit haud ita diu poſt Malateſta Ariminenſis, ſpecioſis uerbis, leniq. oratione mulcere Pandulfi animum nititur, & quamquam conuenire initio res nullo pacto uideretur, tamen pro auctoritate, qua apud patrem, atq. ipſos fratres potuerat plurimum, poteratque, tandem hominem de ſententia deiecit, & XVIII. Kal. Iulii, Bernardinus è cuſtodia Ceruienſi liber dimiſſus, Malateſta deducente, Rauennam venit. Ibi Malateſta Bernardinum, equitem facit, Bernardinus, Pandulfum, Pandulfus Lambertū, ſummaq. hilaritate, triſtitia ſuperioris temporis, præclarè condita. Pacatis per hunc modum fratribus, Ariminū Malateſta rediit, ipſi communi æqualiq. inter ſe imperio, Rauennam, Ceruiā, multaq. præterea opida, regebant, perpetuoq. deinde rexiſſent, ſi dominatus, & ulciſcendi libido, quæ aſſiduè mortalium quorundam animos agitant, eoq. ferocius, quo altius comprimuntur, longiores fuiſſet moras paſſa, Bernardinus, ut paribus paria referret, capi Idib. Septembr. Pandulfum, & Lambertum, & in Ceruienſem arcem coniici fecit, cum diceret, illum eos occidere uoluiſſe: Ibi diuturna carceris moleſtia conſumpti, impoſuere tandem uitæ finem: Bernardinus rerum potitus eſt. Lamberto, Fulcus adhuc infans, Pandulfo Ioannes, & Clara filii, quos ex Bartola uxore, Lippo Alidoſio ForoCorneliano nata, habuerat, fuere ſuperſtites. Interea cum Ioannes Manfredus, Ricciardi e pellicatu filius, parere Aimerico Flaminiæ Comiti abnueret, & egreſſus Fauentia, Bagnacauallum ab Aimerico alienaſſet, Aimericus comprehendi Guillelmum Ioannis fratrem, & Ioanni edici iuſſit, niſi opidum red-

ANN. M. C C C. XLVII.

deret, Guillelmum capite pœnas daturum; feciſſetq. omnino Aimericus, ſed innocentiæ Guillelmi, & multorum Fauentinorum precibus reliquit locum, eductoq. è carcere Guglielmo, Ioanni bellum intulit: Sed tandem pax conuenit, opidumq. redditum eſt, & Ioannes in vrbem honeſtiſſimè ab Aimerico receptus. Nicolaum Rauennatem Archiepiſcopum in aula Pontificia commorantem Clemens Pont. per id tempus, Patracenſem Antiſtitem creauit, Rauennatiq. Eccleſiæ Archiepiſcopum præfecit Fortanerium Vaſſelli, Franciſcani ordinis generalem miniſtrum, quem pleriq. Sertorium etiam uocant; & Vrſinæ gentis fuiſſe Matthæus Villanus auctor eſt, domo Britannum, ex opido Galeaſo, Diuinarum litterarum peritiſſimum, earumq. editis doctiſſimis libris clariſſimum interpretem: hunc tamen aliqui Valuēſem, & Aquitanum dicunt: Statim autem ſcriptis ad populum ciuitatis, Diœceſisq. Rauennatis, IX. kal. Nouembr. Pontificatus anno VI. Auenione litteris, hortatur, iubetq. ut ipſum deſignatum Archiepiſcopum honeſtè excipiant, benigne complectantur, & illi, ut decet, obediant. Flaminiam hoc tempore, cum magno equitatu, peragrauit Ludouicus Pannoniæ Rex: illiq. & Bernardinus Polentanus Mutinam uſque magno comitatu, & Franciſcus Ordelaſus cū equitibus tercentis, peditibus quingentis obuiam proceſſit: cum autem Forliuium Rex ueniſſet, pridie Id. Decembr. Franciſcum, eiuſque filios Ioannem, & Ludouicum equeſtri dignitate ornauit: poſtridie abiit Cæſenam, atque inde in Apuliam conceſſit, Andreæ fratris necem ulturus, quem Ioanna Neapolis Regina, cum maritum accepiſſet, & ad Regni, ac potius, ut pleriſque uiſum fuit, coniugii munia parum accommodatum, atque aptum comperiſſet, ſuſpendio necauerat, in eiusq. locum ſuffecerat Ludouicum Tarentinum Principem, forma iuuenem, omnium qui tum eſſent, pulcherrima, & admodum liberali. Extremo anno, Clemens, Rectorem Flaminiæ dedit, Aſtorgium è Duroforti, militem Lemouicenſis Diœceſis; & cum prophanis illum cauſis tantum præfeciſſet Stephano Epiſcopo Fauentino, per litteras. X. kal. Ianuar. Pontificatus anno VI. Auenione datas, mandauit, ut ſacra, exercenda iuriſdictione, prophanam Aſtorgii fulciret. Deſiit Venetiis ſub id tēpus patritia Ingolorum domus, quæ Rauēna profecta, & omnibus Senatorii ordinis muneribus perfuncta, nec non bello clariſſima, Hieronymo Ingolo abſq. liberis decedente, finem habuit.

ANN. M. CCC XLVIII. Aſtorgius Prouinciæ Comes, cum ſoluere tributum renuentem Franciſcum Ordelaſum comperiſſet, quamquam ille initio proximi anni in Apuliam ſe contulit, ut Pannonio Regi penè iam uictori, in eo bello inſeruiret, tamen uaſtauit agrum Foroliuianum omnem, & ad portas urbis excurrit; quæ cum accepiſſet Ordelaſus Neapoli: hanc enim vrbem, Ioanna cum marito Auenionem ad petendam opem a Pontifice abeunte, Ludouicus acceperat; miſſionem a Rege, & auxilium depoſcit: Miſſione impetrata, Forliuium menſe Martio reuertitur, & cum Aſtorgio pacem haud ita diu poſt facit: iiſdem ferè diebus, cum Galeotus Malateſta magna ciuium uoluntate, Aſculi obtinuit dominatum. Aſtorgius Prouinciæ Rector, Melſæ, Polentæ, & Cuglianelli opidorum exules, multosq. agricolas Rauennates, Ceruienſesq. cum ſe Romanæ Eccleſiæ parere in poſterum uelle affirmarent, & florenos aureos ducentos numeraſſent, mulcta omni, & exilio liberauit, tabuliſq. Fauentiæ confectis maleficiis abſoluit. Fortanerius Archiepiſcopus Rauennam hoc interim ſpatio ue-

nerat:

nerat: inuiſensq. Rauennatis Eccleſiæ ditionem, cum eſſet Imeldulæ, Id. Septēbr. Delphino Fleſſo, ciui Ferrarienſi, iuriſperito, procuratori Opizonis Eſtēſis Marchionis, &, ut in iis tabulis dicitur, ciuitatis Ferrariæ pro Romana Eccleſia Vicarii, locationem Argentæ confirmauit, in aliud ſexennium, cum illud deſiiſſet, in quod eandem a Nicolao Archiepiſcopo acceperat. iiſdem additis condicionibus. Rauennam inde reuerſus, Guilliam deſignatam cœnobii D. Andreæ Abbatiſſam, cum Rengarda item Abbatiſſa deceſſiſſet, IIII. Id. Nouembr. probauit. Guillia apud eum fidelitatis ſacramentum dixit, neq. alienaturam bona iurauit. Pari ſtudio Aimericus titulo S. Martini in montibus ſacerdos Cardinalis, Prior, Præfectus cœnobii D. Mariæ in portu Rauennati, Auguſtiniani ordinis per Iacobum Artuſinum Rauennatem, iure fiduciario, opidum Perteſedam, Ioanni Calbolo, Nicolutii filio, Foroliuiano, tribuit: & cum iam ante annos quinque aſſenſiſſet Andreæ, Ioannis Ariminenſis filio, eiuſdem cœnobii Canonico, templi, & hoſpitalis domus S. Mariæ de portu ſicco Clugienſis Diœceſis, a fr. Michaelis Epiſcopi Clugienſis Vicariis & Canonicis deſignato: hoc etiam anno, eidem denuo aſſenſit, & per litteras Fauentiæ in Epiſcopio VIII kal. Ianuar. ſcriptas, facultatem dedit, ut transferri ad templum illud poſſet: cum interea a menſe Iunio ad Decembrem ingens peſtilentia totum terrarum orbem peruaſiſſet, vrbibusq. & agris aſſiduis funeribus exhauſtis atque uaſtatis, ſua atrocitate propè humanū ipſum genus extinxiſſet. Posterò anno Ferrariæ in Epiſcopio, Guido è Baiſio Canonicus Mutinenſis, iuriſconſultus, Fortanerii Archiepiſcopi Vicarius, procurator, & à cubiculo, ipſius nomine Archiepiſcopi a Stephano Epiſcopo Fauentino, Fortanerii Vicario, ſubſtitutus, tertio kal. Maii, multa iure emphyteutico, Galatio Mediceo Ferrarienſi conceſſit. Magna per hos dies in hac Prouincia mutatio rerum accidit, cum Ioannes Manfredus Ricciardi filius, Franciſco Ordelafo, & Fauentinis aliquot ciuibus iuuantibus, Pontificium huius Prouinciæ Rectorem, & Comitem expulerit Fauentia, & illius dominatum vrbis, Ioannes Manfredus Alberghettino genitus, ea tota decurſa, ſibi aſciuerit: confeſtimq. Ludouicus Ordelafus Franciſci filius, Britonorium adortus, eius occupauerit ſuburbium. Rector, Comesq. Prouinciæ Forum Cornelii interea ſe receperat, euocatisq. illuc Ioannis Vicecomitis Mediolanenſis Archiepiſcopi, Opizonis Eſtenſis, Maſtini Scaligeri, & Pepolorum Bononienſium auxiliis, recuperare Fauentiam parabat, cum ipſi contrà Ordelafii, Manfrediiq. tanta copiarum mole deterriti, ſuiſque diffiſi uiribus, Guarnerium Ducem, eiusq. copias, ſocietatem appellatas, quæ in Neapolitano, Pannoniæ Regi nauauerant operam, accerſunt: eæ cum pridie Non. Maii in Fauentinum, Forliuienſemq. perueniſſent, Ordelafus Britonoriana arce munitiſſima, quæ a Romana Eccleſia ſtabat, VI. Idus, anno MCCCL. potitus eſt. nec diu poſt Caſtrocarum, Imeldulam, Caſtelnouum quoque cepit. Prouinciæ Comes Fauentiam uerſus, quattro ab vrbe lapide, ad pontem S. Proculi progreſſus, reiecto inde Fauentinorum præſidio, illum pridie Idus obtinuit. Poſtridie caſtra ad opidum Solarolum admouet, ſtatimque eius oppugnationem aggreſſus, opido potiturus haud dubiè uidebatur, ni fuiſſet, maximo tum forte demiſſo imbri, retractus. Ibidem tamen conſtitit: aliquotque equites ac pedites excurrere ad Bagnacaualli portas iuſſit: qui cum

ANN. M. CCCXLIX.

ANN. M. CCCL.

nullo rem ordine & ſatis negligenter agerent, ab erumpentibus Fauenti-
nis; iam enim denuo Ioannes Manfredus receperat opidum; in fugam uer-
ſi, diſſipatique, aliquot deſiderarunt ex ſuis: in quibus Germani fue-
re tres, totidemq. Itali, & ipſe in primis Paulus Manfredus Regienſis, ſpe-
ctata nobilitate inſignis. Ceterum dum Fauentinum hoc bellum aſſiduè, Pro
uinciæ Comes, animo agitat, nouis adductus Bononiæ rebus, eò cogitatio-
nem, & copias conuertere cogitur; atque ita vrbem premere, ut Ioannes Pe-
polus, eam tenere ſe poſſe deſperans, Ioanni Vicecomiti Archiepiſcopo Me-
diolanenſi, ipſo approbante populo, tradiderit. Ludouicus Pannoniæ Rex,
ANN.M. IIII.Non. Mart.ex Apulia rediens, Cæſenæ pernoctauit: poſteriorem noctem
CCCLI. Forliuii traduxit. Guidonem Polentanum, Bernardini filium, in eo exercitiu
fuiſſe nonnulli tradunt, quem Ioannes Vicecomes cognomento Aulegianus,
Ioannis Archiepiſcopi Mediolanenſis, Bononiæ Vicarius, ac Præfectus, ad
circumuallandum Forum Cornelii, proximo anno miſit: Quamquam autem
multis locis obſidio eſt inſtituta, preſſaq. eſt vrbs ualido, ac ſtrenuo milite;
nam præter Polentanum, Ioannes Manfredus Fauentiæ, Franciſcus Ordela-
fus Forliuii, & Cæſenæ Principes, in eo exercitu militabant; tamen Robertus
Alidoſius, qui ſtabat a Pontifice, egregiè, & magna cum ſua laude, vrbem con
ſeruauit: cum Lugum Vicecomes ſuum feciſſet. Ordelafus ad finitima ciuita-
tibus, quas habebat, opida conuerſus, Fontanam frigidam, Cuſerculum, Gla
zolum, a Franciſco eius loci Comite, Douadulam, Comite Carolo ibidem
capto, & Forliuium abducto, admotis caſtris paulo poſt occupaſſet. Clemens
Pont. Fortanerium Archiepiſcopum, in aula Pontificia tum degentem, eo ſo-
lutum nexu, quo Rauennati Eccleſiæ erat obligatus, ad Gradenſemq. Eccleſiã
tunc uacantem, translatum, Patriarcham fecit: & quia ad retinendum pro di-
gnitate ſtatum, Patriarchatus Gradenſis bona ſatis eſſe nõ poſſe nouerat, cum
eæ ſint Eccleſiæ uicinæ, Rauennatem quoq. illi commendauit, eiusq. omnem
adminiſtrationem cõmiſit, & per litteras apud Villam nouam, Diœceſis Aue-
nionenſis, XIII. Kal. Iunii Pontificatus anno X. datas, id Rauennatibus ſignifi-
ANN.M. cauit. Anno MCCCLII. Clemente Pontifice demortuo, in eius locũ Innocen-
CCCLII. tius Sextus XV. kal. Ianuarii ſubrogatur, qui recuperandarũ vrbium ab Roma-
na Eccleſia abſtractarum deſiderio incenſus, Egidium Carillam, ut bello Ty-
rannos perſequeretur, Legatum in Italiam miſit: Petrocinum, Rectorẽ Flami-
niæ, & Comitatus Britonorii;ita enim adhuc ſcribere in litteris Pontificiis cõ
ANN.M. ſueuerant; apud Villam nouam Auenionenſis Diœceſis, kal. Septembr. Ponti-
CCCLIII. ficatus anno primo, conſtituit, mandauitque, ut adempta Eccleſiæ Romanæ
loca, recipere pro uiribus curaret. Quod in Piceno aduerſus Malateſtas,
qui omnem ferè illam Prouinciam ſibi aſciuerant Egidius Rodulfo & cete-
ris Varaniis fratribus, Camertium Principibus, iuuantibus, feliciſſime
confecit: & facta deinde pace, Galeotum Malateſtam è carcere eductum, Ec-
cleſiæ Vexilliferum creauit, Bernardinus Polentanus Rauennate Imperium
conſecutus, multa inſtituens, multa quotidie ad imperium adiecit, Cul-
lianelliq. & Polentæ; quæ opida haud procul inter ſe diſtant; partem, quæ
Franciſcum Polentanum Baldi filium ſpectabat, aliquotq. iuxta Polentam
agros, tricenis quinquaginta Rauennatis pecuniæ libris emit: eodemq. an-
no, qui fuit ab orbe redempto milleſimus tercenteſimus quinquageſimus
tertius,

tertius, Samaritana Hoſtaſii Polentani, militis Rauennatis, iam demortui, filia uiginti annis minor, duodecim maior, coram Cataldo è Viſſo, Boncompagni filio, Guidonis Polentani Vicario, hæreditatem, iuſque illius omne vendidit, Bernardino Polentano, fratri; cum Hoſtaſius pater ab inteſtato deceſſiſſet; ducatis aureis quater mille: neque id ſolum Bernardinus emit, ſed a Franciſco Ordelaſo, Sinibaldi filio, Forliuii Præfecto, nomine ſuo, & Ludouici, Sinibaldiq. filiorum, & Cechi, ac Pini, ſuorum ex Ioanne fratre, nepotum tribuente, comparauit, id iuris, quod illi erat in rure Cannutio, & D. Zachariæ, agri Rauennatis: quo anno, qui quinquageſimus quartus, ſupra milleſimum tercenteſimum habebatur, pridie Non. Iulii, Cichinum Tuduranum ſibi a cubiculo, ad Ricciardum Gaffarum Mantuanum, Veneti filium, huius Prouinciæ, pro Romana Eccleſia Mareſchalcum, ut centum quinquaginta quattuor Rauennatis pecuniæ libras, perinde, ac Pauli è Sala, Canonici Aquileienſis, Quæſtoris, procuratori, pro frumentaria; utar enim illorum uocabulo; Rauennæ, Ceruiæ, Polentæ, Melſæ, & Cullianelli, numerarent. Horum autem locorum Bernardinus, in iis tabulis, appellatur Dominus, & Defenſor. Octauo poſt die per eundem Cichinum, & Iacobum Angolettum Florentinum Quæſtorem ſuum, Rainaldo Aſandro Mantuano, milite, teſte ducatos aureos quingentos mutuo dedit, Federico, Conradi de Rech, & Conrado Odorici de Grinigher filiis, Germanis, Conradi Comitis de Lando, magnæ ſocietatis Ducis, & Rainerii cognomento Malherbæ, internunciis; cum reſtituturos eam ſe pecuniam, ad diem D. Michaelis feſtum, pollicerentur. Poſtquam enim ii milites, quos magnam ſocietatem uocabant, ſuperiore anno, in Piceno fuerant, hoc anno, menſe Iunio, per Spoletanum, Peruſinum, Cortonenſe; Aretinum, inde Senenſe; Florentinumq. demum Burgenſe, in Ariminenſi agro conſederant: indeque menſe Auguſto promotis caſtris, ad Budrium, Gatheum, & Balganam, Forliuium ſe recepere, mox Fauentiam, tandem ad exercitum, qui tum Bononiã circumuallabat, caſtra locarunt. Eos Veneti, Carrariiq. & Eſtenſes, aduerſus Vicecomites fœderati, conduxerant. Rauennam per hos dies ab Innocentio Pontifice litteræ, anno II. Pontificatus, Tertio Non. Iulii Villanouæ ſcriptæ, allatæ ſunt, in quibus Bernardino Polentano dicebatur dies, quo ſe Pontifici præſens ſiſteret, ſed Bernardinus, cum diceret ſe multis occupationibus impeditum, conferre eò non poſſe, procuratorem fecit Petri è Tudurano filium, qui illum Pontifici accuratè purgaret. Idem paucis antè diebus Pontifex Franciſco Ordelaſo mandauerat. Interea cum Germani milites in Galliam Ciſalpinam, & in Mediolanenſe caſtra mouiſſent, tandem menſe Decembri in Rauennatem agrum venere, diesq. ibidem quinque & uiginti perſtiterunt. Abiere deinde nouo ineunte anno Cæſenam, atque Ariminum. Quo anno Fortanerius Patriarcha Gradenſis, Archiepiſcopatus Rauennatis adminiſtrator, cum Florenos aureos centum quinquaginta, pro eius muneris parte, quo Guidonis deceſſoris ſui nomine, collegio Cardinalium, & Eccleſiæ Rauennati tenebatur, Guillelmo Epiſcopo Tuſculano, Cardinali, ærario Pontificio Præfecto, ſoluendos curaſſet, litteras accepit ab Innocentio Pontifice, Villanouæ IIII. Id. April. ſcriptas, quibus ſignificabat Pontifex, ſe ad Venetiarum Ducem, de pace inter Petrum Aragonum Regem, & Venetam

ANN. M. CCCLIIII.

ANN. M. CCCLV.

b

tam, Genuenſemq. Rempublicam, itaq. curaret Fortanerius diligenter, ut conueniret. Genuenſes enim, cum ſe Ioanni Vicecomiti dediſſenr, ſuperauerant prœlio nauali, ad Parentium Venetos. Fauebat autem Venetis, Petrus Rex, Neque verò inanis Innocentii, & Fortanerii fuit labor, quando paulo poſt, ad concordiam potentiſſimi li duo populi adducti ſunt. Sub id tempus Malateſta Malateſtius & Franciſcus Ordelafus; quos Innocentius Pontifex, quia Cæſenam, Forliuium, Ariminumq. vrbes Romanæ Eccleſiæ per uim occupabant, diro anathemate notauerat; cum Carolum Quartum Cæſarem Auguſtum, Roma, vbi coronam Auguſtalem acceperat, redeuntem, VIII. Id. Maii adiiſſent, Carolus, è Douadola Comes, unà cum Pontificiis copiis, qui equites octingenti, quingenti pedites fuiſſe dicuntur, ad Rontam agri Cæſenatis opidum V. Idus ſe contulit, poſtridie ad S. Archangelum, & Sauignanum, quæ opida, Malateſta abeunte, ſeſe ab Ariminenſi dominatu ſubduxerant: eorumq. poſſeſſionem Romanæ Eccleſiæ nomine accepit. Exitu autem huius menſis Bernardinus Polentanus apud Paulum Salam Flaminiæ Quæſtorem, & Egidii titulo S. Clementis ſacerdotis Cardinalis, Pontificiiq. in Italia Legati, procuratorem, tria ducatorum aureorum millia depoſuit, coram Fortanerio Rauennatis Archiepiſcopatus adminiſtratore, Fr. Ioanne Epiſcopo Edorenſi, Fr. Thoma Epiſcopo Nazareno, & Fr. Thoma Franciſcani ordinis in Gallia Ciſalpina Prouinciali Præfecto, cum omnes in Rauennatis Archiepiſcopatus cauædio eſſent. Menſe Iunio, dies dicta eſt Franciſco Ordelafo, & Ludouico filio, qui Cæſenæ dominabantur, ut Rauennæ adeſſent ad cauſam dicendam, quòd tributa inclementer agricolis imponerent, ab inuitis, & repugnantibus exigerent: neque verò illis tantum, ſed & D. Ioannis Euangeliſtæ cœnobio, omnibusq. præterea Rauennatibus ſacris ædibus, quæ prædia in Cæſenati haberent. Verùm ad hæc non ſolum reſponſum non eſt, ſed Ludouicus, cum Cæſenatibus, Foroliuianisq. Tuduranum opidum menſe Iulio adoritur, & quarto poſt die, dedentibus ſe opidanis, habet. Mox ad Montilianum, quod eſt opidum in Ariminenſi, promotis caſtris XVI. kal. Septẽbr. cum Carolo è Douadola, & Franciſco, Nicolaoq. Comitis Glazoli filiis, Pontificiarum copiarum Ductoribus, prœlium in Cæſenatium finibus ſatis atrox iniit. Pugnatum eſt totis copiis, & aliquandiu æquo Marte, ſed Carolo grauiter uulneraro; qui & ob uulnus eodem die exceſſit è uita, inclinare acies cœpit: demum fuſi, diſſipatiq. Pontificii: multi capti: & in iis Glazoli Comitis filii, Cæſenam ad Ludouicum adducuntur. Qui tamen haud ita

ANN. M. diu victoria lætus kal. Ianuarii poſtero anno, obiit, & Forliuium delatus, ad

CCCLVI. Franciſcanos tumulatus eſt. Egidius Cardinalis Legatus, qui Anconæ morabatur, quadringentis nonaginta florenis aureis ab Fortanerio Archiepiſcopatus Rauennatis adminiſtratore, ſacratusq. illius uiris in tertii Legationis ſuæ anni tributum, acceptis, cum negociis grauiſſimis impeditus, intereſſe ipſe non poſſet, per litteras Anconæ, pridie Id. Febr. datas, eidem mandauit Fortanerio; *quem Deus*, inquit in iis litteris Egidius, *tamquam virum ſpecialis ſcientia, & virtutis, & in quo uiget ſenſuum plenitudo, & fidei puritas, dedit*; ut Pontificium Innocentii diploma, datum Auenione XVI. kal. Ianuar. Pontificatus anno III. in locis ad Aquileienſem, Gradenſemq. Patriarchatum, & ad Rauennatem Prouinciam ſpectantibus, exequeretur. In eo Pontifex, quod

diſertè, copioſeq. deinde Fortanerius explicabat; Franciſcum Ordelaſum Forliuianum, & Ioannem, ac Guglielmum Manfredios, quòd occuparent Eccleſiæ Romanæ loca, piorum denuò communione pellit: illum ait damnato ſemine genitum, hos ciues Fauentinos appellat, doletq. beneficiorum, ac meritorum Eccleſiæ erga ipſos immemores, paternis nequaquam ueſtigiis inſiſtere, & grati animi officium contemnere. Eccleſiaſticæ deteſtationis pœna in eos, qui talia committerent, ab Ioanne XXII. & Clemente VI. ſummis Pontificibus propoſita, ſperabant Chriſti fideles, Ordelaſum, Cæſenam, Forumpōpilii, ac Liuii reſtituturum, & ut ea pœna, in quam incurrerat, eximeretur, magnopere petiturum, ſed neque id quidquam illum curaſſe, ac potius Caſtrocarum, Meldolam, Britonorium, & alia Romanæ Eccleſiæ rapuiſſe opida. Manfredios autem, & Magiſtratus Pontificios eieciſſe ex ea vrbe, & Eccleſiæ fideles oppreſſiſſe, lambentes, ut inquit Pontifex, eorum ſanguinem, & miſeriis prementes. Cumq. eorum ſalutis gratia, Clemens VI. reſtitui ab eis ea loca, non opportunè modò, ſed & alieno tempore, contendiſſet, monuiſſetq. ut fidelium abſtinerent moleſtia, ac expectaret anxius, atque exoptaret, ut ſe tandem aliquando colligerent, & reſipiſcerent: ueritus etiam, ne rationem ab eo neglectæ illorum curæ, depoſceret Deus, & inde redargueretur, ipſos eadem clementia, ac patientia ſummi Pontificis, ac Parentis abuſos, Eccleſiaſticæq. deteſtationis ſententiam ſuſtinentes, coram ſe adeſſe præcepit, de fide reſponſuros, de qua ſuſpectos illos, eo nomine, habebat: atque ubi auctoritati non paruere ſuæ, contumaces in cauſa fidei a ſe habitos, communitatis Chriſtianæ expertes renunciauit. Innocentius autem Pontifex, Clementi ſubrogatus, eorum ſalutis percupidus, Legato ab ſe in Italiam Egidio, dedit in mandatis, ut ipſis Franciſco, Ioanni, ac Guglielmo, monitor etiam eſſet: Sed nihil curantes monita, cum iam annum, atque amplius execrationis in cauſa fidei ſententiam ſuſtinuiſſent, diem dixit, quo ad cauſam fidei dicendam apud Pontificem, ipſi accederent, & ſententiam præſentes audirent: præſtito dum irent, redirent, in Romanaq. aula morarentur, incolumitatis ſacramento, promulgatisq. diris, in eos, qui euntes, redeuntesve læſiſſent. Sed cum itineris adhuc diſcrimina proponerent, ſacros, prophanosq. Principes omnes, ac populos, Pontifex, de eadem incolumitate magnopere monuit: Verum cum nec ipſi per ſe, neque verò per procuratores vſquam adfuiſſent, capto conſilio de Cardinalium ſententia, perinde, ac hæreticos, auctoritate Apoſtolica, abſentes damnauit, iisq. omnibus ſubiecit animaduerſionibus, ac notationibus, quibus hæretici tenentur: quod & de illorum fautoribus ſanxit: militariq. illos cingulo, & omnibus honoribus, ac priuilegiis mulctauit. Omni deinde Italia, Pannoniaq. verbum Crucis; ut verbis illius utar; proponendum decreuit, Egidioq. Legato mandauit, ut quos ipſe, vel ab eo ad id miſſi, idoneos putaſſet, ut ſignum crucis imprimentes in mentibus, & in humeris defigentes, ad illorum ſeſe expugnationem accingerent, acriter hortaretur: Se omnibus, qui criminum labe a confeſſionibus expiati, cruceq. inſigniti, propria impenſa, aut ipſi met, alienis licet ſtipendiis, in eo bello per annum militaſſent, aut pecuniam per idem tempus iu milites dediſſent, noxas ampliſſimè remittere, abolereq. indulgentia ſingulari, ut iis condonari, qui terræ ſanctæ ſubſidio accedunt, conſueuere. Qui minori tempore

pore meruiſſent, iis pro ratione laboris, ac pietatis, indulgere quoq. ueniam. Hæc menſe Martio paſſim è ſuperiore loco explicari Fortanerius curauit, ac ipſemet Arimini pronunciauit, Malateſta, & Malateſta Vngaro filio, & ſexcentis præterea Ariminenſibus, uiris bonis, Crucis ſignum de Fortanerii manu in D. Columbæ accipientibus: eodemq. menſe Franciſcus Ordelafus D. Mariæ in monte, prope Cæſenam, cœnobium, operibus, ac munitionibus ſepſit. Venit interea in Flaminiam Egidius, comparatoq. iuſto exercitu, Fauentiam circumſedit: Robertus Alidoſius, Galeotusq. & Malateſta, cognomento Vngarus, Malateſtii VI. Non. Mai, caſtris ad Rontam locatis Cæſenatem agrum infeſtum reddere, hacq. atque illac uagi, terrorem inferre: Comes Landus, magnaq. illius ſocietas, Sextili menſe, Cæſenam, inde in Rauennatium, Forliuienſiumq. fines venit: ibiq. ad XII. kal. Octobr. perſtitit, quo tempore, cum Fauentiam dedentibus ſe tandem Manfrediis, Egidius recepiſſet, diſceſſit in Bononienſe. Fauentia recepta, aliquotq. opidis Ioanni, & Guglielmo Manfrediis, ex fœdere, datis, Forliuii, & reliquarum vrbium expugnationem, inſequentem annum, appetente iam hieme, reiecit. Fortanerius Rauennatis Eccleſiæ adminiſtrator, pridie Id. Octobr. inſpectantibus, aſſentientibusq. Nerio Liazario, tribusq. aliis Canonicis; cum tunc plures non adeſſent; procuratorem ſuum fecit Angelum Archipresbyterum plebis S. Venantii è Cocanili, qui tranſigeret cum Malateſta, Pandulfi Malateſtæ filio, & in quinquennium illi locaret, in Ariminenſi, Montem Gemanum, Montem Columbum, Montem è Cruce, Villam Combriani, Montem Scudelũ, & Maracanum: in Piſaurenſi, Ligabizi, Catholicam, Gazoletum, quod tunc uocabatur, caſtrum de medis, Granarolam, Fanariam, montem Gattignanem, Eccleſiæ Rauennatis opida cum Bernabos Vicecomes Lugum teneret: Iam enim Ioannem Vicecomitem, Mediolani Archiepiſcopum, Maffæus Stephani fratris filius, Maffæum hoc anno mortuum abſq. maribus, Bernabos frater, in ipſo etiam Mediolanenſi, Bononienſiq. imperio exceperat. Interea Verterius Balbus, Poani filius, & Paulus Ghetius, Philippi, Rauennates ciues, oratoresq. populi, uniuerſitatis, & ſingulorum priuatim Rauennatium nomine, coram Egidio Cardinale Legato, Anconæ, confeſſi ſunt, ab vniuerſitate, populoq. Rauennate, ſuperiores Pontifices, ipſumq. præſertim Innocentium, Romanam Eccleſiam omnium parentem, Egidium Legatum, aliosq. Eccleſiæ magiſtratus, & ſubiunctos, ac fideles, fuiſſe plurimum læſos atque ea maxime de cauſa, quòd ſe ab ipſius obſequio, ac cultu contumaciter ſubduxiſſent, diu in defectione perſtitiſſent, iniiſſent cum hoſtibus, perduellibusq. illius, aduerſus eam, fœdera cum Bernardino potiſſimum Polentano, milite, quo tempore ab ea is defecerat, pertinaxq. aliquandiu in eam fuerat. Cum enim vrbem Rauennam, eiusq. agrum ad Romanam Eccleſiam, & Pontificem Max. ſummo iure ſpectare, nihilq. cuiquam iuris illis eſſe, optimè noſſent, tamen illum ſibi Gubernatorem, ac Defenſorem temerè aſciuiſſe, auxilioq. uti & alios Eccleſiæ perduelles, iuuiſſe: itaque teneri ſe iis pœnis, quæ legibus ſummorum Pontificum, Ioannis præſertim XXII. Benedicti XII. Clementis VI. & ipſius Innocentii item VI. eſſent de perduellionibus. Nunc Dei benignitate, ad ipſius gloriam, atque laudem, redire ad obſequium conſtituiſſe, rogare ſupplices, Egidium, ut reciperet, & pro ea,

qua

qua dedentes ſe ex animo Eccleſia conſueſſet, perpetua humanitate complecteretur. Commendauit plurimum Rauennatum pietatem Egidius, hortatusq. ut in officio permanerent, ſacramentum apud ſe dicere eos iuſſit: quod cum ſtatim Oratores feciſſent, contactisq. quas Egidius in manibus habebat, ſcripturis, iuraſſent, Rauennates omnes beato Petro Apoſtolorum Principi, Innocentio Pontifici, ac ſucceſſoribus, Romanæq. Eccleſiæ, ac magiſtratibus illius in perpetuum fideles, atque obedientes futuros, tum pro poteſtate, quam illi per litteras apud Villanouam Auenionenſis Diœceſis, pridie Non. Septembr. anno III. Pontificatus ſcriptas, Innocentius dederat, Fortanerio Patriarchæ Gradenſi, Archiepiſcopatus Rauennatis adminiſtratori. V. Kal. Ianuar. mandauit, ut ipſe, aliusve ab ipſo interpoſitus, omnes Rauennates, maresq. ac fœminas, quartum decimum annum ſuperantes, ad parendum Romanæ Eccleſiæ, Pontificisq. & Egidii Legati iuſſis, & ad ea quæ Pontifex, aut Egidius ab illis exigeret piacula ſubeunda, ſacramento obligatos, eximeret pœna Eccleſiaſticæ deteſtationis: Cum autem Fortanerius, Rauennam venire, atque id exequi, arduis Eccleſiarum ſuarum negociis diſtrictus, & propter bellorum, atque itinerum diſcrimina, nequaquam poſſe cerneret, Fauentiæ V. kal. Februarii inſequentis anni, Abbati cœnobii D. Ioannis Euangeliſtæ Rauennatis, ordinis D. Benedicti, Amatori Rainaldo Eccleſiæ Rauennatis Canonico & Vicario, Franciſco è uinea Abbati, Forliuienſis, ordinis Franciſcanorum Conuentualium Rauennæ, ſuas dedit, impoſuitq. partes. ANN. M. CCCLVII.

Idem Bernardino Polentano Egidius iam ante conceſſerat, eiusq. & Guidonis filii, & Rauennatium pro Romana Eccleſia ſtudium ſpectatiſſimum in hoc bello fuit, quo Flaminia ad Pontificium obſequium deducta omnis eſt. Nam Fauentia, ita uti diximus, recepta, ad Forumliuii, & Cæſenam adulto iam uere, caſtra promouentur. Cæſenate negocium fuit durius aliquantò, quàm putarant, tametſi Marcus, & Poltronus Philippini Marci Ottardi filii, Ioannes cognomento Sauanella Maſii Aguſelli filius, Iacobus Baſtardi Aguſelli, Vbertinutius Fuſchi Articlini, ciues Cæſenates nobilitate inſignes, tumultu III. kal. Maii excitato, vitamq. & felicitatem Romanæ Eccleſiæ & Cæſenatis populi conclamantes, Martiam Vbaldinam, quam vulgò appellabant Ciam, Franciſci Ordelafi coniugem, tunc ciuitati imperitantem, Sinibaldumq. filium, & Ioannem, ac Thebaldum, Ludouico iam mortuo, natos, eorumq. conductitium militem, & ſtudioſos intra muri munitionem reieciſſent: Domos enim, quacumq. referebant pedem, ad portam Leonis, atque etiam nouam, Ordelafii inflammarunt, & Cia, Georgium Tibertum, compluresque alios capi, & in arcis carcere haberi iuſſit: & III. Id. Maii, unà cum Sgaruglino è Petragudola capite mulctari. Hanc ob rem, quarto poſt die, Pontificiæ copiæ, ſub centum circiter & octuaginta ſignis cenſæ, unà cum Cæſenatibus, ac Malateſtis, Malateſta præſertim Vngaro, & Roberto Alidoſio Foro-Corneliano, quem tum Malateſta, ut ea ferebant tempora, equeſtri dignitate inſigniuit, Egidii Cardinalis Legati iuſſu XVI. kalen. Iunii, tanto cum animi, ac uirium robore, impetuq. munitionem muri aggreſſæ ſunt, ut propugnatores deditionem facere breui cogerentur, ipſaq. Cia, turrim ſacram Epiſcopatus Cæſenatis igne concremarit. Verum cum arx opprimeretur in dies acrius, & iam ſe Cia obſiſtere non poſſe cerneret, XI. Kalen. Quictil.

deditionem & ipſa facit: quæ deinde unà cum filiis, ac nepotibus in cuſtodiam ab Egidio eſt tradita. Hoc eodem anno Sauia, Ioannis Alberici filia, Leonis Polentani uxor, dum pridie Non. Iul. Rauennæ teſtamentum faceret, Paulumq. & Bernardum ſuos ex Leone coniuge filios, hæredes inſtitueret, D. Apollinaris templo, ubi ſepeliri iuſſit, prædium legauit, ut Lampas
ANN. M. CCCLVIII. ante D. Mariæ Virginis imaginem, iuxta ſacrarii fores, ſupra cancellos, perpetuo arderet. Id ſi Abbas umquam omitteret, uenderetur prædium, & diſtribueretur in egentes pecunia. Interea Pontificiæ curſum uictoriæ, Britonorium hoc anno, & Imeldula, poſtero, uicina opida ſecuta ſunt: quamquam & Imeldulæ arcis præfectus ſatis diu repugnarit, & Britonoriana arx cuniculis fuerit oppugnanda. Quinćto Non. Maii Pontificiis copiis, in quibus Arduinus erat Abbas Cluniacenſis, Apoſtolicæ ſedis Legatus, Forliuium obſeſſum eſt, & cum variis deinde locis caſtra locata fuiſſent, tamen exeunte iam ferè æſtate, vrbs ipſa, & cetera deinde Franciſci Ordelafi opida recipiuntur, cumq. Foropompiliani ab Ordelafo aduerſus Legatum perpetua pertinacia ſtetiſſent, urbem Carilla ſolo exæquauit, & ſale ſparſam, ſede Britonoriũ translata, in perpetuum Epiſcopatus dignitate nudauit. Medicinam hoc tempore, cum magna laude, Gulielmus Rauennas Phyſicus excoluit, quem Franciſcus Petrarcha Florentinus, Poeta celeberrimus, cum medicos, & Medicinam inſectetur acerrimè, tamen magnopere extollit, incitatq. ad Eloquentiæ ſtudia, ſcriptis ad eum litteris, ſenilibus, quæ adhuc extant. Hoc anno Holſum Montisfeltrii Comitem, Rauennatis Archiepiſcopus opida nonnulla turbantem, Innocentius Pontifex, Fortanerio adminiſtratore id poſtulante, per Arduinum Legatum, Cæſenæ agentem, & Petrocinum Torcellanum Epiſcopum huius Prouinciæ Rectorem, omni abſtinere moleſtia, mandauit. Lambertus Polentanus Guidone Nouello genitus, Fauentiæ V. kalen. Nouembr. inteſtatus deceſſit. Franciſcus quoque Ordelafus, Venetias abiens, infelix, humanarumq. viciſſitudinum ſpecimen, migrauit è uita. Nicolaus Florentinus Medicus inſignis tradit Veneni genus huic fuiſſe ita temperatum, ut uel ſolo odore mortem inferret, & candentibus prunis iniectum ſtatim, qui circum adeſſent, omnes interficeret. Ioanna Polentana, Hoſtaſii, & Lætæ coniugum filia, Bernardino fratri, eiſdem parentibus nato, hæreditatis parentum ſuorum, qui deceſſerant ab inteſtato, partem, quæ ad illam ſpectabat, ducatis aureis quattuor millibus, X. kal. Decembr. uendidit: Ceterum Bernardinus anno milleſimo tercenteſimo quinquageſimo nono, ſex-
ANN. M. CCCLIX. to Id. Martii; ſunt tamen qui III. Id. ſcribant, diuturno morbo confectus, moritur. Hæredem fecit Guidonem filium, quem antea uiuens Rauennæ Prætorem creauerat. Fuit, ut Matthæus Villanus tradit, perdita luxuria, animo feroci, crudeliq. & ut in tali imperio, alienæ virtutis, atq. opũ formidoloſo: Hinc familias uetuſta nobilitate inſignes deleuit, non tam rapiendorum bonorum cupiditate incenſus, quam metu, ne aliquando aduerſarentur. Itaq. extra leuiores opifices, & ruſticos, nemo tum Rauennæ eſſe. Ipſe, Eccleſiæ Romanæ, quam debebat, penſionem, palam quidem ſoluere, addictumq. ſe illi, & obſequentiſſimum oſtendere, cum tamen magis uultum, quàm animũ bonum haberet, occultè illam oppugnaret, & in Flaminia, Picenoq. eius hoſtes, ac perduelles iuuaret. Secundis admodum rebus uſus, dum uixit: frumento, pecore, ſale, tributis

acer-

acerbioribus ex ciuibus, atque agricolis, magnum pecuniæ numerum coegerat: quorum omnium, & imperii etiam Rauennatis, Ceruienſiſq. hæredem, uti diximus, teſtamento Guidonem filium reliquit. Is contra, ac pater, comitate in ciues uſus, & ab illis amanter exceptus eſt, & non obſcura ſignificatione confirmatis omnium animis, expetitum clementiæ fructum, ac lenitatis decerpſit: cum hoc interim ſpatio nihil omitteret, quod ad promerendam Pontificis, & Egidii gratiam facere arbitraretur. cum autem Mōnaldeſcam Baccalani è Monte uiridi Firmanæ Diœceſis, filiam haberet in matrimonio, inde etiam aliquid ſibi opis accedebat. Eodem hoc anno; quo Præturam Rauennatem pro Romana Eccleſia, Bonifacium Sauignanum Mutinenſem geſſiſſe, tabulæ publicæ declarant; quatuor florenorum aureorum millibus, opidum Fuſignanum a Marco, Bernardini cognomento Maliciæ, & Andreæ Guidonis filiis, Cunii Comitibus, pridie Id. Sextil. emit, atque eam etiam curtis Donigaliæ partem; inter Lugum, ac Bagnacauallum hæc eſt; quæ ſpectabat ad ipſos, cum ceteram partem a Ludouico, & Bernardino Comitibus item Cunii, Vgolini filiis, Bernardini nepotibus comparauit: cum etiam paulò ante multorum prædiorum, in Caſtellionia uilla Rauennatis agri, poſſeſſionem confirmaſſet, de qua & Bernardinus pater, & Hoſtaſius auus, cum Benuenuto, & Rainerio Pochepennis; ciuibus Rauennatibus, qui apud D. Saluatoris habitabant; grauiſſimis ſimultatibus controuerſiam habuerant, pace cum ipſis tandem Pochepennis, Ghirardi Rangoni Mutinenſis, Iacobini filii, qui tum Rauennæ apud Guidonem erat, opera facta: cum eos Guido benignè domum ſuam; quæ in regione D. Michaelis in Africiſco erat; uocaſſet. Per idem tempus Egidius Legatus Foroliuii plurimum delectatus, leges complures tulit, quibus Egidianis uocatis, omni paſſim Flaminia, ac Piceno, utimur. Cumq. Bernabos Vicecomes Bononiam bello peteret, quam Ioannes Vicecomes cognomento Aulegius, Bernabouis Vicarius libero ſibi imperio uindicarat; non abſq. Guidonis Polentani ſtudio, eam habuit, Aulegio eam illi præmio compoſito, tradente: Quippe XIX. kalen. Februarias inſequentis anni tumultu graui in vrbe conflato, repente ex arce uexilla Eccleſiæ, atque Egidii, Aulegius animo longè a ſuis auerſus, protulit, atque Idibus Martii Petrum Nicolaum Farneſium, exercitus Pontificii Ducem, recepit. Egidius inde die D. Simonis feſto, carrocio obuiam miſſo, honorificè ab occurrente ciuitate acceptus, urbem introiuit, nomineq. Eccleſiæ Romanæ poſſeſſionem iniuit. Bernabos tantam ſibi ademptam ciuitatem minime ferens, comparato ſtatim ueteranorum militum exercitu, Bononiam circumſedit: contra, Egidius magno, præſentiq. animo parauit ſe ad excipiendam belli huius molem, tanta ui, tantaq. conſtantia, ut facile omnes difficultates ſuperaret. Non defuit etiam Pontifex, quin ad prophana, militariaq. auxilia, adiungeret ſacra, & ad Fortanerium Rauennatis Archiepiſcopatus adminiſtratorem, Auenione VIII. kal. Septembr. Pontificatus anno VIII. litteras aduerſus Bernabouem ſcriberet, omni Rauennate prouincia diuulgandas. In iis Pontifex, altius exorſus, ſcribit, Ioannem XXII. ſummum Pontificem inhibuiſſe, ne quis Romanæ Eccleſiæ Prouincias, Flaminiam, Picenum, Ducatum Spoletinum, Patrimonium beati Petri in Tuſcia, Latii regionem Campaniam appellatam, ac maritimam, turbaret, occuparet, turbanti

ANN. M. CCCLX.

Ccc busve

buſve,aut occupantibus auxiliaretur:Qui ſecus feciſſet,is omnibus mulctaretur dignitatibus: filii,& nepotes ad ſacerdotia minime habiles eſſent. Eadem cōfirmauit Clemēs VI.& diuulgari iuſſit:Cumq.Ioannes Archiepiſcopus Mediolanēſis occupaſſet Bononiam,eum,illiusq.ſtudioſos,lege illa teneri declarauit. Quamobrē Ioannes de ſylua è S.Miniate,popularis, Lucanæ Diœceſis,& Guillerminus Arimundus Parmenſis,iuris conſultus, Bernabouis, Matthæiq. Vicecomitū fratrum,ipſius Archiepiſcopi fratris genitorum, procuratores, in Cardinalium Senatum publicè introducti,& apud ipſumClementē Pont.proſeſſi,urbem illos Bononiam, & quædam alia in Flaminia, ad sūmum Pōtificē, & Eccleſiam Romanam ſpectantia,occupare, & alia loca inuadētibus fauiſſe, ſupplices poſtularant,cum paratos ſeſe dicerent,ad parendum,uti eos abſolueret.Itaq.Clemens illos ante,ita ut dictū eſt,iuratos,abſoluit,ea cōdicione,ut ſi quid denuo ſimile tentaſſent,occupaſſent,eadem lege tenerentur.Ceterū eius ciuitatis tranquillitatem ſummopere expetens, Archiepiſcopū ad certum tēpus,in quo ſi moreretur,Bernabouem,& Matthæum,in reliquū temporis ſubſtituit,ſuos,& Romanæ Eccleſiæ ibidem Vicarios,& Gubernatores fecit:ipſiq. Vicecomites per procuratores,primò,deinde ipſimet,ſacramēto polliciti ſunt, aduerſus Pōtificem Max.& Eccleſiam Romanam, arma numquam ſūpturos, ſed ſtaturos ab illis,exterminaturos hæreticos,libertatem cōſeruaturos Eccleſiaſticam,vrbem Bononiam,ex ipſius legibus ciuitatis,gubernaturos,Eccleſiæ loca non occupaturos:Tamen haud ita diu poſt,iis ſpretis, ciuitatē Orbitum, & opidum Bittonum Spoletinæ diœceſeos, occupaſſe damna incolis attuliſſe, Archiepiſcopum dum uixit,& eo mortuo,Matthæum,qui illi ſucceſſit, Bononiæ nequaquam iuxta illius leges,ſed contra,præfuiſſe,quoſdam ciues nobiles extremo affeciſſe ſupplicio,alios relegaſſe,eorum ſibi rapuiſſe bona,tributa inclemēter impoſuiſſe,exegiſſeq.& quamquam erant,iis quas diximus, legibus, adminiſtratione,Præfecturaq. mulctati,Bernabos, Matthæo interim uita functo,ſeſe adhuc Vicarium ſimulans,Bononiam ex illius elapſam manibus,inuaſiſſe,ciues tributum conferre coegiſſe,demū cum Ioanne Olegio milite Mediolanenſi,qui tum ea potiebatur, nulla a Pontifice impetrata uenia, tranſegiſſe, Ioannem,eam ſe urbem retenturum,libertateq. Eccleſiaſtica penitus obtrita, ſacratis uiris,locisq. tributa imperaſſe,ac mortem obtuliſſe, bellū grauiſſimū, magno conſcripto exercitu,pro recuperanda illa urbe mouiſſe,Crepacorū,caſtrum Francum,& pleraq. alia Bononienſis ditionis loca hoſtiliter,& per proditionem curaſſe capi, caſtello ad Rhenum excitato, ipſam S. Mariæ diſturbaſſe Canonicā, ordinis Auguſtiniani Canonicis inde exactis.Quamuis autem Egidius Legatus,ac Vicarius,Bernabouem primò,antequam ea in Pontificis manus rediret ciuitas,per certos ſuos,& deinde etiam ubi magnis impenſis,ac laboribus eſt recepta,quò Romanam Eccleſiam,ut matrem,ac dominam recognoſceret,per Legatos,atq.internuncios de reſtituendis opidis,& oppugnatione,exercituq.dimittendo ſæpe monuit,illi pollicitus,atq.etiam Gualdaſio Louabello Cremonenſi,quem Bernabos procuratorem ad Pontificē ſuum deſtinarat,non modò ſummatim ius,ſe dicturū, ſed gratiæ daturum locum, ſi quid illi ea in vrbe iuris eſſet, ipſe tamen horū nihil efficere,ac potius urgere indies obſidionē,premere incolas,agros uaſtare,maiora dare omnibus ſacris ſuburbanis ædibus detrimēta,excitatūq.ad Rhenū caſtellum retinere.Quæ quamquā

erant

erant nota, mandaſſe tamē Guillelmo, titulo S. Mariæ Transtyberim Cardinali, ut ea diligentius inueſtigaret, & referret ad Senatum: Guilielmum autem id accuratè feciſſe, ueraq. eſſe retuliſſe. Pontifex igitur per has litteras Bernabouem, ac illius ſtudioſos monuit, ut intra quadrageſimum diem deducerent ab ea vrbe, illiusq. agro exercitum, cohiberent damna, opida Egidio Legato, aut Braſco Fernandi, Rectori Piceni, ac eiuſdem ciuitatis pro Romana Eccleſia Vicario reſtituerent, alioqui omnem ſe abſolutionem reſcindere, atq. irritam facere. Has acceptas Fortanerius a Pontifice litteras, & palam recitauit ipſe, & ad ſubiunctos ſibi, ſuffraganeos appellant, Epiſcopos, ut peruulgarent, miſit, ii autem in Fortanerii litteris, Rauennati Eccleſiæ ſubiuncti numerantur: Feretranus, Saſſinas, Cæſenas, Cerui̇ēſis, Foropōpilianus, Forliuienſis, Fauentinus, Forocornelianus, Bononiēſis, Ferrarienſis, Hadrianus, Cymacliēſis, Mutinenſis, Regienſis, Parmenſis, ac Placentinus. Cum autē auxiliis euocatis Egidius magnum interea exercitū conflaſſet, in quo plurimum enituit Guido Polentanus, præualentis etiam populi armis adiutus, Bernabouis copias, pugna ad ædē S. Roſſilli primo ab urbe lapide VII. Kalen. Iulias, poſtero anno, cōmiſſa, & ſumma contentione pugnata, diſſipauit, ac prope deleuit. Rauennatem hoc anno Præturam geſſit Rolandinus Canoſſa Regienſis, Guido Polentanus in fœneratores acriter cauit. Fortanerius cum ad Egidium Legatum, florenos aureos DLXXV. quarti anni illius Legationis, cuius futurū erat ad pridie Non. Octobr. initium, procurationem, ita ſtipendium, ac honorarium, uti diximus, uocabant; Anconam pridie kal. Septēbr. miſiſſet, ab Innocentio Pontifice eo etiam liberatus uinculo, quo Gradenſi Eccleſiæ adſtrictus tenebatur, & in Cardinalium collegium, menſe Septembri, cooptatus, litteras ea de re ab ipſo Pontifice, Auenioni V. Id. Octobr. Pontificatus anno nono ſcriptas, accepit: in quarum extrema pagella, cum ita adſcriberet Pontifex, *Feſtina itaq. fili, feſtina, & ſuaui iugo, leuiq. oneri Domini colla ſubmiſſurus attende, ut ſicut honoris factus es particeps, ſic oneris, & mercedis participium ſortiaris*: ipſe ut obediret Pontifici, Auenionem proficiſcens, de illius manu ſacrum galerum accepturus in itinere Parauii obiit, ibidem ad D. Antonii ſepultus. Egidius Cardinalis, Legatus, Epiſcopus Sabinenſis, ne quid detrimenti Rauennas Eccleſia, in tot tumultibus ſentiret, ſtatim futuri Archiepiſcopi nomine, opida illius certis hominibus cuſtodienda tradidit, nec diu poſt, inſequenti anno, qui fuit ſupra milleſimum tercenteſimum, ſexageſimus ſecundus, V. kal. Maii, Pontificatus anno X. ab Innocentio Pontifice Petrocinus è Caſaleclo Ferrarienſis, ſubrogatur, uir iuris Pontificii peritiſſimus, eloquentia, & philoſophia præſtantiſſimus, quæ omnia cum inſigni fide, integritateque coniunxerat. Monachum primò in cœnobio S. Bartholomæi, propè Ferrariam, induerat, ordinem D. Benedicti profeſſus, mox D. Cypriani, è Muriano, eiuſdem ordinis, Torcellanæ Diœceſis, ab Ioanne XXII. Abbas, quadraginta iam ferè annis, factus, Torcellanum Epiſcopatum ab Clemente VI. habuerat: quem cum decimum annum iam adminiſtraret, & huic Prouinciæ Flaminiæ adhuc Rector præeſſet, Innocentius Rauennatibus dedit Archiepiſcopum adiecta penſione, quam ſolueret quotannis Cardinalium collegio: litterasque eodem die ad ſacratos viros Rauennates exarauit, ſcribens, ea ſe lege, qua Clemens VI. Pont. Max. deſignandorum Antiſtitum ius ſedi Apoſtolicæ

ANN. M. CCC LXI.

ANN. M. CCC LXII.

reſeruaſſet, Archiepiſcopum illis Petrocinum præfeciſſe, iubereque ut illum, qua deberent, obſequii, & cultus ſignificatione reciperent: quod & factum eſt. Septimo autem kal. Nouembr. ad aram maximam templi D. Apollinaris, in opido Aureolo, Fauentinæ Diœceſis, coram Stephano Epiſcopo Fauentino, ad id muneris a Pontifice, unà cum Epiſcopo ForoCorneliano, communiter, aut ſeorſum, ut res melius ferret, conſtituto, Innocentii VI. Pontificis litteras, de pallio, Petrocino Archiepiſcopo Rauennati deſignato tribuẽdo, Guillelmus Rubeus Ferrarienſis, reddidit: Adiecit ad has eiuſdem Pontificis item binas: Vnis, aſſignandi pallii, alteris, iuramenti, quod eſſet a Petrocino iurandum, formula præſcribebatur. Has cũ Stephanus Epiſcopus recitaſſet, poſtulauit Petrocinus pallium, quod ei Stephanus in manum ſtatim dedit, inde apud Stephanum, Eccleſiæ Romanæ nomine accipientem, Petrocinus ſacramentum dixit ex formula. Vacabat tunc Pontificium ſolium, quoniam Innocentius paulò poſt quàm eas litteras ſcripſiſſet, migrauerat ex hac uita: Illique ſucceſſor datus fuerat Guillelmus è Griſaeo, Monachus, qui Vrbani V. deſumpto nomine VIII. Id. Nouembr. ſacram Pontificatus Maximi infulam de more accepit. Rauennas Prætor pro Romana Eccleſia; ita enim habent horũ annorum tabulæ; Thomas Graſſonus Mutinenſis hoc anno fuit, Nicolaus Angelinus Mutinenſis item, eius aſſeſſor. Proximo, Laurentium Pinottum Epiſcopum Regienſem a ſe deſignatum, quod Innocentius decedens non potue-

ANN. M. CCC LXIII. rat, Petrocino Archiepiſcopo Rauennati Metropolitico iure illi Præfecto, Vrbanus Pont. per litteras Auenioni, pridie Non. Martii, Põtificatus anno primo ſcripras magnopere commendauit. Cum autem ſermo increbuiſſet, Guidum Polentanum, opido Lugo, & finitimis locis, aduerſus Rauẽnatem Eccleſiam, commeatum clam præbuiſſe, fauiſſeq. plurimum, atq. ea de cauſa, ne quis Rauennæ negociaretur, neu annonam illuc deferret, quingentorum florenorum iis, qui ſecus facerent, pœna propoſita, edictum fuiſſet, hoc ineunte anno, ita ſe Guidus apud Egidium Legatum purgauit, ut omni Egidius depoſita ſuſpicione, in ueterem illum gratiam receperit. Nec multis poſt mẽſibus, Legum Rauennatis Eccleſiæ opidum, & Bononienſis ditionis loca, a Bernaboue Viceco mite, in Cardinalis utriuſq. amici, fide, ac religione depoſita ſunt: Poſtquam enim diro Senatusconſulto Bernabouem Vrbanus Pontifex, in ampliſſimo Cardinalium Senatu, genibus innixus, ſublatiſq. ad cælum oculis, ac manibus norauerat, ac diris deuouerat, magnam Bernabos ab Legati Pontificii, & fœderatorum copiis; ii autem erant Polentani, Eſtenſes, Scaligeri, Malateſtii, Gõzagæ, Carrariique; ad Soleriam, in Mutinenſi, accepit cladẽ, omni penè Ciſalpinæ nobilitatis flore capto, in quibus Sinibaldus etiam Ordelaſus Forliuienſis fuit: itaq. pertinaci, nonnihil tandem inflexo animo, de pace cum Legato agere: quæ tandem, Petro Cyprio Rege, qui per eos dies Venetias, ut poſtularet aduerſus Turcas, & Græcos opẽ, venerat; & Arduino S. Marcelli Cardina-

ANN. M. CCC LXIIII. le, operam nauantibus, inſequenti anno, conuenit: reſtitutaq. opida, & captiui liberi dimiſſi. In hoc florenti rerum ſtatu, Azo, & Beltramus Alidoſii fratres, ForiCornelii Principes, pace & ipſi inter ſe facta, in patriam reſtituuntur: ſuperiore namque anno, cum ueniſſent, ad arma, & ab utriuſque ſtudioſis domus eſſent utrinq. direptæ, Comes, id erat illi nomen, Bononiæ Rector, Egidii Legati fratris filius, eò accurrens, vrbemq. ingreſſus, eaq. & illius arce

Romanæ Eccleſiæ nomine accepta, Præfectum ibidem Antonium Bentiuolū reliquerat, Azonem ſecum Bononiam deduxerat. Hoc eodem anno XV. kal. Martii, Egidius Legatus, ac Vicarius in Italia Pontificius, ubi Guidonis Polentani fidem, obſequiumq. ac ſtudium in ſummos Pontifices, & Romanæ Eccleſiæ defenſionem ab eo ſuſceptam laudauit, per litteras ſuas Anconæ datas, eum & Vicarium Rauennæ fecit, & multis priuilegiis honeſtauit: cum tamen Guido ſtatim a Bernardini patris interitu, Vicarium ſe Romanæ Eccleſiæ, quod multa illius monumenta declarant, appellaſſet. Melior eis, quàm pater conſilio uſus, ciues bonos, antiquosq. omnes, qui dum Bernardini crudelitatem, iramq. uitare cuperent, profugarent ex vrbe, Rauennam reuocauit: malos patris adminiſtros, ac conſiliarios eiecit. Cum autem Vrbanus Pontifex collegium Bononiæ, eorum qui darent litteris operam, inſtituiſſet, Nicolaus Epiſcopus Tuſculanus, Rainaldus S. Hadriani Diaconus Cardinalis, ipſi collegio per litteras Auenioni XIIII. kal. Iulii, Pontificatus anno II. datas a Pontifice Præfecti, Petrocino Rauennati Archiepiſcopo IIII. Non. Iulii. Auenione ſcripſerunt, ut è Flaminia, tres: è Bononia, Bononienſiq. diœceſi, duos: unum è Ferraria, diœceſive Ferrarienſi deligeret, qui ad Pontificii iuris apti ſtudium, eò mitterentur. Conſtituiſſe enim Pontificem, ut in eo collegio, auditores uiginti, in opes, è locis Romanæ Eccleſiæ in Italia nullo medio ſubiectis, oriundi, ſua & Eccleſiæ Romanæ impenſa alerentur. In locum uerò eorum qui aut decederent, aut ſtudiorum curſum confeciſſent, alios, ſuo quemq. tempore ſufficeret. Quæ omnia curauit Petrocinus diligenter. Moritur hoc anno VI. kal. Septembr. Malateſta Malateſtius ſenior, & Arimini ad Franciſcanos, inſigni pompa, tumulo componitur. Guido Polentanus, procuratorem ſuum XVII. kal. Octobr. fecit Bernardum Aueſanum ForoCornelianum, ut Danieli è Marchionibus Carrecti, ordinis equitū Hieroſolymitanorum, qui tum Flaminiam pro Pontifice Rector adminiſtrabat, priuilegia a Pontificibus, Cæſaribusq. ſibi, ac ciuitati Rauennæ tributa oſtenderet. Procuratorem quoque Petrocinus Archiepiſcopus ſuum conſtitit Nicolutium Auximatem, Pontificium ſcriptorem, ut eius nomine debitum Pontificio ſolio cultum, obſequiumq. quod ſingulo biennio præſtare præſens, aula trans alpes commorante, tenebatur, adhiberet. Quod effectum a Nicolutio fuiſſe, ſed nihil tamen, huiuſmodi nomine viſitationis, in ærarium Pontificium illatum, per litteras Auenioni ſcriptas pridie kal. Nouembr. Harnaldus Archiepiſcopus Auximanus teſtatur. Acceſſere interea Rauennam Peſius Zattolinus, & Maſinus Lablate uniuerſitatis Argentanæ procuratores, quædam ſibi a Petrocino priuilegia dari, & immunitates concedi poſtulantes: quæ Petrocinus aduocato IIII. Non. Nouembr. in ſuum cubiculum Canonicorum Rauennatum Cardinalium, & Cantorum, conuentu, liberaliſſimè omnia dedit. Pacē inter Florentinos, ac Piſanos, de ſumma rerū inter ſe acerrimè decertantes, Pontificis nomine, cuius in Flaminia prophanarum rerū Vicariū gerebat, cōfirmauit; cum huius negocii ſocium habuiſſet Marcū Viterbienſem, Franciſcani ordinis generalem Præfectū, qui Cardinalis deinde fuit. Poſterum annum ineuntem excepit tumultus ForoCornelianus, quo Rainaldus Bulgarellus, ad patriæ Principatū, sūma ope nitens. VIII. kal. Febr. vnà cū aliquot popularibus, Beltramū, atq. Azum ciuitatis Principes, in ædes eorum ANN. M. C C C. L X V.

coniecit, appoſitoq. ad fores, & quà incedi poterat, igne, inflammare omnia, & capere illos cõtendebat: cum hora noctis tertia, eorũ frater Todeſchinus appellatus, cũ peditibus, & tubicine, ac tympaniſta, adueniens, inito cũ Rinaldo prœlio, ipſum fudit, interemitque. Ceterũ, ut huiuſmodi motibus obuiam iretur, conſuleretur q. quoad eius fieri poſſet, quieti Prouinciæ, Petrocinus Archiepiſcopus, Pontificis Vicarius, Forliuium ad VII. Id. Martii, Conuentum indixit, quò cum Prouinciæ acceſſiſſent proceres, opida etiam omnia procuratores miſere, Andreasq. Malateſta, Abbas cœnobii S. Ambroſii è Rancle, diœceſis Saſſinatis aduocato conſilio Rancli, Rolati, Ciuorii, Pitullæ, Caſtagneti, & Rauaſchiæ, eorum opidorum procuratorem Bernardum Vicetinũ miſit, qui obedientiam, obſequiumq. ac fidelitatem Romanæ Eccleſiæ iuraret: Eadem de cauſa Albericus Comes Petri Comitis Cunii filius, Zagonariæ Dominus, pro ipſa quam tenebat Zagonaria, & Ioannes, Franciſcusq. Nicolai item Comitis Cunei filii, pro parte ad ipſos ſpectante ditionis agri Cunii, integro tamen iure, ſibi ob condiciones pacis inter Vrbanum Pontificem, & Bernabouem Vicecomitem initæ, quæſito, illuc Oddum Zorzengum Bagnacauallenſem ſcribam, & Mengucium Guidonis è Mutiliana allegarunt, idq. eò ſtudioſius, quò Petrocinus conſtitutus erat in ea controuerſia cum Bernaboue, de opidi Zagonariæ parte, deq. nonnullis præterea fundis, arbiter. Vt verò firmius continere in officio populos Petrocinus poſſet, illi Vrbanus Pont. IIII. Id. Maii, Pontificatus anno tertio, Eccleſiaſticam etiam iuriſdictionem, ſubſidio tantum prophanæ, adiunxit: nec diu poſt per litteras XI. kal. Iulii Auenioni ſcriptas, mandauit illi, & Danieli Carretto Prouinciæ huius Rectori, ut quamquam alteris ſuis litteris, mandata generatim dederit, condiciones pacis cum Bernaboue Vicecomite, milite Mediolanenſi; ita eum appellat Pontifex; & cum omnibus, quos eius fuiſſe ſtudioſos, Andruinus titulo S. Marcelli ſacerdos Cardinalis, Legatus, declarauerat, ſeruanda eſſe ſigillatim tamen Franciſcum Ordelaſum militem Forliuienſem, eiusq. factionis ceteros, quos Bernaboui adhæſiſſe Andruinus declaraſſet, ad eorum bona, in Flaminia, reſtitui, & ea pacta Franciſco ſeruari, quæ cum eo Egidius Epiſcopus Sabinenſis, Legatus, feciſſet. Hoſtaſius Polẽtanus, Guidonis Nouelli filius, unica filia Polẽteſia, quam ex Agnete uxore, Guidone Zambraſio Fauẽtino genita habuerat, relicta, hæredibus autẽ, cũ eſſet Pataui, mẽſe Iulio, inſtitutis Marſilio, & Nicolao Carrariis, ſuis ex Cõſtantia ſorore, quæ Iacobo Carrario Patauino, nupſerat; nepotibus, uitam cũ morte cõmutauit. Petrocinus Archiepiſcopus, ad Eccleſiæ ſuæ bona adminiſtranda cõuerſus, Bãdino Vberti ab Romena Comitis filio, opidũ Montem Boarium, quod acceperat Vbertus iure Emphyteutico a ſuperioribus Archiepiſcopis, cõfirmauit. Ea autem erat horum prauitas tẽporum, & malæ conſuetudinis corruptela, ut certa Rauennæ aſſignarentur a magiſtratibus loca, in quibus illiberalibus taxillorum, & foliorum ludis, dare operam Rauennates, qui uellent, impunè poſſent, indeque uectigal nequaquam paruum exigeretur: adeò nihil multorum uirorum proborum exemplo, ac præſentia, quibus abundabat, abundatque vrbs Rauenna, plerique commouebantur. Nam, ut Canonicos Portuenſes, Dominicanosque & Franciſcanos fratres, ac D. Adelberti cœnobium in Inſula Pereo, taceam, ubi monachi Deo ſeruiebant, compluresq. Ciſtercienſis ordinis in D. Seueri, &

in

in ſacra domo hoſpitali D. Petri, in portæ Vrſicinæ ſuburbio, Crucigeros, aderant apud D. Apollinarem in Claſſe. D. Mariam in Coſmodim, D. Mariam cognomento Rotundam, D. Ioannem Euangeliſtam, D. Vitalem. D. Martinum in Cælo aureo, cui D. Apollinaris noui etiam titulus eſt. D. Petrum ad Vincula, Rauennatis agri, D. Laurentium in Cæſarea, & D. Mamam, ex D. Benedicti familia monachi, uiri probitate inclyti, quorum tamen exemplum pauci ſequebantur. Cum autem eodem hoc anno, Vrbanus Pont. Arduino Cardinali Legato ſcripſiſſet, de rebus Fortanerii Cardinalis Patriarchæ Gradenſis, & adminiſtratoris Rauennatis, in florenis aureis duodecim millibus, atque etiam amplius, quo tempore Fortanerius eſt mortuus, obligatis, recuperandis, ſi quæ eſſent, quæ, uti ſcripſerat, ad aliquot fratrum Franciſcanorum cœnobii, aliosve homines, ſpectarent, eas, non abſque Rauēnate Archiepiſcopo, qui tum fuerit, reſtitui præcepit. Petrocinus anno qui inſecu- ANN. M.
tus eſt, cum in arce eſſet opidi Gradariæ, Diœceſis Piſaurenſis, XVII. kal. CCC
Iunii, Pandulfo Malateſtio, Malateſtæ Ariminenſis filio, eiusq. nepotibus le- LXVII.
gitimo connubio futuris multa iure emphyteutico conceſſit, quæ iam Petrus Andreæ Piſaurenſis Prætor, vniuerſitatis Piſaurenſis nomine, in certum tempus, a Guillelmo Archiepiſcopo acceperat. in iis, Mons eſt, Cagnanus uulgo appellatus, in Diœceſi Piſaurenſi, uinetis, pratis, ſyluis, agro feraciſſimo inſignis, iuxta Cattilianum riuum, a Nubilaria fluentem. Hæc ſe ab Ioanne Malateſta, nepote Ioannis, nati Malateſtæ è Veruculo emiſſe, Pandulfus dicebat: Ioannemq. ab Opizone Archiepiſcopo tabulas accepiſſe. Exitu anni, cum Petrocinus idem, de bonis Fortanerii per Androinum Cardinalem Cluniacenſem appellatum, recuperatis, florenos aureos CLXXXII. ærario Pontificio ſoluiſſet, & aliquot alios Pontificiæ aulæ adminiſtris, quæ ex more debebantur, reliquas illi penſiones Hamaldus Archiepiſcopus Auximas, in menſem Martium prorogauit, litteris Pontificatus Vrbani. V. anno ſexto datis Romæ apud S. Petrum: quo Vrbanus menſe Octobri, magna omnis Italiæ hilaritate, redierat. Guido Polentanus proximo anno, qui fuit ab orbe redempto M
CCCLXVIII. unà cum Galeoto, ac Pandulfo Malateſtiis, Eſtenſibus quoque ANN. M.
Carrariis, Gorozagis, aliisq. uiris Principibus, ingrediētem Non. Ianuar. Bono CCC
niam, Anglicum Cardinalem, Vrbani Pontificis fratrem, eius vrbis, Flami- LXVIII.
niæq. ac Piceni, & Galliæ Ciſalpinæ Pontificium Vicarium, inſigni famulatiu comitatus eſt. Annus inſequens Petrocini Archiepiſcopi attulit mortem, qui ANN. M.
cum Rauennæ grauiſſimè ægrotaret, iamq. concedente Vrbano Pontifice con- CCCLXIX
didiſſet teſtamentum, ad ea, quæ decreuerat, in codicillis XII. kal. Nouembr. multa addidit, illudque in primis, ut Iuliano Maio Foroliuiano, Medicinæ Doctori, qui Rauennam ad illum curandum Forliuio ueniſſet, aliaque præſtitiſſet obſequia, ducatos aureos quadraginta legauit. Teſtamentum commiſit fidei Nicolai Auximatis, Protonotarii Pontificii, Bonincontri S. Cypriani, Vberti S. Ioannis Euangeliſtæ Rauennatis, Ioannis S. Laurentii in Cæſarea Abbatum, & Iacobi prioris Præfecti cœnobii S. Mamæ Rauennatis, ut quæ in illo mandaſſet, exhaurirent. Hæredem inſtituit Archiepiſcopum Rauennatem, qui in eius locum proximè ſufficeretur. Adminiſtrato itaque ſumma integritate Archiepiſcopatu, cum ab Vrbano Pont. impetraſſet eligendi facultatem ſacerdotis, qui illum a confeſſione criminum expiaret, ex homi-

num

ANN.M. CCCLXX. num vita migrauit: illiq. ſucceſſor poſtero anno. X. Kal. Februar. ab Vrbano datus eſt Pileus, cognomento Prata, quem plerique in opido Concordia, quod eſt Aquileienſis Diœceſis, natum ferunt. Hic cum Patauinus Epiſcopus ad eam diem fuiſſet, domum ea in vrbe, apud D. Antonii Olyſiponenſis, eorum, qui ſtuderent, commodis ædificauerat, additis etiam, vnde uictus ſuppeditaretur, uectigalibus. Extant Vrbani litteræ, quibus Archiepiſcopum illum Rauennatem, renunciat apud S. Petrum, Romæ. X. kal. Febr. Pontificatus anno octauo datæ. atque item aliæ pridie kal. Mart. quibus ſcribit, ad illum ſe pallium e beati Petri corpore per Anglicum Albanenſem Epiſcopum, ſumptum mittere, illi & Petro Auximati, ſacrato uiro, quem Pileus, vnà cum Martino Teſta Archidiacono Rauennate, ad illud petendum Romam miſerat, Pontificio diplomati incluſum, illi reddendum, dediſſe. Hoc autem anno cum in Galliam Vrbanus rediiſſet, non abſque ingenti ſanctitatis apud omnes opinione, ibidem deceſſit. ad cuius ſolemnes exequias cohoneſtandas, Bononiam conuenit Pileus Rauennas Archiepiſcopus, & Guido Polentanus: Eæ

ANN.M. CCCLXXI. ſumma pompa, tertio Non. Ianuar. & magna uirorum Principum frequentia in D. Dominici celebratæ ſunt, cum interfuiſſent etiam Pandulfus Malateſta Ariminenſis, Rodulfus Camers, Azo, & Beltramus Alidoſii, Nicolaus Eſtenſis Ferrariæ Marchio, & longo ordine circiter octingenti atrati eſſent, officinæq. per dies octo clauſæ perſtitiſſent. Ibi cum eſſet Petrocinus habitaretq. in regione S. Antonini, per Iacomatiũ de Valle Canonicũ Aquileienſem, & Angelum è Caſtellione Aretino, Archipresbyterum plebis Cocanilis, Diœceſis Rauennatis, & Cuſettum de Arnuſano, Neumacenſis, familiares, procuratoresq. ſuos ab Artabolo, Pontificio in Flaminia Quæſtore, ab aliisq. ad quos ſpectabat, XIIII. kal. Februar. petiit ducatos aureos mille, quos, nullo fœnore, mutuos dederat Anglico, Epiſcopo Albanenſi, Cardinali, locorum Eccleſiæ Romanæ in Italia ſubiunctorum Vicario generali. neque uero eos fruſtra poſtulauit, ſi quidem Anglicus per ipſum Quæſtorem, ac magiſtratus reſtitui Pileo ſtatim mandauit. Polenteſia, Hoſtaſii Poletani; uti ſupra memorauimus; filia, cum teſtamento patris, qui illi mille & ducentas pecuniæ Rauennatis libras, legauerat, multum de ſuo iure detractum diceret, Guidoni Polentano uendidit, quidquid ſibi iuris in paterna hæreditate, aduerſus Carrarios fratres eſſet: Hoſtaſius enim Polenteſiæ pater, Guidonis Nouelli patris, & Rainaldi patrui; qui fuit Archiepiſcopus deſignatus; & Lamberti, fratris, quem Fauentiæ inteſtatum obiiſſe diximus, hæres fuerat. Cum igitur Guido Carrariis litem intendiſſet, iamq. diſceptatio funeſtum habitura finem uideretur, diſſidium ſtatim omne Anglici Cardinalis, Epiſcopi Albanenſis, & Pontificii Legati opera compoſitum eſt; compoſitioniq. Conſtantia Nicolai, & Marſilii Carrariorum mater aſſenſit kal. Auguſti, Pataui, inſpectante, teſteq. Arſandino iuriſconſulto, Rainerii Forliuienſis iuriſconſulti filio, qui tum incolebat, in D. Magheritæ regione, Patauium: cum Carrarii fratres, iura omnia, poſſeſſionesq. ubicumque locorum eſſent, quæ Guido Nouellus, ac Rainaldus, ſuo, Lambertiq. nomine, tum poſſidebant, cum anno MCCCXXI. menſe Septembri, Rauenna ſunt pulſi, Guidoni Polentano dimiſiſſent: & Guido ducatos aureos decies mille ſe illis perſoluturum ſpopondiſſet: quæ tamen ad millia ſex, opera Anglici Cardinalis, rediguntur. Bernabouem Vicecomitem,

tem, Lugum & aliquot alia Rauennatis Eccleſiæ opida, ipſamq. Bononiam repetentem, nouumq. bellum, uiolata pace, inferentem. Gregorius XI. Lemouicenſis ſummus Pontifex huius initio anni Vrbano ſubrogatus, communione, & omni dignitate priuauit. Pileus Archiepiſcopus, poſtero anno. VI. kal. Aprilis in æde Vrſiana, ne optimi Antiſtitis deeſſet officio, ſacros ordines, magna accedentium frequentia, contulit Legatus interea Pontificius, quo cum Eſtenſes, Carrarii, Florentini, Piſani, Lucenſesq. arma coniunxerant, quamquam aduerſus Bernabouem, Eccleſiæ adhuc locis inhiantem, ad Ruberiam, hoc eodem anno, infeliciter dimicauit, adducti tamen ad ſuas partes Ioanne Acuto Britanno; qui Bernabouis ad eam diem meruerat ſtipendia; ita eius copias anno inſequenti, in Brixianis campis diſſipauit, ut pacem denuo peteret Bernabos, atque anno MCCCLXXV. inducias in annum impetrauerit. A Pontifice Bagnacauallum, Cotignolam, & Conſilicem, huius opida Prouinciæ, Acutus ſtipendii loco habuit, quæ deinde ab Acuto, uiginti millibus florenis emit Nicolaus Eſtenſis Ferrariæ Marchio Ioannam Polentanam Hoſtaſii filiam, cœnobii D. Andreæ Rauennatis Abbatiſſam hoc tempore fuiſſe comperio, cum in eodem cœnobio Franciſca item Polentana ſacra uirgo degeret. Andreas è Comitibus Cunii, Guidonis filius, accipitrem vnum, canes ſagaciter odotantes, duos, Guidoni Polentano quotannis præbebat, cum illi Polentanus opidum Fuſignanum, & curtem Donigaliæ, iis, aliiſq. additis condicionibus dediſſet. Fuit autem Guido Polentanus menſe Februario, Ferrariæ, ibiq. XIII. kal. Martii, in ædibus Nicolai Eſtenſis Marchionis, per Bonſantinum Boſium Iacobi filium, ducatos aureos ter mille quadringentos quinquaginta quattuor Galeoto Malateſtæ, Pandulfi filio numerauit: quos Antonius Pochepenna Rauennas, Nerio natus; qui quo tempore eſt mortuus, incolebat Ariminum; ipſi Galeoto, anno ſuperiore, teſtamento reliquerat, Polentanus autem cum agros, domoſq. Antonii emiſſet, debebat. Qui ubi remigrauit Rauennam, fœdus cum Ioanne Epiſcopo Agenenſe, Pontificio Flaminiæ Rectore, Nonis Auguſti, in annum, cum in Prouincia exules ita creuiſſent, ut bonis quietè degere non daretur, iunxit, iis legibus, ut quibuſcumque exulibus, damnatiſve, in iis Prouinciæ locis, Romanæ Eccleſiæ nullo medio ſubiunctis, quæ Ioannes pro Pontifice adminiſtraret, eſſe per edicta non liceret, iis Rauenna quoque, & Ceruia; quarum ciuitatum Guido in iis tabulis Romanæ Eccleſiæ Vicarius dicitur; agriſq. earum, & omnibus Polentanæ ditionis locis, interdiceretur: nemo eos hoſpitio acciperet, aut iuuaret auxilio, ac potius caperentur, remitterenturq. ad facinoris locum. Quæ Reſpubl. ſecus feciſſet, ducentum, priuatus ciuis centum florenis, mulctaretur, ſi exuli, pœna corpore fuiſſet luenda: ſin mulcta pecuniaria, fuiſſet, Reſpubl. duplo, priuatus ciuis tantundem dependeret: ſic tamen ut numquam Reſpubl. florenos ducentos ſuperaret, priuatus ciuis, centum. Harum mulctarum pars altera, fiſci Pontificii eſſet, altera Polentani. In cuius ditionis locis clauſis, per ipſius Polentani ſatellites, atque adminiſtros, etiam Ioanne ipſo, eiusve iudicibus, atque adminiſtris poſtulantibus, caperentur: extra ea loca, Pontificiis adminiſtris capere eos fas eſſet. Idem Polentanis ſatellitibus extra loca clauſa iuriſdictioni Ioannis Rectoris ſubiuncta, liceret. Maleficium in locis, quibus Rector præeſt Prouinciæ, ubi quis commiſiſſet, eumq. & vniuerſitates, & priuati

ANN. M. CCC LXXII.

ANN. M. CCC LXXIII.

ANN. M. CCC LXXV.

uati ciues fuiſſent perſequuti, etiam in agris Polentano ſubiunctis, eorum incolæ locorum adeſſent, fauerentq. perſequentibus: qui ſecus feciſſent, iis ducatorum decem mulcta ſingulis eſſet: ibidem captus, aſſignaretur Polentanis magiſtratibus, niſi qui perſequeretur, Eccleſiæ Romanæ magiſtratus eſſet: tunc enim illi dandum eſſe. Quem uerò captiuum ſibi traditum, Polentanus magiſtratus haberet in cuſtodia, eum Rectori Prouinciæ poſtulanti, uel eius Magiſtratibus ſtatim cõcederetur. Polentanis ſatellitibus, Magiſtratibusq. in Rectoris Prouinciæ locis, eadem omnia licerent. Per hæc, nihil iuriſdictionis Rectori, in locis Polentani, neque Polentano, in Rectoris, adderetur, aut detraheretur. Sed quamquam hæc ad tuẽdam Prouinciæ quietem apta erant, ingentes tamen undiq. tumultus omnia perturbarent: ſiquidem cum omnibus graue imperium Pontificis Max. uideretur, quòd Magiſtratus caritatiui ſubſidii nomine, intolerabilia tributa inclementer exigerent, plerique ciues hac rei indignitate commoti, Magiſtratibus Pontificiis omnibus pulſis, uelle ſe pro Pontifice, ciuitates quiſque ſuas, adminiſtrare affirmabant. In iis fuere Nequinum, quod & Narnia uocamus, Faliſci, Centum cellæ, & pleræque aliæ vrbes, a quibus initium defectionis manauit: licet prior fuerit a Florentinis origo: qui iis fortaſſe permoti nutantibus populorum ſtudiis, in apertam adhuc defectionem nequaquam lapſis, cum Bernaboue aduerſus Romanam Eccleſiam fœderati, ad omnes ſcripſerunt, ſe cunctas Eccleſiæ ciuitates in ſocietatem accepturos, ſi ſtudium libertatis profeſſæ fuiſſent, atque ut ipſi, pro inſigni publico nomen libertatis tuliſſent: ſin minus, ſe illas loco hoſtium habituros, belloq. enixè perſecuturos. Itaque Forliuium menſe Decembri in ipſo D. Thomæ Apoſtoli peruigilio, defecit ab Eccleſia; Gibellinaq. factio, Guelfam expulit ſibi ualde imparem: cum autem populari libertate

ANN. M. CCC LXXVI. XV. circiter diebus, ſeſe Ciuitas rexiſſet, Nonis Ianuarii, inſequentis anni, Pinus Ordelafus, Franciſci, ex Ioanne fratre nepos, prima uigilia, vrbem ingreditur, cum reliqui Ordelafii inde haud procul abeſſent: Qui poſtridie eius diei, in vrbem admiſſi; fuere autem Sinibaldus Franciſci filius, Ciccus, & Thebaldus; magno populi ſtudio, opera potiſſimum Petri Pungetti, Iuliani Nomai, Nerii Florini, Calbi Moratini, & Dutioli Latioſi, Legato Pontificio, & Cichino Mengo, Azzone Arguloſo, Iacobo Caputio, Oddone Oddo, & multis præterea Romanæ Eccleſiæ ſtudioſis, eiectis, Sinibaldus ciuitatis imperium arripuit. Per eoſdem tumultus, ciuitatum proceres, qui occupato ſuarum ciuitatum dominatu, inde exturbati, ab Eccleſiæ Magiſtratibus, exulabant, intra Galliam Ciſalpinam, atque Apuliam, eiectis Pontificiis Magiſtratibus, in priſtinum ſtatum rediere. Hinc Bononienſes, quod ſe a Gregorio Pontifice fruſtra auxilium poſtulaſſe, & neque ſe, neque Gulielmum S. Angeli Cardinalem Legatum, ad tantos ſuſtinendos hoſtes, ſatis inſtructos uidere affirmarent, per quoſdam nobiles tumultu excitato Legatum ipſum vrbe egredi coegerunt, ac Republ. inſtituta, quem ſtatum Libertatis uocarunt, XII. Antianos, & Vexilliferum iuſtitiæ creauerunt. Eadem defectione, Columnii, Vrſini,, Sabelli, ipſeq. vrbis Præfectus fœdere cum Bernaboue, Florentinis, Viterbienſibus, multiſq. aliis percuſſo, Pontificiis ſeſe Magiſtratibus aduerſos conſtituerunt. Nihil tamen fuit, quod æquè omnium Italicorum Principum animos commouerit, ac Peruſina defectio. Peruſini enim aliorum exemplo,

plo, & Magiſtratuum tyrannidis prætextu, tametſi arcem Pontificii munitiſſimam in ea vrbe extruxiſſent, & aliquot ibidem milites præſidio haberent, Gometiusq. Bernotius Spoleti, & Aſculi Dux, militibus, urbiq. præeſſet, ſumptis tamen armis, Bernotium, qui ſe in arcem contulerat, ad deditionem compulſum, vrbe expulerint. Omnibus hinc ferè Pōtificiis ciuitatibus ad defectionem uerſis, cum Antonius Feretranus, Vrbinum eſſet ingreſſus, totaq. penè Flaminia trepidaretur, Guido quoque Polentanus, legibus abrogatis, quibus Pontifici obligabatur, cum Foricornelii Regulis, ceterisq. qui ab Romano Pontifice defecerant, fœdus fecit, accedentibus præſertim nouis affinitatibus, quas tum, Eliſa Opizonis Eſtenſis Ferrariæ Principis filia, uxore ducta, tum Aleta filia Guidonis Nouelli, Franciſco Gonzagæ, Guidonis filio, Aloyſii nepoti, in matrimonium collocata, contraxerat. Has vrbes recuperaturus Pontifex, Britonum copiis, qui ex ciuitatibus Armoricæ putantur; in Italiam miſſis, omnem ferè Flaminiam perturbauit. Quamobrem Pileus Rauennatum Archiepiſcopus, cum opida Eccleſiæ ſuæ occupari cerneret, Aſtorq. Manfredus Fauentinus Regulus nuperrimè Granarolum; quod Romanam Eccleſiam ſpectat, & ab Lugo, Rauennatis Eccleſiæ opido abeſt fermè millia paſſuum tria, ui facta cepiſſet, ipſumq. Lugum fuiſſet bis iam a Barbiani Comitibus oppugnatum, ponteq. potiti fuiſſent, ac intelligeret, quàm parum eſſet Pontificiæ ditioni, adeo uiribus imminutæ, fidendum, eodem anno MCCCLXXVI. ut Ioannes Baptiſta Pigna, uir doctrina, atque optimarum artium ſtudiis eruditus, auctor eſt, in Hiſtoria Principum Eſtenſium ſua, ſexto Id. Octobr. villam S. Potiti, & opidum Lugum, atque eius arcem Nicolao Eſtenſi Ferrariæ Regulo tradidit, adiectaq. quingentorum florenorum penſione, quam quotannis Rauennatibus Archiepiſcopis ſolueret. Vicarium illum Archiepiſcopi Rauennatis fecit: ſanxitq. ut idem ius, & par auctoritas fratrē, illius, & fratris filium attingeret. Id autem eo maiore cauſa a Pileo factum Pigna teſtatur, quod S. Angeli Cardinalis, Vicarius Bononiæ, uti diximus, Pontificius, ad quem deferre Pileus opidi illius præſidium uoluerat, renuiſſet prouinciam, ſeq. minus aptum ad tuendum, & conſeruandum opidum affirmaſſet. Interea cum Aſtorgius Manfredus Eccleſiæ Romanæ loca infeſta redderet, turbatis vndiq. rebus, Epiſcopus Oſtienſis, huius tum Prouinciæ Comes, qui Fauentiæ morabatur, eam uariis factionibus agitari conſpicatus, ueritusq. ne reliquarum exemplo duceretur, Ioannem Acutum cum Britānorum cohorte euocauit. Ibi poſtquam aliquot dies perſtitiſſent, auſi magnum ſcelus, templa, domosq. diripuere: Cumq. Britones, Cæſenæ, ad arma cucurriſſent aduerſus ciues, aduocatis Britannis, ſimul irrupere in eos, & ingenti clade, ad tria millia obtruncatis illis, vrbem cruentarunt. Gregorius Ponfex tot malorum cauſam, ſuam eſſe ab Roma, ipſaque Italia abſentiam conſpicatus, Romanam aulam denuò, Romam profectus, ad locum ſuum, vnde abfuerat ſeptuaginta iam annos, reuexit: ſub quod fermè tempus, Venetiis, familia Rauennas Lambeſcorum, uetuſto cognomento Ingagnalia, cum patritia fuiſſet, omnibusq. Senatorii ordinis honoribus inſignis, finem habuit. Anno inſequenti, qui fuit a partu Virginis ſeptuageſimus ſeptimus ſupra milleſimum tercenteſimum, Guido Polentanus poſtquam Cæſenatibus fuit pollicitus aliquot militum auxilium, florenorum aureorum millia ANN. M. CCC LXXVII.

lia

lia ſex, in ſtipendium Britonum Cæſenæ commorantium,& reliqui exercitus Pontificii uſibus, Roberto baſilicæ duodecim Apoſtolorum Cardinali, Apoſtolicæ ſedis in Italia Legato, mutuà dedit: oppigneraùit autem illi Robertus, portum, arcemq. ac turrim Cæſenaticam. Iam enim Guido cum Pontifice in gratiam redierat, & Pontifex aliquot ciuitatibus, in quibus fuit Bononia, pacem petentibus, eam dederat, amantiſſimeq. receperat. Fauentiam tamen Ioannes Haucutus; nam ita etiam ſcribitur; quadraginta millibus ducatorum; ſunt qui ſcribant uiginti; Nicolao Marchioni Eſtenſi uendidit, ſed paulo poſt Aſtorgius Manfredus exul, factione Marchionis fugata, Sinibaldo Ordelafo, & Ioanne Haucuto, opera Bernabouis, fauentibus, rapuit. Paulo poſt mortuo Gregorio Pont. Max. Vrbanoq. ſexto, in eius locum. V. Idus Aprilis anno
ANN.M. millesimo trecenteſimo ſeptuageſimo octauo, ſubrogato, cum diſſenſiones in
CCC Italia multæ adhuc fuerunt, tùm Rauennæ peſtilentia maximè eſt laboratum:
LXXVIII. Diſſidiorum cauſa in primis fuit inſigne, ac perniciosiſſimum ſchiſma, quod per multos poſt annos Eccleſiam fatigauit. Nam Clemens VII. XIII. kal. Octobris hoc eodem anno, Vrbano obiectus, in duas omninò partes Eccleſiam diſtraxit: Ex quibus Rauennates cum tota Italia, Vrbanum, ut uerum Pontificem, dominumq. complexi ſunt: qui Pileum Archiepiſcopum Rauennatem Cardinalem, menſe Septembri, titulo S. Praxedis adiecto, fecit. Sub id tempus Samaritana Polentana, Guidi. V. filia, Antonio Scaligero, Veronæ Principi nupſit. Fuiſſe autem magna, & excellenti pulchritudine ferunt, ſed formam a ſuperbia ſuperatam: ſic ut Antonius nuptiarum, & matrimonii diē, ſumptu, ludorumq. apparatu planè Regio celebrauerit. Contra, Clara Polentana Pandulfi, qui in carcere obiit, filia, Chriſtiana animi demiſſione inſignis, ipſo euentu, mortalium rerum uanitatém edocta, Franciſcanum ſacrarum D. Claræ uirginum habitum Rauennæ induerat: cumq. hoc anno illius Abbatiſſam cœnobii gereret, ut reſarciret damna, quæ ſuperiorum, præſentiumq. bellorum tumultibus illata fuerant, prædia aliquot cœnobii uendidit. Poſte-
ANN.M. CCC ro anno, licet Bononienſes a Florentinis impulſi, prætento ſchiſmate, quòd
LXXIX. in Eccleſia uerſabatur, iterum ſeſe fœderatis applicuerint, ac liberos ſe, non hoſtes Eccleſiæ præferentes, ſtatum libertatis redintegrarint, Rauennæ tamen nihil immutatum, Galeotus Malateſta Cæſenam ſibi a Gregorio Pontifice traditam, ac magno deinde labore adeptam, pacatè ipſe quoque adminiſtrauit. Cumq. Paulam Blancam Pandulfi Malateſtæ filiam, Sinibaldo Ordelafo in matrimonium collocaſſet, ita illum deinde cum Vrbano Pontifice reduxit in gratiam, ut tandem Pontifex ſuum, Romanæq. Eccleſiæ Vicarium in duodecim annos urbis Forliuii certis additis præſcriptisq. legibus fecerit. Ceteri Prouinciæ proceres alius alio, in uarias expeditiones abducti, liberum quieti in hac Prouincia locum reliquerant. Almericus Alidoſii filius Barbiani, ac Cunii Comes, pro Vrbano. VI. Pontifice, aduerſus Clementis VII. copias, prope ipſam Romam, ad Marinum feliciſſimè, ut uir erat militari uirtute clariſſimus, pugnabat. Ciccus Ordelafus Venetorum ductabat cohortes eo prœlio, quo Genuenſes Franciſco Carrario Patauino Principi fœderati, captaq. iam Foſſa Clodia, Venetiis imminebant. Aſtorgium Manfredum; cuius hoc anno fratrem, Franciſcum, Nicolaus Eſtenſis Marchio, Guidi Polentani hortatu, è diuturno ſex annorum carcere, pace cum Aſtorgio facta, liberum

dimiſerat;

dimiſerat; Bernabos Vicomes, ut Venetis ſatisfaceret, mouere iuſſerat, in Genuenſes, qui erumpentes ex vrbe, illius exercitum, quam ſocietatem Stellæ uocabant; ita diſſiparunt, ut ipſe uix Aſtorgius, diſſimulato habitu, incolumis cum paucis euaſerit: cum tamen ad foſſam Clodiam, magna clade ſuperati deinde Genuenſes fuerint. Guidonem Polentanum propinquorum agitauerunt moleſtiæ, cum per hos dies Rinaldus è Monte uiridi, qui Polentanum affinitate attingebat, vrbis Firmi Dominus, a Firmanis, quod acerbiora illius imperia ſe pati amplius non poſſe dicerent, fuerit eiectus, nec diu poſt cum uxore, tribusq. liberis in opido Monte Falconio captus, & Firmum ductus, proximo anno, capite pœnas dederit, in quattuor partes diſcerptus: filiis autem de mœnibus vrbis, vnà cum ſociis uiginti quattuor, ſuſpenſis, fractæ ceruices eſſent. ForumPompilii a Sinibaldo Ordelafo reſtitui cœptum. Aſtorgius Manfredus cum, Franciſcum fratrem proditionis inſimulaſſet; ita enim increbuit ſermo; capi ipſum, & in opidum Solarolum, contrudi in carcerem iuſſit. Sed Franciſcus, dum ibi teneretur, captis arcis cuſtodibus, per aliquot opidanorum beneuolentiam, potitur opido; eodem hoc anno ad XIIII. kal. Maii, inducias in quattuor menſes fecere Guido Polentanus, Galeotus Malateſta, Pandulfi filius, Sinibaldus, Beltrandus, Ioannes Agud; ita enim ibi ſcribitur; Franciſcus Manfredus atque horum aſſeclæ, ſingulis deinde quattuor menſibus renouatas: Quas Guido Ricciardi è Mutiliana Comitis, filius, quod intelligeret ſe ex Galeoti fœderatis eſſe. VIII. Kal. Iun. in opido Balneo probauit: Idem poſtridie fecit Franciſcus, Rogerii è Douadula Comitis filius, in Tuſcia palatinus, cum in opido Tredocio eſſet. Ceterum Carolo Pacio in Rauennate deinde, excurrente, & infeſtum agrum reddente, menſe Nouembri pax conuenit. Cum autem adhuc peſtilentia Rauennæ atque omni Flaminia ſæuiret, Vrbanus Pont. anno M CCCLXXXI. facultatem omnibus huius Prouinciæ dedit, ut ſacerdotem, qui illos a confeſſione criminum expiaret, deligerent. neque uerò hoc tantùm anno, ſed & poſtero, adulto potiſſimum uere, inualuit, maximaq. ſtrage Caſtrocarum inde Forliuium, mox Fauētiam, Forumq. Cornelii, & finitimos colles, ſicciore licet aere prædictos, malè habuit. Aduenit tamen in Flaminiā hoc anno ad Neapolitanū Regnum aſpirans, & Clementis Pſeudopōtificis partes fouens, Ludouicus, qui & Aloyſius dicitur, Andegauēſis Dux, & vnà ſecū Allobrogū Comes: poſtquā enim Vrbanus ſummus Pontifex, Ioannam Neapoli Reginam, quia cū Clemente ſentiret, & aliis criminibus notaretur, Regno mulctauerat, Caroluq. Dyrachinum renunciauerat Regem, Ioannà illud Regnum, Siculumq. Ludouico dono dederat, & eam Clemens donationem confirmauerat. Sed Carolus cum firmo exercitu aggreſſus Regnum, eo potitus eſt, ac Reginam ſuſpendio necauit. Hinc Andegauenſis Dux & ſuapte uoluntate, & Clementis ſubdititii Pontificis ſtudio, ut Ioannæ ferret opem, de cuius adhuc nece nihil acceperat, & Vrbanum de Pontificatu deiiceret, cum exercitu in Italiam contendit: & menſe Auguſto Flaminiam cum quinquaginta armatorum millibus peragrauit: Obuius illi Guido Polentanus Rauennæ Princeps, officii cauſa, occurrit, & cum partes Clementis tueretur, iuuit commeatu, perpetuusque illi fuit in Flaminia comes. Idibus, iuxta Forliuium, ad portam Sclauoniam, duxere caſtra, quæ in rure Ronco ſunt metati: ipſiusq. Polentani in-

ANN. M. CCC LXXX.

ANN. M. CCC LXXXI.

ANN. M. CCC LXXXII.

ſtinctu, Roncum, Bagnolum, & Carpenam, Forliuienſis agri uillas incendio cremarunt, expugnationemq. vrbis fruſtra tentarunt. cum ad Clementis partes, Italicas adducere ciuitates niterentur, & pleræq. iam a Clemente ſtarent. Cum autem Albericus è Barbiano ſocietatis Italicorum Dux, è Piceno, Forliuium cum tercentis equitibus, eodem menſe, eſſet ingreſſus, & Galeotus Malateſta commeatum negaret, abiere in Neapolitanum Andegauenſes. Hoc anno.XVII. kal. Septembr. Thebaldus Ordelafus, Ludouici filius, peſtilentia oppreſſus, deceſſit annos natus uigintinouem. Guido Polentanus, Galeoto Malateſtæ Ariminenſi, Cæſenæ ſpeciatim, Flaminiæ generatim Rectori, ſex Florenorum aureorum millia, per Ioannem Roſellum Aretinum, Nicolao Balbo, & Ioanni Vgodonitio Foro Corneliano, procuratoribus ſuis, Ferrariæ, in ædibus Nicolai, & Alberti Eſtenſium Principum, in cubiculo Amoris, coram Dondacio Maluicino è Fontana, milite Placentino, & Franciſco Arioſto Bononienſe, tum incolente Ferrariam, numeranti, portum Cæſenaticum cum arcibus, ac turri tradidit, a ſe ad eam diem poſſeſſum, quòd quincto abhinc anno Robertus baſilicæ duodecim Apoſtolorum Cardinalis, Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ nomine, pro totidem Florenorum millibus, eum portum, easq. arces illi, uti ſupra memorauimus, oppigneraſſet. Vades autem Polentani, & Malateſtæ, Nicolaus, Albertusq. Eſtenſes fuerunt. Bernardinus Corius auctor eſt, Guidonem Polentanum anno MCCCLXXXIII. ab Galeoto Malateſta, Ioannis Haucuti, & Bernabouis Vicecomitis auxilio, Rauenna pulſum: Malateſtamq. Rauennæ Principem, ab Haucuto, & Lucio, Bernabouis genero, factum: Quem etiam Principatum, ſi eidem Corio aſſentimur, diu obtinuit: nam ad annũ MCCCCII. quo Ioannis Galeatii Vicecomitis, Mediolani Ducis, peractum funus eſt, Pandulfus Malateſta, Galeoti filius, Rauennæ Princeps ſcribitur, qui illi funeri, ſumma pompa celebrato, interfuit. Faciunt tamen quæ a Polentanis geſta in tabulario Reipubl. Rauennatis, & in aliis eius ſæculi monumentis leguntur, ut ab hoc ſcriptore, ob oppugnationem in errorem inducto, omnino putem diſſentiendum. Oppugnatio autem fuit, quia cum ob peſtilentiam hoc tempore Rauennæ, ac multis aliis orbis partibus graſſantem, Guido, patriciiq. Rauennates, ſæpe ac diu ruri commorarentur, Galeotus Malateſta, qui aſſiduè in cogitationem incumbebat propagandi imperii, in ſpem uenit Rauennæ potiundæ: nam fuere, qui ad eum profecti, dicerent, vrbem Rauennam ciuibus ferè deſtitutam, ipſoque præſertim Principe, occupari non eſſe difficillimum. Quod cum Malateſta, miſſis ſpeculatoribus, uerum compeiiſſet, ſtatim copiis, quas potuit, comparatis, coactaque non parua manu agricolarum, Rauennam contendit. Verùm Guido re interea cognita, ad vrbem accurrerat, diſpoſitisque uigiliis cum Malateſtiniani, intempeſta nocte, ſcalas ad muros admouiſſent, non ſine miraculo, atque ope Diuorum tutelarium, ut Spretus auctor eſt; eos facile repulit: tresq. ex iis, qui mœnia conſcenderant, captos, in furca ſtrangulauit. Occupauit tamen Galeotus hoc anno Polentam, Culianellumq. Rauennatia oppida, & per Comitem Lucium, Comitis Landi Germani filium, Ceruiam Guidoni ademit. Proximo anno, IIII. Idus Nouembris, Lucia Canſignorii Scaligeri filia, Bernardini Polentani, Guidonis filii uxor, quæ Magnificæ, &

ANN. M. CCC LXXXIII.

ANN. M. CCC LXXXIIII.

generoſæ, ut pater Magnifici & excelſi, titulo inſignitur, oppreſſa morbo, inſpectante, aſſentienteq. marito, Rauennæ, ſuis in ædibus, quibus erat Palazzettæ nomen, in regione D. Michaelis in Africiſco, intra domos, & palatia Guidonis Polentani, quem appellant Magnificum, teſtamentum condidit, hæredemq. inſtituit Antonium Scaligerum fratrem: Bernardino marito, quod ſuppellectilis, & gemmarum reliquum erat, & florenorum aureorum decem millia, quæ illi Canſignorius pater teſtamento reliquerat ultra dotem, & mediam partem dotis, filiis communibus non extantibus, iuxta leges Rauennates; nam exceſſerat è uita Guido eorum filius; legauit. Arcas tres, quas obſignari mandauerat, & claudi, clauesq. donec Veronam mitterentur, apud Aliſiam Polentanam, Eſtenſem Marchioniſſam; quam illuſtrem, dicit; iuſſit eſſe; Veronam mitti uoluit ad Iacobam Fauacii, & Bartholomæum Veronenſem cucullatum, Franciſcanum, illi a confeſſionibus, cum erat Veronæ; ipſi eas, quæq. incluſa in illis eſſent, uenderent omnia, & in egentes, inq. alios pios uſus erogarent. E panno aureo rubro ueſtem, uillanam appellatam, Vrſiano templo reliquit, conficiq. ex ea ad aram maximam ſtragulum iuſſit. Alteram eadem condicione, cærulei coloris ſacræ D. Vitalis ædi reliquit. Nutricibus, ancillis, à cubiculo, quæ ibi quinque numerantur, nutricum filiis legauit multa, quæ omnia fidei Aliſiæ, & Bernardini coniugis commendauit. Florebat philoſophiæ, ac medicinæ gloria Nicolaus Badaius, ciuis Rauennas nobiliſſimus hoc tempore, quo Ludouicus Andegauenſis Dux, commiſſo in Apulis prœlio, Alberico è Barbiano pro Carolo Rege, & Vrbano Pontifice fortiter dimicante, ſuperatur, & uulnere confoſſus, mœroreq. animi confectus migrauit è uita. Vrbanus maximo liberatus metu, Neapolim ſe ad Regem Carolum contulit, ſed cum poſtulata quædam ſua, contra quam putarat, reiicerentur, Pontifex ad minas conuerſus, eò iracundiæ Regem compulit, ut Vrbano per aliquot dies in publicum prodeundi poteſtatem non permiſerit: Quamobrem diſſimulata Vrbanus iniuria, impetrataq. ab Rege uenia, Nuceriam profectus, eam vrbem firmis confeſtim præſidiis munit, nouos Cardinales creat, ſeptem ex ueteribus, in quibus Pileus Rauennatum Archiepiſcopus fuit; in carcerem contrudit, & criminum aduerſus Regem quæſtionem inchoat. Qua re permotus Rex, Vrbanum, cum ſatis magno exercitu, Nuceriæ circumſedit, omninoq. cepiſſet, niſi Raimundus Balcianus, eum, ad proximum litus deductum, Genuenſium triremibus ad id inſtructis clam impoſuiſſet: quibus dum Genuam Pontifex traiicit, ex ſeptem Cardinalibus, quos Nuceriæ captos, comprehenſos adhuc tenebat, quinq. ſaccis inuolutos mari demerſiſſe Platina memoriæ prodit, quod diceret, eos, cum Rege, & Cardinalibus Gallis, Clementeq. ab eis pſeudopontifice creato, contra ſe coniuraſſe. Corius tamen ſcribit, omnes in cuſtodia quidem habitos, ſed incolumes Genuam deuexiſſe, Vtrumque, certiſſimum eſt, Pileum Rauennatem Archiepiſcopum, vnà cũ Petramala Cardinale, Genuam perueniſſe ſaluum, indeq. ex Vrbani manibus elapſos ambos, ad Ioannem primò Galeatium Vicecomitem, mox Aueniomen ad Clementem ſubdititium Pontificem, inexorabilis, & præcipitis, nimiumq. ſuſpicacis hominis iram ueritos, aufugiſſe. Sub id tempus exitu an-

ANN. M. CCC LXXXV. ni milleſimi tercenteſimi octuageſimi quinti, Forliuii, Sinibaldus Ordelaſus a Cicco, & Pino Ordelaſis, fratris filiis, & aliquot prætereа ciuibus coniuratis, nocte intempeſta, Idibus Decembris, captus eſt. nec multis poſt menſibus exceſsit è uita cum Ioannes Ordelaſus, eius liberandi cauſa, multa fruſtra tentaſſet. Quoniam uerò Almericus Barbiani Comes, a quo ueteris militiæ decus eſt Italicis reſtitutum, Tuſciam armis infeſtam reddebat, Bononienſes ueriti, ne deinde in eos moueret, coniunctis cum Nicolao Marchione Eſtenſi copiis Barbianum, Zagonaramq. opida adoriuntur. Cepit Marchio ANN. M. CCC LXXXVI. Zagonaram, Barbianum Bononienſes, obtruncato ibidem Alidoſio, Almerici patre: ſed cum opidum, ut polliciti fuerant, minime diruiſſent, fecere, ut Almericus haud ita diu poſt, eodem iuuante Marchione, illud receperit. Interea cum Antonius Scaliger Veronæ Princeps, Samaritanæ Polentanæ uxori, familiam non ut Principi, ſed quaſi Reginæ comparaſſet, eoq. adductus eſſet demētiæ, ut reiectis ab uxore, pulſisq. ueteribus ſuis familiaribus, & miniſtris, nouos ex eius ſententia accepiſſet, qui ad ſenſum, cupiditatesq. Dominæ eum accomodarent, factum eſt, ut nihil aliud quàm uxoris blanditiis ſtudentem, illiusq. omnibus annuentem uotis, opes, amiciq. deſeruerint, multiq. finitimi Reguli eius Regno inhiarent. In iis primus Franciſcus Carrarius fuit, Patauinus Princeps, qui miſſo, cum aliquot equitum turmis, Franciſchino Caldonatio Tridentino, cùm eſſet repreſſus, maiore comparato exercitu, illum fudit, ac fugauit. Itaque Samaritanæ conſilio, Antonius, Hoſtaſium Polentanum, quartum hoc nomine, Samaritanæ fratrem, Rauenna accitum, omnibus copiis ſuis præfecit: Secum quidem magnam ex omni Flaminia, Rauennaq. præſertim, manum adduxerat Hoſtaſius, uerùm prœlio cum Azzone Vbaldino, Carrarii exercitus ductore, ad caſtrum Baldum com ANN. M. CCC LXXXVII. miſſo, anno MCCCLXXXVII. menſe Martio, tanta clade ſuperatus eſt, ut duobus millibus amplius ex ſuis, deſideratis, ad tria autem millia, cum omnibus uexillis, tabernaculis, impedimentisq. captis, uix incolumis Veronam ſe receperit. Hinc maior patuit Ioanni Galeatio Vicecomiti, ad occupandam Veronam aditus, quamobrem haud ita diu poſt Samaritana Rauennam præmiſſa, noctu Antonius Venetias fugiens, omnia amiſit. Sunt tamen qui Samaritanam ſecum naui deuexiſſe Venetias cum ſcribant, & Vbaldinum, non Azonem, ſed Ioannem, qui filius Azonis fuit, appellant, quibuſcum non diſputo: nam Venetiis aliquando Samaritanam habitaſſe, ex tabulis Rauennatibus, Venetisque certum eſt. Per eoſdem ferè dies, Guido Hoſtaſii & Samaritanæ pater, Rauennæ acceperat, Lucium Germanum Comitem, è prœlio ſeſe recipientem, quo in Caſtrocarianis primo campis, inde ad opidum Ruſſium, cum Cecco, & Pino Ordelaſis, ceterisque Forliuianis, infeliciſſimè, omnibusq. ferè ſuis captis, & ipſo in primis Comite Conrado fratris filio, dimicauerat. Cum ſuppetias Foroliuianis Bononienſes, per Guidonem è Sciano, & Philippinum Vermem, fortes Duces, tuliſſent. Interea Pileum Rauennatem Archiepiſcopum Vrbanus Pontifex & ſacra purpura priuauit, & de Archiepiſcopatu deiecit, Archiepiſcopo Rauennatibus dato, Coſmato Meliorato Sulmonenſe: Pontificii iuriſconſultiſſimo, Diacono, & Valuenſis Eccleſiæ Præpoſito. Extant ipſius litteræ Pontificis hacde re datæ Peruſii; quò ſe iam è Genua contulerat;

b Non.

Non. Octobris, anno X. Pontificatus, ad populum Rauennatem, quibus mandat, illum ut recipiant, eidemq. pareant. Habentur & aliæ, tum ad vniuerſos Eccleſiæ Rauennati ſubiunctos, tum Rauennatum ſacratorum conuentui eodem die ſcriptæ, quemadmodum & IIII. Id. alias ſcripſit ad Carolum huius Prouinciæ Rectorem, & ad Malateſtam, Pandulfi filium, Piſaurenſem, & ad Pandulfum Malateſtam Ariminenſem Regulos, Domicellos appellat; & Romanæ Eccleſiæ Vicarios; quibus magnopere hortatur, ut Coſmatum iuuent auxilio, & commendatum habeant. Rauennam menſe Decembri Veronenſis Scaligeri exercitus uenit, quem diſſipato iam, ita uti ſupra memorauimus, Antonio, Ioannes Galeatius Vicecomes vnà cum vrbe Verona habuerat, confluentibusq. quotidie nobilibus uiris multis, egregiè inſtruxerat: ne uerò eſſet in ocio, ii primò in Bononieſe duxerant, ibiq. complures morati dies, aduerſus Foroliuianos promouent caſtra, eam ſe vrbem Ioanni Ordelafo, qui erat in eo exercitu, & equites. CCC. pedites aliquot, atque exules Foroliuianos ſecum ductabat, recuperare uelle iactantes. Aureolum primum tentatum eſt, inde Flumana, mox Caminatæ, cum Ioannes paternæ hæreditatis iure, ea ſibi opida deberi diceret: ſed cum, nullo dato reſponſo, balliſtis, ac ſagittis inde reiiceretur, itum eſt ad alia Rauennatis Archiepiſcopatus in Cæſenati opida: Bulgariam ibi opidum primò expugnatum eſt, ac direptum, multis aliis, eo metu, ſe dedentibus, in quibus Caſalbonum fuit, Polenta, Culianellumque: Inde traiecto amne ad S. Archangelum, ac Longianum abiere: quibus fruſtra oppugnatis, Britonorium redire, ac Rauennam ſe tandem conferre coacti ſunt. Hic uero cum multa inter eos minime conuenirent, Ioannes Ordelafus relictis ſociis, apud Malateſtas militauit, exercitus, cum ſtipendia deeſſent, haud ita diu poſt diſſolutus eſt. Poſtero anno, quo Bononienſes menſe Iunio, loco inter Fauentiam & Forum Cornelii medio, caſtri Bonienſis uocati, iecerunt fundamenta, Antonius Scaliger, iam Veronæ Princeps, ſocio uenenum illi præbente, in Foroliuianis montibus, apud Tredotium. Non. Auguſti, miſer, & infelix, migrauit è uita. Pileus ab Clemente ſub dititio Pontifice in Italiam Legatus miſſus; cum ſe adhuc, uti antea fecerat, Cardinalem Rauennatem ſcriberet; nixus eſt Florentinos ab omni ſtudio, ſen ſuq. Pontificis Max. flectere: Quod efficere cum non potuiſſet, id tamen in nonnullis Romæ finitimis ciuitatibus eſt aſſecutus. ANN. M. CCC LXXXVIII

HIERONYMI · RVBEI
HISTORIARVM
RAVENNATVM
LIBER . SEPTIMVS

ANN. M. CCC LXXXIX.

ANNVS erat a partu Virginis octuageſimus nonus ſupra milleſimum tercenteſimum, cum Guido Polentanus, ductus, puto, eius metu peſtilentiæ; quæ non hanc modo Prouinciam, ſed omnem penè Italiam uaſtabat; licet mente, ac corpore ualens, quædam tamen. IIII. Id. Nouembr. Rauennæ, ſuis in ædibus, quæ erant in D. Michaelis regione, teſte, inſpectanteq. Arardo Spreto, Antonii filio, Rauennate, Franciſco Ghezzio, Iacobi filio Forliuiano, atque item aliis, ad teſtamentum in codicillis addidit: ſolio tum Pontificio ob Vrbani VI. interitum, ut in iis habetur tabulis, uacante. Legauit autem prædia in agro Rauennati, ſeu Lungipreſſi, ſex, è quorum fructibus adoleſcentulæ quotannis duodecim nuptui traderentur, libris XXV. doti in ſingulas dictis: in matrimonium etiam, eadem dicta dote, collocarentur aliæ duæ, ut Feliciæ Turrianæ, Ricciardini filiæ parentaretur. omnibus annis induerentur panno ruſtico egentes, qui erubeſcere ora hominum conſueſſent, triginta. His peractis, ex eo quod è fructibus ſupereſſet, primùm darentur ſacerdotum Rauennatũ Conuentui, anniuerſariis illius exequiis auxilio, ſolidi ſingulis annis, Rauennates, centum: totidemq. ipſius nomine Feliciæ. Res deinde Diuina de Trinitate, de ſacratiſſimo corpore Chriſti, de Virgine Deipara, centies, D. Gregorii, nonageſies, ut illi iuſta ſoluerentur, fieret: ipſiq. idem Feliciæ curaretur, cuius etiam nomine, qui in egeſtate eſſent, quindecim, donarentur ueſtitu. Hæc autem exequi iuſſit Maccaſauam Odonis filium, Garzinum Gargium, & Andream Lanium, qui & prædia illa excolenda curarent: & fructus reciperent. Horum ſi quis decederet, duo reliqui, adlegerent tertium: ſi duo interirent, unus, reliquos crearet. Omnibus ſimul decedentibus, inſtituit è Franciſcanis fratribus tres, totidemq. è Dominicanis, in hac Prouincia optimos, quorum pietate, atque iudicio, tres Rauennates ciues, ad id muneris euocarentur; idq. in perpetuum. Quod ſi qui ſuorum hæredum, nepotumve, ſeſe inferrent in hæc prædia, ut contra ac teſtator iuſſit, facerent, hæreditate mulctaretur, eorumq. portio ad illos ſpectaret, qui ſe non intuliſſent. Quòd ſi omnes id hæredes cõmitterent, ad Remp. Florentinam hæreditas ueniret. Dũ autem ſui hæredes, nepoteſve vrbis Rauẽnæ imperio potirentur, immunia om-

ninò ea prædia iuſſit eſſe: Sin priuari eos imperio caſus ferret, ex hæreditatis ſuæ fructibus, tributa conferri: quæ ſi etiam hæreditas diſſolueretur, ex ipſorum prædiorum uectigalibus ſoluerentur: quod reliquum eſſet, diſtribuerentur in egentes, qui uere egerent, quoſque egeſtatis, iure puderet. Singulis autem menſibus, ſacerdotum Conuentus in D. Petri maioris Rauennatis, pro mortuis officium perſoluerent. Hæc legauit Guido, cuius in iis codicillis ita appellatur nomen. *Magnificus, & potens dominus D. Guido de Polenta, natus quondam recolendæ memoriæ Magnifici militis D. Bernardini de Polenta.* Neque tamen malè cum habuit peſtilentia: Sed hæc quod non fecit, fecere filii: inſequenti ſiquidem anno. V. kal. Februar. ab Opizone, Hoſtaſio, & Petro filiis, ſcelerata cupiditate imperii, ad ſummum facinus progreſſis, captus, perpetuis tenebris & carceri damnatus eſt: ubi tandem interiit. Pleriq. ſcribunt, vxoris ſuæ inſignem pulchritudinem, ceterarũq. fœminarum venuſtatem ſpernentem, adoleſcentulorum forma delectari illum, abutiq. plurimum conſueſſe. Reliquit tamen filios mares ſeptem, Bernardinum, Opizonem, Hoſtaſium, Petrum, Aldrouandinum, Azonem, & Anglicum: fœminas tres, Samaritanam, Beatricem, & Sicinam. Mares pari dominatu adminiſtrare vrbem cepere. Cum uerò ciues aliquot nimis ſapere uiderentur, Opizo, multis in exilium miſſis, alios è medio tollendos curauit: in quibus Egidius Martellinus, iuriſconſultus, Arardus Spretus, Nicolaus Tuduranus, & Guillelmus Mongardinus, uiri egregii, & præſtantes, emicuerunt. Mengoli Lazari ornatiſſimi ciuis bona, cum haberi ipſe non potuiſſet, fiſco addicta. Quamquam autem Antonius Spretus, Arardi pater, & alterius Arardi nepos, Magdalenam Manfredam Fauentinam habuerat in matrimonio, ſic ut aliqua fortaſſe haberi ob id ratio Arardi potuiſſet, ea tamen nouerca fuerat, cum Arardus ex Iacoba Gotifreda Foroliuiana, priore Antonii vxore natus eſſet. Interea Bonifacius nonus, Vrbano Pont. Max. ſubrogatus, exitu Decembris, ſuperioris anni galerum Pileo reſtituit, & quoniam Coſmatum Archiepiſcopum Rauennatem, ab Vrbano Pontifice, Bononienſem Epiſcopum factum, Bononienſes repudiauerant, ipſe eodem die, hominem uirtutibus inclytum, in Cardinalium collegium, titulo S. Crucis in Hieruſalem, cooptauit, & Rauennatis Archiepiſcopatus adminiſtratorem eſſe uoluit: Coſmatus verò, quoniam retinebat adhuc Pileus, Cardinalis Rauennatis nomen, Cardinalem ſe Bononiæ appellauit. Eodem hoc anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo, quamquam ea penuria Romæ, in Tuſcia, Piceno, ac Flaminia fuit, ut libræ tritici ducentum, ducatis aureis quattuor venirent, tamen cum tertium aperuiſſet Bonifacius annum Iubileum, ita omnis ſe ſuis ſedibus commouit Europa, ac directo Romam uerſus itinere uias omnes, urbemq. ipſam per integrũ annum, infinita, ac continenti mortalium turba, obſedit, ut quotidie ad quattuor hominum millia, tanti boni conſequendi gratia, Rauenna tranſiiſſe ſcribantur. Per id tempus Florentini cum Bernardino, Hoſtaſio, Opizone, & Aldrouandino Polentanis, Guidonis filiis, qui ſuo, & Azonis, ac Petri fratrum nomine agebant, iniere de mercibus per Rauennate, ipſamq. urbem Rauennam, & loca Polentanis ſubiuncta, terra, atque aqua deuehendis, pactiones: Quæ ratæ habitæ ſunt Florentiæ in Senatu, coacto, primò quidem Ioannis Mari Camporinii Aſculani, Præfecti, uocatu pridie kal. Iunias. mox

ANN. M. CCCXC.

Fantini Georgii Veneti, Prætoris, ipſis kal. Iuniis. Bonifacius Pontifex cum Auriolum opidum, unà cum Forliuii, Pompilii, Saſſina, & pleriſq. aliis opidis in duodecim annos, Vicario Romanæ Eccleſiæ nomine, Cecco & Pino Ordelafis fratribus conceſſum, Eccleſiæ Rauennatis eſſe, Coſmato Archiepiſcopo docente, didiciſſet, eam opidi confirmationem abrogauit. Poſterum ANN. M. CCCXCI. annum nulla res Rauennæ perturbauit, tametſi menſe Auguſto, magnum inceptum fuerit inter Malateſtas, & Antonium Vrbinatium Comitem, bellũ. Florebat hoc tempore Ioannes Rauennas, qui cum a Franciſco Petrarca multa didicit, tum illud magnum attulit adiumentum hominibus noſtris, ut orationem Latinam efficerent, quòd complures Ciceronis libros, qui adhuc cæcis tenebris obruti, non cognoſcebantur, in lucem vindicauit, & docendo, ad eloquentiam, exercitationemq. dicendi primus uiam aperuit: ut nihil ſit mirum, Leonardum Aretinum de illo dicere ſolitum, uti Blondus teſtis eſt; è diuturno exilio ad Italos eloquentiæ ſtudia reuocauiſſe: nam Diuino fauore; ut dicere idem ſolebat Aretinus, primus poſt Petrarcam, qui paucos admodum Cicceronis libros uiderat; incitauit ad bonarum litterarum ſtudia, Petrũ Paulum Vergerium, Robertum Rubeum, Poggium, Guarinum Veronenſem, Victorinum, multoſq. præterea doctiſſimos viros, unde quidquid nunc ANN. M. CCCXCIII. eloquentiæ floret apud Italos, manauit. Anno nonageſimo tertio ſupra milleſimum tercenteſimum, menſe Februario, Sicina Guidonis Polentani filia, Gentilis Varani Camertium Principis filio in matrimonium collocatur, quæ annulum induit, Antonio Montegranello, Ferrariæ, Varani nomine præbente: ipſiq. Bernardinus, & Hoſtaſius Polentani, Sicinæ fratres, Leonoram, & Catherinam, e nobili Carrettorum familia, Marchionis Ceccæ filias vxores, duxerunt: quas nuptias cum Albertus Eſtenſis, Ferrariæ Princeps coniungẽdas curauiſſet, quòd Polentani fratres, Eliſa ſorore nati eſſent, eas nouas nuptas Rauennam venientes, Ferrariæ hilariter, ac benigne aliquot dies tractauit. Britonorium acriter menſe Aprili a Pino Ordelafo, qui ſuperiore anno, Riuerſano etiam fuerat potitus, oppugnatur. Sed Pontificiis iuſſis diſcedere ab incœpto coactus eſt: eius loco, Venantia illi uxor filium peperit, ne cedere Catherinæ Cechi vxori, quæ & ipſa filio maritum auxerat, uideretur. Sed quamquam magna apud omnes lætitia ob Venantiæ partum fuit, cito tamen, ut ſunt humana; filio obeunte recidit ad luctum: qui eò etiam accidit maior, quò V I. Idus Aug. eius copiæ a Carolo, & Pandulfo Malateſtiis, magna clade ad Buſeclum ſuperatæ ſunt, cum diceretur, ſubſidiarias Foroliuianas cohortes, dum Fauentia tranſirent, ab Aſtorgio Manfredo oppreſſas, pax tamen Octobri menſe conuenit. Interea Polentani fratres, cum celebratis Rauennæ Regio penè apparatu nuptiis, ad confirmandum imperium uerſi, perpetua varietate, Lugi; quod antea anno MCCCLXIIII. pridie Non. Nouembr. Barnaboue reſtituente receperant; & Cotignolæ poſſeſſionem & adimi, & reſtitui ANN. M. CCCXCIIII. ſibi uidiſſent, anno ab ortu Chriſti MCCCXCIIII. pridie Non. Nouembr. cum Nicolao tertio Eſtenſi, Alberti filio, Ferrariæ Principe, pro ea Padi ripa, cui ab rectitudine, Fili cognomentum eſt, ea opida permutarunt. Aliqui non deſunt tamen, qui non Lugum, ſed Bagnacauallum commutatum affirmant: Sed Polentanos poſterioribus etiam annis Bagnacauallo dominatos, ANN. M. CCCXCV. certiſſimum eſt. Inſequenti anno Thebaldus Britonorianus Epiſcopus, qui

Rauen-

Rauennatem Eccleſiam, Vicarius, pro Coſmato Archiepiſcopo adminiſtrabat ſolemni ſupplicatione omnium ordinum ſacratorum uirorum indicta, præſtantes, & uenerandas reliquias ſepulcro ex marmore condidit, in æde Vrſiana, ad aram, cui titulus S. Crucis eſt, a D. Rainaldo Archiepiſcopo, uti ſupra memorauimus, erectam, & dedicatam. In illis, Crucis Chriſti fruſtum ſatis ingens numeratur: adeſt & myrrhæ parum, quam Chriſti Deo infanti Reges obtulerunt: omnium autem ferè nomen, & collocationis teſtimoniũ, ipſi ſepulcro ex marmore inſculptum adhuc legimus, cum antea ſubter ipſam aram occultè iacerent. Per idem tempus, cum Azo Eſtenſis, Nicolaum propinquum, tum primum Alberto patre mortuo, Ferrarienſem Principatum adeptum, oppugnaret Opizo, & Petrus Polentani, Azoni tulere ſuppetias: Rauennæq. vna cum Ioanne Barbianenſi, Cicco Ordelaſo, & Ludouico Zagonariano coactis copiis, per Rauennatem agrum Opizo, ad Padum eas pro Azone deduxit: ſed cum eas Nicolaus, qui rem ſenſerat, repuliſſet, traiicereque iam Padum incipientes, comparatis aliquot nauibus, penè oppreſſiſſet, confeſtim Ioannes cognomento Salius, facta in Pinetum excurſione multa bona Polentanorum eſt deprædatus: Franciſcus Bellaia Ferrarienſis Dux claſſis, ad caput Hordei, unde foſſa Rauennam deducitur, Rauennatium caſtellum incendit. Moritur proximo anno, qui fuit nonageſimus ſextus ſupra milleſimum tercenteſimum Hoſtaſius Polentanus, in Diuiq. Franciſci, quod D. Petri maioris iam appellatum memorauimus, pridie Id. Mart. eius ordinis habitu indutus ad ſepulturam humi datus eſt: In oblonga, & quadrata, qua foſſa contegitur, è marmore tabula, ubi eius & inſculpta imago, hæc circum inciſa leguntur. *Hic iacet Magnificus Dominus Hoſtaſius de Polenta, qui ante diem felix obiens occubuit MCCCXCVI. die XIIII. menſis Martij: cuius anima requieſcat in pace.* Vtrimq. ad caput, inſignia Polentanorum gentilitia, ad pedes, ſceptrum habet. Quòd autem, quia ante diem ſit mortuus, felicem obiiſſe inſcribant, feciſſe puto, maximas inter eos fratres diſſenſiones, quibus Polentanorum familia ad extremum ferè interitum perducta planè fuiſſet, niſi, dum uariis militabant locis, & cum externis etiam diſceptabant, odia inteſtina nonnihil remiſiſſent. Sic autem ſeſe inſcribere ſolitos, ex tabulis huius ſæculi publicis cognoui. *Opizo, & Aldrouandinus fratres de Polenta, Rauennæ &c. pro S. Romana Eccleſia, in temporalibus, Vicarij generales, necnon Rectores, Protectores, Gurbernatores, atque Defenſores ciuitatis Rauennæ, & eius diſtrictus, ac communis, vniuerſitatis, & ſingularum perſonarum, ipſorum ciuitatis & diſtrictus.* Interea cum Ioannes Galeatius Vicecomes, Dux Mediolani primus a Vincislao Cæſare creatus, bellum Franciſco Gonzagæ Mantuano Principi mouiſſet, ita illuc omnia Italicorum verſa ſunt ſtudia, ut nihil Rauenna, neque verò Flaminia ad ſcribendum poſtero anno attulerit: Carolus Malateſta, & Ioannes è Barbiano, Vicecomitis in Mincio deuicere claſſem. Sed proximo anno Venetorum opera pax conuenit. Per eos etiam dies Polentani fratres, cum Nicolao Eſtenſi, acerrimè de finibus decertabant, & Comiti Barbiani opem tulerant, multoq. funeſtiorem finem habiturum fuiſſet diſſidium, niſi eodem hoc anno MCCCXVIII. Franciſcus Carrara Patauinus Princeps Ferrariam profectus, eam diſſenſionem, tamquam arbiter. XV. kal. Septembr. compoſuiſſet, ea condicione, ut ab utraque parte ablata quæ fuiſſent,

ANN. M. CCCXCVI

ANN. M. CCC-XCVII.

ANN. M. CCC-XCVIII

in antiquum ſtatum, antequam utrinque excurſiones eſſent factæ, reſtituerentur. Edicta capitalia, damnationes, & quæſtiones, antiquarentur: Mutuis ſubſidiis, dum opus eſſet, ſe ipſos inter ſe iuuarent, atque interea Nicolaus per quinque annos, capitis Vrceorum, quod & Hordei appellant, caſtellum, quod ad foſſam eſt, ex Rauennati ad Padum pertinentem, aliqua ex parte reſtitutum, retineret. Rebus igitur ſic compoſitis, Polentani haud multo poſt, ut Eſtenſis iuuarent partes, coniunctis cum ſocietate Roſæ uiribus; eæ cohortes erant ueteranorum militum, in quibus militabant ſtrenui Duces; Barthol omæum Gonzagam, Eſtenſi infeſtum, per Flaminiam, ut in Picentes iret, tranſeuntem, ad Roncum opidum, commiſſo tumultuario prœlio, cum omnibus ſuis capiunt, ingentiq. metu, ac periculo Eſtenſem liberant. Anno millesimo quadringenteſimo, Pileo mortuo, qui ſe Rauennatem Cardinalē, cum Rauennas Archiepiſcopus fuiſſet, ita uti diximus, appellabat, licet Rauennates Paulum Scordilum, Eccleſiæ Rauennatis Præpoſitum, & Canonicum Cardinalem, Archiepiſcopum ſubdelegiſſent, tamen Coſmatus Archiepiſcopus, Rauennatem Eccleſiam Bonifacio Pontifici liberè reſignauit XVII. kal. Octobr. Bonifaciusq. ſtatim illam Ioanni Meliorato Sulmonenſi, Nicolai, Coſmati fratris filio, in minoribus ordinibus conſtituto, iuriſq. ciuilis candidato, detulit, eodemq. die ſcripſit ad ſacratos uiros Rauennates, huiusq. ciuitatis, ac Diœceſis populum binas litteras Romæ apud S. Petrum, anno Pontificatus XI. datas, quibus certiores eos hac de re fecit. Septimo autem Idus Nouembr. Anglicus Polentanus, Guidonis filius, Protonotarius Apoſtolicus, in ædis Vrſianæ ſacrario, teſte, inſpectanteq. Iacobo Alpino Pacmenſi, Rauennate Archidiacono, atque item aliis, teſtamentū fecit: in quo poſt multa, cœnobio D. Petri ad Vincula, & S. Mariæ in Luminaribus Rectori, in aliosq. pios uſus Legata, hæredem ex aſſe inſtituit Opizonem fratrem, dū uiueret: eo mortuo, illius hæredes, dimidiam fructuum huius hæreditatis partem in egentes erogarent, reliquam ſibi haberent: nam & ipſe id ſe facere Anglicus affirmat, ſeſeq. bonis omnibus nudare, ut ad expianda ſua, ac parentum crimina, reiectis rebus huius ſæculi inanibus, & illecebris uoluptatum, quod reliquum eſſet uitæ, Diuini Spiritus inſtinctu, peregrinationibus, contemplationibus, precibus, & aliis quæ præpotenti Deo placerent, operibus daret. Id uerò curaſſe Anglicum puto, Albatorum religione perfuſum, qui ſub id tempus Rauennam uenientes, maximum ciuibus terrorem intulere. Erant hi, hominum multitudo ingens, quæ originem ducere ab Henrico ſecundo Rege Caſtellæ credebatur: Cui cum eſſet renunciatum, Diuam Virginem Deiparam, alba ueſte conteſtam, peſtilentiam ob maxima hominum peccata, ſæuiſſimam prædixiſſe, Rex ordinem horum hominum, qui amiculo albo induti, orbem peragrarent, & Deum placatum efficerent, inſtituerat: Viri autem, ac mulieres, albis linteis, oculis tantum extantibus, inuoluti, ex iis, quas adibant Ciuitatibus, ſe applicabant ad illos, ac ſacerdotem, ingentem Chriſti Cruci ſuffixi imaginem præferentem, ſequuti bini ab una vrbe ad aliam inſtructo agmine procedebant: Totaq. iam Italia diffuſi, ubiq. ad populos concionabantur, & in compitis precationem Dominicam, ſalutationemq. Angelicam recitabant. Verùm ſacerdote horum Principe, iuxta Viterbium, capto, & Romæ tandem perinde, ac ſuperſtitioſo, Bonifacii Pontificis

ANN. M. CCCC.

tificis iuſſu, cremato, finem ille ordo habuit. Poſtero anno cum ludos ap- ANN. M.
paratiſſimos in foro Cæſenati Carolus Malateſta feciſſet, præpoſiti ſunt diſtri- CCCCI.
buendis præmiis Opizo, & Petrus Polentani fratres: per eoſdem ferè dies, cum Ioannes Bentiuolus, malo, ut pleriq. ſcribunt, Aſtorgii Manfredi conſilio, Bononiæ ſibi dominatum aſciuit. Viſus eſt anno inſequenti circiter finẽ ANN. M.
Februarii, & Martii initium, in Oriente, ſatis magnus Cometes: Primum ob- CCCCII.
ſcurus, & non admodum longis crinibus, ſed clarior in dies, & longioribus. Durauit per menſem, ſolemq. Orientem præibat: Pinus Ordelafus hoc anno Forliuii Princeps, & Scarpetta item Ordelafus, in arce Raualdino, migrarunt ex hominibus. Anno MCCCCIII. Petrus Polẽtanus, cum Alberico, quẽ ANN. M.
Almericum etiam uocabant, Cunii Comite, Ludouico Zagonariano, & Man- CCCCIII
fredo Barbianenſi, Ferrariam profectus, Nicolao Eſtenſi perſuadere conatus eſt, ut aduerſus Ioannem Mariam Vicecomitem, Mediolani Ducem, quem patre nuper demortuo multorum defectiones, Rubeorumq. præſertim, ſolicitabant, cum Bonifacio Pontifice, & ipſis Rubeis fœdus faceret. Quod cum effeciſſet Nicolaus, toto eo bello egregiam, ſtrenuamq. Polentanus cum Pontificiis operam nauauit. In ſuſpicionem autem uehementem, Albericum adduxerat Aſtorgius Manfredus, Fauentiæ Princeps, qui cum Vicecomite ſe coniunxerat, & Vicecomes Iacobi Vermis aſtu, Fauentinam arcem obtinuerat: Neque uerò ii ſolùm, ſed & Carolus, ac Malateſta, cum Pontifice, ac Florentinis ſociarunt arma, cum tamen contrà, pro Vicecomite Pandulfus Malateſta Florentinos ad Aretium uaſtato agro, uexaret, ac Piſis, Peruſiiq. bella non deeſſent. Menſe autem Martio, Thomas Noua Genuenſis, Caſtricarianæ arcis cuſtos, Pontificiis acceptis litteris, numeratiſq. ſibi nummum aureorum duobus millibus, eam arcem Reipubl. Florentinæ aſſignauit. Is autẽ datus eſt huic bello finis, ut Foro Cornelio ab Alidoſio, in Pontificis fidem, ac tutelam, ipſo tamen Vicario, tradito, Bononiaq. & Aſſiſio, ac Peruſia a Pontifice receptis pax ſit conſecuta: cum tamen abaui mei præcipitem Othoboni Tertii, feramq. Tyrannidem experti, & Parma patria pulſi, diuerſa exilia quærentes, pars, uiam iis calamitatibus aperuerit, quibus nepotes adhuc, ſucceſſu uariis modis eludente, premimur. Anno, qui eſt pacem illam inſecu- ANN. M.
tus, cum Fauentiam Almericus infeſtam redderet, Ioannes Galeatius, Aſtor- CCCCIIII.
gii filius, Paulo Vrſino Pontificiarum copiarum ductori, qui Bononiæ morabatur, accito, vrbem ipſam Fauentiam dedit: cum etiam paulò ante Forum Cornelium, Alidoſio ſe dedente, ipſiusq. Vicario vrbis relicto, Paulus acceptiſſet. Sub id tempus, Henricus Alferus, Aſtenſis, generalis Franciſcani ordinis Præfectus, Rauennæ moritur: cuius adhuc ſepulchri Rauennæ extat ad D. Franciſci è marmore tabula, cum eius imagine, nudatis pedibus, ſculpta, inciſiſq. circum his uetuſtate exeſis carminibus.

Qui ſe . . . . . . veſtigia nudis
Franciſci ſi pulchra iuuat exempla tuorum:
Huncq. qui iacet hic, ſupplex venerare parentem,
Quem tulit Haſtenſi proles inſigis in vrbe
Alfera: uir ſancta grauitate colendus, & omni
Eximia virtute nitens, cenſorq. ſeuerus,
Propter honeſtatis, & religionis amorem;

......tiam ut pietas in corde pectore ſemper
Firma foret, fideiq. pugil, contemptor honorum,
Ambitioſa quibus mortalia corda tumeſcunt.
Iam bis nonenos, Generalis, rexerat annos.
Vixerat & nouies denos Henricus in orbe,
Clarus in aſtriferi cum ſede receptus Olympi,
Liquit humi longa confectum ætate cadauer.

Petrus Polenranus cum totus ad acquirendam ex bello gloriam incumberet, ſub Malateſtæ Malateſtii imperio, apud Venetos, aduerſus Franciſcum Carrarium Patauinum Regulum ſtipendia meruit: cumq. inter ipſum, & Antonium Aquilanum diſſidium fuiſſet ortum, dum Paulus Sabellus; qui in Venetarum copiarum, imperium, Malateſta abeunte, ſucceſſerat; in opido Baſſanello, commoraretur, Opizo Polenranus frater, vnà cum Veneris quattuor patriciis, ut diſſidium componeret, profectus, dum per Brentellas rranſiret, ab aliquot Carrarii militibus, qui erant ibidem in inſidiis diſpoſiti, cum patriciis Venetis captus, ab Iacobo Panico, in opidi Saccenſis propugnaculum primò, deinde Patauium ad Carrarium adductus, miſerè, acerbeq. unà cum patriciis Venetis affectus eſt, nec ante è cuſtodia dimiſſus, quàm Veneti, Carrario ſtrangulato, Patauio potiti fuerint. Sunt qui captum etiam, & in eodem carcere habitum fuiſſe Petrũ fratrem, ac uitam cùm morte cõmutaſſe dicant. Opizo tandem emiſſus, a Venetis, grati animi ergo, quod eo in bello præclà rè ſe geſſiſſet, in ſuorum Senatorum ordinem, cum omni poſteritate cooptatus eſt: Rauennam autem regreſſus, fratribus omnibus, extra Aldrouandinũ, uita iam functis, illum etiam interficiendum curauit, Aldamq. eius Aldrouandini filiam, ubi Giberto Pio in matrimonium collocaſſet, ſolus ipſe fuit Rauẽnati Imperio, tam impiè, & patris carcere, & fraternis cædibus parto, potitus. Vixit nihilominus deinde, ut iuſtum Principem decet, amari potius, quàm timeri cupidus, commutaſſeq. genus uitæ bono conſilio, ac ſumma felicitate eſt uiſus. Eliſam filiam, Ioanni Pio, Marci filio: Caſſandram alteram filiam, ſed legitimo nequaquam ortam concubitu, Ludouico Valirano Rauennati iuriſconſulto uxores dedit. Interea cum Bonifacio nono uita functo Coſmatus, qui unà cum Ioanne fratris filio Rauennatem Archiepiſcopatum adminiſtrabat, Pontifex Max. eſſet factus, uocatusq. Innocentius ſeptimus; Ioannem Archiepiſcopum ſacra purpura exornauit, & ſanctæ Crucis in Hieruſalem titulum illi adiunxit. iiſdem autem ferè diebus Albericus Barbiani Comes, qui habebat in hac Prouincia, Lugum, Barbianum, Zagonaram, Cotignolam, Riolumſiccum, Duriam, Tuſſignanum, Granarolum, Mancolũ, Montemcadunum, Fragnanum, Plebem S. Andreæ, Lollianum, & caſtrum Bononienſe, nobilia opida, cum impediret, ne Bononiam commeatus adferretur, a Baldaſſare Coſſa Cardinale, Legato bello petitus, menſe Auguſto, Lollianum, Fragnanum, Plebem S. Andreæ, Montemcadunum, Mancolũ, & Granarolum, amiſit. Quamobrem pacem facere cum Legato coactus eſt. Sub idem tempus Cicco Ordelafo, Forliuii Principe mortuo, cum Antoniũ filium, paruulum, in Principatu reliquiſſet, ad arma accurrens populus, magiſtratus ſibi, & dominatum vrbis, arce Raualdina, & opidis agri occupatis, aſciuit. Ceterum aduenit ſtatim Baldaſſar Coſſa Cardinalis Legatus, menſeq.

ſeq. Octobri urbem obſidet,adductoq. ſecum Alberico Barbiani Comite, ita eam obſidionē diligenter,& ex animo curauit,ut XII.kal.Nouembr.Aſtorgio Manfredo abſcindi ceruicibus caput iuſſerit, quòd diceret,ſignificare illū Foroliuianis,quæ in caſtris fierent.Poſtero autē anno, ipſum tandē Forumliuiū, menſe Maio,certis acceptis,datiſq.cōdicionibus habuit,& ex ciuibus aliquos mulctauit capite,pleroſq.relegauit,ad portamq. Sclauoniam Cittadellam excitauit. Innocentius Pontifex,contrà,Opizonis Polentani ſtudiū complexus, cum huius Archiepiſcopū urbis geſſiſſet,magnas in eum beneuolentiæ ſignificationes præbuit: quibus plurimū confirmaturus Rauennate imperiū Opizo ſibi,& filio uidebatur,niſi altero Pontificatus anno Innocentius decedens,Gregoriū XII. ſucceſſorem habuiſſet. Huius Pontificatu, anno ab ortu Chriſti M CCCCVIII. Roberto Imperante,quem Germani,abrogato ob ignauiam Vincislao Boemo,Cæſarē deſignauerant,Ludouicus Barbianus Comes cum equitū,peditumq. magna manu,Caſtrum Bononienſe ingreſſus,quod tenebat tum Manfredus Barbianus item Comes,Romanæ clamauit Eccleſiæ nomen. Manfredus in arcē illicò ſe recipiens, eam tandem, opidūq. aduenienti paulo poſt Baldaſſari Coſſæ Cardinali Legato,cum exercitu,tradidit,mox in Apuliam abiit: itaq.Coſſa poſtridie,admotis copiis,Tuſſignanū,ac Riolum ſiccum obtinuit. Eodē hoc anno Opizo Polentanus Carmelitani ordinis uetuſtiſſimi religione ductus, D.Ioannis Baptiſtæ tēplum,&cœnobiū,cui tunc unicus præerat ſacerdos,Canonicuſq.illius uocabatur; cum tamē ſuperioribus ſæculis plures ibi ſacerdotes ſacra feciſſent; illius ordini cucullatis tradendū curauit,Ioanne Archiepiſcopo;qui tum erat Cæſenæ;& ædis illius Canonico,aſſentiētibus, ac probantibus; condicionibus quibuſdam adiectis, quas Iacobus Verſellus Bononiēſis,eiuſdem ordinis cucullatus,Matthæi Bononienſis Generalis præfecti vniuerſiq. ordinis nomine accepit. Frequens Rauēnæ per id tēporis erat, fueratq.ut quibus olim in tēplis multi ſacerdotes ſacrificia Deo fecerant, ad unū res deueniſſet: hincq.& D.Petri ad vincula Abbatem;quem ſub id tēpus,Opizonis Polentani ſtudio,Deſiderius Spretus ſenior,Ioannis filius,ædis Vrſianæ Canonicus,deinde geſſit; & D.Zachariæ Archipresbyterū,& Canonicum S. Agnetis; quem antea Abbatem appellatū, in uetuſtis legi Vrſianæ Bibliothecæ monumentis; & pleraq.huiuſmodi poſtea fuiſſe non ignoramus. Quamquā multò minora hæc fuerint,ſi ad perturbationē horum tēporum,non modò Rauennæ,ſed toto orbe reſpiciamus: cum tres ſimul,Pontifices Maximos Benedictus XIII. Gregorius XII.& Ioannes XXIII.ſe eſſe dicerent. In quibus diſſenſionibus,cū turbari omnia,& confundi etiam bellico tumultu Opizo Polentanus uideret,nullamq.recti,& iuſti haberi rationem, præſertim quòd acerrimis podagræ doloribus cruciaretur,armis in omnibus dominantibus,ſe in Thomæ Mocenici Venetorum Ducis fidē,clientelamq.cōtulit.Hortatus quidem illum Archiepiſcopus Rauennas diligenter,& accuratè fuerat,uti ab Ioanne XXIII. ſūmo Pōtifice ſubſidium poſtularet,quando Polētanus,ſe palàm Romanæ Eccleſiæ Vicarium,eam vrbem adminiſtrare profiteretur,ſed Pontificis Opizo calamitates intuens,potiſſimū bello ab Ladiſlao Neapolis Rege illi indicto, fide Venetorū,& Thomæ Ducis virtute fretus,cōſilioq. ductus Caroli Malateſtæ, Veneti exercitus Imperatoris,ad Venetos ſeſe adiungere maluit. Teſtatū id litteræ faciunt,quæ in eius epiſtolarū familiarium libro,manu Iuliani Monaldini Fauētini,Ioannis filii,ſcribæ ſui,exarato,ad Mocenicū Ducē,ſūma ſcriptæ uenera-

ANN. M. CCCCVI.

ANN. M. CCCC. VIII.

neratione legũtur; in quibus aliquæ extant, ubi ſe Pontificis Max. & R. E. Vicariũ affirmat: Quamquam dũ Rauenna aberat, Hoſtaſius filius, & Prætor Venetus; quem aſſiduè Veneti, Rauennæ, ad maius Polentani Principis præſidiũ, commorari iubebant; omnibus epiſtolis, & decretis ſubſcribebant. Quæ autem eſſent perturbationes horum temporum in hac præſertim Prouincia, unde ſibi plurimum timere poſſe Opizo uidebatur, oſtendunt quæ accidere.

ANN. M. CCCCX. Nam anno milleſimo quadringenteſimo decimo, menſe Ianuario, Georgius Ordelaſus, Thebaldi filius, Franciſci nepos, Forumpompilium, dedentibus ſeſe opidanis, recepit, paucisq. poſt diebus: noctu, perrupto Foriliuii muro, effractaq. quam ruptæ appellant, porta, cum equite, ac pedite urbem ingreditur, ſed ſentientibus rem cuſtodibus, qui Florentia uenerant, & electus ipſe eſt, & aliqui ex ſuis capti, ſuſpendio pœnas dederunt. Verùm quod aſſequi Georgius in Foroliuio nequiuit, id ut Fauentiæ Ioannes Galeatius Manfredus, Aſtorgii filius conſequeretur, iuuit: Eius enim ope, Ioannes Galeatius menſe Iunio Fauentiam ingreſſus eſt, & quamquam paucis ante diebus Alexandro V. Pont. Max. Bononiæ mortuo, Baldaſſar Coſſa, Ioannis XXIII. deſũpto nomine, ſubrogatus, amplificandæ Pontificiæ ditionis ſtudio maximè arderet, tamẽ Galeatius, Eccleſiæ Romanæ pulſis omninò Fauentia adminiſtris eius ſibi integrum dominatum rapuit; ipſeq. Georgius opidum Flumanam, menſe Auguſto, incolarum aſtu, occupauit, cum captiui Bartholomeus è Campofregoſo, Foriliuii Præfecti frater, unà cum Catherina eius vxore, & Franciſca Ordelafa matre remanerent. His factum eſt, ut Pontificiis copiis Forumpompilium, extructo etiam iuxta pontem caſtello, fuerit circumſeſſum, infelici licet euentu: ſi quidem dum munire Caſtellum nituntur, erumpentibus opidanis, cum manus conſeruiſſent, poſtquam certatum diu eſt, Pontificii profligantur, captis circiter quadringentis, qui fuerunt in opidum adducti. Tum Aureolani; ipſum Aureolum opidum ſponte Georgio dediderunt: & in Foroliuio cum diligẽter aduigilaretur ad cuſtodiam, qui ſuſpecti habebantur ciues, pars Bononiam, Florentiam alii, pleriq. Lugum relegati: menſeq. Septembri, Ludouicus Fliſcus Genuenſis, Cardinalis, Legatus, cum inſigni poteſtate, miſſus eſt: qui tamen uix vrbem intrauerat, uix dederat ſe ad cognoſcendum ſtatum, cum poſtero menſe, Caſtellum ad Forumpõpilium excitatum amiſit, irrumpente in illud Georgio, & incendium excitante. Ceterum cum mox Georgius, fauentibus Malateſtiis, noctu Forumliuium eſſet adortus, ingreſſusq. ut urbem inflammaret, ita ſtrenuè eſt reiectus, ut in foſſas demergerẽtur uigintiquinque, atq. amplius, aliquot uiui capti, ſtrangulati in furca fuerint. Itaq. Pontifex cum ex hac Prouincia Almerici, & Ioannis Barbianenſis poſteros, ut omnia redderet tutiora, captis, quæ poſſidebant, bonis, exturbaſſet, ipſum etiam opidum Barbianũ ſolo æquauit: atq. inde habuit Gordorum familia, Rauẽnam, cum Manfredus, & Gordus fratres, Bertelli filii; uti docet in libro de familiarum Rauennatium Originibus, Carrarius; huc ſe ad habitandũ contuliſſent, eoq. magis id confirmaſſent, cum poſtea Allo, Gordi filius, Pontificii iuriſconſultus, aliquot annis, Archiepiſcopi Rauennatis Vicarius fuiſſet: non tamen Ioannis Meliorati Cardinalis, nam ipſe hoc tempore, XVII. kalen. Nouembr. Bononiæ mortuus eſt, & in D. Petri ſepultus: Archiepiſcopatum Rauennatẽ Pontifex, Thomæ Perondolo Ferrarienſi tradidit, grauiſſimo iuriſconſulto, Florentia oriundo. Hoc eodẽ anno Opizo

Polenta-

Polentanus, cum Malateſta Malateſtio Ariminenſi, de non recipiendis maleficis, pactum, fœdusq. iniit. Proximo anno, cum Guido Taurellus, uir militari gloria florentiſſimus in Foroliuio, pro Marchione Eſtenſi commoraretur, eam urbem; Marchione, ut Pontifici ſatisfaceret, iubente; Georgio, & Antonio Ordelafis aſsignauit, qui cum menſe Iunio eſſent concordiſsimè vrbem ingreſsi, Octobri, a Georgio, Antonius; qui Cichi filius, Ioannis nepos fuerat; ex ſuſpicione captus, & in cuſtodia habitus eſt. Diſceſſerat hoc tempore Ioannes ſummus Pontifex, Bononia, Romamq. contenderat: itaque plebs Bononienſis ex opificibus, atque artificibus conſtituta, concitauit tumultum temerè, & Legato urbis, palatio pulſo, dominatum inuaſit. Poſtero anno, Gregorius Pontifex Caieta proficiſcens, ubi fuerat diu moratus, pridie nata litiorum Domini, Ariminum, unde iam diſceſſerat, reuerſus eſt; & nobiles Bononienſes, pernicioſis intacti tumultus plebeii conſiliis, eam in imperio eſſe iniquo animò ferentes, conſpiratione inter ſe facta, exturbarunt è dominatu, eumq. Pontifici Ioanni reddiderunt. Anno autem quartodecimo, ſupra milleſimum quadringenteſimum, popularis morbus ferè peſtilens, has regiones omnes, cum tuſſi, ac deſtillatione, inuaſit, uix ut reſpirare homines poſſent, aut cibum ſumere, aut potionem, quòd amara omnia uiderentur: perierunt multi, reliqui ægrè euaſere. Bellica laude præſtantem, Claram Attendolam Cotignolanam, Michilini Catti, ciuis Rauennatis, Bagnacauallo oriũdi, uxorem, habuerunt hæc tempora, quæ cum uideret ab Iacobo Neapolis Rege, Sfortiam fratrem haberi in carcere, neque deeſſent, qui capite illum mulctandum fore iactarent, deductis ſecum, mariti, fortis cohortium præfecti, aliquot militibus, Neapolitanam regionem ferè omnem excurrebat. Fuerat Sfortia frater, Ladislai Regis copiarum Imperator: ſed poſtquam Iacobum è Marcia, Comitem Gallum, Ioanna, in Ladislai fratris mortui locum ſuffecta, maritum ſibi aſciuit, ea condicione, ut Comitis titulo contentus, Regio abſtineret, Neapolim autem uenientem illum, obuii omnes, Regem ſalutaſſent, extra unum Sfortiam, qui Comitem, illum appellauit, indignatus ob id Iacobus, qui iam Regia omnia animo conceperat, capi illum iuſſerat, & in carcerem contrudi: fortaſſeque ſuſtuliſſet etiam è medio, niſi Micheletttus Attendolus, quem aliqui tradunt Sfortiæ fuiſſe fratrem; coactis, quas potuit, Sfortianis copiis, ſeſe Tricaricum cum firmo præſidio contuliſſet, ibidemque contineret. Quamobrem Iacobus, ne in ipſo occupati Regni initio, quidquam aduerſus ſe noui excitaretur, veritus, & abſtinuit ab inferendis Sfortiæ manibus, & proceres miſit Neapolitanos ad Michelettum, quattuor, qui de tota re aliquid conſtituerẽt. ii dum proficiſcuntur, in itinere a Clara, undiq. excurrente, neq. tum fidem publicam a Micheletto illis datam, cogitante, capiuntur, & ni frater dimitteretur, ſuſpendii illis ſuppliciũ edicitur. Sed hoc tumultu Regina cognito, ita egit, ut Iacobo, Laurentius, Sfortiæ item frater pareret, excederet Michelettus Regno, Sfortiæ omne mortis periculũ adimeretur. Hanc Claram, pleriq. Margheritam falſo appellant, & cum ex Michilino marito, filiam peperiſſet, Claram ea Marini Carraccioli, S. Angeli Comitis vxor fuit: quam uerò Mariam alii vocant, illi Maſſiliæ fuit nomen, & Vgulinus è Corbaria Comes, coniux. Quæ quoniam ab aliis in genealogia Sfortiadum ſecus ſcribuntur, huc adducere

ANN. M. CCCCXI. ANN. M. CCCCXII. ANN. M. CCCCXIIII.

ea uolui, quæ ex teſtamento Gaſparis Gatti, ciuis Rauennatis, Michilini filii anno MCCCCXLVIII. Rauennæ Tert. Idus Iunii, Nicolao Saſſolo tabellione ſcribente, facto, in tabulario Reipubl. Rauennatis adhuc ſeruantur, ſic autem habent. *Item uoluit, quòd Domina Clara Comitiſſa, filia quondam dicti Michilini, & uxor D. Marini Carazoli, Comitis S. Angeli, & D. Maſilia Comitiſſa, & uxor Comitis Vgulini de Corbaria in omni ſuo caſu uiduitatis, poſsint reduci in domo ſua habitationis.* Eodem hoc anno Malateſta Malateſtius Cæſenæ Princeps, Eliſabetham filiam, Opizoni Polentani in matrimonium collocauit, & ad VII. kal. nuptiæ inſigni apparatu celebratæ ſunt, Rauennatibus, Principis ſui, matrimonii diem, honeſtiſſimis ludis, ſummaq. hilaritate proſequentibus. Migrauit ex hominibus, circiter id tempus, Franciſcus Polentanus, cui cum tres tantum filiæ fuiſſent ſuperſtites, ex iis, Beatrix Chriſtophoro Bondemano, Aliſia, Baptiſtæ Piccinino, Ioanna, Oſtaſio Lazaro, cognomento Mengolo, ciuibus Rauennatibus nupſere. Opizo quamquam & contracta affinitate, & Venetorum uiribus ſatis confirmatus, uerebatur tamē Bratium Fortebratium, ex opido Montono, Peruſinæ ditionis, Pontificiarum copiarū Ducē, quem noua moliri audiebat, eamq. ob rem ſemper ſolicitus, & ſpeculatores in eius caſtra mittebat, qui progreſſus illius omnes inueſtigarent, ac ſignificarent, & Prouincia decedens, a Paulo Raſpono; quem nobilem, ac ſibi maximè carum ſuis litteris appellat; Bagnacaualliq. Præfectum fecerat; petebat diligenter, ut Fuſignanum, & Ruſſium opida, ceteraſq. ſuas arces inuiſeret, præſidia in eis diſponeret, omniq. ratione, quam putaſſet opportunam, tueretur. Non paruus etiam timor occupauerat animum, ne Pontificis Ioannis arma in illum conuerterentur, qui Pontifex, totius Italiæ uidebatur priſtinum dominatum ſemper affectaſſe. Nam antea cum Legatum Bononiæ gereret, magnam, uti docuimus, partem Flaminiæ, pulſis quibuſdam Tyrannis, aliis extremo ſupplicio affectis, in ueterem ditionem, poteſtatemq. Romani Pontificis redegerat, & Pontifex factus, Eccleſiam Rauennatem, illiusq. cœnobia, & ſacras ædes ſingulari quadam prouidentia iuuare eſt uiſus. Cum enim multis ab hinc annis D. Vitalis cœnobium, & eius prædiorū fructus, a Cardinalibus, reliquiſq. huiuſmodi Præſulibus, qui monachi non erant, ne dum ex D. Benedicti, eiuſdemq cœnobii familia, uti iam fuerat conſtitutum, adminiſtrari, non abſq. Diuini cultus, omniumq. bonorum ingenti iactura, conſueſſent, Pontifex, Antonio Caluo Romano D. Marci Cardinale decedente, qui illi cœnobio, & monachis eiuſdem ordinis D. Benedicti præfuerat, Petrū Silbarium, Roma, ex D. Gregorii cœnobio monachum, eductū, & Rauennam miſſum, Abbatem præfecit, ut in poſterum D. Vitalis bona ne diſtraherentur, peſſumq. darentur. Itaq. omnibus his de cauſis putauit Opizo operepretium fore, ſi Venetorū fidem, ac clientelam poſtularet: qui, finitimi Principis, & nobiliſſimæ ciuitatis condicionem, nequaquam renuentes, alacriter accipiunt, Prætoreſq. uti memorauimus, mittunt, ex Senatoribus grauiſſimos, qui Opizoni adeſſent, omnibusq. eum in rebus tuerentur. Quo factū eſt, ut Opizo ſumma animi tranquillitate imperium urbis adminiſtraret, frequenterq. Venetias, animi cauſa, proficiſcens, ab Duce, & reliquis Senatoribus, omnibus beneuolentiæ, & humanitatis officiis exciperetur. Cum autem geminas ſorores haberet, Beatricem, & Samaritanam, Beatrix uiuebat per hos dies Rauennæ, quòd in

Comi-

Comitum Cunii familia, iam nupta, marito mortuo, in patriam ſe ad fratrem contuliſſet: ſubſcribebat tamen adhuc Epiſtolis ſuis, ac decretis, in hæc verba. *Beatrix de Polenta, Cunij Comitiſſa*. De Samaritana altera ſorore, quid ſcribam, non reperio: fuit tamen prudentiſſima fœmina, ac maximè rebus agendis apta, illiusque ſæpius opera, ne conſilio dicam, Polentani fratres uſi ſunt. Cum autem hoc tempore, qui fuit annus milleſimus quingenteſimus decimus quinctus, Opizo Venetias abeſſet, Beatricique Polentanæ fuiſſet renunciatum, Bratium omninò conſtituiſſe, in Rauennatem agrum excurſiones, & prædas facere, ipſa id per litteras pridie Idus Febr. Bratio ſignificauit, ſeque eam nequaquam rem credere, quando Opizo frater, illi mandaſſet, proficiſcens, ſi quid accidiſſet, ut ad Bratium, auxilii cauſa, accurreret. Sed reddidit Bratius Forliuianum agrum excurſionibus infeſtum prædaque abacta, opidum Saduranum XVII. kalen. Maii, occupauit, quod deinde Georgius Ordelafus, ære Forliuianorum publico, pace inter eos facta, redemit. Cum autem eſſet Opizo Polentanus Rauennam, eodem die, Venetiis reuerſus, audiiſſetque Bratium caſtra ad opidum Aureolum poſuiſſe, eiusq. ſubiectos, inde cum rebus ſuis aufugiſſe, id ſuo nequaquam iuſſu factum, quaſi Bratio diffideret, ſcripſit: quin ſi uelit, mandaturum, ut redirent: commendatos tamen illi eos omnes, ſe uehementer cupere: iis Bratius è caſtro S. Petri XIIII. kalen. humaniſſimè reſpondit, & de more, filium ſe Opizonis, ac ſeruum appellitat, illiusque ſe omnia plurimum commendata habere confirmat: petit deinde ab Opizone equos; Opizo, illius tubicini, quos uoluit, dedit, & ſcribit Bratio, alios ſe daturum ſi hi minus placuiſſent: faciebat enim accuratiſſimè Opizo, quæ Bratius poſtulaſſet: nam medio etiam menſe Maio, Ferraria rediens, quoſdam dimiſit, quos habebat in cuſtodia, Bratio ita per litteras petente: quemadmodum, & Opizoni dedit Bratius, ut ciuibus aliquot Rauennatibus frumentum, & ſegetem è Forliuienſi tuto educere liceret, uidebatur enim Bratius omni penè agro totius Flaminiæ dominari, & VI. Idus Iunii, in Cæſenate, uſque ad Sauignanum irrupit, magnamq. inde abduxit prædam non beſtiarum modò, ſed & hominum. Cumq. ad Opizonem ſcripſiſſet Malateſta Cæſenas, ſocer, quin bellum cum Bratio gereret, facere non poſſe, peteretque an ſuis tutò eſſe in ipſius ditione Opizi, per copias Bratii, liceret, id Opizo ſe per litteras a Bratio poſtulaturum reſponderit, & ſtatim poſtulauerit. Sed excurrit iterum Bratius, haud ita multis poſt diebus, in agrum Cæſenatem, magnamque prædam retulit. Aduenere per id tempus, pridie non. Auguſti Rauennam Montisferetri, & Britonorii Epiſcopi, quos Opizo apud ſe octo dies liberaliter habuit, ſtatimque ad Ioannem Galeatium Manfredum ſororis filium, Fauentiæ, & Malateſtam Malateſtium, ſocerum, Cæſenæ Principes, ſcripſit, de eorum aduentu, diſceſſuque. Nam cum Carolo Malateſta; quē appellat Opizo eorum Epiſcoporum dominum; è Conſtantienſi Concilio; ubi Carolus, Gregorii. XII. nomine, Pontificatu abdicauerat; ii tum Epiſcopi redibant, cum Brixiæ Carolus perſtitiſſet, Epiſcopi præiuiſſent cum equis, & reliqua ſupellectile. Diſceſſere autem Rauenna pridie Idus, equi, terra, ipſi cum reliquo aulæ inſtrumento, aqua, uſque ad Bellaerem. Poſtridie Opizo Venetias diſceſſit, ut ibi obuius Carolo eſſet, quò propediem aduentare ANN. M. CCCCXV.

dicebatur. Litigabant hoc tempore Opizo, & Comes Ludouicus, cum hic Fuſignanum repeteret, Opizo emptionis proponeret tabulas: conquerentibus autem Alberico, & Ludouico apud Nicolaũ Eſtenſem, Ferrariæ Marchionem, ſe ab Opizonis hominibus ualde uexari, poſtulauit ab Opizone Vgutio Contrarius, uti de his omnibus controuerſiis Ferrariam mitteret, ſed reſpondit Opizo, nullam ſe intuliſſe Ludouico moleſtiam, ipſum uerò ſuos recepiſſe hoſtes, atque illos a quibus damna accepiſſet: nullum ſe uelle alium iudicem, quàm Venetam Rempubl. ad illam integrum ſe iudicium reieciſſe, eaq. de cauſa, miſiſſe Paulum Venetias, qui cum decem dies ipſorum Comitum procuratores expectaſſet, tandem nullo uſquam apparente, ab ea Republ. Rauennam fuiſſet dimiſſus: Tanti autem faciebat Opizo Venetam Rẽpubl. ut cum Malateſta Ballionus; cui dederat ſuperioribus menſibus, ut educeret è Bagnacauallenſi ſegetes, alium ſegetis numerum extrahere eodem ex agro petiiſſet, id illi X V I. kalen. Ianuar. negauerit, ob eam cauſam, quia haberet a Repbl. Veneta in mandatis, ne educi permitteret: quod tamen falſum fuiſſe, indicare illud fortè poteſt, quòd Antonio Mutilianæ Comiti, id ſuis uſibus petenti conceſſit. Extremis anni diebus Ariminum profectus eſt: ibi cum nouas copias a Bratio ſcribi accepiſſet, ſtatim litteris ad præfectos ſuorum opidorum ſcriptis, cuſtodiri ea diligentiſſimè iuſſit, pauloque poſt reuerſus Rauennam, internuncium eadem de re ſuum, nouo ineunte anno, ad Bratium miſit: is autem menſe Martio retulit, Bratium ſibi dixiſſe, nullis auctum exercitum ſuum militibus, extra Ioannem Tomacellum, Neapolitanum, Marini filium, & Calderinum, Iacobumq. Franciſci, qui Bratio abeunte, hic eſſent, cum equitibus ad ſummum ſexcentis, remanſuri: Quamquam verò Venetias ire Opizo conſtituiſſet, ut quotannis bis, terve conſueuerat, his tamen acceptis, non ante proficiſci uoluit, quàm hinc diſceſſiſſet Bratius, ueritus, ne quid in diſceſſu noui moliretur: acceptoq. extremo illum menſe Martio abiturum, monuit ſtatim de eo Carolum Malateſtam, & hortatus eſt, ut ad Meldulam, & S. Georgium firmari præſidio loca etiam, atque etiam curaret: Quamquam uerò eadem ipſe de re Paulum Raſponum Rauennatem; quem Bagnacauallo, & ceteræ eorum locorum ſuæ ditioni, uti diximus, præfecerat; monuiſſet, & ut diligentiſſimè circumſpiceret omnia, mandaſſet, tamen quando ita uellent, Caroli Pii dimitteret milites, ſic tamen, ut æs alienum eorum contractum, antea diſſoluerent. Ceterum cum neque loco ſe deinde mouiſſet Bratius, neque Carolus Malateſta, qui ab illo uerebatur, quidquam noſſet, per tabellarium ſuum ab Opizone petiit, de Bratio, ut aliquid ſignificaret, quando ipſe tam accuratè Opizo, amicitiam Bratii coleret. Monuit Opizo, Malateſtam Ballionum pridie Non. Auguſti, ad opidum S. Petri fuiſſe præfectum, unde poſtridie manè diſceſſurus Bratius diceretur: itaque opida tueretur, de quibus tamen Opizo ſcribit, ſe uereri plurimum. Miſit inde ad Bratium Opizo ſcribam ſuum officii cauſa, qui cum VIII. Id. rediiſſet, eo die Bratium cum omnibus copiis è caſtro S. Petri diſceſſiſſe retulit, & caſtra infra Bononiam locaſſe. hanc rem Opizo, & Alberico, Malateſtæ Cæſenatis ſcribæ, & Carolo Malateſtæ ſignificauit, hortatus Carolum, ut tabellarium Ceruiæ aſſiduè haberet, ad quem ſuum, de iis quæ acciderent, mitteret, ipſeq. recens celerius

ANN. M. CCCCXVI (margin, beside "reuerſus Rauennam … nouo ineunte anno")

Ari-

Ariminum conuolaret. Sexto Id. Malateſtæ Malateſtio de uictoria, quam habuerat ex hoſtibus, gratulatus per litteras, ſignificauit etiam, Bratium medio inter Tuſſignanum, ac Linarum loco caſtra fuiſſe metatum, reliquas copias è caſtro Bononienſe, & Medicina, adhuc ſe non mouiſſe: Bononienſes poſſeſſionem accepiſſe arcis Bononiæ, habuiſſeq. Medicinam, Nonantulam, Bazanum, & Oſellinum; quòd tenebat Vgutio; ac Centum. Nam diſcedente Bononia Ioanne XXIII. Pont. Max. & ad Conſtantienſe Concilium abeunte, Antonius Bentiuolus, Ioannis filius, vnà cum Guido Pepolo, eam ab Eccleſia Romana vrbem abduxerant, ac Legato exacto popularem ſtatum reſtituerant: mox numeratis Bratio; quem Ioannes Pontifex proficiſcens ibidem reliquerat; certo pecuniæ numero, ea etiam opida habuerant. de qua re, deq. equeſtribus ob id decretis ludis, Opizonem Polentanum, ipſi Bononienſes certiorem fecere: Paucis autem horis, poſtquam Malateſtæ Opizo caſtrorum Bratii locum ſignificaſſet, alteras ad eum litteras dedit, Bratium ad caſtrum Bononienſe iter tendere. Interea cum, qua poterat ratione, conſilio potiſſimum, atque armis, Manfrediis Fauentinis faueret, Ludouico Manfredio in expeditionem finitimorum locorum ituro, quinquagintaq. equites, ſuo præſidio, poſtulanti, fortes, ac ſtrenuos conceſſit, accuratè tamen præſcribens, ne quid ageret, quod Reipubl. Florentinæ minus placere poſſet: neque iis contentus, Andreæ Giugno, Nicolai filio, Caſtrocari Præfecto. VI. Non. Maii, ſcripſit, eorum equitum ductori ſe mandaſſe, ad illum ut adiret, peteretq. ut tranſire ſibi per Florentina loca, bona illius uenia, liceret: alioqui, nihil contra ac Florentina uellet Reſpubl. ageret: Adhæc cum biduo poſt tabellarium miſiſſet ad Ludouicum, ut de expeditione cognoſceret, quid eſſet actum, monet ut in reditu, ob prædam; uocat repræſalias; quam Rauennas Reſpubl. Florentiæ haberet, Florentinam ditionem ne attingeret; Idem Petro Ariminenſi peditum, quos etiam miſerat, duci, ſcripſit. Quarto Idus Carolo Malateſtæ Ariminenſi id poſtulanti, miſit ſalis nitri libras ferè mille, adſcribens, pulueris tormentarii ſibi nihil eſſe, ſulphur non mittere, quia illud nequaquam petiiſſet. Paulo poſt. XIII. kal. Iun. Rauenna profectus, cum coniuge, ac ſorore, Pado deuectus, Ferrariam, atque inde Venetias ſe contulit: Rauennam adminiſtrabat Hoſtaſius filius, qui. V. kal. equos aliquot patris, item ad Carolum Malateſtam, petentem illos miſit, eodemq. die ſcripſit ad Ludouicum Manfredum, ut quos illi pater dederat pedites, remitteret: non enim poſſe eos diutius extra Rauennatem ditionem commorari, quando omnes ferè huius regionis homines in deducendo in alueum Anemone fluuio eſſent occupati. His autem litteris non Hoſtaſius ipſe tantum, ſed & Laurentius Venerius Prætor, ſubſcripſit. Curabat autem Opizo magnoperè eam fluminis deductionem, quam uidebat Rauennati plurimum agro, & Bagnacauallenſi, ac reliquis profuturam, & per hoſce dies ad Ioannem Galeatium Manfredum, Fauentinum Principem, Venetiis ſcripſit, eam ut iuuaret, quia & ita iam fuiſſet pollicitus, & magnum illa eſſet Fauentinæ rei commodum allatura: & Rauennam reuerſus, ad Magiſtratus Fauentinos; quos uocat Antianos, Nonis Iunii, per litteras ſignificauit, tantiſper ſuſtinerent, dum Ioannes Senenſis Rauennam ueniret, quod propediem foret, tunc enim eam ſe rem curaturum diligentiſſimè. Erat hic Ioannes, ſummus ea ætate Architectus,

quem

quem licet Opizo conduxiſſet, eius tamen uti opera,& Bononienſes,& Nicolaus Eſtenſis Marchio,& Antonius Montisfeltrii,atq. Vrbini Comes,aliiq. uiri Principes,quod cognoſcitur ex ipſius Opizi litteris,certatim ſtudebant. Interea maximè vrgebat Opizo Pandulfi Malateſtæ, Brixiæ Principis aduentũ,puto, ut res cognatorum magis confirmaret, ac ſuas, quæ ſuſpicione carere nequaquam hoc tempore videbantur, præſertim quòd huc Simonis Canoſſæ equites C L X X. veniſſent, rogantes, ut locus illis vſque ad ipſius aduentum Simonis, alicubi daretur: Simonem Pandulfo merere Duce, vehementer cupere. Cum autem Opizo miſiſſet, qui diuerſorium illis in opido Bagnacauallo, atque etiam Ruſſio aſſignaret, ipſi, ubi ſe Anemonem fluuium traiecerunt, Bagnacauallenſi relicta uia, per Bonzelinum vicum, caſtrum Bononienſe uerſus iter habuerant. Itaque pridie Id. Auguſti Opizo, per litteras Eliſabetham Malateſtiam accuratè hortatus eſt, ut diligenti urbem Fanum præſidio firmaret, & ſi qua ineſſet ſuſpicio, qui Fani eſſent, mitteret Ariminum: qui Arimini fideles, forteſq. haberentur, Fanum. Quamquam autem puer cum litteris ſuus a Pandulfo pridie rediiſſet, tamen ſe mittere nuncium Venetias,qui inde Brixiam ad eius maturandum aduentum, contenderet. De iiſdem equitibus, eorumq. progreſſu, Ludouicum etiam Alidoſium, ForiCornelii Regulum certiorem fecit, ſeq. ob facta dictis aduerſa in ſuſpicionem adductum teſtatur. Videret ipſe quid ueniſſent, & quo tenderent, & ſi quid comperiſſet certi, ſignificaret: futurum id ſibi,ac Malateſtiis gratiſſimum. Decimo octauo kal.Septembr. gratulatur per litteras Eliſabethæ Polentanæ, quam matrem appellat; quòd Malateſta domum redire conſtituiſſet: quamquam autem ſcripſerit ad Ioannem Genuenſem, medicum, ut ad curandum illum accederet, tamen hortatur ut ſcribat etiam ipſa, ſibi ad eum litteras daret. Pandulfum & per litteras, & per Thomam Gozadinum ſignificaſſe, ſe ab omni iam negocio expeditum, propediem affuturum, quamobrem ſe Bononiam internuncium miſiſſe, qui aduentum obſeruaret, ſtatimq. ſignificaret. Sub id tempus, milites ab eo Malateſta Piſaurenſis cum peteret, id ſe minime poſſe. IIII. Id. Septemb. reſpondit, niſi ſi Veneta Reſpubl. ſibi mandaſſet: Eliſabethæ tamen Malateſtiæ, familiaribus deſtitutæ, eoſq. poſtulanti, ſuos Opizo miſit, eoſq. ſe miſiſſe, ſtatim Andreæ Contareno Oratori Veneto ſcripſit: Deſtitutam autem familiaribus Eliſabetham hoc tempore putauerim, quia paulò ante Carolus Malateſta eius maritus, cum ſe Bratio, pro Peruſinis obieciſſet, poſtquam eſſet diu certatum, tandem captus ab eo fuerat. Præter familiares autem, ad eandem Opizo miſit etiam milites, ut illis uteretur ex ſententia: is verò erat futurus uſus, ut in arce Foriſempronii, illius præſidio locarentur. Interea ingraueſcente quotidie magis Malateſtæ morbo, ſeſe omninò ductur ũ ad eum Ioannem Genuenſem medicum Opizo pollicitus eſt, ubi medicus leui morbo impeditus, dare ſe in uiam poſſet, ſed Malateſta XII. kal.Octobr. abiit è uita: Quo eodem fere tempore mortuus eſt etiam Ioannes Galeatius Manfredus, Fauentinus Princeps, ſic ut Opizonis domus undique propinquorum funeribus, ac mœrore repleretur: cum omni quoque Prouincia frequentes morbi ac interitus, & ferè peſtilentia vigeret, Ioanni Galeatio Guidus Antonius filius ſucceſſit: qui cum optimè urbem ſuam adminiſtraret, Malateſtarum tantum tuendæ ditioni Opizo ſtudebat: Malateſta enim mortuo, Pandulfus

ſus in Gallia Ciſalpina aberat, captiuus a Bratio Carolus Peruſii habebatur, neque deerant, qui noua aduerſus eos tentarent: cumq. Aeſii, & in opido Maſſatio coniurationem pleroſque feciſſe, Opizo a nonnullis accepiſſet, qui Rauennam uenerant, certiorem fecit illico Malateſtam Malateſtium Piſaurenſem, & hominem, uiamque vnde hæc noſſe poſſet, illi aperuit. Is autem homo, Ioannes quidam erat Rauennas, qui paulo poſt, accepto ab Varanio Camertium Principe incolumitatis ſacramento, ad Maſſatium erat acceſſurus. Interea uenit in Flaminiam Martinus Fauentinus, tribunus militum eo tempore inſignis, cum ſuis cohortibus, quæ militum ad tria millia habere dicebantur, iactabantq. ſe ad Carolum Malateſtam è Bratiana cuſtodia liberandum, vnà cum Pandulfo contendere. Extremo anno menſe Nouembri, Decembrique Opizo in opido Bagnacauallo fuit, & cum ſecum eſſet Ioannes Senenſis Architectus, de flumine Anemone in alueum deducendo accuratè egit: cumq. apud ſe Galaſſum Pium haberet, eum cum Marco Pio; quem appellat compatrem ſuum; in concordiam adduxit. Erat hoc tempore Zacharias Victurius Rauennæ Prætor: Poſtero anno. IIII. Non. Ianuar. Sfortiæ Attendolo, de liberatione, amantiſſimis ſcriptis litteris, Opizo gratulatus eſt: uocat autem illum, Cotignolæ Comitem, & magnum Regni Siculi Comeſtabilem, id autem eſt, Comitem ſtabuli, qui militaris honoris titulus, a Regibus ipſis proximus eſt. Sfortiæ autem acciderat liberatio, propterea quòd Iacobus Ioannæ Reginæ Neapolitanæ maritus, cum omnia eius Regni munia, ſpreta Neapolitana nobilitate, Gallis mandaret ſuis, ita alienauerat a ſe animos omniũ, ut Reginam per urbem animi cauſa ambulantem, Ottinus Caratiolus, & Anichinus Mormiles, coniurationis Principes in Capuanam arcem amandarint, & arreptis populus armis è cuſtodia Sfortiam eduxerit, Gallos Iacobi adminiſtros ſpoliauerit, ipſo uix Iacobo uitam impetrante. Opizo interea Malateſtarum ſtudioſus, ad Pandulfum. V. Id. Martii ſcripſit, ut Angelum Pergulanum, niſi illius egeret opera; mitteret, quò ſciebat, cum fidus eſſet, fortiſq. aſſecla, ac ſeruus: quamquam autem locum non exprimit Opizo, Ariminum tamen, puto, intelligit, quò ſe Martinus Fauentinus contulerat: cuius fidem, ſuſpectam fuiſſe, quæ deinde ſunt acta, declarant. Cum autem Carolus Malateſta, nummis aureis aliquot millibus numeratis ſeſe a Bratio redemiſſet, aduentareq. Ariminum diceretur, Opizo, & Eliſabetha Opizonis vxor eò ſe contulere, & uenienti XIII. kal. cum multis aliis proceribus uiris, ac fœminis obuiam ingenti plauſu proceſſerunt. Poſtero menſe, Argentani in territorium, & foſſam D. Blaſii armati irrupere, qua re grauiter commotus Opizo XVII. kal. Iunii ſcripſit ad Nicolaum Eſtenſem Ferrariæ Marchionem, ſibi id ualde nouum accidiſſe, cum ea omnis regio, iam inde a patre, atque auo, Polentanorum, qui Rauennæ dominabantur, fuiſſet: putare autem, Nicolao ſecus fuiſſe ab Argentanis narratum: itaque res breui compoſita eſt. Per id tempus Carolus Malateſta comprehendi iubet Martinum Fauentinũ, qui erat adhuc Arimini, & ad vrbem Fanum miſit, ubi morte mulctatur. Comes Ludouicus copias in ſua opida iis ferè diebus reducens, ita anxium reddidit Opizonem, ut maiori, diligentiſſimoq. finitimam ditionem præſidio aſſidue cuſtodiret, ac Ludouico Manfredo, quem appellat filium, pedites aliquot poſtulanti, eam ob rem negauerit. Erat autem Rauennæ hoc tempore Carolus

ANN. M. CCCC XVII.

lus Pius, quem; ita uehementer optantem; Opizo ad Pandulfi Malateſtæ adiungere ſtipendia, per Paulum Epiſcopum Ceruieſem nitebatur: cum autem rumores afferrentur de Comite Ludouico nequaquam boni, de illis Franciſcam Manfrediam facit certiorem, petitq. ut moneat, quò ille tenderet, quid moliretur. Ioannem Galeatium certo ipſius Franciſcæ loco inſidias ſtruere, itaque caueret, & ſi quid ipſe ualeret ad eam rem, mandaret. Interea ſublatis per Concilium Conſtantienſe tribus ſchiſmatis teterrimi capitibus; nam uti ſupra memorauimus; Carolus Malateſta, Ariminenſis Regulus, & Romanæ Eccleſiæ in hac Prouincia Vicarius, Gregorii XII. nomine, qui ſenio grauis Arimini ſubſtitit, & id illi in mandatis dedit, abdicauerat. Idem fecerat Ioannes XXIII. in opido Sellis, Conſtantienſis Diœceſis: Benedictum XIII. ut nimium pertinacem, & in Piſano Concilio iam Pontificatu deiectum, ſui deſeruerant omnes, & ad Concilium Conſtantienſe adhæſerant. cumque, ut ſeditionum occaſionibus iretur obuiam, ſtatutũ eſſet, ut vnà cum Cardinalibus, ſex ex omni natione; quæ in Italicam, Germanicã, Anglicam, Gallicam, & Hiſpanam diuiſa eſt; in Conclaue ſecederent, ad eorum colligenda, ſcrutandaq. ſuffragia, qui tres fuere, Canonicus Rauennas, Petrus Paulus Iuſtinopolitanus Pontificii iuriſconſultus, conſtituitur. Vnde quarto poſt die, Otho Columna Pontifex Max. III. Id. Nouembr. die D. Martini feſto, renunciatus eſt, & Martinus Quintus ob id appellatus. Cum autem Opizo Polentanus pro eo ac ſe debere ſcribit, mittendũ ſibi ad ipſius pedes Pontificis Oratorem eſſe affirmaret, ad quem Venetos, Oratores item ſuos Marinum Carauellum, Antonium Contarenum è digito, Franciſcum Foſcarũ, & Fantinum Michaelẽ Senatores grauiſſimos. D. Marci Procuratores deſtinaſſe intellexerat, a Carolo Malateſta, ac Eliſabetha illius uxore Nono Kal. Ianuar. concedi ſibi Pacinum Conſulum è Fracta, iuriſconſultum, qui id muneris exequeretur, poſtulauit. Nunc autem utrumne miſerit, incertum habeo: illud noui, miſiſſe illuc Nicolaum Ariminenſem, Franciſcani ordinis Theologum. Quoniam uerò acceperat, Florentinos quoſdam, ob Rauennatum prædam Florentiæ factam, hanc Opizonis ditionem attingere, non audere, ſcripſit Opizo, Maſio Alexandrio, id ne uererentur: eam prædam iam inde a patris, ac fratrum factam tempore, plurimosq. deinde huc ueniſſe Florentinos, quibus nihil eſ-

ANN. M. CCCC. XVIII. ſet mali illatum. Proximo anno, Nicolaus Eſtenſis Marchio omnes litteras, quibus declarabat, multos, familiares ſuos eſſe, & incolumes per eius poſſe ditionem tranſire, abrogauit; Opizonem tamen Polentanum, eiq. ſubiunctos excepit: quamobrem de eo magnæ illi ab Opizone gratiæ VIII. kal. Martii ſunt actæ, idemq. in Rauennati, Nicolao, & Ferrarienſibus datum eſt. Ea autem intercedebat Opizoni cum Nicolao familiaritas, ut quotannis, cum redire ad nos uere coturnices incipiunt, coturnicem mittere, quæ alias aduocaret, conſueſſet, accipitresq. etiam daret: & cum accepiſſet per hos dies Nicolaus nouam nuptam, Malateſtæ Cæſenatis filiam, Pariſinam; quam alii Paroſiniam uocant, & Caroli Malateſtæ filiam falſo ſcribunt; eaq. Rauennam ueniſſet, eodem ſe Nicolaus Marchio contulit, hicque. III. kal. nuptiæ, magno Opizonis ſtudio, inſigni pompa coniunctæ ſunt, cum Eliſabetha etiam Opizonis coniux, ſororis nuptias, omni, qua potuit, celebritate decoraret. Quia uerò equeſtres, ob has nuptias, ludos Nicolaus Marchio Ferrariam indixerat,

dixerat, Opizo, ut coniugis ſuæ ſororem, Malateſtæ Cæſenatis filiam; ita enim ipſe ſcribit; in his illius nuptiis, omni cultu proſequeretur, per Michilinum, & Laurentium Gattos, quos nobiles uocat, equos ſibi inſignes a Comite Manfredo, & aliunde comparauit, cum tamen ipſe etiam equos domi generoſos aleret, atque aliis, Malateſtiis præſertim, & Bratio, dono daret, ac dediſſet. Rauennam reuerſus, populorum ſuorum quieti ſtudens, Abbatem ſpiritus ſancti; quem tunc gerebat frater Saluator; ciuis Rauennas; & Cagnonum Porcellinum inter ſe diſſidentes, adducere ad concordiam tentauit, ſcriptis litteris menſe Iulio, ad Paulum Raſponum Bagnacaualli Præfectum, uirum, ut eius docent epiſtolæ familiares; ſibi in primis fidelem, qui uenire ad ſe Cagnonum, & aliquot præterea illius propinquos, iuberet. Quia uerò iam biennium Rauennæ Vicarium non habebat, cui, cum abeſſet, negocia ſua committeret, etiam atque etiam ipſe, & Eliſabetha uxor, ab Eliſabetha Malateſtia Caroli uxore petiit, Pacinum Conſulum ſibi concedi: quod & obtinuit: & cum Bartholomæus Franciſcani ordinis Prouincialis miniſter, Nicolaum eiuſdem ordinis Theologum, qui duobus iam annis D. Franciſci in hac vrbe cœnobio, cum magna auctoritate præfuerat, eam auctoritatem ademiſſet, neque impetrare ab eo Opizo, ut reſtitueretur, potuiſſet, ſcripſit de ea re ad Antonium Perettum, vniuerſi Franciſcani ordinis Generalem Miniſtrum, affirmans, maiores omnes ſuos in D. Franciſci æde, illius indutos ordinis habitu, ad ſepulturam dari conſueſſe, ſe totum eſſe D. Franciſci filium, maximè in illius ordinem, ac ſocios propenſum. Studuiſſe, aſſidueq. ſtudere ne quid in uictu, in libris, in ipſa domo fratribus deeſſet, ſcribereq. ſe ad Prouincialia eorum Comitia ſingulis annis, ut fratres moribus, ac doctrina inſignes darent. Ipſum Nicolaum, magna religione, ac cura Diuinum in eo cœnobio cultum auxiſſe, ac ceteras partes optimi Præfecti præſtitiſſe: eſſe illum patrem ſuum, & conſolationem penè omnem ſuam: itaque tanto ſtudio petere, ut maiore non poſſet, ne abdicare illum priſtina auctoritate uellet, ac potius reſtitueret, & in magiſtratu confirmaret: quia anno proximo, *ex deuotione*, inquit, *quam ad ordinem gero, & ad laudem Dei, & ſancti Patris noſtri Franciſci, & ad expoſcendam ueniam, & ſalutem mei, meorumq. & requiem defunctorum, parentum & fratrum, omniumq. de domo mea; quam precibus fratrum minorum obtinere ſpero, hic Prouinciale Capitulum tenere unum intendo; cuius præparationem, & curam, ſeu onus, dicto magiſtro Nicolao dimiſi*. Hæc Opizo: Vt autem litem cum Ludouico Zagonaræ, & Cunii Comite aliquando tandem componeret, reiecto ad Nicolaum Eſtenſem Marchionem, omni illius arbitrio, tabulas, & quæ eam in rem facerent omnia, Paulo Scordili miſit, Pontificii iuriſconſulto, eamq. Bartholomæo Mellæ Conſiliario; ita enim ibi ſcribitur; & Iacobo Ziliolo ſcribæ Nicolai, menſe Septembri commendauit: nec diu poſt abiit & ipſe Ferrariam, ubi aliquandiu febre iactatus eſt: Quo tempore Alberici Cunii Comitis equites triginta, ac totidem pedites, ad portas Fuſignani cum excurriſſent, cuiuſdam exportarunt bona, qui ob uulnera, eo in oppido, alteri illata confugerat ad eos: itaque ubi rediit menſe Decembri Rauennam, Opizo, eò acerbius hac de re apud Nicolaum Eſtenſem eſt conqueſtus; quòd Nicolaus receperat, nihil illos interea noui facturos: petiitq. ut uel iubeat illa ſibi bona reſtitui, uel det, concedatq. id facere quod iubeat; ſuis

enim

enim ſe rebus conſulturum. Eodem die, qui fuit XI. kal. Ianuar. Antonium Corrarium, & Gabrielem Condolmerium Cardinales rogauit per litteras; cum eius expediendæ pecuniæ, quam ſummo Pontifici promiſerat, proximè adeſſet dies; excuſationem illius ut acciperent: morbum fuiſſe cauſam, quo Ferrariæ fuiſſet oppreſſus: cito ſe repræſentaturum. Erat hoc tempore Martinus V. Pont Max. Mantuæ, poſteroq. ineunte anno, qui fuit a partu Virginis MCCCCXIX. VI. Id. Febr. Ferrariam, atque inde Rauennam uenit. Extant adhuc Opizonis Polentani litteræ, quibus Non. Febr. Georgium Ordelaſum, Foriliuii Principem monet, Rauennam perueniſſe ipſius internuncium, ac familiarem Pontificis, cum litteris, ac mandatis, ut eius aduentum Opizoni ipſi ſignificaret. quamobrem cum deinde eſſet Pontifex ad Forumliuium uenturus, curaret & ipſe, quæ ad illum excipiendum facerent. Rauennæ autem Pontifex ab uniuerſa occurrente Ciuitate, ingenti omnium plauſu, gratulationeq. receptus eſt: & cum aliquot hic fuiſſet dies. XVI. kal. Mart. ad Forumliuium diſceſſit. Vitabat autem, hoc arrepto Pontifex itinere, Bononiam ab ſe alienatam, & Florentiam contendebat, ubi & diu conſedit. Menſe Aprili cum Albericus excurſiones in Fauentinum cum ſuis copiis, magna abducta præda, feciſſet, peteretq. ab Opizone Gentilis Manfredia, ne illos in ſua ditione tutos eſſe uellet, reſpondit, quoniam ad magiſtratum Fauentinum; Antianos uocat; res illa ſpectaret: qui antea Opizoni idem conquerenti, ius ſe aduenis dicere non poſſe iactarunt; ideo neque ipſum modo poſſe, quod uellent. Verum quod Fauentinis non conceſſit, præſtitit Ludouico Alidoſio Fori Cornelii Principi, petenti etiam, ut filios ſuos Gozadinorum inſtinctu Bononiæ comprehenſos, Bononienſibus commendaret, quod fecit accuratiſſimè. Idem curauit de Ioanne Pio, quem filium appellat; apud Nicolaum Eſtenſem, in eo diſſidio, quo ab familiari Nicolai Ioannes diſſidebat. Menſe Iunio Opizo per decem dies Venetiis fuit. Poſt ubi remigrauit Rauennam, Bagnacauallum abiit, mox menſe ferè toto Auguſto, in Longopreſſo commoratus eſt: ubi cum eſſet, dedit Alberico è Zagonaria, Cunii Comiti incolumitatis tabulas, quibus in Polentanam ditionem poſſet ſe ex ſententia conferre: Paulo tamen Raſpono ſcripſit, ut curaret opidum Fuſignanum diligentiſſimè cuſtodiri. In his publicis curis, priuatas etiam uerſans, pridie Id. Auguſti, Homitiolum iuſſit, Quæſtorem Rauennæ ſuum, ut cum poſtridie futura eſſent ſuæ matris Veſperarum officia, Petriq. fratris haud procul abeſſent, curaret omnia, quibus ad ea parentalia opus eſſet. Cum Gentili Manfredia, tandem, de non recipiendis maleficis, ex Pacini, Vicarii Rauennæ, ſententia, fœdus, ac pacta fecit. Sub id tempus Aloiſius Vidor, patricius Venetus abſque liberis decedens, nobiliſſimæ Vidorum familiæ, quæ Rauenna originem ducebat, finem impoſuit: Canoniciq. Lateranenſes, quorum ab ipſis Apoſtolis ductum initium ferunt, a Diuoq. Auguſtino Hiponenſi Epiſcopo inſtauratum, deinde a Petro peccatore in Portuenſi cœnobio ad Rauennatē; cum ferè interiiſſet, elatum, & abſolutum, uti memorauimus, Rauennam ſe ad cœnobium illud Portuenſe contulere. Ad eam autem diem quorumdam fidei commendatum, peſtilentia, bellis, aquarum eluuionibus eò deuenerat, uix ut duo ibi uiuere Canonici poſſent. Itaque Rauennatibus enixè a Martino. V. ſummo Pont. poſtulantibus, ut tantum cœnobium uetuſtate, & uirorū

ANN. M. CCCC. XIX.

præ-

præſtantiſſimorum habitatione clariſſimum reſtitui, ac conformari iuberet, Ari
minenſi Pontifex Epiſcopo mandauit, ut è Friſonario cœnobio huc adduce-
ret Canonicos, quod & factum eſt: primusq. Præfectus Prior fuit Galdinus
Bardus Placentinus: cum eodem anno in Comitiis eius ordinis Venetiis ha-
bitis, Præfecturam etiam Generalem iniiſſet. Fuit autem is annus ab ortu Chri
ſti MCCCCXX. Quo eodem anno, Legatum ſuum Opizo Bononiam pridie ANN. M. CCCC. XX.
kal. Mart. miſit, quod & Foriliuii, Fauentiæ, Fori Cornelii, Reguli, & Caro-
lus Malateſta fecerunt; Hi in ſexagintauirum Senatum admiſſi, in quo & ce-
teri Magiſtratus urbis aderant, ſuorum Principum nomine, ut Martinum
Pontificem æquo animo acciperent. hortantur non poſſe, illos, neque de-
bere ueri, ac legitimi Principis detrectare imperium: libertatis, quem præfer-
rent titulum, nullo illis iuſto caſu, ſed quadraginta tantum abhinc annis,
ſeditione populari adiunctum: Quis enim uel mediocri rerum peritus nega-
ret, Bononiam Pontificiæ ditionis perpetuò iure fuiſſe? Quis neſciret, ut ue-
tuſtiora taceantur; a Pipino illam pulſis inde Longobardis, receptam, Pon-
tifici fuiſſe reſtitutam? Pontifices Maximos paterna beneuolentia ſubiunctos
ſibi populos amplecti, fouereq. ſatisq. ipſos, ſi ſaperent, id re ipſa in tot eo-
rum diſſenſionibus, iam expertos; Quamobrem acciperent iam libenter &
æquo animo parentem optimum, & legitimum Principem, benignè eos, &
humaniter appellantem, alioqui facere Principes ſuos deinde non poſſe, quo-
niam Pontificis mererent ſtipendia, & illius Vicarii eſſent, quin dicto illius,
ac iuſſis parerent. His nihil aliud a Senatu reſponſum eſt, quam quod Bernar
dinus Zambeccarius, unus ex magiſtratibus, dixit, cur ueniſſent, opus ni-
hil fuiſſe, quando iam adeſſent Pontificis internuncii, quibus reſponderent:
Ceterum cum Polentani Legatus, atque item ceterorum poſtridie abiiſſent,
internunciisq. deinde Pontificiis negata a Bononienſibus omnia fuiſſent,
Martinus, caſtris Bononiam admotis XII. kal. Auguſti eam ad obſe-
quium reuocauit. Poſtero anno Rauennæ Comitia generalia in Portuenſi ANN. M. CCCC. XXI.
cœnobio primùm habita ſunt, Præfectusq. generalis Guilelmus Placentinus
renunciatus: Quo eodem anno Nicolaus Eſtenſis Ferrariæ Regulus, præ-
dia quædam Paniolæ, pro opido Argenta, cum Thoma Perondolo, Ar-
chiepiſcopo Rauennate permutauit, adiecitque Archiepiſcopus; cum eſ-
ſet Ferrarienſis; & libenter ſui Principis dignitati conſuleret; Nicolaum
perpetuum fore eius opidi Vicarium: uoluitque ab Epiſcopo Bononien-
ſi; cui id muneris Alfonſus dederat S. Euſtachii Diaconus Cardinalis,
Prouinciæ Flaminiæ, & Exarchatus Rauennatis Legatus; declarari, eam
permutationem Rauennati Eccleſiæ euidentem utilitatem allaturam. Con-
fidebat hoc tempore in agro Forliuiano, Philippimariæ Vicecomitis, Medio-
lanenſis Ducis ſtipendio, equitum mille Præfectus, Angelus Pergulanus, amice
receptus a Georgio Ordelafo. Inſequenti autem anno, Georgius, menſe Ianua ANN. M. CCCC. XXII.
rio, in Foroliuio, exceſſit è uita, & ad D. Franciſci ſepultus eſt; Thebaldo filio
relicto. Rauennæ XVI. kal. Nouemb. Raphael Bongiannius, Camaldulenſis or
dinis generalis Præfectus, Venetiis reuerſus, cum in tormina, quam appellant
græce dyſenteriam incidiſſet, tertio poſtquam ægrotare cœperat, die, ui mor-
bi abſumptus, ex hominibus abiit: tumulusq. ei datus ad D. Apollinaris. Cete-
rum anno milleſimo quadringenteſimo uigeſimo tertio, cum Lucretia Ali-

doſia, Thebaldi Ordelaſi mater, ForoCornelianis ciuibus,arcium cuſtodias, & reliqua munia ciuitatis diſtribueret, nuperq. Paulum Latioſum in cuſtodiā dediſſet, ea ducti Forliuienſes occaſione,accurrerunt ad arma,& porta Prætorii diffracta, ea comprehendere, & ForoCornelianos ſpoliauere ſupra tercentos,in ipſo armatos prætorio,indeq. expulere,cū tamen ut effugerent defectionis crimen, Thebaldi Ordelafi pueri, qui tum aberat ad Forū Cornelium,nomen conclamarent. Accitæ interea Mediolanēſis Ducis,ex opidoLugo,copiæ, quarum erat Siccus è Montagnana Dux,Aloiſius Crottus,Legatus:Georgiiq. Ordelafi nomine Reſpublica gerebatur. At paucis poſt diebus,ex ipſo, ubi in cuſtodia habebatur,palatio,clam elapſa Lucretia mater,ad Forumpompilium ſe contulit, ubi filium reperit dominantem. Diu obſeſſa Raualdina arx, & oppugnata acriter,extremo tandem menſe Iunio recepta. Interea Nicolaus Eſtēſis,Ferrariæ Regulus,tutor ex teſtamento,Aldrouandinum Ioculum miſit,qui Thebaldi Ordelafi curam ſuſciperet: Florentini,Malateſtiiq.fœderati,arma in Forliuianos mouent,ſed ineunte Septembri,magna Pandulfus Malateſta clade ad pontem Ronchi a Fabricio Capua,& Sicco Montagnanenſi,qui Mediolanenſis Ducis ductabant,uti diximus,copias,& a Forliuianis,qui & ipſi accurrerant,poſt inſigne commiſſum prœlium,ſuperatur. Itaque proximo anno,quo Sfortia Attendolus in amne Aterno demerſus eſt, ad ForumCornelium itur, & kal. Febr. ſcalis ad arcem a Mediolanenſibus clam admotis, occupatur arx, atq.inde vrbs,Ludouicusq. Alidoſius,Lucretiæ pater,qui Florentinorum partes ſequutus dicebatur, captus, Mediolanum ad Ducem mittitur. Vnde poſtea dimiſſus,diu uixit Mutinæ,tandem Franciſcanum habitum, eorum, quos obſeruantes uocant,indutus,& multis utriuſq.euentus caſibus eruditus,Chriſtianæ uirtutis inſigne ſpecimen dedit. Antonius Ordelafus, Cichi filius, qui iam decimum annum,atque amplius,Ludouici, ac Lucretiæ cōſilio; ibidem in carcere habebatur,emiſſus liber,contulit ſe ad Vicecomitem. Ceterùm reſumptis uiribus,Florentini, Malateſtiique, menſe Iunio, bellum inſtaurant, & ad Flumanam,ac Saduranum,Forliuienſium opida,caſtra metati,ea capiunt: ſed de Sadurani poſſeſſione cum inter ſe certarent,a Pandulfo Malateſta opidum crematum eſt. Commorabantur interea ad Zagonariam copiæ Mediolanēſes, itaque,extremo Iulio menſe,ad eas adeunt fœderatorū exercitus, cuius erat; ut plerique habent manuſcripti Cōmentarii;ductor Pandulfus Malateſta, qui ſecū etiam Carolum Malateſtā,huius ſocium expeditionis habebat. Tum ſeſe illis Angelus Pergulanus, Mediolanenſiū copiarū ſummus Dux, a Zagonaria haud procul,obiicit, & commiſſo prœlio, cū magnus etiam imber repentè coortus,in faciē fœderatorū è cœlo rueret. V.kal.Aug.in fugam agit,capto Carolo Malateſta,& Mediolanum ad Ducem tranſmiſſo. Pandulfus Rauennam iter intēdit, Vrſus Vrſinus in Barbiani foſſa;cuius præalta aqua erat,demerſus,eſt: Ludouicus Opizus Lucenſis, trucidatus. Hac elatis victoria Mediolanenſium animis, ac rebus, ita tota hac Prouincia trepidatū eſt, ut non Flumana ſolum ab illis, & ForumPompilium, eiectis omninò Ordelafis, recepta ſint, & pleraq. Ariminenſia, ac Cæſenatia diruta opida, ſed conſtet, Venetos Septembri menſe ad Philippū mariam Vicecomitē, Ducē, oratores miſiſſe,qui peterent, uti aduerſus Rauennatiū Principē,& aliquot etiā finitimos Regulos,nihil moliretur. Quod ſe libenter facturū Philippus reſpondit,& re ipſa præſtitit,incolu

ANN. M. CCCC XXIIII.

mi

mi relicta ditione Rauennati,& verſis ad Ariminum copiis, vnde ad Apenninum trangreſſæ,Balneum,& pleraq. alia opida accepere,mox occuparunt Roccam Sancaſſianam, Petram Appiam, & Douadulam: Tandem in Piſaurenſi, Gradatiam,& tria præterea diripuere opida. Rauennam poſtero anno, Ianuario menſe,Carolus Malateſta magno plauſu,ingentiq. gratulatione ab Opizone acceptus, venit: cum Viceeomes Mediolani Dux, & liberum dimiſerat, & donauerat egregiè: quò factum deinde eſt, ut cum Vicecomite, ſe Malateſtii coniunxerint,cum tamen contrà,Guidus Antonius Manfredus,eo relicto,Florentinorum partes amplecteretur,& menſe Aprili, excurſione in Forliuianum agrum facta,prædam retulerit. Verùm haud ita diu poſt,Mediolanenſes cohortes, caſtris in agro Fauentino locatis, magnum & ipſæ damnum Guidantonio intulerunt, tametſi peſtilentia has regiones hoc maximè tẽpore popularetur, qua Thebaldus Ordelafus, Arimini,& ſoror abſumuntur. Paulo poſt Vicecomes fœdere cum Martino Pontifice, & Ioanna Neapolis Regina inito, aduerſus Florentinos,quibuſcum fœdus fecerant Veneti, menſe Maio, inſequentis anni, Pontifici reſtituit Forumliuium,ac ForumCornelium, cum Veneti legatos de pace inter Mediolanenſem ipſum Ducem,ac fœderatos, Ferrariam,ad Nicolaum Eſtenſem Marchionem miſiſſent, qua erant in urbe, legati etiam Florentinorum, Gonzagæ Mantuani,& Polentani Rauennatis: ſed nihil conuenit. Ad Forliuianas,ForoCornelianasq. res componendas,Ludouicus Alamannus Cardinalis Gallus, Bononiæ legatus; cuius fratris filius,harum ciuitatum poſſeſſionem,paucis ante diebus,Romanæ Eccleſiæ nomine acceperat;in Flaminiam, cum inſigni comitatu uenit: & menſe Iulio Dominicus Capranica, deſignatus Epiſcopus Firmanus, ſpectata vir prudentia, ad Forumliuium, eius Moderator vrbis,a Põtifice miſſus,acceſſit: cuius multa, ac præclara fuere, in eo magiſtratu, acta. Inſequens annus,ingentem Opizoni Polentano mœrorem,ob interitum Pandulfi Malateſtæ;quo cum coniunctiſſimè uixerat; attulit: nam illius tum res, ut ſunt mortalia, lababant, Brixia præſertim paulo ante amiſſa. Hinc Opizo, magnis contractis affinitatibus, confirmare eas ſtuduit, alteroq. ab obitu patris menſe,ipſo Nouembri, Galeoto Roberto ipſius Pandulfi filio, Margheritam Eſtenſem, Nicolai Ferrariæ Marchionis filiam, uxorẽ impetrauit,nouamq.nuptam ſplendidiſſimè Rauennæ excepit,& Ariminum uſque cum inſigni comitatu proſequutus eſt:Inde. IIII. kal. Decembris cum ſuis Rauẽnam reuerſus,uxorem Hoſtaſio filio præbuit Conſtatiam,Ludouici Meliorati Firmani filiam, Sigiſmundus Malateſta Galeoti Roberti frater, menſe Ianuario,ad annulum illi Hoſtaſii nomine dandum miſſus. Hoc autem anno;qui fuit ſupra milleſimum quadringenteſimum,uigeſimus octauus; cum Bononiam Canneculi a Pontifice, pulſo Legato, iterum auocaſſent, quamquam Martinus Pontifex illi ciuitati ſacris interdixerit, bellumq. redintegrarit,quieta hic tamen fuere omnia. Poſtero,Carolus Malateſta Ariminenſis, in opido Longiano obiit: quem paulo poſt Malateſta Piſaurenſis eſt inſequutus. Rauennæ Thomas Ferondolus Archiepiſcopus, Rauennatem populum, ſacratoſq.uiros de bonis Eccleſiaſticis inter ſe diſceptantes,ad concordiam adduxit anno MCCCCXXX. Eo qui conſequutus eſt, Opizo Polentanus,cum dies nouẽ ægrotaſſet,octauo Kal.Febr. Hoſtaſio filio,quem non ex Eliſabetha Malateſtæ Malateſtii, Cæſenatis Principis filia,ſibi uxore,ſed,ut puto,ex Ali-

ANN. M. CCCC. XXV.

ANN. M. CCCC. XXVI.

ANN. M. CCCC. XXVII.

ANN. M. CCCC XXVIII.

ANN. M. CCCC XXIX.

ANN. M. CCCC XXX.

ANN. M. CCCC XXXI.

ſia priore coniuge habuerat, hærede ex aſſe inſtituto, deceſſit. Sub id ferè tempus, cum Hoſtaſius, Conſtantia uxore, nullis liberis editis obeunte, Gineuram Ioannis Galeatii Manfredii, Fauētini Principis filiam, duxit in matrimonium.
ANN. M. CCCC XXXII. Anno autem milleſimo quadringenteſimo trigeſimoſecundo, non. Sextil. Eliſabetha ipſa Malateſta, oppreſſa morbo, Rauennæ in regione. S. Theodori in cubiculo, ubi Opizo maritus deceſſerat, cui erat ab horto nomen, Ioanne Stephano è muro, Hadriano, Comite Ricciardo, è Balneo, Nanne Tizzono, Guelfi filio C.S. Agatha, qui fuerat Opizoni a ſecretis, Petro Rubeo, Ioanne nato, Rauennate, atq. aliis teſtibus, teſtamentum fecit. Iuſſit autem ſepeliri ad. D. Mariæ in portu extra vrbis Rauennæ muros, panno tantum ruſtico induta, & cereis non amplius quattuor. Procuratorem ſuum, Ioannem Saluucii abſoluit a reddenda adminiſtrationis ratione. D. Mariæ in luminaribus ſubſtructioni, nummos aureos uiginti, & alia complura pie legauit. Hoſtaſio Polentano Rauennæ Principi, prædia omnia, prataq. & nemora, quæ ſibi Opizo Polentanus maritus teſtamento reliquerat, in Cenceda, atq. alibi in agro Rauennati; extra prædium in rure Santerno, quod legauerat Comiti Petro, Comitis Ricciardi è Balneo filio; dari uoluit. Franciſcam Ioannis Aldrouandini filiam habere mandauit, cum nuptui traderetur, libras pecuniæ Rauennatis quadringentas: quæ ſi interea decederet, hæredes ſuos, quos diceret inferius, ſpectarent, præter autem illam dotem, libris triginta, arcæ duæ, & ornamenta nouis nuptis Rauennatibus tribui ſolita, compararentur. Gineuræ, Hoſtaſii Polentani, Principis Rauennatis coniugi, reliquit annulos aureos duos, quos habebat Venetiis, pretii ducentorum nummum aureorum, aut eorū pretium, ſi iam eſſent uenditi: omnes item alias gemmas, argenteaq. uaſa, quæ Venetiis, pignora data fuerant, ut ducati aurei quadringenti reciperentur. Eliſabethæ Pauli Raſponi filii; quam ipſa, dū ſacra unda baptiſmatis ablueretur, ſuſceperat; libras centū, illi cum nuberet, numerandas: & illi abſque filiis decedenti, Paulū patrem ſubſtituit. Huic curatores teſtamento præfecit Galeotum Robertum Malateſtam Arimini Principē, Hoſtaſium Polentanum, Rauennæ, Beatricem Polentanam, Galdinum, Præfectū, Priorem Portuenſem, Leonem eiuſdē ordinis Priorem, Præfectum S. Lazari in tertio extra Ariminū. Paulum Maphæū Veronenſem eiuſdem ordinis, & Marcum Faneſtrē ſacerdotem, dum tamen in omni deliberatione, & conſultatione, eorum uirorum religioſorum unus intereſſet. Hæredes inſtituit ſibi, illos Chriſti egentes, quos quattuor ordinis D. Auguſtini ſacræ virgines ſimul elegiſſent. Hæc Eliſabetha Malateſta, teſtamento iuſſit, cum tamen ex eo morbo nequaquam tum obierit, ſed poſtea ſe contulerit Ariminum. Sigiſmundus Cæſar in Italiam tunc deſcenderat, coronam Auguſtalem, more maiorum, accepturus: qua cum Mediolani primum, mox Romæ ornatus fuiſſet, ab Eugenio IIII. qui in Pontificatum Maximū, Martino V. ſucceſſerat; in Germaniam rediens, Rauennam ad Hoſtaſiū diuertit. Nihil autē ab Rauennatibus relictum eſt, quod ad ornatum urbis, pro Cæſaris dignitate, & eorum iuribus excogitari poſſet. Hic aliquot dies commoratus, Hoſtaſium, militari ab ſe gladio cinctum, inſigni pompa, in equeſtrē ordinem cooptauit. Inde Ferrariam, & Mantuā tranſgreſſus, ex Italia abiit. His auctus Hoſtaſius honoribus, & Venetorum ope plurimū cōfirmatus; quieſcebat, cum finitimæ ferè omnes nutarent urbes, & tumultibus quaterentur. Sigiſmundus enim, & Mala-

late-

lateſta, Malateſtii fratres, per id tempus, occupant Ceruſam, quam tribus ante annis, Martino Pontifici dederant, ut ceterum compenſarent dominatũ, quem illis conceſſerat in hac Prouincia, ac Piceno Põtifex. Septimo autem kal. Ian. mane, excitato Forlinienſes tumultu, Romanæ Imperiũ Eccleſiæ reiiciunt, diripiuntq. Prætorium, ac fratrem Thomam, Epiſcopum Tragurienſem, Moderatorem vrbis, capiunt & Latioſis tradunt, ut liberos dimitti Paulum, & Ioannẽ Latioſos, eius iuſſu Moderatoris, in cuſtodia Venetiis habitos, curaret: accitoq. ex opido Lugo, ubi commorabatur, Antonio Ordelafo, vrbis illi, atque arcis dominatum tradunt. Paucis ante diebus Ambroſius Camaldulenſis ordinis Generalis Præfectus, cum uen iſſet Rauennam, ut inuiſeret ſui ordinis domos, ipſam etiam Vrſianam ædem perluſtrauit: hinc eius extollit admirabilem ornatum, cuius ueſtiebantur parietes ſecto lapide, ſtabantq. utrinque duplici ordine inſignes è marmore columnæ: neque uerò deerant porphyriticæ per templum tum columnæ, tum tabulæ, ita politæ, adeoq. nitentes, ut imaginem perinde quaſi ſpeculum, referrent. Vidit, deſcribitq. & aram argenteam, ſuffultam columnis ſex item argenteis, quam impoſita pyramidalis argentea teſtudo, cyborium uocant, quaſi cubum; quattuor innixa columnis argenteis, ornabat. Cingebat aram exedra, cuius è marmore parietes, & quibus locis columnæ quadratæ, ac ſtriatæ, rotundo capite extabant, argenteis laminis incruſtabantur. Interior erat ædes uermiculato, ac teſſellato opere admodum præſtans. His uiſis, uoluit & tabularium, chartilogium appellatum, ut uir erat librorum longe cupidiſſimus, euoluere, cum audiiſſet, plura ibi monumenta iunco ſcripta, Caroli præſertim magni Diploma aureum, & alia in papyro exarata, conſeruari: ſed abſente cuſtode, non potuit. In bibliotheca tamen, plurima notauit uetuſtatis ueſtigia, & in iis D. Cypriani antiquis litteris deſcriptum volumen, in quo plura, quàm uſquam antea, eius ſancti Epiſcopi, ac martyris opuſcula ſe notaſſe, memoriæ prodit, ſummamq. ex uetuſtiſſimo Nicæni Concilii codice, in membranis purpureis, litteris ſcripto aureis, uoluptatem accepiſſe. Cum autem D. Vitalis, D. Ioannis Euangeliſtæ, & D. Apollinaris Claſſenſis, & D. Mariæ Portuenſis templa, cœnobiaq. deinde inuiſiſſet, admiratus ſubſtructiones inſignes, pietateq. ueterum Principum, ac populorum uehementer laudata, ubiq. tamen ſe libros deſideraſſe ſcribit. Salutauit tandem Hoſtaſium vrbis Principem, coniugemq. illius, prudentem fœminam, quæ poſtulauit, ut Ambroſius Græcum Alphabetum filiæ ſuæ ex altero uiro ſcriberet: cui Ambroſius eo libentius morem geſſit, quo magis lætabatur reparatis ſua ætate litteris græcis, uel fœminas in illis proficere. Ipſe uerò Ambroſius cum ab Hoſtaſio contendiſſet, Hoſpitalem domum miſericordiæ, Rauennæ, in qua erat D. Bartholomæi templum quamq. Opizo Polentanus pater, iam Camaldulenſibus dederat, inde mortuo Abbate ademerat, dederatq. aliis, tumq. illi Iacobus Caballus præerat, Camaldulenſibus reſtitui, annuit Hoſtaſius, & III. Idus Decembris, eodem hoc anno ſalutis MCCCC XXXIII. in ſuo cubiculo cum XXV. ætatis annum ageret, & adeſſent, Paulus Contarenus, ciuitatis pro Hoſtaſio Prætor, Iacobus Raiſius, Hoſtaſii Vicarius, Iacobus Balbus Ioannis filius, Franciſcus Indiuinus, Benedicti filius, Guaſpar Budi filius, iuris periti, & aliquot alii, tabulas confici certis quibuſdam additis condicionibus iuſſit. Poſtero anno ForoCorneliani,

ANN. M. CCCC XXXIII.

ANN. M. CCCC XXXIIII.

ipſum quoque Forum Cornelium dedunt Philippimariæ Vicecomitis, Mediolanenſis Ducis copiis, quæ Lugi erant: illisq. cum ſe opponeret Aſtorgius Manfredus Fauentinus, Guidi Antonii frater, & Ioannes item Muſtarda Forliuienſis, fortis uterque Dux a Nicolao Piccinino Mediolanenſis exercitus Duce, menſe Auguſto capiuntur. Erant ii tum in Venerorum, ac Florentinorum exercitu, in quo eminebant etiam Petrus Iampaulus Vrſinus, Cæſar Martinengus, & Nicolaus Tolentinas copiarum Dux, qui capti omnes fuere, & Mediolanum ad Ducem miſſi. Siquidem erat hoc tempore Eugenius Pontifex, Mediolanenſis Ducis, ad Italiæ Imperium aſpirantis inſtinctu, magnis vndique oppreſſus malis. Ita Larii premebat opida Nicolaus Fortebratius, ut ipſi etiam immineret Romæ. Omne Picenum occupabat Franciſcus Sfortia: Cannetuli Bononiam, pulſis nō Pontificiis adminiſtris modo, ſed etiam Venetis, quos ea Reſpubl. rebus Pontificiis tuendis, eam in vrbem miſerat, rapuerunt, ipſiq. ab eo, captis armis, defecerunt Romani, uix ut Tiberi nauicula delatus, diſſimulato monachi habitu, effugere Pontifex, & Liburnum atque inde Florentiam petere potuerit. Moritur hoc anno III. Non. Ianuar. Arimini Eliſabetha Malateſtia, quæ Opizonis Polentani uxor fuerat, & ſumma funeris celebritate, ad ſacras D. Sebaſtiani uirgines tumulo compoſita. Hoſtaſius Polentanus, pacis artibus addictus, inter ſacratos uiros, populumq. Rauennatem, de Eccleſiaſticis bonis, Paulo Contareno Prætore, in æde Vrſiana, ad ſancta ſanctorum, præſente, concordiam denuò faciendam curauit, nouam appellatam. Nequaquam autem ab re futurum putamus, ſi cur hæ ſæpius concordiæ factæ ſint, explicetur. Cum enim maxima pars agri Rauennatis, qui fere totus erat Paduſæ paludis aqua obrutus, dono data fuiſſet, ſuperioribus ſæculis, Archiepiſcopatui Rauennati, ita uti ſupra a nobis eſt demonſtratum, Archiepiſcopi uerò nonnullis ſacris ædibus aliqua donaſſent, quò uiuere, & alacrius Deo inſeruire poſſent, religioſi ii uiri, qui eas habitabant domos, factum eſt, ut, cum temporum ſucceſſu, humo ex Apennino a fluminibus deuecta, repleri paludes, & excoli, ſeriq. cœpiſſent, non modò Archiepiſcopi, ſed ipſi etiam ſacrati ceterorum templorum uiri, ciuibus ditioribus paludium, ac prædiorum, ſyluarumq. partem ad excolendum, & inſtaurandum tradiderint, ſic tamen, ut certam quotannis penſionem ſoluerent. Quoniam autem multa in eam rem impendia ciues fecerant, quæ eò etiam maiora putabantur, quòd ad nepotes tantum ea bona peruenire poterant, & ſingulis annis penſio erat ingens ſoluenda, idque ſi obliuione, aut alia ſimili de cauſa eſſet forte prætermiſſum, fundi ad ſacratos uiros, quorum antea fuerant, recidebant; Guillelmi hoc nomine ſecundi Archiepiſcopatu, concordia inter ſacratos uiros, & populares Rauennates facta, & penſiones ſunt minores redditæ, & conſtitutum, ut uendere poſſeſsiones quiſque poſſet, cuicumque uellet, niſi tamen emere illas, ſacrati uiri, domini uoluiſſent: emptorque earum rerum confirmationem ab illis intra annuum ſpatium peteret: decedens uero, eas, ſiue inteſtatus, ſiue teſtatus, poſteris ſuis recta deſcendentibus, relinquere in perpetuum poſſet, dum abnepotes tamen, tabulas ſemper a ueteribus dominis ſacratis viris renouandas curarent. Tranſuerſa progeniti linea ſuccederent ad quinctum gradum. Vxor item marito, & maritus uxori eoſdem fundos dono tradere,

aut

aut teſtamento relinquere poſſet. Quòd ſi ciuis quiſpiam Rauennas poſtulatus, penſionem nequaquam per triennium perſoluiſſet in duplum iret. Atque hæc cum multis aliis, in ueteri concordia anno M C X C I I I I. facta, ſancita ſunt. In hac noua hoc anno MCCCCXXXIIII. additum, uti eorumdem bonorum ciues Rauennates teſtamento hæredes facere quoſcumque poſſent, ſi per triennium penſionem non ſoluerent, dupli pœna ſubiretur: neque res in commiſſum caderet; utor uerbis ipſorum; ad decimum annum; poſt quem, ſi ſoluendis adhuc abſtinerent penſionibus, quartam partem numerare precii, rei æſtimandæ, tenerentur. Sed non eſt, quòd talia pluribus proſequamur, quando in legum noſtrarum municipalium uolumen relata ſint, & præclaris commentariis a Hieronymo primùm Rugino, mox a Lactantio Minghino, poſtremo a Vincentio Carrario, noſtræ ætatis iureconſultis doctiſſimis, ciuibus Rauennatibus, explicata. Cum autem nonnulla adhuc ſupereſſent capita, quæ ad hanc concordiam inter Thomam Perondolum Archiepiſcopum, & ciues Rauennates, magis conferendam faciebant, Senatus, Hoſtaſiii Polentani iuſſu, pridie Non. April. coactus, omnem curam conficiendi negotii, poteſtatemq. Iacobo Raiſio equiti, Ioanni è S. Laurentio in Campo iuriſconſulto, Iuliano Monaldino, Nerino Raſpono, Iacobo Guiritto, & Matthæo Saſſolo, ciuibus, Senatoribusque Rauennatibus tribuit. Anno MCCCCXXXV. Hoſtaſius Polentanus fœdus ratum habuit, iniitque, quod Veneti, cum Florentinis denuò confirmauerant, cum illi Franciſcus Foſcarus Dux per litteras ſignificaſſet, a Venetis illum, perinde, ac unum è ſuis, in eo fœdere confirmando, nominatum. Tunc omnis adhuc Italia, armorum Philippimariæ Vicecomitis, Mediolani Ducis, Nicolaiq. Fortebratii, qui Eugenium Pontificem, unà cum Romanis, bello perſequebatur, tumultu perturbata erat: nam aduerſus Franciſcum Sfortiam exercitus Pontificii, Venetorumque, ac Florentinorum Ducem Philippus, Nicolaum Picininum cum copiis in Flaminiam miſerat: qui iam traiecto Pado, per Bononienſem agrum, in Rauennati, non ſine magno Hoſtaſii terrore, conſtiterat, cũ Sfortia, ſuperato Apennino, coniunctoq. Cæſenæ cum Sigiſmundo Pandulfo, & Malateſta, fratribus, milite, antequàm Picinninus Sapim amnem tranſmitteret, uias omnes præcidit. Verùm haud ita diu poſt, Vicecomes, Fortebratii morte compulſus, cum Pontifice, & ceteris fœderatis pacem facit: Forum Cornelium, & Bononia a Pontifice recuperantur, Sfortia Antonium Ordelaſum Forliuianorum Principem anno poſtero, eò adduxit, ut a Forliuianis ipſis captus, menſe Iulio, urbe, ac dominatu pelleretur, ipſe cum Rentio Tudertino, Pontificio huius Prouinciæ Præſide, urbem ingrederetur. Menſe Auguſto Comes Ludouicus Lugienſis, a Pontificiis copiis Lugo pellitur, ipſumq. opidum Lugum, Nicolao Eſtenſi, Ferrariæ Marchioni tribuitur. Baſileenſe ſub id tempus Concilium, ipſum illuc Eugenium arceſſebat. Quamobrem Eugenius Concilium Ferrariam indixit, anno MCCCCXXXVII. illucq. ſe poſtero ineunte anno, cum aduentare iam Ioannes Palæologus, Byzantius Cæſar diceretur, contulit. Exceptus autem eſt Palæologus, Venetiis primum planè Regia pompa, Ferrariæ autem a Pontifice, incredibili beneuolentiæ ſignificatione. & V. Id. Aprilis initium Concilio datum. Verùm ſæuiente peſtilentia, quæ ex Antiſtitibus Græcis, qui multi illuc conuenerant,

unum

ANN. M. CCCC. XXXV.

ANN. M. CCCC. XXXVI.

ANN. M. CCCC. XXXVII.

ANN. M. CCCC. XXXVIII.

unum doctrina, ac dignitate inſignem, ſubſtulit, Florentiam translatum eſt. Cum verò interea Vicecomes occultis oppugnare Eugenium conſiliis minime desineret, Nicolaum Piciniñū denuò, eodem hoc anno MCCCCXXXVIII. in Flaminiam mittit, qui Foroliuio, Cornelio, & Bononia tentatis, Rauennam irrito conatu repente aggreſſus, tandem menſe Martio circu nſidere inſtituerat: miſſis tamen ante ad Hoſtaſium Principem, ac Rauennates Legatis, poſtularat, certam ſibi pecuniam numerari, niſi bellum mallent. Viſum autem eſt Hoſtaſio, Rauennatibusque ciuibus, ab omni penitus dignitate alienum, adeo turpiter minitanti Picinino tributum conferre, cum pleriq. etiam minime deeſſent, qui magna alacritate ante periculum, ut iactabundis accidit, mirificæ pro patria uirtutis operam pollicerentur. Quo circa tributum negantibus, Picininus haud amplius cunctandum ratus, ſe ad oppugnationem parat: excurſioneq. primum per agrum Rauennatem facta, mox Inſulam Palatiolam, in qua Rauennates ciues, & agricolæ, quod loci ſitu munitiſſima uideretur, & ſoli ubertate multarum herbarum ferax; greges, armenta, fruges, nobilioremq. huiuſmodi ruſticam ſupellectilem depoſuerant; occupandam prius iudicauit. Cum autem in eam non niſi tranſmiſſo amne aditus pateret; nam ipſo amne, qui Rauennatem portum facit, mari, Pado, ac foſſa quadam ex Paduſa in Padum deriuata, ipſaq. Paduſa cingebatur; Picininus pluribus uinariis doliis ſecundo flumine ad Portum deuectis, ſimulq. cōiunctis, & alligatis, aſſeribus ligneis iniectis, pontem ſupra flumen facit. Obſtiterunt primis hoſtium conatibus Franciſcus Lauredanus, & Mapheus Molinus, quem Sabellicus falſo Hludouicum appellat. Hic cum claſſe, ille cum ſemiplena peditum cohorte, quibus Antonellus Tolentinas Dux præerat, a Venetis miſsi. Habuitq. claſſis ſcalinos duodecim: id nauigiorum nomen eſt, quibus in fluuialibus prœliis utuntur. Subiit itaque Venetus fluminis oſtium, quo; uti memorauimus; ad urbem a mari adnauigatur: & eſt circa pontem aliquandiu pugnatum, isq. pugnæ exitus erat, ut iam cœptis hoſtes deſtitiſſent, ſeq. in propinquum Mariæ templum recepiſſent, locumq. munirent: ſed caſus, qui magnus accidit, eripuit e noſtrorum manibus uictoriam; ſi quidem impigre, & ſummo ardore dimicanti, præclareq. audenti Molino, in quo ſpes omnes Rauennatum locabantur, iamq. inde erat omnis uictoria ſperanda, dum tormentum diſploderetur, ſulphureo puluere incenſo, facies, proripiente ſe ad illam flamma, exuſta eſt. Eo autem in urbem ob id reuecto, continuo ceteri, deſpondentes animum, in fugam aguntur: ipſeq. Antonellus Dux, qui e fluminis ripa acriter in hoſtes pugnabat, amnem ſubitario illo ponte iam cōiunctum, eosq. ſummo niſu irruentes intuens, ne imprudenti auſu, interitum ſibi, ſuisq. omnibus pararet, in fugam ſe dans, ad urbem incolumis cum ceteris rediit. Traduxit hoſtis, uoti compos, in florentiſſimam inſulam copias, omniaq. diripit, & excurſiones ad urbis portā, cui Anaſtaſiæ nomen erat, nunc Iuliam, atque etiam Clauſam appellamus, facit. Interea Aſtor Manfredus, Fauentiæ Regulus, qui iam in Picinini partes conceſſerat, & apud eum militabat, cum ducentis equitibus, opidum Tiberiacum, & pleraque alia urbis Rauennæ opida, opidanis ſeſe ſponte dedentibus, occupat. Hoſtaſius igitur in tanta rerum perturbatione conſilii inops, Legatos ad Picininum cum mandatis mittit, qui multis ultro, citroq. habitis, ad extremum fœdus iis condicioni-

dicioni-

dicionibus fecerunt: Eſſet Hoſtaſius urbis Princeps: in fidem, & clientelam Philippi Mediolanenſis Ducis ſeſe daret: Veneti eiicerentur, hoſteſq. decernerentur, & reſtituerentur opida, quæ Manfredus occupauiſſet: numerarentur Picinino tria nummum aureorum millia, quæ ante poſtulauerat. Quibus firmatis condicionibus, Hoſtaſius monita patris; qui moriens iuſſerat, ut a Venetis numquam deficeret; nequaquam ſeruans, pecuniam partim ab agricolis & ciuibus deinde extortam, partim ex proprio ærario detractam, numerat: uerum opida; quòd Aſtor id renuerit; non ſunt reſtituta. Diſcedente paulo poſt Picinino, ſelectiſq. aliquot militibus ex ſuis Rauennæ præſidio relictis, Hoſtaſius omnes ſtatim D. Marci imagines inducendas curauit, & anguem; quod eſt gentilitium Viceecomitum inſigne; earum loco ubique pingendum: Qua quidem in re admirabile quiddam portenti ſimile contigiſſe Spretus memoriæ prodit. Cum enim Hilarius Parmenſis Carpentarius, qui habitabat Rauennæ, nemine iubente, at plebeio quodam odio commotus, undique D. Marci imagines accuratiſſime deleret, repente ipſe, familiaque ipſius omnis interiit. Rauennates tamen hoc interim ſpatio, Venetum potius imperium cupere. Eaque de re Franciſcus Monaldinus, a Franciſco Foſcaro Venetorum Duce, nomine Reipubl. Rauennatis IIII. Idus Nouẽbris, ab aliquot grauioribus tributis immunitatem & tritici, quò uellent, ſub uectionem, in decennium, à die, quo vrbe potirentur, impetrauit. Per idem tempus Florentiæ Eugenius Pontifex, poſt multas doctorum uirorum diſputationes, Græcos ad recte cum Latinis ſentiendum adduxerat, conuenerantque omnes de Spiritu ſancto, de Purgatorio loco, & igne, deq. Romani Pontificis in Catholica Chriſti Eccleſia principatu: quam tamen concordiam, & conſenſionem, Palæologus Cæſar, ceteriq. Græci, domum paulo poſt reuerſi, negatis iis, Epiſcopi Epheſini ſuaſu, decretis fregerunt, reſciderunťq. Emicuere inter ceteros doctiſſimos uiros in eo Concilio, Ambroſius monachus, de quo ſupra diximus, & Beſſarion. Ambroſius in Portico opido, quod eſt ſupra Forumliuii in Apennini iugis, ortus, ex uetere, & nobiliſſima Trauerſariorum Rauennati familia originem duxerat: ſcripſimus enim Trauerſarios a Polentanis Rauenna pulſos, tum Venetias migraſſe; quòd ibi ex eadem familia Rauennati aliqui extarent ducentis iam ferme annis Patritii facti, & in Senatum cooptati, qui Legii appellarentur; Tum ad Apenninum, ubi ab ea arte, quam, inopia ducti, exercuerant, cognomento Fabri dicebantur. Ex iis itaque Ambroſius ortus, cum aliquandiu in Camaldulenſi ſolitudine non minus ob diuinarum rerum contemplationem, ſumma ſanctitate exornatus, quàm ab continenti ſtudio, Græce Latineq. doctiſſimus, uixiſſet, Camaldulenſis ordinis magiſter factus, multis ab ſe libris editis, ita doctrinam cum uitæ innocentia coniunxerat, ut omnibus eſſet admirationi. Decedens haud multo poſt, ingentem, & pulcherrimam Bibliothecam D. Mariæ Angelorum templo reliquit. Beſſarion Nicenus Antiſtes, pari ſanctitatis, & doctrinæ fama conſpicuus, in Cardinalium collegium ibidem ab Eugenio cooptatur: nec diu poſt Rauennatia D. Mariæ in Coſmedim, & D. Ioannis Euangeliſtæ cœnobia, & fructus adminiſtranda accepit: quod quidem ab eo perſancte factum eſt: in omni enim eius uita nihil non liberali homine, & Chriſtiano, uereq. nobili dignum eluxit. Dum autem hæc Florentiæ geruntur, Rauennæ

renun-

renunciatur Hoſtaſio, noua pleroſque ciuium moliri: eos Polentani imperii iam pertæſum: alioſq. ciuitatis dominos quærere. Quibus Hoſtaſius auditis, ſecum prius conſtituta re, & prudenti, ut erat, animo uerſata, ciues ad Concilium nonnullos uocat, explicat paucis quæ accepiſſet, petitq. obnixe ſuum ipſi animum, ſi is eſſet, patefacerent: neque enim umquam futurum, ut ipſe inuitis illis præeſſet; eſſe ex illis ſe unum, ciuemq. ut ipſi, Rauennatem, nec quicquam magis optare, quàm municipes ſuos hilare, feliciterq. uiuere. Id ſi per eius dominatum aſſequi minus poſſent, ut aſſequerentur effecturum. His ciues permoti, eum ſibi Principem cupere conclamant, a Deoq. flagitare, ut illum ſibi diu incolumem conſeruaret. Interea tamen inteſtina odia, ciuileſque ſimultates adeo in nonnullorum, plebeiorum præſertim, animos irrepſere, ut ſumma paſſim iniuria, & maximis contumeliis nobiliſſimi ciues afficerentur, & ipſa Rauennatum exigua Reſpubl. diſtracta, & pene collapſa, ad nihilum rueret, præclariſſimiq. uiri, ſummo bonorum dolore, undiq. interficerentur: necnon die, noctuq. rapinæ, latrocinia, facinoraq. huiuſmodi ſcelesta, ac nefaria pro libidine perpetrarentur. In quo tumultu uiri boni quid agerent prorſus aut ignorare, aut quidem certe quod uſui eſſet, non poſſe. Agricolæ etiam uehementer commoti, quod ab eis Hoſtaſius tam grandem pecuniæ ſummam, ſuperioribus menſibus Picinino numeratam, per eos dies acerbe exigeret, captis armis, uiq. facta, in forum magno impetu, plurimum minaces irruperunt: ſed a Rauennatibus foro confeſtim pulſi, maxima eorum pars, tum laqueo, tum perpetuo carcere infelicis temeritatis pœnas dederũt. Menſe Septembri Hoſtaſium Argentæ propter peſtilentiam Rauennatem, fuiſſe reperio. Sub id tempus Picininus, poſt Forumliuii, & Cornelii, ipſamq. ad extremum Bononiam in deditionem receptam, in Galliam Ciſalpinam profectus, afflicto Melita, Veneti exercitus Imperatore, maximam illis cladem intulit, urbeſq. complures, ferente ſibi opem Gonziaco Mantuano Principe, cepit. Quamobrem Veneti in Philippum Vicecomitem, cum Franciſco Sfortia fœdus faciunt, facile ab eis, Eugenio Pontifice, Florentiniſq. fœderatis ad id Sfortiam hortantibus, impetratum: accedente etiam ea ira, qua Sfortia a Vicecomite; qui neque Blancam filiam, illi deſponſam iam, & deſtinatam, neque etiam dotem umquam dederat; turpiter ſe deluſum moleſte admodum ferebat. Itaque cum audiret res Venetas male a Picinino tractari ſuperata claſſe, quam ad Benacum per montes ſummis ingeniis adduxerant, Veronaq. obſideretur, & Vicentiæ eſſet tumultus factus, profectus ex Piceno, præter Fanum fortunæ, & Ariminum copias ducens, tametſi ſatis maturaret, exiſtimans tamen ex negocio plurimum eſſe, ſi ad Venetos aditurus, Forumpompilii, & Rauennam ſubigeret, quòd iis acquiſitis, facilis eſſet aditus ſibi in Galliam Ciſalpinam futurus, Foropompilianos ſubegit, & iam Rauennæ imminebat, Hoſtaſiuſq. & Rauennates plurimum timere cœperant. Verum Cum Picinini res audirentur in dies florere, Venetis male affectis, Rauennati Prouincia omiſſa, Franciſcum Picinini filium in Forumliuii compulit, inde per Bononienſe & Ferrariam, Hadriam tenuit, mox Brundulum exercitum traiecit, tandemq. Veronam recipit, Brixiam obſidione liberat, & Picininum fugat anno a partu Virginis MCCCCXXXIX. Alberto Auſtriæ Duce, Cæſare iam, poſt Sigiſmundum, creato. Quo eodem ferme tempo-

ANN. MCCCCXXXIX.

re, Rauennæ Opizo Monaldinus, Franciſcus frater, Matthæus Balbus, Iacobus Tombeſius, uiri optimates, & nonnulli præterea ciues, qui alienatum a Venetis Hoſtaſii animum ægre ferebant, impendenti ciuitatis ruinæ fortè occurrere ſtatuentes, ad Senatum Venetum clam mittunt, qui deditionem vrbis faciant: ciues id primarios cupere, obnixeq. petere: curent ipſi modum pro uetere prudentia. Accipit Senatus propoſitam condicionem, quingentosq. pedites nauibus uectos mittunt in portum Pirotolum, quod a Paduſa in mare influente factum, Rauenna abeſt ſex millibus paſſuum, cum per id tempus Hoſtaſius ruri forte cum multis ciuibus ob peſtilentiam, quæ urgebat ualde ciuitatem, ageret. Sic autem erat a ciuibus conſtitutum, ut milites inde noctu mouerent, ad vrbemq. accedentes, ſumma taciturnitate ad Diuæ Mariæ cognomento Rotundæ ſe conferrent: aliqui tamen, iidemq. perpauci ſub Anaſtaſia porta, quæ aperiri ſub Auroram conſueuerat, eſtque mari, ac templo, ubi erant caſtra locaturi, propior, in inſidiis ponerentur. Decernitur adhæc in urbe ad eandem portam ciues nonnulli adſint, ut porta utrinque occuperur: qua capta, ingreſſi milites, Venetæ Reipubl. nomine accepiſſe urbem, clamore ſublato, & tubarum cantu ſignificarent. Iam ſatis autem patet, ut negocium ex ſententia ſuccederet, facile futurum, niſi in milites e portu Pirotolo ad urbem noctu, ut erat conſtitutum, accedentes, agricolæ incurriſſent, qui in Pinetum cum plauſtris lignatum proficiſcebantur. Illos cum necquicquam ſano conſilio milites tranſire permiſiſſent, unus diuerſo itinere ad urbem recurrens, adeſſe hoſtes nunciat. Repente rerum ignari arma capiunt, rem ad Hoſtaſium deferunt: occupantur muri, & portæ, præſidioque firmantur. Venetus miles rei bene gerendæ occaſione amiſſa, ne omnino fruſtra ueniſſe uiderentur, rem ipſam experiri deliberat. Itaque ubi illuxit, adire muros, Rauennates, qui in muro erant, uocare ad colloquium, aſſerereq. nihil ab ſe aliud quam ſalutem Rauennatum, & liberationem ciuitatis, libertatemq. expeti. Reipubl. Venetæ nomine ad illos adire, cuius iam experti opem fuiſſent: neque futurum, uti ab ea quicquam illorum poſtulatis denegetur. Hic cum tacerent, nihil eſt reſponſum: ſed cum renunciatum eſſet ad portas adeſſe Venetos, ciues, qui rem animo gerebant, partim ad muros, partim in forum accurrere: Vbi Opizo Monaldinus, magna ciuium corona ſeptus, conſuluit, hortatusque eſt uehementer, ut omnibus ad trutinam reuocatis, Venetos in vrbem reciperent, & adeo iuſto ſeſe Imperio dederent. Hæc autem eo liberius Monaldinus dicebat, quod qui aderant omnes, non ignoraret, id non modo nequaquam ægre laturos, ſed libentiſſimo animo condicionem accepturos: negociumq. omnino ex uoto accidiſſe poterat, niſi fuiſſet ex illis unus diſtricto enſe, Opizoni minatus: aut ſi ex coniuratis quiſquam aperte Monaldini ſententiam confirmauiſſet. Intelligens ob id Opizo fore, ut hæc omnia facile in eius perniciem uerterentur, urbe egreſſus, certo ſe periculo ſubducendum curauit. Idem Franciſcus frater cum Venetis militibus, quibuſcum ipſe Venetiis venerat, multo feliciore ſucceſſu facit, quàm Opizo, qui tenui iuuenum manu ſtipatus, ſe Cæſenam recipiens, aduentantibus tenebris, ad Roncum diuertens; id olim oppidum, nunc ſolo æquatum uicus in Foroliuiano eſt; ab agricolis, cum plane iam facinus ubiq. eſſet inuulgatum, capitur, prodere eum vrbem Rauennam

uoluiſſe

uoluiſſe ſuſpicantibus: diligenterq. uinctus Forumliuii ad magiſtratus adducitur: ubi coniuratos, remq. omnem patefecit, minis, & tormentis compulſus. Quæ cum omnia Hoſtaſius reſciuiſſet, confeſtim iubet reliquos coniuratos capi, primusq. Matthæus Balbus in carcerem teterrimum contruditur: quod cum Iacobus Tombeſius accepiſſet, diu profugus per domos hac, atq. illac ſe proripiens, ad extremum in uaporario plebeii cuiuſdam, cognomento Homitioli, deprehenſus, capitur, & cum Balbo acerrimis tormentis in quæſtionem datur. Cum uero conſtantis animi laudem in omnibus retuliſſent, tandem eorum alter, licet hauſto de manu carnificis ueneno ſuperfuerit, tamen eſt in exilium pulſus: alter impie necatus e uita diſceſſit. Opizo, qui Foroliuii in cuſtodia habebatur, ingenti pecunia numerata liberatus, Venetias ſe contulit, nihilo meliore euentu: ibi enim ab Ioanne Piſagnolo contubernali, qui etiam patria exulabat, ſiue cæca animi malignitate, ſiue Hoſtaſii hortatu, & polli citationibus impulſo, repente oppreſſus, incautus interficitur: Piſagnolo haud ita multo poſt facinoris perpetrati dignas pœnas pendente. Per idem tempus Iacobus Raiſius iuriſconſultus, & eques, ciuisq. plane præſtans, cum apud Hoſtaſium impias aliquorum cohibere uoluntates ſtuderet, eorumq. ſeſe conſiliis opponeret, trucidatur: cum enim ſub veſperam à cauædio Hoſtaſii domum rediret, Guelfo Tizzono ab opido ſancta Agatha, medico, & Petrino Melio uiris optimis comitatus, nonnulli in foro hominẽ, perinde ac grauiſſimis de rebus, remotis arbitris, allocuturi, a Guelfo, & Petrino abducunt, diſtrictiſq. gladiis confoſſum, multis illatis uulneribus, interficiunt. Sunt tamen, qui eius necis cauſam affirment, quòd de Gineuræ, Hoſtaſii uxoris, pudicitia haud ſane honorifice loqueretur, quam ob rem is, qui ſtuprum inferre ab Raiſio dicebatur, ciuis honeſtus, eum in foro deprehenſum obtruncauit, ad Hoſtaſiumq. profectus, re omni explicata, dum ſe Polẽtani honoris maxime cupidum præſefert, ueniam impetrauit, non abſque laude. Maruelem agricolam, uirum hac in parte innocentiſſimum, hæc rabies pari furore laqueo ſtrangulauit: nam delatus, quòd ſentiret cum Venetis, & Franciſcum Monaldinum de porta urbis fuiſſet allocutus, quæſtione habita, omnia faſſus eſt, coactus ui tormentorum, cum tamen nihil omnino uerum eſſe, qui tunc patriæ fuerant hoſtes iudicati, ipſeq. præſertim Franciſcus Monaldinus deinceps teſtarentur. Quid Martellinum, ciuem optimum, referam, poſt innumeras calamitates, exquiſitaq. tormenta in exilium actum? ubi haud ita multo poſt uitam cum morte commutauit. Hoc autem fecit ſuſpicio plane inanis, quæ in Hoſtaſii animum irrepſerat, adduxeratq. eum ad ſuſpicandum, cum Venetis illum ſentire, quòd Veneta claſſis per eos dies ad portum Sapis appuliſſet. Sed nihil eum in patriam machinatum, poſtea compertum eſt. Haud diſſimiliter Baptiſta Picininus, Ioannis filius, uir ditiſſimus, abalienatæ ad Venetos uoluntatis in ſuſpicionẽ uenit, quòd multos iam dies Ioannes filius ad eos aperte defeciſſet, Venetiiſq. ob id exilio mulctatus uitam degeret. Hunc igitur captum ad Franciſcum Picininum, Nicolai, uti me morauimus filium, qui ad opidum ſancti Petri, agri Bononienſis, exercitus paterni legatus commorabatur, mittunt. Sed cum præter omnium ſententiam benigne exceptum, patriæ & ſuis Franciſcus reſtituendum curauit. Itaque dum adeo Hoſtaſius efferate ſæuit, non potuere eam animi acerbitatem furo-

furoremq. ciues nonnulli, Venetorum partibus fauentes, diutius ferre, decernuntq. tum metu, tum etiam ſpe ducti, ciuitatem a Mediolanenſi Duce, & Picinino penitus ſubducendam, & frenum Hoſtaſio iniiciendum. Hanc rem cum Nanne Carlono, uiro plebeii quidem ordinis, & natione Veneto, ſed acri ingenio, & ſtrenuiſſimo; qui tunc Rauennam mercator frequentabat, & ob id, ut plerique opinantur, ab Senatu miſſus fuerat; communicauere. Is autem cum eſſet fidei integritate Venetis notiſſimus, ciuibus autem Rauennatibus ſumma beneuolentia coniunctus, aſſidue ad id exequendum eos hortari, & impellere. Omnibus igitur tandem conſtitutis, cum Donatus ex Donatorum familia, Triremium Venetarum Trierarchus in Rauennatem portum, uti decretum fuerat, cum Nanne ueniſſet, per Anaſtaſiam portam vrbem ingreditur: ubi confeſtim explicantur D. Marci vexilla, Reipublicæq. Venetæ nomen lætis militum, & populi acclamationibus, tubarum ſonitu, denique omni hilaritatis genere effertur. Hoſtaſius rem ſentiens, minusq. aut uires, aut tempus adeſſe, quibus Venetos repellat, intuens, ſapienti conſilio, ſeruire tempori decreuit. Donatum itaque amplectitur, teſtatur Venetis ſemper ſe addictum, uique in Vicecomitis, ac Picinini partes compulſum fuiſſe. Quæ omnia in bonam partem Donatus accipit, Hoſtaſium erecto animo eſſe hortatur, futurum enim ut in Imperio ueteri, ſumma Senatus benignitate, conſeruaretur, neq. aliud Venetos umquam uoluiſſe, quàm veterem ciuitatis finitimæ, atque eius Principis beneuolentiam recuperare, & amicorum ciuium ſaluti conſulere. Nec diu poſt ab Senatu miſſi, qui ciuitati præeſſent, & quorum conſilio omnia ab Hoſtaſio agerentur: atque hac ratione a maxima perturbatione, ad inſignem quietem coniurati ciues breui traducti videbantur. Ceterum ingentem hanc totius ciuitatis tranquillitatem, ſuſpicio perturbauit, qua uidebatur Hoſtaſius, cum nonnullis ciuibus, Venetum Imperium detrectare, priſtinamq. cupere auctoritatem, quam ſub Mediolanenſium Duce, ac Picinino magis integram ſeruaſſe nouerat. Hæc ſuſpicio utrum ne ueris nixa fundamentis, an fato potius, quo ad perniciem ſuã Hoſtaſius ducebatur, in ciuium animos, qui pro Venetis coniurauerant, illapſa fuiſſet, nequaquam conſtat: fecit tamen, ut res ad Senatum Venetum deferretur. Qui nihil cunctandum ratus, Iacobum Antonium Marcellum, Legatum, venire ad vrbem iubet. Fuerat hic in Flaminiam paulo ante, cum turmis quinque equitum miſſus, ſub Ludouici Cardinalis, Aquileienſis Antiſtitis, copiarum Pontificiarum Imperatoris, acceſſum, ut belli partes iuuaret. Nam Veneti; uti ſupra docuimus; cum Eugenio Põtifice fœdus fecerant, & cũ Sfortia aduerſus Picininum, & Vicecomitem feliciter pugnabant: iamq. Picininus, ut Sfortiam alio uerteret, in Etruriam irruperat: ſed maxima clade ab Ludouico Aquileienſi Antiſtite ad Anglariam; quæ a Burgo ſancti Sepulchri haud procul abeſt; affectus, circa Eugubium; collecto ex iis, qui erant fuga ſeruati, modico exercitu; conſedit, tentauitq. ut a Peruſinis reciperetur. Verum quia datum id non eſt, in Flaminiam tranſiit: ubi firmatis prouinciæ ciuitatibus, Mediolanũ conceſſit, Franciſco filio, cum iis, quæ aderant, copiis, in præſidio prouinciæ locato. Ludouicus Antiſtes ſibi non defuit inchoata victoria, quin Apenninum transgreſſus, exercitum in Flaminiam duxit, Sigiſmundum Malateſtam, & fratrem, qui ad Philippum Vicecomitem deſci-

 uerant,

uerant,ad Pontificis ſtipendia reuocat,huius prouinciæ pleraque opida ad de
ditionem cõpellit,quæ Picinini præſidio tenebantur.Hoc itaq.tempore Mar-
cellus,qui apud Hludouicum Venetæ Reipubl. orator erat, a Senatu Rauen-
nam uenire iuſſus eſt, ut ſumma Imperii auctoritate, perinde, ac vrbis Dicta-
tor,tes omnes adminiſtraret,Hoſtaſium in officio retineret,cum ciuibus conci
liaret, omnia tandem in pacatum reduceret. Verum in Venetos erat ciuium fe
re omnium Rauennatum,ſuburbanorumq.præſertim hominum ea propenſio,
isq. ab Hoſtaſio metus animos fregerat,debilitaueratq. ut ſæpius palam Mar-
cellum obnixe rogauerint,Hoſtaſii Imperium omnino euerteret,ſolis obſequi
ſe Venetis uelle: conuentuq. ab eis,ut hæc decernerentur,in æde Spiritus ſan
cti habito, Marcellus haud ſecus,quàm ſi ad tuendum in Imperio, conſeruan-
dumq. Hoſtaſium acceſſiſſet, innocentiæ, fideiq. ſuæ,& Veneti Senatus famæ
conſulens,modo blando ſermone,modo terroribus,ac minis,id,ne fierer,pro-
hibuit. Quam inſignem hominis probitatem Rauennates ſummopere admira
ti,vniuerſi eum una uoce Patrem Patriæ conclamant. At ille edicto d.ligenter
cauit,ne in poſterum amplius talia quis moliretur,aut verba de iis a quoquam
haberentur. Nec diu poſt cum accepiſſet vrbem Picininus ab ſe alienatam,eã,
nocte quadam prima vigilia aggreſſus eſt:ſed hac de re per tormẽti diſploſionẽ
Marcellus monitus ab iis,qui ad portam Hadrianam in uigilia manebant,me-
tuens ne qua coniuratio in vrbe eſſet, accurrens in forum, diſpoſitisq. confe-
ſtim per urbem ſuorum militum præſidiis, ciuium auxilio hoſtium impetum
perfregit, irritumq. reddidit. Qua occaſione moti ciues,qui in forum ad Mar-
cellum conuenerant,ſibiq. plurimum timebant,ut hac ſuſpicione aſſidua libe-
rarentur,iterum Senatui Veneto Vrbem tradere,Marcellumq.cõclamare Prin
cipem conſtituerant,ſed illius edicta,fidemq.& integritatem memoria repetẽ
tes,deſiderium cohibuere. Omnibus autem paucis poſt diebus compoſitis,ad
uerſæ factionis proceres,qui fauere Hoſtaſio uidebantur,Marcellum; uti Spre
tus eſt auctor; conueniunt,mirariq. ſe aiunt, quid ſit, cur cum nihil, aut certe
parum pleriq. ciues poſſent,auſi tamen fuerint Senatui Veneto vrbis deditio-
nem facere:id in ſe tantum eſſe,qui apud Hoſtaſiũ Principem,auctoritate,gra
tia,& conſilio ualerent,& ex ſententia Remp.adminiſtrarent.Quapropter nos,
inquiunt,vel ſi interficiendus Princeps eſſet,Veneto Senatui ciuitatem polli-
cemur.Hæc utrumne vere, & ex animo,an ficte & fallaciter,ut rem ipſam,Mar
cellique ſenſum perciperent, ab eis dicta ſint, incertum. Illud conſtat,
Marcellum rei indignitate commotum, plane obſtupuiſſe, & ut prioris tu-
multus cauſa maxima modeſtia afficiebatur, ita hac recenti mutatione pluri-
mum perturbatus, ciues maligne locutos, mortemque Principis ſui pollici-
tos ſupra quàm dici poteſt, deteſtatus eſt, ad eosq. conuerſus, Quod antea,
inquit priuatim & publice affirmaui, uobis etiam referre nequaquam graua-
bor, me huc ab Senatu eo nomine haud miſſum, quo iſta fierent, ſed ad con-
tinendum in officio Hoſtaſium, incolumemq. ſeruandum. Quemadmodum
uero eos hortatus ſum,qui aduerſæ factionis putantur,ita uos monitos uelim,
iſtum animum deponatis,amiceq.uiuatis,ut mutua hac beneuolẽtia Princeps
ueſter in officio,quod uehemẽter optat Senatus meus,permaneat. Deſinũt,iis
acceptis,ciues defectionem præterea tentare, quieſcereq. aliquantisper uiſi.
Paucis autem poſt diebus Marcellus Rauẽna proficiſcens Hoſtaſio,vniuerſaq.

fere

ſere ciuitate extra urbem comitatus, magno quidẽ omnes dolore, ſed Hoſtaſiũ
maxime affecit, qui ſumma beneuolentia eum perinde, ac parentẽ, tutoremq.
fuerat cõplexus. Itaq. non ſine lacrymis, ingentiq. mœrore abeuntẽ intuebatur
Prætoris deſignati aduentu ægritudinem augente, quem acerbum, ſeuerumq.
& omnino inquo in Hoſtaſium animo ferebant. Quapropter Marcellus ad Ho
ſtaſium uerſus, Mitte, inquit, has lacrymas, bonoq. ſis animo, propediem enim
ad uos, ut apud te hilare ſim aliquot dies, reuertar. Atqui, inquit Hoſtaſius, e-
go te, Senatũq. antequàm dies quindecim elabantur, cõueniam. Vbi autẽ, his
dictis, aliquantũ extra vrbem progreſſum eſt, conſtitit Marcellus, & apprehen
ſa Hoſtaſii manu, decẽq. ciuibus adhibitis ex eorum numero, quos magis addi
tos, & fideles Hoſtaſio nouerat, remotis aliis, hortatus eſt illũ, uti Rauẽna, neq.
ſui, neque Venetiarum viſendarũ cauſa diſcederet: non enim fore, ut ſemper
Marcello tradita ciuitas eſſet, ſeq. teſtes eos ciues adhibere, ſi diſcederet, aut ſi
cum popularibus ſuis in gratiam non rediret, futurũ, ut ciuitate excluderetur:
nam Vicinos Manfredos affines ſuos occultis id modis tentaſſe, ciuibusq. & a-
gricolis inuiſum, & prægraue illius Imperii iugum eſſe: quamobrem, niſi diligẽ
ter caueret, male res ſuas ſucceſſuras: curaret beneuolẽtia potius, quàm metu;
qui malus dicitur cuſtos diuturnitatis; ciuibus dominari: amari, quàm metui:
reduceret ab exilio omnes: ſuis omnia reſtitueret: tandem uniuerſum uiuen-
di inſtitutum mutaret. Paterna hæc Marcelli monita ſi iuuenis Principis, fami
liariũq. ciuium animis altius inſediſſent, poterant, ſeruata, incolumem ciuitati
Principẽ conſeruare: ſed eius inſcitia, ne libidine dicam, nihil minus Hoſtaſius
fecit: cumq. haud ita multo poſt Gineura coniux, cum Rauennatibus nõnullis
matronis, aut ualetudinis cauſa, aut quod illi hoc pleriq. ſuaſerint, Venetias ſe
contuliſſet, Hoſtaſius, ſeu quòd diutius non poſſet vxoris abſentiam ferre, ſeu;
quòd uerius pleriq. putant; quia matronam, vxoris comitem, deperiret, eo uen
titabat. Nam præter alienatos ab ſe; uti memorauimus; multorum optimatiũ
animos, iuuenili quodam feruore, equorum, armorumq. ſtudiis, quæ per ociũ
ſolent exerceri, & matronarum amoribus deditus, ciuiles curas factioſis mini-
ſtris demandabat. Erat autem illius uxor Gineura, Aſtoris Manfredi, Fauen-
tiæ Principis, uti ſupra docuimus, filia, quæ, ut ſorores habuit Ordelaphorum
Foroliuianorum Principũ matrimonio felices, ita ipſa non minus quàm pater;
qui Bononiæ anno MCCCCV. iuſſu Legati Pontificii, fuerat obtruncatus; in
felix fuit. Nam Hoſtaſio Venetiis cum ea cõmorante, ciues, Rauennates prima
rii, nacti vrbis dedendæ occaſionem, conuentu habito, req. conſtituta, dum po
pulus feſtum diem Matthiæ Apoſtolo dicatum celebraret, anno a partu Virgi- ANN. M.
nis quadrageſimo primo ſupra milleſimum quadringenteſimũ, arma capiunt. CCCC
Ad nobiliorum tumultum accurrit populus; lætisq. uocibus Diuum Marcum, XLI.
& Senatum Venetum undique conclamat: confeſtimque ad Senatum Vene-
tias miſſi, qui rem ſignificarent. Decreuit igitur Senatus vrbem ſuſcipere:
neque amplius tam propenſam amantiſſimorum ciuium uoluntatem refellen-
dam, aut paruifaciendam putauit: cum præſertim non abſque ſalutis multo-
rum ingenti periculo, res ad Hoſtaſium redire poſſe uideretur. Itaque per litte
ras Rauennates certiores facit, ciuitatem ſe recepiſſe. Quibus acceptis litte-
ris, cogitatione conſequi longe facilius eſt quantum lætitiæ, & hilaritatis ani-
mos omnium compleuerit, quàm ſcriptis explicare. Legati ſtatim a Rauen-

natibus, Venetias ad Franciſcum FoſcarumDucem, & Rempubl. miſſi Blaſius, ſacræ ædis Spiritus ſancti Rauennatis, Abbas Iacobus Balbus iuriſconſultus, Iulianus Monaldinus, Franciſcus è ſale, qui ciuitatis deditionẽ præſentes facerent: eos cum amanter Franciſcus Dux eſſet complexus, quæ in mandatis habebant, omnia prolixe, & liberaliter XIII. kal. Aprilis, conceſſit. Illud autem fuit caput, ut Hoſtaſius, eiusq. uxor, & filius in inſulam Cretam: ne qua poſſet ſuſpicio oriri, amandarentur: cum pro ea, qua præditi erant maleuolẽtia, Hoſtaſius, coniux, conſortesq. ſuſpectos quotidie Venetis reddere Rauennates quærerent; Adhæc ſe curaturos, ut maneret Rauennæ Archiepiſcopus, aut ad reſtituendam Vrſianam ædem, eiusq. domos certam pecuniæ ſummam conferret. Recuperando opido Ruſſio, quod Rauennatis imperii fuerat, & Bagnacauallo, quod quaſi pignus Eſtẽſis Marchio retinebat daturos pro viribus operam, Immunes a grauioribus tributis eos eſſe iubere: & Salinas prope Rauennam, quibus corrumpi cæli ſalubritas conſueſſet, deſtrui. Frumentum quò uellent, ad loca Venetæ ditioni ſubiuncta, deuehere Rauennates poſſe. Fundos, & cetera Hoſtaſii & uxoris bona, ut memoria eorum omnis tolleretur, uẽdi. IudæosRauennam mitti, qui danda fœnori pecunia, aliqua ratione egentiũ ſubleuarent inopiam. His, atq. aliis impetratis, Foſcarus Dux per litteras pridie kal. Decembr. datas, Nicolao Memo, RauennæLegato, Prouiſorem appellant, mandauit, ut illo inſpectante, a Senatu Rauennati, per teſſeram, tres crearentur, totidemq. ipſe deſignaret, qui in tres menſes ciuitatis magiſtratum gererent, & ſapientes ad utilia uocarentur: quod & fecit Memus, & Leges aliquot ciuitatis, quæ cõformatione indigere putauit, aſcitis ſecum ad id munus Baptiſta Stalpo Patauino iuriſconſulto, eius Vicario, Iacobo Balbo, Iuliano Monaldino, Homizolo Artuſino, Iacobo Gueritto, Ferundo Ferumdio Rauẽnatibus, reſtituit, quas deinde probauit Franciſcus Dux. Nec diu poſt, Hoſtaſius, Gineura uxor, Hieronymusq. filius, quattuor annos natus, in Cretam inſulam, publico decreto, ablegati ſunt. Quòd eo etiam libentius a Venetis factum eſt, quia cum adhuc ipſi cum Philippo Vicecomite bellum gererent, Hoſtaſius, qui erat Tauriſiũ, ad hoſtes profugerat. Ne autem omnino abſq. Imperio eſſet, illi publica ſtipe nummi aurei octingenti, ab Senatu Veneto, quotannis, in præſidio inſulæ collocato, conſtituti ſunt. Verum breui poſt tempore Hoſtaſium, vxorem, ac filium mors ex hominum vita abſtulit: ſepulti ſunt in urbe Creta, in D. Franciſci; ubi Rauennæ etiam Polentani ad ſepulturam dari conſueuerant; in monumento ex marmore: atq. hunc miſerabilem exitum Polentana domus habuit. Eius gentilitium inſigne fuit Aquila, partim alba, in area cærulea; partim rubra, in aurea. Is autem caſus multo ante uaticinatione præuiſus a Polentanis fertur: ipſumq. Opizonem, Hoſtaſii patrem, ſæpius, dum viueret, id cõqueſtũ ferunt: & apud omnes Rauennates uulgatum erat, fore, ut aliquando Polentani, circiter kal. Mart. & dedicationẽ templi D. Ioannis Euangeliſtæ; quæ quotannis ſolẽni cærimonia ad hanc diem celebratur; vrbis Rauennæ imperio, per Anaſtaſiam portam deiicerentur: idq. adeo ab eis verum credebatur, vt ſumma ſemper diligentia eum dedicationis diem obſeruauerint, præſidiaq. ad eam portam locauerint, vt per eos dies, nemo, præſertim aduena, ingredi ea porta egredive poſſet. Quod etiã inſtitutũ Veneti ſequẽtes, adepta vrbe, obſtrui uoluere portam illam, unde Clauſæ cognomentum habuit, ad ea tẽpora

pora, cum Iulius ſecundus Pont. Max. apetiri eam, præſens, iuſſit, eiusque commodo Rauennates uti, & Iuliam de ſuo nomine appellari. Quamquam autem Polentani hanc maxime portam firmis præſidiis firmabant, diligenter tamen omnes, quæ circa urbem erant, cuſtodiri curabant. Erant autem hæ PortaDiuæ Mariæ in Puſterla, ab ueteri, nobiliq. familia Rauennati, quæ ibidem haud procul habitabat, id nominis ſortita: cuius adhuc nominis ædiculam Virgini Deiparæ dedicatam, nouis, anno M D LX. editis miraculis, inſtauratam conſpicimus: uocabatur olim Turris umbratica; cuius turris adhuc ueſtigia quædam ſuperſunt. Porta Pomposiæ, ad eius muri angulum, ubi nunc Turris eodem nomine extat. Porta Hadriana D. Ioannis, & Pauli, ubi & Turricula Polenteſia, quæ & D. Marci uocata eſt. Turris Pizzorum, cum dicendum ſit Pintiorum, quod eo loco Theodericus Rex, domum, ex ornamentis Romā deductis, à Pintiana porta; quæ & Collatina; Pintiorumq. uicinis ædibus, ædificauerit. Turris Marigodoſa. Porta Gaza. D. Mammæ. Vrſicina. D. Philippi. Tremeldula, ab D. Lucæ haud procul. D. Mariæ. atq. ubi nunc arx extructa eſt: omnes numero quatuordecim, quibus quondam urbs omnis, ad Romæ, ſimulacrum, in regiones quatuordecim diuiſa fertur. Veneti, omnibus, extra Hadrianam, Vrſicianam, D. Mammæ, & Gazam claudi iuſſis, iuxta arcem extruendam aliam curarunt, nouamq. appellarunt. Tulit iniquo animo Hludouicus Cardinalis Legatus, Rauennam, omnium opinione, celerius deditam, ſeu quòd ademptam receptæ urbis ſibi laudem noluiſſet, ſeu quòd clariſſimæ urbis poſſeſſionem Venetis inuideret. Sub id tempus Iacobus Guarinus Rauennas, Vrſianæ ædis Canonicus, cum D. Mariæ Rotundæ Rector eſſet, ab Eugenio Pontifice impetrauit, ut in D. Vitalis, monachis qui ibi aderant uel repugnantibus, ordinis D. Benedicti cucullum indueret. Quòd cum effeciſſet, Abbasq. haud ita multo poſt eiuſdem cœnobii creatus eſſet, Matthæum Blondum Foroliuianum ex eadem familia monachum; Blondo fratre, grauiſſimo hiſtoriarum ſcriptore, qui Eugenio erat à ſecretis, rem iuuante; Diuæ Mariæ Rotundæ cœnobio præficiendum curauit: & per hunc modum ſacra illa Diuæ Mariæ ædes, Caſinati eſt ordini reſtituta, Veneti Rauenna, ciuium beneficio potiti, ne ingrati viderentur, cum in omnes, ſalutares & benefici eſſe ſoleant, ciues omnes Rauennates multis donant prærogatiuis, & immunitatibus, eoq. loco apud Venetam Rep. eſſe decernunt, quo ceteri ſubditarum ſibi iam diu ciuitatum, eſſent, fuiſſent, futuriq: eſſent: uti latiſſime ex Priuilegiis cognoſci poteſt, quæ ampliſſimus ille, & gratiſſimus Senatus, eodē anno MCCCCXLI. Decimo tert. kal. April. ciuibus noſtris poſtulantibus uti diximus, cōceſſit. Victorē Delphinum clariſſimū virū, receptæ vrbis ſtatim Legatū mittunt, qui incūberet in eam curam, ut urbs aduerſus omnes hoſtiū impetus muniretur: nequaquam ignorantes florentiſſimæ vrbis dominatū a multis ſibi inuideri. Hocq. tēpore leges noſtræ municipales pluribus locis cōmutantur, multis additis, quibuſdam detractis, ad vrbis Venetiarum mores, ac ritum magis accōmodatis. Cum uero interea Sforciæ, qui ad Vicecomitem Socerum defecerat, impetum metuerent, Sagittarios CCCC. & aliquot naues Rauennam præſidio miſerunt: nam ſuperioribus etiam menſibus Guido Antonius Manfredus, qui Ioanni Galeazzo, patri, & Aſtori auo in Fauentinum dominatum ſucceſſerat, exiſtimans, ob Gineuram Hoſtaſii

Polentani uxorem, ſibi Rauennam hæreditario quodam iure deberi, fecerat cum militibus, qui in ſtatione Rauennæ erant, & agricola quodam, de prodenda ſibi ea vrbe, coniurationem. Facinoris autem perficiendi is erat modus inter eos conſtitutus, ut ab agricola Manfrediani milites circiter viginti, curru, ſub tritici manipulis, ad portam urbis Hadrianam deueherentur: ipſeq. agricola pontem, cum iam plane demiſſus eſſet, primus occuparet, & ibidem ſimulata currus, aut iugi diſſolutione ſubſiſteret, dum milites e manipulis egreſſi, portam occuparent: interea uero coniurati Veneti milites accurrerent, iuuarentq. ſi quid forte magnum Rauennates molirentur: idq. erat in albeſcente cælo faciendum, qua hora aperiri portæ urbis ſolebant; nequaquam autem defuturos equites quadringentos, ſelectosq. pedites totidem, quos in inſidiis ad Taureſium; id uillæ ſuburbanæ nomen eſt, illi urbis portæ uicinæ; Guidone Bentiono Duce Manfredus collocaturus eſſet. His ita conſtitutis, Idib. Quinctil. ueſperi Bentionus cum copiis Fauentia profectus, mittebat ſingulo milliario, qui Guidonem Antonium de uniuerſa itineris ratione certum redderent: ipſeq. Manfredus cum magna ciuium Fauentinorum, agricolarumq. qui uias omnes, & ſemitas, uel in cæcis tenebris, nouerant, manu, inſequebatur. Cum itaque ad Anemonem fluuium, quod eo loco, Rafanarii nomen accipit, uentum eſſet, illudq. ad ſecundam uigiliam traieciſſent, uiſum eſt illis non amplius progredi, ne, ſi inde proficiſcerentur, loco tum ſatis inculto, & agreſti, ab hominumq. ædibus diſtanti, nunc autem in florentiſſimum agrum, feraciſſimum, & elegantem culturam redacto, decimum circiter lapidem ab urbe remoto, facile aut ſtrepitu pedum, aut equorum hinnitu, rem incolis patefacerent, nec enim erat dubium, quin etiam ſi paullulum quieuiſſent, ſatis in tempore eſſent ſuis affuturi. Cum igitur ex equis omnes deſcendentes, pars colloquerentur, pars humi requieſcerent, equi pugnam inter ſe primum ineuntes, aliquanto ab illis ſpatio receſſere. Mox cœpere milites, perinde, ac inſani, & amentes, per agrum uagari: pleriq. armati trans amnem ferri: omnes uulneribus confodi: nec, dum uulnerarentur, ſentire: nec, qui uulnera illis inferret, perinde, ac ſui omnino, ſuarumq. rerum immemores, cognoſcere. Atque per hunc modum omnes tota nocte errabundi, ubi primum illuxit, redire ad ſeipſos uiſi: cumq. inuicem uulnera intuerentur, nihil dicere, omnes mirari. Ipſe inter ceteros Bentionus oculũ erutum, & ab tenui neruo pendentem gerebat: reliqui grauiter uulnerati in ſumma confuſione uerſabantur, dum mutatæ omnibus ueſtes, & equis habenæ, atque ephippia eſſent: omnesq. uelitares haſtæ, & alterius generis quot quot erant, & thoraces, & galeæ perfractæ uiderentur: quiq. erant nobiliores, commutata ueſte, ſordidiori, ac uiliori induerentur: in iis uideri Fridericus Vrbinatium Regulus, conciſſa undiq. & pannoſa tunica indutus poterat: qui deprehendit etiam pateras quattuor, puero ut deferret traditas, in ſuo ſinu eſſe. Verum illud longe omnibus, mea ſententia fuerit anteferendum, quòd cum grauiter uulnerati omnes eſſent, nullus interierit, ipſeque Bentionus, oculo, qui ex tenui neruo pendebat, in locum reſtituto, conualuerit, quattuorque ſolum equi mortui fuerint reperti. Huius rei teſtes adducit Deſiderius Spretus; qui hæc memoriæ prodidit; Fridericum Comitem Vrbini Principem Firmanum, Colam Antoninum Neapolitanum

litannm equitem, Raimundum, & Antonellum Nucetinos, Scaramutiam Romanum, ipſumq. Guidonem Bentionum copiarum Ducem, a quorum pleriſque narrantibus rem didicit. Firmata igitur hoc præſidio ſagittariorum, & aliorum militum urbe, aduerſus huiuſmodi impetus, Veneti, ut nouis habitatoribus repleretur, cum ad illa tempora; uti etiam Blondus teſtis eſt; habitaretur parum frequenter, dedere, per annos decem, iis, qui Rauennam ad habitandum uenirent, omnium munerum, tributorumq. immunitatem. Qua tamen, cum ueteres ciues Rauennates plerique atque etiam agricolæ, fuiſſent, fauore, & gratia aliquorum, donati, edicto Decemuirum cautum eſt, ut nihil omnino deinceps ualeret: quemadmodum & libertas illa in agricolis ad ciuitatem ſe habitatum conferentibus, antiquata eſt, qua ab certa pecuniæ penſione, ex ratione agrorum decreta, eximebantur. Plures enim ex agricolis donari ciuitate curabant, ne pecuniam illam ſoluerent, & munerum immunitate uterentur. At Veneti fraudem ſentientes, edixere, uti qui ex agro Rauennati in poſterum ciuitate donaretur, ad operas cogi quidem nequaquam poſſet, uerùm agrariam ſolueret penſionem: idq. litteris publicis teſtatum uoluere. Per hunc modum Rauenna colonis in dies augeri, agerq. excoli ita cœptus, ut, cum maximam partem uepriumeſſet plenus, & omnino ob ſyluas & paludes incultus, breui feraciſſimus, amœniſſimusq. euaſerit. Suburbia quoque ad Vrſicinam portam, & Hadrianam, cum utilitatis, tum ornamenti cauſa inſtaurata ſunt, Rauennatum Legato, Bernardino Lazaro; cui nunc familiæ ab Mēgolo, eius gentis uiro, nouum Mengoli cognomentum eſt; a Venetis Patribus id poſtulante. Cum autem anno MCCCCXLIIII. Nicolaus Memus, Patricius Venetus, Rauennæ Legatus, ad Franciſcum Foſcarū, Venetiarum Ducem ſcripſiſſet, quot ſubiiſſet Franciſcus Monaldinus Rauennas, Iuliani filius, pericula, incommodaq. tuliſſet, pro re, dignitateq. Veneta, idemq. declaraſſet Victor Delphinus, qui Memū in eadem Rauennati legatione præceſſerat, Foſcarus Dux, Monaldinum ei præfecit Magiſtratui, dum uiueret, quo mulcta eorum, qui Rauēnatibus agris inferunt damna, exigitur. Eodem anno litteris Eugenii Pontificis, Franciſcani fratres, qui dicuntur obſeruantiæ, in poſſeſſionem templi D. Mamæ miſſi ſunt. & cum aduenis Rauennam habitatum uenientibus a Veneto Senatu immunitas in decem annos tributa iam fuiſſet, hoc anno in uiginti reiecerunt; idq. per litteras menſe Decēbri datas, Foſcarus Dux, Benedicto Mulæ Prætori, & Præfecto Rauennæ ſignificauit: tanta replendæ habitatoribus huius urbis cupido habebat Venetos. Poſtero anno poſt, qui fuit annus a partu Virginis milleſimus, quadringenteſimus, quadrageſimus quinctus, Thomas Perondolus, Rauennas Archiepiſcopus, Ferrariæ deceſſit. Sepultus ad D. Dominici, ubi ſupra ſacrarii portam hæc marmoreo inciſa ſepulcro legutur.

ANN. M. CCCC XLIIII.

ANN. M. CCCC XLV.

Antiſtes celebris grauis, & fons iuris obiuit
Egregia de ſtirpe ſatus Perondela Thomas,
Quem domus alta tulit: qui Florentina propago
Extitit, & Præſul Rauenna, præſtitit alma:
Italiæ ſplendor, decus & memorabile ſæclis.
Defuit, & celſi non infima gloria cleri.

Obijt autem XIII. Kal. Nouembr. MCCCCXLV. Conuenere autem de ueteri more,

re, ſacrati uiri Rauennates, Senatusque acpopulus, in Vrſianam ædem, eo loco, cui ſancta ſanctorum nomen eſt, Benedicto Mula, patricio Veneto, vrbis tum Prætore, Præfectoque, & Angelo Paſia iureconſulto Ariminenſi, eius Vicario, atque aſſeſſore. Cumque in ſuffragium iuiſſent, omnium conſenſu, Archiepiſcopus Rauennas deſignatur Blaſius è ſancta Vi-
ANN. M. CCCC-XLVI. ctoria, monachus, & cœnobii ſpiritus ſancti Rauennæ Abbas. Verum Eugenius Pont. ſucceſſorem Perondolo dedit Bartholomæum Rouerellam Ferrarienſem, Ioanne patre Rhodigio oriundo, ſcribaq. ſollerti genitum, paulloq. ante ab eodem Eugenio Hadrianum Epiſcopum factum ſequenti anno, cum pecuniam a Republ. Veneta multi repererent, ſibiq. illam ab Hoſtaſio
ANN. M. CCCC-XLVII. Polentano, dum uiueret, deberi, affirmarent, Nicolaus Sanutus Rauennam Legatus, Senatus conſulto miſſus eſt, qui nomina cognoſceret, & ſolui, quæ deberentur, curaret, aut in libros rationum referret: tandem uero bona illius, auctione conſtituta, Senatus Veneti iuſſu, uendita. Bartholomæus Archiepiſcopus. VIII. Kal. Octobr. cum Nicolaus V. Sergianenſis, in locum Eugenii IIII. Pont. Max. mortui, ſuffectus eſſet, Leonello Eſtenſi Ferrariæ Principi, Argentam, Lugumq. & uillam S. Potiti dedit, Vicariumq. illum ſuum, ac Romanæ Eccleſiæ, a qua huiuſce negocii facultatem hauſerat, conſtituit, & condicione, ut pro Lugo, & uilla S. Potiti, ueſtem quotannis linteam, Rocchettum appellatam ipſis Domini noſtri natalitiis, Archiepiſcopo Rauennati aſſignaret, & ducatos præterea quingentos aureos numeraret. Peſtilentia Ra-
ANN. M. CCCC-XLVIII. uennæ, proximo anno cum inſigni mortalium ſtrage deſæuiit: neque uerò Rauennæ ſolũ, ſed in agro, ſed in omni Prouincia, in qua præter ceteros Forliuii, menſe Auguſto, Antonius Ordelaſus, eius ciuitatis Princeps deceſſit, celeberrimo, ornatiſſimoq. funere a Cicco, & Pino filiis; qui in patris locum, Domini ſucceſſere; ab uxoreq. & populo elatus: cum ſuperiore menſe Iunio, Guidatius Manfredus; qui & Guidantonius dictus eſt, Fauentiæ, ac Foro Cornelii Dominus, Senis, illuc ad balnea, & congreſſum, colloquiumq. Aragonum Regis Alfonſi, qui gerebat cum Florenrinis bellum, profectus, migraſſet etiã è uita. Cadauer Fauentiam delatum: cuius dominatum urbis Aſtorgius frater iniit. Thadæus Guidatii filius Fori Cornelii poſſeſſionem, & fœdere cum Florenrinis icto, eorum Legatum, & equitum mille Præfecturam accepit. cum idem Florentini a Sigiſmundo Malateſta, Ariminenſi Principe, poſtulaſſent: Verùm is ſpecioſis uerbis, non Legatis Florentinorum modò, ſed & Regiis, qui de eadem cauſa ad illum uenerant, datis, acceptoq. ab utriſq. cum neuter alterum ſciret, ſtipendio, Florentinis adhæſit: & cum reſtituere pecuniam Regi noluiſſet, magna cum illo diſſidii fundamenta iecit. Rege autem aliquot occupatis opidis, Neapolim redeunte, partaq. Florentinis quiete, miſſus eſt ſubſidio Venetis, qui cum Mediolanenſibus, iam Placentia potiti, dimicabant: Philippo enim Maria Vicecomite mortuo, Mediolanenſium Duce, Mediolanenſes libertatem profeſſi, ad popularem adminiſtrationem reciderant: Franciſcumq. Sfortiam copiarum ſuarum Imperatorem creauerant: qui pace paullò poſt cum Venetis facta, aditum ſibi ad Mediolanenſem dominatum patefecit: quo tandem potitus eſt anno milleſimo quadringenteſimo
ANN. M. CCCCL. quinquageſimo: qui Iubilei celebratione, fuit inſignis. Hoc autem anno Sigiſmundus Malateſta, Venetarum copiarum Ductor, poſtquam ſuperiori D.

Apol-

Apollinaris Claſſenſis templum rebus ſacris aliquot ſpoliaſſent, vnde Franciſcus Foſcarus Venetiarum Dux, ab Ioanne Franciſco Bratio,& Antonio Calbo oratoribus Rauennatibus monitus ad Stephanum Triuiſanum, tunc Prætorem, Præfectumq. Rauennatem ſcripſerat diligenter curaret, ne templum illud dirueretur, D. Apollinaris eiuſdem Claſſenſis, Diuiq. Seueri templa; tabulis è marmore, quibus incruſtabantur; ducentis aureis nummis Abbati numeratis; ſpoliauit, ut Arimini D. Franciſci ſacram ædem ornaret: Ea tum cœnobia erant Aloiſio Patauino, Diui Petri ad Vincula etiam Abbati, commendata. Ceterum cum accepiſſent deinde Veneti Claſſenſe cœnobium ad Ariminenſem ſacratorum uirorum conuentum a Pontifice fuiſſe adiunctum, ſtatim per litteras III. kal. Aprilis anno MCCCCLII. ſcriptas Fuſcarus Dux Benedicto Venerio Prætori, Præfectoq. Rauennati mandat, ne quem eius accipere poſſeſſionem cœnobii ſineret, & apud Pontificem ita egere, ut omnia fuerint in integrum reſtituta. Itaque anno MCCCCLIIII. Aloiſio Pataui- ANN. M. CCCC LIIII.
no uita functo, deq. ſuo iure Camaldulenſibus iam deturbatis, Nicolaus. V. Pont. Max. conſtituta monachis, vnde uiuerent, penſione, Philippo illud fratri, S. Laurentii in Lucina Cardinali, Bononienſi Epiſcopo commendauit: ſed
poſteriore anno, Franciſcus D. Seueri Abbas, ordinis Ciſtercienſis; ut Philip- ANN. M. CCCC LV.
po Cardinali morem gereret, prædiaq. repeterentur uarie diſtracta, in quibus inſula Domnicata, eſt a Padiano flumine, ad portum Candianum pertinens, & cœnobio, Calliſto III. Pont. Max. qui tum primum Nicolao V. mortuo ſucceſſerat, in manum tradito fecit; ut cum Claſſenſi coniungeretur, & Philippo migrante ex hac uita, ad Camaldulenſes rediret. Inſignis iterum
peſtilentia Rauennam proximo anno, finitimasq. prouincias malè habuit, ſed ANN. M. CCCC. LVI.
poſteriore, peius; Quo anno, Iacobo Antonio Marcello hortante, conſulen-
teq. Senatus Veneti decreto, arx Rauennæ munitiſſima, in ea parte vrbis, quæ ANN. M. CCCC. LVII.
ſpectat Orientem æſtiuum, extrui cœpta eſt, ut terra, mariq. ſi quis oppugnaret, præſto eſſe poſſet: cum præſertim ſuperioribus annis ab ea parte expugnationem Picininus tentauerit. D. Andreæ templum iam uetuſtate labens, Gothorum tempore exædificatum, minusq. uocatum, ut ab eo internoſceretur uel ſola nominis appellatione, quod Petrus Chryſologus Archiepiſcopus; ut ſupra docuimus; conſtruxerat, prorſus deſtruitur, lapidesq. ad arcem ædificandam adhibentur. Primum eius ædificii lapidem, ſupplicatione omnium ordinum indicta, frequenti populo, Bartholomæus Archiepiſcopus Nono kal. Iun. collocauit; ſubter quem Petrus Georgius, patricius Venetus, Rauennæ Prætor & Præfectus, nummum aureum, argenteamq. & æneam monetam poſuerat. Arx hæc adhuc ſupereſt, foſſa vndiq. munita, & pinnato muro elegans, nobiliq. Brancaleonis cognomento inſignis. Ad illam, ædificia adiunguntur, quaſi ſuburbium ac ueſtibulum, Cittadellam appellatum: quam Veneti, Dalmatis, qui Mahometi ſecundi Turcarum Imperatoris impetum, armaque fugientes, Venetias uenerant, ad habitandum dedere. Siquidem Mahometes, Amurati patri ſuffectus, ut, more maiorum, in egregio auſu primas uires poſuiſſe uideretur, in numero tormentorum, & copiarum terra, mariq. apparatu, Byzantium ui cœperat, Conſtantino Orientis Auguſto, diſtricto gladio pugnante, interfecto: admirabileq. omnino fuit, ut, quemadmodum Conſtantinus Cæſar Helenæ filius, primus Byzantii Auguſtalem ſedem locauerit, vn-

de

de vrbi nomen Conſtantinopolis impoſitum, ita hic Conſtantinus nomine, at que Helenæ filius, ex Palæologorum familia poſtremus, fuerit: poſt Byzantij Imperii annum milleſimum, centeſimum, uigeſimum quartum: a partu autem Virginis MCCCCLII. quarto kal. Quinctil. Qua inſigni uictoria elatus Ma-
ANN. M. CCCC. LII. hometes, omnes vrbes Græciæ, Mitylenem Inſulam, magnam Dalmatiæ partem, Scutarum præſertim, occupauerat. Itaque Veneti multos earum vrbium ciues, ad ſe; uti diximus; profectos, Rauennam miſere: cumq. ditiores, uti Dulcichii, cognomento Banchcrii, Scutariani ciues: & Peregrini, cognomento Cauallarii; qui Dyrrhachini erant; & alii complures, domos ſibi, & fundos comparaſſent, Cittadella egentibus ad habitandum, ingenti ipſorum, & Rauennatum commodo, tradita eſt. Neque uerò interea inſtaurandæ vrbis curam intermiſerant, ſed adeo exornata, reſtitutaq. eſt, ut agris colendis, ſiccandis paludibus, propugnaculis, munitionibus, ædificiis publicis, ac priuatis, nouisq. ciuibus additis, priſtini ſplendoris aliquam partem recuperaſſe uideretur. Ad hanc enim diem ob peſtilentiam ferè ſemper afflicta eſt: cuius ſigna in ciuium facie coloris aurei, ipſoq. malo habitu corporis apparebant. Quamquam autem inualeſceret peſtilentia, bella tamen non omnino deerant, Sigiſmundo Malateſta, cum Federico Vrbini Comite decertante; quod bellum cum eſſet menſe Octobri anno MCCCCLVII. cœptum, Idibus Mart. inſe-
ANN. M. CCCC LVIII. quentis anni, Iacobus Picininus Comes, coniunctis cum Federico copiis, Carpignum, iam Comitis Ramberti Malateſtæ opidum, capit, ac diripit: idq. paulo ante quam Calliſtus III. Pont. Max. moriens ſucceſſorem Aeneam Siluium Picolomineum Senenſem, habuit, Pium ſecundum appellatum, Ad Rauennatem autem a Venetis inſtaurationem acceſſit Beſſarionis Cardinalis
ANN. M. CCCC LIX. pium ſtudium, qui anno MCCCCLIX. conſociationi Canonicorum S. Saluatoris, cœnobium, & fundos, omniaq; ſacræ ædis D. Ioannis Euangeliſtæ dono dedit. Pauloq. poſt eiſdem Canonicis Antonius Calbus. D. Georgii in Tauro; quod eſt in Ceneda ſuburbana uilla, templum, atque agros, largitus eſt: quæ tamen multis ante annis, Vrſianæ ædis Oſtlarii, iure emphyteutico ab Archiepiſcopis accepta, poſſederant, & eodem iure, aliis, ipſorum agrorum partem ad excolendum tradiderant. Ea autem cùm illorũ Canonicorum fuit induſtria, tum agri Rauennatis vniuerſi culturæ, & fluminum terram ex Apennino deuehentium, beneficium, ut bonorum illorum fructus, ſcutatorum aureorum nunc millia longiſſimè ſuperent, quæ eo tempore nummos aureos triginta locata, ex Petri Rangoni Parmenſis, ſcribæ, ciuisq. Rauennatis, tabulis nouimus. Scripſit per id tempus Deſiderius Spretus iunior de vrbe Rauenna Commentariolum, quod extat: diſtributum in partes tres: quarum prior originem, amplitudinemq. vrbis ſummatim complectetur, alia eiuſdem explicat uaſtitatem Polentanis dominantibus: in tertia Polentanorum expulſio, & Veneti initium dominatus deſcribitur, ſtilo, ut temporibus illis, admodum eleganti. In quo munere cupiens boni ciuis ſatisfacere partibus, & memoriam rerum, quæ geſtæ ſuo tempore fuerant, ad nos tranſmiſit, & uiam poſteris ad Rauennatem hiſtoriam pateſeciſſe uidetur. Orator etiam, a patria, ad Nicolaum V. Pont. Max. & Cardinalium collegium miſſus fuerat, ut Pontificia auctoritate confirmari nouam inter ſacratos uiros, populumq. Rauennatem concordiam, de qua diximus, curaret. Sub id tempus Caliſto Pont. Max.

uita

uita functo, Pius ſecundus Senenſis ſufficitur: cuius Pontificatus initio, hoc ipſo anno MCCCCLIX. æſtate, Rauennam, pedites aduenere tercentum, ſecundo Pado deuecti: quos, Rauennates, benigne acceptos, commeatu abunde iuuerunt. Veniebant ii Mantua, qua in vrbe tum Pius Pontifex, ut aduerſus Turcas, Chriſtianorum Principum animos, opesq. coniungeret, habebat conuentum: tumq. illum Thomæ Palæologi, Peloponneſi Principis, Deſpotum Græcè appellabant; legati, ad liberandam Turcis peninſulam, auxilium efflagitantes, conuenerant. Quod cum ad Senatum retuliſſet Pontifex, communi omnium ſententia, Beſſarione Cardinale potiſſimùm perorante decretum eſt, iis maximè de cauſis, quod Pontificiis uiribus haud impar eſſet negocium, quando non aduerſis, euerſisve rebus, ſed ſecundis, ac plane reſtitutis ea poſtulabat auxilia Thomas, qui per eos dies, Turcas acie profligarat, captiuos multos fecerat, ex quibus per eos Legatos, Pontifici, ſexdecim dono miſerat: accedebat ad hæc, quod ipſius Thomæ conſtantiæ, uidebantur multo maiora deberi. Poſtquam enim Conſtantinopolis capta a Mahomete fuerat, Thomas, ac Demetrius, Conſtantini Palæologi, eius vrbis Imperatoris, fratres, in Peloponneſum ſe receperant, & pro rerum uiciſſitudine, modò contulerant tributum Turcis, modò arma in eos uerterant, Latinorum auxiliis, & loci munitionibus freti. Ceterũ orto deinde inter eos fratres diſſidio, Turcarum partes ſecutus Demetrius, filiam Mahometi deſponderat, Epirotarum Thomas auxilio, qui Peloponneſum frequentes incolebant, fratrem mulctauerat magna Regni parte, & Turcas, qui arma in eum mouerant, prœlio fuderat. Ex tercentis autem iis peditibus Blanca, Franciſci Sfortiæ Mediolanenſium Ducis uxor, magni fœmina animi, & ſingulari prudentia, centum contulerat, reliquos Pontifex. Rauenna milites abeuntes, terreſtri itinere, Anconam profecti, mare ingrediuntur, & ſecundo curſu in Peloponneſum nauigarunt, primoq. congreſſu vrbem Patracenſem expugnarunt. Verùm dum cetera oppugnant opida, ſiue uirtutis æmulatione, ſeu cupiditate prædæ diſſidentes inter ſe, deſtitere cœptis, hucq. atque illuc turpiter diſperſi, infauſtum rebus, quæ geſtæ deinde ſunt, initium præbuere. Per id ferè tempus, cum Anuerſus Anguillariæ Comes, Viterbium, paucis tradentibus ciuibus, occupaſſet, Bartholomæus Archiepiſcopus Rauennas, coactis ſtatim copiis, captæ vrbi opem tulit, ac per arcem, quam Martinus Quinctus ſolo æquauerat, Caliſtus reſtituere fuerat aggreſſus, ad ſummum Pius ædificauerat, intulit in vrbem auxilia. Moderatorem illius tum vrbis gerebat Peruſinus quidam Oddo, qui cum abeſſet, re accepta, cum Archiepiſcopo Rauennate coniunctus, urbi recuperandæ, magno fuit adiumento. Sed cum hac de re aliquanto ſe glorioſius iactaret, Bartholomæus Archiepiſcopus, illius memor, quod de Fabio apud Liuium legitur, Probè, inquit, numquam Viterbium recuperaſſem, niſi tu prior amiſiſſes. Ceterum Pius Pontifex anno a partu Virginis MCCCCLXI. quo fuit Rauennæ Prætor, Præfectusq. Vitalis Landus, patricius Venetus, Quincto decimo kal. Ianuar. Bartholomæum Rauennatem Archiepiſcopum; qui erat Beneuenti, eius urbis pro Pontifice, Moderator, & in magnarum rerum perturbatione præclarus cuſtos; cooptauit in Cardinalium Collegium. Interea anno ſexageſimo ſupra milleſimum quadringenteſimum, cum intelligerent Veneti, quantum commoditatis Raſanarium flumen eſſet Rauennati ANN. M. CCCC. LXI.

ti agro allaturum ſi in Padum influeret, directoq. curſu id faceret, de eo flumine deducendo Paſqualis Maripetrus Dux,accuratè ad Ioannem Falerrum Rauennæ Prætorem, Præfectumq. ſcripſit. Poſtero, quo Rauennæ fuit Prætor, Præfectusq. Vitalis Landus, Doctor, & miles, Deſiderio Spreto, & Ioanne Raſpono oratoribus Rauennatibus petentibus ad Landum Maripetrus Dux litteras dedit,mandauitq. artificibus,Præfectum dari,arti cuique ſuum, qui rectè adminiſtrari artem curet. leges aliquot ciuitatis conformari. aquæductus,flumicellos uocatos,purgari, ut excitari ibidem molæ frumentariæ poſſent. Lupanar, quod loco celebri vrbis prope templum D. Dominici erat, in aliam,eamq. remotam urbis regionem amandari. Scriberet ad Murinæ Ducē, ut Legatum Venetias de iuriſdictione fluminis Raſanarii, quam aiebat, mitteret, ut Rauennates iam deſignauerant eodem anno Pius Pontifex XV. Kal. Ianuar. Bartholomæum Rauennatem Archiepiſcopum, Beneuenti, cooptauit in Cardinalium Collegium D. Clementis titulo adiecto,Legatumq. ſuum fecit, ut Ferdinandum Neapolitanorum Regem coronaret. Per id enim tempus Ioannes Lothoringiæ Dux, Renati filius, & Ludouici Andegauenſis nepos,ad poſſeſſionem eius Regni, perinde ac hæreditariam,magno comparato exercitu aſpirabat. Nam cum Alfonſus Aragonum Rex,Ferdinandi pater,Renatum ad deditionem iam compuliſſet,ipſo nunc mortuo,anno ſexageſimo ſecundo ſupra milleſimum quadringenteſimū, pleriq. Regni proceres Ioannem

ANN. M. CCCC LXII.

Renati filiū aduocant, qui multa iam opida in Apulia occupauerat. Sed Pius Pontifex Ferdinandum Regem confirmauit, & corona inſigniri iuſſit:quod eodē anno Bartholomæus Rauennas Archiepiſcopus, Pontificis nomine, Baroli, quod eſt nobiliſſimum Apuliæ opidum,fecit, nonnulloſq. Regni optimates ad Ferdinandum adductos,ab Lotharingio alienauit. Quamobrem non fuit factu difficillimum, ut Ferdinandus, pulſo, profligatoq. Lotharingio, breui poſt, tranquille potitus Regno fuerit. Nam altera ex parte, Sigiſmundus Malateſta, Lotharingio addictus, omni ferè ditione a Pontificiis copiis, quibus præerant Nicolaus Fortiguerra, Piſtorienſis,Cardinalis,& Federicus Dux Vrbinas, ſpoliatus, nihil neque illi ferre, neque ab illo impetrare opis poterat. Quo tempore Cæſenates, aurum, argentum, ueſtem, denique omne inſtrumentum, ac magnificam eorum ſupellectilem, Rauennam tranſtulere, & apud amicos, cognatoſq. pro uetere beneuolentia, depoſuere, arma ueriti Aſtorgii Manfredi, Fauentini Principis: is enim poſtquam opera Pii Pontificis, poſuerat arma, quibus Thadæum fratris filium, è ForoCorneliano domi natu eiicere nitebatur, ſtipendia merens Pontificis, bellum Dominico Malateſtæ intulerat:& quamquam ad Meldulā caſtris ferè exutus eſt a Malateſtinianis, tamen ſuis inde collectis,aduenienteq. ſubſidio Corrado Aluiano, Caminatas, Montem ueterem, Cuſerculum, Vallem Oppii, Ciuitellam, & alia pleraque opida adduxit in poteſtatem:Comes etiam Coccus,Sigiſmundo Malateſtæ fœderatus,cum ſex opidis defecit ad Pontificem, & in Aſtorgii caſtris militauit.Hinc magnus inuaſit Cæſenates timor,ne,obſidente urbem Aſtorgio,in Pontificiorū manus uenirent,& cuncta miles raperet. Verum cū Federicus Vrbinas,& Cardinalis,capto Mōteflorio, Cæſenati omiſſa prouincia, Ariminum petiiſſent,omni metu liberati ſunt:Quamquam Dominicus Malateſta,vrbis Cæſenæ Princeps,vbi Veruchium,munitiſſimū duplici arce opidū,

captum

captum paulo poſt, uidiſſet, mox S. Archangelum opidum inſigne, Scorticatam quoq. & plebanatum, ut aiunt, Seſtini, qui opida duodeuiginti continere dicitur, Venetis apud Pontificem, pacem illi petentibus, eam haud ita diu poſt impetrauit, iis potiſſimum condicionibus, ſi Rauennati Eccleſiæ bona reſtitueret, quæ abſtulerat, & quæ poſſideret, vrbes, opidaq. eo abſque liberis mortuo, ad Romanam Eccleſiam redirent: tametſi interea Veneti; quod grauiſſimè tulit Pontifex, Ceruiam a Dominico, data pecunia, coemerint. Hac autem occaſione, Arimini etiam agrum recuperauit Pius Pontifex, Sigiſmundo Malateſta, copias, ut Andegauenſibus ſubſidio eſſet, comparante: cum quibus penetrare in Abrutium, a Prorege reiectus, cum non potuiſſet, repentino incurſu Senogalliam occupauerat: ſed ad Mondulfum nobile opidum deinde contendentem, Federicus Vrbinatium Princeps, Pontificiis copiis ſecum ductis, ingenti clade ſuperauit. Cum interea Veneti, ne quid hic noui accideret, Bertoldum Eſtenſem Rauennæ cum equitibus ueteranis, haberent. Eodem hoc anno, Franciſco Monaldino mortuo, Chriſtophorus Maurus Venetiarum Dux, per litteras ad Petrum Grimanum Rauennæ Prætorem, ac Præfectum ſcriptas, quem Magiſtratum, Franciſcum geſſiſſe diximus, eundem Gregorio Franciſci filio dari, ubi illud Andreas Picininus abſoluiſſet mandauit, eaq. ratione Monaldinorum Rauennatium erga Rempubl. Venetam meritis, grati animi officium præberi. Exitu anni Meldolam, cum Pontificiis cohortibus Aſtorgius Manfredus Fauentiæ Princeps circūſedit, aliquotq. finitima opida ceperat, cū aduenientibus Malateſtianis, fœda fuga, multisq. relictis impedimentis, Ciuitellā ſe recipere, & Fauentiā in hiberna deinde redire coactus eſt. Anno inſequenti, qui fuit ab ortu Chriſti MCCCCLXIII. Robertus Malateſta, extremo menſe Septēbri, Rauennā fuga elapſus perhumaniter acceptus eſt: Illum Sigiſmundus pater in Fani præſidio conſtituerat, quam vrbem acriter Pontificii obſederant: edixeratq. Ariminum rediens, ſi quis vmquam tuliſſet caſus, ea ut vrbs per uim hoſtium, aut ciuium deditione caperetur, caueret diligentiſſimè, ne illa incolumis ad Pontificios rediret, itaq. aut iniiceret tectis ignē, aut hoſtibus prædæ exponeret, ſed cum efficere Robertus neutrum potuiſſet, ac potius, ciuibus vrbem Pōtificiis dedentibus, arcem ipſe quoque paulo poſt tradidiſſet, patris ſæuitiam ueritus, Rauennam conuolauit: hicq. manſit, uſque dum Sigiſmundus pater, qui iam Mondaino, Monte florio, Veruculo, Sancto Archangelo, & ceteris circum caſtellis, ipſoq. Ariminenſi agro amiſſis, uix Ariminum, & paucula quædam niuoſa in Apennino, loca retinebat, pacem a Pio Pontifice impetrauit. Eodem anno Ceruia, Rauennati, id autem eſt Venetorum ditioni, Dominico Malateſta Cæſenæ Principe uendente, addita: cumq. Bagnacauallenſes in flumine Rafanario nauem ad tranſmittēdos homines poſuiſſent, Chriſtophorus Maurus Venetiarū Dux, ad Petrum Grimanum Prætorem Præfectumq. Rauennatem III. Non. Iul. ſcripſit, ut aliam eodem in uado pro Rauennatibus nauem, locaret, atque in aduerſa ripa, furcam figeret ad Rauennatis Reipubl. ditionem tuendam, conſeruandamque. Inſequenti Pius II. Pont. Max. obiit. Paulum item ſecundus, Venetus in eius locum ſuffectus. Cum autem inter ipſum ac Ferdinandum Neapolitanum Regem graues eſſent ſimultates ortæ, Paulus haud ita multo poſt Regis exulceratum animum leniturus, Bartholomæum Rauennatem Archiepiſcopum, legatum miſit: qui adeò tempeſtiuè Regis tracta

ANN. M. CCCC LXIII.

ANN. M. CCCC LXIIII.

uit animum, ut maximam partem emollierit. Erant inter ceteros Bartholomæo Archiepiſcopo fratres, Laurentius Ferrarienſis Epiſcopus, Diuini, humanique iuris ualde peritus, & ſummus Theologus: a Paulo Pontifice Legatus in Galliam pro re Chriſtiana miſſus, necnon in Germaniam, & Pannoniam ad Boemiæ Regem, qui perfidia inſigni, paulatim ſe a toto corpore Chriſtiani nominis ſubtrahebat. Nicolaus alius frater, Oliuetani ordinis Magiſter fuit. Florius poſtremus, qui miles Hieroſolymitanus, ac potius Rhodius: nam in eam tunc Inſulam compulſi ii milites fuerant; ſtrenui animi illuſtria ſigna præbuit. Iudæi hoc anno pacta cum Venetis inierunt, ob eam rem, quia Beſſarion Epiſcopus Tuſculanus Cardinalis, Venetiis, in omniq. Veneta ditione Pontificius Legatus, Venetis conceſſerat, ut acciperet Iudæos in ſuis ciuitatibus, & certa inire cum illis pacta poſſent. Itaq. per litteras ſuas Chriſtophorus Maurus Dux, Ioanni Mocenico Prætori, ac Præfecto Rauẽnati III. Non. Martii ſcriptas, mandat, ut pactas cum Iudæis cõdiciones, ſeruari omnino curet: quando hac in re ſubiunctorum ſibi populorum commoditati conſulant: atque ita

ANN. M. CCCC LXV. fuiſſe in Decemuirum Senatu decretum. Magna ſequens annus Rauennæ, omniq. Flaminiæ attulit ornamenta, cum vndiq. florens, ac penè beata Prouincia, a diuturnis bellorum, etiam finitimorum procellis quieſceret. Sacræ ædes, uiæ publicæ, forum, mœnia egregio reſtituta opere: Arx, & Cittadella ad exitum perducta. Cæſenam Pontifex, Dominico Malateſta mortuo, exercitu per aliquot dies cinctam, & VIII. Idus Decembr. pacatè receptam, & firmiſſimo, circumdedit muro, & Cittadella inſigni munita, magnificisq. tota urbe excitatis ædibus præclarè ornauit, Fauentiæ dignitas in ſuburbiis, ceterisq. partibus a Carolo Manfredo, Aſtorgii filio, mirum in modum amplificata: Idem Bononiæ a Pontificiis Magiſtratibus curatum, eoq. maiore ſtudio, quòd aliquot ante annis maximi, cum ædificiorum labe fœdiſſima, ea in vrbe terræmotus inualuerant. Ita Borſus Eſtenſis, Marchio, Ferrariam & auxit ampliſſimis domibus, & mœnibus decorauit. Poſtero anno, qui fuit ab ortu Chriſti

ANN. M. CCCC LXVII. MCCCCLXVII. moritur Forliuii diuturno fatigatus morbo Cicus Ordelafus: ſunt qui ueneno ſublatũ tradãt: propterea quod ab Antonii patris interitu, tacita inter ſe ſimultate, ambo fratres Ciccus, & Pinus decertaſſent, ciues, ad ſuam quiſque partem, adiunxiſſent, atque ad imperium aſpiraſſent. Imperio per hunc modum potitus Pinus, Biſſulcios, & Theodolos, cumq. iis Antonium Cichi filium eiecit ex vrbe. Biſſulcii qui plurimum in ciuitate, & apud Ciccum potuerant, Rauennam ſibi patriam delegere. Biennio poſt Chriſtophoro Mauro Venetorum Duce, litteræ ad Nicolaum Iuſtinianum Prætorem, Præfectumq. Rauennatem, pridie Kal. Septembr. ſcriptæ, allatæ ſunt, quibus accurate mandabatur, ne marmora ab aliquibus monachis uɔdita, extrahi ex urbe ſineret: quod diligenter Nicolaus fecit, qui portis faciendis, nouisq. uiis muniendis ornare hanc vrbem ſtudebat, idemq. generatim antea Senatus Venetus mandauerat. Sub id tempus Fridericus Cæſar Romam abiens, quò ſe uoti cauſa conferebat, Rauennam, ſecũdo Pado deuectus, uenit: is ſummis honoribus, & inſigni pompa a Rauennatibus exceptus, cũ gratam propenſi animi

ANN. M. CCCC LXVIII. ſignificationem laudaſſet, aliquot ex ipſis equeſtri ordini adſcripſit, Comitesq. fecit, anno a partu Virginis MCCCCLXVIII. menſe Decẽbri, in quibus ii fuere. Ioannes Franciſcus Bratius, iuriſconſultus: Ioannes Abbioſus, Medicus: Hoſtaſius, & Nerinus Raſponii: Bartholomæus & Baldus Ghetii: Opizo

Aldro-

Aldrouandinus: Hoſtaſius Raiſius: Romoaldus Saxus: Matthæus Balbus: Tha-
dæus a Cornu: Malateſta Monaldinus: Petrus Picininus: Franciſcus, Ma-
ſius, & Bernardinus, Artuſinii: Guidarellus Guidarellius: Petrus Floronus,
cognomento Groſſus. Poſteriore anno, ſoluto uoto, Pontificique pollicitus
ſe conuentum Ratiſponæ de Regno Boemico, quem occupauerat Georgius ANN. M.
Poggibratius uir hæreticus, habiturum, cum Rauennam rediiſſet. VII. Kal. CCCC LXIX.
Februar. ad hos adiunxit Franciſcum è nobilibus Vizani, Melchioris filium,
ciuē Bononienſem, qui in hac vrbe domicilium conſtituerat, eumq. illiusq. om
nes poſteros, Comites in perpetuum creauit. Cum autem Senator fuiſſet Ro-
mæ Melchior pater, ipſe quamquam uſque ab adoleſcentia militaribus ſtudiis
addictus, tamen Fauentinam Præturam multos annos, & Fulginatem, atque
alias geſſerat. Turbari quies hoc anno Prouinciæ eſt cœpta, quod ſuperiore
anno Sigiſmundo Malateſta mortuo, Ariminum Pontifex repeteret, exercituq.
ex ueteranis conſcripto, cui Neapoleo Vrſinus præerat, obſidere inſtituiſſet:
ſed a copiis Ferdinandi Regis, Federico Vrbinate Comite ductore, reiectis,
in fugamq. actis Pontificiis, Robertus Malateſta Sigiſmundi filius, Arimini
dominatū ſibi retinuit, & quieuit in poſterum a bellis Prouincia. Proximo an
no, cum ad huius ornatum urbis Veneti plurimū incumberent, Morus Dux ad ANN. M.
Zachariam Barbarum, militem Prætorē, Præfectumq. Rauennatē ſcripſit, ut ea CCCC-
domorū ſuggeſta, podia uocant, quibus anguſtiores, obſcurioresq. uiæ redde LXX.
bantur, dirui ſtatim iuberet, curaretq. Paulo poſt Sixto Quarto Pōtifice, Paulo
ſecundo ſubrogato, cum illi Bartholomæus Archiepiſcopus ſignificaſſet, opidū
Auriolum, raris tum habitatoribus, propter bella, & alia incommoda frequen
tari, & carere mœnibus, arcemq. olim munitiſſimam, tunc ruinam minari,
totum denique opidum multis partibus imminutum, Eccleſiamq. Rauenna-
tem neque tum magnam inde utilitatem percipere, & minorem in dies per-
cepturam: longeq. melius fore, ſi Carolo Manfredo, Romanæ Eccleſiæ, in
vrbe Fauentia, Vicario, duum millium & quingentorum florenorum Ponti-
ficiorum precio uenderetur, eaq. pecunia fundi emerentur, Sixtus Pontifex,
dedit uendi poſſe: idq. muneris ad conſcientiam Abbatis S. Hippolyti Fauen
tiæ, & Archipresbyteri ſacræ ædis Rontanæ. XIII. kal. Nouembr. Pontifi- ANN. M.
catus anno ſecundo iniunxit: cum etiam paulo ante, Honorii. III. ſummi Pon CCCC LXXII.
tificis, litteras, pro Eccleſia Rauennati quas ſupra adduximus, XII. kal. Iunii
probaſſet. Abbate autem, & Archipresbytero, magno uſui Rauennati Eccle-
ſiæ fore uenditionem Aureoli affirmantibus, aſſenſit & Pontifex: & per Ioan-
nem Franciſcum Bartholomæi Archiepiſcopi nepotem Manfredo traditum:
nec diu poſt, ex ea pecunia mille octingenti, & nonaginta vnus ducati, in iu-
gera terræ, Britonoriani agri, quatercenta, ab Ioanne Aſprono, ciue Bri-
tonoriano, empta impenſa ſunt: Reliquum precii, apud hominem idoneum
depoſitum. itaque eam Pontifex venditionem, Nonis Ianuarii, Pontificatus
anno. III. Romæ ad D. Petri, ratam habuit, anno a partu Virginis MCCCC
LXXIIII. Quo eodem anno, cum. III. kal. Maii. Nicolaus Marcellus Venetorū ANN. M.
Dux, ut Rauēnatibus ſatisfaceret id poſtulantibus, ad Franciſcū Diedū Præto CCCC LXXIIII.
rem, Præfectūq. Rauennatē ſcripſit, ne amoueri argenteam Vrſianæ ædis tabu
lā, illa ratione ſineret: tametſi pleriq. uias obliquas, & minime apertas ſecuti, in
deq. impetratis a ſummo Pōtifice litteris, emendorū id prædiorū prætextu tē

tarint. Cum autem Galeotus Manfredus Fauentiæ Princeps, infeſtum reddere Rauennatem agrum pergeret, rusq. quam Cortinam appellant; quòd ſuæ ditionis eſſe diceret, depopularetur, aliquotq. iam ante annis Monaldini Monaldinii, & Matthæi Artuſini fruges abduci Fauētiam curaſſet, Franciſcus, idē Diedus Philoſophiæ, ac iuris peritus, Prætorq. ac Præfectus Rauēnas, a Duce Veneto, per litteras XIII. kal. Iun. edoctus, decreuit, ciuium Fauentinorum, quæ eſſent in Rauennati, omnes illius anni fruges, deponi apud Matthæum Artuſinum Rauennatem, iisq; diuidi, qui damno affecti a Galeoto fuiſſent. Obiit eodem anno Rauennæ Nicolaus Soderinus, Florentinus eques, & in D. Franciſci, cum elogio in marmore inciſo, ubi eum filius, exulem appellat innocentiſſimum, ſepultus eſt. Exilii cauſam, coniurationem fuiſſe aiunt, quam cum Luca Pitto, Diotiſalue Nerone, & Angelo Acciaiolo, ſeptem ante annis iniiſſe dicebatur, ut Coſmo Mediceo Reipubl. Florentinæ Principe, uiro omnibus ſæculis admirabili, mortuo, Petrū filiū, quamquam auctoritate, atque opibus patri nihilo inferiorem, de ſummo tamen illo ſtatu deiiceret: itaque vrbe cum ſociis eſt pulſus: Neronis tamen potiſſimum inſtinctu, Bartholomæum Coleonem, Veneti, ut illos in patriam reduceret, cōſcribere copias iuſſere: ForoCorneliiq. obſeſſo, & Caſtrocaro oppugnato, aliquid ſperare poſſe uidebatur: ſed prœlio cum Florentinis ad Mulinellam commiſſo, cum eſſet Coleonus ſuperatus, coniunxerant enim Florentini, cum Ferdinando Neapolitano Rege, Galeatio Sfortia Mediolanenſi Duce, & Ioanne Bentiuolo Bononienſi Principe, conſilia, atque arma; exules, alius alio ſeceſſere: nec vmquam deinde reditus illis in patriam patuit; tametſi Petro uita functo, apud Laurentium, & Iulianum filios, de ipſis reducendis, accuratè nonnulli tractaſſent. Interea cum D. Vitalis cœnobium Rauennate, cuius tum fructus florenis tercentum æſtimabantur; in dies magis collaberetur, Rauennatibus & Venetis id poſtulantibus, Sixtus Pontifex illud, bonaque illius omnia adiunxit ad D. Iuſtinæ conſociationem, quam ſuperioribus annis Pataui, Ludouicus Barbus inſtaurauerat: illliusque poſſeſſionem Vrbanus Spretus Canonicus, & Pontificii iuris conſultus, Rauennas, Deſiderii, qui Rauennatem ſcripſit Hiſtoriam, filius,
ANN. M. CCCC LXXV. Bartholomæi Archiepiſcopi Vicarius, anno inſequenti, Matthæo Toſetto Conſociationis nomine accipienti, cum Præturam, Præfecturamq. Rauennatem gereret Antonius Marcellus, dedit. Nec diu poſt Bartholomæus Archiepiſcopus, cum multos annos Eccleſiam Rauennatem adminiſtraſſet, mul-
ANN. M. CCCC LXXVI. tarum rerum geſtarum gloria inſignis, anno ab ortu Chriſti ſeptuageſimo ſexto, ſupra milleſimum quadringenteſimum, Romæ ſeptuagenarius deceſſit: Sepultus eſt ad D. Clementis, iuxta monumentum Florii, fratris, Filiaſio, Petri fratris filio, funere curante. Succeſſit in Rauennatem Archiepiſcopatum ipſe Filiaſius, qui ſuperiore anno ab Sixto Pontifice, Bartholomæi patrui rogatu, fuerat Archiepiſcopus deſignatus, Peruſinusq. Legatus factus, ob inſignem u-
ANN. M. CCCC LXXIX. triuſque iuris peritiam. Cū autem anno ab orbe redempto MCCCCLXXIX. Galeotus Manfredus Fauentinus Princeps in rure Curtina Rauennatis agri, eadem feciſſet, aſportandis ciuium Rauennatū frugibus, quæ annum quinctū iam fecerat, Ioānes Mocenicus Venetiarū Dux, idem Onfredo Iuſtiniano, Prætori, Præfectoq. Rauēnati mandauit, quod Franciſco Diedo, Dux tūc mādauerat. Pino autē Ordelafo, Forliuii Principe, eo, qui inſecutus eſt, anno, mortuo,

Biſſulciorum

Biſſulciorum & Theodolorum accitu, Antonius Ordelafus Cichi filius, Rauennam uenit: præeuntibusq. illis, haud ita diu poſt, Forliuium ingreditur. Sed cum multis fruſtra tentatis, arce potiri nequaquam potuiſſet, ea Pontificiis Cæſena euocatis tradita, ſpe fruſtrati, Rauennam regreſſi ſunt. eam deinde ciuitatem Sixtus Pontifex Hieronymo Riario ſororis filio dedit. Interea Veneti, ne quid forte Rauennæ accideret, in huius eſſe urbis præſidio uoluerunt, Galeotum Picum, Mirandulæ Principem, & Ioannem Antonium Scariottum, inclytos bello duces: quos tamen ne nimium grauaretur ciuitas, ſcriptis ad Nicolaum Duodum Prætorem, ac Præfectum litteris menſe Nouēbri, hinc remouerunt. Proximo anno, Nonis Iun. eidem Duodo Ioannes Mocenigus Dux, mandat, ne aliquem aduenam, quiq. ditionis Venetæ non eſſet, habere in agro Rauennati ſacerdotia, ſinat. Ita Veneti hoc interim ſpatio ornare adhuc, munireq. Rauennam minime intermittebant, præſertim quòd nequaquam contemnendas inde commoditates, & militibus ex ea ſtrenuiſſimis conſcriptis, & ſtationibus habendis aſſequerentur. Quod cum uiſum eſſet multis in bellis, tum maximè in Ferrarienſi claruit, quod anno MCCCC LXXXII. aduerſus Herculem Eſtenſem, Ferrariæ Principem, a Venetis illatum eſt: cū Veneti Eſtenſem non manſiſſe pacto, Eſtenſis Venetos turbaſſe fines dicerent: in quo Italia eſt omnis diuiſa in partes duas, quarum alteram habebant Pontifex, Veneti, & Genuenſes, alterā Ferdinandus Neapolitanus Rex, Ioannes Galeatius Sfortia Mediolani Dux, & Florentini. Ex hac igitur vrbe, annona, & cetera ad bellum neceſſaria, in caſtra deferebantur, Bernardo Bembo tum vrbis Prætore: qui tamen Senatus Veneti iuſſu, Romam æſtate media, miſſus eſt, ad liberandum ea obſidione Pontificem, qua illum Alfonſus Calabrum Dux cingebat, cum ipſi antea Pontifex, per Hieronymum Riarium, ad opem Eſtenſi ferendam, aditum intercluſiſſet. Ceterum ut Eſtenſem Veneti vndiq. bello premerent, miſere militum Rauennatum circiter quattuor millia, Ioanne Antonio Caldora, & Nicolao Sicco Ducibus, ad Bagnacauallum oppugnandum: ad Trauerſariam autem Robertum Malateſtam Ariminenſem: qui cum optimo firmatum Ferrarienſium, Florentinorumq præſidio Bagnacauallum offendiſſent, Fuſignanum, ac Lugum cepere. Quòd autem Bagnacauallum præſidio firmatum compererint, Venetorum fecit militum cunctatio. Nam Dominicus, & Bartholomæus ciues Rauennates, quamquam ob perpetratum homicidium exules, tamen patriæ charitate impulſi, quod Rauennatis imperii illud olim fuiſſe opidū non ignorarent, illud patriæ reſtituere in hac rerum perturbatione conati, ſæpius ad Bembū Prætorem, Præfectūque diſſimulato habitu, uenerant, teſſeraq. tradita, impediēdæ ne claudi poſſet, & ut pateret noſtris ingreſſus, opidi portæ, expectabant, dū Rauennates Venetorū copiæ accederent: Sed illis tardantibus, neq. de more excurrētibus, patefacta res eſt: Tamen cum inde Dominicus, & Bartholomæus ſeſe eripuiſſent incolumes Decēuirū Venetorū decreto, quoniam cædē inconſultò, & ſine fraude effeciſſent, inſignemq. pro patria operā præſtitiſſent, & uitæ diſcrimen pro re Veneta augenda nequaquā ueriti eſſent, in patriā ab exilio reuocantur. Interea ad Claſſem Venetam, cuius erat Dux ſummus, Victor Superantius eques, & D. Marci Procurator, mari præfectus dū caſtellum Zaniolum, & Argentam obſidione premeret, commeatum Rauennates mittere, & è Rauennatibus agricolis calo

ANN. M. CCCC LXXXI.

nes multos,Chriſtophoro Paino,Chriſtophoro Ricco,& Guido Strigone ducentibus,ſubminiſtrare. Per hoſce dies Martinus a Cinta Antonius,& Martinus Thomaſii,Cymaclienſes ciues,ſuo & Cymacliensis Reipubl.nomine,eam vrbem Angelo Emiliano,Veneto,Iapidiæ,ac Piceni littoribus Præfecto,dedere:itaq. eò Chriſtophorus Morus cũ Venetis nauibus profectus,vrbem obtinuit: Cintæ,& Thomaſii, familiaq. eorũ omnis cõtulit ſe Rauennam ad habi-
ANN. M. CCCC. LXXXIII. tandum;Verum haud ita diu poſt Pontifex, cum aliquanto,quam uellet,Venetos in eo bello pertinaciores uideret,cum Neapolitano Rege,Mediolanenſi Duce,ac Florentinis fœdus pepigit,ut communi uoto in Venetos pugnaretur, a quibus repetebat Rauennam, Ceruiam,& aliquas præterea Flaminiæ Ciuitates,quæ ſui iuris dicebat. Veneti ex aduerſo Rauennam munire, circa mœnia,ad propugnaculi ſimulacrum,turres exædificare:quibus nomen ab iis impoſitum eſt,qui Prætores,& Præfecti urbis cum eſſent,eas ſubſtrũctiones curabant.Hinc Zancana,ab Andrea Zancano: Legia ab Andrea Legio cognomẽtũ habuit. Multos hic eſſe milites,& Guidum Rubeum Parmenſem,Petrum gentilem Varanum Camertem,Caſtellanum Tifernatem, Thadæum Manfredum Foro Cornelianum,& Auguſtinum Campofregoſum,fortiſſimos ex ſuis copiis duces iubere. Neque omiſere tamen Rauennates,quin die D. Vitalis feſto propoſito ad curſum e ſerico Demaſceno uiridi,ingẽtis pretii,ſtragulo,ſcriptis ad Ioannẽ Bentiuolũ a Magiſtratu Sapientum, Bononiam litteris, eum,ut, honoris ergo,equos ſuos pernicitate,ac velocitate præſtantes mitteret,amicè inuitarent,peterentq. idem ut Maluitiis,Gratis,& reliquæ nobilitati,qua illa abundat ciuitas, ſignificaret, quando illi uni eſſet præmiũ dandum, qui uirtute uiciſſet. Idem Conſtantio Sfortiæ Piſaurenſi ſcripſerunt:& Franciſco Michaelio, & Michaeli exercitus Veneti ad Argentam Quæſtoribus, ſi cui ex ductoribus earum copiarum eſſent idonei ad curſum equi, cum multos exteros hac de cauſa Rauennam uenturos, certo iam conſtaret. aulo poſt menſe Iulio,ut hoſtibus ſcrupulus de Foroliuio iniiceretur,& eò intenti,ab vrbe Rauenna conſilia abducerent,Antonium Ordelafum cataphractorum Ducem Rauennam mittunt,qui ædes incolens Matthæi Fabri, in regione D. Mariæ maioris, aſpirare ad Forliuienſem dominatum,hæreditario iure credebatur,aliquotq. is deinde annis habitauit in hac vrbe. Tumultuaria interim ſuccedebant cum Ferrarienſibus prœlia,in quibus Caſtellanus Tifernas,ab iis,qui è Bagnacauallo exiere, grauiter uulneratus, captusque, paucis poſt diebus; uxore ac filiis in Senatus
ANN. M. CCCC XLIIII. Veneti clientela relictis; interiit. Poſtero anno,Bagnacauallenſibus,Rauennatibusq.poſtulantibus,induciæ pactæ primum,mox ut ab armis per uiginti dies ceſſaretur, impetratum: ſed uix triduum deinde ceſſatum eſt. Verum cum tandem ex eo bello, Veneti uictores euaſiſſent, pace facta, Rauennæ ædes Prætorias, quas in foro nunc uidemus, inſtaurauere: vniuerſum uerò forum, cum herbis eſſet naſcentibus ignobile, tantumq. duabus ſemitis intercurrentibus diuiſum,egregiè lapidibus ſternunt,geminasq. ibidem columnas erigunt, quarum alteri Leonis,qui D. Marcum refert, alteri D. Apollinaris ſtatuam ex marmore, opificis nobilis, Petri Lombardi, opus, imponunt. Omnibus autẽ vndiq. pacatis,copias Veneti omnes dimittẽtes,Ioannis Aldrouandini Rauennatis,Opizonis filii; qui his omnibus, bellis cataphractorũ Præfectus,egregiè fortis militauerat,ſpectatã uirtutem magni æſtimantes, tametſi

ſagit-

ſagittarios equeſtres Rauennæ, miſſos feciſſent, tamen Aldrouandino florenos uiginti in menſtruũ ſtipendium deinceps etiã, tametſi domi quieſceret, tribue runt. Interea cũ Sigiſmundus Auſtriacus, mercatoribus Venetis quibuſdam ca ptis, qui Bolzanum ad nundinas conuenerant, bello aduerſus Venetos præbuiſ ſet occaſionem, quæ deinde non paruum incrementum accepit, Veneti ex ſu perioribus bellis intelligentes, Rauennatum fidei, ac uiribus quantum fiden dum eſſet, ex noſtra ciuitate iuſſerunt conſcribi ſibi copias: quod, & factum eſt; eoq. temporis momento ad Robertum Sanſeuerinum, Veneti exercitus Imperatorem, peruenerunt, cum Heluetii deſperatis induciis, combuſta Ro boreti arce, diſceſſerant: quamobrem nihil ea in re confici ab Rauennatibus potuit: additus tamen reliquis, ab eorum aduentu, animus: iamq. in Hel uetios quaſi fugientes, & in Tridentinas regiones impetus fiebat, uictoriaque propediem ſperabatur, cum Sanſeuerinus, dum excipere deſcendentes ho ſtes, repellereq. niteretur, in Atheſi ſubmerſus eſt. Haud tamen diu poſt, pax eſt conſecuta. Hoc tempore, fuit autem anno à partu Virginis MCCCC LXXXVIII. Franciſcani fratres, quos Obſeruantes uocant; Rauennæ excep ti ſunt, & ſedes illis ad D. Mamæ, extra vrbem, prope eiuſdem nominis por tam, data. Per id enim tempus Bernardinus Fertinus, Franciſcanus, per o mnem Italiam agendo, & docendo, tum myſteria ſapientiæ diuinæ ſumma e loquentia patefaciens, tum homines ad impuritatem animorum ſuorum uere cognoſcendam, illamq. ex animo deteſtandam, & cultum, ac uenerationem Dei amplectendam adducens, Rauennæ ſæpius id prædicabit: cumq. ob po puli frequentiam templa minus ſufficerent, in foro, ſumma uocis, quæ ad au res omnium integra pertinebat, felicitate concionabatur; e concione au tem, per occultos uicos, homines uitans, qui ex eius, perinde, ac uiri ſan cti, ueſtimentis, aliquid abſtrahere ſemper conſueuerant, domum redibat. Eius impulſu, & concionibus, Iudæi fœneratores urbe Rauenna haud ita diu poſt eiiciuntur, & interea certæ pecuniæ, & fundi, hominum piorum erogatio nibus, & Phyliaſii præſertim Rouarellæ Archiepiſcopi; qui multam numera uit pecuniam; coacti ſunt, ex quorum prouentibus, oppigneratis egentium bonis, pecunia traderetur: Montem Pietatis appellant: quem adhuc non abſ que pauperum ciuium vtilitate; ægre licet; extare conſpicimus. Fuit is annus à partu Virginis MCCCCXCI. Inſequenti Innocentius Octauus Pont. Max. qui Xyſti Quarti demortui fuerat ſucceſſor, ex hac uita migrauit: Su brogatur Alexander Sextus, Borgia, Hiſpanus: cuius Pontificatu omnis Ita lia Gallorum armis turbata eſt, dum Itali proceres, ipſeq. præſertim Hludo uicus Sfortia Mediolanenſe Imperium, pro Ioanne Galeatio fratris filio, ad miniſtrans, & ad integrum dominatum aſpirans, inſano ſtudio, Carolum O ctauum Galliæ Regem, ut Neapolitanum Regnum, tamquam hæreditarium, repeteret, in Italiam euocarant. Magno igitur cum apparatu Rex profectus, Ferdinando Rege cedente, Neapoli potitus eſt. Cum uero tam felici uicto riæ curſu, non modo Sfortia, ſed etiam Alexander Pontifex territus, cum Ma ximiliano Cæſare Venetis, & nonnullis præterea Regulis fœdus iciſſet, Alexan derq. iure fœderis ab Venetis præberi ſibi quingentos equites, pedites mille, qui vrbi Præſidio eſſent, poſtulaſſet, Veneti, quòd intelligerent eius obſeruan tiæ, qua Romanos Pontifices ſemper coluerant, eſſe, ut fortiſſimi, præſtantiſ ſimiq.

ANN. M. CCCC LXXXVII.

ANN. M. CCCC LXXXVIII

ANN. M. CCCCXCI

ſimiq. mitterentur, ex Rauennati ſtatione equites mittunt, cum maiorem partem Rauennates eſſent. Quod ab Rauennatibus libentiſſime factum eſt: quemadmodum etiam omni beneuolentiæ ſignificatione paucis poſt diebus Bernardum Contarenum acceperunt, nouas ſubſidiarias Ferdinando aduerſus Carolum copias, Senatus iuſſu ductantem. Verum is cum Rauennæ aliquantiſper commoraretur, ductus Rauennatum beneuolentia, ſed maxime rerum euentum perſpecturus, intereaq. Fauentini ſummo ſtudio peterent auxilium ſibi a Venetis, aduerſus exules, ferri, qui Aſtoris Manfredi, Galeotti filii, Fauentiæ Principis, adhuc pueri, ditionem fere omnem occupauerant, Contarenus Senatus Veneti conſulto, Rauenna Fauentiam cum equitatu & peditatu profectus, fuſis, fugatisq. exulibus, Fauentinum Imperium puero, quòd pene totum amiſerat, reſtituit. Cum autem D. Sebaſtiano dicatum in Rauennati foro templum, nimis uideretur anguſtum, Veneti illud augent, eamque adiectam partem D. Marco dedicant: in quo munere cum Marci Bragadini, hoc anno Prætoris, ac Præfecti pietas, maxime eluxit, tum fuit Magiſtratus Sapientum, ſtudium inſigne. Qui Magiſtratum autem gerebant, ii fuere. Hoſtaſius Raiſius eques, Albertus Donatus, Ioannes Baptiſta Spretus iuriſconſulti, Gaſpar Salomonius, Petrus Lunardus, & Franciſcus Raſponus. Per eoſdem etiam ferè dies ad Bragadinum litteræ Auguſtini Barbadici Venetiarum Ducis extant, quibus mandat ne quem Patricium Venetum in Rauennatem Senatum venire permitteret: quoniam id de omnibus locis Veneto Imperio ſubiunctis, Senatus Veneti conſulto eſſet cautum, ne ſuo commodo aut aliorum, Veneti patricii, quod adhuc illos feciſſe ciues conqueſti fuerant, in ſuffragium irent. Proximo anno ineunte, Rauennates, concionibus incitati D. Bernardini Fortini, ita uti ſupra dictum eſt, cum e monte pietatis iam excitato, magna ad egentes manaret utilitas, per Ioannem Baptiſtam Spretum iuriſconſultum, & Ghelfum Tizonum Medicum omnes, a patribus Venetis petiere, ut Rauenna eiicerentur Iudæi, aut ſaltem ne fœnerari pecuniam amplius, illis fas eſſet: Veneti auditis etiam, qui accurrerant Iudæis, decreuere, ne fœnerarentur; & eorum Synagoga, quæ loco celebri, & prope maximam ædem, erat, deſtrueretur: quod per litteras Marco Bragadino VI. kal. Aprilis ſcriptas, Auguſtinus Barbadicus Dux, conficiendum mandauit. Sub id tempus dum uario rerum euentu, Carolus Gallorum Rex, modo Neapoli potitur, modo expellitur, bellum tamen ſemper in Ferdinandum urgeret, nouus morbus in Italiam uenit, ex nouis regionibus importatus. Nam Chriſtophorus Columbus Ligur, Atlanticum, Fortunatasq. inſulas prætervectus, ſummo diurnæ nauigationis labore, occidentalem Indiam eodem hoc anno ab ortu Chriſti MCCCCXCII. Quinto Id. Octobr. primus, præterq. omnium opinionem adinuenit; multaq. inde, noſtris hactenus inaudita, in Europam retulit; & nouos mores, gentes, morbum etiam, quem Gallicum uocamus, aduexit. Pleriq. enim ex Columbi militibus a ſcortis in ea regione, quibuſcum rem habebant, contracto morbo, qui apud illos perfamiliaris, & perfacilis eſt, in Hiſpaniam redeuntes, Neapolim ad Ferdinandum ſubſidio miſſi ſunt: non fuit autem difficillimum, ut breui milites alii complures, mulieresq. multæ contactu Venereo, afficerentur, & per transfugas Gallico exercitui communicaretur. Hinc cum Neapoli primum in homines palam irruerit,

ANN. M CCCC XCII.

rit, a Gallis morbus Neapolitanus eſt uocatus: cum vero Galli uel per intem perantiam,& plenam viuendi rationem,uel ob eius regionis caliditatē,in qua præter conſuetudinem verſabantur, uiribus infirmi redditi, eo morbo plus, quàm alii indigenæ occupari cœpiſſent, ab Hiſpanis, atque Italis Gallicus appellatus eſt. Sunt tamen quibus hæc morbi huius origo, ob eam cauſam non arrideat, quoniam Petrus Martyr Angleria, Mediolanenſis, qui a Mediolanenſi Duce ad Fernandum Aragonum Regem, & Reginam Iſabellam Legatus, & cum ipſo Chriſtophoro Columbo collocutus, Decadas de nouo illo orbe exarauit huius nuſquam morbi meminerit, eundemq. ſilentio inuoluerit Fernandus Columbus Chriſtophori filius, qui patris nauigationem deſcripſit, potiusq. Hieronymi Fracaſtorii ſententiam ſequatur, ſcribentis morbum hunc, non a nouo morbo aduectum, ſed a cæli conuerſione ortum, eadē remeante, interiturum. Emergunt in hoc morbo, ad obſcœnas partes puſtulæ, maligna vlcera, uirulentaq. ſeminis defluxio, inguinum bubones, dolores ingentes, qui medios artus obſident, uigiliisq. tandem, & diris cruciatibus conficiunt hominem. Superioribus annis cum cruciatus implacabiles cieret, & ulcera, quibus uel oſſa miſere, ac fœde rodebantur, nunc plurimum mitigatus, uel remediorum inuentione, uel aſtrorum immunita malignitate, in depilationem omni fere ex parte degenerauit. Plurimis enim capitis, ſuperciliorum, ac barbæ pili ſenſim, aut parua, aut nulla corporis offenſione defluunt. Ingentem hunc morbum, nobiliſſimarum rerum, ac medicamentorum inuentio compenſauit. Ex ea enim, quam Hiſpaniolam vocamus, atq. etiam ex Peru, ubi multa regna nobiliſſimis, ampliſſimisq. ciuitatibus ornata extant, ſunt multa reperta, quæ adhuc in hoc noſtro orbe deſiderabantur. Quòd ſi hic quædam quoque adſint, longe ab illis, & nobilitate, & multitudine exceduntur, ut Aurum, Argentum, Vniones, Smaragdi, & huiuſmodi alia. Inter cetera ingens auri, & argenti copia admirabilis eſt, quæ quotidie in Europam ex illis regionibus inuehitur: arborum item, herbarum, liquorum, gummorum, lapidum immenſa, atque inaudita varietas: & veterum ſimplicium, de quibus Dioſcorides & reliqui ſcripſere, uera & auctoribus illis ignota origo. Peru prouincia, ſub Torrida zona magnam partem eſt: montibus, atque etiam planitie abundans. Tota calidiſſima eſt planities, & montium pars etiam quædam, præſertim vbi ſunt riui. Qui frigidos montes incolunt, æſtatem Aprili inchoant, hiemem Octobri. Qui uero ſubiectos habitant campos, hiemem Aprili, Octobri æſtatem. Aeſtas, atque hiems montium incolis ingentes imbres affert, cum tamen in campis ſubiectis ea ſit ſiccitas, uix ut aliquando leuiſſimo imbri puluis hieme aſpergatur, eumq. nubes videntur aquis prægraues, quæque ſolis aſpectum impediunt, tamen aut in montes aqua omnis decidit, aut ad plana delati imbres, roris ſimiles ſunt. Sed hæc iis relinquo, qui de illis regionibus commentarios magnos ſcripſere. Paucis poſt annis Emanuele Rege Luſitano iubente, ultra promontorium Praxium, & Bonæ ſpei, Aethiopicum litus perluſtratum eſt; gentes ſubactæ; Perſici ſinus anguſtiæ ſuperatæ; Congo Regnum in Aethiopia ab iis eſt inuentum, vbi homines, non cum eſuriunt, comedunt, ſed cum cibus ſuppetit; ad hoc uitæ genus, ut canes, aſſueti: eſt enim ſterilis admodum regio, & rerum fere omnium inopia laborans, in qua tamen homines viridi

ridi ætate octuageſimum excedunt annum; inopia, vitæ diuturnitatem aut efficiente, aut certe nequaquam impediente. Ormus autem felicis Arabiæ opidum ex contrario, & omnibus ob gentium conuentum, quæ ad illud Emporium concurrunt, abundat, & homines habet ſollertiſſimos, tantaque excellit caliditate, ut calidiora Aethiopiæ loca, ſi illi conferantur, facile temperata iudicentur. Quæ quaquam ſcriptores hac ætate multi tradant, ea tamen luculentius, Cechino Martinello Rauennate, viro materiæ medicæ cognitione præſtantiſſimo, Andreæ clariſſimi Medici, Latinè, Græceq. doctiſſimi fratre, referente didici. Is enim & peragrauit regiones illas, & cum digniſſima ſcitu plura mihi retulit, tum dedit Manucodiatam, auem pedibus deſtitutam, admirabili naturæ opere, quæ ut in neceſſariis nequaquam deeſt, ita non abundat in ſuperuacaneis. Auem ſine pedibus ullam ſe nouiſſe, negat Ariſtoteles. In Moluchis inſulis ſub æquinoctio mortua in terra aut mari colligitur, quæ uideri uiua numquam ſolet. Carere autem pedibus idcirco putandum, quòd in ſublimi, perpetuò habitet. Corpus eius, & roſtrum, hirundinis ferè diceres: ſed aliquantò maius pēnæ alarum, & caudæ accipitrē magnitudine, dum alas extendit, ſuperant, orbemq. ita ſimul cum cauda cōficiunt, vt Solem referant. Sunt verò tenuiſſimæ, & ſimiles, ſi tenuitatem tollas, pennis pauonum fœminarum omnino, niſi quod aliquantò magis rufeſcunt. Huius quam vidi dorſum ſinuabatur introrſus, atque ob id marem putabant, in eaq. cauitate, oua fœminam facere, & excubare, cum fœmina cauum habere ventrem dicatur. Hærebat in cauda filum, longius tribus palmis, colore nigro, medium inter quadratum, ac rotundum, neque admodum craſſum, illius non diſſimile, quo crepidas cerdones conſuunt. Hoc alligari maſculo fœminam, dum incubat, creditur. Cibum, potumque, præter cæli rorem, nullum eſſe exiſtimandum, & ſi quid eſt laſſitudinis, illam & uiciſſitudinem, & alarum motum excutere. Has tamen regiones omnes ab antiquis etiam cognitas fuiſſe, innuit Plinius, qui Hannonem Carthaginiēſem, nauigatione, omnem Africam circumiſſe ſcribit, & Eudoxum quendam, Lathirum fugientem, Regem Alexandriæ, ex ſinu Arabico profectum, mari ad Gades perueniſſe: quod auctoritate Cornelii Nepotis confirmat. Idem Pomponius Mela, idem Strabo memoriæ produnt, & multo ante Corneliū Nepotem, notauit Antipater, hominem ſe vidiſſe, qui è mari Hiſpano in Aethiopiam, faciendæ mercaturæ cauſa ueniſſet: Alios etiam in has regiones, & cetera loca nauigaſſe fortaſſe ſciremus, ſi extaret liber, quem Scilax Cariandēſis, Suida teſte, de nauigatione extra Herculis columnas, compoſuit. Eſt autem in eo tractu inſignis Indiæ Orientalis portus, Goa, iuxta Calecutum. Malacha item in aurea Cherſoneſſo. Ex Malacha ad Chochim itur, inde ex Sina, quam uocant Chinam, ad Iaponiam inſulam, ubi plura Regna admodū opulenta ſunt, quam paucis ante annis Franciſcus Xauerius præclariſſimæ Societatis Ieſuitarum ſacerdos, non abſq. innumeris vitæ diſcriminibus, Chriſti fidem primus edocuit, magno deinde fructu, ab eiuſdem ordininis ſociis propagatam. Verùm ut hæc omittentes; quæ ob rei magnitudinem nequaquam ſummatim prætermittenda putauimus; eò redeat oratio noſtra, unde diuertit. Cum Rauennatibus ſtipendia, quæ militibus ſoluebant, vocabant taxas, nimium ſibi grauia viderentur, per Pompilium Pretum iuriſconſultū,

&

& Petrum Lunardum Oratores ſuos, Venetias miſſos, impetrarunt a Patribus, illa ne darent equitibus, præter unum Carolum è plano Meleri, qui Rauennæ tum erat, Venetæ alæ Præfectum: cui in viginti tantum equos tributum numerarent, cum Taruiſini, Foroiulienſes in longe plures ſoluerent: quæ omnia Auguſtinus Barbadicus Dux, per litteras ad Andream e Lege Prætorem, Præfectumq. Rauennatem XVII. kal. Decembr. anno MCCCCXCIIII. ſcriptas ſignificauit, & fieri mandauit. Per hunc modum cum Veneti ciuibus Rauennatibus, ipſaq. vrbis vicinitate, maxime iuuarentur, id præſertim in Gurlino Tombeſio, ciue nobiliſſimo Rauennati, viſum eſt, qui belli artibus, & gloria clariſſimus, vbique & rem Venetam pro virili tuebatur, & ſuum, patriæq. nomen, non abſque ſumma gloria, efferebat. Nam cum Alexander Pontifex, Maximilianus Cæſar, Veneti, & Ludouicus Sfortia, victoria & armis; vti ſupra memorauimus; Caroli Regis Gallorum perterriti, fœdus feciſſent, eoq. fœdere audito Carolus, præſidiis in Neapolitano Regno diſpoſitis, ne illorum armis circumueniretur, reditum pararet in Galliam, eſſetq. iam ab eo Piſas ventum; quas diu Florentini oppugnauerant; Ludouicusq. Aurelianus, quem apud Aſtam ad incerta belli, cum ualida copiarum parte reliquerat, Nouariam occupaſſet, Veneti, opem Sfortiæ laturi, copias ſcribunt: quarum vt Imperatorem fecere Franciſcum Gongazam Mantuæ Principem, ita cohortis nobiliſſimæ, atq. ampliſſimæ, Gurlinum Tombeſium, honorificis adiunctis titulis, Præfectum creant. Qui nequaquam tanto honori, atque oneri impar, eo prœlio, quod ad Tarrum amnem commiſſum eſt aduerſus Carolum Regem, dum in Galliam Rex feſtinaret, ea uirtutis monumenta præbuit, ita fortiter Gallorum audaciam repreſſit, vt militaris gloriæ, ſempiternæq. laudis immortale, ac ſummum culmen, omnium conſenſu, attigerit, cum pauci admodum in eo infelici prœlio fuerint, quos temeritatis, atque imprudentiæ nota non fuerit conſecuta. Hanc ob rem Mantuanus permotus, cum Nouariam, in qua Ludouicum Aurelianum eſſe diximus, oppugnaret, Carolo iam Taurinum profecto, & Galli Duces, qui introducere præſidium, & commeatum in urbem conabantur, egregie, multis captis, fuiſſent repulſi, atque ob id acrius hoſtes incluſos vrgeret, viſa occaſione, munitionis, quam ad extremũ ſuburbanorum tectorum caput Aurelianus erexerat, occupandæ, id prouinciæ Gurlino mandauit. Qui nobili auſu, nihil a virtute, conſtantiaque animi, qua vti ſemper conſueuerat, degenerans, in eam munitionem tranſcendit: Gallisq. intra portam compulſis, totam eam munitionem, quòd ex materia ceſpiteq. conſtabat, protinus incendit. Sub id tempus cum Piſanum Bellum, Florentinis eam vrbem repetentibus, conſecutum fuiſſet, Piſani, poſtulato a Venetis impetratoq. præſidio, Gurlinum, & cum eo Ioannem Fabrum item Rauennatem, virum, ut ex eadem, qua & Gurlinus, ciuitate, ita virtute nequaquam diſſimili, omnium libentiſſime accipiunt. Nec ſpei defuit euentus: cum enim in leuioribus eius belli prœliis Ioannes Faber ſtrenuã operam ſemper præſtitiſſet, dum virtute, inſidiis, audacia, nouisq. artibus quotidie certaretur, maxime tamen virtutem ſuam in eo patefecit, cum Franciſcus Siccus Florentinorum Dux, circumuenire Paulum Manfronum cupiens; in cuius cohorte Ioannes Rauennas militabat; e Vico Piſano hominem ad pugnam trahere conabatur; cuius ſtudio putabat fore, vti Manfronus in

ANN. M. CCCC XCIIII.

ANN. M. CCCC XCV.

loca

loca uel iniqua; quibus ager ille ob paludes,ac colles abundat, incaute pertraheretur. Quod cum efficere Siccus iam tentaret, circumlocatis inſidiis, miſſisq. pabulatoribus in campos, qui a Bientina;vbi Siccus erat; ad Vicum Piſanum, uberes pertinebant,Manfronus Ioannem Rauennatem, & Ioannettũ Palaiam cum expeditis turmis celeriter emittit, moxq. ipſe cum graui armatura equeſtri, ſubſidiariisq. peditibus ſubſequitur: idem Siccus facit, acciris e proximo cataphractis: prœliumq. auctis vndiq. viribus, peracri concurſu commiſſum, Manfrono & Rauennati omnino victoriam præbuiſſet, niſi in inſidias præcipitati fuiſſent: vbi tamen adeo fortiter, ac ſtrenue rem geſſerunt Manfronus, atq.Rauennas; vt, cũ diu irruentes undique hoſtium cuneo ſuſtinuiſſent, tandem ambo in Vicopiſanum honeſtiſſimis vulneribus confoſſi; cum multi capti, trucidatiq. fuiſſent; glorioſe uicti redierint. In eo Piſano bello, maximo vſui Venetis Rauenna, ipſiusq.ciues fuere: ſi quidem ibi Duces in ſtatione locabantur, habebaturq. magno commodo ex ea vrbe, finitimisq.agris delectus, & perpetuo per decem amplius annos, equites, Epirotici præſertim, ſupra mille, in ſtatione non ſine graui ciuium detrimento, & incommoditate ibidem commorati ſunt: Cumq. Piſis maxima commeatus penuria laboraretur, nauibus præſertim quibuſdam Venetis, quæ illum importabant, a Gallicis nauibus captis, Rauenna frumentaria ciuitas non defuit. Verum ea utilitas longe omnium præſtantiſſima eſt viſa, cum Ludouicus Sfortia, Carolo Rege uita functo, & in eius locum Ludouico Aureliano; quem,ob incertam Gallici nominis appellationem, aliqui Loyſium etiam vocant, ſubrogato, tanti adeoq. inimici Regis metu quaſi omnino liberatus, paulo apertius hoſtilem in Venetos animum patefaciens, Catherinam Sfortiam adduxerat, filiam ex fratre ſpuriam, quæ Foroliuii & Cornelii dominabatur, ut ex ſuis finibus milites cogeret, & Florentinis diuturno bello exrenuatis ſubſidio mitteret. Eum delectum cum cœpiſſet Catherina habere, reſcitumq. fuiſſet; Rauennatibus id ſignificantibus; a Senatu Veneto, ſtatim conquiſitores tres, & Antonius Ordelaphus, hæreditario iure ad dominatum Forliuii aſpirans, Rauennam miſſi, qui Catherinæ, niſi delectum ſiſteret, bellum indicerent: Quod & factum fuiſſet, Ordelaphumq. Imperio reſtituiſſent, niſi opportuna ſeſe aliunde tuliſſet occaſio, Piſanis,per Sollianum, Ramberti Malareſtæ opidum,ſubſidio proficiſci. Cum uero Marathæ & Criſpini; quæ ſunt, in finibus Florentinorum, qua in Flaminiam pertinent, opida; expugnationem pararent, Vrbini Principe, Petroq. Medice copiarum Imperatoribus, Rauennam tormenta bellica tranſmiſſa, finem expugnationi optatum impoſuere. Omnibus igitur; uti diximus; eius belli caſibus Rauenna Venetis præſto fuit, & ducibus, militibusq. ſtrenuis ſuppeditatis, in quibus maxime Hieronymus Guaccimannus alæ cataphractorum præfectus maxime emicuit; & rerum copia; & ipſa loci propinquitate: ſi quidem hic aut defeſſi milites ad priſtinam virtutem reuocabantur, aut opportunum bello tẽpus expectabãt,aut Venetiis,breui maris tractu,expeditiſſimoq.itinere,copiæ tranſmittebantur, aut morbis Ducũ & militum leuatio,& quies exhibebatur: quod inter ceteros Ioannes Gradenicus expertus eſt,qui cũ incidiſſet,eo bello,in difficilem morbum Rauennam delatus; unde paulo ante cum Græcis equitibus, ac peditibus, ad oppugnanda pleraque Florentinorum opida ad Vallem ſtagni,

ANN. M CCCC XCIX.

gni, fuerat profectus, cito conualuit. Inſequenti anno, qui ſæcularem proxime anteceſſit, cum Paulus Vitellius Piſas adortus, Stampacis propugnaculum occupaſſet, atque inde in urbem irrupturus eſſe uideretur, Gurlinus, cuius conſilio; ut Franciſcus Guicciardinus auctor eſt; Piſani res omnes agebant, occultis in foſſa domibus factis, ne repleri ab hoſtibus poſſent, ab interiori area tormentum ingens; qui Bubalus ab incredibili uiolentia vocabatur; in eam partem obuertit, cuius pilarum tanta fuit uis, ceterorumq. tormentorum, quæ in munitionibus ad Diuum Antonium diſpoſuerat, ut omnia monumenta a Vitellio objecta diiiceret, tandemq. referre pedem Vitelliani coacti fuerint. Quæ res magnam apud omnes, Gurlino gloriam comparauit. Interea a Venetis Rauennam litteræ ſunt miſſæ, in quibus erat ſcriptum, uellet ciuitas Reipubl. Venetæ certam pecuniæ ſummam, nomine ſubſidii, numerare; quod tributum ceteris quoque Venetorum locis, quæ in mediterraneis, & continenti habebant, commune, tantum abfuit, ut commoueret Rauennatum animos, grauateq. ab illis ferretur, ut libentiſſime Quæſtoribus confeſtim omne contulerint. Vt hoc autem tributum exigeretur, ingens bellorum flamma fecerat, qua utrinque mari, & terra, propugnando, & pugnando Veneti flagrabant. In Gallia Ciſalpina aduerſus Ludouicum Sfortiam, haberi militum delectus oportebat, eius fœderis iure, quod cum nouo Galliæ Rege, Alexandroq. Pontifice percuſſerant. In Oriente magna claſſis erat comparanda, Carnorumq. & Fori Iulii loca munienda, quòd Baiazetes Turcarum Imperator, ab Ludouico Sfortia in auxilium vocatus, terra, mariq. arma pararet. Quod bellum, ut omnibus terrorem ingentem iniecit, ita, non eam, quam omnes timuerant, perniciem inuexit: tametſi eius æſtatis exitũ Scanderbaſſe Illyrici Præfectus, cum duodecim millibus equitum, ſuperatis Natiſone, Liquentia, Soncioq. & Tiliauento altiſſimis fluminibus, in Euganeos; capto magno hominum numero penetrauit, & trucidatis immaniter, quos ceperat, ſenibus, in Tiliauenti amnis ripa, ſuperioris noctis imbribus aucti, unde uenerat, reuerſus eſt, poſtquam ſe Ludouico ſeram opem attuliſſe, didicit. Cum vero in eo fœdere, quod cum Ludouico Rege, & Venetis, Alexander Pontifex fecerat, præter Galliæ Togatæ, & Vmbriæ Regulos, pleraſque etiam ciuitates Flaminiæ, quæ ad Romanæ Eccleſiæ iuriſdictionẽ ſpectabant, Cæſari Borgiæ filio deſignandas curauiſſet, iamq. aperto bello, Borgia, Heluetiis mercede conductis, adiunctoq. ſibi Gallico equitatu; cui Alegra præerat; Catherinam Sfortiam Foroliuii, & Cornelii expuliſſet, dedentemq. ſe demum, captiuam Romam duxiſſet; Fauentiæq. Arimini, & Piſauri imperio immineret, Veneti, ut Rauennates ab illius belluæ immanis impetu tuerentur, & ceteros fines ſuos, peditum millia tria, equitum duo Rauennam, Bartholomæo Liuiano Duce, Franciſco Capello, & Chriſtophoro Mauro Legatis, mittunt; qui milites certorum locorum in Flaminia, præſidio diſponerent: quod a Legatis, Arimini, & Fauentiæ, quibus locis Veneti præerant, factum eſt. & cum in ipſa vrbe Rauenna cataphracti magna ciuibus incommoda afferrent, aeremq ob tetrum fimi, & huiuſmodi reliquorum uaporẽ corrumperent, domosq. diruerent, id Rauennatesq. apud Auguſtinum Barbadicum conqueſti, & ut in agro collocarentur per Ioannem Baptiſtam Spretum, & Blaſium Pretum juriſconſultos, Oratores ſuos poſtulantes, omnia im-

petrarunt: litteris ab Duce hac de re ad Troilum Maripetrũ Prætori, Præfectoque Rauennati ſcriptis. Florebat autem hoc tempore Rauenna, præter inſignes belli artibus viros, pacis etiam & diſciplinarum cultoribus, in quibus Petrus Thomaius, ob excellentem utriuſque iuris peritiam, admirabilemque & inauditam memoriam, ubique celeberrimus fuit, maximeque enituit, ipſiſque Cæſaribus Friderico, & Maximiliano, Regibus item, & ducibus, ceteriſq. Principibus viris cariſſimus. Teſtatum id equeſtris dignitas facit, qua ab Friderico Tertio Cæſare exornatus eſt, inſigneſq. honores, quibus a Maximiliano Cæſare, Bonifacio Montisferrati Regulo, Eleonoraq. Aragonia Ferrariæ Duce, ſummis, & maximis eſt affectus. Præceptorem habuit Alexandrum Tartagnum ForoCornelianum: celeberrimis in Gymnaſiis, Patauii, Bononiæ, Ticini, Ferrariæ, Piſis, Piſtorii; ubi etiam ciuitate, maximiſq. prærogatiuis, & immunitatibus donatus eſt; ius Pontificium, & Ceſarianum magna auditorum frequentia, explanauit. Ea fuit memoria, ut concionẽ, rationemve ab ſe auditam ſemel, ad verbum recitaret: & coram Maximiliano Cæſare, præter ſexti, Decretalium, & Decreti, iuriſq. ciuilis librorum ſententias, interpretum earum legum effata, ſupra viginti millia, diuinorum librorum ſeptem millia, memoriter pronunciauerit: Sed hæc memoriæ illius pene portenta, qui noſſe cupit, librum perlegat, quem ipſe Phœnicem inſcriptum, de acquirenda memoria edidit. Auditores habuit, inter ceteros, Hieronymum Bottigellam Ticinenſem; qui ſummus deinde iuriſconſultus euaſit, & Ioannem Marium Riminaldum Ferrarienſem. In academia Gripeſuualdenſi primum, ſub illuſtri Principe Gugslao Pomeraniorum, & Stettinenſium Duce, mox in Vuitembergenſi diu iura interpretatus eſt: in quo munere decedens, Vincentium filium iuriſconſultum optimum, Vuitembergenſis Ducis conſiliarium, bonorum, & muneris hæredem, ſucceſſoremq. reliquit: eius opera, gemina iuris compendia, alterum Pontificii, Cæſarei alterum, Alphabetumq. iuris, (is libri titulus eſt) & Singularia a Petro patre compoſita, in lucem e tenebris vindicata ſunt. Pauciſq. ab hinc annis eiuſdem librum de Feudis inſcriptum, Germani Typographi in uulgus efferentes, doctiſſimi uiri, Rauennæq. patriæ nomen, non ſine magna laude, renouarunt. Inſignis quoque habebatur hoc tempore; quamquam ætate iuuenis; Bernardinus Cattus, item Rauennas, qui ad iuris ſcientiam, poetices ſtudia haud ineleganter, Latine, & Etruſce, adiunxerat. Præceptores in Legum ſtudio habuit Patauii Campegium, & Iaſonem: ſcripſitq. aliquot diſputationes, ubi multis utrimq. adductis opinionibus, decernit tandem, quid ſentiendum ſibi de iure videatur. Adſcripſerat ſibi Lydii prænomen, cum, iuueniliter incenſus, adamatam quoque adoleſcentulam, Lydiam, ficto nomine appellaret. Maiori autem ingenii ui, quam eruditionis, atque eloquentiæ vena, Latine, iis carminum generibus, quæ appellant Anguinea, & Sotadica, eſt delectatus. Interpretatus eſt etiam Hexametro, & Pentametro carmine legem editam Codicis de Edendo: adducitq. contra argumentantes diſcipulos, eorumque ipſe argumenta repetit, ac diſſoluit. Ceterum ea magis iucunda iuuenibus putantur, cum multiplici Latinorum carminum genere ab adamata Lydia cor repetit, ac perſequitur lite, atque iudicio. Vbi, quod a cauſidicis, & ad aduocatis adhiberi cauſis iudicialibus ſoleat, nihil eſt ab ipſo prætermiſſum.

HIE-

HIERONYMI RVBEI HISTORIARVM RAVENNATVM

LIBER . OCTAVVS

AD noſtrum ſæculum uentum eſt; in quo tam vario & mirabili rerum euentu res ipſa luſit, ut, ſi, quæ tercentis abhinc annis Rauennæ geſta ſunt, numerentur, longe iis cedant, quæ intra huius unius ſæculi, nec tamen perfecti, limites concluduntur. Cuius initio, ſæcularem annum Alexander Pontifex aperuit, rerum nouarum ſucceſſibus, motuque totius Italiæ conſpicuum. Nam Pontifex diuina omnia & humana coniunxerat, vt Cæſari filio; qui, ſacra purpura abdicata, Candianoq. fratre interempto, magnum Imperium affectabat; opitularetur: & Baiazetes Turcarum Imperator, terra, mariq. ingentes copias deſcribebat. Cum autem Veneti metuerent, ne id negotii, atque apparatus quid quid eſſet, in eorum perniciem conuerteretur, ea Fori Iulii loca munire, quæ minus firma videbantur, conſtituentes, Gurlinum Tombeſium, & Liuianum Rauenna accitum, ei prouinciæ præficiunt. Huic ſuos equites; illi, quòd erat ex primariis Centurionibus, ac Tribunis, & plurimum prudentiæ opinione, rerumq. geſtarum gloria apud Venetos ualebat, peditum duo millia adiunxerunt: Petro Orio, & Angelo Barotio Legatis. Qua munitione diligenter ab eis abſoluta, cum adhuc Piſanos Florentini acriter premerent, Piſani Gurlinum ad ſe, Venetorum permiſſu, euocatum, copiarum, uniuerſiq. exercitus Imperatorem kal. Maii. creant: eiusq. conſilio, atque ope grauibus ſtatim incommodis leuantur. Per id tempus cum Baiazetes cum centum quinquaginta armatorum millibus ab Iſthmo, Peloponeſſum ingreſſus, Methonem oppugnaret, Antonius Faber Rauennas, militari gloria præſtans, quem Veneti eam ad vrbem, præſidii præfectum miſerant, acri animo, & ſumma virtute reſtitit, omninoq. eluſurus omnem Barbari conatum videbatur, niſi triremes aliquot Venetæ aduenientes, ad ſe milites omnes Methonenſes, deſertis imprudenter ſtationibus, auocaſſent. Quapropter Barbari vrbem ingreſſi, editaque magna cæde, Græcos ſimul, & Venetos milites obtruncant. In qua ſtrage Antonius Faber, non inultus trucidatur. Paulo poſt Corone etiam capto, cum Baiazetes ad oppugnandum Nauplium caſtra admouiſſet, teſtatiſſimum, atque illuſtriſſimum virtutis ſpecimen Gurlinus, e Piſano bello

ANN. MD.

a Venetis ſtatim reuocatus, exhibuit: nam ita Nauplienſes iuuit, ut fruſtra Helibaſſa ſummam rerum, & virium fuerit expertus. Quamobrem cum claſſis Barbara victrix, Nauplio excepto, omnibus ex ſententia confectis, ſe Byzantium reciperet, & in Melchioris Triuiſani iam demortui locum, claſſi Venetæ Benedictus Piſanus præfectus eſſet, hic Gurlinum fecit omnium copiarum ſuarum, non modo Legatum, ſed, pro eo, ac licuit, Imperarorem: eoque Comite, poſtremis barbaræ claſſis nauibus pluribus captis, Aeginam, Lesbum, Tenedum, Samothraciam, aliasque præterea inſulas & urbes, a Turcis antea captas, ſumma felicitate Reipub. reſtituit. Nec diu poſt Hiſpana claſſis, quam, Alexandro Pontifice fauente, Veneti ab Ferdinando Rege impetrarant, cum aduenisset, Conſaluusq. Ferdinandus; qui illi præerat; coniuncto ſibi Piſano Cephalleniam vrbem; a qua vniuerſæ inſulæ nomen eſt impoſitum; ad certam diem aggredi conſtituiſſent, Gurlinus ante alios oppugnationi initium primus dedit, iamque admotis caſtris, tormentorum diſploſionibus, ſcalis, omniq. genere apparatus, expugnatio tentata ſperabatur, cum Gurlinus, ſexq. Veneti patritii, nonnulliq. Hiſpani Duces, ab iis, qui e muro ſaxa, omniaque armorum genera iaciebant, ſunt uulnerati. Cum autem reliqui fere ſtatim interiiſſent, Gurlinus, bello non amplius commodus, hortantibus aſſidue Piſano, & Conſaluo, peneque cogentibus, qui illum vnice ob ſingularem virtutem diligebant, Rauennam delatus; paucis poſt diebus, anno inſequente, interiit: cuius obitum Piſanus & Conſaluus quàm moleſte tulerint, lacrymis, & ſummis optimi Ducis laudibus indicauere. Senatus Venetus, ut more maiorum virtutem hominis inſignem, gratam ſibi fuiſſe, ſuoque prudenti iudicio probatam ſignificaret, filiis, annuam penſionem conſtituit: filiabus, nomine dotis, auri libram & dimidiam dono dedit. Cephallenia autem breui poſt tempore expugnata eſt. Rauennates Gurlini mortem acerbe ferentes, quòd florentiſſimo in re bellica, nobiliſſimoq. ciue priuatos ſe intuebantur, funus illi egregia pompa celebrarunt: locus ſepulturæ in D. Nicolai datus. Sub id tempus Veneti, Borgiæ tumultu compulſi; qui per Flaminiam magno cum exercitu, imperium, ac opes eius prouinciæ Regulorum diripiens, vagabatur; pedites mille, equites qningentos Rauennam miſerunt, ut cum iis coniuncti, quos antea miſerant, ciuitates Veneto Imperio ſubiectas facilius tuerentur: Ioannem autem Baptiſtam Carracciolum, Liuiano Comitem adiungunt, & ambos Rauennæ eſſe, aduerſus Borgiam; ſi quid moliretur, uolunt. Hoc tempore Canonicorum Portuenſium ædes, mirabili pulchritudine ædificiorum, ordineque porticuum multiplici, & ſumma elegantia ædificabantur: cuius ſtructuræ ſpecies, & interiorum cubiculorum, aularumq. artificium, nobilibus hortis infinitum in modum decorabatur. Aedem huc transferendam, quam Diuæ Mariæ Virgini Petrus Peccator; uti ſupra docuimus; in Portu ex uoto olim ſacrauerat, Canonici curarunt, Phyliaſio Rouarello adhuc Archiepiſcopo, Antonio autem Franchino ciue Rauennate, & Vrſianæ ædis Canonico, eius Vicario. Qui Franchinus cum eſſet antiquitatis ſtudioſus, Alexandrum ForoCornelianum Carmelitanum Cuculatum, in Flaminia ſui ordinis Prouincialem Præfectum, hortatus eſt, ut Petri Trauerſarii monumentum, quod ad D. Ioannis Bapti-

ANN. M. DI.

ſtæ uti memorauimus; extabat, & adhuc extat; aperiri iuberet. Quod
cum feciſſet Alexander, uiri nobiliſſimi cadauer viſum eſt fere ab omni parte
integrum, uariegato habitu indutum, caligis, ſoleis, ac puluinis ex corio
inauratis, foliorum lauri plenis, capite diademate redimito, & cingulo, in
quo Græcis litteris inſcriptum in hanc ſententiam erat. Regum ſocius Pe-
trus ſtemmatis magnorum Trauerſariorum, Rauennatis vrbis vetuſtiſſimæ
Rector; auſpiciis ſemper vſus melioribus. Cum autem ad cadauer manus
admouiſſent, extra oſſa, in cineres omnia abiere: quamobrem ceteris ſeor-
ſum poſitis, oſſa in eodem monumento Antonius Franchinus accurate collo-
cauit. His diebus GuidVbaldi Feltrii Vrbinatium Ducis, repentinus, &
commutato habitu, aduentus, uehementer omnes Rauennates turbauit, au-
ctusq. eo magis timor, cum fugæ, aduentusq. cauſam nouiſſent. Nam tunc
Cæſar Borgias; qui omni fere Flaminiæ dominabatur, & imperio Vrbinati
inhiabat; GuidVbaldo bellum aperte inferre multis de cauſis nequaquam au-
ſus, coacto exercitu, ſimulataq. in Varanos Camertes prouincia, a GuidV-
baldo milites, tormentaq. bellica; iure fœderis, quod cum eo contraxerat;
& petiit; & impetrauit: ſtatimq. Ducem, nihil tale opinantem, a milite, &
tormentis minus inſtructum, factis in eius fines irruptionibus, aggreditur, &
uſque Vrbinum, nullo repugnante, progreſſus, parum omnino abfuit, quin
Ducem caperet. Verum ipſe breui horarum interuallo, agricolarum con-
ſcenſis equis, ruſtico indutus habitu, per inſuetos calles, Rauennam ex fu-
ga ſe contulit: ubi ab omnibus fere ciuibus obſeruantiæ, & conſolationis cau-
ſa uiſus, curato nonnihil corpore, Mantuam profectus eſt. Borgia eodem
belli impetu Arimino, Pandulphum Malateſtam depulit. Quattuor Vara-
nios proceres Camertes necauit: Sfortianis Piſaurum eripuit: nobiliſſimas
tandem Italiæ familias ſanguinariis manibus miſere afflictas, ad extremam fe-
re perniciem deduxit. Poſtero anno Veneti reſtituendæ Vrſianæ ædis cupidiſ- ANN. M.
ſimi, quæ ruinam minabatur, decernunt ex Archiepiſcopatus fructibus, du- DIII.
catos mille in eum vſum, apud certos homines deponi. Extant hac de re
Leonardi Lauredani Ducis, ad Vinciguerram Georgium, Prætorem, & Fran-
ciſcum Venerium Præfectum Rauennæ litteræ, pridie Non. Maii ſcriptæ:
quibus etiam iubet, ut hunc Reipubl. ſenſum, Archiepiſcopi Vicario antea
ſignificent, cui etiam ſenſui illud additur, ut hac ratione, cultui Diuino ſatiſ-
fiat, qui propter Archiepiſcopi abſentiam lababat: ipſumque tandem Vica-
rium, & Archiepiſcopum ſi poſſent etiam, atque etiam hortarentur, ut ſacer-
dotia ciuibus Rauennatibus darent, aut Imperio Veneto ſubiunctis: id
quàm maxime Rempubl. cupere. haud ita multo poſt, anno eodem a partu
Virginis Tertio ſupra milleſimum quingenteſimum, Pontifice ex ueneno,
quod Cæſar nonnullis nobilibus, ſacriſq. viris parauerat; decedente, eiuſq.
ob id commutata, comminutaq. iam auctoritatis, & potentiæ, ut undiq. defi-
cientibus ab eo populis, Rauenna, militum nouo aduentu completur. Eos
miſere Veneti, quòd ad totius Flaminiæ dominatum aſpirare dicebantur,
compluresque finitimarum ciuitatum populi, ad Franciſcum Venerium
Rauennæ Præfectum, deditionem earum facientes, conuolabant: quo-
rum fere omnium negotium ex ſententia ſucceſſit, extra Cæſenate, cuius
vrbis deditio, propterea optatum finem adepta non fuit, quòd viuente adhuc

Pio Tertio Pont. Max. qui Alexandro ſucceſſerat, & antequam elaberetur menſis, ob corrupti cruris dolorem interiit, Venerius Præfectus, Rauenna proficiſcens, non ea nocte, quæ conſtituta inter eos erat, ſed poſteriore, Cæſenam acceſſit: qua nocte Borgiani, ſuperioribus vigiliis ciuium admoniti, portis & muris præſidio firmatis, Venerii tarditatem eluſere. Ruſſium tamen opidum receptum eſt, cuius Oratores Venetias miſſi ſunt, Melior Mollius, Ioannes Baptiſta Boſius iuriſconſulti, Alexander Guarinus, Petrus Maria Puteus, & Ambroſius Ventura. Qui cum multa a Venetis patribus poſtulaſſent; tum illud in primis fuit, ne, ſi quando ad Venetum Imperium Fauentia adiungeretur, legibus ipſi Fauentinis ſubiicerentur, aut inde Magiſtratus reciperent. Sed opidi Vicarius ciuis Rauennas eſſet, & in cauſis ad Magiſtratus Rauennates prouocaretur. Quæ cum omnia, atque item alia, Venetus Senatus illis dediſſet, ſtatim Vicarium opido in annum præfecerunt Ioannem Baptiſtam Spretum, iuriſconſultum Rauennatem. Interea Pio, Iulianus Cardinalis, Xyſti Quarti, ex fratre nepos, Ligur, accepto Iulii Secundi nomine, in Pontificem Maximum ſubrogatur. Qui tanto Romanæ maieſtatis amore ſemper flagrauit, nihil ut totos dies, noctesq. cogitaret, quàm Pontificiam ditionem in ſuam priſtinam dignitatem reſtituere. Hinc illud, quod uitio plerique illi vertunt, ſumma laude dignum eſt, proprias cum amicitias, & commoda, ob communem Chriſtiani & Pontificii nominis utilitatem poſthabuiſſet: cuius nominis cum maieſtatem fere collapſam, ditionem imminutam, vrbes, atque opida vndique occupata, diſtractaq. intueretur, & omnia repoſcere conſtituiſſet; Foroliuianosq. ob id laudaſſet, quod Cæſaris Valentini Ducis dominatu, quem inuiti ſubierant, ac tulerant, tunc primum liberati, reiectisq. iam Antonio inde Ludouico Ordelafis, ſubiici nullo medio Romanæ Eccleſiæ ſtuduiſſent; itaque id illi ipſe dediſſet Pontifex, & leges ciuitatis ac Senatum, ſpectante, aſſentienteq. Ioanne Archiepiſcopo Raguſino, Prouinciæ huius Moderatore, litteris V I I I. kal. Iul. M D I I I. anno Pontificatus primo Romæ datis, probaſſet, a Venetis Ariminum primo & Fauentiam petiit, mox Rauennam repetiturus: quas vrbes paucis ante annis ab Eccleſiæ Vicariis adminiſtrari ſolitas, occuparant. Id cum Veneti renuiſſent, intelligeretq. Pontifex vires ſuas nequaquam eas eſſe, quæ cum adeo firma Republ. decertare poſſent, præſidium ſibi hanc ad rem ferri ab iis uoluit, quos etiam omnino ex Italia ad extremum exterminandos decreuerat. Itaque Maximilianum Cæſarem, & Ludouicum Gallorum Regem per interpretes eſt hortatus, ut ſecum aduerſus Venetos aciem ſtruerent. Quod ubi eſt a Venetis reſcitum, continuo Oratores miſſi, qui Principibus illis ſignificarent, eas urbes, Venetos, non ab Romanis Pontificibus, uerum a perditiſſimo latrone; in quo Romanus Pontifex, vniuerſusq. Cardinalium Senatus omnino iura poſuerant; recepiſſe. Eas conſueſſe Pontifices, Vicariis adminiſtrandas tradere, quamobrem ſibi eodem modo; perinde, ac de Chriſtiana Republ. optime meritis; poſtulare ut tribuantur; quando nihil id noui ſit, & datum illis fuerit, quorum nullum extaſſet in Romanos Pontifices, & Dei Eccleſiam, beneficium. Accedat ad hæc nullum in Flaminia Vicarium poſſe, neque ad eam Eccleſiæ partem tutandam, firmiorem, neque; ſi caſus ferret; Pontificibus Maximis bello, & pace vtiliorem, conſtitui. Is

Sermo Regum animos uehementer permouit, præſtaturosq. ſe omnem operam ſunt polliciti, quo apud Pontificem Reipubl. Venetæ dignitatem & partes defenderent. Dum hæc inter orbis Principes geruntur, Hieronymus Lunardus Venetias Orator a Rauennatibus miſſus, ut flumini Rafanario in Padum deducendo initium daretur, obtinuit, eamq. in id opus pecuniam in quadriennium dari, quæ in ſtragula duo, diebus D. Apollinaris & D. Vitalis feſtis, curſus præmia, impendi conſueſſent. Erant autem ducati centum. Extantq. hac de re Leonardi Lauredani Ducis, ad Leonardum Marcellum Prætorem, & Iulianum Gradonicum Præfectum Nonis Nouembr. anno MDIIII. ſcriptæ literæ. Quo eodem anno Aloyſius Diedus Patricius Venetus, deducto Sapi, qua Ceruienſem, Rauennatemq. agrum interfluit, molisq. frumentariis prope rus Canutium, pari ciuitatum, atque accolarum commodo, ſuo ſumptu extructis, ædem etiam pro tempore excitauit. Interea Rauennæ Margarita virgo ſanctitate, & uitæ innocentia celebris deceſſit. Quæ in opido Ruſſio, quod eſt Rauennatis ditionis, Lungipreſſum olim uocatum, ab vrbeq. abeſt ferme millia paſſuum decem; ex Mollum familia orta, ab ipſis incunabulis, ſanctitatis ſpecimen præbuerat. Tres menſes nata, cæca facta eſt; cumque ad ſeptimum annum peruenisſet, carne, & ouis abſtinens; extra dies Dominicos feſtos; die ſemel comedebat: quem uiuendi modum per totum uitæ ſpatium non modo ſeruauit, ſed maximam partem confecit pane ſolum, & aqua. Quod eo durius uideri poteſt, cum nudatis ſemper inceſſerit pedibus; & numquam in lecto, ſed uel humi, aut in ſarmentorum faſcibus cubauerit; & ſæpius nocte, ut Deum ingeniculata precaretur, atque etiam, ut cum dæmone; qui illi erat moleſtus, eamq. aliquando capillis trahebat, dimicaret; è lecto; ſi erat is lectus appellandus; perpetuo ſurrexerit. Cum autem aliquot annos eo in opido vixiſſet, in agrum, ad villam D. Pancratii ſe contulit, puellarum uirginum conſuetudine plurimum delectata, quas aſſidue præcepta diuina, rectumq. uiuendi morem docebat; Inde Rauennam profecta, primum apud D. Stephani ſacras virgines, deinde in domo, quam illi Laurentius Oriolus, agricola prædiues, eius diſcipulus, emerat, habitauit. Vbi per annos quattuordecim aſſidue grauiſſimis morbis miſere afflicta præſertim cum etiam a pleriſq. eius ſanctitas, & morbus irrideretur, multisq. calūniis, nomen proſcinderetur; illuſtre fuit patientiæ exemplum; quos tamen ipſa irriſores, & maledicos, uel; ſi poterat; amanter, uti deſiſterent, monebat, congerere enim ſibi peccata, uel; ſi id non dabatur; ſummis, aſſiduisq. precibus apud Deum ueniam illis orabat: illudq. admirabile omnino uidebatur, eam inter tot morbos calumnias, egeſtatem; qua ſemper oppreſſa plurimum fuit; hilari ſemper uultu, tranquilloq. animo extitiſſe, ab omniq. indignatione ſic alienam, ut qui perturbatam illam vmquam viderit, repertus ſit nemo. Non potuit tamen hæc tetra tot miſeriarum procella, ſanctitatis lucem, quin emicaret, opprimere: nam complures, ex illius ore præceptisq. pendentes, Magiſtram illam appellabant, quòd eos ſanctiſſimæ uitæ exemplis potius, quàm uerbis excitaret ad pietatem, & uerum Dei cultum. In ea maxime, inter ceteras uirtutes, miſericordia in eos qui peccabant, & benignitas eluxit; neque fuit ullus umquam, qui admirabili uirtute, illius uerbis, atque hortatu in miſeriis conſolatum ſe, ac pene recreatum, hilaremq. factum non ſenſerit, & a peccatis, uiaq. perdita

reuocatum: quod cum ſæpiſſime accidiſſet, maxime tamen in nobili femina eſt uiſum, quæ permota fama ſanctitatis, ad eam cum ueniſſet, multo auro, & veſtium elegantium ornamentis inſignis, eam uim Margaritæ ſermoni Deus tribuit, ut depoſito omni ornatu nobilis mulier, antequam ab ea diſcederet, ſeſe Deo totam addixerit. Cum verò illi Ariminum proficiſcenti, uniuerſus populus, ſacratiq. uiri obuiam proceſſiſſent, & mulierem ſanctam appellarent, & uenerarentur, facile dictu non eſt, quàm illa id ægre tulerit: cũq. aſſiduis illorum precibus coacta, illis bene dixiſſet, confeſtim abſoluto, ob quod uenerat, diuino negotio, mortales honores fugiens, Rauennam conuolauit. Vbi multa diuinitus vaticinata eſt, ipſamq. præſertim vrbis depopulationem, quam Galli inſequentibus annis fecerunt: & ut reliqua omittam, id unum conſcripſerim, quòd cum Gentilis, mulier ſibi cariſſima, ad eam quandoque conſulendi cauſa acceſſiſſet, neque tamen poſſet, quod de Deo offendiſſet loquentem, ex uerbis attamen illius quæ ad Gentilem in eodem ſermone conuerterat, Gentilis nouit, Margaritam animi ſui ſenſum, ac uoluntatem, propter quam venerat, Deo indicante, perſpectam habuiſſe; &; iis qui aderant, nequaquam ſentientibus; occulta uerborum ſignificatione, conſilium præbuiſſe. Facie quandoque, ab eadem Gentili, ita fulgere uiſa eſt, ut eam intueri aduerſam non poſſet. Tanto ſenſus ſtupore prædita, ut multorum annorum ſpatio, ſuauitatem cibi non ſentiens, ingenti moleſtia, tantum ne moreretur, cibo uſa ſit. Cacodæmone agitatos, quos decem vix homines retinere, & compeſcere poterant, ipſa manu apprehenſos, & nequaquam obſiſtentes, Diuina uirtute, abire cacodæmone iuſſo, liberauit. Hydrope laborantem puerum ſolo manus contactu; cum Deum eſſet pro ſanitate illius precata; incolumem remiſit. Leonem Gentilis filium, pedibus contortis, ſic ut ambulare nequiret, natum, ſanauit. Sed talia ſi narrare uelim, nimium longa traheretur oratio: ipſorum enim relatu latius patent, qui teſtes, iuſſu Pauli Tertii Pont. Max. poſtulante Friderico Gonzaga, Duce Mantuano, Rauennæ, his de rebus, ab Ioanne Franciſco Petitto, vrbis Moderatore, quæſtione habita, hæc, quæ modo memorauimus, multaq. præterea, anno MDXXXVII. iurati narrauerunt: id curantibus Petro Andriolo, Roberto Aldrouandino Vbertello Gordio, Ioanne Franco, Marco Antonio a Portu, & Aloyſio Pritello, qui tum Rauennatem ſapientum Magiſtratum gerebant. Verum illud ſilentio non inuoluerim, quod Antonius Blanchinus Ruſſianus refert, vxorem ſuam tenuioris inteſtini morbo, in quo ſtercus ſuperiora petebat, quiq. a medicis exitialis putatur, octauum iam diem laborantem, cum pro illius ſanitate Deum hæc uirgo precata eſſet, ſanitati protinus reſtitutam: Barnabam quoque, Paſquæ Rauennatis, quæ uxor Aloyſii Merlini fuerat, patruum, cæcum factum, uiſui reſtituit. Cum uero tandem tres & ſexaginta annos nata, in febriculam incidiſſet, ipſa mortem præſentiens, plurimum de rebus diuinis locuta; cumq. ad extremum eſſet, aſſurgens, animam exhalauit: feruntq. Gentilem teſtari ſolitam, tunc ſe cælites vidiſſe, qui ad magiſtræ migrantem ex corpore animam accipiendam, acceſſerant. Ob idq. in extremo ipſam uenerabundam aſſurrexiſſe. Fuit is annus, ab ortu Chriſti quinctus, ſupra milleſimum quingenteſimum, Decimo kal. Febr. Per duos dies cadauer ſanctum, inſepultum ſeruatum eſt, quo tempore, cum ſudore facies, tamquam rore, madeſceret,

ANN. MDV.

madeſceret, Gentiliſq. aſſidua magiſtræ comes, linteolo, quo ad emungendas nares vtimur, deterſiſſet, linteolum ad ignem exiccatum, uiolarum ſuauiſſimum odorem afflauit, qui multis etiam deinde annis in eodem linteolo permanſit. Sepulta eſt Rauennæ in D. Apollinaris noui, ſepulcro ſatis ignobili: quod cum poſterioribus annis dirutum eſſet, Laurentius Oriolus, qui illius conſuetudine, ac monitis plurimum profecerat, maximeq. eam venerabatur, id putans propterea contigiſſe, quod alibi ſepulcrum ſibi virgo delegiſſet, uenia ab eius loci æditius impetrata, oſſa, ſumma ueneratione in ſacco collocata, aſello impoſuit, Deum precatus, eamq. Virginem, ut quo ſepeliri uellet, ire aſellum iuberent. Aſellus, nullo ſtrepitu, ſignoue impulſus, recta per eum uicum, cui Plateæ maiori nomen eſt, ad vrbis muros progreſſus, dextrorſum flectens, per Vrſicinam portam, occidente iam ſole, egreſſus eſt: inde per ſuburbium, ſecundum Vitim amnem, cum aliquantulum proceſſiſſet, ſecundo ab vrbe lapide amnem traiicit, ſemperq. obſtrepente nihil Laurentio, ſed ingenti religione, ac veneratione, myſterium conſiderante, progrediens, ad Montonem amnem cum perueniſſet, illum etiam haud procul ab D. Marci tranſmittens, viam ſecundum flumen arripit: cuius cœpti itineris, non mediocris ad uirum pium; qui rem tacitus conſiderabat; lætitia peruenit, quòd putabat fore, vt ad ſuæ gentis ædiculam, quorſum ibat, inde haud procul, deferendum cadauer eſſet. Sed ibi cum perueniſſent, non perſtitit aſellus, at progreſſus, ad D. Pancratii ſe contulit. Iamq. multum noctis tranſierat, & ſub arbore ſatis ingenti, quod non procul aberat ab eius templi ualuis, magnus nitedularum numerus conuenerat, quæ tantum afferebant lucis, ut miraculum iudicari facile potuiſſet. Ad hunc ſe locum aſellus contulit, ibiq. cum perſtitiſſet, pedem amplius non extulit. Vir pius ob id intelligens, Virginem ſanctam decreuiſſe eum ſibi ſepulturæ locum, foſſa facta, tumulo oſſa compoſuit, humoq. obruit: & confeſtim nitedulis euaneſcentibus, nox intempeſta tenebras ſuas offudit. Multa poſterioribus temporibus, ad hanc diem, illi nuncupatis votis mirabilia impetrata ſunt, quæ noſtri inſtituti non eſt referre: cum hæc, Seraphinus Firmanus, Canonicus Lateranenſis idem & Portuenſis, vir eloquentia, & doctrina, vitæq. integritate præſtans, in commentariolo, quem ſcripſit de huius Virginis, & Gentilis uita, latius expreſſerit. Vt autem ad ordinem hiſtoriæ reuertamur, eodem anno, quo Margarita mortua eſt, Horologium, quod nunc in foro ad D. Sebaſtiani conſpicimus, ſolis, lunæq. motibus, & horarum indice diſtinctum, Anaſtaſii Celini, ciuis Rauennatis, artificio, Iacobo Triuiſano Prætore rem iuuante, extructum eſt. Portuenſes quoque Canonici, abſoluto Rauennati ſuo cœnobio, in illud ſe ad habitandum, contulere: cum ad eam diem in uetuſto extra vrbem in Vitis amnis ripa conſtructo, habitaſſent. Sub id tempus, Rauennæ, ludi celebres ſunt habiti, maximaq. omnes lætitia compleuit, quòd Nicolaus Vrſinus Pitiliani Comes, copiarum Venetarum Imperator, quingentarum librarum auri ſtipendio Rauennæ, per tres annos creatus eſt. Cum vero inter Pontificem, Maximilianum Cæſarem, Ludouicum Galliæ, Ferdinandum Hiſpaniæ Reges, ad Cameracum, in Belgis, fœdus in Venetos conſtitutum iam eſſet, decretumq. uti quicquid Venetæ ditionis in Flaminia caperetur, ad Pontificem rediret: quicquid Verona ad Hadriaticum mare, Veronaq. ipſa, Cæſaris eſſet: quicquid

quid in Apulia, Ferdinandi; atque iam ingentes in Italiam copias Ludouicus
ANN. M. DVIII. Rex deduxiſſet anno MDVIII. Pontifex ex Etruria, Vmbria, Picentibus delectu habito, iter in Flaminiam parauit, in earumq. vrbium fines, quas Veneti poſſidebant, incurſiones fieri cœptæ. Veneti ex aduerſo omnibus, in ſuam defenſionem, cogitationibus verſi delectum habent, curantq. vti Rauenna, & reliqua Flaminiæ, Apuliæq. loca præſidio firmentur. Quod dum faciunt, nauis in mari demerſa, qua nummos aureos decem mille Rauennam mittebant, triſtis, funeſtiq. ominis viſa eſt ſpeciem exhibuiſſe: præſertim cum non diu poſt
ANN. M. DIX. Abduenſis illa clades ingens anno MDIX. fuerit conſecuta: & Pontifex, Franciſco Maria ab Ruuere, Ioannis fratris filio; qui a GuidVbaldo Feltrio Vrbinatium Duce auunculo in filium adoptatus, confirmataq. auctoritate Pontificis, & uniuerſi Cardinalium Senatus, adoptione, ſuperiore anno, GuidVbaldo abſque liberis mortuo, in Vrbinate Imperium ſucceſſerat; copiarum ſuarum Imperatore creato, cum cataphractis CCCC. uelitibusq. totidem, & peditum octo millibus, Ferrarienſisq. Ducis tormentis, in Flaminia ſatis magnos progreſſus feciſſet. Nam Ruuereus, excurſione in Ceruienſe facta Solarolo, Breſichella, Granarolo, ceterisq. Fauentini agri captis opidis, ad Ruſſium caſtra admouerat: quod opidum, lata ac profunda foſſa circumdatum, & ſexcentorum peditum externorum præſidio munitum, ab Polentanis, Opizone præſertim, una cum Bagnacauallo, & Fuſignano poſſeſſum, Rauennatis ditionis erat. Conſtituit autem Ruuereus, quando præter ſpem durior viſa eſt opidi prouincia, diuturna obſidione expugnare. Per eoſdem dies Petrus Landus vrbis Rauennæ, & Franciſcus Marcellus copiarum, quæ ibidem erant, legati, cum omnes copias; quibus præerant Ioannes Paulus Manfronus, Marcus Floronus, nouo cognomento Groſſus vocatus, & Iacomatius: qui duo Rauennates erant; & Ioannes Græcus; in foro coegiſſent & recenſuiſſent Manfronum cum ala equitum emittunt, qui excurſiones faceret, & vires hoſtium leui prœlio tentaret. Verum is cum incautius procurriſſet, incitato hoſte, fortiſſime pugnans, interceptus eſt: quòd Venetos, ac Rauennates uehementer perculit: præſertim quòd aucto inde hoſtibus animo, excurſiones quotidie ad ſuburbana tecta, & Hadrianam portam ab illis, non ſine graui noſtrorum incommodo & dedecore fierent. Itaque vrbe maioribus præſidiis confirmata, cum Senatus Venetus per litteras menſe Maio, ad Aloyſium Marcellum, Prætorem, & Aloyſium Zenum, Præfectum Rauennæ, & Petrum Landum, legatum in Flaminia generalem ſcriptas, Rauennates bono eſſet animo, nec hoſtium metu, ac minis deterreri, ſemel atque iterum iuſſiſſet, ut hoſtibus additi ſpiritus minuerentur, & cohiberetur aliqua ex parte illorum licentia, denuo alam equitum, quam firmiſſimam putabant, emittere decernunt, & ad Vallem tortam; qui riuus eſt, agrorum aquas in paludes conuehens, ſecundoq. lapide ab Hadriana urbis porta abeſt, quo loco pons eſt riuo illi impoſitus; lignea raſtra componunt, cancellatosq. poſtes, aggeribus quibuſdam additis. E quibus, ſub occaſum ſolis Ioannes Græcus, Marcus Groſſus, & Iacomatius, cum centum leuis armaturæ equitibus egreſſi; Sebaſtiano Martellino cum lecta Rauennatium militum manu, præſidio pontis relicto; non multum proceſſere, cum ad equites hoſtium aliquot, qui per agros paſcendi cauſa uagabantur, peruenere: fuiſſetq. aduentus ille omnino reliquis improuiſus, niſi

unus

unus ex antecurſoribus reliquarum copiarum, ſenriens rem, ad Imperatorem ſubſidium poſtulaturus accurriſſet. Quo ille nuncio monitus, eſſe milites in armis iubet, & ad reprimendos hoſtes occurrere. Iam Rauennates cum pabulatoribus manus conſeruerant, victoriaq. inclinabat ad noſtros, cum ſubſidiariæ ab Imperatore copiæ aduenerunt: ad quarum impetum nequidquam remiſſiores Rauennates facti, egregie pugnabant. Sed cum diu reſtitiſſent, & in horas recens hoſtibus ſubſidium accederet, poſt multos vtrinque cæſos, fugati ſunt, & Ioannes Græcus; quòd concidente equo, ea vti, qua conſueſſet, celeritate, & induſtria non potuit, ab Ioanne Vitellio captus eſt; optimus profectò Hippotoxotarum Ductor, in quo plurimum ſpei poſitum a noſtris habebatur. Reliqui cum Rauennam redire non poſſent, ad paludes, quæ pertinent ad mare, fuga incolumes euaſerunt. Hac victoria Pontificii elati, Ruſſium alacrius aggrediuntur, ipſumq. Græcum, vt conſpici ab obſeſſis poſſet, ad opidi muros admouent: neque certe uano conſilio, ſi quidem, eo conſpecto, opidani animo conſternati, una cum Prætore, decimo poſtquam oppugnationẽ ſuſtinuerant, die, ſeſe hoſtibus dederunt. Quam obrem Ruuereus, Rauennam profectus, miſſoq. ad Petrum Landum, & Franciſcum Marcellum Legatos, tubicine, qui deditionem vrbis poſtularet, cum is re infecta, & inauditus rediiſſet, acie inſtructa Rauennæ appropinquauit, & poſitis ad Diuæ Mariæ Rotundæ caſtris, conſedit: nec diu poſt, àdmotis tormentis, & ſcalis, fruſtra, ſæpius expugnatio pluribus locis, non ſine multorum cæde, Rauennatibus ſeſe impigre defendentibus, tentata eſt. Cum uero ex arce tormenta in hoſtes emitterentur, qui; vti memorauimus, in Diuæ Mariæ Rotundæ caſtra locauerant, deiicitur tormenti ictu vas ex porphyrite, in quo Theoderici Gothorum Regis oſſa inerant, & nonnihil confractum eſt. Ruuereus cum adhuc expugnationem, fruſtra ſemper, tentaſſet, ea deſperata, ad obſidionem ſe conuertit: ſed cum interea Veneti in dies magis undique aduerſa fortuna premerentur, amiſſa peninſula Rhodigina, & claſſe in Atheſi amne ab Eſtenſi Ferrariæ Regulo ſuperata, omnibusq. ad extremum, quæ in mediterraneis & continenti poſſidebant, urbibus amiſſis, Ioannem Iacobum Caroldum, in Flaminiam, cum mandatis mittunt, qui Pontificiis procuratoribus traderet, quæ ibidem Venetorum nomine tenerentur, dum tamen Manfronus, Græcus, ceteriq. captiui dimitterentur, & Senatus interdicto Pontificio liberaretur. Qua re publicis tabulis firmata, tunc primum tandem Rauenna, anno ab ortu Chriſti nono ſupra milleſimum quingenteſimum, Romano Pontifici reſtituta eſt. Cui nihil fuit antiquius, quam ut acceptam prouinciam, Rauennamq. præſertim, omnibus, quibus pro temporum difficultate dabatur, immunitatibus afficeret. Franciſcum igitur Alidoſium Cardinalem, Bononiæ Legatum, cuius olim maiores Foro Cornelii dominati fuerant, Rauennæ, eiusq. Exarchatui, & uniuerſæ Flaminiæ præficit: Opizonem autem Alidoſium Rauennæ præbet Moderatorem. Ad Franciſcum autem Rauennates, Petro Donato & Ioannebaptiſta Mengolo Bononiam Oratoribus miſſis, qui remoto ob Venetos interdicto, rei diuinæ faciendæ facultatem reſtitui poſtularent, omnia facile impetrarunt: Quæſtore etiam Pontificio Rauennæ conſtituto, Hieronymo Racco, Rauennate. ipſeq. Pontifex benigne acceptis Rauennatium aliis Legatis, qui

Romam

Romam profecti, ad eius pedes ſe proiecerant, cum multas prærogatiuas noſtris tribuit, tum inter cetera ſanxit, uti Reſpubl. Rauennas in ea omnia, quæ Polentani poſſediſſent, bona, hæreditario iure, ſuccederet. Cum autem lætitiam Rauennatis populi maximam, Legati expoſuiſſent, Pontifex reſpondit, iure eos lætari, qui poſt tot annos ad uerum Dominum rediiſſent, eumq. Dominum, cuius nihil eſſet imperio ſublimius, nihil mitius: cui ſeruire, libertas eſt: & illi, qui ſubiicerentur, quodammodo præſtare ceteris dici poſſent: Quando illorum Princeps eſſet, non Dux quiſpiam, Rexve, aut orbis Cæſar Auguſtus, ſed Pontifex Maximus, D. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſor, Chriſti Dei Vicarius, ad cuius ſeſe abiicere pedes; quos deoſculari, boni omnes cupiunt, qui rectè Rex Regum, & Dominus Dominantium, pro Chriſti reuerentia, cuius hic gerit uices, & Deus in terris, appelletur: qui in omnes mortales tenet imperium, cui diuinitus datum eſt, cæli aperire portas, & claudere. His Pontifex grauiter pronunciatis, paulo poſt Venetis Legatis ſupplicibus veniam poſtulantibus, benigne, paterneq. exceptis, rem Venetam, eiusq. partes iuuare pro virili recepit. Ab eoq. die res Veneta, quæ ad extremum ferè interitum inclinauerat, felicius progredi cœpit: nec diu poſt multæ vrbes, Patauium præſertim, recuperatæ ſunt. Sed Cæſar in Italiam deſcendens, ſatis ingentem claſſem parauerat, in vnum coactis, Galliæ, Aragoniæq. Regum, Pontificiisq. triremibus. In ea maxime & uirtute militari, & Cæſaris gratia Gurlottus Tombeſius Rauennas Gurlini filius, emicuit, a Cæſare triremi donatus, cuius Regio Principatu, uitæ necisq. dominus potiretur, & qua quidquid bello acquireret, ſuum eſſet, nihilq. ad Cæſarem ſpectaret. Id autem Cæſar diplomate, quod nos penes Aloyſium Sgropulum legimus; Gurlotti uirtuti, ac fidei ſe dono dediſſe affirmat, multis antea bellorum caſibus, præſertim aduerſus Venetos, ſibi ſpectatis. Dum uero admotis denuo Patauium caſtris, vrbis expugnationem pertentat, Philippi Mariæ, & Petri Mariæ Aldrouandinorum, ciuium Rauennatum, cum ille centum leuis armaturæ equitibus, hic peditibus tercentis præeſſet, ſingularis uirtus ſeſe patefecit. Quo factum eſt, uti plurimum Rauennatibus Ducibus Cæſar fideret. Verum illo, haud ita multo poſt, rebus infectis Italia excedente, Venetisq. & Pontifice fœderatis, ſtrenui hi Duces, qui religione permoti, aduerſus Venetos, ad eam diem apud Cæſarem ſtipendia meruerant, ad Venetos ſe contulere, qui amanter excepti, honorifico munere peditibus præficiuntur. Tametſi Philippus Maria, paulo poſt, Maximiliano Sfortia, Cæſaris iuſſu, atque opera, Mediolanenſe imperiũ repetente, apud ipſum Sfortiã, Tribunus militũ factus militauerit. Interea Pontifex Venetos iuuans, in Alfonſum Ferrariæ Ducem arma mouentes, eumq. iam, poſt multa capta

ANN. M. DX. oppida, uiginti triremium claſſe prementes, Roma profectus Bononiam anno MDX. petiit, ut Alfonſo Ferrariæ Duci, bellum acrius inferret. Quo eodem anno Hieronymus Spretus, Græce, latineq. ut aliquot eius monumenta declarant, doctiſſimus, XI. kal. Iul. obiit, & ad D. Franciſci Sepultus. Iulius, Pontifex aliquot Bononiæ belli rebus conſtitutis, inde diſcedens, anno M.

ANN. M. DXI. DXI. Decimo ſept. kal. Mar. Rauennæ ſub ueſperam peruenit: ubi ab Rauennatibus omnium ingẽti applauſu receptus, ad cœnobium Portuenſe diuertit: ibidemq. ſexto Id. Mart. nouem optimos uiros ſacra purpura exornauit, &

in Cardinalium collegium cooptauit; in quibus Achilles Graſſus, Bononienſis, Epiſcopus Tiphernas, Petrus Accoltus Arretinus, Epiſcopus Anconitanus Antonius Montes Epiſcopus Sypõtinus, Chriſtophorus Anglicus Archiepiſcopus Eboracenſis, Matthæus, Epiſcopus Sedunenſis, Franciſcus Argentinus Venetus, Epiſcopus Concordienſis, Bendinellus Saulius Genuenſis, deſignatus Epiſcopus Locrorũ, Alfonſus Petrutius Senenſis, deſignatus Groſſetanus, & Matthæus Langius Germanus, deſignatus Curcenſis, fuere. Viſa autem eſt, creatio hæc Cardinalium, Rauennæ dignitatem auxiſſe, uehementerq. Rauennatum animos exhilarauit, Pontifice præſertim hilare, iucundeq. modo ad mare piſcatus gratia, modo ad templa vrbis inuiſenda, ſe recipiente. Cum uero multis ſacris ædibus, Portuenſiq. maxime, ſacroſancta munera ad luendas pœnas peccatis debitas adiunxiſſet, Quarto Non. April. Bononiam eſt iterum profectus. Quo tempore Alfonſus Eſtenſis, accitis Gallorum auxiliaribus copiis, aditum ingenti bello parauit. Siquidem Galli, coacto firmo exercitu, & Alfonſo opem tulere, & incurſiones in fines Bononienſium, uſque ad portas vrbis fecerunt. Quibus vehementer Pontifex commotus, confeſtim inde pedem extuliſſet, niſi paulo poſt Venetarum copiarum, atq. etiam Ferdinandi Hiſpaniarum Regis; quas Neapoli, Fabritio Columna Duce, Rex miſerat; aduentu, nonnihil animo fuiſſet confirmatus. Haud tamen diu poſt, ad XVII. kal. Iul. animo ſatis contracto, & de uia feſſus Rauennam rediit: id enim itineris magno ſuo, & familiarium incommodo, uia deterrima, confecerat. cũ nequaquam recta Rauennam veniſſet; tametſi equitibus, qui Neapoli uenerant, comitatus; ſed ob Ferrariæ Ducis metum, accepta Foroliuiana uia, longiore. In Rauennatem portũ paulo ante Veneta claſſis, multis amiſſis nauibus venerat, ab ea claſſe ſuperata, quam ad ſanctum Albertum, in Pado amne, tũ recta, maiorum nauigiorum; tum in latus, minorum; Alfonſus Dux illi obiecerat. Nec diu poſt adueniens quoque Franciſcus Alidoſius Cardinalis, quem Bononiæ Legatum memorauimus, omnia multo magis perturbauit: ex Gallorum enim manibus fuga euadens, Pontifici narrat, Gallos, Bentiuolis opem ferentibus, in vrbem, a Bentiuolæ factionis Bononienſibus ciuibus, ſe expulſo, receptos. Mox de Franciſco Maria Vrbinatiũ Duce grauiter conqueri, qui rei bellicæ quemadmodũ ipſe dicebat, imperitus, occaſionem præclariſſimæ vrbis amittẽdæ dederit. Quibus ſupra quàm dici poteſt, commotus Pontifex, adoleſcentis Ducis, uti Cardinalis affirmabat, ignauiã ſe moleſte admodũ tuliſſe, grauioribus uerbis ſignificauit. Id cum de Pontificis familiaribus, Dux, qui paulo poſt Alidoſium Rauennã magnis itineribus venerat; reſciuiſſet, ſtatim ad Pontificẽ adiit, ut ſe purgaret. Verum ille, qui Alidoſio narranti, & adhuc trepidanti omnia crediderat, dolore impotenti uictus, adoleſcentem; vigeſimum. n. ætatis annum agebat; reſpondere paratum, audire noluit, & clamore, conuicioq. iactatum, e ſuo conſpectu abire protinus, minax, & acerbus iuſſit. Dux tam grauem iniuriam, ab Alidoſio ſibi illatam, nequaquam diſſimulandam, aut ferendam putans, eam perſecuturus, ad Alidoſium tendit. Diuerterat tunc Pontifex apud monachos D. Vitalis; Alidoſius autem inde haud procul, ad caput eius viæ, qua ab D. Vitalis itur recta in forum, apud Brunorum Zampeſcum. Dux igitur Pontificis cubiculum egreſſus, octoq. tantum familiaribus ſuis ſtipatus, ad Cardinalis hoſpitium pedes recta contendens, eum, domo tunc pri-

mum egreſſum, depoſita purpura, pallio nigro, atroq. item pileo Hiſpano indutum, media incedentem uia, Guidone Vaina, ſororis marito, ſexaginta Hippotoxotarum, qui cum illo erant, Ductore, lateri eius hærente pluribus peditibus, & frequenti turba comitatum, conſpicit, cum Pontifice, eius uocatu, pranſurum. Vbi propius ad Cardinalem acceſſit, ad eum, quaſi allocuturus, per medios armatos, adiens, habenis mulæ, in qua Cardinalis erat, ſiniſtra manu apprehenſis, diſtrictum enſem Cardinali in latus, dextra infixit, deq. mula deiecit: confeſtimq. Mondulfus equitum Præfectus lato pugione excidit, cum gena aurem; mox Philippus Auria diuerſis ſauciauit locis, tandem Vrbinas Regulus dum adhuc ictus, ac uulnera multiplicaret, traiecto per pectus enſe, humi Cardinalem defixit. Fuit autem is dies Nono kal. Iunii, hora duodecima. Cardinalis in domum Antonii Caballi Rauennatis proximam, a ſuis ab equo ſeruis, delatus, breui poſt, ſeipſum, ſuaq. peccata ſæpiſſime accuſans, interiit. Sepultusq. eſt in Vrſiana æde pro ſuggeſto. Dux, cum neque Vaina, neque ex, iis qui aderant ullus, auſus quidquam eſſet, enſe repoſito, eodem, quo uenerat, gradu ad hoſpitium reuerſus, conſcenſis equis, Vrbinum rediit. Tulit id facinus Pontifex iniquo admodum animo, cœpitq. elatis in cælum clamoribus, miſerabiliq. eiulatu conqueri: neque enim cum Cardinalis ſibi cariſſimi necem, ſub ſuos perpetratam oculos Cardinalatus dignitatem a fratris filio nouo exemplo adeo turpiter violatam ferre poterat, præſertim quòd multo quàm ceteri Pontifices diligentius, atque ardentius Eccleſiæ Romanæ auctoritatem conſeruare, & efferre profitebatur. Hoc igitur dolore, ſupra quam dici poteſt, incenſus, tum etiam ne, quàm par eſſet, diutius, in tanto appropinquantis exercitus tumultu, vrbem Romam intempeſtiue, atque imprudenter deſerere videretur, Ioanni Mediceo Cardinali, quem belli aduerſus Gallos Legatum creauerat, omnis exercitus cura demandata, eodem die, duabus poſt trucidatum Cardinalem horis, Rauenna profectus, Romam rediens, Bononienſes graui edicto, Chriſtianæ communitatis expertes fecit, ſacroq. anathematis telo affecit; non multo poſt, quàm Bernardinus Caruaialis, Cardinalis Hiſpanus, nouem Cardinalibus ſuam in ſententiam adductis aduerſus Pontificem Concilium Piſis indixiſſet. Aduenit interea annus, quo Rauenna funeſtiorem a multis ſæculis non ſenſit,

ANN. MDXII. duodecimus ſupra milleſimum quingẽteſimum a partu Virginis. Brixia, Bergomum, eorumq. finium loca ad Venetos, a Gallis, defecerant: ab Hiſpanis Bononia circumuallata obſidebatur, cum Gaſto Foiſſcius, ſorore, Hludouici Regis genitus, Fuxienſis in Aquitania Princeps, Mediolani Præfectus, fortiſſimi, & maximi animi adoleſcens, copiis, quibus antea Triuultius præerat, Imperator præficitur: Bononiamq. ingreſſus, ſola fere opinione, obſidione ciuitatem liberauit, Petro Nauarro Hiſpani peditatus Duce, & Raimundo Cardona ProRege Neapolis, & equitum Præfecto, per Aemiliam uiam ſeſe recipientibus, contractisq. tormentis, ne in aduentu haud plane mature cognito ualidi exercitus, ante portas bellicoſæ ciuitatis, cum Gallis prœlio congredi cogerentur. Gaſto liberata Bononia, traiecto Pado, fugatisq. ad Veronæ fines, Venetis copiis, Brixiam recepit, infinitisq. pene cædibus in miſerandam faciem cruentauit: ſtatimque unde uenerat, rediens, cum quotidie per litteras ab Hludouico Rege admoneretur, prœlium committere,

& in Gallias conuolare, Pontificis, & fœderatorum copias ſibi conueniendas decreuit. Sed Pontificii id ſubterfugientes, quòd multo maiorem hoſtium numerum, & recentibus, ac nobiliſſimis elatum victoriis intelligerent, munita circa Aemiliam uiam loca, per colles a Nauarro diſpoſiti, occupabant. Cum igitur eos ſæpe inani ſtudio ad iniquam pugnæ condicionem, propius admotis caſtris, Foiſſeius prouocaſſet, Regis, uti memorauimus, vocatu, & commeatus inopia ductus, Rauennam aggredi conſtituit, putans fore, ut uel ciuitas muris haud ſatis firma, ſibi acriter oppugnanti dederetur, aut ſi ſubſidiariæ copiæ mitterentur, non defuturam conſerendæ pugnæ occaſionem, quam omni ſtudio ſibi inueniendam putabat. ab omnibus enim, quæ ſunt ad uſus bellicos neceſſaria, ſuperabat hoſtes, mirabili maxime tormentorum, quæ Ferrariæ Dux Alfonſus ſuppeditauerat, apparatu. Leuis armatura equeſtris dimidio maior erat, & uſu peritior: magnam autem vim in Germano, veteranorum, optimeq. armatorum militum peditatu ſitam exiſtimabat. Verum Legatus, Pontificiiq. Duces, ac Hiſpani, Foiſſei mentem recte coniicientes, Marcum Antonium Columnam Rauennam mittunt, cum illi, antequam ab exercitu proficiſceretur, Legatus, Prorex, Fabricius, Nauartus, Ducesq. præterea omnes ſacramento polliciti fuiſſent, vbi res in anguſtum deducetentur, & a Foiſſeio oppugnaretur, præſto cum uniuerſo exercitu affuturos. Cum Marco Antonio cataphracti ſuæ alæ quinquaginta profecti ſunt, illiq. Petrus Caſtrius leuis armaturæ equitum centurio, ſeſe coniunxit, & Parades, ac Salazarius cum ſexcentum peditibus Hiſpanis. Reliquum exercitus, iuxta muros Fauentiæ, ad eam portam, qua Rauennam itur, conſtitit. Interea Foiſſeius haſtatos equites centum, pedites mille & quingentos ad opidum Ruſſium mittit, ſolo opidanorum præſidio tutatum. Qui tametſi initio audaciam præſetuliſſent, mox tamen in eius locum timore ignobili ſuccedente, de deditione agere incipiunt. Quamobrem Galli præſidia remiſſa conſpicati, facto impetu, capiunt opidum & depopulantur, ducentisq. amplius interfectis, reliquos captuos faciunt. Ab hoc opido Foiſſeius Rauennam propius caſtra applicauit, poſtridieq. eius diei iuxta muros, traiecto Montone, inter duo flumina, exercitus fronte ad Hadrianam portam conuerſa, caſtrametatus eſt. Nocte inſequenti tormenta admouit, tum ad eam turrim, cui Ronconæ cognomentum eſt, inter Hadrianam portam, & Roncum amnem; qui antiquorum Vitis eſt; ſitæ, tum trans Montonem, quo, facto ſubitario ponte, pars exercitus traiecerat: maturans quo ad eius fieri poſſet, quatere muros & deiicere, ut expugnatio tẽtaretur, ante quam hoſtes, quos non ignorabat aduentare propius acceſſiſſent. Dũ autem Foiſſeius expugnationem parat, iuuenes Rauennates, ab Columna primum ſibi certamen primaq. prœlii pericula, repellendis hoſtibus, & tutandæ patriæ poſtulant. Quos cum vehementer Colũna laudaſſet, ad eã partem urbis diſpoſuit, qua iam muros quatere hoſtes parauerant: ea fuit ad meridiẽ, iuxta vrbis portam, cui ab ſancti Mammæ templo propinquo, cognomentum accedit. Strenue autem apparatu oppugnationis diſpoſito, incredibile dictu eſt, quanta ui tormenta diſplodi cœpta ſint: continenti nãque ordine nuſquã ceſſabatur, omnẽq. Ducum omniũ memoriã ille impetus facile ſuperauit, quo breui muri pars, pedũ triginta corruit, quæ noſtro etiam tempore nouis reſarcita lapi-

dibus conſpiciebatur, antea quàm Pius Quartus Pont. Max. huic vrbi muniendæ intentus, propugnaculum ab Aſcanio Corneo; quem huic munitioni præfecerat; extruendum curauiſſet: quod tamen adhuc eſt imperfectum. Deiecto muro, nihil tamen commodi Gallis datum eſt, quòd Columna comportari aggerem, & interiores munitiones erigi iuſſerat: neque ob id iuuenes Rauennates, qui ſummam eo die ab omnibus Ducibus Columnaq. præſertim, laudem reportarunt; ſtationes deſerebant; ſed e muris conſcendentes Gallos deturbare, quòd adhuc deiectum murum nō niſi ſcalis pateret aditus; reliqua enim a terra altitudo trium pedum fuerat. Ad hæc caligo accedebat ſatis ingens, quæ tum ob tormentorum diſploſionem, tum ob muri ruinam, oculis offuſa, conſcedentium impetum retardabat. Quas difficultates, ut virtute ac ordine Foiſſeius ſuperaret, militesq. æmulatione ad acerrimam atque audaciſſimam murorum conſcenſionem prouocaret, tripartito agmine, Germanos, Gallos, atque Italos diſtinxit, ut in periculis atque honore æquales eſſent; ſelectisq. ex qualibet cataphractorum ala decem ſtrenuioribus, iuſſit, uti pedites, iiſdem, quibus ex equo pugnare conſueſſent, armis albis contecti, præcederent. Quibus ad murum accedentibus, uehemens eſt orta oppugnatio, magnaque contentione dimicatum: cum iuuentuti Rauennatium conſpicui cohortatores adeſſent Marcus Groſſus, & Raphaellus Raſponus, Pauli filius: uiſaq. ſit uirili animo ac robore inſignis fœmina, quæ; uti Marcellus Palenius memoriæ prodidit; patrios & ipſa muros defenderet: intereaq. Columna huc atque illuc accurrens, nullo labore, nulliſq. periculis deterritus, propugnando & hortando, optimi nomen egregie ſuſtineret: cuius etiam iuſſu, Hiſpani, ad oppugnationem, quam tertio aggreſſi hoſtes fuerant, uenientes, ſulphureis ignibus uſi ſunt, quos ligneis tubis tripedalibus, atque ollis teſtaceis incluſos, mirabili ſucceſſu in hoſtes iaciebant: neque enim vlla ui extingui poterant, aut de loco dimoueri; ad quem adhæſiſſent: maiora inſuper minoraq. tormenta aſſidue diſploſa, & ex ruinarum ſummitate ſaxa, ingentesq. trabes vndique demiſſæ, in murum euadere conantes, in præceps deturbabant, reprimebanturq. ſubinde & vulnerabantur, qui ſcalas ſubibant. Sed inter cetera maximo fuit uſui tormentum ingens, quod elegantis & miræ magnitudinis Colubrinam vocabant. Hoc iuxta Gazam vrbis portam locatum, & per feneſtellam; quæ in muro adhuc viſitur; in latus conſcendentium hoſtium emiſſum, miſerabili cæde multos diſtraxit, & cadaueribus foſſas compleuit. Cum igitur per quinque horas, tentata quinquies expugnationes, eſſet dimicatum, Foiſſeius, potiundæ vrbis ſpe deiectus, receptui canit; cum in ea oppugnatione deſiderati Gallis trecenti circiter pedites eſſent, & nonnulli cataphracti, Caroluſq. præſertim Spinæus tormentorum magiſter, & Cetellio Colinæus, Dux cataphractorum clariſſimus, qui cum multis ſauciati, paucis poſt diebus, interiere. Fridericus etiam Bozolius uulneratus, ſed leuiter. Ex propugnatoribus autem Rauennatibus plerique ceciderunt, in quibus Baptiſta Betius ictu tormenti occiſus eſt: cum inuadentem in murum cum uexillo Aquitanum, deiicere nixus, ab eoq. ob id complexus, utrumque è Gallorum caſtris diſploſa pila, in foſſam deturbaſſet: Alexander Guicciolus in oſſe iuguli uulnere accepto, motum eius partis liberum amiſit: Petro Antonio Pritello effoſſus oculus. Externorum, gemini

fratres

fratres ex Denticia Neapolitana familia tormentis diſcerpti ſunt: Rauennates cum patere muros uiderent, nouasq. oppugnationes parare hoſtem intelligerent, ſuperioribus oppugnationibus, & infirma vrbis munitione deterriti, cum appropinquare Pontificias copias non ignorarent, conuocato Senatu, decernunt, hoſtes ab ulteriore oppugnatione, donec ſubſidiarius exercitus propius accederet, diſtrahendum, & aliqua arte diſſimulanter continendum, ut fallendo, moræ ſpatium interponeretur. Quod ea ratione fieri poſſe ſperabant, ſi dedendæ vrbis ſpem aliquam iniicerent, & per Legatos ad Sanſeuerinum Cardinalem, Piſani Concilii Legatum, mittendos, res ſpecioſis verbis protraheretur. Hoc conſtituto conſilio, quo deliniri poſſe hoſtium animus, & tempus extrahi uidebatur, quamquam in hac legatione certum periculum uitæ non deeſſe Senatores intelligerent, ſi, quod fieri facile potuiſſet, euẽtu res fruſtraretur, exercituq. ſubſidiario moram faciente, hoſtilia omnia comperirentur, ſuæ tamen patriæ, cui ſe primo natos, ſecundum Deum, Rauennates ſciunt, in hoc ingenti diſcrimine nequaquam defuere. Quapropter duos ex ſenatoribus ab ea muri parte, quæ eſt ad occidentem, ab Hadriana porta haud procul, demittunt: qui non multum progreſſi, in antecurſorum, & ſpeculatorum manus peruenere. Illis quærentibus, quid ueniſſent, reſponſum, a ciuibus ſuis miſſos, uti Sanſeuerinum Cardinalem magnis de rebus alloquantur: ad quem, cum, illis ducentibus, ueniſſent, ſalutatum, & omnibus officiis dedentium veneratum, Pandulphus Elephantius, qui eius legationis principem locum habuit, in hanc ſententiam eſt allocutus. Nullo noſtro, ampliſſime Cardinalis, maleficio prouocati, quod ita Rauennatium perpetua in Gallos obſeruantia tulerit, ad circumſedendam, acriterq. oppugnandam vrbem hanc tanto apparatu, & iam plane victores, aduenistis; ſed fortaſſis ulturi quaſdam inter uos orbis Principes, iniurias; de quibus prope iam partam, expugnatis tot urbibus, uictoriam, ita prouidemus, & propediem inuicta uirtute ueſtra, & priſtino, ſpectatoq. ſemper bellico uigore, ſummæ gloriæ a uobis abunde ſatisfactum iri ſperemus; & eo quidem noſtra maiore lætitia, quòd celebris ut pulcherrimi facinoris ueſtri fructus, ad nos uideatur aliqua ex parte rediturus, qui antiquiſſima origine Galli, & Pipino olim, & Carolo, Regibus ueſtris paruimus, & deinceps conſtanti animo in eadem obſeruantia perſtetimus. Neq. recuſauimus modo uobis vrbem dedere, nec per nos ſtetit, quo minus ea potiremini: impedimento Põtificios eſſe milites, qui præſidio uenerunt, ipſi etiam intelligere potuiſtis: quorũ iuſſu & ui, noſtratibus aliqui de muris, coacti, propugnarunt. Noſtri ciues, cũ multa cogitaſſent, vnde ſibi dedendæ urbis occaſio pateret, uiderentq. ſe poteſtatis ſuæ non eſſe, nihil omnino, quod non ſecus accideret, quam ſperarent, ob Pontificiorum militum diligentiam, inuenere, extra hoc unum Legatorum conſilium, quod quam occultiſſime factum eſt, nobis per muros clam demiſſis, qui ſignificationem ſuorum animorum faceremus, poſtularemusq. ueſtro uos ingenio acquirendæ, aut tradendæ urbis modum præſcribere, eum Rauẽnates ſeruaturum. Quòd ſi nulla tandem alia uia, quàm facto impetu intra urbem, uobis extra oppugnantibus, effici non poterit, ita ad extremum Rauennates efficient. Id tantum enixe petimus, ut, dum hæc tractantur, urbem omnem, & mœnia, tam miſerabili ciuium, qui ad propugnandum a Columna uiolento

Imperio compellebantur, cæde, ne quatiatis, ac proſternatis. Cardinalis tam læto nuncio recreatus, ad ea reſpondit, Gallos, non ob odium in Rauennates, ad illius urbis expugnationem ueniſſe, ſed ut Iulii Pontificis iniurias, atque ingratitudinem armis uindicarent, qui cum tot urbes Hludouici Regis potentia ſuperioribus annis receperit, ingrati notam nihil abhominatus, arma in eum conuerterit. Huic uoto, ſecundum belli ſucceſſum Deum præbere, ſperareq. ut breui, omni uictoria potirentur. Tum uero Gallos Rauennatibus, modo fidem non fallerent, amica omnia præſtaturos. His dictis Foiſſeium, ceterosq. Duces primarios uocauit, remq. omnem ſecretis uerbis expoſuit. Conclamauere omnes, uocari Legatos debere, poſtulari, ut mandata monſtrarent. Vocati Legati, cum præſcriptis mandatis non ueniſſe aiunt, ne ab Hiſpanis, & Pontificiis, interciperentur: quodq. id minus ad Gallos ſpectare videretur, quòd inueniri ab illis dedendæ vrbis modus deberet. Proceres cum in hac re cæco gradu minime procedendum iudicarent, neue fruſtra de modo decernerent, ubi res non adeſſet, Legatis, tubicinem, & Cardinalis ex fratre filium adiungunt comites, qui accedentes ad mœnia, rem omnem de ciuibus cognoſcerent, & modum, ſi eſſet opus, decernerent. Legatosq. interea, ne quid Hiſpani ſentirent, gallico amictu induunt: qui ingenti metu perculſi, quòd ſe ad colloquium, eo habitu, nequaquam recipiendos ſcirent, ac potius ſclopettorum diſploſione, & ſagittis a muris arcendos, tamen quando non uidebant quo modo renuerent, & dulce, atque honeſtum putabant pro patria occumbere, ad muros, unde fuerant demiſſi, redeunt: unde plumbearum pilarum ui, quæ confertim in eos emittebantur, tametſi uoce, ac manu amicos ſe oſtenderent, repulſi ſunt. Tubicen, ut eſt eorum hominum genus irritabili natura, ludificatos Gallos eſſe, & ad interitum perductos iactabat, verbaq. Cardinali, & proceribus data, minitariq. quas illis paraſſent inſidias, eos laturos: & hac ira permotus, ad Cardinalem, & reliquos peruenit, narratq. quæ cõtigiſſent, quæq. ipſe ſuſpicatus fuerat, omnia. Orta ſtatim altercatio eſt, aliis pro ſpeculatoribus comprehendi iam Legatos, & cuſtodiri iubentibus; aliis aſſerentibus rem diligentius perueſtigandam. neque enim ius gentium, & beneficos fortaſſis homines de nihilo uiolandos. Acceſſit adhæc Cardinalis fratris filius ingenuus adoleſcens, qui affirmauit, illis id propterea contigiſſe, quòd Gallicis ueſtibus eo progreſſi, patefaciendæ deditionis manifeſtam occaſionem præbere, non abſque ingenti Rauennatum damno, viderentur, idq. Legatos fuiſſe, dum irent, conqueſtos. Quã eandem cauſam Legati intrepide, nihilq. hæſitantes, mortis conſcientia, ob patriam ſuſceptæ, confirmati, afferebant: ſed cum variæ hinc inde ſententiæ dicerentur, & non dubium mortis periculum Legatis immineret, ſubſidiarius Pontificis exercitus detegitur, qui, Gallo exercitu ab eo diſcedente, promiſſi conſtantiam ſeruaturus, inter eoſdem amnes, iuxta Forumliuii fuerat ingreſſus, pauloq. poſt traiecto Viti, Rauennam veniens, ſecundum amnem caſtra mouebat: ad cuius aſpectum, ut eſt animus additus, & Colũna cohortari omnes cœpit, metum depellerent, in tutoq. rem eſſe, ita ſummis Galli clamoribus arma capiunt, armatiq. ad ſuas ſe recipiunt phalanges, & amota a muris tumultuario opere tormenta, in hoſtes conuertuntur. Foiſſeius ſuos interea Duces cõſulit, utrumne traiiciendus eadem hora Vitis eſſet,

quo

quo hoſtibus, ne Rauennam ingrederentur, ſeſe obiicerent. In conuentu, varius erat animorum habitus, diffidentesq. ſententiæ. Denuo enim oppugnare urbem, cum muri deiectus haud ſatis pateret, & a tergo hoſtes eſſent, periculoſum admodum putabatur. Deſperato autem omni optato fine, morari, inutile, ac potius ob commeatus penuriam, impoſſibile: Referre pedē, Hiſpanorum augere eam dignitatem nimiam uidebatur, quam ſuperioribus diebus, tanto arridentis ſucceſſus fauore, ipſi conſecuti eſſent. Dum autem hæc ab illis tractantur, renunciatum eſt Pontificios, & Hiſpanos, quarto ab vrbe lapide, cui loco Mulinatio nomen eſt, conſtitiſſe: & quidem ut quibuſdam uiſum eſt, imprudenter, ſi quidem eodem die non fuiſſet difficile, arrepta per Pinetum, quod eſt inter urbem, ac mare, uia, Rauennam ingredi: quod ſi eueniſſet, dubio procul Galli turpiter, ob commeatus inopiam, qua in dies magis laborabant, decedere Flaminia cogebantur. Verum ipſi, aut oblatam occaſionem nequaquam cognoſcentes, quòd forte metuerent, ne in vrbem proficiſcentibus, eſſet patentibus campis pugnandum, aut ſatis auxilii, ſuo propius aduentu, importatum ciuitati putantes, conſtitere ad Mulinatium: caſtriſq. poſitis, quod reliquum diei fuit, & noctem, quæ conſecuta eſt vniuerſam, faciendæ, pro caſtris, foſſæ, tribuerunt. Huius aduentus perturbatio, fecit poteſtatem Rauennatibus Legatis, ut, omnibus ad arma currentibus, ipſi, ſuis arreptis veſtibus, ad muros, unde demiſſi fuerant, regreſſi, & funibus in eos a ciuibus ſublati, in vrbem reciperentur. Galli cum periculoſiſſimum, & contra quàm ſemper decreuerant, hoſtes in caſtris commorantes, adoriri ducerent, præſertim quòd nullum incommodum comparari cum illo poſſet, ſi funderentur, fugarenturq. ita randem Foiſſeio cohortante, conſtituunt, perinde minus periculi, maioriſq. gloriæ conſilium; hoſtes, quàm primum illuceret, aggredi. Quapropter ponte ſupra Vitim nocte facto, ripis que vtrinque, ut facilior aditus eſſet, complanatis, poſtero die, prima luce, qui dies Tertio Id. April. ob Chriſti Dei ad uitam excitationis memoriam maxime ſolemnis fuit, per pōtem Germani pedites amnem tranſeunt; cum primi agminis ferme omnes, ipſumq. uniuerſum medium agmen per uada depreſſiora traiicerent. Nouiſſima acies, cui Hiuo Alegria præerat, quadringentis haſtatis equitibus conſtituta, in ripa Fluminis, Rauennam verſus ſubſtitit, ut ſubſidiaria, ſi ferret caſus, accurreret; aut, ſi eruptionem ex urbe facerent, Rauennatibus ſe obiiceret: Præſidio pontis, quod prius ſupra Montonem fecerant, Paris Scotus cum peditibus mille locatus eſt. Primum Gallorum agmen, præcedentibus tormentis, vna cum ſeptingentis haſtatis equitibus, peditibusq. Germanis, in ripa fluminis, quod illis ad dextram aderat, conſtitutum, peditibus ad læuam equitatus locatis, Alfonſus Ferrariæ Dux, & Normandiæ Regulus ducebant. Iuxta hos, & ad latus, peditum medii agminis, Vaſconum præſertim, octo millia: cumque a fluminis ripa perpetuo magis abeſſent, nouiſſimum, Italorum maxime peditum quinque millia, agmen, cui Fridericus Bozolius præerat, poſtremum collocatum eſt iuxta quod ſagittarii, & leuis armaturæ equites, qui trium millium numerum ſuperabant. Poſt hæc omnia agmina, quæ haud recta procedebant, ſed curuata, ſemicircularem Lunæ ſpeciē præſe ferebant, in ripa fluminis, haſtati medii agminis equites ſexcentum Paliſſa, & Sanſeuerino Cardinali Ducibus, locabantur.

tur. Certum ſibi locum, aut peculiarem curam Foiſſeius, ut Imperatorem decet, nullam adſcripſit, ſed cum nobiliſſimis triginta ſelectis, fortibusq. uiris, huc & illuc volitans, ingenti animo, & uerbis militariter grauibus, omnes cohortabatur ad pugnam, cum ipſe ſplendenti protectus ferro, eſſet ob armorum ſplendorem, atque elegantiam,& oculorum alacritatem facile cuique notus. Erat Foiſſeius adhuc imberbis, facie pulchra,& ob generoſam, militaremq. virtutem, ut magnum terrorem hoſtibus, ita ſummam Gallis fiduciam addebat; quodq. maxime uincendi ſpe accendebat ſuorum animos; fortunatus ab omnibus Imperator credebatur. Vbi itaque luculenta,& graui milites oratione ad bellum incitauit ingenti clangore tubarum, tympanorumq. ſtrepitu, & clamore totius exercitus aere inſonante,progredi ad hoſtiũ caſtra cœpit, quæ ab eo loco, ubi flumen traiecerant, ſtadia circiter duodecim aberant, ſecundum amnis ripam, uti docuimus, poſita, & foſſa, quæ dextrorſum protendebatur, ſatis alta, circumdata, relicto tamen pedum viginti ſpatio, quo ad tumultuariam cum equitibus pugnam, in fronte foſſæ, libere, atque expedite cum oporteret, egredi pedites poſſent. Vbi ergo renunciatum eſt, traiicere Gallos amnem cœpiſſe, hoc ordine aciem inſtruunt. Primum agmen octingentorum cataphractorum, Fabritio Columna Duce, ſecundũ fluminis ripam collocatum eſt, illiq. ad dextram phalanx, in qua ſex peditum millia erant, adiecta. Poſt primum agmen, media acies, equitum haſtatorum ſexcentum, iuxta quam erat peditum quattuor millibus conſtituta phalanx, Prorege præfecto, ſecundum amnem locabatur. In hac erant & Padulæ Regulus, & Legatus, qui ſacra purpura inſignis, inſitam Italis, atque Hiſpanis religionem, aſpectu,& verbis confirmabat. Caruaial Hiſpanus ſecundum eandem fluminis ripam, nouiſſimum ducebat agmen,quattuor millium peditum phalange ſtipatum. Ad hos, ſubſidiarii leuis armaturæ equites accedebant,quibus Daualus Piſcariæ Princeps præerat,Fabricii Columnæ gener. Tormenta erant in cataphractorum fronte diſpoſita: Et Nauarrus, qui cum ſelectis peditibus quingentis, nulli ſe certo loco addixerat, ſupra foſſam, aduerſus tormenta, triginta carros, falcatis veterum non diſſimiles, minoribus onuſtos tormentis, adiectoq. ingenti venabulo, collocauerat, quibus in ualli morem firmiſſimo quodam munimento, facilius hoſtium impetum perfringi poſſe ſperabat. Quo ordine, hoſtes potius irruentes excepturi, quàm ut hoſtes adorirentur, intra foſſæ munitionem ſe continebant. At Galli, qui iam ad foſſam ducentum circiter paſſus propius acceſſerant, ubi conſiſtere hoſtes, neque e munitionibus pedem efferre vident, conſtitere, ne optatam illis commoditatem præberent. Vtrimque per duas horas hoc pacto pes non eſt loco motus, cum tamen interea innumerabiles ab utraque parte tormentorũ ictus emitterentur: Nauarro præſertim, qui editiore loco tormenta diſpoſuerat, Gallo peditatui magnum damnum inferrente. Verum Alfonſi Eſtenſis Ferrariæ Ducis conſilio, qui primam, uti memorauimus,aciem ductabat, tormẽtorum pars a tergo exercitus, maxima celeritate, ad cornu extremum, in quo ſagittarii depugnabant,lunato circuitu deducta, in latera hoſtium directa eſt, confeſtimq. non ſine ingenti etiam damno Gallorum, in latus hoſtium diſplodi cœpta eſt. Hanc pilarum uim maxime omnium equitatus ſenſit. Hiſpanus enim peditatus in humilem, ſecus aggerem fluminis, depreſſumq. locum

a Na-

a Nauarro retractus, eoq. iubente in terram proiectus, lædi non poterat. Iam pilæ Gallorum magno reboatu a maioribus tormentis emiſſæ, hominum & equorum ingentem cædem facientes, per medias alas uoluabant: iamq. in diſcrimen pugnæ erat uentum, cum Fabricius prudenti iudicio, de uictoria deſperans, obnixe Nauarrum rogauit, ſeſe inde tandem deduceret, frequentibusq. Proregem nunciis fatigabat, uti egrederentur ad prœlium, antequam tormentorum ictibus abſumerentur: neque ſecunda hæc ſanaq. conſilia, ſtulta & pernicioſa obſtinatione ſperneret. Antea enim cum amnem Galli traiicerent, Fabricius aggrediendos hoſtes conſuluerat, quòd longe maius erant commodum accepturi, ſi cum dimidia tantum parte, & in traiiciendo amne impedita fuiſſet pugnatum, quàm id, quòd ex foſſa ſperabatur, intra quam ſe continebant. At Nauarrus, cuius conſilia, loco oraculi, apud Proregem erant, renuit, quòd ſe tuto loco poſitum putaret: quamobrem tanta adeoq. miſerabili equitatus cæde, nihil commouebatur, ut ad eum ſolum uictoriæ gloriam recideret: nam ſolo peditatu, quem ex veterano milite conflatum habebat, adiecto carrorum præſidio, putabat fore, ut uictoriæ laudem, ac triũphum ſociis communicaturus non eſſet, præſertim quod inſtitutus a ſe tormentorum ordo, Gallo peditatui maximam uidebat cladem inferre. Ceterum Fabricius nimium ambitioſa ea pertinacia, ſumma rabie percitus, lacrymis propter iram, atque indignationem obortis, cataphractos ſuos & uelites ab ingenti cæde iam pæne fuſos, plurimosq. coram ſe ſtrenuos Duces crudeliter occiſos, miſerabiliq. ſpectaculo horribili mixto clamori, modo homines & equos in terram proſterni, modo in aera capita, & brachia ex corporibus auulſa euolare conſpicatus, Nauarri obſtinationem, ac malignitatem execrans, eumq. ſemi iudæum, ac maranum appellitans, nulla expectata Pro Regis uenia, nullo iuſſu, ne turpiter interiret, ſuos hortatus cataphractos, extra foſſæ munitionem deduxit, & in confertiſſimos hoſtes ingreſſus, cum aliquandiu ſtrenue dimicaſſet, ab Alfonſo Eſtenſi captus, ab omni Gallorum iniuria, obnixe id Columna petente, incolumis, ac tutus ſeruatus eſt. Eandem fortunam Padula ſubiit, cum per campos foſſis, ac ſpinis impeditos, quaſi meliori euentu deſperato, ſecundi agminis alas circumduxiſſet. Captus eſt etiam Piſcariæ Regulus, cum multis egregie acceptis uulneribus, omnibusque uelitibus fuſis, ſtrenue aliquandiu dimicaſſet. Cardona inſolita tormentorum ruina deterritus, ſui uix campos, deſertis infelicis Imperii inſignibus, una cum Caruaiali, & Antonio Leua, cum adhuc tertium agmen ferme integrum ſupereſſet, admiſſis equis fugientes, ſuæ ſaluti conſuluere. Nauarrus ingenti at fera uirtute, pugnæ ſignum peditibus ſuis dedit, qui repente ex humo, quo ſe, uti memorauimus, Nauarri iuſſu deiecerant, elati, Germanos tanto ardore aggrediuntur, ut poſt hominum memoriam, aut maiore animo, aut clariore uirtute nuſquam fuerit depugnatum. Omnibus enim commixtis agminibus, prœlium cœptum eſt, omnium proculdubio, quæ ad eam diem Italia uiderit, maximum, ſi quidem omnibus eo prœlio mixtis, quod patentibus campis, nullo aquarum aut vallorum impedimento, occupatis committebatur, duo exercitus, obſtinato ad uictoriam, aut ad mortem animo, nec periculo ſolum aut gloria, aut ſpe incenſi, ſed ingenito, ac ferme naturali nationum odio confligebant. Euenit autem, ut duo ſtrenuiſſimi Duces, armis,

treccus, pro mortuo remanſit; qui poſtea Ferrariam uectus, diligenti medicorum cura, conualuit. Inſperata hæc Foiſſei mors, ab eo, dubio procul ob inexhauſtam delendorum hoſtium, nimiamq. gloriæ cupiditatem accita, quemadmodum perfectam de hoſtibus uictoriam perrupit, ita occaſionem, facultatemq. præbuit Hiſpanis, ut ſe in tutum reciperent: qui coacta fronte, confertoq. agmine inſequentes Gallos facile repellebant. Galli ad prædam deinde conuerſi, impedimenta omnia, ſigna militaria, & tormenta rapiunt. Occubuerunt eo prœlio longe omnium cruentiſſimo, cum eſſet utrinque pari ferè clade ultra ſex horas pugnatum, ſi calones & lixæ numerentur, circiter quindecim hominum millia, ſupra vero quadraginta maiorum, minorumq. Ducũ cadauera reperta ſunt, qui egregie fortes, peritiq. militiæ, in arduis prœliis acies ſtrenue ductauerant. Quapropter Egidium Viterbienſem, Diuinarum litterarum ſummum eo tempore præconem, Auguſtiniani Eremitarum ordinis Generalem Præfectum; quem deinde Leo X. Cardinalem fecit; dicere conſueſſe, ferunt, Terram hoc bello plus cruoris hauſiſſe, quàm imbris; minus imbris bibiſſe, quàm ſanguinis, & acies utrinque profligatas. Interea Ioannes Cardinalis Medices, Legatus, cum iuxta illum plures trucidati cecidiſſent, neque tamen ipſe turpi fuga ſaluti ſuæ conſulere uoluiſſet, animabusq. eorum, qui moriebantur, Deo commendandis, precibusq. & piis verbis iuuandis optimi Legati munere perfunctus eſſet, in duos velites Gallos incurrit; quorum alter, quòd nullam Cardinalis, Legatiq. rationem habebat, a Plateſio, Bononienſi, equeſtris ordinis uiro, iugulatur; alter eodem ictu uulneratus, ex equo detractus eſt: Cum uero aduenifſent expediti equites Dalmatæ, qui Cardinalem captiuum ducturi uidebantur, ex illorum manibus Fridericus Gonzaga, cognomento Bozolius, Cardinalem eripuit, eumq. ſibi perinde, ac nobili, Italoq. Duci, honeſtiore titulo ſe dedentem, ad Fridericum Sanſeuerinum Cardinalem, Piſani, uti memorauimus, Concilii, in Gallorum caſtris, Legatum adduxit. Erat tum Mediceus Legatus in equo Thraicio; cui, ob rei memoriam, inſequenti anno ad Tertium Id. April. eodem, quo captus eſt, die thiaram Pontificatus Maximi, more maiorum accepturus, ad Lateranum adiens, inſidere uoluit; adeoq. perpetuo deinceps habuit carum, ut ad ſenectutem deuexam ſumma diligentia alendum curauerit. Sed ut ad hiſtoriam reuertar, Medicem perbenigne Sanſeuerinus excepit, honorificeq. tractauit, permiſitq. uti Iulius Medices; qui ex prœlio, una cũ Antonio Lena Cæſenam confugerat; accedere ad eum tuto poſſet. Qui data fide cum ueniſſet; Romam ad Pontificem a patruele, cum mandatis, eſt miſſus, qui illi, & Cardinalibus ſalutem ſuam commendaret. Hoc interim ſpatio, Prorex, non ante fugam repreſſit, quàm Anconam, cum per paucis equitibus perueniſſet: ex reliquis plures ab incolis regionis, qui ad uias accurrerant, inter fugiendum ſpoliati, & interfecti ſunt: tametſi inter ceteros Ruuereus Vrbinatium Dux; ut plerique ſcribunt; id maxime non incitatis modo in fugientes regionis ſuæ hominibus, ſed militibus, qui idem facerent, in Piſaurenſem agrum miſſis, curauerit. Rauennates contra quàm ſperabant, ſubſidiarium exercitum fuſum fugatumq. conſpicati, ſeq. inimico victore circumſeptos, cum vrbis muri late proſtrati eſſent, de deditione agendum rati, Senatum uocant, ubi erat non admodum ſimplex habitus animorum, obtorpuerantq.

puerantq.

puerantq. quodammodo omnium ſenſus, neque explicantibus, quid uellent, aut quid decernerent, ſatis conſtabat. Aduenit Marcus Antonius Columna, qui intelligens pleroſq. ex primariis deditionem, & concordiam conſuluiſſe, grauiſſime hortatus eſt, ab ea ſententia dimouerentur, quando Galli tot inſignium virorum, maximeq. Foiſſei funeribus, eneruati pæne eſſent; facileq. eſſet futurum, ut ira, atque odio, quod adhuc efferueſcebat, agitati, fidem fallerent, cuperentq. tot fortiſſimos Duces, non inultos cecidiſſe. Nam eſto, inquit, quòd proceres, honeſtas concordiæ, & deditionis condiciones accipiant, ſeruandaſq. iubeant, non uideo tamen ipſis ueſtram vrbem ingrediẽtibus, in tanta commeatus penuria, in tanto ardore uindictæ, qua ratione cõpeſci militum animi poſſint. Antequàm enim eorum impetus omnis conceptæ iracundiæ deferueat, in Gallis præſertim, qui iracundi natura maxime putantur, nihil tutum ab eis impetrari poteſt. Hos Columnæ ſermones ſumma grauitate, ac contentione prolatos, magnum ſilentium aliorum alios intuentium excepit. Quapropter Columna, Vos, inquit, Rauennates ſciatis ueſtro periculo, ſi urbem dederitis, peccaturos: ego nihil pro temeritate veſtra ſuppliciorum a me pendi; in Cittadellam cum meis me recipiens; pro uirili conabor: neque enim debeo uobis auxiliari, qui mihi tam acriter, ſi non verbis, animo & ſententia repugnatis. His dictis Senatorum concio ſub occaſum Solis dimiſſa eſt. Columna, ut prædixerat, Cittadellam abiit. Rauennates hora noctis ſecunda aduocant denuo Concilium, in quo cum multa a multis raptim, & nullo ordine dicerentur, ne ciuitas, in ſummum diſcrimen adducta, extremæ cladis calamitatem ſubiret, ſi unius Columnæ, cui tuta erat ſtatio, neque deiecto muro circumdabatur, eſſet aſſenſum, & ne ſi conſilia deditionis cunctarentur, dum prudenter rem agere quærerent, ſe, ac fortunas ſuas maiori periculo implicarent, ex Senatusconſulto quattuor Legati, ad Fridericum Sanſeuerinum Cardinalem decreti, miſſiq. ſunt. Hi fuere Laurentius Thomaius medicus, Petrus Donatus, Opizo Monaldinus; & Anaſtaſius Celinus, qui apud Sanſeuerinum his condicionibus de deditione pepigerunt. Ante omnia incolumi omnium ciuium, militumq. vita, ac fortunis, Vrbem Romanæ Eccleſiæ nomine accipito: Decreta, quæ Iulius ſecundus Pont. Max. vrbem ſuperioribus annis recipiens, conceſſerat, confirmato. Ciuitas cenſus, tributiq. nomine Romanæ Eccleſiæ aureos nummos mille tantum perſoluito: Ciuibus omnibus, qui in propinquis locis animalia, fortunaſue habent, dum albæ crucis ſigno internoſcantur, ea nullo impediente, aut prohibente, libera deducendi in Rauennatem agrum facultas eſto. Nullus militum, extra Alfonſum Ferrariæ Ducem, cum ſatellitibus ſuis, & Pandulfum Malateſtam vrbem ingrediantor: Vigintiquattuoruiratum, quo ciuitatis quies cõſeruari uiſa eſt, confirmantor: Alimenta Gallis omnis generis commeatus a Rauennatibus præbentor. Hæc vero præſcripta, tractataq. ſunt in caſtris ad Gattinelliam uillam, duodecimo ab vrbe ſtadio, ſecus Montonem, eadem nocte: ſtatimq. de commeatu agere Rauennates; quem poſtridie eius noctis, ſummo mane in caſtra emiſerunt. Per hunc modum compoſitis rebus, cum noſtri ferme omnes, portis urbis, ipſoq. muri proſtrati aditu, ac ſtationibus deſertis, in domos, corpora curaturi, importune ſe recepiſſent, reprehendentibuſq. eam negligentiam, & ſecuritatem, in tanta, exercitus undique mi

fere afflicti, rerumq. omnium inopia laboranris, vicinitate, datam ab Gallis fidem obiicerenr, hora ab ortu Solis ſecunda, ſubiro impetu, hoſtilibus armis ciuitatem aggreſſam cruentari ſentiunr. Nam ad lixas & calones, qui ciborum emendorum occaſione; cum tamen ii a noſtris miſſi in caſtra abunde eſſenr; nudatam præſidio vrbem, per ruinas adaperti muri, fuerant ingreſſi, multi paulatim milites acceſſeranr, coactoq. ſupra duum millium numero, reliquis omnibus pari immanitate, per eadem abrupta tormentis mœnia irrumpenribus, cum perueniſſenr in forum, contra omne ius, datamq. fidem, opulentam & nobiliſſimam vrbem in periculum ſupremi caſus deuocatam, vt Foiſſeio, ceterisque qui interieranr, parentarent. Barbara crudelitate diripiunt, & Rauennates miſeros, ſtolideq. nimis fidentes, ac inermes, miſerabili cæde trucidant. Truci clamore, ſuperboq. accentu omnia incredibili pauore ferro, & flamma permiſcentes, ignis enim multis locis iniectus eſt: domus miſere depopulatæ: miris tormentis affecti ciues, ut pecuniam ſoluerent, & patefacerent: effodientibúsq. humum Gallis plurima reperta ſunt, non modo quæ antea aduentante exercitu, ciues occultauerant, ſed quæ per multa ſæcula terra obruta delituerant. Augebatur tumultus fragore tectorum, quæ diruebantur; diſſonis vocibus, ac miſerabilibus pauidarum præſertim mulierum plorantium, cum errabundæ, ſuæq. ſalutis, ac pudicitiæ conſulentes, tum cadauerum tumulos, tum alios ſub oculos trucidari aſpicerent, diſcurrentibus undique & minitantibus armatis. Nemo vllius, niſi fugæ, memor, quam per ſtragem corporum aſſequebantur, cum præſertim Rauennates iuuenes aliquot, cuneo ad viarum compita facto, inani, & funeſto conaru repellere efferatum hoſtem tenraſſenr. Aer tota vrbe puluere & plumis, quas hoſtes ex culcitris exemerant, horribili caligine ſuffuſus: mugitus boum & aliarum pecudum, quæ plerique ciues cum ſponte, tum Columnæ iuſſu in vrbem antea coegerant, terrorem maxime & miſeriam augebant, ita ut omnia plena eſſent luctus, atque mæroris. Vaſcones & Ferrarienſes maximam partem, nouæ ſemper cladis ſpectaculo, ignobiliq. direptione vrbem fœdabant, cum Galli, nobilesq. præſertim, pudicitiæ mulierum conſeruandæ, ipſisq. ſacris Virginibus tutandis diligenter & enixe operam darent; quod multis locis factum eſt, eorumq. iuſſu, ac præſidio a ſacris pleriſque domibus temperatum. Non potuit tamen improba gregariorum militum rabies, religione prohiberi, quin monrem pietatis appellatum, multis bonis ad vſus egentium undique conquiſitis ornatum, ſpoliarent: ſacriſque ædibus uim inferrent: inter cetera autem, teſtudinem ex oprimo argento in Vrſiana æde, quæ in medio inferioris chori ſita erat, a Victore Archiepiſcopo, vti ſupra docuimus, erecta, quattuorque nobiliſſimis columnis ſuffulta, bracteatoque argento limbis operoſe exornata, ita ut ad triginta ſex aureorum nummum millia ſumptus acceſſiſſer, Vaſcones deprædati ſunt: quorum etiam unus arcam, argento figuris, atque variis imaginibus egregie ſculpto, incruſtatam, in qua Rauennatum aliquot Archiepiſcoporum, & aliorum uirorum ſanctorum oſſa ſeruabanrur incluſa, deiectis in terram ſacris oſſibus, deprædatus, ingenri miraculo, pœnas nequaquam ſeras luit: nam vix portam Vrſianæ ædis maiorem egreſſus, aliquantum ad læuam proceſſerat, cum ex eadem natione occurrens alius, ſiue uereris ſimulta-

tis cauſa, ſiue occulto diuino conſilio, eum in capite uulneratum trucidauit; nulla deinde arcæ habita ratione; quam arcam Petrus Ghirardellus aurifex, qui militem inſequebatur, illam ab eo ſuppliciter, petiturus, arreptam, denuo ſanctis eiſdem oſſibus repleuit. Nec diu poſt cum tumultus nonnihil deſerbuiſſet, Germanus miles. D. Ioannis Baptiſtæ ædem ingreſſus, impie ſanctiſſimam Chriſti Dei corporis hoſtiam, ut argenteum in quo includebatur loculum ſuffuraretur, in terram deiecit. Quo facinore grauiter commotus, cucullatus Carmelitanus Petrus Ioannes Rubeus, Dominici, aui mei frater, ad quem fuerat facinus delatum, accurrens, nec quicquam hæſitans, ad eum conuerſus, Loculum, inquit, iſtud mihi reddito improbe: ille ſtupidus, & timore perculſus, ne uerbo quidem prolato, cum loculum reſtituiſſet, Rubeus, corporis Chriſti repoſitam ibidem hoſtiam, perpaucis, quos in uia tunc reperit, accitis, ut ſe, diuinam ferentem hoſtiam, cereis accenſis, comitarentur, ad Alfonſi Eſtenſis Ferrariæ Ducis hoſpitium, quod ſecundo ab urbe lapide aberat, ad Montonis amnis ripam, per ruinas proſtrati muri egreſſus, detulit. Quam Eſtenſis honorificentiſſime locatam accenſis funalibus, habuit apud ſe ingenti ueneratione, donec omnia in tuto eſſent: cum plures etiam in eodem ſuo Prætorio mulieres, ac pueros Rauennates, a militum impetu libidineq. tutos conſeruaret. Aduenere ſub id tempus Ferrarienſes naues, quæ a Pado per Foſſam Meſſaniam com meatum Gallo exercitui, Ferraria deuehebant: quam ob rem occaſio Ferrarienſibus data eſt, cum ad Hadrianam ferme urbis portam naues eſſent, ut ignobiliore præda potiti, ſupellectilem omnem e Rauennatum domibus Ferrariam exportauerint, culcitras, ueſtes, forcipes ignarios, furcillas, uſque ad cucumas, pinguaria, cacabos, atque eius generis innumera, quibus miſera vrbs, omnibus ſpoliata bonis, uel crudeliſſimis hoſtibus lacrymas excutiebat. Duæ naues ſub id tempus, ut Petrus, Bembus memoriæ prodit, quas Alfonſus ſpoliis nobilioribus onuſtas, Ferrariam mittebat, dum e Rauennati portu enauigare contenderent, a Venetis nauibus duabus, quas ob uelocitatem appellabant Hirundines, una cum celoce remorum quadraginta, nonnullis remigibus interfectis, capiuntur, & ad triumphi ſimulacrum, explicatis Alfonſi vexillis, & per æquor ſecum tractis, ad forum D. Marci deuehuntur. Iamque fugæ, & ingentis cladis nuncius, Id. April. ad Pontificem peruenerat, ab Octauiano Fregoſio, qui maximis itineribus e Foroſempronii Romam accurrerat, allatus: quo ita omnes perculſi ſunt, ut multi Iulium, infracti alioqui animi Pontificem, rebus ferme deſperatis, mari fugam triremibus capere hortarentur: præſertim cum non mediocris adhæc, a Pompeio Columna Reatino Epiſcopo, metus accederet, qui eo tempore una cum Roberto Vrſino, & Petro Margano, & omni nobilitate Romana, iuuenibus ſtrenuis, ut eiicerent Roma Pontificem, pecuniam a Gallis impetrarant. Sed Iulii Medicei aduentus, qui recitatis eorum nominibus, qui eo bello cecidiſſent, pugnæque exitu diligenter explicato, monſtrauit extenuatas Gallorum vires eſſe, nihilque incolumi vniuerſo fere Hiſpano peditatu timendum, plurimum omnes confirmauit. Itaque confeſtim Pontifex, & exercitum ingenti liberalitate refecit, & fugientem per Picentes Cardonam hortatus eſt, ut collectis reliquiis, inermes

&

& ſpoliatos, armis, equis, & pecunia inſtrueret: ipſum præterea Vrbinatium Ducem, in gratiam recepit, qui Dux parum prudenti familiarium conſilio, tum Balthaſſare Caſtilioneo viro nobiliſſimo, ſummis naturæ dotibus, bonisque artibus ornatiſſimo, ad Regem Gallorum multis ante diebus miſſo, tum quòd apud Foiſſeium ex ſuis pleroſque haberet, occulte cum Gallis in patruum coniuraſſe credebatur. Maxime autem omnium Pontifex ad Matthæum Heluetium Cardinalem Sedunenſem litteras Venetias dedit, ut non amplius ſex millia, quod antea decreuerat, ſed quantam maximam poſſet eius nationis militum multitudinem cogeret: quam prouinciam Veneti, & conſilio, & pecunia, & ſumma diligentia iuuerunt. Interea quartum iam diem Rauennæ in Cittadella acriter obſeſſus, atque oppugnatus Columna, firmiore iam Cittadellæ; non autem arcis; ut falſo plerique putant, propugnaculo, tormentorum ictibus a Gallis deiecto, alio uerò proximo concuti acriter cœpto, ac perforato; ea condicione, ut hominibus, ac rebus integris liceret eſſe, ſacramento pollicitus arma ſe in Gallum Regẽ, & Piſanum Concilium, ad diem Diuæ Mariæ Magdalenæ feſtum non acceptu rum, ſeſe dedidit: nec diu poſt Iulius etiam Vitellius, Tifernatium Epiſcopus, cum peditibus quinquaginta arci præfectus, deficiente annona, omnique deſperato ſubſidiorum genere, eiſdem acceptis, datisq. condicionibus, eam, Gallis Ducibus ingredientibus, tradidit. Hanc ingentem cladem prodigia aliquot antegreſſa ſunt, in quibus illud emicuit, quod plerique ſcriptis tradiderunt, natũ Rauennæ infantem, cornu in capite habentem, alis præditum, abſque brachiis, unico tantum, ad Aquilæ ſpeciem, pede; oculo in genu; ambiguo inter feminam, & marem ſexu: in medio pectore Ypſilon Græcum, & crucis imaginem præſeferentem. Quod plerique ſic interpretatum fuiſſe ferunt, ut cornu, ſuperbia: alis, leuitas, & mentis inconſtantia ſignificaretur. Cum vero brachia deeſſent, bonis operibus carere homines: Pedem, quemadmodum rapaces aues habent, rapinas, uſuram, & ingentem auaritiam: oculum in genu, adhæc ſolum caduca defixum animum: ſexum vtrumque, nefariam libidinem indicare: atque ob hæc ſcelera tot bellorum procellis Italiam quati: Gallorum autem Regem non propriis id exequi uiribus, ſed quòd Dei adminiſter eſſet. Ypſilon enim virtutis figura eſt, quapropter ſi confugiant ad uirtutem, Chriſtiq. crucem, futurum, ut nobilis prouincia ab illis calamitatibus quietem, exitumq. reperiat. Hæc quæ ſcribuntur ab aliis, cum de noſtris grauiſſimis teſtibus, a quibus multa cognoui, cum eſſent eo tempore iuuenes, diligenter percunctatus eſſem, intelligere nihil potui. Quamquam eius etiam Marcellus Palonius meminerit, patricius Romanus, qui & prœlio interfuit, & per illos dies vnà cum Troilo Sabello; apud quem militauerat; Rauennæ fuit, & elegantiſſimo carmine cladem hanc Rauennatẽ deſcripſit. Illud pro cõperto habetur, per eos dies Chriſti Dei crucifixi ligneũ ſimulacrum, quod in æde D. Dominici in ſacello iuxta aram maximam eſt, ſanguinem affluenter ſudaſſe: cuius adhuc rei locupletiſſimi, atque certiſſimi teſtes ſuperſunt. Interea Romæ, Tertio Non. Mai. ad Lateranum, Conciliũ a Pontifice celebrari, maxima Antiſtitum frequentia cœptum eſt: Rauennates molis ſtatim frumentariis reſtituendis nauarunt operam, & edicto pronunciato, ciues, qui maximam partem, ut afflictum tanta clade animum re-

ficerent,recrearentque,in varia loca abierant,reuocarunt. Mox Senatu XVII. kal. Iunii habito, ſingulis Senatoribus certum tributum imponunt, ut diruta ab hoſtibus muri pars, reſtitueretur: idq. qui renuiſſet, è Senatu dimoueretur, & ſufficeretur, in eius locum is, qui ex populo, daret. Ad colligendas autem in monte pietatis, direptionis Gallicæ reliquias, delecti ſunt, Marcus Antonius Bratius, Petrus Donatus, & Ioannes Antonius Artuſinus. Cũ uero multa Rauennates a Pontifice per Antonium Benolum Rauennatis Eccleſiæ Archidiaconum, & Petrum Donatum Legatos poſtulaſſent, hæc impetrarunt. Vt cum binas nummum aureorum myriades, quotannis perſoluere Reſpubl. Rauennatium conſueſſet, quorum mille Vrbis Moderatori, arciſq. cuſtodiæ, mille Pontifici annuo cenſu numerabantur, ea tantum ſoluerent, quæ ad moderatorem, & arcis cuſtodiam ſpectabant: reliquis, ob tot perpeſſas calamitates, per quindecim annos abſtinerent. Vigintiquattuoruiratus confirmaretur, ab Senatu conſtitutus, ſic tamen ut ne quidquam de Eccleſiaſtica libertate, auctoritateq. Pontificii Legati detraheretur. Ciuibus Rauennatibus, fortunis omnibus in depopulatione ſpoliatis, arcis alicuius aut opidi, aut alia eius generis Præfectura traderetur, unde, pro illorum condicione, victus ſuppeditaret. Sancti Mammæ cœnobium, quod Gallis commoda fuit ſtatio, quo ſe recipiebant, dum vrbem oppugnarent, & muros quaterent, ſolo æquaretur: Cucullati autem Franciſcani, qui ſoleis utuntur ligneis, dum eius ordinis patronus, ipſiq. cucullati, & Abbas aſſenſi eſſent, transferrentur ad D. Apollinaris noui, ita tamen ut eius cœnobii Apollinariani fructus ad Abbatem, cui erant commendati, redirent. Ferrariæ, Bononiæ, omnibusq. ciuitatibus, opidis, locis, in eos detorqueretur anathematis telum, qui Rauennatum bona, in depopulatione vrbis ablata, poſſiderent, niſi reſtituerentur. Mandauit autem Legatis ad extremum Pontifex, ut apud noſtros ſui nominis ſempiterna vigeret memoria, Portam Iuliam; quam Anaſtaſiam diximus; aperiri, quod ipſe, cum Rauennæ eſſet, præſens fecerat: Columna autem claudi, adiecto aggere, mandauerat. Per hos dies Vitellius, qui tradiderat arcem Gallis, cum Hiſpanis aliquot, & Italis, ex copiis Vrbinatis Ducis, Troilo Sauello Duce, acceptis, ad recuperandam arcem, Rauennam profectus, nonnullis eam datis condicionibus, recepit: nam retinere Galli eam non poſſe uidebantur, quòd extenuatæ nimium uires erant, & Alfonſus Eſtenſis iam redierat Ferrariam, & Gallicus exercitus, perinde, ac ſtupidus, quarto ab vrbe lapide, rebus, quas deprædati fuerant, diſtribuendis, & collocandis intentus, magis recedebat in dies. Ferunt autem multa ſub terram defoſſa, quæ proximis ſuperioribus annis, Galli plerique accedentes, effoderint, & exportauerint. Quemadmodum vero fortunam victoriæ omnes Flaminiæ ciuitates, Sanſeuerino Cardinali deditione facta, inſecutæ fuerant, ita ad Pontificem Rauenna redeunte, idem ab illis factum eſt. Petrus Bembus Venetæ ſcriptor Hiſtoriæ memoriæ prodit, Rauennates cum in eorum adhuc mentibus, depopulatio, contra omne ius, datamq. fidem ſibi illata, uerſaretur, Duces Gallos quattuor, qui erant in arce; datam etiam illis fidem ipſi fallentes, capitibus tantum ex humo extantibus, uiuos ſepeliiſſe: quod tamen ego facinus de nullo ex noſtris accipere potui, cum tamen illud referant, Vaſconem; qui neſcio quo modo ad Rauennatium manus perue-

uenerit; ſupra Turris cognomento Pompoſiæ oſtium appenſum, haſtisq. uelitaribus primo confoſſum, mox in terram deiectum, cute ſpoliatum, cum aliqui tunc eum ſemianimem fuiſſe affirment, maxima tamen pars penitus exanimem teſtetur. Hoc interim ſpacio Alfonſus Eſtenſis, cum belli aduerſus Pontificem geſti, illum pœniteret, Romam, fide publica, ueniaq. a Pontifice impettata profectus eſt. Ceterum pedem uix in urbem intulerat, cum in ſuſpicionem ueniens, ne capi illum, haberiq. in cuſtodia Pontifex iuſſiſſet, fugit in Apuliam, atque inde in Illyricum, Ferrariam tranſmiſſurus. Qua Pontifex occaſione, ductus in ſpem recuperandæ Ferrariæ, Rauennam uenire Vrbinatium Ducem iubet, qui aliquot in hac ciuitate dies, non ſine graui ciuium, & agricolarum incommodo, cum copiis commoratus eſt. Cum autē breui poſt, Veneta claſſis, tormentis bellicis, & pecunia, eam prouinciam iuuatura aduenîſſet, ita incommodum ciuibus auctum eſt, iam ſuperiori calamitate exhauſtis, & recenti peſtilentia, quæ Septembri, atque Octobri menſe inualuit, miſere afflictis, vt plurimis, iisdemq. nobilibus, vnde alerentur, aut vix adeſſet, aut penitus non adeſſet. Agricolarum domos, milites, Sabelliani præſertim, non modo depopulabantur, ſed exquiſitis eos tormentis excruciabant, ut ſe pecunia redimerent. Quæ cum ad Sigiſmundum Gonzagam Cardinalem Mantuanum, Pontificis in Flaminia Vicarium, a Petro Donato, & Anaſtaſio Celino Legatis noſtris deferrentur, nonnihil emollire hominis animum, ſuaderecq. ad remedium afferendum uiſa ſunt, ſed cum deinde tercentis quinquaginta equitibus, qui Bononiæ præſidio erant, ſtipendia ab Rauennatibus undique afflictis, adiectis minis, inclementer exigeret, creditum eſt, eum tot infelicis ciuitatis calamitatibus minus commotum fuiſſe: quamquam plerique exiſtimant, id ab Gonzaga factum, quòd Bononia, tunc primum una cum Parma, & Placentia a Pontifice recepta, ipſeq. Pontifex tot bellorum ſumptibus, exhauſti, ſoluendo ſtipendio non eſſent: ſi quidem bella adhuc Pontifex nequaquam intermiſerat, ſed eius iuſſu, & auſpiciis Heluetii, Venetis iuncti, in Gallos arma mouerant: qui paucis poſt diebus ex Atheſis ponte deturbati, & Ticino pulſi, Italiaq. turpiter relicta, eodem curſu Alpes tranſierunt. Quamobrem a ſummo dolore, ad ingentem lætitiam Pontifex reuocatus, incomparabiliq. potitus victoria, haud diu poſt, dyſenteria, quam ex leui quidem, ſed pertinaci febricula contraxerat, ſeptuagenarius ſenex, & omni laudum genere cumulandus, ſublatus eſt.

HIERONYMI ▸ RVBEI HISTORIARVM RAVENNATVM

LIBER . NONVS

MONENT nos ,& quæ diximus,& ſeries temporis, ut de vigintiquattuoruiratu pleraque adſcribantur , cur præſertim , a quibus inſtitutus ſit: nam etſi leuior fortaſſe res videatur, tamen nemini, qui hiſtorias legerit, & in agendis rebus ſit uerſatus, dubium eſt, quin , ſi latius creuiſſet , ingentes fuiſſet tumultus excitatura . Conuenerant Rauennates ſicarii centum amplius , & quinquaginta ; & armati , diſtri ctisq. ſicis viros nobiles, & diuites adorti, quos in via obuios habebant , niſi ad condictum pecuniæ, quæ videretur , ſummam ſoluerent , mortem minitabantur : adeoq. hæc audacia,& ſeditio ſuccreuerat,ut ciuibus ſuperiore depopulatione extenuatis , ipſe pæne cruor elici videretur , neque ob id auderent multi efferre domo pedem,& ſolum plerique etiam verterint: ſi quidem minus hæc lues extirpari poſſe credebatur , quod nullæ Rauennatium vires erant , aſſidueq. Leo Pontifex , tributa imperabat , aliis bellis intentus . Nam & Hludouicus Rex Gallorum in Italiam exercitum tranſmiſerat , quæ fuerant ablata , recuperaturus , & Maximilianus Sfortia Mediolani Dux , qui potiſſimum oppugnabatur , a Leone Pontifice pecuniam, quam Heluetiis cohortibus diuideret , impetrauerat . Succeſſerat Leo tunc primum Iulio Pontifici , & V. Non. Mart. eodem hoc anno M D X I I I . crearus , & X I I I I . Kal. Aprilis conſecratus , magnam in omnibus ſpem , atque alacritatem excitauerat . Ad eum Oratores a Rauennatibus miſſi Iacobus Morandus , Oſtaſius Raſponus iurisconſulti , Petrus Donatus, & Ioannes Antonius Artuſinus: qui vbi gratulationis officium,& obſequii præſtiterunt, confirmari ab eo poſtulantes , de cœnobio D. Mamæ diruendo , & D. Apollinaris noui Franciſcanis illis fratribus tradendo , quod Iulius etiam dederat, omnia facile obtinuerunt : litterisq. Pontifex V I I . Idus Iunii, Pontificatus anno primo Romæ ſcriptis , ea de qua diximus , condicione , conceſſit . Iraque cum Syluius Paſſarinus Cortonenſis , cui commendatum D. Apollinaris cœnobium fuerat , tabulis Romæ confectis aſſenſiſſet , & ad D. Barbaræ Sacellum , parochi ſedes , quæ in D. Saluatoris primum , mox , eo diruto templo , in D. Apollinaris noui fuerat,Leone Pontifice eodem diplomate probante, translata eſſet, ipſi Franciſcani ex priore loci materia , Fauentibus ſibi piis Rauēnatum

eroga-

erogationibus cum Rauennas etiam Reſpubl. certam illis pecuniam decreuiſſet,domũ ædificarunt.Cũq. ex Põtificis ſententia eſſet,ut Canonici Portuenſes,Diuiq Vitalis,& Claſſenſes monachi quotannis,per decennium,nummos aureos centum,ſinguli,in uaſa,ueſtemq.& ceteram ſupellectilem ſacram huius urbis reſtituendam impenderent,ea etiam Franciſcani pecunia adiuti ſunt. Interea cum in magiſtratibus, & ceteris huius Reipublicæ muneribus adipiſcendis, magna eſſet eorum, qui peterent, prenſatio, acerrimo Senatus conſulto lata lex de ambitu eſt. Extremo anno, VIII. Idus Nouembris, in Senatu eſt decretum, ut Iudæi Rauennam incolentes, luteum capitis integumentum, quo, uti iam conſueſſent, ſed temporum uiciſſitudine, & calamitatibus depoſuerant, perpetuò geſtarent, ut a Chriſtianis internoſcerentur. Quoniam uero Ioannes Corradus Vrſinus, Pontificius copiarum ductor, naues longas Venetorum, qui cum Gallo Rege aduerſus Mediolanenſem Ducem ſentiebant, duas, & aliquot præterea minora nauigia, retinuerat; Veneti multas & ipſi noſtras interceperant,& claſſis ſeruitio addixerant,ſcripſeratq. ad Sapientum magiſtratum Venetæ Imperator Claſſis, niſi curarent naues Venetas dimitti, & bona reſtitui, fore, ut naues omnes, ciuesq. Rauennates, in quos incurreret, caperentur. Quod cum non abſque magni ſuo incommodo Rauennates futurum prouiderent, apud Legatum de illis reſtituendis egerunt accuratiſſimè. Manabat autem in dies latius inteſtina graſſatorum pernicies,cum etiam ante urbis direptionem,ſicarii illi inualuiſſent, inter quos plerique non ignobiles numerari poterant, Senatus vigintiquattuor patritios, & auctoritate, & rerum uſu præſtantes uti diximus, delegit, quibus libera illorum ex vrbe, quo uis modo exterminandorum poteſtas eſſet. In iis maxime Brunorus Zampeſcus, Marcus Antonius Bratius, Raphael Raſponus Pauli filius eminebant: isq. magiſtratus cum primo annuus eſſet, mox ſemeſtris eſt factus. His conſtitutis, portas urbis, quarum cuſtodiam ciuibus tantum Rauennatibus mandari,Leo Pontifex iuſſerat, diligentiſſime obſeruari, mulctasq. maleficiorum, quorum ius ad Senatum Rauennatem ſpectabat, nequaquam immutari, ſed quæ eſſet corpore luenda,ea, ne pecunia redimeretur, cauerunt, ut ſeueriori pœna coercerentur a maleficio improbi. Quoniam autem nunc primum de Zampeſcis incidit mentio,qui Foropompiliani ſunt, & Rauennates ciues, patritiiq. facti, nequaquam ab re futurum putauerim, ſi breui de illorum origine, quædam, ex ipſius familiæ monumentis ſumpta, docuero; vt conſtet, Rauennates iudicio minime deceptos, dum illos ad ciues, ſenatoresq. ſuos adiunxerunt, maximoq. ob id ornamento ciuitatem donauiſſe. Neque enim; vt Leander Albertus memoriæ mandauit; initium ab agricolis ducunt Zampeſci, ſed Foripompilii; quæ nobilis fuit ciuitas, vetuſta origine ciues fuere. Cum autem Otho Cæſar Saxo, eo ſæpe diuertere, cum ſuis copiis, conſueſſet, ſacramq. D. Rophilli ædem prærogatiuis, & immunitatibus multis affeciſſet, vt ex tabulis Auguſtalibus, quæ extant adhuc, cognoſcere difficillimum non eſt, Zampeſcam familiam inſigni gentilitio donauit: fuere autem, in area cærulei coloris, enſes duo,& ſupra hos ſtellæ aureæ tres. Cumq. ad ea tempora Artuſini fuiſſent vocati, deinceps ab armis; nam enſes vulgus arma appellat; cognomentum habuerunt. Multis deinde poſt annis Egidio Carilla Forumpompilii, vti ſupra docuimus, ſolo æquante,Zampeſci,

qui

qui ab Ordelaphis aduerſus Carillam ſteterant, Plebem Quincti, qui eſt in Foroliuiano ager, ſe recepere; quod a pluribus etiam ForoPompilianis ciuibus, Ordelaphorum partes ſecutis, eſt factum. Ibi cum eſſent, ab agricolis, ob ignorantiam omnia vocabula corrumpentibus, ab armis, Armutii appellantur. Ordelaphis haud ita multo poſt ForumPompilii reſtituentibus, Zampeſci, Plebe Quincti relicta, vbi pulchra, fructuoſaq. prædia, & optimas villas habebant, in patriam rediere. Non fuit autem factu difficillimum, ut ex illis pleriqueruri remanſerint, qui temporum deinde ſucceſſu agricolæ facti, occaſionem Leandro Alberto præbuerint, ut aſſereret, fuiſſe omnes Zampeſcos, agricolas, indeq. originem duxiſſe. Vt autem hos omittens, qui ruri remanſerunt, de illis dicam, qui patriam denuo incoluere, maxime belli gloria ex his unus, cui fuit Mutio nomen, inclaruit; qui duos habuit filios. Primus, qui Italianus uocatus eſt, equitum Præfectus, ſub Mutii Attendoli, cognomento Sfortiæ, diſciplina, militauit. Alter ob inſignem prudentiam, Caput hominis eſt dictus, duobus item filiis auctus, Mutio, & Antonello. Hic adhuc puer, a patre in clientelam Ordelaphis traditus, cum belli ſtudio teneretur, apud Italianum patruum bello quodam, cuius mentionem non reperio, Aloyſio Patauino Cardinale exercitus Legato, ſtipendia meruit. Verum Aloyſio in ſuſpicionem ueniente, ne multi ex maioribus Ducibus ad Franciſcum Sfortiam hoſtem, deficerent, inter ceteros Italianum Zampeſcum, & Iacobum Vainam; quorum uterque mille, & quingentis equitibus præerat; captos, in Rocca Contraria, quod eſt opidum in Picentibus; capite mulctauit, cum tamen nihil eſſent in tormentis faſſi. Armorum nihilo minus ſtudium, ſub diuerſis Principibus Antonellus perſequens, ingentem ſibi laudem peperit, & Magnifici titulum; qui titulus tum uti fecerunt Laurentius Medices ſenior, & Fridericus Vrbinatium Dux, propria acquirebatur uirtute; adhuc ſatis iuuenis adeptus eſt. Cum autem in exercitu mereret Anuerſi Anguillarii Comitis, copiarum Imperatoris, equitatui Præfectus, commiſſoq. quodam prœlio Zampeſcus ea uirtute depugnauerit, ut illi uictoria, maximam partem, referretur accepta ab Anuerſo, ingrati nomen abhorrente, Caſſandram filiam in matrimonio habuit: cumq. ex vulnere eo prœlio accepto in crure, Antonellus altero pede nutaret, uitium id debilitati cruris; quod Zampam vulgus barbaro, & improprio uocabulo appellat; Zampeſci cognomen illi fecit: quemadmodum Bratianis, a Bratio; quæ vox brachium exprimit; contigiſſe non ignoramus. Nauauit quoque ſtrenuam Pio ſecundo Pont. Max. operam, dum Sigiſmundum, & Pandulfum Malateſtas, qui Fanum fortunæ, & omnem, ut aiunt, Vicariatum, magnamq. agri Ariminenſis partem Romanæ Eccleſiæ ademerant, plectere Pontifex uoluit. Quamobrem ne in tot Antonelli labores, atque impendia, ac ſumptus eo bello factos, ingratus uideretur, anno MCCCCLXII. Sanctum Maurum, Giouediam, & Tumbam, illi, eiuſq. poſteris conceſſit, duobusq. poſt annis, Tallamellum etiam; quæ opida Flaminiæ ſunt; adiunxit, Pontifice a bellis uacante, ne id ocium deſidioſe conſumere uideretur, apud exteros Principes militabat, Venetorumq. & Florentinorum; quorum, Laurentii Medicis ſenioris tempore, fuit Imperator; copias ductauit. Hectorem habuit, & Meleagrum ſpurios filios: ex Caſſandra uxore, vnicum, Brunorum appellatum, quem uoluit manere in Virginii Vrſini diſciplina. Cum autem

tem plures egregios Imperatores Vrſinus feciſſet, in iis maxime Pitiliani Comes, Liuianus, Ioannes Paulus Baleonus, Vitellii fratres, Brunorusq. hic noſter emicuere. Hector frater, pro Innocentio octauo Pont. Max. cataphractorum Præfectus, bella gerens, opida, quæ Antonello patri, Florentinos, anathemate perculſos, nequaquam deſerere volenti, Xyſtus Quartus abſtulerat, denuo impetrauit. Meleager, cum in exercitu Regis Gallorum, cataphractis præfectus in multis expeditionibus meruiſſet, apud Venetos honeſtiſſimo loco militiam faciens, una cum Andrea Gritto, ad Brixiam captus, ita ſe geſſit, vt emiſſus e cuſtodia, uniuerſo fuerit equitatui præfectus: facileq. ſperari potuiſſet, eum, niſi occubuiſſet Vicetino prœlio, ad ſummum Imperatoris munus aſcenſurum. Brunorus Virginii Ioannis Iordani, & Caroli Vrſinorum fortunam, quemadmodum nec ceteri Duces, nuſquam deſerens, in eum Ducem euaſit, ut Iulius ſecundus Pont. Max. eum fecerit Prætorianis ſuis præfectum, deq. omnium, quæ geſſit, bellorum ratione conſuluerit. Quo tempore ciuis Rauennas factus, & in Senatum cooptatus, non modo Rauennam habitatum uenit, ſed Lauram Pignattam Rauennatem, duxit vxorem, ſepulcrumq. ſibi, ſuisq. poſteris in D. Dominici poſuit, & omnibus Senatoris, ciuisq. optimi muneribus perfunctus eſt; in quibus ea maxima munia fuere, quæ in hoc Vigintiquattuoruiratu exercuit: nam eius potiſſimum conſilio, militum, quos mercede conduxerant; ſtatione, præſidioq. in foro locato, non nihil deterrere perditos illos homines ſunt viſi: verum conſecuta ingenti vrbis clade, aucti animo, maiora in dies ſcelera perpetrabant: Diuiq. Saluatoris uetuſtate iam collapſas fere ſacras ædes, aduerſus Vigintiquattuoruirum impetum, ea uia cui Plateæ maiori cognomentum eſt, ſibi muniuerant, & illo ſe omnes nocte, dieq. perinde ac ad Aſilum recipiebant. Contigit autem, ut cum aliqui ex illis in priuatas ſe domos ſuas contuliſſent, ſtatim a Vigintiquattuoruirum ſatellitibus capti, meritas dederint pœnas: ipſeq. inter ceteros Hector, cum ad tantum facinus aliis primus uiam conſterneret, in pendenda pœna exemplo etiam fuit: quippe qui, domum noctu profectus ad ſuos, confeſtim captus, laqueo in furca ſtrangulatus eſt. Quæ res adeo ſceleſtorum exulcerauit animos, vt non iam de pecuniis a ciuibus extorquendis, ſed de inferenda illis nece cogitarent. Itaque, quando res ſuccedere aliter non poſſe videbatur, ad conſtitutam diem certis ſe locis in inſidiis diſponunt, ut Vigintiquattuoruiros domum redeuntes, cum alius in alia vrbis parte habitaret, certum ſibi, conſtitutumq. inter ſe hominem quiſque interficeret: cuius nefarii conſilii uires, cum paulo tempeſtiuius quàm ceteri collegæ, magiſtratus loco, domum proficiſceretur, primus omnium Philippus Gordius ſenſit. Nam in uia illum ſicarius aggreſſus, qui ad eius mortem fuerat a ceteris deſtinatus, grauiter vulnerauit: quamobrem haud ita multo poſt exhalauit animam. Hoc caſu reliqui cautiores, præſidio firmati, ſceleratis deinceps uiriliter obſtitere: plerique etiam acriter eos repulere: quod Alexander maxime Guicciolus fecit: is enim cum eſſet magno animo, & præſtanti uirtute, aliquos ex ipſis, qui ſe adorti fuerant, & grauiter uulnerauit, & in fœdam fugam coniecit. His de cauſis, cum in dies rerum omnium difficultate ſicarii premerentur, præſertim quòd timore ſupplicii domibus ſuis exulabant, & intra ſuas, quas diximus, munitiones die, nocteq. graui incommodo contineri cogebantur, in ſummam de-

ſperationem adducti, quod ſparſim, & ſeorſum facere, irrito tentauerant euentu, decernunt collatis in unum uiribus exequi. Ad ſeptimum igitur kal. Decembr. qui dies Diuæ Catherinæ Virginis, & martyris feſtus eſt, cum ad eius tẽplum, ut adeſſent de more ſolemnibus ſacris, ciuitatis magiſtratus omnes concedere conſueſſent, conſtituunt facto impetu, Vigintiquattuoruiros omnes ad unum trucidare. Quod ferox, & turbidum cõſilium ingentem ciuitati perniciem inuehere facile potuiſſet, niſi Raphaellus Raſponus, qui ſumma auctoritate pollebat apud ſicarios, cum plerique eius latus ſtipauerint, alii ſatellites fuerint, aliquot ex illis procul conſpicatis, in ſuſpicionem facinoris ueniſſet: collegas itaque hortatur, gradum ſiſtere, ipſe ut erat ſtrenuus, intrepidusq. ad eos adiit, quærit quid ueniſſent. Illi nihil negare, ſed omnia, deſperatione adductos, quòd propriis domibus prohiberentur, & verſarentur in ſumma rerum omnium inopia, ſibi eſſe tentanda. Raſponus his auditis, lenioribus uerbis reſpondet malorum omnium cauſam ipſos eſſe, qui cum Vigintiquattuoruirum edicto exilii pœna toties mulctati fuiſſent, ipſi tamen nequaquam adeo turpe incœptum deſerentes, numquam paruerint: neque aliquando memoria repetierint, flagitioſas eiuſmodi immanitates, neglecta præſertim religione, & ſpreta auctoritate magiſtratuum, ſummo tandem malo eorum, qui illas inuenerint, iuuerintq. retundi, ac infringi: neque infinitum illos incommodum ſubdituros fuiſſe, ſi tantiſper, dum nobilium, quos magnis iniuriis irritauerant, deferbuiſſet ira, ciuitate caruiſſent, rogareq. ſe illos, & hortari diligenter, vt pro communi omnium, ſuaq. ipſorum ſalute, urbe nonnihil decederent; futurum enim, ut ciues, id pœnæ infligendæ deſiderium interea remittant, quod illorum contumaciæ, & impia facinora quotidie magis excitabant. Hoc conſilio, inquit, me uobis puto, pro tantis ueſtris meritis erga me, gratiam referre haud exiguam: & ut aliquis uſus ſit mei uobis, meas domos, turrimq. præcipue, quas in Villa Sauarna habeo, polliceor, & prolixe defero, ut eo uos conferatis, & ibidem, in ſatis commoda rerum, quæ pertinent ad uictum, abundantia, quandiu uobis uidebitur, commoremini: paucis poſt diebus enitar, ut deprecandi poteſtatem habeatis: precibus ueſtris Senatus, quem uidebitur euentum, dabit: quod omnino ex animi ſententia futurum confido. Perſuaſit is Raſponi ſermo: itaque facinore in præſentiarum abſtinentes, poſtridie eius diei, egreſſi vrbem, ad Sauarnam uillam ſe conferunt: ubi cum decem circiter dies permanſiſſent, ab exilio reuocari petunt. Quod, Senatu renuente, cum non impetraretur, multis agricolarum domibus, agriſq. depopulatis, ad muros vrbis per uim, atque arma ſubeundos, ingenti impetu, minaceſq. accurrunt. Sed iam aduerſus eos, Rauennates robore militum, & proprio ad omnes aditus oppoſito, ſtationibusq. præſidio firmatis, omnem conatum illorum ſic perfregerunt, ut ingrediendi urbem ſpe deiecti, neceſſario, melioreq. conſilio, per Italiam, qua bella ardebant, ad militiam faciendam, alius alio, uagarentur. Cum autem per id tempus Leo Pontifex Ioannis Baptiſtæ Zuboli Rauennatis, Vitalis filii, gratiſſimo, ut erat, animo, & perliberali, compenſaturus obſequia, quibus illum, Zubolus, cum Iulio Pontifice Rauennæ agentem, & deinde captum, a Gallis, fuerat proſequutus, familiarem illum ſuum renunciaſſet, prædiis aliquot in Rauennati, Cerujenſique, & Romæ domo atque hortis ditauit: neque iis contentus, opidum

quoque

quoque Meldolam dono dedit. Sed cum in eo retinendo opido, multis difficultatibus implicaretur, ipſo etiam hortante, Meldolenſes, conſilio anno MDXIIII. VI. non. Iulii, ſpectantibus, aſſentientibusq. Priamo Venerutio, & Chriſtophoro Barono, Meldulenſibus, ipſius vniuerſitatis procuratoribus, coacto, ut eius quieti loci, ſalutiq. conſulerent, Oratores crearunt, Michaelem Angelum Ginannum, medicum, Robertum Stephani, Nicolaum Saluolinum, Petrum Ginannum, Ioannem Mariſcalchum, & Gaſparem Penzarinum, qui Rauennatibus opidum ipſum, eiusq. ditionem omnem dederent, & apud Senatum Rauennatem de ea re iuſiurandum ſolemne conciperent. Quæ cum non abſq. Pontificis conſenſu fieri oportere decernerent, & Rauennates multis de cauſis ſibi conſulto agendum rati, conſilium non expedirent, illud Pontifex opidum, & aliquot alia finitima, Alberto Pio, Carporum Comiti, uiro nobilitate, doctrina, & rebus prudenrer geſtis clariſſimo dono dedit. ANN. MDXIIII.

Poſtero anno Camaldulenſes monachi, cum in ſuperiori clade, ab exercitu, qui Rauennam diripuerat, maxima incommoda accepiſſenr, ipſe Andreas Zecchinus Abbas ſtrenue propugnans, & cœnobium defendens, multis confoſſus uulneribus, occubuiſſet, nouum in urbe Rauenna cœnobium, ad domum Miſericordiæ, Paulo Laudenſi Abbate, inchoant, ſtructuraq. eleganti, breui perficiunt. Per eos dies Franciſcus Valeſius, qui, Ludouico ſocero abſque liberis mortuo, in Gallicum imperium ſucceſſerat, Venetorum, Ligurũq. ſtudiis in Italiam euocatus, Mediolanoq. Heluetiis fuſis, & fugatis, potitus, Mediolanenſem arcem, ipſumq. Maximilianum Sfortiam Ducem ſeſe dedentem, magno triumpho receperat; & dum ab Triuultio, & Venetis Cæſariani Brixiæ oppugnarentur, Bononiæ Leonem Pontificem, paucis poſt diebus alloqui præſtolabatur: quod & factum eſt. Sub id tempus Nicolai Bonamici Rauennatis bellica uirtus Patauino bello maxime emicuit, cum Hiſpanis, Cardona Imperatore, Lizzafuſinam, & Patauinum agrum diripienribus, inter Nicolaum Hectorem Foroliuianum, ueteranum militem, atque egregie fortem, Liuiano, Veneti exercitus Imperatori, maxime carum, & Nicolaum Bonamicum, Babonis Naldi Fauentini, militum Tribuni, & Decurionis; ſigniferum orta ſimultas eſt; quæ eo minus omittenda a nobis uidetur, quòd ad Briſiganam; qui vicus eſt, iuxta riuum Brentellas appellatum; ſingulari certamine, utroque exercitu inſpectante, ſumma Bonamici gloria, finem habuit. Cum enim Bonamicus, Paulo Fabro Rauennate ducente, & Hector, venabulo & lato pugione; quæ arma Liuianus illis præbuerat; collo tantum, & dimidio capite ferro protecti, ſtadium funibus circumſeptũ eſſent ingreſſi, poſt diuturnam vtrinque, & acerrimam digladiationẽ, Bonamicus Hectorem in terram deiecit, captiuumq. ſuum, magna laude, fecit. Cum autem ob aliqua perpetrata homicidia Hector Forliuii exularet, atque ob id eius hoſtes Bonamico, binas nummum aureorum myriades; ſi tradere illis Hectorem vellet, pollicerentur, Bonamicus, qui turpem quæſtum ſemper reſpuit, ea reiecta condicione, Ioanni Paulo Baleoni, eum ab ſe poſtulanti, dono dedit. Paulo poſt Cardona, productis caſtris, obſidere Patauium, oppugnareq. inſtituente, cum decem Tranſalpini pedites elati animo; Italos ad certamen prouocaſſent, nulla quidem priuata ſimultate, ſed ut ſi eſſent aliqui Romanæ indolis in Veneto exercitu, contra progrederentur, & paribus armis pro gloria decertarent, ANN. MDXV.

Bona-

Bonamicus eam alacriter uocem excipiens, a Liuiano locum ſibi inter eos, qui contra pugnaturi eſſent, tribui depopoſcit. Quamquam autem Liuianus & Babonus, qui præſtantes militari, expertaq. uirtute milites, nequaquam mortis diſcrimini temere obiiciendos putabant, ab ea re retrahere Bonamicum nitebantur, non potuere tamen generoſæ eius flagitationi non obtemperare. Erant in hoſtium numero Germani quinque, totidem prægrandibus enſibus, gemina manu circumactis armati, cum ceteri conto fraxineo pedeſtri vterentur. Liuianus Italis tum pares fraxineos contos, tum venabula quattuor, tum duos enſes ac rotundos clypeos fuerat partitus, neque aliud præterea corporis tegumentum adiunxerat. Cum igitur præſtituta certaminis dies aduenisset, ſacris peractis, Italisq. in muro vrbis, Tranſalpinis in planicie, quæ circa mœnia eſt, diſpoſitis, ſigno a tubicinibus certamini dato, Babonus præfectus fortis, uſuq. militiæ peritus, & pro ſpectata virtute numquam ſatis laudatus, qui Italos ad certamen adducebat, porta ſanctæ Crucis, lanceam pedeſtrem manu geſtans, Decem Italis ſequentibus, oriente ſole, egreſſus, noſtros in ſtadio conſtituit, hoſtibusq. vti accederent ſignificauit. Verum ſole aduerſam oculorum aciem hoſtibus feriente, in pomeridianum tempus certamen reiectum eſt: quo tempore, cum ſolis radii neminem læderent, Liuiano Imperatore de muro vrbis ſpectante, Babonus eadem porta egreſſus, denuo decem ſuos Italos hoſtibus obiecit, pugnandiq. copiam fecit. ſigno autem certaminis a tubicinibus dato, Itali priores, loco moti, ad Tranſalpinos accedunt: iamq. expedire arma, & manus conſerere parabant, cum Tranſalpini terga vertentes, ſeſe in ſuas phalanges coniecere. Quo Babonus conſpecto, conſtare Italos ſuos iuſſit, mox Patauium cum illis regreſſus, Liuiani iuſſu, multis diſploſis maioribus tormentis, magna omnium lætitia accepti ſunt. Per idem tempus Rauennæ iuuentutem noſtram, Græcas Latinasq. litteras Codrus, magna florentis eloquentiæ laude, publico ſtipendio docebat. Qui eo carior Rauennatibus omnibus fuit, quod ipſe licet Foroliuii, Antonio Berto patre natus eſſet, tamen cum matrem haberet Valeriam, ex Spretorum Rauennati familia, & Rauennam ſibi patriam fecerat, & communi ciuium conſenſu, donari hac ciuitate curauerat, & ibidem vxorem duxerat. Is cum Romæ eſſet ſub Pomponio Læto, Romanæ Academiæ principe, ob diuitiarum contemptum, Codrus eſt appellatus, cum antea Ioannes Franciſcus vocaretur. Præclara enim illa Romanæ Academiæ ingenia, ſibi nomina veterum nobilia impoſuerant, quibus ſeſe appellitabant, dum Laureati in Academiam conuenientes, debitum Muſis honorem redderent. Pandulfo Malateſtæ primum, mox Ioanni Gonzagæ Mantuano cariſſimus fuit; a quo in Galliam bis, in Germaniam ſæpe Legatus eſt miſſus: ubi Maximilianus Cæſar eũ honorifice acceptum, Comitem palatinum, poetam, & equitem fecit. Præcipue autem eius opera & conſilio Maximilianus Sfortia, Mediolani Dux, vſus fuit. Cum autem Rauennam eſſet regreſſus, ibidem reliquum vitæ, cum ſuis ciuibus tranquille traducturus, angina correptus, haud ita multo poſt, annos natus quadraginta octo, anno a partu Virginis MDXVI. exceſſit e uita; ANN. MDXVI. aliquot orationibus relictis, quæ admirabilem hominis eloquentiam referunt. Elatus honorifice, & Antonii Monuetuli, viri diſertiſſimi luculenta oratione; a qua hæc excerpſimus; laudatus eſt. Interea Filiaſius Rouarella Archiepiſcopus,

pus,cum inſtauraſſet Vrſianam Bibliothecam: aram corporis Chriſti,ſecto, artificioſoq.& inaurato marmore eleganter ornaſſet:aram erexiſſet Chriſto Deo cruci affixo, quæ eſt ad maximam templi portam, læua egredientibus, agriſq. ditaſſet,Rauennatem Archiepiſcopum deſignandum a Leone Pontifice curauit. Nicolaum Fliſcum Genuenſem, Cardinalem ampliſſimum,familia Comitum Lauaniæ progenitum:qui eodem anno MDXVI.Prid.kal.Octobr.Rauennatem Eccleſiam, præcedente ſacratorum uirorum omnium pompa, inuiſit. Erat tum Leo Pontifex Florentiæ;ubi cum ad decorandam omnibus, quibus poſſet, honoribus Mediceam familiam maxime incumberet, Laurentium, Petri fratris patruelis filium, Franciſco Maria Ruuereo pulſo, Vrbinatium, Regulum fecerat: in qua prouincia Brunorus Zampeſcus ciuis Rauennas,caſtrorum Medicei magiſter, cum multa ſtrenue geſſiſſet,tum illud prudenter eſt actum,quod Mediceo perſuaſit, ne pulcherrimam ac plane Regiam domum, cui eſt Imperiali nomen, ſolo æquaret, ut iam Mediceus mandauerat. Hoc tempore Gurlotti Tombeſii virtus prætereunda ſilentio non eſt; cum externi etiam ſcriptores, multis eam laudibus cumulatam, monumentis tradant. Hic igitur Odetto Lautrecco, cum Gallicis copiis,& Andrea Gritto cum Venetis, Brixiam denuo oppugnantibus, inter Cæſarianos Duces; fauore Principis, & militari gloria maxime præſtans, cum ſua Italicorum leuis armaturæ equitum ala, & Marci Antonii Columnæ Imperatoris Cæſarianorum auſpiciis,Vicetiam adortus,expulſoq. præſidio, urbem ea commoditate occupauit, ut ingentem prædam omniũ rerum, multoſq. captiuos, & aliquot currulia tormenta, auexerit; necnon frumenta, quæ in areis adhuc erant,Veronam aſportauerit, Columna undique cõquirente plauſtra,farcinariaq. iumenta: quo egregio facinore,ut iuuit Cæſarianos plurimum, ita egregiam ſibi apud omnes, Colũnamq. præſertim, laudem,nequaquam, magnam partem, pleriſq. Germanici Hiſpaniciq. nominis equitum turmis,quæ ſecum,ad id factum,uenerant,communicatam,reportauit. Nec diu poſt, cum Veronæ, ubi Columna etiam erat, a Gallis & Venetis obſideretur, & grauiſſimus illi ſemper conſiliarius fuit, & adeptam laudem, periculo ſuæ uirtutis in certamine facto, exornauit. Nonnumquam enim dum obſidio longius protraheretur, per luſum, extra ordinẽ, interpoſita fide, a binis uel ternis utrinque certabatur: quapropter ad ſtatam diem indictis induciis,ut tuto omnes ſpectaculo intereſſent,quattuor nobiliſſimi,iidem atque omnium longe fortiſſimi Galli equites,inter quos Ambra peditum præfectus excellenti uirtute iuuenis erat,totidem ex hoſtibus prouocarunt. Præferebatur certamini titulus, ſi qui in urbe equeſtri gloria illuſtres eſſent, qui pro adamata muliere decurrere, atq. haſtam ferro præpilatam infringere uellent,hos contra in ſtadio, parem ad numerum ſtaturos Gallos, & ſuæ atque alienæ uirtutis ſine fraude periculum eſſe facturos. Prodiere Gurlottus Tombeſius noſter, Summontius Neapolitanus, & duo Hiſpani, Vaſcus Cunius,& Guinea: concurſumq. eſt infeſtis haſtis magno ardore,ſummis utrinq. uiribus,adeo, ut pari uirtute pariq. periculo contendiſſe, omnes iudicarent. Summa tamen laus haud obſcure Cæſarianis ceſſit: nam cum Summontius & Vaſcus ſuperiores euaſiſſent, & Guinnea ephippio fuiſſet excuſſus, Gurlottusq. & Ambra mutuo ictu penetratis uſq. ad interuallam tunicã ſolidiſſimis thoracibus, cum ui, tum conſtantia pares extitiſſent, nulli dubium erat,ſi res

ad gladios deueniſſet, duobus iam Gallis peſſime affectis, qui tum afflicti ſuperſtratis & morientibus equis iacebant, uictoriam ad Cæſarianos eſſe redi turam: ſed ſtatim dirempta eſt pugna, ne tantæ uirtutis homines, qui non hoſtili rabie, ſed ingenuo quodam corporis atque animi uigore concurrerant, poſtquam primum & maximum uitæ periculum euaſiſſent, non gloriæ, ſed fati caſibus obiectare uiderentur: & quidem in oppugnatione Veronenſi, quæ eſt, haud ita multo poſt longe omnium acerrima inſecuta, Gurlotti fides, & præſtans virtus erat neceſſaria plurimum futura. Verum haud diu poſt, pace facta inter Gallorum Regem, Venetos, & Maximilianum Cæſarem, Gurlottus Rauennam reuerſus, Franciſco Mariæ Ruuereo, militum dimiſſorum ope, ad auitum dominatum aſpiranti præſto fuit; tametſi Rauennam Pontificii milites compleuiſſent, in quibus erant Rentius Ceres, & Vitellus Vitellius cum cataphractis ſuis, ut Ruuereo obſiſterent: quod efficere tamen nequicquam
ANN. M. potuere: Erat autem is annus a partu Virginis milleſimus, quingenteſimus,
DXVII. decimus ſeptimus: qui non Rauennæ modo, ob tot militum aduentum, ſed Reipubl. Chriſtianæ a nouo & factioſo rerum motu ſupra omnes, quorum patres noſtri meminiſſent, pernicioſus, & maxime dirus fuit: Nam apud Germanos Martinus Lutherus Saxo, flagitioſus, ſeditioſusq. apoſtatata, odium Dei & hominum, dum nouos religionis falſæ ritus adducit, ipſamq. ſacroſanctam Romani Pontificis auctoritatem conuellere nititur, ingentium malorum cauſam præbuit, qnibus & paulo poſt Germania, & nuper Gallia omnis miſerabili bellorum cæde cruentata eſt, innumeriq. mortales in eius hæreſim adducti, ſempiternis ſeſe inferorum flammis manciparunt. Rauennæ autem factiones ortum habuere, quæ inuexerunt ſupremam ciuibus calamitatem, dum vtrinque immaniter ciuilis ſanguis effuſus, ex ipſis parietibus ſtillaret. Quòd ſi quis volet ſuperiorem vrbis direptionem comparare cum his inteſtinis malis, non erit difficillimum, in eam tandem venire ſententiam, qua conſtituatur, hanc cladem & ab turbulentis cædibus, & ab diuturna domeſtici belli agitatione, longe illi præſtitiſſe; cum ex hac non modo agricultura, ipſaq. familiaris rei procuratio dimitteretur, ſed id quod erat fructuum, alendis quibuſdam ſicariis, qui ab egeſtate atque ſuperbia, cædibus aſſueti, & maleficiis infames erant; effunderetur. Tot malorum originem ex inani mulieris pulchritudine, & impotenti libidine adoleſcentis ductam potiſſimum fama eſt, cum tamen antea occultis potius ſimultatibus, quàm apertis inimicitiis ebulliret. Factionis proceres Raſponi & Lunardi numerabantur, dum illi Gibellinum, hi Guelfum nomen; prioris ſeditioſi ſeculi mores ſecuti; præferrent. Sæuiebat autem in dies magis diſſenſionum ciuilium ardor: verum eo intemperantiæ noſtrum adduci ingenium nolui, ut libero ore ſeditioſæ tempeſtatis materiam, quæ non modo non prodenda, ſed pro uirili occultanda uidetur, ſatyrico ſtylo explicarem: præſertim quòd & aliquorum dignitatem uehementer offendi, & omnibus ſatisfieri non poſſe prouideam, & homine non modo Chriſtiano, ſed uel ciuili penitus indignum putem, exitiabilis odii ſceleratas in nepotum pectora reliquias inſinuare. Itaque non inconſulto funeſtam hanc & lacrymabilem hiſtoriam omittimus, cupientes pari ſtudio omnium harum diſcordiarum memoriam, in eorum, quorum intereſt, pectore, obliuione ſempiterna opprimi, ut florentis

rentis huius pacis tranquillitate, auorum lacrymæ, flagitiaq. in nepotibus exiccentur & cohoneſtentur. Leo Pontifex, ut remedia morbo opportuna adhiberentur, Bernardum Rubeum Parmenſem, Guidi filium, Taruiſinorum Epiſcopum, huic Prouinciæ cum magna auctoritate præfecit. Inerant in hoc viro, præter ea, quæ ſacrum Antiſtitem decent, militares ſpiritus, qui multiplici liberalium artium eruditione, & iuris ſcientia fulti, ad maxima quæq. gerenda aptum illum reddebant. Itaque Rauennam menſe Octobri ingreſſus, uel ſola nominis opinione facinoroſos a maleficio deterruit, & Heluetiorum armatorum præſidio; quòd primus ipſe in hac Prouincia inſtituiſſe dicitur; & ſecum per vrbem Rauennam, explicato vexillo, & militari ordine inſtructum, ducere aliquando conſueuerat, in officio omnes continuit. Eodem hoc anno, menſe Nouembri, Paulo Laudenſi, Abbati Claſſenſi, laxiorem reddere ſuam Rauennatem ædem molienti, a Rauennatibus uia propinqua & area, ſenatusconſulto tribuitur. Sub quod idem tempus, Nicolaus Archiepiſcopus, Ioanni Rouarellæ, opidum Subriuulum, quod eſt Rauennatis Eccleſiæ, dono dedit. Eminebat hac tempeſtate ex Lunardis, Vrſicinus, Petri filius, uir ut minime ſeditioſus, ita longe ditiſſimus, qui cum maxime religioſus eſſet, multa ſacella, diuerſis in templis, erexit, & redditibus, ac prædiis ditauit; quod maxime in D. Ioannis Euangeliſtæ, & D. Apollinaris noui elucet. Huius ſacræ ædis cucullatos, quos Franciſcanos diximus, ab D. Mammæ, translatos, multiplici veſte, uaſisq. ſacris donauit: ipſe in talari toga aurea, torquatus, obequitare vrbem conſueuerat: nam cum nonnihil patritii Rauennates, a direptione vrbis vires reſumpſiſſent, in pompa & famulatu cultiſſimi, ampliſſimiq. extabant. Eæ autem Vrſicini, inter ceteros, opes fuere, ut adhuc in prouerbiũ afferantur. Pari amplitudine Hieronymus Guaccimanus, nobilium & illuſtrium virorum, qui Rauennam veniſſent, hoſpitio, & magnitudine animi celebris, uiuebat: qui tamen eodẽ hoc anno decedens, & miſerabilem ciuium ſuorum cædem non ſenſit, & reſarciuit aliqua ex parte damnum, quod in ſuperiori deprædatione, Monti pietatis illatum memorauimus: illo hærede ex aſſe relicto: quem etiam ad modum illius vxor, ſuperioribus annis moriens, aliquot agris ſacras Virgines Corporis Chriſti auxerat: quas Virgines paulo ante, in illo nuper inſtituto cœnobio, eo loco, ubi hoſpitalis domus Spiritus ſancti erat, ſanctiſſimis legum & vitæ exemplis illuſtres, Rauennates religioſe locauerant; cum eius cœnobii ædificationem aliquot nummum aureorum millibus reſpubl. Rauennas iuuiſſet, & ex Bononienſi Corporis Chriſti domo, ſacras uirgines XVIII. Franciſco Lichetto Franciſcani ordinis generali Præfecto fauente, Rauennam adducendas, quæ huic Conuentui initium darent, aduenientesq. religioſis moribus imbuerent, curaſſet. Neque id fruſtra, quando & nunc religiosè uiuere in eo cœnobio, ſexaginta, uideamus, tunc Rauennatum imitati pietatem Regienſes, ædem Miſericordiæ uocatam, publico & ipſi ære excitarint, & accitis ex Cremonenſi Corporis Chriſti conuentu, aliquot uirginibus egregie inſtituerint. His ferè diebus Senatus conſulto decretum eſt, ut Sapientes; qui eſt, uti ſupra docuimus, Rauennatis Reipubl. ſupremus magiſtratus, & ſorte præficiebantur, erantque numero duodecim, Senatores octo, reliqui ex populo; ad octo, quorum ſex eſſent

Senatores, redigerentur: & ne ab rerum uſu imperiti cum Magiſtratum con-
iunctim gererent, in poſterum, Senatores ſuffragio adlegerentur: quod tamen
non eſt ſeruatum: ac potius anno, qui eſt inſecutus, Bernardi Rubei Præſidis
Decreto, in Senatu, Sapientes ad nouem redacti ſunt, multæq. leges magi-
ſtratibus ceteris conformandis latæ. Paucis autem poſt diebus Bononiam
abiens, cuius etiam Moderatorem vrbis gerebat, Philippum Mariam fra-
trem pro Præſide hic reliquit. Non deerant hoc tempore ex Rauennatibus
ciuibus, qui uera virtute ad ſummam gloriam aſpirarent; quod maxime in
Hieronymo Lunardo, Lunardi ſecundi filio, uiſum eſt; cuius ea fuit in re
bellica virtus, ut omnium conſenſu, præclaro, glorioſoq. cognomento Mi-
les appellaretur: cum eodem tempore pacis artibus addicti, Auguſtinus, &
Hieronyminus Lunardi, ille Lunardi ſecundi; hic Franciſci item ſecũdi, filius;
ille philoſophia & medicina, hic eloquentia præſtarent. Non minori gloria
Raſponus Raſponius; militari virtute clarus eminebat: cum enim Leo Pon-
tifex, cum Cæſare fœderatus, Gallos Mediolanenſi dominatu eiiciendos ſta-
tuiſſet, Franciſco Sfortiæ, iure paternæ hæreditatis Principatum reſtituturus,
iamq. Leſcutus, Lotrechii frater, in Pontificem arma, prior, mouens, ad Regii
Lepidi portas excurriſſet, Pontifex habet delectum, copiarumq. facit Impera-
torem Proſperum Columnam: qui confeſtim Raſponum; uirtute ſingulari ho
minis permotus; honorifico titulo, veteranorum militum legioni præficit: quo
eodem munere, antea, ſub Ioanne Mediceo ſtrenuè militauerat. Rauennam
autem Columna ueniens, grauiſſimo ſemper illius conſilio eſt uſus, in munien
da præſertim urbe, quod propterea Pontifex iuſſerat, quia per eos dies Alfon
ſus Eſtenſis, Ferrariæ Dux, qui cum Gallis ſentiebat, ſcribebat milites, puta-
baturq. Rauennam ſubito impetu petiturus. Sed vrbe munitionibus & præ-
ſidio optime firmata, Pontifice iubente, Proſper & Raſponus, cum Piſcario &
Antonio Læua ad oppugnandam Parmam accedunt; fuit is annus a partu Vir
ANN. M. ginis, vigeſimus primus, ſupra milleſimum quingenteſimum. In qua oppu-
DXXI. gnatione adeo impigre ſe Raſponus geſſit, commiſſo ad muros cum Gallis
certamine, ut inter primos fuerit numeratus, qui dimidiam eius urbis partem
ingrederentur: cuius gloriæ Gurlottum Tombeſium equitum Decurionem,
& Pandulfinum Aldrouandinum, ciues Rauennates, comites habuit: Aldro-
uandinumq. in eadem oppugnatione, ex ſingulari, cum Gallo Duce, certa-
mine, victorem, maximam fuiſſe laudem conſecutum ſatis conſtat. In eius au-
tem urbis miſerabili direptione, cum omnes bona ſibi, raptu congerere, cura-
rent, Raſponus ad conſeruandam nobiliſſimam familiam incumbens, innatam
magnitudinem animi, utilitati honeſtatem anteferentem, præſetulit. Haud ita
diu poſt, aggrediente Mediolanum Columna, ipſe & pauci præterea ſpectatæ
virtutis Duces, vrbẽ ingreſſus, defendit, ne rapaci militum rabie diriperetur,
Mediolanenſes ciues hortatus, ut bono eſſent animo. Interea cum Bernardus
Rubeus Prouinciæ Præſes in ſtipendiũ Prætoriæ Heluetiorũ cohorti, quos ſibi
præſidio, & terrori factioſorũ inſtituiſſe diximus, certũ uectigal, dũ fuit Rauen
næ, omni Prouinciæ impoſuiſſet cum Rauenati Reip. cui centum & quinqua-
ginta aurei nummi erant ſingulis menſibus expediendi; acerbius id, maiuſq.
quàm ut ferre poſſet, uideretur, ſcriptæ ſunt ad Leonẽ Pontificẽ, & Iulium Car
dinalẽ Mediceũ legatum litteræ, & oratores miſſi Ioãnes Antonius Artuſinus,

eques,

eques, Iacobus Morandus, & Bernardinus Cattus iuriſconſulti: præſertim quod, quamquam ſeorſum ſinguli Senatores Rauennates a Bernardo in cubiculum ſuum acciti, Syngraphæ de hac re ſibi propoſitæ ſubſcripſerant, tamen quando in Senatu id non eſſet factum, inane omnino atque irritum affirmabant. Ceterum cum non repræſentarent, ab eo Cæſenam relegantur Auguſtinus Rubulus, Bernardinus Tizonus iuriſconſulti, Gibertus Piccininus, Comes, Opizo Monaldinus; & Andreas Peregrinus, qui tum urbis Magiſtratum gerebant. Perſtitere ibi uſque dum Leone Pont. Max. pridie kal. Decembr. anno MDXXII. ueneno, ut plerique ſuſpicati ſunt, ſublato, Pontificio ſolio uacante, Rauennam remigrarunt. Philippus Maria Rubeus, Bernardi frater, Rauenna decedens, ForumCornelii ſe contulit. Cum autem Leoni ſucceſſiſſet inſequentis anni initio, Hadrianus ſextus, & Cardinalium collegium, interea dum ex Hiſpania Hadrianus Romam accederet, Eccleſiaſticæ ditionis urbes adminiſtrandas, ſuſcepiſſet, Rauennam, quæ Franciſco Soderino Florentino, Cardinali, ſorte obtigit, Zacharias Contugus, Epiſcopus Aſſiſias, moderator miſſus eſt. Quo ferè tempore cum Raſponus ad oppugnandam cũ Proſpero Genuam proficiſci pararet, factionibus, quæ uigebant, in patriam reuocatus, non potuit opulentiſſimæ vrbis uaſtationi intereſſe: cuius vrbis Adurnii, Fregoſiis pulſis, principes conſtituti ſunt. Eodem hoc anno, ad Decimum quartum kal. Febr. Nicolaus Ferretus, annum natus octauum & ſeptuageſimum, deceſſit Rauennæ, eodemq. fere momento Bona Franchina Rauennas, vxor, fato etiam functa eſt, eodemq. ambo funere elati. Attulit is Ferretti interitus, Rauennatibus omnibus, ſummam moleſtiam, quippe cum is uir græce latineq. doctus, necnon ſummus Orator & Poeta, dum Venetiis, compluribusq. præterea Italiæ celeberrimis ciuitatibus, iuuentutem bonas litteras docuit, Rauennæ circumtulit nomen, & honorifice & ornate. Multa ſcripſit, libroſq. præſertim de arte dicendi, & patriæ excidium, commentarios etiam in epiſtolas Ciceronis, & aliquot Orationes; in Iuuenalis quoque Satyras, & Plauti Comœdias. Anno inſequenti Nicolaus Fliſcus Rauennatum Archiepiſcopus, cum fruſtra; Hadriano Pont. Max. demortuo; ad Pontificatum aſpiraſſet, uitam cum morte commutauit, cum eius mortis cauſam plerique uenenum, alii ægritudinem animi fuiſſe dicerent: quamquàm maxima pars poſteriorem fuit ſententiam amplexa. In eo enim Conclaui Cardinales, Pompeio Columna, & Iulio Mediceo diſſidentibus, non unum ſentiebant. Fauebat Columna ſenioribus; Mediceus ſibiipſi, ad id etiam collatis iuniorum Cardinalium ſuffragiis, qui cum Pontificatum minus affectare poſſe viderentur, fauorem & gratiam omnem Mediceo aperte & ſincere deferebant: quod Pompeio nequaquam cum ſenioribus contingebat: nam ardenter ex illis plurimi, conuerſis in Pontificatum cogitationibus, inuidia alterius felicitatis permoti, uniuerſum negocium minus fideliter tractabant. Verum cum in tanta diſſenſione nihil aut Columna aut Iulius efficeret, decretum eſt, communi conſenſu Pontificem eum creare, quem ſupremo illo dignum honore, ex ſenioribus nominaſſent. Primum hac in re ſibi locum, Nicolaus Fliſcus, coniunctis, cum generis nobilitate, præclaris virtutibus, maxime ſpectatus, & tacita, & aperta ſignificatione, facile vendicabat: mox Alexander Farneſius, deinde Achilles Graſſus, Mon-

ANN. M. DXXII.

ANN. M. DXXIII.

tes, Soderinus, Caruaialis, qui æquali omnes ambitu, ſpem quiſque ſuam, publico confirmatam iudicio, alebant. Ceterum cum hac ratione nec etiam quidquam conficeretur, iamq. ob fœdum, inſuetumq. odorem, tantumque peſtilentis eius carceris tædium, Fliſcus & ceteri ſeniores extenuati plurimum eſſent, aliquibus etiam ægrotare iam incipientibus, Pompeio & Mediceo conſentientibus, Seniores ad Mediceum perrexere, eumque aduoluti pedibus, Pontificem ſalutauerunt, eo tamen animi mœrore, vt Fliſcus, contracto inde morbo, haud ita multo poſt deceſſerit. Non defuere, qui, vti memorauimus, de veneno ſuſpicarentur, ſed cum Soderinũ, & Caruaialẽ, & Graſſum Cardinales deuexæ ætatis, eiuſdem viæ comites habuerit, in dolorẽ animi potius, aut certe in peſtilentẽ morbum, ex fœdo conclauis halitu contractum, mortis cauſa & culpa transferenda eſt. Hæc maxime iactura Eccleſiã Rauennatem attigit, ab eo multum aucta iis bonis, quæ ſummo labore & impendio ipſe, ab aliis diſtracta, recuperauerat. cum etiam Archiepiſcopatus ſui dignitatem omnibus modis conſeruare nixus fuiſſet; ipſa præſertim pecunia, quæ in Archiepiſcopatus Prætorio, vetuſtiſſima Cæſarum prærogatiua, Rauennatis Eccleſiæ, & Reipubl. ſigno, cudebatur. Vtq. recuperata bona denuove raperentur, aut dignitas minueretur, ſi ad quempiam Eccleſiæ Rauennatis amplitudinem minus curantem, hæc adminiſtratio deueniſſet, Vrbanum deſignauerat Archiepiſcopum, optimum iuuenem, fratris filium, patrui veſtigiis incedentem: verum is immatura morte; paucis poſtquam deſignatus Archiepiſcopus fuerat, diebus, Romæ ſublatus eſt. Nicolao Fliſco, Clemens Pontifex, in Archiepiſcopatum Rauennatem, Petrum Accoltum, vtriuſque iuris conſultum; quem ab Iulio ſecundo Cardinalem Rauennæ factum ſcripſimus; ſtatim ſubrogauit anno a partu Virginis MDXXIIII. Is autem paucis

ANN. M. DXXIIII. poſt diebus Archiepiſcopatum, annuente Pontifice, Benedicto fratris filio dedit. Quamquam Pontifex, ut Petro eſſet, vnde Cardinalatus tueretur dignitatem, ipſo aſſentiente Benedicto, adminiſtrationem, fructusq. Archiepiſcopatus eſſe Petri iuſſit, dum uiueret: penſionis nomine ſacerdotia, quæ uacarent, Benedictus conferret: perpetuoq. ad Petrum Archiepiſcopatus regrederetur. Extant Pontificiæ litteræ Romæ apud S. Petrum hoc anno XVI. Kal. Septembr. Pontificatus anno primo datæ. Prouinciæ Pontifex Franciſcum Guicciardinum, clariſſimum Hiſtoriarum ſui temporis ſcriptorem præfecit; ſub id fere tempus, cum Camillus Thomaius, Opizo Monaldinus, & Raſponus Raſponius, oratores ad nouum Pontificem menſe Decembri ſuperioris anni, Romæ adhuc erant. Hoc eodem anno tertio Non. Ianuar. in Rauennati agro, uilla Gattinella, prope amnem Montonem, natus eſt infans, Marci Caldironi agricolæ filius, vno capite, oculis quattuor, totidem manibus ac pedibus, vnico ore: qui haud diu uixit: ſed ſacro accepto paternis in ædibus baptiſmate exceſſit è uita. Eodem anno abiit Pandulfinus Aldrouandinus ciuis Rauennas, Venetæ cohortis Præfectus. dum enim Veneti, Sfortiani fœderis lege, aduerſus Gallos Mediolanum repetentes, arma mouiſſent, coniunctisq. viribus cũ Sfortianis, Garlaſcum opidũ aggreſſi iam eſſent, Pãdulfinus, penes quẽ eius oppugnationis gloria extabat, ſeſe conjiciens in foſſã, in qua præ alta erat

ANN. M. DXXVI. aqua, & expugnando opido uiã aperuit, & cõtracto inde morbo laterali Vercellas delatus, paucis poſt diebus fato functus eſt. Inſequens annus nihil habuit,

quod

quod hiſtoria dignum putem, extra Filiaſii Rouarellæ interitum, qui poſt tra ditam Nicolao Fliſco, vti ſupra docuimus, Archiepiſcopatus curam, in Subriuulum, eius Archiepiſcopatus amœniſſ.nū, in Foroliuianis collibus, opidum, concedens, cum tranquille & feliciter, nonum iam annum ibi ætatem degeret, vitæ finem impoſuit; Rauennamq. delatus Nono Kal. Febr. in media Vrſiana æde, ab Crucifixi ara, quam erexerat, haud procul, annum natus primum & octuageſimum, ad ſepulturam, non abſque multis laudibus, datur: quas tamen laudes aliqui minores ob id faciebant, quia inſigne illud opidum, ab Archiepiſcopatu Rauennati detractum, ſuis, uti diximus, tribuendum curauiſſet. Sub id tempus Franciſcus Gallorum Rex, qui Mediolanum ceperat, prœlio apud Ticinum ſuperatus, a Cæſarianis capitur: & Senatus Rauennas anno a partu Virginis MDXXVI. Tert. kal. Mart. ordini cucullatorum, qui Serui D. Mariæ Virginis appellantur, D. Sebaſtiani templū, quod eſt in foro, Angelo ab Cruce, Prouinciali eius ordinis, Bononiæ, Præfectum poſtulante, ea condicione tribuit, ut ſex aſſidue cucullati ſacerdotes, qui facerent rem diuinam ibi commorarentur: quam condicionem ſi non ſeruarent, poſſent inde amoueri. Præerat tum Prouinciæ Præſes, & Rauennæ commorabatur Iacobus Guicciardinus, cum Pontificii exercitus Legatum, commiſſarium uocant; Franciſcus frater gereret. Per idem ferme tempus Clemens Pontifex, & Veneti, adiuncto Britanniæ Rege, ad mutuam ſecuritatem noua fœdera percuſſerant, ut Cæſari, totius Italiæ Imperium affectanti obuiam iretur; pauloq. poſt Pontifex alieno Pontificatu felicior, quàm ſuo, a Pompeio Cardinale Columna pene opprimitur; omninoq. fuiſſet oppreſſus, niſi Vgo Moncata, qui cum Pompeio fuerat, pacem cum Pontifice confeciſſet: qua facta, quærens tamen Pontifex, qua ratione vlciſci illatam ſibi a Columna iniuriam poſſet, Rauennam Ferrariæ Duci, quo cum de Regio Lepidi, & Mutina diſceptabat: ſi eas vrbes reſtitueret, pollicetur. Id autem eo faciebat, quòd compoſitis undiq. litibus & controuerſiis, Regnum Neapolitanum præbere fœderato Regi Gallorùm occupandum poſſe uidebatur. At Eſtenſis, quando Regii & Mutinæ, Hiſpani exercitus ſubſidio, qui Mediolano mouerat, retinendi, in ſpem venerat, & multo maiorem utilitatem ex illis ciuitatibus, quàm ex vrbe Rauenna capiebat, indeq. ſimultatum cum Venetis per aliquot annos occaſionem accepturum ſe intuebatur, Rauennam alioqui deſideratam, renuit. Ceterum Pontifex moræ, ob vindictæ ardorem, impatiens, rebus licet infectis, quas aggreſſus fuerat, pacem abrupit, bellumq. Cæſarianis inferendum putans, dum Valdemontio, Lotharingiæ Reguli, fratri. quòd erat ſtirpis Andegauenſium; ad Neapolitanam expeditionem aditum parat, Carolum Lanoium, & Cæſarianas copias, ſeſe opponentes, fudit & fugauit; Cæſareq. ob id per interpretes pacem petente, maiore dignitate Pontificii nominis, quaſi eſſet ultus iniurias, fœdus ea condicione fecit, vt Lanoius in Etruriam iret, Carolumq. Borbonium auerteret, qui cum Germanis & Hiſpanis copiis ad diripiendam Romam contendere ferebatur: iamq. Mediolano profectus, per Flaminiam exercitum ductabat, & Sanſeuerinus Caiatii Comes, ut ille ſe opponeret, ſi quid moliri vellet aduerſum, Rauennam cum tribus peditum millibus, venerat. Verum Borbonio per viam Flaminiam, Romam contendente, Apenniniq. iuga ad Meldolam, per Galea-

ANN. MDXXVI.

ANN. M. DXXVII.

tam,

tam, tranſmittente, Caiatius Regulus, Rauennam deſerens, nullis ibi præſidiis relictis, cum Vrbinatium Duce Venetarum copiarum Imperatore, in Etruriam breuiore uia tranſcendit. Repetinus is Sanſeuerini diſceſſus, eo maiore periculo, & inconſideratior Rauennatibus viſus eſt, quòd Borbonius Cotignolæ; quod opidum, licet mœnibus firmum, nonnullis tamen tormentorum ictibus oppugnatum, dedentibus ſeſe opidanis, acceperat; Acognam Ducem reliquerat, cum Hiſpanis militibus tercentum, qui excurſiones in Rauennate facerent. Quamobrem dum, Roma capta ab Hiſpanis, in quo tumultu trucidatus eſt Marcus Dentes Rauennas, qui ſingulari planè arte, figuras in ære incidebat, ut præter innumera alia, Paridis, & Innocentium Raphaelis Vrbinatis picturæ declarant; ipſoq. Pontifice in mole Hadriani obſeſſo, Rauennates Acognæ minis, atque impetu, militumq. Hiſpanorum excurſionibus aſſidue moleſtarentur, uiderenturq. mox adducendi in ſummam penuriam rerum omnium, quòd meſſe, quæ iam inſtabat, prohiberentur; & ad hæc metuerent, ne ab Hiſpanis omnia confundentibus, Rauenna a Gallis pene euerſa, penitus & funditus euerteretur, Moroſum Rauennatem ciuem, ſtrenuum militem, ac veteranum, mercenariorum cohorti, tumultuario delectu conſcriptæ, præficiunt, qui vrbis præſidia diſponeret. Magiſtratus Sapientũ hoc tempore forte Auguſtinus Rubulus iuriſconſultus, princeps erat, acri iuuenis ingenio, quem priuatim & publice timentem, ad Iacobum primo Guicciardinum, quem Franciſcus frater, de Prouincia decedens, hic Præſidem reliquerat, mox ad ipſum Franciſcum Guicciardinum, Pontificiarum, fœderatarumq. copiarum Legatum adiiſſe, opemq. petiiſſe ferunt. Reſpondenti autem Guicciardino, ſe, quod eſſent munienda alia loca, Rauennam auxilia mittere nequaquam poſſe, Rubulum Venetorum ſubſidium, iure fœderis, propoſuiſſe: cui cum Guicciardinus eſſet aſſenſus, dediſſe litteras affirmant ad Polæ Epiſcopum Pontificium apud Venetos internuncium, quibus litteris, copias impetrauerit a Venetis, ad Rauennatium præſidium. Verum has litteras, mihi diligenter perquirenti, uidere, ad adhuc non eſt datum. Vtcumque, illud conſtat, Rubulum, ad Venetos adiiſſe, impetraſſeq. vt fœderato Pontifici, ad tuendam aduerſus Hiſpanos nobiliſſimam vrbem, ſubſidia mitterentur. Quod cum iure fœderis, Venetus Senatus faciendum ſibi intelligeret, eo Ioannem Naldum, ſingulari virtute, ac fidem Ducem, cum equitibus quinquaginta mittit. Is Rauenna præſidio firmata, Moroſum, Veneti Senatus nomine, cohorti præficit; Cæſarem etiam Floronium, cognomento Groſſum, & Petrum Mariam Aldrouandinum ciues Rauennates, habito ex fortiſſimis quibuſq. delectu, Duces facit: nec diu poſt equites alios quinquaginta, ab Venetis miſſos, accepit, cum citius eos cogere, ob temporis breuitatem, non potuiſſet. His omnibus copiis Naldum, Pontificis nomine, aduerſus hoſtes vrbem defendere, tum ipſe teſtabatur, & nunc ex iis litteris Andreæ Gritti Ducis cognoſci poteſt, quas Sexto Id. Quinctil. ad Sapientes datas, nos, Franciſco & Antonio Rubuli oſtendentibus, legimus. Renuebat id Venetorum præſidium Andreas Rinuccinus Florentinus, arcis cuſtos, in ſuſpicionemq. ob id noſtris venerat, ne cum hoſtibus ſentiret: tamen ſiue ex animo loqueretur, ſiue quòd diem ex die præſidium expectaret, noſtris, qui metuebant, ne Hiſpani per arcem, tenui firmatam præſidio, ingrederentur,

peten-

petentibus, eius ſibi cuſtodiam demandari, promittit, ſi certa ſibi daretur pe-
cunia , arcem ſe traditurum. Id ex Gritti litteris , quæ nos in hanc ſententiam
legimus , accipere non eſt difficillimum . Andreas Grittus Venetiarum Dux ,
Magiſtratui Sapientum Rauennati S. Ex litteris a vobis heri ſcriptis , a nobis
hac hora acceptis , nouimus * * * Adhæc acceſſit condi-
tio vobis ad arcis cuſtode propoſita ; quam minime ſpernentes , habita ratio-
ne eius commodi , quod manare ad vos poterit ; ſi ea arce potiamini , aureos
nummos quadringentos Alexandro Gauardo , ſtipendiis ſoluendis Præfecto,
mittimus , a vobis , cuſtodi , dum arcem tradere reipſa volet numerandos. Vt
vero ipſa arx Pontificis nomine & fœderis defendatur, iſtuc ſe conferre Ioan-
nem Theupulum iubemus, qui, ſi vobis uideatur, ingrediatur arcem , eamq.
quo diximus nomine tueatur . Valete . Venetiis Quinctodecimo kal. Quin-
ctil. MDXXVII. Cum autem negocium Rinuccinus protraheret , quotidie-
que in animis Rauennatum maiorem ſuſpicionem gigneret , eamque ob rem
Naldus , ac Rauennates , ipſeq. præſertim Rubulus , arcis per uim aut dolum
occupandæ aſſidue occaſionem quærerent , atque in id iam palam incumbe-
rent , fortuna , quæ eludere Rinuccini conatus volebat , optimam Venetis oc
caſionem præbuit . Erat in arce Dauid Rauennas , olitor , quem , cum eſſet
vir impiger, & callidus , ad arcis cuſtodiam Rinuccinus , paruo ſtipendio , ad-
hibebat . Hunc ad ſubſidium ſibi impetrandum aduerſus Venetorum Rauen-
natiumq. conatus , Rinuccinus noctu emiſerat : Quo , incertum : nam pleri-
que ad fratrem , nonnulli ad Flaminiæ Proquæſtorem , alii alio affirmabant .
Senſere hoc ſtatim Veneti , qui in inſidiis aſſidue exploratores habebant di-
ſpoſitos , deq. ipſo Dauide ſtatim intercepto , quæſtione habita , rem omnem
accipiunt : Minisq. & mortis metu eo in ſuam ſententiam adducto,tertia poſt
nocte : quo temporis ſpatio veriſimile erat ſubſidiarios milites iam adueniſſe ,
Dauide præeunte , de ſecunda vigilia , ad poſticum arcis ; quod pertinet ad
Montonis amnis ripam ; accedunt . Rinuccinus adeſſe multos milites intelli-
gens , nihilq. omnino ſuſpicans , ſurgens e lecto, talari ſolum tunica, ſupra in-
duſium , tectus , ad portam contendit , acceptaq. ab Dauide teſſera , pontem
demittit . Quo temporis momento , Petrus Hieronymus Anconitanus, Nal-
di Legatus , ſeſe in arcem proripiens , Rinuccinum multis afficit vulneribus ,
eumq. ægre fugientem , cum ceteri , apud ciſternam , quæ eſt in pauimento
ſubdiali , trucidaſſent , arcem occuparunt , ſtatimq. Venetum nomen hilaris
vocibus conclamarunt . Militibus autem ab eo die pleraq. in Rauennates li-
berius perpetrantibus,noſtri, per Ioannem Donatum Legatum,apud Pontifi
cium internunciũ conqueſti,opem impetrarunt:quemadmodum ex Gritti lit
teris cognoſci poteſt,ad Rauẽnates Sapientes ſcriptis,in hanc ſentẽtiam. Ex lit
teris Ioannis Naldi,& Alexandri Gauardi,arcem acquiſitam accepimus:quã-
obrem,cum ſatis diligenter hinc munitam eſſe iſtam vrbẽ exiſtimari poſſit,de
eo vobis gratulamur.Quoniam vero litteris Moderatoris iſtius ciuitatis,Ioan-
nisq. Donati Oratoris veſtri ſermone ; qui ad nos cũ Pontificio apud noſtram
Rempubl.internuncio,venit;relatum fuit cupere vos,vti,Legato copiã noſtro
ad vos miſſo, iis incommodis obuiam eatur,quæ iſtic accidunt, nos,qui liben-
ter vobis ſatisfacimus ; ab huiuſmodiq. vos incommodis defendimus , Bar-
tholomæum Contarenum ciuem noſtrum deſignauimus,qui milites iſtos no-

ſtros

ſtros ita compeſcat, vt ne uobis quid prætcrea ſit, quominus nos de uobis patrum bene meritos putetis. Valete. Dat. Venetiis, Octauo Id. Quinctil. M D XXVII. Petrus Hieronymus huius facinoris primus auctor, mox veteranorum cohorti præfectus eſt; paucisq. poſt diebus, cum Cæſare Groſſo, Forum Cornelii contendens, obſeſſam arcem, pro Guelfis obtinuit: Cotignolam deinde, facturus idem, profectus, cum vellet arcem ingredi, iamq. e cathena pontis ſub ductilis penderet, glande traiectus, occubuit. Dauid olitor, a Patribus Venetis, qui gratiſſimi in beneficos eſſe conſueuerunt, perpetuo ſtipendio eſt donatus. Pontifex interea obſidione liberatus, cum Viterbium conceſſiſſet, Raſponium, Prætorianorum ſuorum Præfectum creat. Verum Raſponus, dum ob id ad Pontificem proficiſceretur, & ad egregios honores ſibi aditum pararet, in nobili opido Caſtilione, iuxta Arretium, uitam cum morte commutauit. Sub id tempus Pontifex Ioannem Mariam Montem, Archiepiſcopum Sypontinum miſit, qui a Venetis Rauennam peteret: uerum ii, generali reſponſo, rem omnem ad Gaſparem Contarenum, Legatum ſuum ad Pontificem deſignatum, deferunt. Licet enim Pontificio nomine ac fœderis, vrbem ſe occupaſſe, & retinere antea prædicaſſent, ſunt tamen qui putent, ab illa reſtituenda, multum cogitatione, illos, publicis priuatisque rationibus ductos, abſuiſſe: ſi quidem ad Venetum imperium in Flaminia & Aemilia propagandum, Venetiasq. ipſas, frumento; cuius ipſa, & finitimæ vrbes maxime feraces ſunt; iuuandas, admodum vtilis, opportunaque hæc ciuitas videbatur: quibus priuatæ multorum ciuium Venerorum accedebant rationes, cum ampliſſima in Rauennati prædia poſſiderent. Ob hanc reſtituendæ huius vrbis difficultatem, Veneti, Pontificem ſuapte natura ſuſpicacem & timidum, in maximam ſuſpicionem adduxere, ne quid aduerſus Pōtificiam ditionem molirentur. Quæ tamen ſuſpicio, non adeo in Pontifice potuit, ut Henrici Britanniæ Regis Legatis aſſentiretur, qui ab eo Rege ad Rauennam recuperandam ſubſidia promittebant, dum fœdus cum ipſo, & Gallorum Rege aduerſus Cæſarem iniret. Nam Pontifex perhibens nihil ſe tunc poſſe, & exiſtimatione imminutum, & viribus, atque etiam pecunia, inter Cæſarem, & Britannum, Gallumq. Reges, & Venetos medius, ac potius dubius perſtitit. Ceterum cum inſequenti anno grauius adhuc iidem inſtarent, fœdus facere eſt pollicitus, dum Veneti Rauennam reſtituerent: quod tamen ipſe minus futurum putabat, opinione nequaquam fallente. Venetias enim Stephanus Gardinerus, iuriſconſultus, & Franciſcus Brianus, Henrici Regis Britanni Legati profecti, nihil vlla vnquam ratione de reſtituenda Pontifici Rauenna impetrarunt; tametſi eorum, quæ promiſiſſet Pontifex, cōſtantiam, Rex, fide ſe regia ſeruaturum, Venetis per Legatos & litteras affirmaret. Ea autem cauſa Regem ad id a Venetis, Pontificis cauſa, poſtulandum impulerat, quòd inde ſe gratiorem ſperabat futurum Pontifici, a quo per eoſdem Legatos erat poſtulaturus, ut diuortium cum Catherina vxore, quod inſaniens ſupra quàm dici poteſt, optabat, permitteret, & ad fœdus, quo ſe cum Gallo Rege, aduerſus Carolum V. Cæſarem iunxerat, adiungeretur. Eodem hoc anno Septimo Id. Mart. Franciſcus Maria Galeatius, Mediolani Dux, Ludouici filius, Rauennam, cum Oratore Veneto, ad ſacram D. Mariæ Lauretanæ ædem, ex voto, proficiſcens, uenit: diuertit ad Portuenſe cœnobiū,

ANN. M. DXXVIII.

ali-

aliquotq. hic dies perſtitit. Cum autem multa Rauennæ,hoc interim ſpatio, Veneti inſtaurarent, Collegium quoque iuriſconſultorum, hoc eodem anno, Nono Kal. Septembr. in Senatu, coram Aloyſio Fuſcaro, Legato, Pontificia auctoritate iam antea a noſtris impetrata, Sapientibus, negocium ad Senatores deferentibus, inſtituendum curauerunt. Dum hæc Rauennæ geruntur, & Lotrecchius Franciſci Gallorum Regis copiarum Imperator, in Gallia Ciſalpina vrbes moleſtaret, ita eluxit Coſmi Magni Rauennatis, in patriam pietas & animi magnitudo, ut nullo modo prætereunda uideatur. Hic in exercitu Gallo, ſub Lotrecchio, apud Guidum Rangonum, annos natus quinque & viginti in Ticinenſi oppugnatione, ſtipendia merens, cum iam arcis mœnia, ac quadrata turris, vnde oppugnatio cœperat, ui incredibili tormentorum corruiſſet, neque ullus reperiretur, qui auderet certo ſe periculo committere, & foſſam tranſuadare, ipſamq. ruinam qualis eſſet, quaq. patefaceret aditum, perluſtrare, Coſmus nihil hæſitans, & prouinciam accepit, & egregie fortis, licet non abſque ingenti periculo, & bis de muro deiectus, ſumma uirtute, præclaraq. laude abſoluit: quamobrem Gallis facultatem præbuit, ut ſe Duce, ſemperq. præeunte, per eaſdem ruinas in arcem irruperint. Is igitur a Lotrecchio in præmium nauatæ fortiter operæ, ænea equeſtri ſtatua; quam olim Rauenna abductam ad eam vrbem a Carolo primo Cæſare, docuimus; facile impetrata, dum ceteri ad diripiendam vrbem incumbunt, ipſe in forum deſcendit, & cum manipularibus ſuis, atque item fabris deiicere ſtatuam de ſede ſua, veræ nobilisque Rauennatis gloriæ hæres, curauit. Cũ vero Ticinẽſes vel lacrymis a Lotrecchio eius uetuſtiſſimi monumenti iacturam deprecarenrur, Franciſco Boticella perorante, tantumq. auri, quantum pro murali corona fabricanda ſatis eſſet, promittente, nihil impetrarunt: quamquam Paulus Iouius, in multis, nomineq. præſertim Coſmi, quem Hoſtaſium vocat, deceptus, aliter ſcribit. Verum, quod per lacrymas & preces non ſunt aſſequuti, id per uim Ticinenſes habuere: cum enim ſtatuam nauigio per Padum Coſmus Rauennam deueheret, iamq. Cremonam eſſet uentum, arcis Cremonenſis cuſtos, cum militibus aliquot erumpens, facto impetu, de manibus Coſmi intrepide, ſed fruſtra, repugnantis, eam rapit, Ticinumq. remittit. Rauennam Coſmus hoc anno reuerſus; nam, ſuperiore, ſtatuam equeſtrem acceperat; eximii decoris, ac pietatis in patriam glorioſum fructum, habuit, pictam in foro tabulam, qua omnis rei hiſtoriam in teſtimonium virtutis, adhuc patet: Senatusq. forori illius; cui Coſmæ nomen fuit; ſeſe virginem ſacrare, in cœnobio corporis Chriſti, uolenti, grati animi erga Coſmum ſignificationem præbiturus, dotem perſoluit. Meliorem euentum Cæſar Groſſus habuit, qui cum apud Venetos, cohortis Præfectus, militaret, in eadem Ticinenſi direptione, quæ Venetis paulo poſt vrbem occupantibus, denuo contigit; ualuas æneas cancellato opere elaboratas Rauennam deuehendas curauit. Eas autem Ticinenſes eſſe prædicant, multoq. ante Rauennam fuiſſe delatas: quod ex Deſiderio Spreto cognoſcere quiſque poteſt, qui ſcribit ſua ætate in foro Rauennati locatas, ab Ticinenſibus repetitas fuiſſe: ſunt igitur, qui ea depopulatione, quam Galli Rauennæ intulerunt, Ticinum reuectas affirment: a quibus non magnopere diſſentio. Rauennates, Thomæ Mauri, patritii Veneti famulo, qui eas Ticino, Vene-

tias adduxerat, nummos aureos decem; & nautæ, qui Venetiis inuexerat Rauennam, duos, numerauerunt, easq. denuo in foro, ubi nunc eas conſpi-
ANN. M. DXXIX. cimus, locauerunt, menſe Decembri. Anno, qui eſt inſecutus, cum omni Italia pacatæ res eſſent infeliciGallorum euentu, Pontifex Barcinone cum Cæſare fœdus icit, in quo fuit caput illud præcipuum, ut quàm primum fieri poſſet, Cæſar, Pontificem curaret, aut armis, aut alio remedio oportuniore, vt occaſio tulerit; in poſſeſſionem Rauennæ, Ceruiæq. reduci. Cum vero paulo poſt eodem anno, iidem Principes Bononiæ conueniſſent, ubi Cæſar inſigni pompa, coronam accepit Auguſtalem, inter nobiles, opulentosq. viros, qui alacritate & ſumptibus inter ſe certantes, multi, ex tota præſertim Italia, eo uenerant, fuit maxime conſpicuus Antonellus Zampeſcus, ciuis Rauennas, quem Brunorus ex Laura Pignatta Rauennati, vxore, habuerat. Is cum Baptiſtam ſororem, Hieronymo Bratio, ciui Rauennati, in matrimonio collocaſſet, bellicæq. gloriæ cupidus, peditibus mille, & equitibus centum a Venetis præfectus fuiſſet; quam prouinciam exequi, Clemente Pontifice renuĕte, non potuit; triremium Comitis Anguillariæ fuerat Legatus, & aliquot annos ſub Petro Aloyſio Farneſio copias ductauerat. Sed cum liberum dextri brachii motum, ob morbum, amiſiſſet, & ob id bello minime aptus foret, Rauennam reuerſus, dederat ſe ad curam rei familiaris. Itaque ad famam tantæ celebritatis, Bononiam profectus; cum ſuperiore anno, Clemens Pontifex, ſanctum Archangelum, quod eſt opidum ab Arimino haud procul, illi dediſſet, illuſtriſſimiq. Comitis titulum adiunxiſſet; in equo, ex præclara ſobole, maxime generoſo, exquiſitis, veſtis, armorum, & equi ornamentis, cum quolibet cultiſſimo comparari facile potuit. In eo Cæſari cum Pontifice congreſſu, Veneti, per Gaſparem Contarenum Legatum, fœdus cum Cæſare facientes, Rauennam & Ceruiam Pontifici reſtituunt, iis maxime condicionibus adiectis, ut ne quid inde de Venetorum iure derogaretur, iisq. Rauennatibus ciuibus parceretur, qui eum, aut re ipſa, aut, quod ita uideretur, aliqua iniuria affeciſſent. Quibus omnibus non modo libentiſſime Pontifex aſſenſit, ſed etiam omnes ciues Rauennates, filiorum ſe loco habiturum pollicitus eſt, omniq. culpa liberauit. Quod cum Auguſtinus Rubulus, qui male audiebat a multis, reſciuiſſet, Bononiam conuolat, ad Pontificisq. pedes prouolutus, litteris Venetorum, & ſuis, aliorumq. eductis & recitatis, accurate ſe apud eum purgauit, oſtenditq. ſe, quæ feciſſet, molitusq. fuiſſet, pro conſeruanda Pontifici Rauenna, fuiſſe molitum, ad Venetosq. perinde, ac fœderatos, haud abſq. Moderatoris Rauennatis, Pontificiiq. apud Venetos internuncii auctoritate & conſilio, confugiſſe. Quam Rubuli purgationem adeo libenter Pontifex accepit, ut Rubulum honorifice, amanterq. allocutus, torque aurea, & equeſtri dignitate ornauerit. Harum autem rerum cum ab Rubulo, poſt in patriam reuerſo, & etiam per litteras Gritti Ducis ad Dominicum Muſtum, Rauennæ Legatum, poſtrema die Decembris anno MDXXIX. Venetiis datas, Rauennates certiores facti fuiſſent, incredibile dictu eſt, quantum lætitiæ omnium animos compleuerit: erat enim ſuſpicio, omnes, quaſi nimis Imperio Venetorum occulte fauiſſent, Pontificiumq. obtractaſſent, ad ſuprema ſupplicia deuocandos. Pontifex receptæ Rauennæ, omnisq. Flaminiæ & Aemiliæ Præſidem creauit Leonellum Pium Carporum

Comi-

Comitem: qui Rauennam veniens, coactoq. Senatu, ne amplius ob diuerſorum, imprudentiumq. ciuiũ Magiſtratum, ut ipſe dicebat, Pontificia ditio, in huiuſmodi amittendæ vrbis diſcrimen adduceretur, nonnullis grauioribus, ac prudentioribus Rauennatibus ciuibus delectis, eos, Sapientum magiſtratum perpetuo gerere voluit, ſic ut ſuccedentibus temporibus, noui, eadem ſemper ratione, in perpetuum, in demortuorum locum ſubrogarentur. Ipſum præterea Rubulum, ob fidem; ut in diplomate Pius teſtatur; ſummamq. in Pontificem, Pontificiamq. ſedem, propenſionem, Britonorii Prætorem fecit: Tametſi plerique putent, id ab Leonello factum, quòd Rubuli præferocis iuuenis acre, & ſubturbidum ingenium metueret. Cum aliquot iam ante diebus Clemens Pontifex IX. kal. Febr. Bononiæ Anaſtaſium Celinum, equitem, Andream Peregrinum, Auguſtinum Rubulum, Octauianum Bellinum, & Hieronymum Rugineum, iuriſconſultos, ciuesq. & Oratores Rauennates, ſolemne obſequium illi, ciuitatis Rauennatis nomine præſtantes, benignè admodum accepiſſet, omniq. culpa, ac multa, atq. interdicto, ſi quæ fuiſſent, Rauennates exemiſſet, priuilegiaq. eiſdem, quæ ad eam diem a Pontificibus habuiſſent, prolixe confirmaſſet. Sub id tempus Rauennæ Gentilis deceſſit, Thomæ Iuſti aurificis Veronenſis filia, Rauennæ, ex Rauennati muliere nata: quæ cum admodum familiariter, & frequenter Margaritæ, de qua ſupra docuimus, conſuetudine fuiſſet vſa, maximam ſanctitatis opinionem contraxerat, auctam in dies, uita innocenter, ſancteq. agenda. Maritum habuit Iacobum Pianellam Venetum, ſutorem: ex quo genuit filios aliquot, Leonemq. præſertim, qui ſacerdos fuit. Eo autem perſancto genere viuendi, mariti odium ita uehemens ſibi conflauit, ut ab illo non modo verbis aſperis, cõtumeliæq. pleniſſimis, ſed factis acerbis, publicisq. calumniis, ac uerberibus multis, ſæpiſſime in ingentes calamitates præcipitaretur: quas tamen ea animi moderatione, itaque tranquille ſemper tulit, ut Margaritæ magiſtræ, omnia diuinitus cognoſcenti, atque quo modo ſe haberet ſciſcitanti, reſponderet, habere ſe multo melius, quam mereretur. Quo factum eſt, ut aſſiduis a Deo precibus tandem aliquando mariti in melius commutatos mores impetrauerit. Tanta fuit in eos, qui illam iniuriis, ignominiisq. afficientes, multi ſemper fuere, bonitate, & beneficentia, ut prima illos ad iram, odiumq. deponendum, conciliandamq. inter ſe concordiam, blandis verbis inuitaret. Egentes maxima ſemper miſericordia proſequens, cum poſtulantibus, præbere non poſſet; paupertatem enim amabat, & ſectabatur; illacrymans mirifico ſimul afficiebatur dolore. Plurimis ſanitatem corporis, admirabili euentu, precibus a Deo impetrauit; animiq. curas, & moleſtias ſermone leuauit. Cogitationes, intimosq. animi ſenſus, Deo indicante, cognoſcebat; uti locupletiſſimi teſtes acceſſere Antonius Monoculus, & Zacharias Pedercinus; dum iuſſu Pauli Tertii Pontificis, anno MDXXXVII. menſe Maio, Ioãnes Franciſcus Petittus, Rauennæ Moderator, de huius, & Margaritæ vita, miraculisq. uti ſupra memorauimus; quæſtionẽ habuit: in qua Paulus Vegius, Rauennas, Epiſcopus Caſſenſis, ſe Margaritæ, & Gẽtilis precibus, cum iam ad cæleſtis vitæ præmia uocatæ eſſent, animi tranquillitatem, corporisq. ſanitatem, ex grauiſſimis morbis ſæpius obtinuiſſe, ſcribit. Plures etiam ex Canonicis regularibus Lateranenſibus, ut Seraphinus Acetus Firmanus; qui

de harum ſanctiſſimarum mulierum vita, libellum, typis excuſum, edidit; Michael ForoCornelianus, & Marcus Antonius Venetus; Gentilis rogatu, ac precibus, ſummas a Deo uirtutes, ipſamq. præſertim ſe caſtitatem fuiſſe adeptos teſtantur: adduntq. multos ſe nouiſſe Venetiis, Ferrariæ, Lucæ, aliiſq. ciuitatibus, atque opidis, quibus; cum Margaritæ & Gentilis ſuffragium flagitaſſent; munera a Deo mirabilia acciderint. Scribit Monuetulus, vir doctiſſimus & grauiſſimus, iuratusq. in hac quæſtione teſtis, cum nocte quadam acriter a Dæmone illius oppugnaretur caſtitas, ſe protinus e lecto ſurgẽtem, ad Deiq. opem confugientem, fuiſſe liberatum: poſtridieq. mane, cum ad Gentilem adiiſſet, illam, vniuerſam oppugnationem narraſſe, affirmaſſeque precatam ſe fuiſſe Deum, vt illi victoriam præberet. Sæpius item, cum multi adeſſent, cuiuslibet peccata diuinitus ab eadẽ cognita & caſtigata ſunt, quod ipſe ſæpe ſenſit Monuetulus. Multa inſuper vaticinata eſt; tametſi id ægre admodum faceret, nec affirmanter: neque enim viſis; quæ ſibi frequenter diuinitus obiiciebantur; facile credebat. Vt autem multa, quæ prædixit, omittam, illud non inuoluerim ſilentio, quod Rauennate prœlium, urbiſq. direptionem ſigillatim prænouit, aſſerens, e remotis locis multos ad diripiendam Rauennam accedentes, ſe intueri: cum vero Hieronymus Maluſellus eam hortaretur, ut ſaluti fuga conſuleret, id ipſa renuens, ſi erant aduerſa ob peccata ferenda, ſe quoque multa peccaſſe, & in dies peccare affirmabat. Pridie vero quàm ob factiones, magna cædes Rauennæ committeretur, ſibi e D. Ioannis Euangeliſtæ redeunti, uas plenum ſanguinis oſtenſum cælitus eſt, audiitq. vocem, quæ illud acetarium futurum aſſeruit: Cum etiam Borbonius per Aemiliam uagaret, Romam contendens, ipſa in cubiculo, nonnullis comitata, cum eſſet ſtatim pallida facta, & tamquam territa, paſſis crinibus mulieres ſibi oſtenſas, hominum neces, cruoris magnam effuſionẽ atque huiuſmodi multa, quæ in vrbium direptionibus ſolent contingere, affirmauit: quod non diu poſt verùm fecit, ipſa Romæ miſerabilis clades. Hoc loco Hieronymi Maluſelli teſtificationẽ libenter poſuerim, uiri ſanctiſſimi, atq. illius contubernalis, quiq. illi a confeſſione ad expianda peccata; quam quotidie fere faciebat, adfuit. Hic igitur cum admodum adoleſcens multa de Gentilis ſanctitate acciperet, &, ut iuuenes ſolent, ſperneret, hortante ſorore, ac pæne impellente, ad Gentilẽ ſe, non abſq. ingenti metu, contulit: iam enim quartum annũ abſtinuerat confesſione de peccatis. Domum ingreſſus, ſtatim maximum percipit odorem, ad eamq. accedens, breui ita eius præceptis, ac monitionibus iuſtitiam & pietatem eſt edoctus, acieq. mentis illuſtratus, vt aliam ſtatim vitæ condicionẽ, alios mores ingreſſus fuerit. Tres interim effluxere anni, quibus frequẽter ad eam venire conſueuerat, audiebatq. illam Deũ precantẽ, ut ſibi ſacerdotẽ concederet, quo cum arcana cordis tuto cõmunicaret: nec diu poſt Hieronymus in animũ induxit, ſacerdotẽ fieri: ſed quo magis ad eum ſacroſanctũ ordinem accedebat, eo cordis dolore quodam pæne intolerabili magis afficiebatur: quo tamen Gẽtili patefacto, ſtatim exhilaratus eſt animus & inanis timor, ac ſolicitudo pulſa. Sacerdos iam factus, cũ Cæſenæ, in cubiculo ſolus myſteriorũ arcana verba recitaret, & cubito ſupra ſacrũ librũ innixus, manu ad genam admota, ea conſideraret, ſtatim ex ſublimi in faciẽ adeo vehementer ictus eſt, ut ſui vix eſſet compos, nullũ tamen dolorem ſenſit; cõfeſtimque

que erectis oculis, iuxta ſe mulierem nigris indutam veſtibus conſpexit; quam Gentilem, aut Margaritam ſuſpicans, Rauennam, inquit, proficiſci animus eſt: aut enim Iacobus Gentilis maritus eſt mortuus, aut ſupremam agit animam. Itaque Rauennam cum veniſſet, poſtridie eius diei Iacobus vita deceſſit, ipſeque Hieronymus, haud ita multo poſt, Gentilis, Leonis, & mulieris cognatæ, quartus acceſſit contubernalis, vbi decem & nouem annos, vita ſancte degenda, perpetuo vixit. Gentili aſſidue multos dolores, eoſdemq. magnos, patienter, atque hilari ſemper vultu ferente: cum tamen corpus etiam caſtigans, diebus Mercurii, Veneris, & Saturni ſemel tantum, ſacræ inediæ cauſa, comederet, omnibusq. dominicis diebus feſtis, Hieronymus illi diuinam, & ſacroſanctam Corporis Chriſti Dei hoſtiam communicaret. Antequàm diem obiret ſuum ſæpe Hieronymo Maluſello prædixerat. Tandem vero hærede illo facto ex aſſe; erat enim Leo filius præmortuus; iuſſit, vt domum ſuam in templum erigeret: iaceret fundamenta, reliqua Deo committeret, futurum enim, vti non Rauennates, ſed exteri, opus iuuarent. Itaque ad Quinctum Kalen. Febr. nocte inſequenti, ad extremum ſacro oleo vncta, morte minime diſſimili, ab ea, quam innocenter, egerat, uita, nono & quinquageſimo ætatis anno, diem ſupremum clauſit. Quoniam vero nimis longa ſumeretur oratio, ſi, quæ poſt mortem, admirabilia munera ſunt, eius apud Deum rogatu, impetrata narrauerim, hæc omittens, ad Hieronymum Maluſellum venio, qui, cum neque aureos nummos decem haberet, verbis tamen Gentilis magiſtræ impulſus, fundamenta templi iacit; &, quod mirum eſt dictu, plurimi accurrentes, ita rem iuuere, ut breui fuerit templum extructum, in quod quingenti amplius nummi aurei impenſi ſunt: Nam Franciſcus Columbus iuriſconſultus, & Bartholomæus, fratres, cognomento Lupatelli, viri probitate præſtantes aliquot coemptis prædiis templum iuuarunt, & egregie picta tabula aram maximam ornarunt, addicta multiplici ſacra veſte: Nummos etiam aureos trecentos Carolus in Neapolitano Regulus; quem nos uirum nouimus, fuimusque ſuperioribus annis allocuti; donauit: is enim cum in Gallia, quo ſe amiſſo imperio receperat, de quodam ſacerdote accepiſſet, Rauennæ ſacerdotem plane ſanctum viuere, & templum exædificare, diuino Spiritu impulſus, Rauennam e Gallia venit, D. Mariæ Lauretanæ templum, toto orbe, ingentibus miraculis celeberrimum, inuiſurus: inuentoq. Hieronymo, aureum tradidit torquem, vt, quod iam anguſtum ædificarat templum, amplificaret, & ſacellis additis, exornaret: quod & factum eſt. Poſtero anno Rauennates, ut eorum ciuitatis utilitati conſulerent, XV. Kal. Maii; præclaro Senatorum omnium conſenſu, omnibusq. ſuffragiis, ciuem, Senatoremq. Rauennatem crearunt, Laurentium Saluiatum Florentinum, Iacobi filium. Quamquam autem antiqua illum generis nobilitas, quæ & bella inclytos, & Cypri Proreges, & gerenda Republica inſignes uiros, continenti, ac perpetua ſerie tulerat, omnibus charũ reddere potuiſſet: nam ab anno MCCXCII. ad MDXXIIII. Saluiatos in Republ. Florentina XIX. Vexilliferos fuiſſe, Magiſtratus LXV. geſſiſſe conſtat: maxime tamen Rauennates mouerunt; quod ſuis ipſi teſtantur litteris, multa, eademq. maxima accepta a Laurentio: beneficia, & ſumma beneuolentiæ ſigni- ANN. M. DXXXI.

ficatio, quam erga Rauennates iis diebus præbuerat, quibus fuerat Rauennæ: præſertim cum Lucretia Medicea, Leonis X. Pont. Max. ſorore genitus, arcta Clementē Pontificem tunc uiuentem propinquitate attingeret: ſperabant autem fore, ut hanc Rauennatum, qui maiora non poſſent, in eum propenſionem, benignè eſſet accepturus. Itaque paucis etiam poſt diebus, in Senatu, Magiſtratus Princeps, in duos futuros menſes, deductos ex urna tabellis ex more, creatus eſt. Quo tempore cum Cæſenas Epiſcopus, in exercitu Hiſpanorum Pontificius, Commiſſarii titulo, internuncius, libras panis ad uiginti quinq. millia, & magnum pecoris numerum quotidie a noſtris poſtularet, delecti ciues Rauennates ſunt, qui in ipſis caſtris, huius cōmeatus diſtributioni præeſſent. Inde. VI. kal. Iul. quoniam Ioannis benedicti Scaramutiæ Rauennatis, inſignis cohortium ductoris, & Cæſarianis tormentis in exercitu Præfecti ope, atque opera, Hiſpanum exercitum neque agro accepiſſent, quod ob militarem licentiam, magno ſucceſſurum fuiſſe incommodo, uicina loca, ubi fuiſſet, oſtendebant, cum magna uoluntate, Rauennates, ciuem ſuum, in Senatum cooptarunt. Regienſes hoc anno pridie Id. Auguſti, quia id illis Rauennates priores dederant, Rauennates per vrbem, agrumq. illorum tranſeuntes, eſſe immunes iuſſerunt. Interea Hieronymus Maluſellus, abſoluto templo, aliquot ſacratis viris probis, ac religioſis; in quibus Simon Creſpolus Rauennas maxime emicuit; ſecum iunctis, collegium inſtituit, titulo Boni Ieſu, ac Diuæ Margaritæ adiecto; anno a partu Virginis trigeſimo ſecundo ſupra millesimum quin gentesimum: quod poſtea Paulus Tertius Pont. Max. inſequentibus approbauit. Iulia etiam Sfondrata nobilis, ac religioſa mulier, uidua, Mediolanenſis; quæ Mantuæ ex Piccinarda familia maritum habuerat; annuam certam penſionem pecuniæ illi conſociationi cum tribuiſſet, multum rem ipſam iuuit, magnificasq. ædes proximas templo, & nonnullos etiam fundos comparauit. Hoc eodem anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſecundo, Idibus Decembr. Petrus Accolrus, cum Rauennati Archiepiſcopatui annos nouem, menſes quinque præfuiſſet, Romæ obiit, ibidemq. in D. Euſebii ad ſepulturam datus eſt: quapropter liberam Archiepiſcopatus adminiſtrationem Benedictus fratris filius accepit: Et Cæſar Raſponus, Raſponi filius, in Pannonia, ſub Alfonſo Vaſtio, quadringentorum peditum cohorti Præfectus, ſummam prudentiſſimi Ducis laudem meruit, quando fortiſſimi nomen, aſſequi, occaſione deficiente, non eſt datum: ſiquidem Solymanus, Turcarum Princeps, cum implicitum Carolum Quintum Cæſarem Germanico bello, aduerſus Fridericum, Saxonum; & Philippum Langrauium, Cattorum, Principes uideret, qui religionis falſæ Luteranæ prætextu, Cæſaris dignitatem infringere nitebantur, vniuerſis copiis admirabili apparatu Byzantio eductis, Viennam contendens, uix Cæſariani exercitus fama comperta, pedem retulit: quapropter cum Cæſare in Italiam redeunte, Itali ad Hungaricum pro Ferdinando bellum adducti, multis incommodis, ipſaq. præſertim annona, & ſtipendio male habiti, ſeditionem mouiſſent, cunctaq. in itinere obuia popularentur, Raſponus, ab eo ſcelere ſuos, apud quos auctoritate, & beneuolentia plurimum poterat, compeſcuit, & a pleriſq. Carinthiæ, & Stiriæ Regulis, duce itineris dato, omnibus iis detrimentis, quæ tum Ferdinādus omni Italico decreuerat, tum Germani itinerum anguſtias obſidentes, multa cæde

ANN. M. DXXXII.

per-

perpetrabant, in Italiam immunis peruenit. Ferdinandus enim tot Italorum paſſim graſſantium, iniuriis,& damnis commotus, ut nemini Italico parceretur, datis ad id litteris, iuſſerat. Peruenit itaque ſumma laude prudentis Ducis Rauennam Raſponus. Per eos fere dies, cum Clemens Pont.vt in congreſſum, colloquium Caroli V. Cæſaris, in Italiam reuerſi, ipſo ſic petente, poſtulanteq. Cæſare veniret, Bononiam ſe contulit. Ad eum ſtatim qui aduentum gratularentur, Oratores a Rauennatibus, menſe Decembri, miſſi Paulus Zauonus,& Octauianus Bellinus iuriſconſulti. Poſtero anno kal. Quinctil. Bartholomæus Valorius Florentinus, Flaminiæ Præſes, ſapientum Magiſtratum, quem Leonellus Pius, perpetuum; vti ſupra memorauimus; fecerat, ad ueterem duorum menſium ordinem reduxit. paulloq. poſt ciuis, & patricius Rauennas eſt factus. Inſequens annus nihil attulit noui, extra ingentem lætitiæ teſtificationem, ob Alexandrum Farneſium, qui omnium Cardinalium admirabili conſenſu Quarto Id. Octobris, Pontifex Max. creatus fuerat, Paulusq. Tertius appellatus. Ad eum gratulationis,& obſequii cauſa, Oratores a Rauennatibus miſſi, eodem Octobri menſe, Auguſtinus Rubulus eques,& iuriſconſultus, Iulius Raſponus eques, & Octauianus Bellinus iuriſconſultus. Anno trigeſimo quinto ſupra milleſimum quingenteſimum, ad ſeptimum Id. Ianuar. Iacobus Arigonius obiit, qui cum diu Venetiis medicinam feciſſet, tandem in patriam regreſſus, ita cum doctrina, uitæ innocentiam, ac ſanctitatem coniunxerat, ut plane cunctis eſſet admirationi. Multa ſane egregia de prandio,& cœna, aduerſus præſertim Matthæum Curtium, ſcripſit, quæ apud Ioannem Arigonium, optimum,& clariſſimum ætatis noſtræ medicum, Oratoremque ſummum, ac perfectum, fratris filium, modo habentur. Rauennates III. Id. Februarii, ne ſibi deeſſet, qui apud Pontificem defenderet vrbem, ac protegeret, Andream Matthæum Palmerium Cardinalem, Neapolitanum, ciuitatis patronum creant: neque enim Præſidem hæc tunc habebat Prouincia, ſed per Moderatores eam ciuitatum, Pontifex quos Epiſcopos miſit, adminiſtrare inſtituit, Rauennæque ob id IoannesThomas Sanfelicius Neapolitanus, Epiſcopus Cauenſis præfectus eſt. Ceterum abſoluto anno, denuo redacta ad Præſidem adminiſtratione, Gregorio Magalotto, Epiſcopo Cluſino Prouincia traditur, qui leges tulit, quas Magalottas de illius nomine appellamus. Illi deinde Cæſar Nobilis Lucenſis ſucceſſit. Florebant autem hoc tempore belli artibus ciues Rauennates complures, in quibus maxime Ioannes Baptiſta cognomento Crucifiſſus Bongiouannus, multis expeditionibus Dux ſane clariſſimus, copiarum Venetarum Præfectus; Ludouicus Raſponus, Raſponi filius; qui ſub Ioanne Baptiſta Sauello, cohortem in Pannonia ductauerat; & Ioannes Aldrouandinus, Sebaſtiani filius, enitebant. Hic ab Rege Gallorum cohorti Præfectus, toto eo ſubalpino bello, qud hoc tempore aduerſus Carolum Cæſarem, agitatum eſt, oppugnandis vrbibus, hoſtibusq. repellendis, & ſuſtinendis, vniuerſaq. tandem ratione belli, ſtrenui Ducis nomen apud omnes promeruit: nam primus in oppugnatione Bargiæ, Buſcæ, & Brechiraſchi, ſummo periculo, difficilem eorum locorum expugnationem eſt aggreſſus: cum vero in Pinarolo opido, Vaſtio circumuallante, duos circiter menſes, obſidionem tuliſſet,

ANN. M. DXXXIII.

ANN. M. DXXXIIII.

ANN. M. DXXXV.

diſcedentis tandem, re infecta, Vaſtii nouiſſimum agmen, ex opido cum ſua cohorte erumpens, adortus, maximam illi cladem intulit; moxq. ad Claraſcum opidum profectus, in quo Cæſariani erant, ad deditionem opidanos, ea condicione, compulit, ut in menſtruum Aldrouandinæ cohorti ſtipendium, pecuniam conferrent; ipſe vero Aldrouandinus eorum uitam, ac fortunas, opido potitus, integras ſeruaret; quod & factum eſt. Haud ita multo poſt, Villam Stalonam, opidum Cæſarianorum, cum ſumma fortis, & ſtrenui Ducis laude, occupauit. Cæſar quoque Sgropulus, ciuis Rauennas, cohortis præfectus, apud Cæſarem Fregoſium, Genuenſi oppugnatione, & multis aliis expeditionibus cum Italicis, tum Gallicis, clarus habebatur. Sub id tempus anno MDXXXVII. cũ Pontificius Legatus ob muniendam Cliſſam aduerſus Turcas, vinum a Rauennatibus, & nauticum panem peteret, Rauennates Venerium, Cattum ad Propræſidem mittunt, ut rem cognoſcat: Is autem & litteras a Propræſide, & Pontificium retulit diploma, quo patebat Cliſſam, eſſe opidũ in Dalmatia, ſupra clariſſimam vrbem Salonam, in edito colle permunitum, quod ab infirmo Regulo chriſtiani nominis tenebatur, cui Petro Croſiccio nomen erat. Id his in locis ad ſuſtinendas Turcarum incurſiones magnã habere opportunitatem, apparebatq. magno Chriſtianorum incommodo, in Barbarorum poteſtatem eſſe deuenturum, niſi communi finitimorum auxilio aduerſus Turcas defenderetur. Subſtinuerat diu Croſiccius inſultantium, perpetuoque inſidiantium Turcarum arma, ſed is, ut erat tenuiſſimarum uirium Regulus, viribus diffidens, totiusq. viciniæ periculum oſtendens, ad Ferdinandi Regis, Pauliq. Pontificis auxilia decurrerat, ut eorum matura adiutus ope, ſeſe, atque opidum tueretur, Ferdinandi namque plurimum intererat, longe a ſuis finibus Barbaros arceri, Pontifex autem ſuæ pietatis, & officii eſſe meminerat, tueri Chriſtianum nomen aduerſus impios: iamq. conſcriptis Anconæ cohortibus, & opportuno tormentorum inſtrumento, atque item commeatu liberaliter adiuuare nitebatur: Quæ cum referente kal. Febr. ad Senatum Venerio, Rauennates didiciſſent, maxima uoluntare ad parandum cõmeatum, remq. omnem iuuandam ſe dedere: uerum fruſtra, quia breui Turcæ Cliſſa potiti ſunt. Cum autem per hos dies Andreas Matthæus Palmerius Cardinalis, vitam cum morte commutaſſet, abeſſetq. ab urbe, Accoltus Cardinalis, Archiepiſcopus noſter, coacto ad III. Id. Aprilis Senatu, Rauennates, patronum ciuitatis adoptarunt Ioannem Mariam è Monte Cardinalem, quem Paulus Pontifex ſuperiore anno, ea dignitate ornauerat.

ANN. M. DXXXVII.

ANN. M. DXXXVIII.

Inſequens annus præclarum Pontificis habuit ſtudium, qui cum maxime doleret, Carolum Quintum Cæſarem, & Franciſcum Galliæ Regem tam acerbe inter ſe diſſidere, ut labentibus ſuccurreret Chriſtianis rebus, quas Solimanus Turcarum Princeps ea ductus occaſione, vehementer opprimeret, Longum iter, & ſenili ætati ipſius vehementer contrarium, Dei, & pacis conciliandæ cauſa, Nicæam, quam ad vrbem ipſi etiam, Pontificis adducti precibus, Principes ſe contulere, profectus eſt, ibique, licet uera, & perpetua pax non potuit confici, tamen optimi Pontificis opera, decennales factæ ſunt induciæ. Romam reuerſus Paulus, Rauennatem Boni Ieſu conſociationem, iis ſeruatis legibus, quas Hieronymus Maluſellus eius Rector præſcripſerat XV. kal. Nouembr. titulo beatæ Margheritæ confirmauit. Militari gloria

hoc

hoc tempore Cæſar, Ludouicus, Raphael Raſponii, Raſponi filii, in Camertino bello, quod Pontifex Franciſco Maria Ruuereo Duce Vrbinatium demortuo, urbem illam recuperaturus, indixerat: Firmano item & Peruſino, quæ inſecuta ſunt, copias ductantes egregie florebant, cum & oppugnandis urbibus, & prœliis ineundis optimi Ducis famam præclarè ſuſtinerent. Anno ſupra milleſimum, quinquageſimum, trigeſimo nono; qui mihi natalis fuit; Rauennatium habuit religionem, qui Senatus conſulto IIII. Id. Maii decreuerunt, diem D. Romoaldi ciuis Rauennatis, ex nobiliſſima, ut ibidem etiam dicitur, Honeſtorum familia, feſtum, ſolemni cerimonia, occluſiſq. omnibus tabernis, & indicto iuſtitio agi: Magiſtratusq. ciuitatis ad Claſſensē in vrbe Rauenna, ædem procedere, ibidemq. ad impetrandam a Deo pacem & ueniam, Diuum illum aduocatum inuocare. Præerat per id tempus huic Prouinciæ Præſes, Ioannes Guiditionus, Lucenſis, Foriſempronii Epiſcopus, qui perpolitus eleganti admodum eruditione, Etruſcas Muſas feliciſſimè coluit: cum præſertim Annibalem Carum a ſecretis haberet eo eloquentiæ & ſtudii genere longe clariſſimum. Cum autem rarò admodum Senatores, ceteriq. magiſtratus Ranennates conuenirent hoc tempore, & Senatum conflarent centum patres, ex eo numero Guiditionus octo & triginta delegit, ex una familia, tantum unum, qui Magiſtratui Sapientum adiuncti, eadem auctoritate, qua Senatus; præterquam Prætoribus, Medicis, ludi magiſtris creandis, confirmandiſque, bonis Reipubl. alienandis, tributis imponendis, mittendiſq. Romam Oratoribus; ualerent, & quaque hebdomada, ſaltem bis conuenirent. Magiſtratus autem Sapientium ex quinque conſtaret, qui in prætorio aſſidue omnes die reſiderent: noctu, ſaltem duo. Quæ Pontifex omnia, Rauennatibus per Vrbertellum Gordium, & Antonium Raccum Oratores ſuos id efflagitantibus poſtero anno, confirmauit. Poſtero extremo anno Ioannes Maria Montes Cardinalis, & huius, uti docuimus ciuitatis patronus, Legatus in Prouinciam uenit, & omnibus officiorum generibus a Rauennatibus cultus. Proximo Hieronymus Maluſellus Rauennas, de quo ſupra diximus, conſociationis Rauennatis Boni Ieſu primus Rector, XIII. kal. Septembr. Rauennæ moritur, neque diſſimilis vitæ, mors fuit, cum toto morbi curſu, quo per quattuor circiter menſes tabida, aſſiduaq. febre & deſtillatione decubuit, incredibilem ſeruauit non modo animi, corporiſque, ſed vocis, ac vultus conſtantiam. Antequam collocaret ſe in lecto, candelam certis precationibus expiatam, quo ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ more, ad eos, qui animam agunt, piè obſignandos vtimur, apud cubile, ex Chriſti Dei, & aliquot Diuorum imagine appendit, eaq. obſignari ſe uelle dixit: inde quaſi præmonſtratus ſibi vitæ fuiſſet exitus; quamquam ſe tradidit totum Diuinæ voluntati, tamen cum remittere ſe morbus ſæpius uiſus, nonnullam Medicis ſpem præbuiſſet, nihil profecturos illos dicere, quando morbus ille ſibi diuturnus eſſet, ſupremuſq. futurus: interea quæ Medici imperaſſent, aut aſſidentes; licet moleſta admodum ſenſibus acciderent, libenter accipere, & iis abſtinere, quæ ab illis vetita, ſibi grata fuiſſent plurimum, vt in continenti, moleſtiſſimaq. ſiti, aqua: ita Diuina ſibi eſſe iuſſa ſeruanda, ita illatum ſibi, ob peccata ſua morbum, ideoq. pœnam æquo animo, & ſumma voluntate ferendam affirmabat. Statim autem ut lecto decubuit, ſacratos ſuæ conſociationis

ANN. M. DXXXIX.

ANN. M. DXL.

ANN. M. DXLI.

tionis uiros iuſſit accuratè, ut quod æs alienum, tametſi exiguum, pauculos ante morbum dies, contraxerat, confeſtim diſſoluerent, ab egentibus; quibus ipſe perliberaliter tritici cum & pecuniam mutuo dederat; ne quid repeterent, omnia ſe illis condonare. Cæterum ubi ingraueſcere cœpit morbus, accito ſcriba, Rectorem, ſucceſſoremq. ſibi Zachariam Pedercinum, ad eam diem in eodem conuentu ſocium, inſtituit, mox teſtamentum fecit, inde ſe totum Diuinarum rerum contemplationi dedit. Vehemens illum habebat deſiderium ſanctiſſimæ ſæpe ſumendæ Euchariſtiæ hoſtiæ, ſed acri deſtillatione, tuſſiq. impeditus, uix id illi terram demiſſus, nudatis nixus genibus, eam primùm accepit, deinde ſedens in lecto, & ſuorum ſacerdotum manibus ſuſtentatus: tanta autem ſemper ueneratione, tot lacrymis, ſuſpiriiſque, quas etiam in ipſis, qui aderant, excitabat, ut magnum afferret cæleſtis gaudii in omnibus ſenſum. Quo poſtremùm illam accepit die; fuit autem is, quo beatiſſimæ Virginis Deiparæ in cælum migrationem. XVIII. Kal. Septembr. iam inde ab Apoſtolorum temporibus colimus; eo quoque die, ſacro oleo inungi, & reſpondere ipſe *Zachariæ* Pedercino, nouo Rectori, inungenti uoluit, cum tres tantum adeſſent ſacerdotes, & ex iis duo, Simon Creſpolus, & Philippus Solarolus, ſeptem Dauidis pſalmos, pœnitentiales uocatos, recitarent: neque enim curabat, in cubiculo adeſſe multos, & qui officii cauſa ſalutatum accedebant, aut officioſe & ipſi ſtatim dimittebantur, culpa in grauitatem morbi reiecta, aut introducti, cum vndique ſilentium eſſet, haud ita diu poſt ſponte abibant. Poſtquam uerò multa, de rectè agenda uita, & de pace ſocios ſuos monuiſſet, & manu in Crucis effigiem ducta, illis id cum lacrimis flagitantibus, benè dixiſſet, paucis diebus antequam migraret ex hominibus, cum adeſſent *Zacharia* Pedercinus, & Philippus Solarolus, extenta in cubiculi angulum manu, illic eſt, inquit; cacodæmonem intelligens; eius nihil timeo: alteroq. poſt die ad lecti pedes eſſe dixit, ſpecie baiuli: petere autem a Deo, ut propria illum forma numquam uideret. Vbi uerò iam appropinquaret interitus dies, duo ſibi ſigna dixit fuiſſe uiſa, reliquum eſſe tertium: inde quam parauerat, propius admoueri candelam, lucernamque iuſſit perpetuò ardere, ne illis imprudentibus abiret. Mox præcepit, ut ſibi animam agenti, rara uerba pronunciarent, & aliquando ſanctiſſimum Ieſu nomen, eiuſq. beatiſſimæ matris, & Diuorum aliquot, ac primum Symboli Apoſtolici uocem, repeterent. Interea ipſe modò in Chriſti Cruci ſuffixi, modò in ſanctorum intueri imagines, perpetuò tamen; ut colligi facile poterat; in altiſſima contemplatione defixus, beatæ uitæ deſiderio flagrans; quod non ſemel uerbis expreſſit; ita nonnumquam ea repetebat nomina, nihil ut fuerit ſibi opus ea in memoriam reuocare. Tandem XIII. Kal. Septembr. ad ueſperam, Philippo Solarolo, qui illi, omni ferè tempore aſſederat, ad ſe uocato, dexteraq. indicans, incredibili faciem hilaritate perfuſus, illic ſunt, inquit, iam aduenere, aliis deinde pronunciatis uerbis, quæ, quòd ſummiſſa uox nimis eſſet, nequaquam potuere intelligi: Nec diu poſt, lætus admodum, inclamat clara uoce, mutandum ſibi cælum, & admoueri candelam accenſam iubet, ac poſtquam aliquandiu manibus ſupplicibus attentè Deum precatus eſt, animamque Ieſu Chriſto commendauit, & illius cruci ſuffixi imaginem magna pietate amplexatus, oſculatuſq. eſt, ter ſeipſum candela in Crucis effigiem ducta, obſignauit. Ea deinde

Philippo

Philippo reddita, ac ut remoueretur iuſſa, non ante, inquit, migrare poteſt anima è corpore, quam Deus iuſſerit: pauloq. poſt, denuò mandat candelam admoueri, cancellatisq. ad uentrem manibus, hora noctis altera, ita uti erat ſupinus, exhalauit animam. Funus ſumma frequentia celebratum, cum odor ſuauiſſimus latè feriret omnium nares, & prodigia aliquot uiſa fuiſſe teſtetur Philippus idem Solarolus, in eo, vnde hæc excerpſimus, Commentariolo, qui de tanti uiri obitu eſt, ad inſignem Chriſtiana probitate uiduam, Angelam Columbam, cognomento Lupatellam, Ioannis filiam. Fuit autem Hieronymus excellenti uirtute uir, incitato ac planè feruenti ſpiritu, & ſtudio Diuini cultus ardentiſſimus. Primus fertur, qui apud nos, Bernardini Ochini Senenſis, fucatum, ſeditioſumque ſenſum, cum Ochinus ad eum ſalutandum, fama permotus hominis, Rauennam ueniſſet, nouerit, quamquam adhuc Ochinus, ſcelus, & flagitium quod coquebat animo, altiſſimè comprimeret: Multi, Hieronymum uiri nobiles plurimum uenerati ſunt, & Hercules Gonzaga Cardinalis, ſummis, maximisq. Princeps uirtutibus cumulatiſſimus, cum aliquando ſe Mantuam Hieronymus, ob ſuæ conſociationis negocia contuliſſet, ualde ſuſpexit: Eodem hoc anno Paulus Pontifex, priſtinæ ſuæ pietatis, & conſtantiæ tenorem ſecutus, ab Roma æſtuoſo itinere, improbantibus medicis, ut Carolo Cæſari, in Italiam è Germania redeunti, eiusq. in vrbe Luca congreſſum obnixè poſtulanti, ſatisfaceret, uia Caſſia, illuc ſe contulit. Vbi poſtquam cum illo, Algerium infeliciter petituro; in qua etiam expeditione Raphael Raſponus inclaruit; de pace cum Franciſco Gallorum Rege, facienda fruſtra tractauit, decretumq. eſt, ut Cōcilium, quod petebat Cæſar, & ut rectè peragi poſſet, Pontifex exoptabat potius quàm, uigentibus inter Reges odiis, ſperabat, in annum ſequentem indiceretur, per Piſtorienſes montes Bononiam contendit. Ad nuncium aduentantis Pontificis, tres confeſtim ad eum oratores, coacto. XVIII. kal. Octobr. Senatu, deſtinantur a Rauennatibus, Octauianus Bellinus, Paulus Zauonus iuriſconſulti, & Cæſar Raſponus cohortis Præfectus: quibus Boniam profectis, & Pontifici nomine ciuitatis gratulantibus, petentibusque ut Rauennam accedere dignaretur, benignè reſpondit, ſe omnino, quæ poſtulaſſent, libenter facturum, & de mandatis, quæ tum exhaurire contenderent, Rauennæ acturum. Quæ cum eſſent Rauennam allata, compleuerunt ingenti lætitia ciuitatem omnem, ſtatimq. Decemuiri creati, qui tanti excipiendi Pontificis curam ſuſciperent: Fuere autem Camillus Thomaius, medicus, Franciſcus Martinellus, Petrus Andriolus, Lucius Monaldinus iuriſconſulti, Bartholomæus a Sale, Alexander Guicciolus, Ioannes Pignatta, Marcus Antonius Abbioſius, Bernardinus Cataneus, & Petrus Paulus Aldrouandinus. Horum opera ac ſtudio; cum nihil a nobis auguſtius, & opulentius excogitari, præſtarique potuiſſet; Rauennates triumphalibus portis erectis, pictisq. aulæis exornatis parietibus, viis, uerſicoloribus pannis, ipſisq. uirentis iuniperi, & lauri foliis, contectis, alacriter & benigne omnibus hominum ordinibus, ſacratorumq. uirorum obuiam effuſis, Pontificem excipiunt; neque fuit ciuis, qui non certum domi familiarium Pontificis numerum ſponte acceperit. Fuit hic dies Sexto Id. Octobr. anni MDXLI. elegantiſſimis Ioannis Minghini Iuriſconſulti, poetæ clariſſimi latinis carminibus celebratus. Ab Vr- ANN. M. DXLI.

ſicina

ſicina porta; ubi Auguſtinus Caballus Iuriſconſultus, Magiſtratus ciuitatis tunc Princeps, claues illi vrbis, aliquot latinis additis uerbis, obtulerat; Ad Vrſianam ædẽ primum progreſſus Pontifex, ubi de more Deum eſſet precatus, Diuiq. Apollinaris, Rauennæ tutelaris, ſubſidium implorasſet, ad Portuenſiũ Canonicorum cœnobium diuertit. Ibi Auguſtinus Caballus idem, breui latina oratione, & Rauennatium lætitiam explicauit, & ciuitatẽ Pontifici plurimũ, cõmendauit. Poſtridie eius diei, mane cum omnibus, qui ſecum aderant, Cardinalibus, ceterisq. Antiſtitibus, ad mare ſe contulit: a prandio ſacrarum Virginum Corporis Chriſti domum, Arcẽ, D. Mariæ Rotundæ, Diuiq. Vitalis tẽpla, inuiſit. Tandẽ Quarto Id. diſcedens, Ceruiamq. primo, mox Cæſenam adiens, modicis itineribus, Romam regreſſus eſt. Rauennæ cum eſſet, paterne ac liberaliter, maximeq. familiaris Rauennates omnes ſemper complexus, atque allocutus, vniuerſalem de ſe, ingentis prudentiæ, & caritatis opinionem, in Rauennates iam inſinuatam, admirabiliter confirmauit. Tametſi non defuere,

ANN. M. DXLIII. qui ob tributum ſeptem millium & quadringentorum aureorum, ad tres annos, ciuitati paulo poſt impoſitum, maxime commoti ſint, præſertim quod cum triennium minime exceſſurum, in diplomate affirmaſſet, perpetuo deinceps, ad hanc diem, fuerit conferendum. Qui tamen æquiore animo, non modo a Rauennatibus, & ceteris Flaminiis, ſed ab omnibus, qui Pontificiæ ditioni ſubiiciebantur, ad tercenta aureorum nummum millia exactum tributum æſtimabant, ii conferebant omnem culpam, in neceſſitatem; cui parendum eſſet. Nam per hos dies Turcarum Rex Solymanus; quem alii Seleimanum appellant, hancq. vocem, Solomonem, exprimere aſſerunt; claſſem ingentem inſtruxerat, & undique bella inter Chriſtianos Principes æſtuabant: quæ breui poſt tempore inter Franciſcum Gallorum Regem, & Carolum Cæſarem maxime ſunt conſecuta. Horum autem bellorum cum maxima pars in Gallia Ciſalpina, & Subalpina prouincia conficeretur, in illis ſtrenuam nauarunt operam Ludouicus Raſponus alæ equitum, ſub Sfortia Pallauicino,

ANN. M. DXLIIII. præfectus; Lunardus Lunardius, ſub Petro Strozza, & Ioannes Aldrouandinus Sebaſtiani filius, qui eo, quod in ſubiectis, Cereſolæ campis, commiſſum eſt, prœlio, magnam laudem adeptus eſt. Hoc tempore Leonellus Pius, & Hippolyta eius uxor, eorumq. poſteri, ipſa potiſſimum petente Hippolyta, ciues, patriciiq. Rauennates fiunt. Haud ita multo poſt Cæſar, cum ob Philippi Lantgrauii Cattorum Principis, & Ioannis Friderici Saxonum Reguli, defectionem, Germaniam edomaret, eo bello Cæſaris Raſponii uirtus, in Tanauertana oppugnatione, ceterisq. prœliis, quæ tumultuaria potius, quàm iuſta committebantur, enituit: nec minus Ludouicus frater, centenariæ alæ equitum Præfectus, ſpectatæ virtutis laudem promeruit. Ioannes etiam Aldrouandinus Pandulfini filius, ab Malateſta Malateſtio, ueteranis militibus, quas lanceas fractas uocant, ſuis præfectus, ad ueram gloriam aſpirauit. Anno

ANN. M. DXLV. MDXLV. pridie Id. Iunii Corradus ſpiritus ſancti Abbas, Hieronymus eques, & Ioannes Antonius, è uetuſta omnes & nobili Graſſorum Bononienſi familia, ciuium & patriciorum Rauennatium numero adſcribuntur. Cum verò quæ a Pado Rauennam foſſa pertinebat ob cœnum fundo inhærens, iam eſſet nauigationi inepta, Alexander Guicciolus, & Franciſcus, Bartholomæusq. Columbi cognomento Lupatelli, fratres, per foſſam percolam, quæ ipſorum

erat

erat Lupatellorum, uſque ad D. Petri in armentario, inde per Guiccioli palu des, breuiore ui nouam poſtero anno deduxerunt: Senatu illis, quartam eius vectigalis partem ob id pridie Kal. Nouembr. tribuente. Annum quadrageſimum ſeptimum ſupra milleſimum quingenteſimum, qui in Germanici belli ferme tempus incidit, fecit Rauennatibus funeſtum Iulii Ferretti interitus; ANN. M. DXLVII. qui pietate & doctrina ornamento ciuitati fuerat. Nicolao patre genitus, Ioannem Petrum Ferrettum, Lauellinatum Epiſcopum, fratrem habuit: ipſe iuriſconſultus, ex ſcriba, factus, cum multas pro patria legationes obiiſſet, ſub Petro Toletano, Neapolis Prorege in multis Apuliæ Dauniæ prouinciis, Regius iudex, latronibus vias purgauit, eamq. opinionem integritatis & probitatis de ſe excitauit apud omnes, ut Proregi cariſſimus, ad ampliſſimos honores maximis itineribus propediem aſcenſurus videretur, niſi eum mors rapuiſſet. A Clemente Pontifice eques & Comes Palatinus, eſt factus: & quamquam aſſidue erat multis negociis impeditus, nocturnas tamen horas, & ſtatim pranſus ac cænatus, ſæpe etiam inter ſcyphos; erat enim cibi ſomniq. parciſſimus; in ſtudiis litterarum inſumere conſueuerat. Vnde complures extant libri, de veteri præſertim illuſtrata, inſtaurataq. militia, de re nauali, reſpõſa item de ſingulari certamine. Deceſſit ſumma religione, vti pium decet Chriſtianum, in opido ſancti Seueri, quod eſt in Apulia Daunia; ibiq. in æde Trinitatis ſepultus Octauo Id. Mart. Non deerant tamen alii ciues, qui pari gloria, & ſtudiis optimarum artium, ornamento ciuitati eſſent: Nam Ioannesbaptiſta Rubeus Carmelitanus Theologus, Rauennæ natus, originem Parma ducens, cum doctrina & dicendi exercitatione valeret, ſacris concionibus eloquentia non minus quàm pietate religioneq. refertis, totius Italiæ & Siciliæ aures, non abſque immortali; vt puto; laude circumſonabat: ad ſeq. vocatum hoc tempore Paulus Tertius Pont. Max. ex eorum numero noluit eſſe, qui in Gymnaſio Romano diuinos libros publice interpretarentur. In quo ſe munere ita geſſit, vt non modo multi grauiſſimi viri, eius auditores ſcriptis exciperent, quæ ipſe voce interpretaretur, ſed Pontifex illum eis adiunxerit, quos doctiſſimos undique ſelegerat, qui ipſo prandente; id enim ſolum tempus optimo Pontifici a curandis Reipubl. Chriſtianæ negociis, vacabat; diſputarent de rebus diuinis: quarum diſputationum, inter reliquos, ſocium habuit Cornelium Muſſum cucullatum Franciſcanum, quem paulo poſt Epiſcopum Bitontinum Pontifex fecit. maiora Rubeo elargiturus, quorum maximam & ſummam ſignificationem dederat, niſi omnem euentum mors Pauli anteuertiſſet. Atqui parcior hoc loco ſim eſt neceſſe, ne, quod hominis virtuti debetur, ab omnibusq. Rauennatibus, vt alios taceam, eſt ſatis cognitum, id affinitati datum plerique putent, aliorum fortaſſe calamis deſcribendum. Inſigni etiam militari laude, hoc tempore Fabricius Sgropolus Rauennas, Cæſaris, de quo ſupra diximus, frater, ductor militum, in tranſalpinis etiam regionibus enituit: cum præſertim apud Ioãnem Iacobum Mediceum, Mariniani Marchionem, Italorum peditum, ac tormentorum Caroli Cæſaris Præfectum, in bello Sicambro, in Diuoduri Mediamatrium opidi expugnatione, & in Germanico aduerſus Lantgrauium ſummus coactor agminis, ac eius uicarius ſæpè fuiſſet. Rauennæ, Camillus Thomaius medicus inſignis, ea gloria fruebatur, quam Venetiis, omnium conſenſu adeptus fuerat; cum

præſertim

præſertim ea in re ſatis ſecundo euentu ſit uſus, quem comitem illi arti, pleri queetiam ducem, faciunt; vt a nobis eo dialogo, ſatis; vt opinor; accurate oſtenſum eſt, quem de ignorantia, improbitate, & infelicitate medicorum in ſcriptum, Iulio Ruuereo, Vrbinatium Cardinali, Rauennatiq. Archiepiſcopo, dicauimus. De Febribus, deq. humani corporis morbis, & ad Tyrones de medicinæ primis rudimentis commentariolos in vulgus extulit. Moritur clariſſimus hic medicus Rauennæ, cum diu calculo in veſica laboraſſet, anno

ANN. M. DXLIX. MDXLIX. quem haud ita multo ante Benedictus Accoltus Archiepiſcopus, non abſque veneni ſuſpicione Florentiæ decedens, in Diuiq. Laurentii ſepultus, præceſſerat; cum annos quinque & uiginti, Rauennati Eccleſiæ præfuiſſet. Paulus Pontifex, qui ampliſſimi huius Archiepiſcopatus dignitatem pæne obrutam dolebat, cupiebatq. eam in priſtinum, ſi fieri poſſet, reſtitui, oblatam occaſionem libenter arripiens, Rauennatem Archiepiſcopatum Rainutio demandauit, ex Petro Aloyſio filio, nepoti, & Octauii Parmenſis Ducis, Alexandriq. Cardinalis Farneſii fratri: atque id eo libentius, quod Rainutium videbat ad id muneris aptum, quippe qui cum eſſet adhuc adoleſcens, Patauii, & Bononiæ diligenter ad litterarum ſtudia incumbens, ingentes in philoſophia, ceterisq. bonis artibus, progreſſus fecerat: græce potiſſimum, & latine doctiſſimus. Cumq. antea eques Hieroſolymitanus eſſet, Venetiarumq. Prioris ſacerdotii Hieroſolymitani titulus eſt; ita ingenue ſe, liberaliterq. geſſerat, vt Paulus auus anno MDXLV. cum annum ætatis decimum quintum Rainutius ageret, ſancti Angeli adiecto titulo, Cardinalem eum fecerit, Picentinamq. & Anconitanam prouinciam adminiſtrandam, Legato, tradiderit Legati ad Pontificem, qui de nouo Archiepiſcopo gratias agerent, pridie Non. Octobr. creati Iacobus Spadolarinus iuriſconſultus, & Antonius Racchus; Rainutius Archiepiſcopus Rauennas factus, undique monumenta exquirit, quibus reſtitui priſtina Archiepiſcopatus dignitas poſſet. Verũ id nobile conſilium, mors Pauli Pontificis, quæ paulo poſt, eodem anno eſt inſecuta, oppreſ

ANN. M. DL. ſit. Sufficitur inſequenti anno in Romanum Pontificatum Iulius Tertius; qui ſtatim annum ſæcularem aperuit. Ad illum oratores. XVI. Kal. Martii deſtinati ſunt Ioannes Arigonius medicus, Cæſar Raſponus cohortis Præfectus, Hieronymus Ruginus iuriſconſultus, & Matthæus Faber, medicus. Præerat hoc tempore, multis ante annis Legatus uniuerſæ Flaminiæ Hieronymus Cardinalis Capoferreus, qui Rauennæ in Portuenſi cœnobio habitabat. Hic cum ob finitima, de quibus memorabimus, Mirandulana, Senenſiaq. bella, ne prudentis Principis officio deeſſet, ueniſſet in ſententiam muniendæ urbis, urbanorum primo, deinde agricolarum cenſu habito, iubet, qui eſſent apti militiæ, in promptu adeſſe omnes, ſibiq. contum fraxineum pedeſtrem, aut tormentum manuarium, & galeam comparare unumquemque: mox pluribus locis propugnacula, ſummo agricolarum incommodo, qui acribus minis ad id laboris, maximam partem, compellebantur, extruxit: quorum tamen uix unus, aut alter, qui lateritio pariete conueſtiebantur, adhuc ſuperſunt. Quamquam autem pronunciatis edictis, latisq. legibus plane ſanctis, omnem uitiorum occaſionem tollere nixus fuit, a ſuis tamen familiaribus nonnullis, multa paſſim ſumma licentia, libidinoſe, petulanterq. tota urbe committebantur, ſic ut infamiæ nota, quandoque etiam ob id attingere Cardinalem auderet

ut

ut Pinuum ſyluas omittam, malo, nouoq. exemplo plane deſtructas, dum non eius modo familiæ uſibus, ſed aliorum præterea multorum ligna, aulicorum gratia, uulgo cæderentur. Adhæc accedebant vigiliæ, quæ ad muros urbis diligentiſſime; quod aliqui deridebant; ſingulis noctibus crebræ poſitæ, circuebantur; eas ſi quis agere non potuiſſet, pecuniæ numerabantur, quibus deinde aliquot adminiſtris ſtipendia erant conſtituta. Eadem bellorum ſuſpicione commotus, Brunorum Zampeſcum iuniorem Antonelli filium, undecim natum annos, ad ſe Forum Liuii accitum, & a Britonoriano Epiſcopo adductum, in cuſtodiam tradidit; ſtatimq. Forum Pompilii; quod Antonellus pater, a Paulo III. Pont. Max. decem illi nummum aureorum myriadibus numeratis, anno M D X X X V. in perpetuum pro ſe & poſteris acceperat; ingreſſus eſt, quòd affirmaret, uereri ſe, ne Galli opidum occuparent: cum tamen non deeſſent, qui Capoferreum, ut eſt hominum genus ſuſpicioſum natura; pecuniam potius, filio, ab Antonello nuper demortuo, relictam, expetiiſſe, quam Gallos metuiſſe ſuſpicarentur. Tandem tamen Iulii Tertii Pontificis iuſſu, Brunorus e cuſtodia emiſſus, in principatum ſuum reſtitutus eſt. Sub id tempus, initio anni MDLI. Rainutius Farneſius Alexandri Manzoli Bononienſis, Philippi filii, fidem, integritatem, labores, quibus perpetuo uſus eſt, remuneraturus, Tuduranum, Aquilianum, Bagnolum, Molendinum uetus, Vallis pondi dimidium, opida ab Archiepiſcopatu Rauennati diſtracta, dono dedit: intereaq. multorum ciuium Rauennatum militaris uirtus, mirabiliter, Mirandulano, Senenſiq. bello eluxit, Mirandulanum bellum inde originem traxerat, quòd Octauius Farneſius, Parmæ Dux, uerebatur, ne Cæſariani illam vrbem raperent; cum huius rei minime leuia indicia, in Petri Aloyſii patris interitu habuiſſet: nam eo, dum uiueret adhuc Paulus Pontifex; crudeliter interfecto, Cæſar Placentiam, per Ferrantem Gonzagam, occupauerat. Itaque cum ſubſidium a Iulio Tertio Pontifice poſtulatum, non impetraſſet, conſuleretq. Iulius, ut auxilia ſibi, unde poſſet, melius, compararet, Octauius ad Gallorum Regem uerſus, inde præſidium habuit ad tuendam Parmam aptiſſimum, cum interea Ludouico Raſpono cohortis præfecto, aſſidue circa urbem uteretur; uſusq. ſemper fuiſſet, niſi Ludouicum, Ioannis Baptiſtæ Montis litteræ Romam reuocaſſent. Cum igitur Carolus Cæſar præſidii Gallici certior eſſet factus, conqueſtus eſt apud Pontificem per litteras grauiter, in Italia, Gallorum aduentu, ignem accendi. Pontifex, qui ab Octauio nihil tale decretum iri, ſe inſcio, inconſultoq. putabat, ubi didicit rem, maxima moleſtia affectus eſt, non ſolum quod præclaram vrbem ab Eccleſiæ Romanæ ditione ad Gallos abſtractam intueretur, ſed quod Cæſari, Parmam Octauio adimere uolenti, receperat curaturum, ut ne quid mali, incommodiue ad Cæſarem rediret. Itaque & ſe Cæſari, per Legatos & litteras purgat; & coactis copiis, Parmam obſidere, Gallos & Octauium pulſurus, inſtituit. Interea a Gallis, Petroq. præſertim Strotia, & Cornelio Bentiuolo, ut Parmenſem obſidionem auerterent, Mirandulæ milites cogebantur. quamobrem Pontifex, ne quid Bononia conſequeretur incommodi, fratris filio, iuuene forti, Ioanne Baptiſta Monte Imperatore, copias ad circumuallandum illud opidum mittit: qui Montes, Ludouicum Raſponum Rauennatem, Vincentii Nobilis cohortis Vicarium, ſtatim fecit uniuerſi exercitus Le-

ANN. M. DLI.

gatum. Mox Rauennæ imperat ex agro, calones CXXX. plauſtra XX. & iuga boum totidem. Rauennates ut iis, atque aliis huic bello neceſſariis præſto eſſent, pridie Kal. Iunii, quateruiros ex Senatoribus ſuis in id munus creant, Cæſarem Raſponum cohortis Præfectum, Hieronymum Monaldinum, Hieronymum, & Auguſtinum Pignattas. Sed copias interea Galli ad Creualcorum admouerant, quod eſt in Bononienſium finibus opidum, quamquam non ſeptum mœnibus, tamen optimo aggere ac foſſa, in qua ſatis alta erat aqua, duabusq. antiquis portis, & turribus munitum. Id ſi a Gallis fuiſſet occupatum, non eſt dubium, cum poſſet adhuc multo melius muniri, quin tuta futura eſſet Gallis ſtatio, unde quotidie ad Bononiæ portas excurſiones fieri, & Parmenſis obſidio remoueri facile potuiſſent. Ceterum cum eius opidi præſidio Ghinulfus Serugus Foroliuianus, ſpectatæ uirtutis Dux, cum peditibus CCC. eſſet; qui paulo ante portam aggeribus muniens, pleriſque eam prouinciam irritam dicentibus, quòd opidum defendi, aduerſus tanti exercitus impetum, non poſſet, ſe pro Romana ſede uires omnes ſuas, uitamq. ipſam libenter profuſurum reſponderat; oppugnantibus hoſtibus ſeſe intrepide cum ſuis oppoſuit. Qua in propugnatione cum Andreas Indiuinus, cui nouum a Sale cognomentum eſt, ciuis Rauennas, Ginulfi cohortis uexillifer, fortiſſimi militis nomen acerrime depugnans promeruiſſet, gena ictu ſclopetti grauiter traiecta, de muro eſt deiectus: quapropter Ioannes Franciſcus Oſſius item Rauennas, qui iuxta illum fortiter, ac ſtrenue dimicabat, uexillo ſtatim accepto atque erecto, id animi hoſtibus ademit; quod Andrea concidente acceperant: cum præſertim Oſſius nihil mortem timens, uirtutis bellicæ exemplum, uel hoſtibus, præberet. Quo etiam loco Aldrouandinus Aldrouandinius, & Cæſar Oſſius, Ioannis Franciſci frater, Rauennates adoleſcentes, intrepide de aggere propugnantes, multis hoſtium interfectis, irruentes & egregie oppugnantes ſuſtinuerunt, ſic ut re infecta, deſperataq. prouincia, non abſque ſingulari Serrughi laude, diſceſſerint. Haud ita diu poſt Ioannes Baptiſta Montes, ne in ocio militem haberet, cum ad Bonportum caſtra poſuiſſet, accepiſſetq. Gabrielem Taliaferrum, cum equitum ala; Mercurium Baliardum; Paulum Taliaferrum; Hludouicumq. Cariſſimum, cum ſuis peditum cohortibus, Parmenſes omnes integræ fidei, ac ſpectatæ uirtutis Duces, ad Mirandulam contendere, ipſe primo Orlandinum Piſtorienſem cum ſclopettariis tercentum trans Scultennam amnem præmiſit, qui aggreſſus hoſtes fortiter pugnans, occubuit; & paulo poſt cum Areanito Macedoniæ Principe, plurimiſq. ueteranis militibus, in quibus Pinus & Cæſar Oſſii Rauennates fratres eminebant, iuuenili potius ardore, & multo maiore uirtute, quàm conſilio ad eoſdem profectus, egregie ante alios pugnans, in locum, hinc præalta foſſa, illinc præruptis rupibus anguſtatum, imprudenter deductus eſt; ubi ab hoſtibus circumuentus & vulneratus; quemadmodum & Macedoniæ Princeps; temerarii fortaſſe auſus pœnas dediſſet, niſi Pinus Oſſius; qui iuxta illum e pedibus pugnabat, cum eſſet equus, in quo erat, ſclopetti ictu interfectus, opem magna uoce Imperatori clariſſimo implorаſſet: ſtatim enim Hludouicus Raſponus, cum pleriſque ſuis equitibus accurrens, cum ferre ſubſidium recto itinere non poſſet, aditu ab ho-

ſtibus

ſtibus interclufo, manifeſto ſe mortis periculo obiiciens, ex prealta ripa, equum, cui inſidebat; ſex militibus ex ſuis ſubſequi iuſſis; inferius præcipitem ſe dedit, inq. haſtatorum hoſtium cuneum irrumpens, omnes fudit ac fugauit, cum ipſe quidem incolumis euaſiſſet, equus tamen, in quo erat, cognomento Belladona, decem uulneribus haſtatorum hoſtium, & aliquibus ſclopettariorum ictibus fuiſſet affectus. Tanto periculo Montes & Arcanitus liberati, ingentibus actis Raſpono gratiis, laudataq. mirum in modum uirtute, eum cariſſimum habuerunt. In Mirandulana deinde obſidione, Raſponus cum multa fortiter ac prudenter, tum illud in primis egit, quod Horatio Farneſio, Octauii Parmenſis Ducis fratre, cum multis cohortibus Parma, ad Mirandulam ſe recipiente, & ab Ioannebaptiſta Monte; qui eam de ſpeculatoribus profectionem nouerat, ad Secchiam amnem; quem Gabellum veteribus fuiſſe opinamur; deprehenſo, Raſponus, vna cum pleriſque nobilibus viris, gregariisq. militibus, reliquos antegreſſus, primus fuit, qui irrueret in hoſtes: ibi in caſſide ſclopo ictus, nihil tamen; pila leuiter attingente & elabente; accepit incommodi, cum equus, tribus pilis, & duobus pedeſtris lanceæ ictibus uulneratus eſſet. In ceteris deinceps tumultuariis prœliis, quæ quotidie committebantur, fortiſſime ſemper dimicauit. Quo loco illud non eſſe prætereundum ſilentio putauimus, quod cum per ſpeculatores, Ioannebaptiſtæ Monti ſignificatum eſſet, Horatii Farneſii familiæ magiſtrum, Parmam ut proficiſceretur, egredi e Mirandula, ille confeſtim præmiſit Raſponum, qui hominem perſequeretur, quod ita diligenter fecit Raſponus; ut hominem circiter decē milliaribus procul a caſtris fuerit aſſecutus, quem tamen alium ſimulans eſſe, ob eam, qua Farneſium gentem proſequebatur, obſeruantiam, incolumē, intactumq. dimiſit, cum ad ſexaginta millia nummum aureorum, quæ ille familiæ magiſter ſecum habebat, reieciſſet; contempſiſſetq. ea namq. præda, magnam partem, ſibi, & iis, qui fuerant eum inſecuti, tribuenda videbatur. Sæpius etiam non diſpari virtute Montis ſarcinas & impedimenta ex hoſtium manibus eripuit, tametſi hoſtes numero longe præſtarent. In vna autem harum digladiationum adeo in femore ictu velitaris haſtæ vulneratus eſt, vt medici de eius ſalute ac vita deſperauerint, ad extremum tamen conualuit. Eodem hoc bello Ioannes Aldrouandinus, Pandulfini filius, apud Camillum Vrſinum meruit, & quidem tanta virtute, vt honorificis eam litteris, quas nos legimus, Vrſinus plurimum extulerit. Vitalis etiam Indiuinus cognomento Salius, quattuordecim equitibus ſuo ſumptu, ſecum ductis, apud Troilum Rubeum Parmenſem, ſancti Secundi comitem, ad clariſſimam ac plane Regiam Petri Mariæ patris gloriam aſpirantem, militauit: atque eo maiore virtutis fama, quòd cum plerique illi, apud Rubeum, inuidiam conflaſſent, ipſe tamen præſtantibus factis, adeo eius gratiam promeruit, vt exacto bello diſcedentem, Rubeus, mucrone equeſtri, & balteo donauerit: quo munere admodum extollere Vitalis gloriam Rubeus eſt viſus, cum mucro ille & balteum Petri Mariæ patris fuerint; viri ſua ætate, diuinæ propemodum virtutis gloriam, rebus bello maximis geſtis, omnium principum virorum conſenſu, promeriti; quem ob id Franciſcus Gallorum Rex non modo vniuerſo peditatui præfecerat, ſed; qui tunc honos maxime rarus Italis contingebat;

bat; in equeſtrem D. Michaelis ordinem, nono abhinc anno, aſcripſerat. Mirandulano bello, pace a Pontifice cum Gallis facta, abſoluto, cum Ioannesbaptiſta Montes eodem ferme veſtigio temporis occubuiſſet, bellum Senenſe inde ortum eſt, quod Senenſes anno MDLII. expulſo ex vrbe Hiſpanorum præſidio, Gallis ſe dediſſent: id cum ægre Carolus Cæſar tuliſſet, comparato exercitu, quem Coſmus Medices, Florentiæ Dux, Neapoli & Mediolano, maximam partem, euocauerat, Senarum oppugnationem, Ioanne Iacobo Medice, Mariniani Regulo, copiarum Imperatore, aggreſſus eſt; cum ex aduerſo Petrus Strozza, Gallorum Regis in Italia Vicarius, tum ex Mirandula, tum ex Gallia mari nauibus deuectos milites coegiſſet, ipſamq. Senarum vrbem propugnaculis ad portam præſertim Camoliam extructis, fuiſſet egregie munitus. Huius autem belli initio, cum Vitalis Indiuinus, cohortis Præfectus, vna cum Leonido Malateſta; apud quem militabat; ad ſanctum Caſſanum commoraretur, die quadam ſub occaſum Solis, ex improuiſo Marinianus Imperator, cum aliquot Hiſpanorum cohortibus, aduenienss, præcepit, vti ſe, Leonidi cohortes, depoſitis impedimentis, ſequerentur: quod cum eſſet ſtatim factum, poſteroq. die, circiter horam ante occaſum Solis, alteram, ad Montis regionis prata perueniſſent, ad ſuum quolibet ordinem ſe recipere iuſſo, induſiumq. ſupra arma induere, ex ſingulis cohortibus viginti quinque ſclopettarios exemit, & primum agmen quingentorum peditum conſtituit, cum vigintiquinque ſclopettarii, quos ex cohorte Vitalis extraxerat, omnesq. fere Rauennates erant, primi conſpicerentur; atque hoc ordine Senas verſus contendere cœptum eſt. Cum eſſet autem a Prætorio Diaboli vocato haud procul iam peruentum, aliquot inuenti ſunt Gallorum equitum ſpeculatores, qui cum interrogati a noſtris, quinam eſſent, conclamarent Galliam a noſtrorum primo agmine, pilarum; quæ Mediceorum inſignia ſunt; & Ducis nomina ingeminatis clamoribus attollentes, ui pilarum in fugam acti ſunt, vſque ad Prætorium Diaboli; quo loco, Mariniano iubente, conſtiterunt, dum ceteræ, aliorum agminum, cohortes aduenere: tuncq. recta ad portam Camoliam iter intenditur: quo cum ad horam noctis nonam eſſet peruentum, primus Vitalis, cancellatos portæ poſtes attingi uexillo ſuo fecit, eosq. effregit, & igne excitato magnam partem eorum, & portæ etiam nonnihil incendit; cum interea aſſidue cum hoſtibus depugnarent, in qua dimicatione, quæ protracta eſt ad quattuor horas, aliquot ſuos milites egregie fortes Vitalis deſiderauit. Albeſcente deinde cælo, Marinianus Vitalem iuſſit, cum ſua cohorte, Camolianum propugnaculum magnum exploratum proficiſci, quo cum Vitalis illico profectus eſſet, ibidemq. ſclopettarios hoſtiũ circiter quinquaginta reperiſſet, alios antegreſſus, manus cum illis conſeruit, tanta uirtute, vt ſclopettarii deſertis ſtationibus Senas confugerint; cum eorum aliqui; vt deinde a ſpeculatoribus eſt cognitum; interfecti, multi vulnerati eſſent. In eo propugnaculo duas horas Vitalis, inſtructa ſemper acie, commoratus eſt, cum interea Maſinum Ritium Rauennatem, cohortis ſuæ Vicarium, ad Marinianum Regulum miſiſſet, qui præſcriberet, quid agendum: iuſſit autẽ Marinianus, ne inde exiret Vitalis, vſquedũ alia ſibi mandarentur. Ceterum haud ita multo poſt, armati cũ Senenſes tũ mercenarii mille Senis erũpentes, magno impetu in propugnaculũ, vbi erat Vi-

ANN. M. DLII.

talis,

talis, irruerunt, initumq eſt tumultuarium prœlium ſatis uehemens atque atrox, qu o multi vtrinque vulnerati, atque etiam interfecti ſunt. Vitalis cum ſua cohorte duas amplius horas aduerſus eos mille armatos egregie ſtrenueq. pugnauit, horamq. & dimidiam propugnaculum defendit, ſed maiore in horas impetu irruentibus hoſtibus, cum videret multos ex ſuis plane temere atque imprudenter interituros, neque aliquem in ſubſidium accurrere, quòd cæteræ cohortes aliis diſtinerentur locis gradum retulit, recepitq. ſe in domum propugnaculo vicinam, vbi curare omnes corpora iuſſit. Cum autem eo interim Mariniani Regulus aduenifſet, Vitalis obuiam accurrens, rem omnem narrare ingreditur, at ſubridens Marinianus, humerumque Vitalis manu ſua leuiter percutiens, Rem, inquit, omnem noui, teque in primis optimam ſtrenui Ducis operam nauaſſe, quod te deinceps quoque effecturum ſpero: mox interrogauit num corpora milites curaſſent, quod cum affirmaſſet Vitalis, nunc, inquit, Hiſpanorum cohortem incolumen ſeruare tempus eſt, quæ in Camoliano ſuburbio inter portæ vrbis turrim, & ſuburbii portam, in templo quodam, remanſit, neque ob pilas hoſtium undique uolitantes egredi inde poteſt. Vitalis inſtructa confeſtim cohorte, ſuburbana tecta ingreſſus, manus cum hoſtibus, tum ad turrim, portæ urbis, tum ad ſuburbii portam conſeruit, cumq. aſſidue depugnans ad illud templum perueniſſet, in quo Hiſpani erant, eos foras euocare, metumq. omnem ut abiicerent; quando iam hoſtes cum ſuis militibus, ſecumq. prœlium facerent; hortari. atque hac ratione Hiſpani inde exeuntes, incolumes ad ceteros rediere: cum in ea digladiatione Hiſpani quattuor, & Petrus Martir Morandus Rauennas, Vitalianus miles occubuerint. Intuens autem Mariniani Regulus Vitalem cum Hiſpana, ſuaque cohorte redeuntem, magna lætitia perfuſus, Leonidum Malateſtam uocat, apud eum Vitalis virtutem laudat, mandatq. uti curentur Vitalis, cohortiſq. illius corpora, eſſe enim intra horarum trium ſpatium, honorificam & egregiam prouinciam aggreſſuros. Itaque curato corpore, Marinianus Leonidum & Vitalem iuſſit, Camolianum propugnaculum magnum aggredi, omnemq. uim ac uirtutem adhibere, ut recuperetur. Confeſtim ii duces, reliquos antegreſſi, militibusque breui oratione ad pugnam accenſis, caſtra mouent, nec diu poſt ad propugnaculum, quod parum aberat, quadringentis tum Senenſibus, tum mercede conductis militibus munitum, perueniunt; ubi atroci commiſſo prœlio, multi vtrinque vulnerati ſunt, ex Senenſibus duodecim occubuere. Strenue autem ante alios Leonido & Vitali oppugnantibus, tandem, poſt quam per horam acerrime dimicatum fuerat, hoſtes propugnaculum deſerere, ſeq. intra urbem recipere coacti ſunt: quamobrem ſtatim Vitalis curauit ſupra aggeres, ad angulum, qui Cittadellam reſpicit uexillum ſuum figi; ibidemque ex Mariniani præſcripto, & tum conſtitit, & quattuor deinde menſes cum dimidio, reliquis cohortibus Leonidi Malateſtæ comitatus, commoratus eſt. A primo autem, quo propugnaculum ingreſſus eſt, die, ad triginta, quotidie tumultuaria cum hoſtibus certamina conſerebantur, ingenti non minus laude, quàm damno, quod agger depreſſior erat, nec erigi, niſi noctu, poterat, ſi quidem interdiu ob crebras maiorum, minorumq. tormentorum pilas, Senis e duabus turribus emiſſas, prohiberentur:

tur: quamquam & noctu pars conſtruebat aggerem, alii cum hoſtibus dimicabant, adeo ut intra duorum menſium ſpatium ex Vitaliana cohorte circiter octuaginta milites ceciderint; ipſeque in primis Paulus Portus Rauennas, agminis coactor. quibus a Petro Vitalis fratre, qui Rauennæ erat, ſeptuaginta recentium militum ſupplementum eſt adductum, cum & ipſe quoque Petrus deinde in eadem cohorte militauerit. Poſtridie autem quam propugnaculum magnum Vitalis occupauerat, paruum propugnaculum conſpicatus, in cuius medio domus erat, ſtatim explorauit locum, intelligensq. plurimum referre, ſi a noſtris obtineretur, ibidem militum ſuorum manum collocauit. Adueniens interea Mariniani Regulus, Vitalem ſibi obuiam uenientem, cum uideret, ad ueteranos milites uerſus, Quam ingenti, inquit, Dux hic Vitalis inter ceteros decorandus eſt laude: mox in eo paruo propugnaculo milites intuens, Vitalem interrogauit exploraſſet ne locum, Vitali eos milites ſuos eſſe, ab ſeq. ibidem poſitos aſſerente, eius humerum leuiter manu percutiens, Omnes, inquit, egregii, ſtrenuiq. militis partes impleuiſti: ſtatimq. Vitali ſociatus illud propugnaculum inuiſit, cum tamen multæ inter eundum currulium tormentorum pilæ in eos ab hoſtibus diſploderentur. Paucis poſt diebus cum ad Sept. Id. April. hoſtes magna equitum, peditumq. manu Senis egreſſi, in campis, qui ad Treſſam ſunt, a porta Camolia haud procul, cum Mariniani militibus, qui erant extra propugnacula, manus conſeruiſſent, iamq. multis utrimque interfectis Mariniani milites, ad cœnobium dirutum, cui ſanctæ Abundæ nomen eſt, ſe recepiſſent, Friderico Sauello, a Leonido Malateſta, per ueteranum militem, ſubſidium poſtulanti, Vitalis cum ſclopettariis centum eſt miſſus; qui feliciter audax in hoſtes irruens, adeo ſtrenue ſe geſſit, ut quamquam ex ſuis aliquot ceciderunt, aliquandiuq. cum Iuſtiniano Seuerolo Fauentino, præſtantis uirtutis peditum præfecto, ſingulari certamine; cum eſſet vterque ſecuri armatus; dimicauit, ad extremum tamen referre pedem hoſtes coegerit, eosq. ad muros vrbis fuerit perſequutus: vbi ab iis, qui de muro propugnabant, ad cingulum pila ſclopi ictus, nihil accepit incommodi. Marinianus Regulus, qui Vitali ob ſpectatam virtutem timebat, iubet interea illum ad ceteros ſe recipere: quod & Vitalis fecit: redeuntem autem Hiſpani omnes Duces, nobileſq. viri, amplexati, atque oſculati ſunt, cum miris interea laudibus virtutem illius efferrent. Ceterum cum menſe Maio renunciatum Mariniano eſſet, Gallorum, Turcarumq. claſſes coniunctas, ad Iluam diripiendam properare, tres præſertim, quæ portum eius inſulæ Ferralium appellatum, tuentur, arces, ſolo æquaturas, Marinianus, Leonidi, Vitaliſq. virturte plurimum confiſus, eos miſit, qui inſulæ præſidio eſſent: ad quam cum eſſet ab illis peruentum, intuereturq. portam nouam, quæ eſt ad portum, haud ſatis munitam, Vitalis die noctuq. non modo irrequieto militum labore ædificare aggerem, ſed ipſe in primis vt alios doceret, exemploq. accenderet, agendo, atque inſtrumenta cōtrectando, nullum uel humilis etiam operæ laborem aſpernari. Quamquam nullis deinde munitionibus vſi ſunt, ſi quidem claſſis Gallica cum Turcicis aliquot triremibus, menſe Quinctili, ad eam inſulam adiens, iuxta Planoſiam; qui eius inſulæ locus eſt; magna tempeſtate in diuerſum acta eſt, triremesq. ſeptem Gallicæ aduerſis diu fluctibus iactatæ, tandē a Planoſia haud procul diffractæ. Cum autem interea Ludouicus Raſponus,

qui

qui poſt Mirandulanum bellum, ſuos equites in Picentibus, Aeſii continuerat, ad Senenſe uocatus, illuc cum Proſpero fratre, cui omnem fere demandauerat equitum ſuorum curam, proficiſceretur, iter Cortonam intendit, ubi ad Vallianum pontem Aſcanium Corneum, copiarum Florentinarum in illis locis Præfectum, reperit, qui Raſponianos equites de itinere feſſos Oliuetum miſit, ut uires reficerent. Sub id tempus Corneo ad Cluſium fuſo, captoque, Rodulpho autem Baleono interfecto, reliquisq. Ducibus fere omnibus fuſis, ac fugatis, cum Ioannem Franciſcum Oſſium Rauennatem, ueteranum Cornei militem, magnus caſus incolumem ſeruaſſet, Cæſaris eius fratris, Ducis Bagaliæ ab Monte vexilliferi, uirtus ſeſe maxime patefecit; dum poſt diuturnam pugnam, in exiguum collem ſe cum militibus Rauennatibus quadraginta, deſertus a ceteris, recepit: ubi cum diu irruentium in ſe hoſtium impetum egregie ſuſtinuiſſet, effracta tandem vexilli haſta, vexilloque pilis ſclopettariorum diſcerpto, adhuc truncum manu geſtabat, erigebatq. uerum hoſtes, qui potiri eo alioqui deſperabant, exiguo colle, uaſis, tormentarii pulueris plenis, circundato, excitatoq. incendio, Oſſium, ceterosq. Rauennates milites pæne combuſſerunt. captus Osſius, Senasq. ductus, tres menſes in cuſtodia habitus eſt; quibus elapſis, Blaſii iuriſconſulti fratris opera, eſt emiſſus. Erat enim tum Blaſius, Balduino, Iulii Tertii Pontificis fratri, familiaris, & carus. Inſecuta hac clade, cum Ludouicus Raſponus in Oliueto opido, ſe tutum ſatis non putaret, ad Vallianum pontem cum ſua equitum ala profectus, ibi Petrum Paulum Toſingum, & ſtrenuos pleroſque alios Duces reperit, qui ſe illuc ex infelici prœlio receperant, iamq. eum locum retinere, tueriq. aduerſus hoſtium impetum poſſe deſperabant. Viſo autem Raſpono, cuius nouerant virtutem, adeo animus illis, & vires additi, ut, adueniente paulo poſt equitatu hoſtium, ad pontemq. ſe conuertente, Raſpono, & ceteris fortiter propugnantibus, & repellentibus, pons fuerit conſeruatus, & re hoſtes infecta abierint. Ibi autem cum Raſponus aliquot dies commoratus fuiſſet, a ſanctæ Floræ Regulo, ad Marcianum, Florentinorum opidum, quod eſt in Senenſium finibus, & a Lucignano Senenſium opido, duo circiter millia paſſuum abeſt, ad ſtatiua mittitur. Eius opidi, vniuerſæq. paludis, quam Glanis amnis efficit, curam Paulus Vrſinus cum peditibus ſeptingentis, equitibus ſexaginta, quibus præerat Rabattus Regulus Gallus, gerebat. Ibi tumultuaria quidem, ſed ab ſpectata militum virtute admodum celebris pugna commiſſa eſt, ad Ranaiolum pontem, qui eſt e regione Podii; quo loco haud ita diu poſt, inter Marcianum, Folianumque opida, Petrus Strozza fuſus, fugatusq. fuit. Eo igitur prœlio licet vtrinque multi vulnerarentur, tamen omnino abfuiſſet parum; niſi peditibus, qui e Foliano, cum Ioanne Baptiſta Martino, alæ equitum Florentini Ducis præfecto, eruperant, tormentarius puluis defeciſſet; quin eo die fuiſſet Lucignanum captum. Ludouici autem Raſponi repellendis, ac ſuſtinendis hoſtibus, virtute ſeſe tum maxime patefaciente, Proſper ſentiens, ſclopettarios ex hoſtibus duos ſecundum flumen contendere, ut Ludouicum fratrem interficerent, incitato ſtatim equo, fratrem inde demouit, haud tamen adeo celeriter, quin equus, in quo Ludouicus erat, pila in femore vulneraretur. Diremptum eſt ob maximum imbrem, qui tum accidit, prœlium, hoſtibusq. ob id, ſatis exhibi-

tum temporis, ut ſe ad caſtra reciperent: cum deſiderarent tamen Soldatelli Eugubini Ducis, geminos fratres, qui ineunte prœlio ſeſe ad pontis caput, obiecerant hoſtibus, neque inde dimoueri vmquam permiſerant, donec ad extremum eadem ſclopi pila ambo confoſſi, interiere: quorum profecto inſigni, ac plane admirabili virtute, omnibus ſuis ſalutem fuiſſe partam affirmari iure poteſt, cum numquam traiicere pontem, reſiſtentibus illis, atque omnem impetum ſuſtinentibus, Cæſariani potuiſſent, tametſi Ludouicus, & Proſper Raſponii fratres, multiq. præterea egregie fortes Duces, ac milites omnes in eo ponte traiiciendo vires poſuiſſent. Paulo poſt vniuerſo Cæſariano exercitu in campos educto, Vallis Glania omnis, extra Lucignanum, occupatur, quo peracto, ſeſe exercitus primo in propugnaculum, quod circa Senas erat, deinde Piſciam, tandem Piſtorium recepit. Cum eſſet autem renunciatum traieciſſe Strozzam Arnum amnem, & Mariniani Regulus motis ſtatim caſtris ad hoſtem properaret, cum eo die traiici Arnus, inclinante iam Sole, non potuiſſet, poſtridie mane alæ primæ, quæ illum habuerint in conſpectu, Corniana Aſcanii; quem captum ſupra memorauimus; & Raſponiana Ludouici; cuius Legatus erat Proſper, fuere. Ab iis primum agmen Strozzæ eſt deprehenſum: quod licet ſeptingentis circiter equitibus conſtaret, adeo nullo tamen ordine, & nihil omnino hoſtile ſuſpicans, iter faciebat, ut Ludouicus Raſponus, & Alexius Laſcaris Corneæ alæ Legatus, ad ſanctæ Floræ Regulum miſerint, qui eorum nomine polliceretur, eius permiſſu, primum ſe agmen Strotiani exercitus fuſuros, ac fugaturos: negauit id Sfortia, conſiſtereq. eos acri edicto iuſſit, propterea quod, ut poſtea reſcitum eſt, Heluetii, qui in eodem exercitu militabant, ubi nouerunt adeſſe hoſtes, pedem ſiſtere, affirmareq. ſe minime inde profecturos, niſi ſtipendium ſaltem promitteretur. Interea Galli, qui ſe deprehenſos viderunt, agmine facto, ut omnis hoſtibus, in ſe irruendi, occaſio adimeretur, optima ratione progredi cœpere, coniunctis adeo agminibus, inſtructaq. acie, ut eos tum aggredi, imprudens omnino, atque inſanum fuiſſet conſilium. Recepit ſe ad Senenſia propugnacula Cæſarianus exercitus, ubi nec Marinianus, nec ſanctæ Floræ Regulus, nec Vincentius Nobilis, peditatui præfectus vſquam equitabant, quin ſecū Raſponianam equitum alam vellent. Cum autem hoc interim ſpatio Strozza Aretium contendens, negocium ex ſententia non confeciſſet, Martiano, Oliueto, aliiſq. præterea vicinis locis captis, ad Folianum, vbi Carlottus Vrſinus erat, caſtra admouit, opidumq. tandem, Vrſino, plurimiſq. egregie fortibus viris interfectis, expugnauit: cum e contrario Marinianus, opidum Martianum, vbi duodecim Strozzæ uexilla erant, circumſederet: verum dum eo potiri ſperat, aduentiens Strozza, præbet iuſti prœlii committendi facultatem: cui cum ſanctæ Floræ Regulus eſſet cum equitatu initium facturus, ſtatim a Mariniano grauibus edictis retractus eſt, non tamen adeo, quin tumultuarium prœlium ſatis magnum, a mane eius diei, ad dimidiam noctis horam fuerit conſequutum, quo mille octingenti amplius milites occubuere; Ludouicuſq. & Proſper Raſponii fratres muneri ſuo, ab omni parte egregie, atque abunde ſatisfecerunt, parumq. abfuit, quin Proſper, dum ſe exercitus reciperet, tormenti pila diſcerperetur, quæ tamen adeo uicina percuſſit, ut illum, equumq. in quo erat totum puluere aſperſerit. Poſtridie eius diei iuſto

prœ-

prœlio ad Podium commiſſo, Strozza fuſus eſt, minimo Cæſariani equitatus labore; cum primum enim Florentiæ Ducis cataphracti in conſpectũ ſe dederũt, Strotianus equitatus diſſipatus, uniuerſi exercitus excidii cauſa fuit. Marinianus abductis caſtris a Martiano, ad Arbiam profectus eſt, ubi aliquot cõmoratus dies, ad circumuallandas Senas progreſſus, conſedit ab eo latere ubi ſancta Regina eſt, ut duobus locis urbs obſideretur. ibi relicto ſanctæ Floræ Regulo, qui partis exercitus curam gereret, cum reliqua ad oppugnanda Montem regionem, & Creuolum, Senenſium opida, abiit: Quo interim ſpacio Galli eruptione Senis facta, ad Sanctam Reginam progreſſi ſatis ingens prœlium conſeruere, tandemq. in Hiſpanas acies, & ad ipſam Hiſpanorum caſtrorum aream perpuſillo propugnaculo, & vnico tormento munitam penetrarunt, vexilliferumq. ibidem Hiſpanum trucidarunt. quo circa Sfortiæ Sanctæ Floræ Reguli tubicine claſſicum canente, Proſper Raſponus omnium primus ad Sfortiam, arma ob id tum induentem, armatus, cum iis, qui ſecum remanſerant, equitibus adiit: ceteri enim partim cum Mediceo Imperatore ad ea, quæ memorauimus, expugnanda Senenſium opida, partim cum Ludouico Raſpono fratre Florentiam abierant: Cumq. paulo poſt eodem conueniſſent equites circiter quadraginta, armatusq. iam ſanctæ Floræ Regulus in editum locum, e quo Italos, Hiſpanos, Heluetiosq. ſuos, qui iam cũ Gallis dimicabant, deſpectare poterat, aſcendiſſet, dum ueteranum ſuum militem ſequi parat, concidit equus; quamobrem ſuum ſtatim Raſponus impulit. cumque ad Sfortiam perueniſſet: (qui, audiens tria illa nationum genera depugnare, mirabatur) & conuerſis ad Hiſpanorum caſtrorum aream oculis, conſpiceret eam a Gallis occupatam, duosq. milites, Cæſarianum vnum, alterum Gallum, e tabernaculo exeuntes, breuioribus ſe gladiis nauiter vulnerare, ceteris Hiſpanis, nullo reſiſtente, in ſanctam Reginam confugientibus, Sfortiæ ſignificauit hoſtes eos eſſe, qui Hiſpanorum caſtrorum aream occupaſſent; adiecitq. niſi iuberet in eos impetum fieri, facile futurum, ut magnũ dedecus eo die referretur. Suſpenſus aliquandiu Sfortia perſtitit, ſed Proſpero eadem aſſidue repetente, ingensq. diſcrimen explicante, tandem aſſenſus eſt: quamobrem Proſper incitato equo, & tubicinibus prœlio ſignum dare iuſſis, impreſſionem, una cum ſexdecim equitibus, fecit in hoſtes; ea virtute, atque impetu, ut multis ex illis interfectis & captis, reliqui in fugam acti ſint: quod eo maiori gloriæ Proſpero ceſſit, ſuisq. commodo, quòd uti memorauimus, nihil repugnantes iam, aut obſiſtentes Hiſpani in fugam ſe coniiciebant: nemo autem fuit, qui eius exercitus ſalutem non retulerit eo die Proſpero acceptam. Paulo poſt ad Camoliana propugnacula Proſper, & exercitus pars ſe contulit; quo peruenit etiam Marinianus Regulus, Monte regione & Caſolo in poteſtatem redactis. Paucis autem poſt diebus Sfortia ad Bonconuentum cum aliquot equitum turmis, & duabus peditum cohortibus commorante, cum multæ leues pugnæ; quia locus ille Monti ilicino, ubi erant hoſtes, vicinus eſt; confererentur, illis omnibus Raſponii fratres muneri ſuo ulla in parte non defuerunt; quæ omnia perſequi inſtituti noſtri non eſt; illud tamen haud omiſerim ſilentio, quod Proſpero contigit, dum ad Montem ilicinum cum Leonetti Corbarienſis, & Ludouici fratris, qui ſuperiori nocte in morbum inciderat, equitibus, & Georgii Interamnatis pediti-

bus

bus excurſionem feciſſet: namque peditibus in inſidiis locatis, equites viginti præmiſere, qui ad portas opidi excurrerent; eos enim erant ceteri equites modico gradu conſecuturi. Ceterum hoſtium equitibus, peditibusq. maiore, quàm putarant, manu, ex opido erũpentibus, cum Leonettus gradum conſuleret referendum, Proſper nulla umquam ratione aſſenſit, affirmans ſe numquam, quoad eius fieri poſſet, laturum, vti decem ex ſuis equitibus; qui cũ aliis ex Leonetti ala, præcurrerant; ſibi, a quibus, aut quo modo neſcienti eriperentur; malleq. aut mori, aut captiuum fieri ab hoſtibus, quàm in ultos illos, aut omni ope deſtitutos inter hoſtium manus relinquere. Quibus Leonettus acceptis, referre pedem cœpit. At Proſper quindecim ex ſuis ad ſe uocatis, & ſiſtere iuxta ſe iuſſis, eo uſque hoſtium ſuſtinuit impetum, dum qui excurrerant, equites, incolumes omnes rediere: quamobrem ſimul omnes Leonettum paulatim ſequuntur. Qui ſi eam fuiſſet uiam ingreſſus, ubi inſidias ante diſpoſuerant, pulcherrimo prœlio poterat cum hoſte manus conſeruiſſe: ſed eo aliquantum ad ſiniſtram deflectente, hoſtes; cum, qui in inſidiis erant, nihil inferre illis incommodi poſſent; ſaluti ſuæ conſuluerunt. Per hunc modum cum ſe Raſponiani ad Bonconuentum recepiſſent incolumes, multis Proſperum laudibus omnes efferebant. Complura autem egregia deinde ſunt & præclara, die noctuq. eo bello geſta, quibus omnibus non abſque inſigni ueræ uirtutis laude Raſponii fratres interfuerunt. Dum vero hæc apud Senas a noſtris geruntur, Anno MDLIII. Rauennæ Quincto Kalen. Nouembr. Ioannes Saluiatus, Laurentii, de quo ſupra diximus, frater, Cardinalis ampliſſimus, multis Legationibus, pro ſolio Pontificio functus, abiit è vita, in Portuenſi cœnobio, ad quod diuerterat. Is Roma profectus, in opido Gualdo, leui apoplexia attonitus factus, Lectica Rauennam delatus eſt: Quamquam autem Bernardi fratris accitu, Franciſcus Frigimelica, Medicus Patauinus clariſſimus, Rauennãm veniſſet, ac indito in nares caſtoreo, è ſomno nonnihil hominem excitaſſet, quo graui, ac perpetuo detinebatur, morbo tamen, deuexa præſertim ætate, uictus tandem eſt. Cadauer Ferrariam, cuius erat Ciuitatis Epiſcopus, allatum, & ibidem in æde maxima ſepultum. Hoc eodem anno nobilis, atque egregii templi D. Mariæ in portu, fundamenta Idibus Septembr. Hieronymo Calino Brixiano, cœnobii Præfecto curante, iacta ſunt. & per eoſdem ferè dies, Pontifice iubente, libri Hebræorum Talmudici appellati, omnes in foro comburuntur. inſequentiq. anno, ne quis huiuſmodi libros execrationum pleniſſimos, potiſſimum autẽ Ghemarot Tamud apud ſe haberet, acerrimo Pontificis diplomate cauetur. Aliquot poſt menſibus; fuit autem XIIII. kalen. Octobris, Antonius Monuetulus, Sacerdos, ex hac uita diſceſſit: qui licet in opido Piceni, Monteueteri natus, tamen quia hic perpetuo ferè vixit; extra pauculos menſes, quibus Veronæ fuit in Ioannis Matthæi Giberti, eius Ciuitatis Epiſcopi familia, & hanc ipſe vrbem, ſuam patriam appellauit, eaque a Senatu quadraginta iam ferè annis donatus eſt, minime ab re hoc eu m loco poſuiſſe putauimus, tanti præſertim incitati uiri virtute: qui cum diu humaniores litteras fuiſſet profeſſus, ita ſacrarum litterarum cognitionem cum illis, & probatos vitæ mores coniunxit, vt fuerit omnibus meritò chariſſimus. Quinquaginta circiter natus annos, cæcus factus eſt: quem ille ca-

ſum

ANN. M. DLIII.

ſum ita conſtanter tulit, ut poſt nonnullos morbi, dolorumq. dies, hilari ſemper & læto vultu conſpiceretur. Cum autem per idem ferè tempus, fratris filio, iuueni, D. Vincentii ſacerdotium; quod vnicum ad eam diem ipſe poſſederat; tradidiſſet, iuueniſq. haud ita diu poſt migraſſet è vita, prædiolumq. illi tantum reliquum fuiſſet, unde vix anguſtè victus, haberetur, omnia tamen liben ti animo accipere, & ſuæ cæcitatis remedia, a Deo, & ſacris libris; quos ſibi ab Anagnoſte legi aſſiduè curabat; petere, & in cæleſtium rerum deſiderio, ac meditatione conquieſcere: cum interea non deeſſent liberalia aliquot amicorum, qui virtutem hominis ſuſpiciebant, ſubſidia. Quamquam verò ſumma fuit in uictu temperantia, articulorum tamen nonnumquam tentari doloribus, quos ita æquo animo ferebat, ut dialogum etiam conſcripſerit, in quo elegantiſſimo, doctiſſimoque luſu, Podagram ſecum loquentem, & intemperantiam obiicientem inducit. Scripſit & alios libros, & Epiſtolas, & Orationes præclaris eloquentiæ ornatas luminibus, & Romuli Amaſei, diſertiſſimi viri, aliorumque iudicio, ac litteris, quæ extant, plurimum probatas, Sanctiſſimam Euchariſtiam accipiebat frequentiſſimè, Diuinis precibus, & contemplationi ita intentus, ut intempeſta nocte, quamquam cæco, tamen è lectulo ad orandum Deum ſurgendi, inſtitutum illi continens, & nuſquam interruptum eſſet. Memini ego; qui a patre ad clariſſimum illum ſenem ita eram deductus, ut quoad poſſem, & mihi liceret, ab eius latere numquam diſcederem; cum dolorum facibus deflagraret, ſubridere illum ſolitum, & perpetua ſua hilaritate; & id quoque abibit; dicere: nihil præterea: cum interim de victu, quamquam detrahi nihil poſſe videretur, aliquid tamen detraheret. Diebus feſtis in ſacra æde Boni Ieſu, e cuius regione habitabat, poſt ueſpertinum officium, concionari de Euangelio, deque uirtutibus Chriſtianis, in medio templo ſedens, conſueuerat, cum etiam domi quotidie, multos ad eum adeuntes doceret Chriſtianè viuendo viam, rationibusque, & exemplis, atque ſententiis Sanctiſſimorum hominum moneret eos a peccatis abſtinere, & amplecti pietatem. Quo tempore Canonicorum Portuenſium Comitia Rauennæ habebantur; id autem tunc quotannis erat; uidiſſes frequentes eorum Patrum, Euangelicis præcellentium ornamentis, penè cateruas, ad eius domum, ut inuiſerent hominem, concurrere. Huius virtutis haud diſſimilem virum; niſi quod cæcus non erat; Romæ noui, anguſto ſe, & ſi dicere fas eſt, beato continentem cubiculo, ſacris undique libris ſparſo, Tullium Criſpoldum Reatinum, omni tempore aut meditatem res Diuinas, aut loquentem, aut legentem, aut ſcribentem, Monuetulus ita confecto, uti eſt dictum uitæ curriculo, in ſumma animi tranquillitate, quám recta conſcientia, Diuino beneficio, pepererat, octuagenario maior, leui febre correptus, migrauit è vita. Hoc tempore cum Rainutius Farneſius Cardinalis, Archiepiſcopus noſter, Rauennam ſe conferre conſtituiſſet, iamque pararet, quæ ad profectionem facerent, Senatores noſtri in Senatum III. Non. Octobris coacti, Hieronymum Rugineum iuriſconſultum, Matthæum Fabrum, medicum, Vbertellum Gordium, & Nicolaum Dulcichium cognomento Bancherium delegerunt, qui & ornandarum uiarum, & illius excipiendi curam ſuſciperent, & cetera pro dignitate curarent. Itaque Rainutius Farneſius Archiepiſcopus, Rauennatem ſuam Eccleſiam primum inuiſit: fuit

autem

ANN. M. DLIIII. autem is annus a partu Virginis quinquageſimus quartus ſupra milleſimum quingenteſimum; Quincto Kal. Nouembr. Obuiam illi, inita ſocietate, Rauennates aliquot adoleſcentes, ſpecioſis induti ſagulis, criſtatisq. pileis, & eleganti cultu vndique ornati, proceſſerunt. Horum Principem gerebat Bernardinus Lazarus, cognomento Mengolus, Ioannis filius, D. Georgii eques, ſtudioſorum, virtuteq. præditorum hominum amantiſſimus. Ad Vrſicinam portam, Rainutius, omnium ſacratorum virorum ordinibus, de more hilariter hymnos præcinentibus, exceptus, compluribus Epiſcopis, & magna nobilium virorum familia comitatus, per uias feſta fronde exornatas lætis undique populi acclamationibus, ad Vrſianum templum progreditur. Ibi cum egregiam mulam, in qua erat, Rauennates adoleſcentes; qui obuiam iuerant, & mulæ frena rexerant, umbellamq. ſub qua uenerat, ſuſtinuerant; more maiorum, occupaſſent, ipſe nummis aureis centum numeratis, libenter eam, liberaliterq. redemit. Poſtquam uero ad aram maximam Deum eſt ueneratus, Diuumq. Apollinarem Archiepiſcopum & Martyrem, urbis patronum, ac tutelarem, ſupplex orauit, Hieronymus Rubeus, qui hanc ſcripſit hiſtoriam, annum natus quinctum decimum, quòd eius præcox ingenium aliqui non omnino deſpicerent, ciuium ſuorum ingentem lætitiam latina oratione teſtatam fecit, & Rainutii virtutes cum propria, tum a maiotibus deductas aliqua ex parte numerauit. Rainutius adoleſcentis amplexatus ſtudium, eiusq. apprehenſa manu, familiari illum Epiſcopo tunc tradidit, qui aditum ad ſe facilem adoleſcenti pararet, aliquandoq. adduceret. Quod cum poſtridie eius diei eſſet factum, & Farneſius amanter, ac plane paterne adoleſcentem allocutus, ad perſequenda litterarum ſtudia eſſet hortatus, tum uero illud Franciſco Franchino viro doctiſſimo, ſed candido præſertim poetæ, ſibi a ſecretis, iniunxit, uti Rubeum curaret in Farneſiorum familiaribus, ac clientibus numerandum, illiq. in Ancarano collegio Bononiæ locum tribui: Quod efficere poſtea Rubeus, ab Ioanne Baptiſta patruo Romam vocatus, non potuit. Bernardinus Mengulus, ad eam, quam a Cardinale acceperat pecuniam, multis nummis aureis de ſuo additis, adoleſcentes ſocii, Carneualibus diebus, qui ſunt proxime inſecuti, & comœdiam egerunt, & haſtatorum

ANN. M. DLV. equitum curſu, propoſito præmio illi, qui annulum velitari haſtæ ſæpius indueret, vniuerſam vrbem adeo exhilararunt, ut niſi abfuiſſet Archiepiſcopus; qui viginti circiter, poſtquam uenerat, diebus, abierat; nihil viſum fuiſſet ad feſtam hilaritatem deeſſe. Antonius Saluagianus, cum in animo haberet hanc urbem incolere, ciuis, ac patricius Rauennas cum omni eius poſteritate XII. kal. Martii creatus eſt. Haud ita multo poſt Iulius Tertius Pont. Max. menſe Martio fato functus, Marcellum Ceruinum Politianum, qui Marcellus Secundus, nomine minime mutato, appellari uoluit, habuit ſucceſſorē: Senatus quidem Rauennas XIIII. kal. Maii, Ludouicum, & Brutum Raſponios equites, & Iacobum Spadolarium iuriſconſultum Oratores creat, ſed non abiere, propterea quòd tantum is duos & uiginti dies vixit, ſummoq. omnium dolore deceſſit: cui Paulus Quartus Neapolitanus; quem antea Ioannem Petrum Carrafam appellabant, ſubrogatur. Ad illum Oratores V. Idus Iunii, qui obſequium præſtarent a Senatu deſtinati Hieronymus Ruginus iuriſconſultus, Bernardinus Mengulus eques, & Cæſar Vrceolus. Rugino au-

tem

tem legitimè impedito in eius eſt locum ſuffectus, Ioannes Minghinus iuriſconſultus. Huius Ponrificatus initio Baldus Ferratinus Romanus, Liparenſi Epiſcopus, & Flaminiæ Prolegatus, Nonaginrauiratum creauit, ad ſupprimenda veterum ſimultatum germina, & coercenda flagitia, quæ paſſim com mittebantur. Is conſtabat ex iis ciuibus, qui Pacificarores a munere faciendæ pacis uocati, nequaquam factioſi aut ſanguinarii, aduerſis ſe partibus non miſcuiſſe uideri poterant: quorum quilibet aſſeclas habebat duos, qui armati, cum oporteret, præſto adeſſent, ita ut cum Pacificatores ipſi eſſent nonaginta, ſi aſſeclæ cum iis numerentur, ad ducentos ſeptuaginta, armatorum numerus aſcenderet. Cum igitur Pacificatores omnes ad ſextum Id. Iul. eodem anno M D L V. in æde Vrſiana conueniſſent, & ſupplicatione omnium ordinum indicta, Simon Gautius cognomento Maſſatius, e Piceno, Franciſcanus cucullatus, ex iis qui ſoleis utuntur ligneis, Philoſophusq. & Theologus maxime præſtans, qui ad ſeueriores diſciplinas, humaniores eriam Muſas eleganter adiunxit, luculenta concione, eos ad munia, quibus propediem obſtringendi eſſent, ſancte obeunda, fuiſſet hortatus, inter ſolemnia ſacra, ſupra corporis Chriſti Dei hoſtiam iurarunt, ſe leges a Ferrarino propoſitas, ſeruaturos: in iis legibus, eæ præcipuæ erant, ut nihil eorum, quæ in ſuis rractarentur conuentibus, quiſquam aliquo modo patefaceret; ſeſeq. inuicem fratres appellirarent, & iuuarent; pacificatoreſq. conciliandis diſſenſionibus eſſent. Quod quidem munus adeo accurate per aliquot menſes exequuti ſunt, ut ſola opinione eius diligentiæ, quam ad facinoroſos homines cōquirendos adhibebant, occurrerint conſiliis, & debilitauerint audaciam illorum, qui niſi timore fuiſſent coerciti, omne ſcelerum genus molituri videbantur. Confeſtim autem Prærorianorum militum ſtationem in foro, & armamentarium inſtituere. Ceterum licet terrorem arma plurimis intulerint, pacta & condiciones multos illexerint, veritas & ius coegerint, ad grauiſſimas tamen inimicitias in fortiſſimis viris factioſæ ciuitatis extinguendas, nihil illo uno remedii genere plane diuino, a prudenribus viris iudicatum validius fuit; propriis ſcilicet primum Nonagintauirum proxime natalem diem Chriſti Dei feſtum, deinde communibus vniuerſæ ciuitatis precibus, maiori hebdomada, indictis, quas ambas anniuerſarias, quadraginta horis ſanctiſſimo & quidem admodum ſalubri inſtituto decreuerunt. Sed vt hæc omnia, diplomare Pontificio roborata, per aliquot annos ſeruata ſumma fide fuerunt, ita deinceps plurimum refrixere, magiſtratuum, præſertim aliquorum arrogantia aut cerre nequiria, qui auctoritarem conuellere eius ordinis conati ſunt. Inrerea Paulus Pantifex nonnullis ad Chriſtianam religionem ſpectantibus, rite compoſitis, ut Iudæi errare ſe, & ſeruos eſſe cognoſcerent, Chriſtianos autem per Ieſum Chriſtum liberos, iuſſit eos; diplomate pridie Id. Iulii Romæ dato; in vrbibus ſeparatim a Chriſtianis habitare, Synagogam habere unam tantum, fundos, domoſque, & cetera huiuſmodi, Chriſtianis vendere, geſtare glauci coloris ſignum, qui ex ipſis eſſent medici, abſtinere a medicina Chriſtianis facienda, nutrices Chriſtianas, & famulos non renere. Quæ Pius Quinctus, & Gregorius XIII, ne filii liberæ, famularentur filiis ancillæ, deinde etiam confirmarunt: & confeſtim Rauennæ, & in aliis quoque ditionis Pontificiæ ciuitatibus, confecta ſunt. Cum autem Paulus animo noua mo-

ſiretur, Ludouicum Raſponum, Aeſii, Iulii Tertii Pontificis iuſſu adhuc hibernantem, in alæ equitum præfectura confirmauit, & ad Columnarum fines miſit, uſque dum bellum exarſit: cuius primæ faces inde ortæ, quod Pontifex Marcum Antonium Columnam, Paliano, ceterisq. opidis ſpoliauerat. Nam Philippus Hiſpaniarum Rex, in cuius fide, ac tutela erat Columna, neque illi deeſſe potuit, neque ſibi: non inanis enim, neque incertus rumor ferebat, Pontificem, Caroli Cardinalis, fratris filii, perſuaſionibus deprauatum, ad Neapolitanum Regnum aſpirare. Itaque Rex, Ferrantem Aluarez, Albæ Ducem, cum duodecim millibus peditum, equitibus mille & quingentis miſit, qui facto in Pontificium agrum impetu, Fruſinonem, Verulum, Anxurem, Anagniam, & alia pleraq. opida occupauit. Verũ Carolus Cardinalis & Petrus Strozza, quem Gallorum Rex iam præmiſerat, hoſtiles conatus repreſſuri, multos ſtrenuos Duces obiiciunt, & reliqua Columniorum loca oppugnant. Dum autem ad Pilium caſtrametati Pontificii, opidum quaterent, Columnæq. cum magno equitatu, peditatuq. in ſubſidiũ accurrerent, omnino tormenta, & impedimenta omnia amiſſuri Pontificii uidebantur, niſi Ludouicus Raſponus rem ſentiens, ſuorum equitum alam ex obliquo in hoſtium agmen impuliſſet: qua impreſſione adeo fuſi, diſtractiq. ſunt, ut ſatis ſpatii noſtris, ſeſe cum tormentis in tutum recipiendi, datum fuerit. Quæ res maximam Raſpono gloriam apud omnes comparauit, ipſeq. Petrus Strozza coram omnibus honorificentiſſime apud Carolum Cardinalem Caraffam, Raſponi uirtutem extulit, & commendauit. Nec diu poſt, cum Balthaſſar Rangonus, cum ſua equitum ala, qui circiter octuaginta erant, egreſſus fuiſſet, iiſque ſclopettarii quadraginta comites adiungerentur, ex cohorte Cæſaris Mutti ciuis Romani, ut inſidias hoſtibus facerent, re aliter, quàm putarant, ſuccedente; quòd ab hoſtibus deprehenſi, multi ſclopettarii, equites autem omnes ad unum aut capti, aut interfecti fuerunt, ipſeq. Cæſar Muttus cum aliquot perpaucis ſclopettariis vix ad paludem vicinam, amiſſo vexillo, ſe incolumis recepit; Raſponus, cumq. eo Alexius Laſcaris, qui impedimentis præerant, cum equitibus ſuis hoſtes perſequuntur: cumq. ad eos eſſet uentum, prœlio conſerto, & recepere ex Rangoni equitibus plurimos, & ex hoſtibus aliquot captiuos fecerunt. Inſecutæ ſunt deinde leues pugnæ complures, quibus omnibus, non abſque præſtanti laude, Raſponus ſemper interfuit. Huius belli occaſione, Pontifice petente, Henricus Gallorum Rex in Italiam, ſub Franciſci Loreni, Guiſæ Ducis, imperio, circiter millia peditum duodecim, equitum duo miſerat, cumque iis maximam Gallicæ nobilitatis partem: quæ copiæ cum in Rauennate peruen iſſent initio anni MDLVII. uix datum eſt, ut aliqui nobiliores in urbem reciperentur: Petro Donato tamen Cæſio Epiſcopo tum Narnienſi & Flaminiæ Præſi de iubente plerique ſic recepti ſunt, ut renouata utrinque Gallicæ direptionis memoria, non ſine metu res tranſigeretur, optimeq. & ciuium Rauẽnatum, & Gallorum procerum domus, ad quas diuerterant, noctu munirentur, & præſidiis, tota etiam urbe agitatis, firmarentur. In agro, ut non ſine incommodo, ac damno aduentus huius exercitus exceptus eſt, ita multo minore, quàm ferret opinio. Ex illis multi, ſcriptis ſecum allatis, quibus indicia erant eorum locorum deſcripta, ubi in ſuperiori vrbis direptione, multa obruerant,

ANN. M. DLVI.

ANN. M. DLVII.

cum

cum effodiſſent, eas inuenere. Tandem multis diebus hic inutiliter inſumptis, in Pelignos profecti, poſt Ciuitellam inani ſtudio oppugnatam, in Latium ſe receperunt. Sub id fere tempus Non. Mai. Rauennæ Ioannes Petrus Ferrettus Lauellinatum Epiſcopus annos natus circiter ſeptuaginta, fato conceſſit: Vir & morum ſimplicitate, & doctrina, qua Græce Latineque inſtructus erat, cum omnibus facile comparandus. Patrem habuerat Nicolaum, fratrem Iulium, viros egregios, uti memorauimus, & doctos. Ipſe cum primo eſſet Eccleſiæ Rauennatis Canonicus, mox Epiſcopus Myli, deinde Lauellinatum factus eſt. Sed ita ab eius virtute, euentus diſſenſerat, ut maxime inops ſit mortuus: cumque in D. Ioannis Euangeliſtæ ad ſepulturam datus eſſet, in monumento ex marmore vetuſto, & nobili, aliqui, poſt multos dies, quia monumentum ſuum eſſe dicebant, cadauer de eo monumento detrahi iuſſerunt: ex Rauennatibus nemine, ne uerbum quidem pronunciante. Nonnullos aiunt ſcripta illius, tres Decades præſertim, ſi modò tot ſcripſit, quæ ad Rauennatem hiſtoriam faciebant, ſupprimere. Eas Senatus Rauennas decreuerat uiris aliquot doctis ad id munus delectis, in uulgum efferri, & typographorum prœlo excudi, ſed ferunt non inuentas, poſt eius mortem, integras. Scripſit de Exarchatu libros ſeptem; quibus poſtquam paucula ſcripſit de Exarchis, maximam partem, Italicas a Gothis, & Longobardis clades, & Romani inclinationem Imperii, ac Pontificiæ ditionis iura aperit, deque Conſtantini donatione, ac baptiſmo multa diſputantur. Quòd ſi Eccleſiaſticarum inſtitutionum, rerumq. reconditarum libri quinque, & Myſtagogiæ, ſactamentorumq. diuinorum rationes libro uno explicatæ, in lucem emittetentur, doctus uiris, ſatisfactum, ut puto, uehementer eſſet. Repertus eſt ſua manu ſcriptus librorum a ſe compoſitorum index, in quo hæc, inter cetera, continebantur. *Romanorum Pontificum præclara inſtituta, libro uno explicata: Feſtorum dierum celebritates, ritusq. ſeruandi, eorundemq. in Chriſtiana religione exordia, & cauſa, libro vno ſcripta. Conciliorum receptorum vera diſenſio. Hæreſum omnium recognita, annotataq. per tempora ſeditiones. Ceterorum Romanorum Pontificum vitæ, multis ex libro Platinæ amputatis, & in ampliorem formam aliis ſuperinde additis; quæ adhuc ignota, uel antiquata compoſitius licentiori volumine deſcribuntur: Demum Rhapſodia, ſeu potius Polygraphia orbis; monarchiarum in quam, & eorum carptim, quæ ab initio mundi adhuc uſq. tempora ſucceſſere, euagatiſſima deſcriptio*. Hæc ille: cuius ſuperioribus annis, cadauer ex humo detractum Theſeus Aldrouandus Bononienſis, Abbas, cum ædem illam inſtauraret, in medio templo, ſubterraneo ſepulcro, condidit. Huius interitum Ludouicus Raſponus inſecutus eſt: nam cum incidiſſet in peſtilentem febrem ex bellicis laboribus contractam, cum annum adhuc quinquageſimum vix attingeret, Romæ deceſſit, Pridie Kalen. Quinctil. non ſine ingenti bonorum omnium dolore. Non defuit tamen ob id eo bello Rauennatum virtus: nam multi præterea priuati nominis milites noſtrates egregiam operam præſtabant: ipſiq. Ludouico, Proſper frater, qui Rauennæ erat, in equitum præfecturam ſucceſſit, Romamq. profectus, confeſtim præclara virtutis monumenta edidit: nam a Matthæo Stendardo, qui

Ppp 2 impe-

imperabat Pontificio equitatui, miſſus, ut de hoſtium caſtris exploraret, ad Columnam, quod eſt opidum Columnarum; ubi caſtrametati hoſtes erant, duodecimo ab Vrbe lapide; progreſſus, in equitum alam incidit, quæ erat impedimentorum præſidio, conſertisq. manibus, cataphracto uno capto, & nonnullis etiam equitibus & equis, Romam incolumis reuerſus eſt. Haud ita multo poſt, cum hoſtes admotis ſcalis expugnationem vrbis nocte quadam, irrito conatu, tentaſſent, poſtridie, ſummo mane Raſponus per Neuiam portam; quam Lauicanam alii putant, nunc Maiorem appellant; emiſſus cum equitibus ſuis, qui ſuburbana vineta, in quibus hoſtes fuerant, perluſtraret, ea alacriter prætergreſſus, cum ſe uia in tres diuideret, dextra, læuaq. exploratores equites aliquot miſit, ipſe cum reliquis mediam tenuit. Vbi cũ ab exploratoribus renunciatum eſſet, præire haud procul hoſtes, nullo plane ordine, & defeſſos, quod pridie, totaq. nocte in itinere fuiſſent, nec corpora aut equos curauiſſent, Paliani Ducem, per tubicinem, de tota re certiorem facit, petiitq. poteſtatem ſibi fieri perſequendi illos: quod cum Dux negaſſet, Raſponus reſtitit, uehementer commotus, quod præclaram bene gerendæ rei occaſionem, e manibus abſtrahi conſpiceret: videbatur enim; ſi Stendardus cum recenti equitatu fuiſſet inſecutus; certa in manibus victoria. Eodem etiam bello Brunorus Zampeſcus, ciuis Rauennas, & Fori Pompilii Regulus; qui ad eam diem apud Guidubaldum Ruuereum, Vrbinatium Ducem, & Iulii Tertii Pontificatu, Romanæ Eccleſiæ, eiusq. copiarum Præfectum generalem, ad ponendum militiæ fundamentum, Romæ, Peruſii, Bononiæ, Vrbini & ceteris locis fuerat; ſeptuaginta equitum alæ præfectus, ita ſe geſſit, ea præbuit ſigna, eam excitauit ſpem virtutis, vt Guiſiæ Dux, ad exitum perducto bello, eum in Galliam ſecum adducere, & eius alam inter Regias numerare, plurimum contenderit: verum Brunorum miſſionem ob id & ueniam poſtulantem, manere in Italia iuſſit Pontifex. Cum uero toto hoc belli ſpatio Vitalis Indiuinus cognomento a Sale in Flaminia ducentorum peditum cohorti, iuſſu Caroli Cardinalis Caraffæ, præfuiſſet, iamque menſes aliquot militibus ſtipendium, ſua pecunia, perſoluiſſet, neque id ulterius ei per fortunas liceret, Romam ad Cardinalem adit, eumq. cum Petro Strozza prandentem, adhibet, petitq. ſibi ſtipendia, quæ dederat, reſtitui. Quod cum Strozza accepiſſet, fuiſſetq. ab eodem ſciſcitatus, an ipſe Vitalis a Sale eſſet, affirmaſſetq. Vitalis Strozza ad Cardinalem verſus, Magnum, inquit, accederet ad Romanam Eccleſiam commodum, ſibi multos huius ſimiles Duces haberet: mox Vitalem multa allocutus, eius virtutem militarem plurimum extulit. Cardinalis autem confeſtim illi, una cum Pandulfino ſtipendiis ſoluendis præfecto, in Flaminiam remiſſo, abunde omnia repræſentanda iuſſit: quod & factum eſt. Ceterum quòd ad Romanum bellum attinet, paucis diebus elapſis, menſe Septembri pacem Paulus Pontifex cum Philippo Rege fecit. Eodem fere momento temporis, Rauennæ magnus caſus accidit, qui tamen Romæ, Florentiæ, Neapoli, Panhormi, multo maius attulit detrimentum: magno enim largoq. imbri pluere Id. Septembr. in urbe, atque in agro cœpit: quo in poſterum diem, continenti p rocella, protracto, Vitis ſe ipſo largior, atque turgidior, ad quinctam horam noctis, quæ Idus Septembres eſt inſecuta, multis in locis aluei marginibus ſuperatis inundans;

ſan-

anctam Sophiam; quod eſt in eius ripa, vti memorauimus, ad radices Apennini, opidum; ferme integrum ſecundo curſu in mare deuexit. Illud autem, quod contra omnium accidit opinionem, maxime mirandum, quòd cum Romam Tiberis, Florentiam Arnus, Neapolim Sebetus, vrbes excelſo ſatis loco ſitas, per idem tempus inundaſſent ingenti iactura, Rauenna tamen, quæ longe ipſorum fluminum alueo depreſſior erat, & aſſiduo metu inundationis tenebatur, incolumis, atque integra perſtitit: aquæ ſcilicet multitudine & impetu per agros effuſo. Circiter autem Romani belli tumultus, eluxerat Ioannis Aldrouandini, Pandulfinis filii, ciuis Rauennatis, virtus præſtans, multis antea caſibus cognita: dum enim Paulus Pontifex quibuſdam adductis cauſis, Ioannem Franciſcum a Balneo Comitem appellatum, opidis ſpoliare contenderet, Antonius Caraffa, Ioannem Aldrouandinum in primis, ducentum peditibus præfectum, una cum Brunoro Zampeſco optimæ ſpei adoleſcente, & Aſcanio Corneo, qui omnibus copiis illis præerat, eo miſit: qui eam nauauit pro Pontifice operam; ut Gatilia, Glazoloq. opidis receptis, cum ad Montebellum uentum eſſet, cuius opidi expugnatio ſupra quam dici poteſt, ob ſitum natura loci munitum, difficilis putabatur, maximam partem, Aldrouandini opera, opidi Præfectus, Corneo, ſic ut uita, ac fortunis integris abire liceret, opidum tradiderit. Annus quinquageſimus octauus ſupra milleſimum quingenteſimum ab multorum interitu, & grauiſſimis morbis, funeſtus acceſſit. Cauſam tradiderunt foſſam, quæ vrbem complectitur, altius repurgatam iuſſu Petri Donati Cæſii Præſidis, qui ante quam magiſtratu decederet; deceſſit autem hoc anno; id beneficii, ad multa alia, quæ contulerat in hanc patriam, cuius eſſe non modo ciuis, aſſentiente Senatu, ſed etiam Senator voluit, adiungere opinatus eſt. Verum contra omnino euenit, quàm putarat: putreſcente enim aqua, & corrupta, quæ in foſſa ſtagnum faciebat, aeris intemperies tot morbos inuexit, ut fuerit Rauennæ nemo, qui non eo anno ægrotarit, & multis ex familiis, omnes, eodem tempore, decumberent. Inter multos, quorum interitus patriæ luctuoſus accidit, Auguſtinus Rubulus numerandus eſt, qui tamen ob ætatem potius; erat enim nouem & ſexaginta annos natus; quàm ob aeris intemperiem, interiiſſe credi poteſt, præſertim quòd Quincto Non. Mart. deceſſerit, cum adhuc calores temperamentum aeris; quod nos ab maligna ſyderum conſtitutione potius, quàm ab exigua corrupta aqua duxiſſe originem, & malum factum putamus; nequaquam diſſoluerint. Scripſit in municipales, noſtras leges commentarium, multiſq. variæ fortunæ caſibus agitatus, ex ingentibus ſæpe periculis, miraculo magis, quàm ingenio, quo tamen peracuto erat, & peracri, emerſerat. Obiit etiam eodem anno Hieronymus Regius, cognomento Furnarinus, qui ſtudiis eloquentiæ addictus, multos annos, non ſine laude, iuuentutem Rauennatem docuerat: Orationes aliquot & epiſtolas, & carmina, in quibus lumina eloquentiæ ſuæ admirabilia emicant, apud Franciſcum & Thomam iuriſconſultum, Mazzolanos fratres, ſororis filios, atque hæredes, reliquit. Huic acceſſit Ioannes Baptiſta Piſcatorus, quem cum Etruſcæ Muſæ delectaſſent, poematis Ludouici Areoſti, de Rolando furenti materiam perſequi, eodem ſcribendi genere, ſtudium uehemens incendit. Gemino itaque uolumine de morte primum

ANN. M. DLVIII.

Rogerii, mox de eiuſdem uindicta cecinit: ſcripſit & comœdias aliquot. In quo munere etſi res ipſa eo fortaſſe non attigit, quo plerique vellent, uoluntas profecto omnino improbanda non fuerit: præſertim quòd inuitaſſe & præmonſtraſſe eos uiſus eſt, qui nunc in ipſa conſcribendorum carminum ratione, ſumma cum laude, verſantur: in quibus Albertus Donatus medicus, Alexander Fuſconus iuriſconſultus, & Canonicus, Auguſtinus Lunardus eques, Brunus Giardinus Canonicus, Cæſar Betius, Diomedes Mondinus, Federicus Lunardus Auguſtini filius, Franciſcus Cameranus, Franciſcus Corellus, Ioannes Maria Maiolus, Iulius Moriſius, M. Antonius Granellus, Canonicus, Stephanus Lotus iuriſconſultus, Pomponius Spretus eques, Vincentius Carrarius iuriſconſultus, & Canonicus, ac ceteri complures maxime excellunt.

HIERONYMI RVBEI HISTORIARVM RAVENNATVM

LIBER DECIMVS

PRAESIDE Cæſio prouincia decedente,ad calamitatem, quam morborum multitudo, & funerum frequentia attulerant, noua, nec minor accedere offenſio videbatur: nam egregie hominem noſtrates obſeruabant,amabantq. tum ob beneficia, quibus priuatim, & publice ciuitatem affecerat, tum ob præcipuam quandam amoris in noſtros, ac beneuolentiæ ſignificationem, quam declarauerat multis in rebus: Inſtaurauerat enim & reſtituerat elegantiſſime prætorias ædes, quæ a temporum & habitatorum ſuperiorum iniuria, deformes, & exeſæ, pæne iam corruebant: Forum etiam, exæquatis vndique ædium tectis, ac nobili pictura mirum in modum ornauerat; quamobrem ciuitate, immunitateq. non ſolum Rauennates illum magna uoluntate, ſtudioſeq. donarunt, ſed in Senatum etiam vna cum omni Cæſiorum familia, in perpetuum, cooptarunt,& patrem patriæ decreto publico appellarunt, idq. elogio in marmore inciſo, teſtatum omnibus voluere. Non igitur ab re illo prouincia diſcedente, vt Bononienſibus præeſſet, Rauennates mœrore maximo affecti ſunt. In eius locum Prouinciæ Præſes a Pontifice miſſus Ioanne baptiſta Auria Genuenſis ſucceſſit. Inſequentis anni initio, qui fuit a partu Virginis quinquageſimus nonus ſupra milleſimum quingenteſimum, Quarto Id. Febr. Hieronymus Ruginus iuriſconſultus grauiſſimus; cuius domus non ſolum totius oraculum ciuitatis fuerat,ſed etiam Flaminiæ; ex hominū vita migrauit. ANN. M. DLIX. Hic Cænomanis olim & Iuliæ prouinciæ auguſte ac ſancte ius dixit; ad Clementemq. Septimum, Bononiam, Paulum & Iuliū Tertios Romam miſſus eſt ſæpe Legatus: uniuſq. Pauli Pontificis ore diuino,rem arduam apud eum pro patria in Vaticano diſputans, orator ac iuriſconſultus plenus ac præſtans palam dictus & habitus. Deniq. & foris honoribus multis perfunctus,ſumma ſemper cum dicendo, tum ſcribendo eloquentia res omnes condiebat, puriſſimoq. ſtilo in leges municipales noſtras,quæ ad ius ciuile ſpectant,commentarium ſcripſit. Eodē hoc anno Paulus Pontifex Romæ. XV. kal. Septembr. obiit: & poſtquam uacauit Pontificium ſolium menſes quattuor, poſtero anno ineunte. VII. Kal. Ianuar. Ioannes Angelus Medices, Pii Quarti ſumpto nomine illi ſubrogatur. Rauennates debitum obſequium præbituri, Iacobum Spadolarinum iuriſconſultum,

ſulrum, & Cæſarem Vrceolum, oratores pridie non. Ianuar. in Senatu conſtituunt. Per idem tempus, cum ſæpius flumina, quæ Rauennam ambiunt, aucta, ſuperatis ripis, non in agro modo ſeſe effuderint, ſed Rauennam ingreſſi, quin eam penitus obruerint, parum abfuiſſet, eiusq. mali culpam earum rerum periti, in ſepta reiicerent, quibus, aqua ad molas Farneſii Archiepiſcopi frumentarias, per incile, & modicum riuum abducta, fluuii retardabatur curſus, efficiebaturq. vt fluminia ob id lente fluentia nec alueum poſſent, nec portum illa arena purgare, quæ & ab Apennino ipſa deuehunt, & perpetuis maris æſtibus fluctibusq. inuehitur & aggeritur. Idcirco Rauennates per Legatos ſuos ſæpe a Farneſio ſuppliciter petiere, ut tot malorum cauſam tollere, ſublatis ſeptis illis, vellet: quando non modo; vti docuimus; conſequebantur inde agrorum eluuiones, & aſſiduum, maximumque urbis diſcrimen, efficiebaturq. vt portus, inuectis arenis, oblimatus nullas fere iam caperet naues, ſed ob pauimentum urbis, ipſo fluminum alueo, depreſſius, aquæ vrbanæ influere in amnes non poterant, & ob id in ſtagnum redactæ corrumpebantur, aeremq. faciebant peſtilentem. Pollicebantur autem Rauennates, ſe pecuniam illi, quantum æſtimatæ frumentariæ molæ fuiſſent, libenter perſoluturos. Quibus precibus Rainutius, vir alioqui humaniſſimus, & maxime exorabilis, prauis aliquot familiarum perſuaſionibus deprauatus, nullum vnquam locum reliquit, quòd eam non eſſe eluuionum & ſtagnorum cauſam ad credendū adduxiſſent. Ceterum Rauennates cum in dies a fluminibus periculum vrbi maius immineret, quotannisq. fere bona pars ciuium atque agricolarum ſubmerſæ meſſis expectatione fruſtraretur, Alexandrum Sopranum iuriſ-
ANN. M. DLX. conſultum & Cæſarem Amadutium, anno M D L X. menſe Iunio ad Pium Quartum Pont. Max. Legatos hac de re mittunt, qui negocium omne diligenter apud Pontificem curantes, fecerunt, vt Pontifex Stephanum Grandem & Gaſparem Cocapanem, inſignes ætatis huius Architectos, Bononia & Ferraria accerſiri Rauennam iuſſerit: qui multos dies, vrbem, eiusq. ſitum atque agrum dimenſi, ea Pontifici retulerunt, quibus Pontifex commotus, diplomate, non modo ciuibus Rauennatibus, ſed ipſis etiam magiſtratibus prouinciæ mandauit, ſepta, omniaq. alia fluminum impedimenta quàm primum reuelli: quandoquidem, vt in eo diplomate, quod nos legimus, Pontifex teſtatur, optimi Pontificis ſit munus, omnes quidem ſubiectas ſibi urbes incolumes tueri, *ſed illas maxime; etiam cum aliquo priuatorum incommodo; quas veneranda ſui antiquitas; metropolitica ſedes, & aucta ciuium nobilitas, perſpectaq. erga Pontifices Maximos, & ſedem apoſtolicam deuotio, illi multipliciter commendant ſic tamen, vt omnium damna reſarciantur*. Hæc in eo diplomate Pontifex, Ro-
ANN. M. DLXI. mæ, anno MDLXI. Nono Kal. April. apud ſanctum Petrum dato. Hac igitur ciues auctoritate fulti; cum quotidie, magno incommodo, multi nobiles viri patres familias interirent, tandem ut Pontificis iuſſa exequerentur, ſuisq. grauibus incommodis remedium aliquod adhiberent, & diutius hæc urbs ipſi Pontifici, & ſanctæ ſedi apoſtolicæ incolumis atque integra conſeruaretur, Senatu ad Tert. Id. Mai. anno M D L X I I. habito, cum multa in utramque
ANN. M. DLXII. partem diſputata fuiſſent, omnium conſenſu ſepta reuellere decretum eſt. Præfecti autem huic negocio fuere, Marius Salomonus, Vitalis Indiuinus cognomento ab Sale, cohortium præfecti: Alexander Sopranus iuriſconſultus, Mar-

tellinus

tellinus Monaldinus, Exuperantius Ferretus, & Thomas Baldinus: Pinus Oſſius, Balthaſſar Portus, Petrus Thomaſius, cognomento Mingonus, Balthaſſar Brochus, & Sentinus Nicolus: confeſtimque e Senatu ſimul egreſſi, omni ferme populo, ingenti ſublato clamore, comitante, Guelphi ad Montonem amnem, Gibellini ad Vitim procurrerunt. Erat tum Flaminiæ, qui Paulo Rainutio e Tarano ſucceſſerat, Prolegatus, Saluator Pacinus, Clusinus Epiſcopus, iam diu Farneſiorum fauore prouectus. Is igitur audito clamore & concurſu, req. cognita, iudices ſuos, cum lictoribus mittit, qui abire illos, & cœpto deſiſtere iubeant. Sed ubi prodiere in conſpectum, tanta in eos populi ira exarſit, ut nobiliores cohibere uix potuerint, ne ad vnum populus diſtrictis gladiis, & pedeſtribus lanceis ac ſecuribus, omnes trucidaret. Cum vero Pacinus magis ob id commotus, aſſidue publice & priuatim minitaretur, Raphael Raſponus, Raſponi filius, qui ad Vitim erat, Alexandro Soprano iuriſconſulto, inermi, tantum comitatus, recta ad Montonem, ubi erant Guelphi, tendit. Seceſſerat tum forte ab aliis, in herbaq. recumbebat Vitalis Indiuinus, qui conſpicatus Raſponum recta ad ſe, celeriq. gradu uenientem, nonnihil metuens, captis ſtatim armis erectus, quid eſſet Raphael facturus, præſtolabatur. At Raphael, qui iam ingenti Dei beneficio, omnem ex animo inimicitiarum memoriam depoſuerat, ad eum cum perueniſſet, hominem benigne ſalutauit, illiq. iunctus, ad reliquos adiens, humaniſſime omnes complexus, oſculatusq. eſt, & auxilium eis, uel ſi ipſa eſſet uita profundenda, prolixe & ſincero animo pollicetur, amicaq. omnia defert. Non defuit Vitalis, Iacobus Lunardus eques & reliqui aduerſæ partis, quin ope, pari beneuolentia, oblata, ſimpliciter & candide, omnibus præclari animi officiis reſpōderent. Vbi autem eo die ſatis laboratum in ſeptis euertendis fuit, omnes ſimul per Hadrianam portam urbem ingreſſi, magna populi comitante caterua; qui aduerſarum factionum proceres coniunctos intuens, plurimum mirabatur, & lætabatur, in forum uenere: nec diu poſt, ut conſilia pro communi ſalute, communi conſenſu inirentur, animorumq. concordia altioribus radicibus initiū præberet, circiter alteram noctis horam, vtriuſq. partis omnes, in ueſtibulum D. Apollinaris noui, conueniunt: vbi oſtenſis præclaris ac nouis amici animi ſignificationibus, quid eſſet agendum, tranquille & pacate decernitur. Is autē congreſſus, quamquam uidebatur caſu in eum locum fuiſſe, prudentibus tamen uiris, diuinitus eſt uiſum, indeq. pacis optimū omen acceptū eſt, cum ipſius D. Apollinaris, primi Rauennatum Archiepiſcopi, vrbisq. noſtræ patroni ac tutelaris, meritis, atque opera factam eſſe, coniici poſſit, quando, ut ipſe præſens adeſſe crederetur, ad ædem ipſius nomini dicatam, & ante ipſius imaginem, quæ erat in ualuis eius templi picta; ad quas ualuas paucorum procerum, ſecretus congreſſus, eſt factus; poſita ſunt prima ac præcipua huius pacis fundamenta. Vt autem efficeretur, quod eo congreſſu decreuerunt, poſtridie, Romam, Gaſpar Pignatta iuriſconſultus & eques Rauennas, maximis itineribus eſt miſſus; Bononiam, Bartholomæus Guacimannus eques, qui Petrum Donatum Cæſium, eius urbis Moderatorem, Reipubl. Rauennatis nomine rogaret, Rauennam proficiſci, ad eos compeſcendos irarum æſtus. Quoniam vero moliri Pacinus Prolegatus noua audiebatur, in ſuſpicionemq. nequaquam inanem uenerant noſtrates, ne forte Pignatta, Arimini, Pacini

iuſſu

iuſſu interciperetur, ad duodecimum kal. Iun. Ioannem Baptiſtam Lazarum, cognomento Mengolum, iuriſconſultum item Rauennatem, per Etruriam, Romam quoque mittunt, ut ambo, ſi adfuerint, aut ſolus apud Rainutium & Pontificem Rauennates purgaret, non iniuriæ cauſa, ſed patriæ caritate ſepta fluminum refigentes; paratosq. eſſe ad eam pecuniæ ſummam ſoluendam, quam Pontifex & Rainutius iuſſerint. Sed Rainutius accepto iam nuncio, hac de re, quæ aliquanto grauioribus uerbis ac factis delata ad eum fuerat, acriter apud Pontificem eſt conqueſtus, quòd non ſepta modo refigiſſent, ſed eius etiam triticum diripuiſſent, & ex magiſtratibus aliquot iniuria, & uulneribus affeciſſent. Cæſar Amadutius Rauennatium, Romæ, multos iam menſes, legatus, rem ſentiens, cubiculum Pontificis ingreſſus, ad eius pedes, narrante adhuc Rainutio, prouoluitur, petitque rem omnem tranquillo animo cognoſceret. Sed iratus Pontifex, Hieronymo Friderico, Martoranenſium Epiſcopo, urbis Moderatori, tradi Amadutium in cuſtodiam iubet; quod & factum eſt. Idem Rauennæ eum multis modis, irrito conatu, Pacinus Prolegatus, in eiues aliquot primarios, tentaſſet, nouiſſime hoc eodem mane, quo Mengolus eſt Romam miſſus, in arcem ſe conferens, Vitalem cognomento Salium in uia obuium, per ſpeciem colloquii, ſecum eo adducere nixus eſt: ſed Vitalis, inſidias ſentiens, ab eo inuito & reuocante eſt auulſus. Eodem ferme ueſtigio temporis cum portæ Iuliæ cuſtos in Montonis ripa, frigus opacum captans, ſederet, multos armatos accedere, qui e ciuibus non eſſent, conſpicatus, clauſa ſtatim porta, Hieronymum Peregrinum iuriſconſultum, qui tum magiſtratus Sapientum princeps erat, accurrens, de tota re certiorem facit: nec mora; ad arma ſacri æris campani ſonitu, & tympanis uocatur populus: mirum autem eſt, quanta omnes, uel pueri, alacritate armati in forum conuolarint; clauſæ officinæ tabernæq. fuerint, ſtatimq. diſpoſita per urbem præſidia, & uiarum, quæ perueniunt in forum, capita tormentis curulibus munita ſint. Oratores miſſi ad Pacinum, qui peterent, cur eam armatorum manum acciuiſſet: quibus reſpondit, ſui tuendi cauſa, quando Nonagintauiris, ab ſe abire fori, portarumq. urbis præſidio iuſſis, neque obedientibus, haud ſatis fideret, adductusq. potius ad ſuſpicandum fuiſſet, Rauennates contra ſe aliquid moliri. Verum cum uerba ſibi, iis uerbis, a Prolegato dari oratores intelligerent, iis redditis reſponſis, quæ uiſa opportuna ſunt, nihil tutum iudicantes, ad Sapientes rediere: nemo enim ex noſtris non obediuerat, neque ueſtigium, argumentumue illius aut capiendi, aut interficiendi ullum præbuerat: præſertim cum ſuperioribus diebus Nonagintauiri, qui forũ & armamentarium aſſidue tuebantur, eius edicto abierint, non quidem primo aut altero, quòd ſuſpicarentur, ne Pacinus armamentario uti contra eos uellet; ſed tertio, quo edicto ſcripto, minitabatur, niſi præſidio abirent, eos perduellionis reos futuros. Auguſtinus quoque Ruginus iuriſconſultus, ueneranda auctoritate ſenex, eius ſe præſidio futurum, cum aliquot ex Nonaginta uiris armatis, ſi quid metueret, fuerat pollicitus. His igitur eſt factum, ut quibuſdam Prolegati iudicibus, qui in Prætorio remanſerant, neſcio quid alloqui Raſponum, Vitalem, ceterosque proceres volentibus, reſponſum fuerit, verbis tunc non eſſe locum, & antequam in cuſtodiam tradi quenquam ſinerent, omnes eſſe morituros. Moderator vrbis, ipſiq. iudi

ces,

ces,& ceteri adminiſtri, cum ſibi magnopere in tanto totius ciuitatis tumultu metuerent, in interiora, Sapientum cubicula recepti, & præſidiis aduerſus populi impetum ſtipati ſunt. Per idem tempus accurrerat armatus populus ad arcem, quo illæ ſe copiæ, per poſticum introductæ, receperant. Erant autem Ruſſiani & Fauentini a Pacino Prolegato, non minus in ſui; ut ipſe iactabant; ſubſidium, quam ad ciuium aliquot Rauennatium interitum euocati. Qui cum totam noctem in itinere fuiſſent, & fame laborantes, de muro Citadellæ, in quo erant diſpoſiti, panem a noſtris peterent, reſponſum a popularibus, vt ſe conferrent in Prætorium, alioqui nihil vmquam annonæ habituros. Hoc interim ſpatio, ſumma vndique alacritate uoces exaudiebantur, quibus Rauennates felicia omnia fauſtaq. Romanæ Eccleſiæ & Pontifici Maximo precabantur, ſeq. illis profitebantur ſubiectos. Earum autem copiarum aduentus, aliquibus ex noſtris primariis nequaquam fuerat incognitus, qui nouerant externarum gentium ope, diligentiam adhibere Pacinum, proceres noſtros in cuſtodiam tradi, ſtatimq. obtruncari. Sed ne indicta cauſa cum uenientibus imprudenter manus conſeruiſſe viderentur, anſamq. ut iure poſſent damnari, præberent aliquam, expectarunt dum in arcem includerentur. Cum uero prandii hora aduenîſſet, & Prolegatus panem peteret, & aliquot piſtores in arcem inferre illum diuerſis modis conatos, populus prohibuiſſet, Hieronymus Peregrinus, Vitaliſq. a Sale, & aliqui præterea Decuriones & Senatores; qui auctoritate ualebant apud populum, armati, baiulos, adiecto præſidio, ad portam arcis comitati ſunt, qui panem populo licet renuente, & contumelioſis vocibus Senatores illos & Pacinum proſequente; intulerunt. Nec diu poſt, hora altera a meridie Ioannes Franciſcus a Balneo Comes uocatus, Rauennam peruenit, ſeq. pacificatorem inter Prolegatum ac Rauennates adueniſſe profeſſus eſt: Rauennatibus libenter omnes concordiæ conditiones accepturos aſſerentibus, dum Ruſſiani & Fauentini acciti, antea abirent, & capite non oppugnarentur. Itaque Ioanne Franciſco arcem, una cum Franciſco Butrighello, ciue Rauennate, ingreſſo, res accuratè agi eſt cœpta. Interim cum Pacinus Ariminenſes, quoque & Cæſenates, Foroliuianos item & ForoCornelianos accerſiuiſſet, ut ſibi in ſubſidium uenirent, ipſi, re cognita, tantum abfuit, vt ferrent Pacino ſuppetias, ut ſe pro Rauennatibus omnia inſumpturos; dum tamen omnis a Romana Eccleſia; cui ſe perpetuo addictos, ſubditosq. profitebantur; defectionis ſuſpicio abeſſet, vt plane abeſſe videbatur; polliciti ſint. Aduenerat interea Triuultius Gualterius, orbitanus, omnibus criminum quæſtionibus Bononiæ præfectus, a Cæſio miſſus, vt aliqua ex parte Rauennatibus ſatisfaceret: quando ipſe nouis quibuſdam rebus, quæ Bononiæ per eos dies acciderant, impeditus, uenire non poterat. Cum igitur Gualterius & a Balneo Comes multa non minus apud Pacinum, quàm apud noſtros, de concordia tractaſſent, ad veſperum eius diei tandem ita negocium confecere, vt aliquid utrique parti daretur. Rauennatibus quidem, vt Fauentini, Ruſſianiq. abirent: Pacino autem, vt quinquaginta armati eius præſidio accederent. Interea autem vbique in foro gentilitia Pontificis Maximi, Romanæ Eccleſiæ, Caroli Cardinalis Borromæi, & Reipubl. Rauennatis inſignia appenſa ſunt omnibus ſublata uoce, Romanæ ſe Eccleſiæ addictiſſimos, & libentiſſime ſubiectos profitentibus. Poſtridie Fauentini, Ruſ-

ſianiq.

ſianiq. ex arce dimiſſi ſunt: quibus licet Ioannes Franciſcus a Balneo Comes, præſidii cauſa, Dux præeſſet, tamen haud minimum ſibi a Rauennatibus timentes admodum trepidi abibant: neque profecto temere, cum magnum eſſet in eos populi odium, coactiq. Decuriones, & ceteri proceres fuerint, interea dum ipſi diſcedebant, conuocare in forum populum, eumq. pane, vino, & caſeo liberaliter donare, diſſimulareq. haberi cenſum oportere, vt recte præſidia tota urbe diſponerentur. Per hunc modum cum in pacatum omnia viderentur adducta, increbreſcit rumor, aduentare armatos centum & quinquaginta: quamobrem Raphael Raſponus, Raſponi filius, ad Ioannem Franciſcum adiens, quærit, quid iſthæc fiant: quinquaginta enim armatos, non centum & quinquaginta Prolegati præſidio permiſſos; affirmanti autem Ioanni Franciſco, tametſi quattuor, aut quinque armatis, præſcriptus numerus ſuperaretur, nihil referre, ne vnum quidem, inquit Raſponus, ſuperare volumus, omnes alioqui trucidabimur: confeſtimq. Nonagintauiratu aduocato, res eo modo in ſerum diei protracta eſt: cum interea audiretur, Pacinum occultas inquiſitiones in aliquot ciues agere, & admirabilis eorum, qui Gibellinis, Guelfiſq. antea factionibus acriter diſſenſerant, concordia, tota urbe, non abſque omnium ingenti lætitia, ſpectaretur, neque vlli armati aduenirent. Sub occaſum Solis, ex arce in Prætorium Prolegatus rediens, iuſſit Nonagintauiros abire fori præſidio, quod & factum eſt: ceteri tamen ciues, qui ſibi non metuere non poterant, ne maior, quàm decretum fuiſſet, armatorum numerus in vrbem introduceretur, Guelfi ſimul, Gibelliniq. noctu vigilias ad portas vrbis agitarunt. Poſtridie eius diei, qui dies fuit ad Decimum Kal. Iun. Comitis à Balneo hortatu, vt exulceratum Pacini animum aliqua ex parte lenirent, aut certe ne magis irritarent, Hieronymus Peregrinus, ceteriq. Decuriones; qui fuerunt Raphael Raſponus cohortium Ductor, Antonius Genatius, Cæſar Vrceolus, Barbatianus Mengolus, Petrus Piccininus, Hieronymus Franchinus, Nicolaus Nigrus, & Antonius Maiolus: & Guelfi, Gibelliniq. omnes ad Villam Sauarnam, quæ eſt ad Padum, abiere; vbi Raſponi prædia & turres habent ſane egregias: ad quas pars maxima, Guelforum præſertim, diuertit: reliqui, Vitalis Mercati Rauennatis, Præfecti Portuenſis, ſingulari caritate & liberalitate in Portuenſibus uillis hilariter excepti ſunt: creſcenteq. ibidem in dies diffidentium olim animorum coniunctione, ſæpius Raſponi, Lunardis & ceteris epulum præbuere; eodemq. lecto, qui iam antea cor de pectore ſibi inuicem detraxiſſent, inermes, nullaq. ſuſpicione decumbebant. Interea ne Magiſtratu ciuitas deſtitueretur, nouos Pacinus Sapientes creauit Vincentium Bellinum iuriſconſultum, Vrbanum Spretum equitem, Franciſcum Tizzonum, Baldaſſarem Ginannum, Laurentium Monaldinũ, Chriſtophorum Portũ, Scipionem Baroncellum, Antoniũ Gordium, & Andream Francũ. Ne uero facinus præclarum adeo & ſanctũ, tam multis u trimq. uotis ex petitũ; quamquam altiſſimas in animis omniũ radices defixas habebat; nullis externis nixum fundamentis eſſet, cum eos deuinxiſſet infinitum in modum, gratiſſimus, iucundiſſimusq. Petri Donati Cæſii, Narniorum Epiſcopi Magiſtratus, dum Flaminiæ, ſumma æquitate, integritateq. præfuit, Bononiã; cui tunc urbi Cæſius, vti memorauimus, præerat, contendũt, ordine inſtructi ſane egregio, & præſtanti armatorum manu ſepti: præſertim cũ

Sapientum

Sapientum Magiſtratus, ipſam vrbem Rauennam, magna maieſtate, referre uideretur. Quo uero honore, nobilibus aliquot obuiam miſſis, eos Cæſius acceperit, quamq. dum fuerunt Bononiæ, benigne amanterq. tractauerit, pro Cæſii humanitate, quæ eſt valde præſtans, & maxima in Rauennates beneuolentia, iudicari non fuerit difficillimum. Ibi cum tabulis publicis confectis, coram Cæſio, inter ſacra ſolemnia, pacem ſacramento confirmaſſent, pollicitiq. idem de abſentibus fuiſſent, ad Tert. Non. Iun. Rauennam regreſſi ſunt, tanta concordia, & omnis ciuitatis hilaritate, vt veſperi, accenſis in foro, multisq. præterea, locis, ignibus, ſacrique campani æris ſonitu undique aures complente, multis, maximeq. omnium ſenibus præ gaudio lacrymantibus, nihil hilarius, aut iucundius deſiderari poſſe uideretur. Nec diu poſt Cæſius, Pontificis; qui multos iam dies Cæſarem Amadutium educi e cuſtodia perliberaliter mandauerat; iuſſu, Rauennam profectus, de tumultu totaq. re quæſtionem habuit, Blaſio Oſſio iuriſconſulto, Reipubl. Rauennatis Syndico, præclaram operam, pro tuenda patria nauante. Cum autem nihil aliqua ex parte de Pontificiæ maieſtatis imperio, nec ullum eiuſdem læſæ crimen uideret, aduenientibus Cæſare Raſpono, qui Romæ, hanc eandem ob rem, Legatus fuerat, Ioanneque Aldrouandino, Pandulfini filio, & multis præterea aliis, qui Bononiæ non fuerant, pacem ſolemni iuſiurando faciendam, & ab iis, qui fuerant Bononiæ, probandam, ratamq. habendam in æde Vrſiana curauit: Hieronymo a Portu, Rauennati ſcriba, tabulas publicas conficiente. Vt autem maiore, quo fieri poſſet, nexu, animi deuincirentur, haud ita diu poſt Hieronymus Raſponus, Hludouici filius, Eugeniam ſororem, Petro Indiuino, cognomento Salio, Vitalis fratri, in matrimonium collocauit; nuptiisq. ad villam Sauarnam celebratis atque coniunctis, apud ſe aliquot annos eſſe eum voluit; vt non ipſe modo Petrus, ſed ceteri Petri affines & amici; qui aduerſæ factionis, maximam partem, erant; eo aduentandi dum ob id occaſionem habent; maior inter eos concordia gigneretur. Eadem de cauſa Raphael Raſponus, Raſponi filius, Eugeniam item filiam, Timotheo Spreto, non multos poſt dies, collocauit. Interea, Pio Pontifice iubente, Reſpubl. Rauennas, ſexdecim amplius nummum aureorum millia, partim Rainutio Archiepiſcopo, ob ademptum, ſublatis ſeptis, vſum molarum eius frumentarium, partim ipſi etiam Pontifici numerauit. Per hunc autem modum pacati Rauennates ciues, ad ueterem ex bello gloriam inſtaurandam intenti, cum ſub id tempus in Gallia plerique aduerſus Carolum Nonum Regem, Henrici filium, annos natum duodecim, Caluinianæ ſectæ prætextu, quæ a ſtigmatico perfuga, Ioanne Caluino nomen habet, noua molirentur, & Pius Quartus Pontifex, Aueniõnem aliquot copiis munire cogitaret, Vitalis Indiuinus, uniuerſi equitatus, Balthaſſaris Rangoni Vicarius & Legatus, eo profectus eſt. Proſper quoque Raſponus cum ſæpius multis de cauſis, Friderico Borromeo, alæ equitum quinquaginta Præfecturam, ultro deferente, id muneris renuiſſet, tandem Caroli Cardinalis, Friderici fratris, ipſiusq. Pii Pontificis iuſſu, accepta condicione, cum Balthaſſare Rangono, Lonzani Regulo, eodem contendit: ubi hi gemini Rauennates Duces, maxime ſtrenuam nauantes operam; dum Fabricius Sorbellonus,

bellonus, Pontificiarum copiarum Legatus, illis maxime, ob ſpectatam uirtutem, uteretur, inſignem gloriam adepti ſunt. Principio autem Sorbellonus aliquot opida ab Hugonottis, qui reiecta omnium ſæculorum ueneranda antiquitate, nouam Caluinianam hæreſim profitentur, occupata, recuperaturus; ſi quidem extra Auenionem, Carpentoracte, Lillam, Aramonem, & aliquot paucula præterea loca, reliqua omnia hoſtes habebant; cum omni equitatu, & nonnullis peditum cohortibus eo profectus eſt. Decesſere opidis, aduentu noſtrorum, hoſtes Proſperq. Bederidæ receptæ præſidio relictus, quotidie hoſtes excurſionibus & inſidiis, non ſine magna laude, petebat: quæ laus maior etiam facta eſt, cum paulo poſt Sorbellonus opidum Camerettum oppugnare duobus adhibitis curulibus tormentis, contendens, Raſponum præmiſit, perinde ac eorum locorum, ob frequentes excurſiones, peritum, qui ubi eſſent caſtra noctu locanda, & diſponendæ vigiliæ perluſtraret. Quod ubi conſtituiſſet Proſper, Sorbellonus omnia inuiſens, ne latum quidem vnguem ab Raſponi iudicio ac præſcripto diſceſſit: uehementerq. ea ratione oppugnato Cameretto, hoſtibusq. qui egregie oppugnationem ſuſtinuerant, noctu aufugientibus, noſtri, uoti compotes, opidum ingrediuntur, & diripiunt; cum tamen in oppugnatione ſuperiore, veteranos milites quadraginta egregie fortes deſideraſſent. Poſtridie eius diei Fabricius duabus equitum alis ad Cirignanum præmiſſis, propediemq. totidem peditum miſſurus cohortes, præſidia ubique, & excubias ex Raſponi præſcripto collocauit. Sed cum interea ex improuiſo equites hoſtium triginta, aliquot ex noſtris peditibus, qui iam, Fabricii iuſſu, aduentabant, fuiſſent adorti, multiq. in pedes ſe darent, Raſponus cum pleriſque ſuis equitibus accurrens, impreſſionem fecit in hoſtes, & Mambrunii Reguli affinem; qui Mambrunus, Hugonotorum equitatus, maximæ parti præerat; ſua manu confodit, cum mille nummos aureos; quos, ut ſe redimeret, Mambrunii affinis fuerat ſtatim pollicitus, renuiſſet. Id autem Raſponus fecit, ne milites, qui retardari circa illius deditionem uidebantur, tempus hoſtibus darent, qui magno iam conatu frequentes irruebant: in quos tamen ſi impetus fuiſſet factus, neque Lonzani Regulo, cum reliquo equitatu pedem referente, Raſponus coactus fuiſſet in hoſtium conſpectu ſiſtere, facile in fugam coniiciendos, Raſponus iudicabat. Sed Lonzani Regulus, Raſpono, Vitalique a Sale hac de re plurimum querentibus, atque ut ſe ſequeretur flagitantibus, quod in fugam agi hoſtes adhuc poſſent, neque amittendam occaſionem, quæ præceps eſſe conſueuit, aſſerentibus, id in mandatis non habuiſſe reſpondit. Itaque omnes ſe ad caſtra recipere coacti ſunt. Hoſtibus autem paucos poſt dies, cum equitibus ſexcentis, & quattuor peditum millibus ad circumuallandum Cirignanum profectis, ubi geminæ illæ peditum noſtrorum cohortes remanſerant, Fabricius cum omnem equitatum contendere Aurantium iuſſiſſet, ad ueſperum una cum Santa gialla Regulo ad Raſponi ac Salii hoſpitium; ſimul enim perpetuo hi præclari Duces; quæ inter eos erat animorum concordia; habitabant; adit, eorumque cubiculum ingreſſus; ubi Raſponus in lecto, ob crurum pedumque morbum, ſedebat; de ſubſidio iis, qui in opido Cirignano obſiderentur, ferendo, conſilium ineunt. Ibi Raſponus primus ſententiam rogatus, rem ſibi intempeſta

P. 2 nocte

noctе aggrediendam videri aſſerit,triginta quinque ad ſummum,ſelectis equitibus, qui ſclopettis etiam vterentur: Gallico equite præeunte, qui hoſtium exploratoribus, vigilias ad flumen agentibus, amicos ſe eſſe diceret, venireq. a tumultu inter Aurantianos miſcendo. Interea tamen noſtri maturarent; nam licet ad arma exploratores conclamarent, poterat tamen a noſtris interim perueniri ad illud peditum agmen, quod equitatus præſidio hoſtes diſpoſuerant, eosq. tum ſomno oppreſſos, tum repentino impetu noſtrorum petitos, & in tenebris haud ſatis in tempore expedire conſilia, atque arma valentes, noſtris maxime primo ſclopos diſplodentibus,mox ad gladios venientibus, opprimere. Forſan quoque hoſtes multo maiorem noſtrorum numerum ſuſpicantes, ita cedere obſeſſis poſſent, ut ipſis egredientibus ex opido, tutus in vicinam ſyluam receptus eſſet facile futurus. His a Raſpono in medium allatis, cum variæ deinde ſententiæ dicerentur, ad extremum Sorbellonus Raſponi ſententiam ſecutus eſt. Verum poſtridie mane Vitalis a Sale Raſpono retulit mutaſſe Fabricium ſententiam, decreuiſſeq. uti eo mane, cum vniuerſo equitatu, peditatuq. ad ferendam Cirignano opem iretur: aliquot equites diſponerentur in inſidiis, equitatus cum ſeptuaginta peditibus ad conficiendum negocium contenderet. Quibus acceptis, Raſponus nequaquam conſilium probans, magnumq. ex eo ad noſtros damnum manaturum palam affirmans, in aciem tamen cum ceteris prodiit, Vitali a Sale, inſidias; uti Fabricius iuſſerat; diſponente, omnemq. aciem inſtruente. Cum autem equites noſtri, iam ad antecurſores hoſtium, circiter primam horam ab ortu Solis, perueniſſent, illisq. conſpectis conſtitiſſent, ſeptuaginta pedites, qui eos tardius ſequebantur, expectaturi, & moram quoque feciſſent, dum omnes tranſmitterent amnem, ſpatium hoſtibus datum eſt, ut agmine circiter ſexcentorum equitum facto, ſeſe noſtris obiicerent. Primi Vitalis & Proſper, cum paucis ſuis equitibus, qui omnes ſeptuaginta non erant, ptopius ad hoſtes accedunt, cumq. utrinque conſtitiſſent, miſerunt ex ſuis decem, qui confligendi initium facerent. Obuios hi aliquot ex hoſtibus habuere, qui diſploſis tormentis, vbi noſtros videbant haſtas lateri adprimere, & inclinare ad equi aures, ſtatim ſe ad agmen recipiebant: atque hoc interim ſpatio magna ſclopettariorum manus ſubſidio hoſtibus uenit: qui ſclopettarii tuto loco poſiti, magnum noſtris damnum inferebant; tuebatur ſiquidem eos riuus utrinque modico aggere caſtigatus, qui ad frumentarias molas defluens, non niſi aut ad eas molas per pontem, vbi hoſtes erant, aut iuxta opidum traiici poterat. Dum igitur Rauennates Duces, ſtrenue depugnantes, tutiorem locum ſuis quærunt, & in hoſtes acrius irruere contendunt, repente perpauci aliquot Galli equites, qui ſecum erant, fugere incipientes, Italos etiam ad idem induxerunt, Rauennatibus Ducibus fruſtra reclamantibus, ne tantum Italico nomini dedecoris inferrent, affirmarentq. nequaquam ea turpi fuga ſaluti ſuæ ſe poſſe conſulere; & Vitalis accurrens, quoſdam proprio nomine appellitaret, & omnes hortaretur ac pæne impelleret, ut fugam ſiſterent, & prœlium redintegrarent. Hoſtes interim omnem impetum in Raſponum, qui ibi cum paucis equitibus remanſerat, effundere, adeoq. inſtare, ut Proſper cum ſuis ſeſe recipere ad alios cogeretur: qui receptus eo difficilior uiſus eſt, quia cum eſſet ad flumen peruentum, ad quod

e ripa deſcendi, niſi auguſto calle, qui unum tantum excipiebat equitem, non poterat; iamq. expectante Raſpono, ut ſui equites traiicerent, iam prope acceſſiſſent hoſtes, quatercentosq. circiter ſclopos in Raſponianos, ipſumq. Raſponum, ictibus, diuino plane miraculo, irritis diſploſiſſent, Raſponus ſe de ripa ſatis ſublimi in flumen deiicere coactus eſt; quod & fecit incolumis. Per idem tempus equites, qui ſecum erant, traiecerunt amnem, cum tamen ex ala Reguli Lonzani, concidentibus ſupra equis, Fabricius Maſinus Cæſenas, & Baptiſta Lugienſis; ex Raſponiana autem Iacobus Antonius Picciolus, & Morandus Moſchetta Rauennates deſiderarentur. Tranſmiſſo amne, Raſponus, cum Mambrunum Regulum conſpiceret, Paulo Guarino Ruſſiano, ſuo equiti, vulnus gladio inferentem, illuc accurrens ſingulari certamine cum eo digladiatus eſt, vſque dum Guarino iam ſe in tutum recepto, ſuperuenientibus hoſtibus, ipſe quoque ſe ad alios recepit. Vitalis ab Sale, cum adhuc huc atque illuc excurrens, & modo blandis, modo aſperis uerbis ad ſiſtendam fugam noſtros hortatus, nihil effeciſſet, ſub id tempus opem Raſpono allaturus, rediens, cum Creſolla Regulo, Hugonottarum in illis locis copiarum Præfecto, manus conſeruerat; iamq. acriter eum premebat, cum illo accurrit, id Raſponus intuens. Quamobrem eo tandem adductus eſt Creſolla, vt in noſtrum equitatum ingreſſus, perſequente Vitali, & ut latronem interficerent clamante, a noſtris circumuentus, ſcloporum pilis, clauarumq. ictibus, & vulneribus gladiorum ſtatim e medio ſublatus fuerit. Quamquam autem Vitalis ob contumacem, & refractarium equum cohibendum, mucronem equeſtrem primo, mox enſem proiecerat, & taxillo e ſclopo emiſſo erat vulneratus, tamen cum decem circiter equitibus, Raſpono comite, ſæpius conuerſa ad hoſtes fronte, reſtitit, aliquandiuq. irruentes hoſtes moratus eſt. Tandem vero hortante, ac pæne impellente Raſpono, qui ob acceptum uulnus Vitali timebat, licet ſæpe generoſe renuens, ſe ad ſuos recepit, Raſpono interea ad ponticulum, qui iungebat uiam, conſiſtente cum decem equitibus, ubi aliquandiu hoſtium impetum ſuſtinuit: qui cum in horam acrius irruerent, Raſponum ad alios ſe recipientē, ad Bederidæ mœnia perſecuti ſunt; atq. hoc pacto prœlium ſumma, & maxima Ducum Rauennatum laude finem habuit. Nec diu poſt, cum ſe noſtri Bederidæ minus tutos putarent, Auenionem ſunt profecti. Vnde breui poſt tempore Raſponus, quòd nonnullas cum aliquot proceribus ſimultates ſuſceperat, & ex cruribus laborabat, miſſione; quam ſibi ſæpius accurate poſtulanti Fabricius negauerat; tandem Laurentii Lentii Firmani Epiſcopi, & Alexandri Cardinalis Farneſii ibidem Vicarii, opera, impetrata, Rauennam regreſſus eſt; Mutiumq. Raſponum fratrem, alæ ſuæ præficiendum curauit; qui Mutius Auenionem profectus, multis tumultuariis prœliis, bellicisq. aliis occaſionibus, non ſine laude interfuit; cum interea Vitalis a Sale, egregiam optimi Ducis laudem undique referret: qui tandem omnes pacata, quibuſdam a Carolo Rege datis, acceptisq. conANN. M. DLXIII. dicionibus, ea regione, domum rediere. Sub id tempus anno MDLXIII. Rainutius Farneſius Epiſcopus deinde Bononienſis factus, Rauennati Archiepiſcopatu ſe abdicauit; quem Pius Quartus Pontifex; quòd magnam fructuum partem, in vrbis munitionem, quam erat aggreſſus, inſumere conſtituiſſet, per Vicarium adminiſtrandum ſuſcepit. Miſerat autem huic præfectum mu-

munitioni, Pontifex, Rauennam, Aſcanium Corneum Peruſinum, uirum militari uirtute, gloriaq. clariſſimum, quo petente, Senatus XII. kal. Iunii, Cæſarē Raſponum, cohortium ductorem, Cæſarē Vrceolum, Ioannes Aldrouandinos duos, alterum Comitis dignitate inſignitū, alterum cohortium ductorem, Laurentium Monaldinum, & Alexandrum Sopranum iuriſconſultum delegit, qui cum eo de propugnaculis excitandis, & auertendis fluminibus agerent. Itaq. Corneo præſcribente, quadratum propugnaculum ad portam D. Mamæ, quo loco Gallos murum vrbis diruiſſe memorauimus, conſtrui cœptum eſt. Paulo poſt, Ioannes Franciſcus Balnei comes, & Hercules Pius, ciues, patritiiq. Rauēnates fiunt. Moritur eodem hoc anno Ioannes Minghinus iuriſconſultus, qui tanta felicitate omnium Rauennatum Archiepiſcoporum; quorum dies feſtus a noſtris celebratur; uitas carmine expreſſit, aliaq. compoſuit epigrammata, & elegias; vt facile poſſit, omnium doctorum virorum conſenſu, cum Ouidio comparari. Ad extremum annum, cum portus Rauennas ad Orientem hibernum poſitus, oblimatus arena, naues non exciperet, alio facto, Viti, Montoniq. fluminibus, alueo, ad Orientem æſtiuum traductus eſt. Annus inſequens, mari, a piratarum excurſionibus, & latrociniis; terra, a ſeditionibus agricolarum, & exulum armis fuit infamis, funeſtusq. Siquidem piratæ Turcæ, initio menſis Maii, per Hadrianum mare excurrentes, Clodiano; qui abiurata Chriſti Dei fide, Mahometanis, ſacrilegiis fuerat initiatus; Duce, ſupra Primarium Padi portum naues tres adorti, circiter uiginti homines cepere; qui licet ad litus ſe proripuiſſent, & fuga ſaluti conſulerent, perſequentibus tamen piratis capiuntur: quod etiam aliis huius litoris locis, ingenti damno fecere. In agro exulum manus ferox, & ſanguinaria, multa homicidia perpetrabat; neque uero in uillis agricolas tantum, ſed in vrbes etiam ingreſſi, occulto, & ſubito impetu, inimicos ciues trucidabant; quod maxime Forum Cornelii expertum eſt. Eodem hoc anno ad Decimum tert. kal. Iun. Ioannes Baptiſta Rubeus, omnium ſui ordinis uirorum, admirabili conſenſu, & ſuffragiis, qui Romam ad Comitia conuenerant, renunciatus eſt totius Carmelitani ordinis Magiſter; cū fuiſſet ad finem anni MDLXII. Nicolao Audeto Cyprio, Generali Præfecto, nuper demortuo; Iacobo Cardinali Puteo, Carmelitani ordinis patrono, id maxime procurante; a Pio Quarto Pōtifice, in Cardinaliū ſenatu, eorumq. omnium conſilio, & ſententia, nouo eodēq. honorifico admodum exēplo, Promagiſter creatus. Itaque ab omni orbis parte quingentos amplius Carmelitanos ſacerdotes, hoc anno, ad ea ferenda ſuffragia Romā profectos, ipſe in D. Martini in Montibus benigne hilariterq. accepit. In iis erant Theologia, & bonis artibus inſignes, ex Hiſpanis, Michael Carranza, Aragoniæ; ex Gallis Hadrianus Tonellerius, Celticæ; ex Cypris, Nicolaus Robuſtus, Paleſtinæ; ex Italis Antonius Marinarius, Apulus, Apuliæ; Ioannes Iacobus Chærecatus, Vicetinus Venetæ prouinciæ; Vincentius Spinola Neapolitanus, Etruriæ Prouinciales Præfecti: ad quos Geneſius Roſanus Mediolanenſis, uir diſertiſſimus, & Laurentius Laurettus Venetus, præſtantiſſimus Theologus, necnon Franciſcus Turchus Taruiſinus, qui ad ſeueriora ſtudia, Etruſcas Muſas eleganter adiunxit, aliiq. complures, quos omitto, ne ſim longior, accedebant. Iuſſit autem Rubeus, ut Theologi inſignes quattuor Itali, quotidie alii, atque alii, in totidem primariis ur-

ANN. M. DLXIIII.

bis ſacris ædibus concionarentur; idemq. Hiſpani in D. Iacobi, & Diuæ Mariæ cognomento Monſerratæ; Galli in D. Aloyſii, aliiſq. locis, ſua quiſque lingua, facerent: ſæpiuſq. in Diuæ Mariæ Tranſpontinæ de rebus diuinis, & de philoſophia diſputarent: quibus diſputationibus, Doctorum Gymnaſii Romani argumentationibus, atque ſacrorum etiam ordinum, ſatis celebratis, cum ipſe Rubeus aſſidebat, tum ampliſſimi Cardinales intererant. Poſtri die autem quàm ne vno quidem omnino ſuffragio reiectus, declaratus fuiſſet Rubeus, ordinis magiſter, mane; fuit autem is ſanctus Pentecoſtes dies; omnibus ſui ordinis, albis ueſtibus indutis, ordinatim præeũtibus, a D. Martini, ad D. Petri progrediens, ibidẽ Chriſti Dei uultus effigiem, Caroli Cardinalis Borromei eius ordinis; Puteo iam demortuo; patroni fauore, ſibi monſtratam, religioſe ueneratus eſt: & a prandio Pontificis pedes eodem ordine, iuxta aulam Conſtantini, una cum ceteris Carmelitanis ſuis, eſt deoſculatus. Pontifex mirificam in Rubeum uoluntatem, non modo tunc amantiſſimis uerbis, ratum habens quicquid de illo Carmelitani Senatores ſtatuiſſent, explicauit, ſed etiam cum mane illum per ſancti Angeli pontem tranſeuntem, aliquot diſploſis maioribus tormentis ſalutari, & prandenti, molis Hadriani Symphoniacos canentes adeſſe iuſſiſſet. Quamobrem cum Romæ, ciues Romani complures, tum uero maxime Rauennæ ciues ſui admodum lætati, publico ſacri campani æris ſonitu, & ignibus nocturnis in foro accenſis, feſtam hilaritatem celebrarunt. Quam tamen iucunditatem illud imminuere uidebatur in animis omnium, quòd omnes ferme agricolæ, in duas partes, Montanariorum, & Caldironum ſcindebantur; & antiquo odio diſſidentes, nouas ſimultates exercere adeo pertinaciter cœperant, ut uel ſub ipſis Rauennæ mœnibus, paſſim ſuos quiſque hoſtes trucidarent, & ex utraq. parte agmine facto incederent. Quæ quidem diſcordia damnum allatura haud paruum erat, quod agriculturæ nequaquam incumberent, & omnes agricolas magnus terror occuparet; niſi Hieronymus Fridericus, Epiſcopus Martoranẽſium, & Flaminiæ Præſes; qui in obeunda huius prouinciæ Præfectura, uſu, & integritate, & diligentia plurimum præſtitit; ipſiq. Nonagintauiri, cum pacem diu inter ipſos tractaſſent, tandem hoc anno, diuina ope, ad Tert. Non. Iun. faciendam; tabulis ea de re publicis confectis curauiſſent: & Præſes ſeuerioribus edictis, accurataq. opera, magnam ceterorum exulum, qui agrum moleſtabant, partem ſuſtuliſſet. Eodem hoc anno Rauennates, Antonium Mariam Saluiatum Epiſcopum S. Papuli, aggregarunt in ciuium, patriciorumque ſuorum numerum, tum hominis uirtute permoti, tum quòd Laurentium patrem, ciuem, Senatoremq. Rauennatem, & beneficum habuiſſent. Cum autem Ioannes baptiſta Rubeus, Carmelitani ordinis Generalis Præfectus, a ſuis monachis, qui erant in Polonia, per litteras eſſet certior factus, hæreticos in eo Regno plurimũ graſſari, religioſis uiris inde grauiſſima impendere diſcrimina, pias omnes in ſacra loca erogationes ceſſare, fructus & ſacerdotia, quibus monachorum familiæ ſuſtentabantur, eripi, vniuſque potiſſimum Petri Barzy, uiri Senatorii ac religioſiſſimi beneficentia, ac liberalitate vniuerſum ſacratorum uirorum ordinem ſuſtentari, Rubeus de tota re Pontificem admonet, & quo loco conſtitui religio, breui, in illis Regionibus poſſet, niſi maturè conſuleretur, oſtendit. Pontifex verò adhi-

bito

bito ad intimas harum rerum conſultationes, cum aliquot ampliſſimis viris, Rubeo, eius maxime conſilio ſcriptæ ſunt ad Sigiſmundum Poloniæ Regem, & ad Barzeum a Pontifice litteræ: quibus deinde Rex magis animatus, Danzicam opulentiſſimam urbem ad fluminis Viſtlæ oſtium, accedit, & quem antea non admiſerant, Pontificis internuncium in eam introducit. Inſequens annus etiam mēſe Martio a piratarum excurſionibus adeo funeſtus noſtris litoribus accidit, ut aliquot cohortes Rauennam, iuſſu Pontificis præſidio venerint; cum tamen antea per menſem Nonagintauiri, & eorum aſſeclæ forum, & portas aſſidua ſtatione cuſtodiiſſent, & quia vrbi cladem minitauerant pleræque eorum biremes, littoribus tutandis præfecti a Senatu. III. Non. Maii fuerant, Cæſar Raſponus cohortium ductor, Ioannes Aldrouandinus Comes, Vitalis Indiuinus, cognomēto a Sale cohortium itē ductor, & Iacobus Lunardus eques. Hoc eodē anno Carolus Borromeus Cardinalis, huic Prouinciæ Legatus a Pontifice tributus eſt, cum Bononienſem etiam gereret. Sub quod idem tempus, cum diu Rauennates, de Fauentinis eſſent conqueſti, quòd Ruſſium Reipubl. Rauennatis opidum iniuſte occuparent; præſertim cum Polentani; in quorum iura Iulius ſecundus Pont. Max. Rempubl. Rauennatem ſuccedere voluit; multis annis iuſte illud poſſediſſent, dominantibusq. deinceps Venetis illuc noſtrates, Prætores, qui ius dicerēt, ex ciuibus ſuis, uſq. a patrum noſtrorum memoria, mittere conſueſſent; litem huius rei Fauentinis intenderunt; quæ adhuc propterea eſt ſub iudice, quòd alio tunc Rauennates cauſis neceſſariis auerſi rem minus, ut uidebatur, neceſſariam omiſerint. Pars enim ad Meliteum bellum, Seleimano Turcarum Principe inſulam acriter oppugnante, in ſubſidium equitum Rhodiorum, & qui Hieroſolymitani ſunt, acceſſit; Pars ſeuerioribus edictis vehementer commota eſt, quibus edictis, ipſe pæne cruor elici noſtris videbatur: nam cauerant Pontificii ærarii Præfecti, ne quis e ciuibus triticum; præter illud quod eſſet ad uictum neceſſarium; emeret, extra unum Bergomatem eorum adminiſtrum & procuratorem, quem rogare etiam, ut emeret eo pretio quod ipſi eſſet uiſum, oportebat. Quamobrem agricolæ, & ciues egentes, qui ſuperiore anno tritici modium, quinq; atque etiam ſex Rauennatis pecuniæ libris, uadimonio conſtituto, in hanc meſſem emerant, ut modium unum ſoluerent, duo triaue uendere cogebantur; ut innumera alia prætercam damna, quæ inde ad ciues noſtros manabant. Sed ad finem anni Pio Quarto decedente, non nihil hæc remiſſa ſunt. Fuit Pius muniendæ Rauennæ percupidus: cumq. Archiepiſcopatum noſtrū per Vicarium adminiſtrandum curaſſet, Vrſianam ædem ſacris ueſtibus multis donauerat compluribusq. aliis beneficiis exornarat: nec dubium eſt, quin falſis Quæſtorum conſiliis deprauatus, ſeuera illa edicta pronunciari iuſſerit: perſuaſerant enim illi multum ad Rauennates emolumenti ex tritici mercatura accedere, illudq. commodum ſatius fore, ſi Romano ærario inferretur. Hoc anno, Breſichella nobile opidum a Franciſco Eſtenſi ad eam diem poſſeſſum, ad ceteram Pontificiam huius Prouinciæ adminiſtrationem adiungitur, cum eſſet Lucius Saxus Præſes. Haud ita multo poſt, inſequentis anni initio, Michael Giſlerius Alexandrinus, ex D. Dominici familia; quem Paulus Quartus Cardinalem fecerat; Pii Quinti deſumpto nomine Pontifex Maximus, diuino plane miraculo, creatur. Cuius creationis nuncius, tanto Rauenna-

ANN. M. DLXV.

ANN. M. DLXVI.

tium

tium plauſu exceptus eſt, Pacificatorumq. præſertim, uix ut dici queat. Nam ſuperioribus annis, Pontifex, Cardinalem gerens, Hieronymi Rubei, qui hanc ſcripſit hiſtoriam, & tum Romæ erat, ſtudio, atque opera, cum Pacificatorum ordinem in fidem, clientelamq. receperat. Itaque ſupra omnes domorum ianuas, in quibus ex nonaginta viris quiſpiam habitaret, inſignia Pōtificis gentilitia in pariete figunt, mox tormentorum diſploſionibus, ſacri æris ſonitu, & ignibus per aliquot dies accenſis, ingentem ſignificationem maximæ lætitiæ præbent: quæ tamen, Vitalis Indiuini morte, nonnihil imminui viſa eſt; cum enim ſtrenuiſſimus hic Dux una cum Ioanne Aldrouandino, Pandulfini filio, & Pomponio Spreto equite Pauli Iordani Vrſini uocatu, Florentiam fuiſſet profectus, ut in nuptiarum celebritate; quam erat Franciſcus Medices, Coſmi Etruriæ Ducis, filius, ducta vxore Ioanna Ferdinandi Cæſaris filia, habiturus; Vrſino ſpectati comites adeſſent, ibidem, magno Vrſini mœrore; qui virtutem hominis ſibi iam diu perſpectam, uehementer amabat; exceſſit e uita: cadauer Rauennam allatum, & in D. Franciſci ad ſepulturam datum eſt. Vt autem ad hilaritatem lætitiæ a Rauennatibus, ob Pii Quincti Pontificatum, acceptam redeamus, Rauennates ad illum Oratores miſerunt, Cæſarem Raſponum cohortium ductorem, Ioannem Arigonum, medicum, & Alexandrum Sopranum iuriſconſultum: Ac nequaquam concepto gaudio defuit euentus; nam cum ineunte uere, piratæ, captis aliquot in Rauennatium, Ceruienſium, Senogallienſiumq. litoribus cum uiris tum feminis, deprædandi finem non facerent, curauit, ut Veneti Anconæ triremes perpetuo haberent, quibus hanc oram tuerentur: menſeq. Martio Iulium Feltrium ab Ruuere, Vrbinatium Cardinalem, Franciſci Mariæ filium, Archiepiſcopum optimo profecto, ac plane diuino conſilio nobis dedit. Deinde ab omni tumultus ſuperioris culpa, ſi quam fortaſſis contractam fuiſſe, quiſpiam vmquam aſſereret, diplomate dato, Rauennates omnes liberauit. Mox pacis cogitationes uerſans, breuiores omnes gladios, graui interdicto, uetuit. Cumq. inſtante meſſe, ærarii Præfecti, non modo quæ ſuperiore anno fecerant, ſed multo etiam peiora facturi, edixiſſent, ut tritici manipuli a uillæ præfecto numerarentur, ipſeq. & herus, quiſque ſeorſum, eum numerum deſcriptum, Quæſtoris Vicario traderet: neque herus, & agricola diuidere inter ſe, ut moris eſt, triticum collectum, niſi inſpectante ruris parocho, poſſent, his Pontifex acceptis, omnia abrogauit, priſtinamq. noſtris libertatem reſtituit: ſtudebat enim Eccleſiæ Dei, & Antiſtitum, omniumque tandem moribus conformandis; quibus corrumpendis auaritia poſtrema non eſt. Cum autem quales in Republica Principes, tales & reliqui eſſe ſoleant, populusq. Romanus, Pontificem compoſitioni morum intentum, imitatus, aliquot ciuibus delectis, marium, & feminarum cultum in veſtitu moderatus eſſet, Rauennæ etiam non ſolum eſt idem factum, ſed quando puerperæ, lectum, & cubiculum exornare, non abſque multis impendiis conſueuerant, ut mulierum puerperam ab omni vrbis parte ſalutatum venientium oculis abunde ſatisfieret, ornatui modus eſt præſcriptus, & cautum ne extra uiciniæ mulieres, aliqua puerperam inuiſeret. Ceterum hæc, ut diligenter præſcripta, ita deinceps nequaquam ſeruata ſunt, pleriſq. non ferentibus, nobiles, ignobilesq. mulieres in multis exæquatas. Nec diu poſt Iulius Ruuereus Archiepiſco-

piſcopus, qui abdicato Vicetino Epiſcopatu, hunc Archiepiſcopatum libenter acceperat, ne optimi paſtoris deeſſet officio, Rauennam venit, ad Quinct. Kal. Nouembr. cum pridie ad D. Apollinaris Claſſenſis diuertiſſet; vbi omni apparatu accipere venientem Archiepiſcopum, eius cœnobii monachi, uetuſto iure tenentur. Itaque primum gemino ab vrbe ſtadio, a decora Rauennatium iuuentute, egregio cultu inſtructa, cuius Principem gerebat Hieronymus Raſponus, Ludouici filius, mox ad portam vrbis Vrſicinam a Iuſtino Spreto equite, Magiſtratus ciuitatis Principe, & ab omnibus ſacerdotum, Rauennatiumque ciuium ordinibus, triumphali pompa exceptus eſt. Præibant Archiepiſcopum complures muli ſarcinarii, elegantibus, verſicoloribusq. operimentis contecti. Ad hos ſequebatur totius aulæ familia, multis doctis, præſtantibusq. omni laudum genere uiris conſpicua: ſecundum quam ſacrati omnes viri hymnos præcinentes, magnaq. ſeruorũ a pedibus multitudo. Ipſe inſigni mula, ſolemni ueſte purpuratus, ſub quadrata vmbella, a noſtris iuuenibus, qui latus eius honoris cauſa cingebant, ſuffulta, multis Epiſcopis, Antiſtitibus, ceterisq. minoribus ſacerdotibus, & multis nobiliſſimis ciuibus, tum eius Imperio ſubiectis, tum etiam Rauennatibus, qui illi obuiam fuerant profecti, comitantibus, per uias feſta fronde, periſtromatis, & aulæis elegantibus exornatas, omnibus, qui eo prætereunte ingeniculabantur, manu in crucis effigiem ducta, modeſta grauitate, bene dicens, ad ædem Vrſianam prouehitur. Quemadmodum uero umbellam a noſtris factam, ſerui a pedibus Archiepiſcopi, ipſo templum ingrediente, de more, arripiunt, ita Rauennates iuuenes mulam occupant, paulo poſt ab Archiepiſcopo, nummis aureis centum redemptam. Archiepiſcopus ubi ad aram maximam Deo & D. Apollinari Archiepiſcopo ſupplicauit, diuertit ad Portuenſe cœnobium: ibiq. paucis poſt diebus Octauius Abbioſus Auguſtini ciuis Rauennatis filius, luculenta oratione, nomine Reipubl. Rauennatis, lætitiam ab omnibus acceptam explicauit, eumq. mirifice laudauit. Is autem accipiendi Archiepiſcopi mos, noua nequaquam cærimonia, ſed antiqua multo grauiore, atque honoratiore, ſeruabatur. Nam quo tempore Exarchi Rauennam incolebant, Roma Archiepiſcopus, pallio a Pontifice exornatus, rediens, diuertebat ad D. Apollinaris in claſſe; vbi, aliquorum eſt ſententia, Marinianum Archiepiſcopum, monachos D. Benedicti conſtituiſſe; ſic tamen ut Canonici etiam eodem in templo, ſacra cum Archiepiſcopo facerent: licet poſt non multos annos, tum ob interna ciuium Rauennatum diſſidia, tum ob pericula a Longobardis, cum ordinem fere omnino inde deiectum; Zacharias Pontifex reſtituerit, uti ſupra memorauimus. Cænabat autem ibidem veſperi Archiepiſcopus, eiusq. familia omnis impenſa monachorum: poſtridie mane cum ſacris affuiſſet, multiq. illi Rauenna obuiam profecti adueniſſent, Abbas, & monachi, ſacratis induti veſtibus, ad fores templi, cum thure, & aqua benedicta, egredienti occurrebant; ipſeq. medius inter Abbatem & unum e Cardinalibus Rauennatis Eccleſiæ præcedentibus ordine monachis, ad crucem marmoream, quæ eſt ſecundum templum, perducebatur. Ibi primo ſedens in parata ſella, mox aſſurgens, ingreſſus cum verſiculum, Sit nomen domini Benedictum, cetera de more, quæ habentur in ſacratis libris, proſequebatur. Sacro deinde ſigno Crucis Abbate, & monachis obſignatis, omnibusq. qui aderant,

rant, Rauennam uerſus uenienti, attigenda erat ædicula, iuxta pontem D. Laurentii, qui hodie non ſupereſt, ibidemq. in ſacra veſte, Diuæ Mariæ in Coſmodim mitratus Abbas, cum monachis illi ſuis obuiam factus, ſolenni precatione certos hymnos, ac laudes Græce pronunciabat: erat enim Coſmodianum cœnobium Græcis monachis addictum. Mox D. Laurentii ædem ingreſſus Archiepiſcopus, ad aram maximam ſupplicabat, deinde ſacram induebat chlamydem, & mitram capite accipiebat de Abbatis Coſmodiani manibus: atque ita in conſpectum prodibat. Conſcendenti deinde equum albo panno linteo ad id muneris contectum, comites ſeſe iungebant Cardinales Rauennatis Eccleſiæ duo, cum ipſe inter Archipresbyterum, & Archidiaconum medius equitaret: cum autem paululum erat progreſſus, ſcribas offendebat, quibus cum faciebat pacta: Inde ad pontem portæ Vrſicinæ; quæ & Saſſina, ab urbe Saſſina, quam reſpicit, antiquitus conſueuerat appellari: initio pontis, Rauennatis Eccleſiæ phonaſcos, ſacerdotes, atque hypodiacones in ſacra ueſte, hymnos, ac laudes concinentes, benigne audiebat. Aderat ad eundem pontem miles, qui Parcitatus uocabatur, nouis & præſtantibus ueſtibus inſignis, ſed, quocumque eſſet anni tempore, abſque ocreis aut itinerariis, aut vrbanis. is manu ad equi frenum admota, per uiam Regalem, ad gradus ædis Vrſianæ Archiepiſcopum perducebat. Verum antequam vrbis portam Archiepiſcopus intraret, pro illa adſtabant, duo diſtrictis enſibus armati, capite & facie contectis, qui nequaquam ingredi Archiepiſcopum patiebantur, uſque dum ſponſores non appellaret. Vrbem ingreſſus, obuios ſacro ſigno crucis ſignabat; ſcribis Rauennatibus, qui ordine Archiepiſcopum præcedebant, letanias Græce pronunciantibus. Antecedebat proxime Archiepiſcopum ipſe Exarchus, ſolenni in Chlamyde, qui regium Archiepiſcopi ſceptrum, ſibi ad D. Laurentii in manus ab Archiepiſcopo traditum, uſque in templum Vrſianum; ad aram Diuorum Archipræſulum, deferebat. Aderant Archiepiſcopo ad Vrſianæ ædis limen Cardinales Rauennatis Eccleſiæ, in ſacra ueſte, qui cum ad aram maximam adducebant, ubi, ea omnia, quæ ex ſacratis libris hac de re ſcriptis, poſſunt cognoſci, ab Archiepiſcopo religioſe peragebantur. Armati, qui diſtrictis gladiis pro vrbis porta, ſtabant, erant ex antiquioribus Rauennatibus ſcribis, nec alii, quàm Rauennates, aſſumi ad id muneris poterant. Sciſcitabantur autem ab Archiepiſcopo, Quis es tu? Quibus ille, Archiepiſcopus Rauennas ego ſum, dominum cognoſcite ueſtrum. At illi, a quo huc es miſſus? Quibus Archiepiſcopus, a ſede Apoſtolica, pallio ornatus. Adhuc illi, Quid uenisti? Quibus ille, ad iura tuenda huius Eccleſiæ, defendendosq. pupillos & uiduas; necnon ad ſeruandas uetuſtas huius Eccleſiæ conſuetudines, easq. maxime, quæ ad ciues ſpectant & populum huius almæ vrbis. At illi: Quem nobis horum omnium appellas ſponſorem? Quibus Archiepiſcopus, Dominum Exarchum, & huius Rectorem urbis appello. Tunc ipſis armatis, enſe nudato, ſupra caput Archiepiſcopi, in crucis formam, ponentibus, Archiepiſcopus ſub ea cruce quaſi iurans, portam vrbis ingrediebatur. Equum, cui conſidebat, cum ex eo deſcendiſſet, accipiebat equeſtris ordinis ille, qui eum per frenum deduxerat: idemq. prandenti Archiepiſcopo miniſtrabat, annuloq. potiebatur, quem ſibi detrahebat e digito. Archiepiſcopus, cum a

pran-

prandio lauabat manus. Eius item erant, & malluuia, & gutturnia, quibus vſus fuerat ad fundendam aquam lauandis manibus ante prandium, & a prandio: mappæ quoque & mantilia, & chiromactra, & cultelli, & cibi omnes, qui e menſa auferebantur. Curabat Exarchus contra, ut quadratam vmbellam, ſub qua Archiepiſcopus equitabat, ſex iuuenes Rauennates, omnium nobiliſſimi, ferrent, de publico, caligis e cupo nouis induti, & chirothecis e capreoli pelle ornati: quam umbellam Archiepiſcopi familiares deinde habebant. Erat autem e panno purpureo, pellibus precioſiſſimis infarcto; in cuius medio eleganti artificio, acu picta, gemmisq. & margaritis, Eccleſiæ Rauennatis inſignia videbantur; in area rubra, alba crux, in cuius dextro latere, candidiſſima columba: Sub id tempus, autem quo Ruuereus Archiepiſcopus Rauennam primum venit, profectus fuerat in Galliam ab Emanuele Philiberto Allobrogum Duce uocatus, Brunorus Zampeſcus ciuis Rauennas, multiq. ſecum Rauennates alii ciues, cum plerique proceres denuo in Regem noua molirentur; equitibus autem ducentis, duobusq. peditum millibus præfectus, cum iam centum veteranos equites non tam oloſericis ſagis, & egregiis criſtis ornatos, quàm bellica virtute præſtantes, adiuncto ſibi octodecim patritiorum comitatu, eo adduxiſſet, adeo ſtrenuam Regi nauauit operam, ut Allobrogum Dux tercentos illi nummos aureos in menſtruum ſtipendium conſtituerit, & paulo poſt, ſedato tumultu in Italiam redeuntem, in equeſtrem D. Michaelis ordinem cooptandum curauerit. Interea Ruuereus Archiepiſcopus ad kal. Nouembr. qui dies ob Diuorum omnium memoriam celebris habetur, in æde Vrſiana, inſigni religione, ſummaq. grauitate, & tanta populi frequentia, ut ædes uix caperent, ſacra ſolennia celebrauit, omnisq. pænæ peccatis debitæ, iis qui adfuiſſent, veniam tribuit, a Pio Pontifice impetratam: aditum poſtea cunctis, atque aures ſumma benignitate præbens, dum cultui diuino inſtaurando, ſacratorumq. virorum moribus conformandis operam daret, templa omnia parochorum, hoſpitales domos, ſacrarum Virginum clauſtra, Ioanne Baptiſta Maremonte ForoSempronienſi, Vticenſium Epiſcopo, eius Vicario, Bernardino item Pino Callienſi, & aliquot aliis uitæ integritate, & præſtanti doctrina clariſſimis viris ſecum adhibitis, accurate inuiſit. In quo munere ſacratiſſimæ Euchariſtiæ locula, & umbellas, altarium ornamenta, ſacras ueſtes, & alia huiuſmodi, pro dignitate, conficienda iuſſit; ſic tamen ut ne reddituum ratio prætermiſſa imprudẽter uideretur. Incredibile autem dictu eſt, quàm humaniter & paterne parochorum auaritiam, & in cultu diuino peccata; ſi qua erant, reprehenderet, caueretq. ne quis ex iis qui ſecum adeſſent, quicquam uſquam patefaceret. Sacram ueſtem multiplicem & precioſam Vrſianæ ædi elargitus eſt: Pueris, qui ſacris inſeruiebant, breuioribusq. ſagulis ſatis indecore utebantur, cōparari togas iuſſit; cantusq. rationem, quæ neſcio quid uetuſtatis Græcæ adhuc referebat, reduxit ad Romanum modum; & Conſtantium Portam Cremonẽſem, cucullatum Franciſcanum, muſices arte adeo præſtantem, ut inter primos, omni Italia, phonaſcos, muſicesq. magiſtros, omnium conſenſu, numeretur, Patauio; ut ædis Vrſianæ cantoribus præeſſet; acciuit. Vitæ ſanctimoniam, mores, integritatem ſacerdotum ad ſacri Tridentini Concilii normam, publicatis editis, inſtituit. Sacerdotia, Archidiaconatumq: præſertim,

qui ob Iulii Pignattæ Rauennatis interitum vacabat, & Præpoſituram, quam Lucidum Vrſinum Romanum, Ioannes Raſponus Rauennas geſſerat, qui & ipſe obierat per hos dies, illum Hoſtaſio Ginnanno, hanc Bartholomæo Baſſo iuriſconſultis Rauennatibus, & quas parochias uocant, noſtris aliis ciuibus, dum eſſent apti, dedit, in diesq. cum ſeſe occaſio fert, præbet. Illud uero ſatis difficile iudicatum, ipſe facile abſoluit, dum multos nobiles, & gratia Principum potentes cum Rauennates, tum exteros, qui plura curata, ut aiunt, & alia incompatibilia ſacerdotia poſſidebant, unicum tantum retinere, cetera Archiepiſcopo, aliis diſtribuenda, tradere coegit; ipſosq. Rauennates Canonicos, qui non modo perraro ſacra faciebant, ſed neque ſacris erant initiati, & ſingulo anno vix ſemel aut iterum ad ſuam ædem Vrſianam ſe conferebant, ſacerdotes fieri, remq. diuinam ſæpe facere, atque operari curauit: ipſo id non verbis modo, ſed etiam exemplis ſuadente, ac mandante, qui incredibili patientia, tametſi occupatiſſimus, & maximis ſemper negociis diſtrictus, totos fere ipſos dies in templo, ſacris aſſiſtens, nihil omnino curare aliud, quàm diuina, uidebatur: neque feſtis ſolum diebus, ſed etiam profeſtis frequenter, atque etiam interdum noctibus, iis præſertim, quæ ob natalem Chriſti Dei, & ob eius ab inferis excitationem celeberrimæ habentur. Itaque Rauennates tot adducti beneficiis, eum apertis ſuffragiis, maximoq. ſtudio, in Senatu pridie Kalen. Nouembr. patronum ciuitatis adoptarunt. His omnibus quæ ad Rauennates lætitia peruenerat ſumma, & maxima, parum abſuit, quin in lacrymas uerteretur: nam inſequentis anni initio

ANN. M. DLXVII.

ForumSempronii Ruuereus proficiſcens, uix Arimino egreſſus, euerſo carpento, quo uehebatur, quattuor generoſiſſimis equis, & eximiæ ferocitatis acto, in ſummum uitæ diſcrimen adductus eſt, ominoq. actum de illo uidebatur, niſi precibus ab ipſo ad Deum fuſis, uotoq. Diuæ Mariæ Lauretanæ facto, equi ferocitate, atque impetu uehentiſſime concitati, ingenti miraculo ſtatim reſtitiſſent. Interea Pius Pontifex, agitatione Taurorum, quæ fieri quotannis Rauennæ, ut in aliis quoque ciuitatibus, in foro, magnoq. interdum malo, conſueuerat, ſanctiſſimè ſublata, ne Rauenna piratarum, ce terorumq. excurſionibus pateret, huc miſit, uniuerſa huius oræ maritimæ ciuitatibus ſuis muniendis præfectum, Cæſarem Vaſcum Alexandrinum: creatiq. a Senatu, qui cum eo de hac re agerent, Cæſar, Raſponus, cohortium ductor, Laurentius Monaldinus, Auguſtinus, & Iacobus Lunardii, equites. Nec diu poſt, cum ſe Guaſcus amanter geſſiſſet, ciuis, Senatorq. Rauennas eſt factus. Iulius Archiepiſcopus, paulo poſt Rauennam regreſſus, aſſidue totam quadrageſimam ſacris concionibus interfuit, templa inuiſit, & egentibus, qui re cognita, quo Cardinalis proficiſcebatur, frequentes conueniebant, quotidie magnam ſtipem præberi a Quæſtore iuſſit; cum ſacris domibus tum Virginum, tum hoſpitalibus, mulieribus item & uiduis, quæ in paupertate erant, nequaquam pauca in dies tribueret. Sacris initiaturus ſuæ diœceſis homines, ipſemet accurate omnes interrogauit; quod & de iis fecit, qui a confeſſionibus erant futuri. Adhæc eorum qui ſimultates inter ſe exercerent nomina deſcripta cum præberi ſibi ſtuduiſſet, minime contemnendam flammam reſtinxit. Maiori hebdomada, & perpetuo ſacris interfuit, & die Iouis ſancto inter ſacra ſolemnia ab ipſo confecta, ſacratis omnibus ædis

Vrſia-

Vrſianæ viris, Magiſtratui Sapientum, Nonagintauiris, ſuæq. familiæ, ſa-
cratiſſimam Euchariſtiæ hoſtiam communicauit; & tredecim pauperibus, al-
bis, de ſuo, ueſtibus indutis, pedes abluit, ſingulisq. nummum aureum, &
linteolum ad emungendas nares elargitus eſt, omnibusq. epulum præbuit.
Paſchatis mox diebus feſtis pari religione tranſactis, & Concilium diœceſa-
num habuit, & Eccleſias omnes, quæ ſub Archiepiſcopatus Rauennatis di-
tione ſunt, non quæ in agro Rauennati ſolum, ſed in Ferrarienſi, & uſque
Rhodigium, ſtudioſe inuiſit, reſtituit, & exornauit. Archiepiſcopatus Præ-
torium uetuſtate collapſum, & ſitu pæne obrutum, Architectis optimis adhi
bitis, in elegantem faciem, non ſine ingenti impenſa, multis præclaris cubi-
culis, atque aula inſigni, reduxit. Hoſpitales domos, quæ ſex erant, Diui
ſcilicet Barnabæ, Diuæ Catherinæ, D. Ioannis Baptiſtæ, D. Ioannis Euan-
geliſtæ, D. Apollinaris, & Diuæ Mariæ Virginis, cui a Cruce cognomentum
eſt, coniunctis prædiis & fructibus, duas tantum facultate a ſummo Pontifice
impetrata, fecit, alteram Diuæ Mariæ a Cruce, Diui Apollinaris alteram,
quam Trinitatis appellauit; ea lege, ut omnes illa ægrotos, hæc qui exponun
tur infantes acciperet, aleretque. Nec diu poſt, Pontificii diplomatis auctori-
tate, Romæ anno M D L X V I I I. Decimotert. Kalen. Mart. dati, Cano-
nicorum Cardinalium nomine abrogato, Canonicos omnes Rauennates, ANN. M
nomine Canonicatus æquales fecit: Seminariumque puerorum Rauenna- DLXVIII.
tum; quorum bonam indolem res anguſta domi opprimebat; non minore
pietate, quam religione, & labore inſtituit, egregie ædificata domo, eo lo-
co, ubi Diuæ Catherinæ hoſpitium fuerat, accitisque ſumma diligentia ad
id munus aliquot præſtantibus uiris, qui eos bonis artibus, moribusque in-
ſtruerent. Grammatices doctorem inſtituit M. Antonium Granellum Ra-
uennatem Canonicum eloquentia clarum. Conſtantius Porta Muſicæ præ-
ceptor fuit: qui omnes, Iulio Archiepiſcopo ſæpe inuiſente, & id maxime
curante, adeo diligentem nauarunt operam, ut breui magnos pueri progreſ-
ſus fecerint, & ſpem non dubiam præbuerint, fore, ut aliquando Rauen-
nas Eccleſia multis doctis uiris exculta ornataq. uideatur. Ceterum di-
ligens Archiepiſcopi ſtudium, nequaquam tot perſancte inſtitutis conten-
tum, uetuſtæque dignitatis reuocandæ cupidum, hic non perſtitit, ſed; ut
optimus paſtor; cogniturus, quæ ſint illius oues, & qua ratione curarentur,
indixit prouinciale Concilium. In qua re, opus Archiepiſcopo haud minus
potenti, ac diligenti, profecto fuit, multis ſubiectis Epiſcopis ſeſe libe-
ros, neque Rauennati Archiepiſcopo ſubiectos, in tanta rei intermiſſio-
ne, aſſerentibus: ducentos enim, & quinquaginta iam annos derelictam
huiuſmodi ſubiectionis ſignificationem reuocanti, ſi recte conſideremus,
maxima auctoritas & diligentia, ſummusque labor fuit adhibendus. Pie-
tatis autem, & religionis officia Archiepiſcopus non omittens, cum in-
dicti Concilii tempus aduentaret, primum quidem ad eos, quos alebat
perpetuo domi familiares uiros doctos, ſummosque Theologos, alios un-
diq. euocatos adiungit: idem facit de phonaſcis, ut diligentiori cultu ſacra
fierent. Et, ne quicquam incommodi Rauennatibus accederet, compor-
tari commeatum ForoSempronii, ſuisq. ceteris e regionibus iubet. Quæ
omnia quanta impenſa fierent, ut explicetur, neceſſarium non puto. Hoc

inſigni apparatu, tantaq. optimi Archiepiſcopi beneuolentia, religione, & ſtudio, ueterisq. dignitatis reuocatu, quàm maxime lætos Rauennates, magis adhuc Ioannis Baptiſtæ Rubei, generalis; uti docuimus; Carmelitanorum Præfecti aduentus, exhilarauit; qui ex Hiſpania, Luſitaniaq. rediens, diuino plane miraculo, in Gallia, Hugonottorum denuo, tumultus nuper miſcentium, manus impias euaſerat. Erat autem alter iam annus, cum Philippi, Hiſpaniæ Regis, uocatu, & Pio Quinto Pont. Max. hortante; a quo ob id Commiſſarius, ut aiunt, Apoſtolicus factus eſt; in Hiſpaniam, ac Luſitaniam contenderat. Vbi multis nobilibus equitibus Hiſpanis, extra nobiliores vrbes ſibi obuiam effuſis, ad portas autem Decurionibus ciuitatum, & maximarum ædium phonaſcis occurrentibus, eo maiore plauſu, ac dignitate acceptus eſt, quod nulla fere eſſet memoria, eius ibidem florentis ordinis magiſtrum, illuc acceſſiſſe. Confluebant paſſim undique Hiſpani tum ſuopte ingenio, tum Regis exemplo maxime religioſi, ut manus exoſcularentur, & orbiculorum funiculo traiectorum coronam, qua Deiparam Virginem ſalutamus, a Pontifice ita expiatam, ut pœnæ peccatis debitæ condonatio, piæ recitantibus exhiberetur, de manu Rubei acciperent. Ad Regem Hiſpanum, qui Mantuæ, Madril ab eis appellatæ, commorabatur; cum Rubeus adiiſſet, ab eo ita acceptus eſt, ut menſæ Regiæ accubuerit, omnia, quæ petiit, obtinuerit; ipſoq. Regis ore; qui ſe ex Italia per litteras ita edoctum dicebat; apud aulæ, Regniq. proceres, ſummæ virtutis laudem fuerit conſecutus; mox Reginæ, id enixe poſtulanti, ſatisfacturus, eius filiam certis precationibus expiauit. Triduo poſt, miſit Rex Vargam ſibi a ſecretis, & qui & Rubeum inuiſeret, &, uti concionaretur, ſuo nomine peteret: ſed iam inde Rubeus diſceſſerat, omni Hiſpania a ſacro Tridentino Concilio conformationem præſcriptam, in ſuum ordinem introducturus: per litterasque ſe apud Regem diligenter ea maxime de cauſa purgauit, quòd ſibi, extremo congreſſu, diſcedendi facultatem petenti, nihil tale ſignificaſſet. In Luſitaniam deinde Oliſipponem profectus, cōfeſtim a Sebaſtiano Rege, annos tredecim nato, ab Henrico item Cardinali, infante uocato, ceterisq. Regia ſtirpe ortis, proceres aliquot aulæ miſſi, qui eorum nomine ſalutarent Rubeum. is autem Rege, ceterisq. omnibus, ſumma obſeruantia, paulo poſt, in Prætorio ſalutatis, nō potuit rogatu Regis, ac auiæ aſtrictus, quin longo iam tempore intermiſſam cōcionandi conſuetudinem reuocans, ad quinct. kal. Ian. anni MDLXVII. ſacra habita concione, de optimi Regis officio, coram ipſo Rege, Reginaq. & ceteris Regni proceribus, lingua Caſtulonenſi diſputaret: Quæ res adeo omnium animos permouit, ut ſummis flagitationibus Oliſipponenſes equites; quando Regiæ concioni non fuit datum, ut omnes intereſſe poſſent; apud ſe concionem haberi a Rubeo contenderint: quod Rubeus kal. Ianuarii eodem anno fecit. Rauennam igitur regreſſus, & magna ciuium ſuorum gratulatione acceptus; quamquam multis negociis ſui ordinis impeditus, & Romam properans, ut Pii Pontificis iuſſu, diuinis ueteris inſtrumenti libris ad uulgatam editionem reducendis, una cum M. Antonio Amulio Veneto, Guillelmoque Sirleto, & plerisque aliis Cardinalibus, ac præſtantibus uiris intereſſet; tamen non minus Sapientum Magiſtratus rogatu, quàm hortatu Ruuerei Archiepiſcopi, die a Paſchate octauo, in æde Vrſiana, pæne innumerabili hominum

minum

minum tum aduenarum; qui Concilii gratia Rauennam uenerant; tum Rauennatium ſuorum multitudine, concionatus eſt, cum autem hoc temporis ſpatio tempus Concilii præſtitutum, kalendæ ſcilicet Maiæ, aduenifſent, ii Antiſtites Vrſianam in ædem congregati ſunt. Iulius Feltrius ab Ruuere, Vrbinatium Cardinalis, titulo ſancti Petri ad vincula, Arcis, Soræque Dux, & Archiepiſcopus Rauennas; Ioannes Cardinalis Moronus, Mediolanenſis; Mutinenſium; Gabriel Cardinalis Paleottus, Bononienſis, Bononienſium; Alexander Cardinalis Sfortia, Romanus, Parmenſium; Lelius Garutſus Pius; Saſſinenſium; Baptiſta Groſſus Mantuanus, Regienſium; Alfonſus Roſettus Ferrarienſis, Ferrarienſium; Scipio Sanctacrucius Romanus, Ceruienſium; Iulius Pariſanus Tolentinas, Ariminenſium; Iulius Canus Ferrarienſis, Hadrianorum; Odoardus Gualandus Piſanus, Cæſenatium; Franciſcus Guarinus Tifernas, ForoCornelianorum; Ioannes Baptiſta Sighicellus Bononienſis, Fauentinorum; Hercules Sacratus Ferrarienſis, Cymaclienſium; Antonius Zanottus Montagnanenſis, Foroliuianorum; Franciſcus Ruſticutius Faneſtris, Faneſtrium, Ioannes Baptiſta Maremontes Foroſempronienſis, Vticenſium Epiſcopi. Auguſtinus Molignattus Vercelſis Britonorianus Epiſcopus, quòd erat ægrotus, intereſſe non niſi per procuratorem potuit: eiuſq. accepta eſt excuſatio. Omnium poſtremus Ioannes Antonius Bonhomus Cremonenſis, Abbas Nonantulanus, numeratus eſt. Cum itaque Cardinales, & Epiſcopi, ceteriq. minores ſacerdotes, quiſque ordine, conſediſſent, in medio autem præalta in ſede mitratus Archiepiſcopus, ueteris dignitatis honorem referret, letaniis pie pronunciatis, ſacra ſolemnia, admirabile, & vario cærimoniarum modo, & eximio phonaſcorum concentu, incredibiliq. hominum frequentia, operante Archiepiſcopo, peracta ſunt. ſecundum quam Bernardinus Pinus uir diſertiſſimus, ſuggeſto ligneo conſcenſo, ſplendidam orationem habuit, qua vtilitatem conciliorum prouincialium oſtendebat, eiuſq. diei, quæ feliciſſima Rauennati populo illuxit, lætitiam explicabat. Eo tacente, Archiepiſcopus ſua in ſede grauiter exorſus, declarat, initio Archiepiſcopatus ſui, ut corruptos mores conformaret; deprauatam diſciplinam ad normam ſacroſancti Tridentini Concilii reſtitueret, fidem catholicam, ac vere orthodoxam, Euangelicamque in animis populorum confirmaret; iuſſis patrum, qui huiuſmodi prouinciales ſynodos, in concilio eodem Tridentino, mandaſſent, pareret, animum ad illud prouinciale habendum Concilium adieciſſe, nullisq. cuiusvis generis incommodis retardari a tam ſalubri inſtituto potuiſſe: ſimili enim omnium aliorum Epiſcoporum opera, perſancte actitata, maximam opem comparandam fore, ad ſedandam procellam, qua iam multarum externarum gentium animi uehementiſſime commouentur, & longe maximum Reipubl. diuturnis affectæ malis diſcrimen imminet: ſperareque ſe, benignitate Dei, diuorumque immortalium, qui recta incedentes uia nuſquam fefellerunt, adiuncta Pii Quincti Pontificis Maximi, atque optimi, diligentia, iis cœptis ſumma euentus felicitate reſponſuros. Quamobrem omnes hortari, atque obſecrare, ut, quando ſtudia, cogitationesque ſuæ omnes ad rem Chriſtianam iuuandam mirifice conuerſæ, atque directæ eſſe debent, omni alia cura poſthabita, quo ad eius fieri poſſet, accurate,

quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum ſunt neceſſaria, in eo conuentu, cum Dei auſpicio, & nomine, agerent, & conſulerent. Quibus dictis, Camillus Perutius a Mondulfo iuriſconſultus, & Ruuerei Archiepiſcopi a ſecretis, cauſarumque iudex, qui actis Concilii præerat, in medium prodiens, omnes; qui adeſſe deberent; nomine appellauit; cunctis, extra Epiſcopum Placentinum, reſpondentibus; quòd is multo pertinacius, quàm reliqui, ſe minime Rauennatis Eccleſiæ ſubiectum affirmaſſet; cui & a Leonardo Moriſio iuriſconſulto Rauennati, Concilii, (ut aiunt) promotore dicta dies eſt. Facta demum, primum ab Archiepiſcopo, deinde a ceteris; ex laudabili maiorum conſuetudine, & Pii Quarti Pontificis præſcripto, ſuæ fidei confeſſione, reliquisque cærimoniis, quæ in Pontificum editis libris habentur, prima ſeſſio kalendarum Maiarum abſoluta eſt. In altera, quæ Tert. Non. Mai. eſt habita, poſtquam ſacris, & cærimoniis de more peractis, nomine Alexandri Sfortiæ Cardinalis, Parmenſium Epiſcopi, luculentam orationem Canonicus Parmenſis habuit, Ioannes Baptiſta Marcmontes, Epiſcopus Vticenſis, Ruuerei Archiepiſcopi Vicarius, pro ſuggeſto ligneo paruo, ad id muneris accommodato, eorum partem, quæ decreta fuerant, recitauit: reliquorum recitationem tertia, eademq. poſtrema ſeſſione ad Sept. Id. abſoluens: quam ſeſſionem extremam Franciſcus Vicedominus Ferrarienſis, cucullatus Franciſcanus, Ruuerei Archiepiſcopi Theologus, eleganti, & docta oratione plurimum exornauit, dum ſingularem explicauit Archiepiſcopi pietatem, atque prudentiam, ingentemq. omnium, Rauennatiumque præſertim, lætitiam, arque eo maiorem, quo diuturnius, atque acrius hæc Conciliorum prouincialium Rauennatium conſuetudo, diſturbata, diſſipata, intermiſſaq. tunc demum ſingulari Dei omnipotentis beneficio, ſanctis Tridentini Concilii inſtitutis, & ſumma Iulii Ruuerei Archiepiſcopi, non tam cura, & ſumptu, quàm felicitate, ac laude, reuocata videbatur. Recitatis decretis, quibus ad ſummam cauebatur, ut omnia ad ſalutem noſtram pertinentia, pure, caſte, atque ex more, inſtitutoq. maiorum tractarentur, cum Parres placere ſibi reſpondiſſent, dimiſſum eſt Concilium; Archiepiſcopo, Epiſcopi Placentini contumaciam; quæ eſt illius benignitas, atque clementia; minime perſequente; cum tamen ſeruentur adhuc in Vrſiana Bibliotheca tum Stephani ſecundi, tum Eugenii Tertii Pontificum Maximorum diplomata, quibus, Placentinus Epiſcopus, Rauennari Eccleſiæ ſubiectus explicatur. Dictu autem fuerit difficillimum, quanrum alacritatis, & gaudii ad Rauennate manauerit, quantumq. uel unam hanc ob rem; ſe Ruuereo obligatos dicerent. Cernebant enim ueteris dignitatis ſplendorem illum Eccleſiæ Rauennati magnam partem reſtitutum, quo olim Archiepiſcopos Rauennates fulſiſſe, uetuſtis edocti monumentis non ignorabant, cum non ii modo Epiſcopi, qui huic Concilio interfuere, ſed Feretranus, Foroſempronienſis, Senogallienſis, Vrbinas, Piſaurenſis, Callieñſis, olim ſancti Angeli; Eugubinus, Brixellenſis; quod opidum hodie caret Epiſcopatu, D. autem Gregorii tempore habebat; Epiſcopi, & Galiatenſis D. Hilari Abbas, Archiepiſcopo Rauennati ſubiecti, Rauennam ad prouinciale Conciliũ cõueniebanr: ipſeq. Archiepiſcopus omnis Flaminiæ, Aemiliæ, ac Piceni Primas, litteras plũ

bo

bo obſignaret: duarum coronarum diademate; quod appellant Camaurum: quemadmodum ad huius exemplum Beneuentanus Archiepiſcopus; in capite uteretur; & omni orbe crucem, ſacrumq. æs Campanum præſeferret, manuq. ad crucis effigiem ducta, vſque ad primum ab Vrbe, ſeu ubi Romanus Pontifex commoraretur, lapidem omnes obſignaret, aliaq. præterea innumera Pontificum & Cæſarum priuilegia, atque inſignia obtineret. Neque uerò id ambitione aut ſuperbia inflatus, ſed pro ſacræ dignitatis maieſtate, qua ceteros quoq. Antiſtites, ſanctitate, & Chriſtiana animi demiſſione alioqui clariſſimos, iiſdem uſos conſtat: Siquidem mille iam & ducentis amplius annis, ſummos Pontifices, dignitatis cauſa, curru per urbem deuehi & more Principum ſplendidiſſimis & exquiſitiſſimis epulis uti conſueſſe, Ammianus Marcellinus, tametſi noſtræ religionis hoſtis, auctor eſt. Diuum etiam Ioannem Chriſoſtomum maximo cum ſplendore, & comitatu incedere ſolitum tradit Nicephorus: & in Alexandrina Eccleſia, Cyrillum, Epiſcopatum, ſummam pompam, & apparatum penè Regium ducentem, ſuſcepiſſe, ſic ut inde prophana ad eum negocia deferrentur. Ceterum Ruuereus, neque his ſummis & maximis beneficiis, quibus Rauennatem ſuam Eccleſiam affecerat, ſatiatus, diplomate Pontificio impetrato, Canonicis noſtris, qui iam diu mitrarum, mapularumq. uſum intermiſerant; eum amictum, quo utuntur Romani Canonici; Rochettos uocant & Capparellas; conceſſit: & ſacellum, quod in Prætorio Archiepiſcopi, ab Ioanne Archiepiſcopo viro ſancto, ob reuocatum ad vitam uiduæ puerum, ædificatum memorauimus, pictura præſtanti, egregioq. ornatu reſarcitum, ad Tert. kal. Iun. conſecrauit, dedicauitq. & appoſita pœnæ peccatis debitæ remiſſione, iis, qui religioſe illud inuiſerent, ut libera mulieribus inuiſendi facultas eſſet, cum omni familia ad D. Apollinaris in Claſſe diſceſſit. Vnde poſtridie reuerſus, ex D. Dominici familia Nicolaum primo Britonorianum, virum doctum, mox Vincentium Capellum, Rauennatem, ſummum Philoſophum, ac Theologum, ſex & uiginti annos natum, cui, & ſui ordinis Patres graues honorificasq. prouincias demandauerant; acciuit, qui ſacratis uiris ædis Vrſianæ, profeſtis diebus, priuatim; feſtis, publice in eadem æde diuinos libros interpretarentur, & uiam domini monſtrarent. Vrſianam quoque Bibliothecam reſtituit: uetuſta monumenta, quæ diuerſis rapinis ſuperfuerunt, redigi in ordinem iuſſit; & graui edicto; etiam in prouinciali Synhodo ab ſe promulgato; cauit, ne quocumque prætextu, & quacumque data cautione, ſcripta, præſertim archetypa, extrahi inde poſſent: quod quidem ſi ſuperiores aliquot Archiepiſcopi ſeruaſſent, omnibus, quæ ad maieſtatem & utilitatem Rauennatis Eccleſiæ faciunt, monumentis, ſpoliata inſignis illa, & locuples olim Bibliotheca, nunc minime conſpiceretur. Cum autem ſacras D. Zachariæ Virgines, ex ea incommoda habitatione, ad D. Ioannis Euangeliſtæ hoſpitium, traducere decreuiſſet, elaborauit, uti D. Vitalis monachi Caſinates, qui illi D. Zachariæ cœnobio propinqui ſunt, illud emerent: quod & factum eſt; Rauennatibus, vicum, qui inter utriuſque cœnobii fines medius erat, & ad vrbis muros pertinebat, monachis, Archiepiſcopi gratia, concedentibus. Ex ea autem pecunia, hoſpitalem D. Ioannis Euangeliſtæ domum, apte ædificatam, & ad cœnobii formam reductam, ipſis ſacris Virginibus æ-

dificauit. Nec diu etiam poſt, cucullatos Franciſcanos, cognomento Capuccinos; pietatis ſtudio, & Seueræ vitæ diſciplina, inſignes, quorum, ut ceterorum etiam Franciſcani ordinis Collegiorum, patronus eſt; Rauennam habitatum adduxit, Diuiq. Ioannis Baptiſtæ hoſpitium, egentibus olim, uti meminimus, dicatum, dum aptiorem inuenirent locum, tribuit. Cum uero paulo poſt iis, atque aliis confectis, Franciſcum Mariam, Guidubaldi fratris, Vrbinatium Ducis, filium, optimæ ſpei adoleſcentem, redeuntem ex Hiſpania, hilatiter accepiſſet, ſecum Vrbinum eſt regreſſus; Ioanne Baptiſta Maremonte Epiſcopo Vticenſi, hic Vicario relicto, qui ab eo Concilii Patribus aſſentientibus, ſancita, ſeruanda ſtuderet: quando; ut dicere conſueuerat; medicamentum ſalutare compoſitum & paratum, niſi ſumatur, ac per uenas in omne corpus diffundatur, morbum non expellit. Quemadmodum autem in iis, quæ cultum diuinum ſpectant, Rauenna eſt plurimum exornata, eodem modo in reliquis uiſa eſt ad priſtinam hoc anno dignitatem reuocari, Valentis Montis, Flaminiæ Præſidis, uiri integerrimi, ac pæne ſingularis, qui iam diu Franciſco Guarino Epiſcopo ForoCorneliano, in hac Præfectura ſucceſſerat, opera: is enim in Prætorio ſacellum exornauit, eleganti pictura conſpicuum, e quo in ædem D. Sebaſtiani deſpectatur. Vias urbis corruptas, lutoq. fœdas, & nimium depreſſas, eleuari, ſterniq. lapidibus, Arimino, aliisq. locis deuectis, procurauit. Pomœria vrbis, ab Aſcanio Corneo; qui ad muniendam vrbem hanc, Pii Quarti iuſſu, uenerat; præſcripta, uti diximus, & iam incepta, omni Flaminia ad id pecuniam conferente, ut abſoluerentur, ſumma diligentia iuuit. Portam Vrſicinam uetuſtate collabentem, ut Rauennates præclare, uti nunc uiſitur, inſtaurarent, ſtimulos admouit: conſuetudinemq. inuexit, ut ad ſonitum ſacri campani æris; quo ad ſalutandam Deiparam virginem, ueteri, laudabiliq. inſtituto, veſperi, excitamur; gemina accenſa funalia emitterentur, duobus ex utraque parte factis foraminibus, circa eiuſdem Virginis imaginem marmoream, quæ in pariete D. Sebaſtiani eſt; omnesq. qui in foro tum adeſſent, genibus innixi, coram ipſa imagine religioſe ſalutationem Angelicam recitarent: cum interea ſumma præditus facilitate morũ, & modeſtia, animos omnium leniter tractando, non minore iuſtitia, quàm tranquillitate, ius diceret. Ne uero quidquam hoc anno eſſet, quod Rauennæ inſtauratum non uideretur, nouum ordinem recitandarum precum diuinarum, atque hymnorum, ex præſcripto Tridentini Concilii, Pius Pontifex Rauennatibus ſacratis viris, indixit: quamquam id toto Chriſtiano orbi fuit commune. Sacrarum item Virginum Franciſcanarum, Diuæ Claræ, & D. Pauli cœnobia, quæ ad eam diem eiuſdem ordinis cuculati rexerant, Archiepiſcopo gubernanda, moderandaq. tradidit: quod & omni Italia, ciuitatum Epiſcopis, factum eſt. Acceſſit adhæc Ioannis Baptiſtæ Rubei, Carmelitanorum Magiſtri, ardens ſtudium, qui ſua impenſa ſacram D. Ioannis Baptiſtæ ædem, reſarciuit, & in elegantem formam reduxit, eiuſq. agrorum culturam, & cetera ornamenta, atque commoda non omiſit. Idem fecit Theſeus Aldrouandus Bononienſis, in D. Ioannis Euangeliſtæ, cum eius domus, cui Abbas præerat, fructus; ab ſe diligenti accurataq. ratione plurimum auctos; qui alendis ſociis ſupererant; ad eam rem adhibuiſſet. In eo autem inſtaurato templo multa ſunt ſane elegantia; fornix præſertim,

ſubter quem ara eſt a D. Ioanne Euangeliſta; Placidia & Barbatiano contuentibus; conſecrata uti ſupra memorauimus: quam cum aqua hieme circumdare, vndique conſueſſet, Aldrouandus, argilla munitam ab ea iniuria immunem uindicare eſt conatus. Adeſt quoque græco ex marmore ſuggeſtum, marmoreis columnis quattuor ſuffultum; ut ſcalas interim omittam, quibus aſcenditur ad aram maximam; & feneſtras, atque oſtia opere egregio, ac perelleganti. Viſitur ad hæc tempeſtatis Placidiæ, & conſecrationis templi hiſtoria, à Franciſco Longo Rauennate, Lucæ, optimi ætatis noſtræ pictoris, filio, iuuene præſtanti, picta: ſic ut eæ facile imagines, comparari cum illis poſſint, quæ eodem in templo, in ſacello Crucifixi, Zoti Florentini manu, adhuc extant.

HIERONYMI · RVBEI

HISTORIARVM

RAVENNATVM

APPENDIX . QVI . ET

LIBER . VNDECIMVS

SCRIPSERAM, Septemdecim iam annis, Rauennatem Hiſtoriam, & cum pro uirili parte patriæ a me ſatis eſſe factum putarem, perluſtratisq. huius ciuitatis tabulariis & bibliothecis, pauca admodum eſſe, quæ mihi tum non innotuiſſent, exiſtimarem, ita abieci omne conſilium ſcribendæ Hiſtoriæ, ut neque aliam aliquam legendam mihi ducerem, niſi ſi qua ſacra eſſet, & ad pietatem excitandam faceret: intereaq. ab ingraueſcente ætate admonitus, ut ſarcinas colligerem, antequam proficiſcerer è uita, ut uocanti, euocantiq. Domino, non omnino imparatus reſponderem, uulneribus ante actæ ætatis cicatricem obducere, & ab eis in poſterum diligentius, ipſo Domino adiuuante, cauere, quoſq. Deus dederat liberos, non minus corporeo cibo alere, quàm in timore Domini, ad ipſius gloriam atque laudem, erudire, magnopere curabam. Cum ecce Gregorii XIII. ſummi Pontificis, Bononiæ patriæ ſuæ dignitati conſulere, & Quadragintauirum, ceterorumq. eius ciuitatis Magiſtratuum precibus ſatisfacere cupientis, de Archiepiſcopatu, ut aiunt, Bononienſi, rumor increbuit. Quo nuncio grauiter hæc perculſa ciuitas, cùm ad multa, ſe, pro retinenda uetere ditione, apud Pontificem, molienda accinxit, tum uerò a me etiam atque etiam contendit, ut hanc totam ſui conatus, qualiſcumq. futurus eſſet exitus, hiſtoriam, litteris conſignarem, ne in tanto, tamq. præclaro negocio, turpiter ceſſaſſe, a poſteris crederetur. Non potui, neque uerò debui, enixè petenti chariſſimæ, & de me, meisq. omnibus optimè meritæ patriæ diu id negare, tametſi aliò auerſa iam ſtudiorum & uitæ ratio, difficilem hanc mihi prouinciam redderent. Itaque Dei clementiæ, Diuorumq. Archiepiſcoporum precibus, de quorum ditione agitur, confiſus, tandem admoui manum ad calamum: cumq. multa eſſent monumenta, ad agendam Romæ cauſam, uetera euoluenda, arcas quaſdam exhauſi, quas haud ita diu antequàm in morbum incideret, huic ſemper Ciuitati amabilis, Iulius Ruuereus. S. Ro. Ecc. Cardinalis, & Archiepiſcopus noſter, ex nonnullis Italiæ Ciuitatibus, ubi latebant, habuerat, & in tabularium Vrſianum inferendas iuſſerat. In his, cum aliqua ſanè digna memoratu reperiſſem; quando hæc ſe

diuulgandæ

diuulgandæ denuò Rauennatis Hiſtoriæ occaſio tulit, nullis præſertim uſquam in Italia exiſtentibus apud bibliopolas, prioris editionis, exemplaribus, ea ad Hiſtoriam ſuis locis adieci, & quæ in priore editione, pagellis, in quibus illa deſcripſeram, decidentibus, librarii omiſerant, reſtitui: & tempora, quæ præpoſtera, eadem ferè de cauſa, poſuerant, emendaui. Ceterum ne omnino ad cauſam, tot annorum interrupta ſpatio, quaſi per mediam uoraginem, excurreret Hiſtoria, aliqua interpoſui, quæ tantum continuare aliqua ratione filum poſſent. Quod idcirco dixi, ne quis aut miretur, aut doleat, ſi ſe præteritum, aut præclara eius facinora: quæ multa Rauennatium ciuium hoc tẽpore fuerunt; prætermiſſa uiderit, cum Hiſtoriam ſcribere Rauennatem illorum annorum non fuerit conſilium. Dabitur fortaſſe, ut nos aliàs, aut alii longè melius quàm nos, ea deſcribant. Interea quod propoſitum eſt, exequamur.

Dimiſſo Iulius Archiepiſcopus Concilio, reiectiſq. antequàm abirent Epiſcopi, aliquot eorum ſubſcriptionibus, quibus ſe nequaquam uti ſubiunctos, ſed ſuopte ſtudio, uoluntateq. ueniſſe, aſſerere uelle uidebantur, haud ita diu poſt abiit ForumSempronii. Rauennates per idem tempus, ut Ioanni Mariæ Brugnolo, iuriſconſulto Ticinenſi, huius Moderatori vrbis, id poſtulanti, gratum facerent, ampliſſimo Senatus conſulto, immunes eſſe Ticinenſes, ab eo uectigali iuſſerunt, quod uetuſto iure, pedites, equitesve per vrbem quotannis frequentiſſimi tranſeuntes, conſueuerant pendere ad eam diẽ. Quo Ticinenſes accepto, ut referrent par pari, & ipſi Brugnolo ciui ſuo ſatisfacerent, Franciſco Bozulo iuriſconſulto, vno ex eius vniuerſitatis Abbatibus, ad Senatum referente, Non. Decemb. eadem Rauennates immunitate donarunt. Abierunt hoc anno ex hac urbe Iudæi, Pii. V. Pontificis Max. iuſſu, qui acerrimo diplomate exterminari illos ex Eccleſiaſticæ ditionis ciuitatibus mandauerat. Quamquam enim tolerabat illos Eccleſia, miſerata illorum uicem, ut Chriſtianis, frequenti illorum aſpectu, Chriſti Dei mors, uerſaretur ob oculos, & Iudæi Chriſtianorum exemplis, ac doctrina, ad amplectendam Chriſtianæ fidei ueritatem; quam reliquias Iſrael, iuxta Diuini uatis oraculum, accepturas, conſtat; incitarentur; a qua ſi ablegarentur ad alienos, longius multò abeſſent, tamen cum & uſuris grauibus exigendis, & latronibus, furibusque, etiam rerum Eccleſiaſticarum, recipiendis, magicis artibus, ac lenociniis mulierum exercendis, illorum impietas iam eò proceſſiſſet, ut pro communi omnium incolumitate expediret, tanti uim morbi, celeri remedio coercere, omninò eos eiiciendos è ciuitatibus decreuit. Romam interea Iulius Archiepiſcopus ſe contulerat, a Pio Pontifice, ob tot Rauennæ res præclarè geſtas, ſumma beneuolentia complexus: ibidemq. poſtero anno, Concilii ſui Prouincialis decreta, typographorum prœlo imprimi curauit, & Rauennam; ut ad omnes inde Prouinciales peruenirent, miſit. Annus inſequens, qui fuit ſeptuageſimus ſupra milleſimum quingenteſimum, nouum habuit Prouinciæ Rectorem, Alexandrum Sfortiam Cardinalem a Pontifice Legatum, cum iam vrbis Romæ Moderatorem, Montem Valentem, huius, ad hanc diem, Præſidem Prouinciæ, animo conſtituiſſet. Rauennates, hominis uirtuti de ſe optimè meriti, ut aliqua ex parte ſatisfacerent, illum, eiusq. filium Alfonſum, antequam Prouincia decederet, XVI. kal. Febr. ciues fecerunt ſuos, & in Senatum cooptarunt. Vt autem ingredienti in

ANN. M. DLXVIII.

ANN. M. DLXIX.

ANN. M. DLXX.

pompa

Pompa hanc vrbem Sfortiæ, Bononienſi quoque legatione decorato, Ciuitas, quo ad eius fieri poſſet, in uiarum ornatu, cultuq. pro dignitate occurreret, ex Senatoribus ſuis delegit ad id munus quateruiros, Cæſarem Amadutium, Alexandrum Sopranum iuriſconſultum, Hieronymum Monaldinum, & Ioannem Aldrouandinum cohortis Præfectum: qui magnifico ac ſolenni apparatu, omnes eorum muneris partes egregiè ſuſtinuerunt. Ipſe Legatus Nonis Maii, ab Iacobo Lunardo equite, Magiſtratus Principe, ſacratisq. omnibus uiris ac populo, ex more ad portam Vrſicinam receptus, cum in Vrſianam ædem perueniſſet, ac ciuem Rauennatem, latinè populi Rauennatis nomine de eius aduentu dicentem, audiiſſet, rediit in Prætorium, & iuuenes, qui obuiam illi, Domitio Lunardo Duce, proceſſerant equites fecit, administrationemq. Prouinciæ magna cura iniit. Proficiſcens deinde, prolegatum hic reliquit, Innocentium Sorbolongum, Foroſemprontenſem, ſpectata uirum prudentia. Per idem tempus Portuenſibus, & D. Ioannis Euangeliſtæ Canonicis, qui Saluatoris dicuntur, ad hæc D. Vitalis, qui ſunt Caſſinates, & Camaldulenſibus monachis, magnum erat expediendæ pecuniæ negocium, ſic ut aliquot nonnulli ob id prædia uendiderint, concedente Pio Pontifice; qui ut rem Chriſtianam publicam, & propterea Venetos iuuaret, aduerſus Selimum Turcarum Imperatorem, Cyprium ab eis Regnum, poſtulantem, iamq. ingenti claſſe inſtructa, magna illud mole aggredientem, Portuenſi, Saluatoris, Caſſinati Camaldulenſiq. & octo prætera religioſorum ordinum conſociationibus, aureorũ nummum tributum ad quadringenta millia impoſuerat, accuratiſſimeq. tractabat, ut Chriſtiani orbis Principes, fœdus inirent in hunc bellum. Initio autem anni, Rauennæ, reſpondit extremum, uiis inſigni pompa, portisq. triumphalibus, a noſtris ciuibus, qui omnem eius apparatus curam Vincentio Bellino, Cantiano Zangio, cognomento Scapuccino, Leonardo Moriſio iuriſconſultis, & Pomponio Spreto equiti mandauerant; egregiè ornatis; ob Lucretiæ Eſtenſis aduentum, Herculis ſecundi Ferrariæ Ducis filiæ, & Alfonſi ſecundi tum uiuentis ac Regnantis ſororis, quæ noua nupta, ad Franciſcum Mariam Ruuereum, Guidi Vbaldi Vrbini Ducis filium, maritum, cum inſigni nobiliſſimorum uirorum, mulierumq. famulatu proficiſcebatur. Ingreſſa Rauennam eſt, poſtero ineunte anno: III. Non: Ianuar. ſub quartam horam noctis, cum Ferrariam reliquiſſet ingenti ac diuturno terræmotu miſere quaſſatam. Eam Principem Iulius Archiepiſcopus, mariti patruus, ſuis Archiepiſcopatus ædibus accepit, magnificè planè ac ſplendidè, biduoq. apud ſe eſſe uoluit. Quadrageſimã ſumma religione, & magno pietatis ſtudio exemploq. traduxit, & Piſauro in patriam redeuntem Hieronymum Ruuereum, Subalpinum, Taurinorum Archiepiſcopum, quem nuper Sixtus. V. Pont. Max. Cardinalem fecit, Sanctum Paſcha, & aliquot deinde dies, hic agere ſecum uoluit, cunctaq. perluſtrare, quæ ipſe, Diuini amplificandi cultus, & Rauennatium ſalutis ſtudioſiſſimus, præclara conſtituiſſet. maiorem in dies, ſi ab Antiſtite, tantis ingenii, probitatis, ac doctrinæ ornamentis inſtructiſſimo, probarentur; ad ea proſequenda alacritatem accepturus. Quod & accidit, neque enim potuere, præclara pro confirmandis moribus, & augenda religione, opere, a religioſiſſimo, doctiſſimoq. Antiſtite, non uehementer laudari. Itaque Iulius Archiepiſcopus. IIII. Non. Iunii, ſolemni in-

dicta omnium ordinum ſupplicatione, ueſpertino abſoluto officio, ad locum, ubi ædificandam decreuerat ſacram Capuccinorum patrum ædem, proceſſit, cruceq. ibidem ingenti lignea fixa, D. Mariæ Angelorum titulum adſcripſit: Mox. VI. Non. Iulii, mane, cum Fabius Menichinus Prolegatus, nuper in Sorbolongi decedentis locum ſuffectus, & multitudo Rauennatium ſumma frequentia adeſſet, eundem locum, primumq. quadratum lapidem, circum inciſis, quæ rem hanc ſignificabant, litteris, expiauit, & manu ipſe ſua in fundamentis locauit, cum aliquor iam fuiſſent, cum ipſius nomine ac imagine numiſmata argentea, ipſi lapidi ſubiecta. Adhæc candelabra ex elaborato argento magna, ſex, Vrſianæ Eccleſiæ uſibus, curauit, & candelabrum deinde maius, eiuſdem operis, cum cruce adiunxit. Diœceſim omnem, omniaq. ſacrarum uirginum cœnobia, magno labore inuiſit: nec diu poſt, eodem menſe Iulio, Forum Sempronii diſceſſit. Aduenere autem X. kal. Auguſti, Rauennam, Cardinalium ampliſſimorum, Michaelis Bonelli, & Hieronymi Ruſticutii, Pontificis nomine ſcriptæ litteræ, quæ ſignificabant, ducenta penetraſſe in huius maris ſinum, claſſis Turcicæ nauigia; itaque diligenter vrbem hanc maritimam præſidio confirmarent. His ſtatim acceptis litteris conuocatur Senatus, decerniturq. certus cuſtodum numerus, agitare & Nonaginta uiri ſuas ipſi uigilias cœperunt: Qui habitarent tertio ab urbe lapide, edicto pronunciato, in vrbem reuocati. Ceterum cum XIII. kal. Septembr. Sfortia quoque Legatus per litteras adhuc magis ad præſidia incitaret, quòd ſcriberet, Claſſem omnem Turcicam, quæ tercentis conſtare diuerſi generis nauigiis ferebatur, peracerbè cladem maritimis Eccleſiaſticæ ditionis Ciuitatibus; Rauennæ præſertim atque Arimini; minitatam fuiſſe, quòd ſciret, paucis ante menſibus, accurata unius Pontificis opera, fœdus ſecum, inter Philippum Hiſpaniarum Regem, & Venetos factum, ſummumq. illius imperium ad Ioannem Auſtriacum, Philippi fratrem, delatum, Rauennates quatvor uiros militari uirtute præſtantes, Senatores ſuos crearunt, qui ne quid ciuitas detrimenti caperet, curarent, & tuendæ vrbi operam nauarent. Fuere ii, Cæſar & Raphael Raſponii fratres, cohortium Præfecti, Iacobus Lunardus eques, & Ioannes Aldrouandinus, cohortium item Præfectus Ab iis quotidie, ueſperi, agreſtes quinquaginta uenire in urbem iuſſi: qui equos domi haberent, ciues, ii diuiſo æqualiter munere, noctu ad maris excubabant litus. Nonagintauiri ad forum uigilabant: nec diu poſt Sfortia Legatus, ut propius adeſſet, in Flaminiam uenit, & Cæſenæ conſedit: cum interea ipſi quoq. Veneti, quod acciperent Caracoſſam & Luccialim Archipiratas, omnia in hoc ſinu obuia populari, & claſſem omnem ad oram Dalmatiæ appulſam, cum capta iam Famaguſta; poſtquam ſuperiore anno Nicoſiam expugnaſſent; trucidatisq. inſigni barbariè ac perfidia, Marco Antonio Bragadeno, Aſtore Baleono, ceteriſq. immortali uirtute Ducibus, ſeſe vniuerſo iam mari latè potiri arbitrarentur, & oram omnem maritimam propediem occupaturos, ſemper aliàs ſuopte ingenio feroces, ſed tum maximè ob recentes uictorias, animis ſuperbè inflati, ſperarent, portum Venetum inſigni munitione firmarunt, & toto litore, & ad foſſam Clodiam, fortiſſimis accitis copiis, præſidia conſtituerunt, omninoq. ingentis aliquid mali ſucceſſurum uidebatur, niſi omni tandem fœderatorum claſſe, iubente Ioanne Auſtriaco e Meſſana vrbe Siciliæ educta; quo

Seba-

Sebaſtianus Venerius, Venetarum triremium, Marcus Antonius Columna, Pontificiarum ſummi Duces conuenerant; & ſeſe claſſis Turcica recepiſſet, & Nonis Octobris, Diuino aſpirante numine, a noſtra, ad Echinadas, Naupacteumq. ſinum, celeberrima in omnem poſteritatis memoriam uictoria, profligata, liberum maris dominatum noſtris reliquiſſet. Huius nuncius uictoriæ XIII. kal. Nouembr. Rauennam allatus, incredibili ciuitatem gaudio compleuit, excitatisq. ad ueſperam publicis ignibus, ac ſacri æris campani læti ſſimo ſono, diſploſisq. multis maioribus tormentis, ingentem Rauennates lætitiam celebrarunt, vniuerſo orbi Chriſtiano communem: cum iisdem etiam diebus, mira & planè prodigioſa omnis generis fructuum ubertas cunctis ſtirpibus erumperet, ac Rauennates horti, ceteros Italicos imitati, ad adulti ueris ſimilitudinem, ſingulari iucunditate floreſcerent: & quidem merito, quando ſine magna noſtrorum clade, amplius, quadraginta hoſtium millia cæſa ſint, decem uerò amplius millia capta, centum nonaginta quinq. illorum triremes, aliaq. complura nauigiorum genera in noſtrorum poteſtatem uenerint, plus quindecim captiuorum noſtrorum millia liberata ſint. Interea cum Anconam Pontifex, maritimis hoſtium incurſionibus maximè omnium opportunam munitionibus firmare maturaret, Sfortia Legato Rauẽnam ueniente, idq. a noſtris, Pontificis nomine, poſtulante, certæ in quatuor menſes operæ, publico ſumptu, decretæ ſunt: Mox ipſe Legatus Sfortia, Sfortianaq. illius gentis omnes; quòd ſibi minime ingratum futurum, pro ea qua Rauennates proſequebatur beneuolentia, ſignificationem dederat; ad ciues, Senatoreſq. Rauennates, XI. kal. Octobris aſciſcuntur. Pius Pontifex; qui hanc uictoriam, eadem, qua habita eſt hora, diuinitus nouiſſe dicitur; cum moliretur maiores adhuc progreſſus, dimiſſis ad Principes Chriſtianos internunciis, omnes in eam ſanctam belli ſocietatem conuenire ſtuduit, Carolum præſertim nonum Gallorum Regem, in quo maximum eſſe momentum putabat, cum præſertim Epiſcopum Axenſem ad Selimum miſſſe diceretur. Itaque Antonium Mariam Saluiatum, Epiſcopum, quamquam ex eadem, paucis ante menſibus, Legatione reuerſum, tamen propter ſingularem eius dexteritatem ingenii, & ſummum in agendis rebus iudicium, ſibi ualde probatum, denuò ad illum miſit, additis mandatis, ut in itinere, a Coſmo Mediceo, magno Etruriæ Duce, Lucenſi item & Genuenſi Rebus publicis, & Emanuele Philiberto Allobrogum Duce, auxilia depoſceret. Quæ cum diligenter curarentur, poſtero anno Kal. Maii. Pius, ex hominibus abiit. Princeps, licet vniuerſo Chriſtiano nomini perpetuò memorabilis, eaq. uirtute, ut incredibili populorum concurſu, magna opinione ſanctitatis, eius certatim inuiſeretur cadauer; tamen peculiari quadam ratione Rauennatibus carus: Nam cum in eo duæ potiſſimum uirtutes eminerent, religionis ſtudium ita ardens, ut nulla ſibi metuenda pro ea pericula, etiam ſi in expeditionem fuiſſet bellicam eundum, duceret, & grati animi in Principe, non eximia ſolum ſignificatio, ſed præclariſſimum etiam ceteris, in perpetuum, exemplum, hanc quoque in Rauennates ampliſſimè exercuit. Fuerat enim in hac vrbe, cum adhuc in Dominicana familia uiueret, aliquot annos, & in ſuo D. Dominici templo, diebus feſtis. D. Pauli Epiſtolas è ſuperiore loco explicauerat: cumq. nonnulla accepiſſet a Rauennatibus commoda, eorum numquam memoriam depoſuerat.

Itaque

Itaque ſtatim Pontifex factus, Silueſtrum Bondemanum equitem, aliqua tum negocia publica Romæ procurantem, ſibi eſſe a cubiculo iuſſit: Chriſtophorum Portum, nobilis opidi S. Archangeli quod eſt in Flaminia, medio inter Ariminum & Cæſenam loco, Prætorem fecit, vſque dum Sfortiæ Palauicino, qui illud nomine dotis, ob Conſtantiam Sfortiam uxorem, Pauli. III. Pont. Max. neptem repetebat, fuit deinde reſtitutum. Antonium Rolam, medicum, certa annua penſione donauit: Vrſicinum Gordium, optimæ iuuenem ſpe, litteris egregiè excultum, iam inde cum in Cardinalium collegium fuerat cooptatus, ad ſe uocauerat, ampliſſimis, ut putatur, muneribus ornandum, niſi iam mortuum comperiſſet. Ad hæc Petrum Bordonum, iuriſconſultum, qui Paulo Quarto Pont. Max. a ſacris fuerat, uirtute hominis permotus, Vmbriatici, quæ in Brutiis mediterraneis ciuitas eſt, Epiſcopum fecit: & oſtenderat Vincentii Capelli Dominicani ordinis Theologi, de quo ſupra diximus, pergratam ſibi doctrinam & acre ingeniũ eſſe, & inſigni dignitate cohoneſtandam, cum illa narrantem Gregorium Boldrinum, Dominicanorum in Gallia Ciſalpina tum Prouincialem Præfectum, paulo poſt ab eo, Epiſcopum Mantuanum creatum, cum uoluptate audiiſſet, illumq. adhuc puerum ac penè infantem, ad induendum Dominicanum habitum aliquando fuiſſet hortatus, ac potius prædixerit: Cum autem ob aliquot inter Ariminenſes, & Iulium Pariſanum eorum Epiſcopum orta diſſidia, Romæ eſſet Pariſano diutius commorandum, ne quid caperet detrimenti Ariminenſis Eccleſia, Vicarium illi Pontificium, Cõmiſſarii titulo, Andream Stangam Rauennatem, iuriſconſultum, præfecit, qui Rhodigii, Ioannis Dominici Cuppi Cardinalis, Hadrianorum Epiſcopi, deinde in inſula Cypro Liuii Podacathari primum, mox Philippi Mocenici, Archiepiſcoporum Nicoſienſium; Leucoſiam eam pleriq. vrbẽ uocant; poſtea Aloiſii Michaelii Epetiorum; quos dicimus Spalatenſes; & Alexandri Lentii Firmanorum, Antiſtitum, Vicarius, cum magna integritatis laude fuerat. Manſit autem Arimini Vicarius Pontificius Stanga, uſque ad ipſius obitum Pii, a quo paulo ante pingui etiam fuerat ſacerdotio donatus. Vt nihil mirum ſit, ſi eius interitus maximè luctuoſus Rauennatibus acciderit, & eius funeri, quod ampliſſimum in æde Vrſiana, Maremonte Vticenſi Epiſcopo, Vicario, operante, celebratum eſt, frequentiſſimi, & triſtes admodũ interfuerint: quamquam in omnibus etiam urbis noſtræ templis id peractum, Ruuerei Archiepiſcopi iuſſũ: quo cunctis deinde ædium ſacrarum, quæ Rauennæ ſunt, ſacratorum uirorum atque mulierum ordinibus, preces ſunt indictæ, quibus rogaretur Deus, ut optimum Eccleſiæ ſuæ Pontificẽ cito daret. Quæ cum quotidie, ſed potiſſimum diebus feſtis, in æde præſertim maxima, poſtquam ueſpertinũ eſſet officium abſolutũ, ſacra Euchariſtia in aram maximam educta, magno ſilentio, mente in Cœlũ ſublara, efficerentur, altero poſtquam in conclaue Cardinales ſeceſſerant, die, admirabili ipſorum purpuratorum patrum conſenſu, Vgo Boncompagnus Bononienſis, Gregorii. XIII. aſſumpto nomine, Pontifex Maximus renunciatus eſt. Ad illum paulo poſt Oratores a Senatu miſſi, qui obſequium præſtarent, & impetrarent aliqua, Cæſar Raſponus cohortis præfectus, Ioachinus Thomaius, medicus, & Gaſpar Pignata, iuriſcõſultus & eques. Noua hoc anno, menſe Nouembri, Rauennæ ſeſe in conſpectum dedit ſtella, in Caſiopea, quod eſt ad Septemtriones ſydus: in quo cum ſtellæ ab Higi-

no & aliis, tredecim numerentur, quarum maximæ, tertiæ magnitudinis ſint,& ad hanc diem perpetuò fuerint, unde ab Arato, apud Ciceronem ſcribitur,

Obſcura ſpecie ſtellarum Caſſiopea.

hæc tamen æquabat primam, & ſi dicere fas eſt, ſuperabat, nitens, micans, vmbram iaciens in terram, Luciferi quandoque modo, atque ita demum collucens, ut Iouis fulgorem, qui tum Arietem luſtrans, haud procul aberat, & ſtellas ceteras propinquas, longè anteiret: Quæ cum omni etiam fuerit Europa uiſa, doctorum uirorum ad ſe contemplationem traxit, & ad exquirendas cauſas excitauit: ii autem nequaquam vnum ſenſere. Plerique affirmantes nouam omnino eſſe ſtellam, exemplum afferebant Hipparchi, qui, ut eſt apud Plinium, nouam ſtellam deprehendit, aut aliam ſæculo ſuo natam, eiusq. motu, qua die fulſit, ad dubitationem adductus eſt, an ne hoc ſæpius fieret: Sed iis, non minus a Philoſophis, qui nullam in cælo generationem conſtituerunt, aut interitum, repugnatum eſt, quàm a Theologis, Moyſem adducentibus, qui in libro Geneſis, *Perfecti*, inquit, *ſunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum, compleuitq. Deus die ſexta opus ſuum*. Non eſſe infra Lunam, hanc ſtellam, neque eo in orbe, quem poſuit Seneca, & Hieronymus Fracaſtorius, uir doctiſſimus, ab halitibus in ſublime, ipſius ui Caſſiopeæ, elatis; quod fieri aliquando poſſe, ſcribit Ariſtoteles; patere dicebant, tum quia micaret, quod inerrantium, ac longe remotarum ſtellarum ſignum eſſe idem cenſuit Ariſtoteles, tum quod nullam permutationem ſentiret, cum ab ætheris medio limite deſcenderet, ambæ enim ſeorſum conſpicerentur, quod minime fiebat. Neque etiam nouam eam lucem, coloremq. ex aere duci poſſe rebantur, quod huiuſmodi quæ apparent, haud ita diu, perpetuòve durant; hæc autem permagnam inſequentis etiam anni partem uiſa eſt; omnibusq. id Caſſiopeæ ſtellis, æqualis magnitudinis accidiſſet, quod tamen minime accidit. Itaque aliorum fuit ſententia, non luce, ſed magnitudine, auctam fuiſſe ſtellam, locumq. mutaſſe; nam prope genu cum eſſet, ad renes uidebatur; nonnulli poſteriorem hanc amplexi ſententiam, priorem de aucta magnitudine reiecerunt, quod omnem huiuſmodi in cæleſtibus globis mutationem, rationibus adducti phyſicis negarent. Ceterum neque ea tamen ratione mutaſſe locum, qua, de electra apud Higinum, & Ouidium, fingitur, ad Septemtriones abiiſſe, captæ incenſam dolore Troiæ, ſed aliquot tantum gradibus, quos eſſe duos aliqui tradiderunt: Cum enim non ſint cæli partes æqualiter craſſæ, ut circulus lacteus oſtendit, & Lunæ maculæ, atque ipſa tandem aſtra, potuit fieri, ea ut ſtella, proprio ſtelliferi motu, in quampiam proximi orbis inciderit partem, reliquis denſiorem, perquam denſius quoque redditum lumen, ſtellæ maioris ſpeciem referret: deinde uerò decedēs uideretur minor. Hæc melior uiſa eſt ſententia, quia paulo poſt, pes primùm Orionis, inde Corui ala dextra, quæ ſtellæ in auſtrali plaga habentur, maiore ſplendere luce, alioque colore nitere ceperint. Sed iam ſatis in cælo ſumus uagati, deſcendendum in terram eſt. Gregorius Pontifex, Præſidem huic Prouinciæ, præfecit Philippum Segam Bononienſem, qui, nouo ineunte an-

ANN. M. DLXXIII. no, Menichino Prolegato abeunte; Prouinciam ingreſſus, Rauennam uenit, ibidemq. XIIII. kal. Februarii, in Senatu, optimum Pontificis, ſuum in Rauennates,

nates, & uniuerſam Prouinciam, ſenſum aperuit: cum per eoſdem ferè dies, Guillel mus Gonzaga, Mantuæ Dux, Roma rediens, Rauennam ueniſſet, ac ſplendidè cum omni famulatu acceptus, ad Iacobum Lunardum equitem diuertiſſet. Hinc Dux ipſe Guillelmus, paucis poſt annis, Præfecturam, Mantuanam, Capitaneum vocant iuſtitiæ, Carolo Lunardo Auguſtini equitis filio, iuriſconſulto, virtute hominis perinotus, dedit. Cæterum cum aſſiduè biremes Turcæ prædatoriæ, Valona egreſſæ; quam ueteribus fuiſſe Apolloniam, in Macedonia, Aulonum nauale, putant; hæc maximè littora iam diu vexarent, res, atque homines, non cum in mari, aut nauigarent, aut piſcarentur modò, ſed in littore, ac flumine, ab urbe haud procul, ingenti damno, ac luctu ſuorum, captiuos abducerent, neque huic malo remedia adhiberi ulla poſſe, quæ eſſent ſalutaria, uideretur, omnibus Venetorum, ceterisq. nauigiis in claſſem uerſis, inſignis biremis. VII. Id. Mart. vehementi Aquilonis, & ſubſolani ui, in littus Rauennate, propè Sapim, ſub auroram, adacta eſt. Quod cum eſſet Rauennam allatum, ſtatim iuuentus eò Rauennas accurrit, piratasque, qui poſtquam biremem ſubducere fruſtra tentaſſent, aliquot ſe Pineti, & prope Candianum locis continebant, aggrediuntur, tandemq. leui, & tumultuario commiſſo prœlio, capiunt. Ea res, cum prima poſt tot calamitates accidiſſet, omnem incredibili gaudio ciuitatem affecit: ipſeq. Præſes, cum acciperet aduentare illos, ad ædē Vrſianam, Hieronymo Mathæutio, iuriſcōſulto Firmano præſtante, urbis Moderatore, & ciuitatis Magiſtratu; cuius tum forte Principem gerebat Hieronymus Rubeus, huius auctor Hiſtoriæ, & omni penè ciuitate comitatus, ſe contulit: actisq. magna gratulatione, Deo gratiis, maiore ædis egreſſus porta, ubi hinc atque inde genibus innixi iā piratæ collocati ordine fuerant, numero uigintiquattuor, Sega Præſes, Muſtafæ Archipiratæ iacentis, & abiecti dorſum ter uirga cecidit: poſtridie alii aduenere ſex, in Ceruienſi capti: omnesq. in cuſtodiam traditi: nec diu poſt, pars Romam ad triremes miſſi, aliqui pro noſtris captiuis commutati, vnus, aut alter Chriſtianus factus eſt. Sed cum neq. piratarum ob id incurſiones ceſſarent, Alexander Lignanus Bononienſis, cum ala equitum miſſus eſt, qui littus tueretur; Veneti; pace iam cum Selino Turcarum Imperatore facta, deq. illa apud Pontificem, qui eam ægre tuliſſe uidebatur, egregiè purgati, triremes inſtruxere; a quibus biremes deinde piratarum multæ, captæ ſunt: hortanteq. potiſſimum Sega Præſide, Turris ad Primarium Padi portum, in extremo littore, iuſſu Pontificis excitata, cuius beneficio, nautis ſignum daretur, adeſſe piratas. neque piratis in ſtatione, quæ prope eum portum, inuecta a Pado arena, tutum præbet nauibus receptum, morari in inſidiis amplius liceret: Redierat interea Rauennam Iulius Archiepiſcopus, & perpetuo ſuo conformandæ ciuitatis, & cultus Diuini amplificandi ſtudio incenſus, multorum inter ſe ciuium, priuatim, ob illatas iniurias, acerbeq. diſſidentiū, animos conciliauit, templa inuiſit, magna pietatis ubiq. exempla præbuit, & cum in via, nolæ ſonitum, quo, de uetuſtiſſimo more, Chriſti fideles ad ſalutandā Deiparam virginē occidente ſole, excitantur, audiiſſet, ita ut erat frequenti comitatu præeuntium, ſequentiumq. nobilium uirorum, ciuium, & aduenarum cinctus, genibus ſtatim nixus, & aperto capite, ſalutationem Angelicam recitauit. Quoniam verò Turcica claſſis denuò vrbibus Pōtificiis pericula intenderat, & niſi abducta alio a Chriſtianorum claſſe fuiſſet, ANN. M. DLXXIIII

aliquam fortaſſe tum tentaſſet huiuſmodi Prouinciam, Pontifex diligentius mandauit Anconæ munitionem perfici, tributis Rauennæ in eam rem, omniq. Prouinciæ impoſitis: & cum ſummum rerum militarium imperium Iacobo Boncompagno, arcis Romanæ Præfecto detuliſſet, iubet loca illum omnia Eccleſiaſticæ ditionis inuiſere. Itaque huius rei cauſa, initio menſis Iunii, Rauennam acceſſit a Sega Præſide magnificentiſſimo hoſpitio acceptus, & a Rauennate Republ. omnibus officiis, & aliquot egregiis muneribus exceptus. Ipſe uerò præclara ſingularis beneuolentiæ ſignificatione complexus ciuitatem omnem, ipſumque in primis ciuitatis magiſtratum, cuius tum erat princeps Hieronymus Zambellettus iuriſconſultus, cũ multa illi pro ciuitate apud Pontificem officia eſſet pollicitus, cumulatè omnia deinde præſtitit. Secum erant Hieronymus Boncompagnus, Pontificis fratris filius, Hieronymus Pepolus, & ſtrenui aliquot Duces; & poſtquam arcem, mœnia, denique vrbem omnem luſtrauit, locum etiam, in quo Galli, Hiſpaniq. ſexaginta iam amplius annis cruentiſſimo prœlio decertaſſe docuimus, adiit. Non minori Rauennas Reſpubl. proſequuta officio eſt, Philippum Boncompagnum Cardinalem, quem, Pontifex, fratris filium, Venetias Legatum mittebat, ad ſalutandum, officii cauſa, Henricum, Polonum Regem, qui nuncio de Caroli noni Gallorum Regis, fratris ſui, obitu accepto, ſtatim ſe è Polonia, cuius ſuperioribus menſibus Regnum, eò uocatus, magna pompa inierat, clam proripuit, magniſq. in Italiam itineribus contenderat. Peruenit Rauennæ Philippus Cardinalis menſe Iulio, & uix vnum hic diem, ſatisfacturus ciuitati, moratus, Venetias, mutatis ad celeritatem equis, conuolauit: Guidubaldus quoque Ruuereus, Vrbini Dux, cum extra vrbem ad D. Apollinaris in claſſe diuertiſſet, exceptus ornatiſſimo apparatu; eodem ſe contulit, quò conuenerant Italiæ ceteri Principes ferè omnes, extra Octauium Farneſium, Parmenſium Ducem, quem articulorum malè habebat morbus. Coſmus Medices, magnus Etruriæ Dux, paulo ante exceſſerat è uita, Franciſcusq. filius, in Principatum tunc primum ſuffectus, conſtituendo nouo Imperio ſtudebat ſic ut annus hic magnorum etiam fuerit Principum interitu, & nouorum ſucceſſione inſignis: nam & paulo poſt Guidubaldus Ruuereus Vrbini Dux, Franciſco maria filio ſuccedente, mortuus eſt, & Selimus Turcarum Imperator; obiit, ſucceſſoremq. habuit Amuratem filium, annum agentem ætatis, ut ferunt, uigeſimum ſeptimum, Piratæ tamen Turcæ, hæc, de more, littora, uere & æſtatis initio, uexare, ſed a triremibus Venetis, Anconæ ob id commorantibus, capti, pœnas dederunt. Appropinquabat autem annus Iobeleus, in quem Pontifex præclaro religionis ſtudio, multa Romæ cõparari iuſſerat. Rauennates ex inſita pietate, ut peregrinis Romam confluentibus conſuleretur, ex Senatoribus quattuor creant, qui vna cum Hoſtaſio Ginanno Archidiacono, de muniendis uiis extra vrbem, tutisq. itineribus reddendis, ceterisq. in vrbe comparandis, conſtituendisq. conficerent. Quatuoruiri fuere, Cæſar Raſponus, cohortium Præfectus, Bonifacius Spretus, Bernardinus Mengolus equites, & Leonardus Moriſius iuriſconſultus. Quoniam uerò præſtanti uirtute, Sega, Præſes, qua ciuitatem hanc, omnemque Prouinciam ad eam diem adminiſtrauerat, plurimùm ſibi Rauennatum conciliauerat animos, ipſi ut gratam animi ſignificationem præberent; præ-

ſertim

ſertim quòd Rauenna oriundus ex uetere Raualdorum familia ferebatur; illum, eiuſque fratres. XVIII. Kal. Ianuar. ciues, Senatoresq. ſuos eſſe ſanxerunt. Nec diu poſt, cum Solarolum opidum, a Ludouico Gongaza, Neuerſi; quod Auguſtonemetum ueteribus fuiſſe putant; Duce, hactenus poſſeſſum, ad huius fuiſſet adminiſtrationem Prouinciæ adiunctum, ac Segæ Præſidi nouo ineunte anno, Lactantius è Lactantiorum familia, Orbitanus, ſucceſſiſſet, in Picenum, illius Prouinciæ Moderator a Pontifice Sega factus, diſceſſit. Hoc anno ex noſtris multi, & in iis plerique, maioris religionis cauſa, pedes, Romam abiere, ubi admirabili charitate, & inſigni uirorum nobilium ac etiam Principum, atque adeò Cardinalium obſequio, peregrini, qui undique concurrebant, excipiebantur. Quoniam uerò non omnes eò abire, uariis retracti impedimentis, potuerant, Gregorius Pontifex Iulio etiam Archiepiſcopo id poſtulanti ſatisfacturus, per litteras Romæ. XIII. kal. Februarii, ſcriptas, liberaliſſimam ſcelerum omnium indulgentiam; haud ſecus ac ſi ipſo Iobelei anno, quattuor Romanas ſacras ædes uiſitaſſent; conceſſit, omnibus Chriſtifidelibus, vrbis, Diœceſiſq. Rauennatis, atque iis etiam omnibus, qui tunc Rauennam accederent, peccata ſacerdoti confeſſis, qui quattuor, nempe Metropolitanam, & alias ſacras ædes tres, ab Archiepiſcopo, eiuſve Vicario conſtituendas, per quindecim continentes, uel intermiſſos dies; quos commodo Diœceſanorum, egentium, ægrotantium, ſenum, prægnantium, uirginum, uiduarum, ac aliorum legitime impeditorum, conſociationum etiam, atque aliis de cauſis, uti Archiepiſcopo, eiuſve Vicario uideretur, minui, & uel ad unum tantum diem redigi, & in quo placeret, aut opidi, aut caſtri, aut alterius loci huius Diœceſis templo locari poſſe uoluit; piè adirent, atque ibi quinquies orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam ad impetrandam peccatorum ueniam, recitarent, ac pro pace inter Chriſtianos Principes tuenda, ac hæreſibus conuellendis, ſanctaq. euehenda Romana Eccleſia, Deum religiosè orarent: hancq. ob rem, quot Archiepiſcopus, aut Vicarius, in ipſis templis conſtituerent ad audiendas confeſſiones, eligere eos ſibi poſſent, a quibus ſalutari confeſſionis ſacramento ritè expiati, a quibuſuis criminibus, atque interdictis eximerentur: Hæcq. omnia, iis etiam, qui Romæ fuiſſent, obtinere denuò liceret. Quæ cum eſſent, ſolemni omnium ordinum indicta ſupplicatione, Rauennæ, Idibus Februarii, explicata, additaq. ad Vrſianam ædem, ab Iulio Archiepiſcopo, Diuorum Apollinaris noui, Ioannis Euangeliſtæ, & Vitalis templa, quæ inuiſerentur, incredibile dictu eſt quanta ciuium atque Diœceſanorum alacritate, ac frequentia, accepta fuerint. cum toto anni curſu, agricolæ, & ex reliqua Diœceſi, infinita penè multitudo, longo agmine, præeunte Crucis uexillo, ad hæc templa confluerent: in ipſa uerò ciuitate, omnes ſacratorũ uirorum familiæ, populariũq. conſociationes, magna cum religione, & ciues ipſi, uiri, mulieres, pueri, atq. ætate graues, uias vndique complerent: iuuenesq. complures nobiles, lintea craſſiore ueſte, oculis tantum extantibus, induti, ac nudatis multi pedibus, ingentem Chriſti Cruci ſuffixi imaginem præferentes, ſub ueſperam, bini, ad hæc templa procedentes, litaniasq. concinentes, aduentantibusq. tenebris, accenſum funale, ſuum quiſque manu geſtantes, magnam præberent religionis ſpeciem, cum ipſe præſertim Epiſcopus Maremontes, Vicarius, nunc hos, modò populariũ,

ANN. M. DLXXV.

ANN. M. DLXXVI.

quas diximus, conſociationes, Dauidis pſalmos pronunciantes, uel ad multam noctem, ſequens, pietatem mirifice augeret. Huius initio anni, XVIII. Kal. Februarii, Lactantius Præſes, Piſtorienſis eſt Epiſcopus factus, atque ab ipſo Ioannebaptiſta Maremonte, Epiſcopo Vticenſi, Iulii Archiepiſcopi Vicario, in æde Vrſiana, in inferiori ſacratorum uirorum exedra, aſſidentibus Antonio Ianotto Montagnanenſi, Foroliuianorum, & Annibale Graſſo, Bononoienſi, Fauentinorum Epiſcopis; qui hac de cauſa, Rauennam, acciti, uenerant, ſolemni pompa, ſummaq. Rauennatium & aduenarum frequentia, conſecratus eſt: nec diu poſt diſceſſit è Prouincia, & Florentiam abiens, Mediceo magno Duce tradente, pro uetere prudentia, qua præſtabat, Senarum deinde adminiſtrationem iniit: cum tamen antequam abiret, Rauennates, illum, Bernardinumq. eius filium. V. Id. Februarii, ciues, Senatoresq. ſuos feciſſent. Succeſſor illi, eodem menſe Februario, in hanc Prouinciam a Pontifice miſſus eſt Franciſcus Sangeorgius Caſalenſis, Blanderatenſis Comes: eò maiore a Rauennatibus beneuolentia ac cultu complexus, quo meminerant ex eadem familia, Archiepiſcopum, quadringentis iam amplius annis, Guidonem habuiſſe, & huius Prouinciæ comitem, magno urbis Rauennæ commodo, Gutfredum, de quibus diximus, paulò poſt præfuiſſe: quæ & multa præterea alia, præclara, nobiliſſimæ illius domus facinora, Dionyſius Ratta, iuriſconſultus Bononienſis, huius tunc moderator urbis, dum Prætorii partem, quam incolunt Moderatores, egregiè reſtitueret, in cubiculo pingenda, præclaris adiectis elogiis, paulo poſt curauit. Quoniam uero peſtilentia latiſſimè hoc anno Venetiis, omniq. ferè ea regione, ac Gallia Ciſalpina, cum ingenti mortalium cæde, ac luctu graſſabatur, Sangeorgius Præſes, ea diligentia Rauennatum fines, oramq. omnem maritimam obſeruari curauit, maiori ut nuſquam potuerit. Creati hac de cauſa a Senatu noſtro quinqueuiri, Bernardinus Mengolus, & Bonifacius Spretus, equites: Cæſar Raſponus, cohortium Præfectus, Gaſpar Pignatta iuriſconſultus, & eques, Leonardus Moriſius iuriſconſultus: qui coniunctis cum Præſide conſiliis, optimè ciuitati atque agro conſuluerunt. Superiore enim æſtate, cum extra Italiam pleriſque locis, tum maximè Tridenti, nonnulli uagari morbi paſſim ceperant, qui paucis omnino diebus, ſecundo, tertio, quarto, ad ſummum ſeptimo, pleroſq. mortales, quocumq. ſexu, ætateq. è medio tulerant: ita ut ad Nouembrem, in urbe alioqui parua, neque ſatis frequenti, ut fama fuit, hominum circiter millia ſex obierint. Venetiis cum hoc toto anno, ad menſem Iunium, lentè ſerperet labes, eo menſe, aſperiora omnia ſunt reddita, aucti morbi, interitus frequentiſſimi, ita ut quadringenti ferè diebus ſingulis decederent. Vbique toto hoc triſtiſſimo tempore, præſidiis accuratiſſimis aduerſus tetram luem pugnatum eſt, & cum multorum Antiſtitum, in ciuitatibus quiſque ſuis, præclara eluxit charitas, tum uerò Mediolani, ubi grauiſſimè ſæuiit, Caroli Borromei Cardinalis, Chriſtiano digna Antiſtite, & ſingularis fuit, ac perpetuò memorabilis uirtus. Pari ſtudio, Ticini Hippolytus Rubeus, Epiſcopus, qui nunc a Sixto. V. Cardinalis eſt factus, Eccleſiam ſuam, quam ſacra argentea ſupellectile, atque ædificiis magnificè ornauerat, ſibi nequaquam deſerendam, uel cum inſigni uitæ diſcrimine, exiſtimans, paternam, ac uerè Epiſcopalem populo ſuo operam impendit. Idem a Nicolao Sfondrato, Cre

monæ,

monæ, ab Auguſtino Valerio, Veronæ Epiſcopis, nunc Gregorio XIII. cooptante, in Cardinales ipſis quoque aſcitis, & ab aliis etiam factum eſt. Rauennæ ad arcendam immanem hanc belluam, omne cum Venetis eſt ſublatum cõmercium, interclufus tabellariis aditus, principio nullæ inde litteræ admiſſæ, niſi quæ, ſuffimento quaſi expiatæ, ad Pontificem, eiuſve nepotes, & Oratorem Venetum, nullo ligatæ lino, nulla cera obſignatæ ſcriberentur, tandem uerò creſcente lue, ita reiectæ omnes ſunt, ut fruſtra ſæpius mitterentur ad hoc litus cum litteris nauigia: nam, & noſtris etiam nauibus omnibus in altum ſecedere iuſſis, propoſita eſt capitis pœna, ſi deſcenſiones facerent, ad litusve, quod aſſiduè equitum, peditumq. cuſtodiis erat munitum, accederent. Mendici, uagiq. abire iuſſi: vrbs omnis ſordidis expurgata quiſquiliis: fructus horarii, & certa herbarum genera, quæ prauos gignere ſuccos dicebantur, è foro eiecta, & ne uenderentur omninò cautum. Cancelli propè urbem conſtituti, ubi conſcriptæ ualetudinis teſſeræ, in quibus aduentantis hominis, & familiæ nomen, ſtatura, & nonnulla corporis ſigna erant, diligentiſſimè examinabantur. Hoſpitia extra urbem publica, ſublata, & nauicularum uſus ad Padum, grauesq. ſi quis hoſpitem, Præfectorum iniuſſu, reciperet, pœnæ propoſitæ: cum neque iis etiam, qui rus abibant, aut è rure ueniebant, pateret abſq. conſcriptis, obſignatisq. ſchedulis, in urbem reditus. Partito ciues onere ad portas, ſtato quiſque die, in præſidio erant. Ceterum cum peſtilentiæ finis factus iam eſſet, & cum exteris populis eſſe uſus cœpit, conſtituuntur extra urbem aprica loca, ubi explicarentur allatæ merces, & agitarentur uentorum ui: Cautum tamen ne canes, aut equi, aut animalia pilis, aut plumis ueſtita, & nulla loti aut ſalſa aqua, aut lixiuio in vrbẽ inducerentur, cum ſatis conſtaret, equis, qui peſtilentiæ infectas ueſtes extulerant, bubones aliquando enatos, & aues in peſtilentia Britannica, ſub arboribus uiuos adhuc inuentos, quibus eſſent in alis bubones, & in Italica uiſam cum bubonibus picam, quæ tamen conualuerit. Ferrum, æs, & cetera metalla, confectaq. ex ipſis uaſa, aut calce prius obruta, aut in aqua per aliquot ante dies demerſa, ſalſa præſertim, aut fluente, admittebantur. Gemmæ, uitrum, marmor, aromata, quamquam repugnare potius peſtilentiæ, quam eius imbibere ſemina poſſe credantur, neque tamen omninò ſtatim recipiebantur, quòd ſcirent, enſes etiam & gladios ueneno, atque odoribus infici, idem marmori accedere, & aromata ſitum contrahere. Litteræ non niſi ſiccantibus, & interdum acribus ſuffimentis adhibitis, acceptæ, quòd conſtaret, chartam ſitum, odorem, humoremq. facile recipere: tardiſſimus omnium, pannis laneis, tabulis, lignisq. acceſſus eſt datus. Itaque Dei munere factum eſt, ut hæc ciuitas, atque adeo Prouincia intacta a tanto malo perſtiterit, & ſaluberrimus, ut accidit in peſtilentia, annus fuerit. Poſtero anno X I. kal. Aprilis Rauennam aduenit, Ioannes Baptiſta Rubeus, Carmelitani ordinis Generalis Præfectus, Ferraria reuertens, quò illum Gregorius XIII. Pont. Max. de grauibus negociis, per Etruriam, Bononiamq. ad Alfonſum II. Ducem miſerat. Quamquam verò Romam iter maturaret, tamen ut morem gereret ciuibus ſuis, & ſubſtructionem cœnobii ſui D. Ioannis Baptiſtæ, quam alterum iam annum fuerat aggreſſus, perluſtraret, aliquot hic dies perſtitit: Vbi paulo poſt, V. Non. Maii caſus accidit, qui licet exiguus,

tamen

tamen nihilominus ad hiſtoriam fuit utilis: cum enim hoc menſe quotannis patefieri omnia huius ciuitatis templa, ex uetuſtiſſimo more conſueuerint, ut iis ſatisfiat, qui quotidie, religionis cauſa, illa uiſitant, id etiam a monachis D. Vitalis in Sacello fit Diuorum Nazarii, & Celſi, in quo Gallam Placidiam ſepultam docuimus. In eius tum forte ſepulchrum, pueris, per anguſtum foramen, candelas iniicientibus, dum ex intus decidiſſent, in tabulas è cupreſſo, quibus totum intus conueſtitur ſepulchrum, flamma ſtatim inuaſit, continuoq. præbuit magni ſpeciem incendii. Itaque Marci Pedochæ Mirandulani, Abbatis iuſſu, illico gypſum, quo cum arca operculum iungebatur, ſublatum, & aqua, per grandiora illa foramina, multa iniecta, extinctus ignis eſt. Hac ego occaſione, uidi ampliſſimæ illius mulieris Principis, quæ ad eam diem in ſella cupreſſina ſediſſe dicebatur, oſſa, per ſepulchrum ſparſa: Procera autem erant, & quæ craſſitudine proceritati reſponderent. Inter cetera, caput magnum, prælongam dixiſſes ſphæram, optime conformatum, ſic ut ipſam etiam ſtaturam, magnam fuiſſe, & ad dignitatem ualde appoſitam, facile iudicari poſſit. Exeunte autumno, Iacobum Boncompagnum, excellenti virum uirtute X V I. kal. Decembr. Rauenna habuit, cum Sangiorgius Præſes, qui Bononiam uſq. Fridericum fratrem, clariſſimum Melitei ordinis equitem, ad illum hoſpitio inuitandum præmiſerat, aduenientem, illuſtri totius penè nobilitatis Rauennatis occurſu, apparatu ampliſſimo, & ſplendidiſſimis epulis, per quinque dies accepiſſet. Redibat tum Iacobus ab accipienda Marchionatus Vignolæ, nuper acquiſiti, poſſeſſione, ſecumque Latinum Vrſinum, ſuum in Præfectura militari Vicarium, habebat. Sub id etiam tempus, aliquot hic dies apud ſe Sangiorgius eſſe uoluit, & tẽpla ciuitatis inuiſere, Græcos bonæ ſpei adoleſcentes, qui Creta, & Peloponeſo, finitimisq. regionibus conquiſiti, Romam adducebantur, in eo collegio, litteris, & fidei dogmatis operam daturi, quod anno ſuperiore, Gregorius Pontifex inſtituerat; ut ab eo perinde, ac è Seminario, in eas regiones tranſlatæ plantæ, vberrimo, ac uerè pio fructu, Chriſti fideles alant, & non ſolum ætatis noſtræ portenta, ſed priſcos etiam Neſtorios, Eutychetes, Dioſcoros, Seueros Oriente penè toto opprimant. Fulgebat autem hoc tempore in cælo Cometes, longam poſt ſe trahens caudam, iam inde ab initio huius menſis Nouembris, Rauennæ uiſus: in capite planè aureus, deinde argenteus, puro nitore. In Occidente erat, ad finem Capricorni, Cancri tropicum, conuerſionem nempe æſtiuam attingens, continuatusq. radiorum effluxus prolixam in Orientem, leuiterq. in Auſtrum inflexam comam formabat, in Eurum fuſam, ad baſim ſatis patentem. Occidebat initio paulò poſt horam noctis tertiam: ad finem menſis, circiter medium Aquarii erat, occidebat ad quinctam: Videri deſiit circiter Idus Ianuarii. Cum autem audax Aſtrologorum, & huiuſmodi hominum turba, Pontifici mortem, & diras orbi calamitates, ab ea, quæ tota etiam Europa uiſa eſt, prædixiſſent, omnes omnium prædictiones eluſit euentus, extra unum Ariſtotelis, de ſiccitate, & uentis, & ob id, naufragiis prædictum: nam ſicca fuit hyems, & inſequens annus ferè totus, multaque ob uentos accidere naufragia. Sangeorgius interea Præſes, & magnitudine animi, & prudentia, cum magnam ſibi in adminiſtratione Prouinciæ laudem comparaſſet, nouo anno, qui fuit ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptua-

ANN. M. DLXXVIII.

ſeptuageſimus octauus a partu Virginis, Pontifice iubente, Bononiam, eius vrbis Moderator, Idibus Ianuar. ſe contulit, a Rauennatibus, officii cauſa, Bononiam comitatus; cum biduo ante Ioannes Petrus Ghislerius, Romanus, a Peruſina adminiſtratione, tributus Sangeorgio ſucceſſor, Rauennam ingreſſus eſſet. Ceterùm cum altè Rauennatium animis Sangeorgii inſideret uirtus, qua optimi Præſidis partes obierat accuratiſſimè, quando aliud non licuit, coacto XIII. kal. Febr. Senatu, in quo Ghislerius Præſes, & centum, ac quattuordecim Senatores interfuerunt, ipſum abſentem, omnemq. illius ſtirpem, ciues, Senatoresq. Rauennates fecere. Hoc anno Ghislerius Præſes munitionem uiæ, quæ ad amnem Sapim rectà tendit, aggreſſus, ad eius caput, urbis portam, quæ inculta, & iam deſerta latebat, aperuit, atq. ampliorem, pontibus ad foſſam, & amnem Vitim factis, marmoreisq. additis columnis, reddidit. Hoc interim ſpatio Rauennam ſe contulit, IIII. Id. Mart. Iulius Archiepiſcopus, Patauio rediens, quo ſe ualetudinis cauſa ſuperiore anno contulerat: ita conſulentibus nobiliſſimis huius ſæculi Medicis, Hieronymo Capiuacio Patauino, & Hieronymo Mercuriali Forliuiano; qui Patauii publicè cum inſigni laude Medicinam profitebantur; & Iulio Alexandrino Tridentino, qui poſtquam Auſtriacorum Principum, Ferdinandi præſertim Cæſaris, Medicum egerat, contulerat ſe in patriam, eosq. omnes Ruuereus ad ForumSempronium, ubi tum commorabatur, euocauerat. Cum autem poſt diuturnum, grauemq. morbum, nonnihil eſſe leuatus uideretur, Rauennates ſummo iam ob illum mœrore oppreſſi, eum quaſi rediuiuum, maxima hilaritate, omni nobilitate obuiam effuſa, acceperunt; cum ipſe nihilo minore beneuolentia Rauennates complexus, ad primum conſpectum vrbis, quod ſæpe mihi narrare conſueuit, intimo quodam commotus charitatis ſenſu, non tenuerit lachrymas: Ingreſſus eſt urbem ſummo applauſu, omnibus omnium templorum pulſatis nolis, maioribusq. aliquot diſploſis tormentis. Totam hic quadrageſimam, & ſanctos Paſchatis dies peregit: magna religionis ſignificatione, in Vrſianam ædem, cum ſacratis uiris, populoq. ſuo, ad ſacra obeunda officia conueniens. Tandem autem XIIII. kal. Maii dicens omnibus ſalutem, quæ poſtrema fuit, & lachrymans, Vrbinum diſceſſit; cum quatriduo ante, Brunorus Zampeſcus, ciuis Rauennas, & Foripompilii, ac Sancti Mauri, & aliorum locorum Regulus, uitam cum morte, in ipſo Foropompilii commutaſſet: uir bello inclytus, & militari virtute, quæ multis ſe orbis partibus oſtenderat, clariſſimus. Sauignanum opidum IIII. Id. Aug. Eccleſiæ nomine receptum. Iuuenis quidam hoc tempore, poſtquam aliquandiu militaria meruerat ſtipendia, cum ſe fœminam, muliebri ſumpto habitu, ac nomine, quo ſe Diamantem appellabat, ſimulaſſet, in aliquot huius Prouinciæ ciuitatibus, ancillæ ſpecie, in domos receptus adhuc ignobiliores; neque enim in nobiles tantum inferre ſceleris, auſus, credo, fuerat; ſeſe paulatim inſinuabat in mulierum amores, nocturno præſertim in eodem lecto congreſſu, multisq. iam ſtuprum obtulerat, quibuſdam ne crimen pateficeret, aliis, ut duraret uoluptas, tacentibus. Sed viri patricii adoleſcentis, qui fœminam illum exiſtimans, uitiare illam uelle dicebatur, conatu deprehenſus, Rauennam adductus eſt; hicq. crimen faſſus, ubi aliquot in publico carcere dies perſtitit, a Ghislerio Præſide, in triremes conijcitur. Huiuſmodi uete-

rem

rem recitari fabulam non ignoro, ſed ueriſſimum tamen, & notiſſimum in hac ciuitate omnibus eſt, quod ſcripſi: & fortaſſe hunc docuit iuuenem, tantum facinus ea fabula, ita ab huius generis ſcriptis, boni corrumpuntur mores. Verùm funeſtus huius maxime autumnus anni fuit, clariſſimorum virorum funeribus: Nam tertio Non. Septembr. Iulius Ruuereus Cardinalis, huius Eccleſiæ Archiepiſcopus, diuturnam corporis, & animi ægritudinem, Vrbini tandem morte concluſit. Attulit is nuncius Rauennatibus incredibilem moleſtiam, qui priuatim & publicè pro illius incolumitate, Deum precibus aſſiduis fatigare non deſtiterant, & cum remittere ſe aliquando morbus uideretur, nonnullam de illius ſalute ſpem conceperant. Funus in Vrſiana potiſſimum æde, frequenti omnium ciuitatis Magiſtratuum, populiq. concurſu, mortem optimi Paſtoris, patriſq. lamentantium, celebratum eſt: memoriaq. uigilantiſſimi Antiſtitis, altiſſimis in animis omnium defixa radicibus, cum maxima commendatione repetita. Fuerat huius ciuitatis Iulius longè amantiſsimus, & reſtituendæ ueteris huius Eccleſiæ amplitudinis ſtudioſiſſimus: quod & re ipſa præſtitit, & in dies magis nitebatur. Quando enim Vrſiani templi pauimentum depreſsius, facile exſurgentibus ex ima tellure aquis inundabatur, Ioanne Boccalino, Architecto ſuo, ab Lauretana æde; cui præerat item Iulius, & ſubſtructiones egregias parabat; Rauennam accito, de columnis, & pauimento ſubleuandis, deq. tecto, lacunaribus, & tabulatis ornando, multa cum illo tractauerat, & modum deſcribendum curauerat, & filis toto templo deductis, aggredi conſtituerat. Organa muſica, quibus uetuſtiſsimo inſtituto Catholica Ecclesia utitur, & Vitalianus Pont. Max. octingentis iam annis, cantum miſcuerat, cum ueterum, quæ ad id temporis fuerant, ſonus, minus ſibi ſuauis uideretur, & egregie reſtituenda curauit, & tam nobili ornamento inſignire decreuerat, ut niſi interceſſiſſet mors, parum ea nobis inuidenda ſperaremus, quæ Conſtantinopoli ex auro Michaelem Imperatorem conflaſſe, ſcriptores Græci tradunt. Ceterum nihil magis ſtuduit, quàm ut religio Chriſtiana benè coleretur, & uita probè ageretur, & cum Romanis cerimoniis, Rauennates conuenirent, quæ aliqua ex parte diuerſæ uidebantur: Nam in ſacri baptiſmatis catecheſi, cùm alia ſecus agebantur, tum illud in primis, ut alterum infanti nomen imponeretur, cum ſacro tingebatur lauacro; quod fieri iam inde ab ipſius naſcentis Eccleſiæ incunabilis conſueſſe, & in Eccleſiaſtica Hierarchia D. Dionyſius, & in epiſtola ad uniuerſos D. Clemens Pont. Max. & Concilium Carthaginienſe ſeptimum teſtantur. altero nomine appellaretur cum inducebatur in templum, adhuc ante fores exiſtens: ſic ut omnibus eſſent Rauennatibus duo nomina, cum tamen eo deinde ſolo uterentur, quo appellabantur ad baptiſmatis lauacrum. Hoc ritu, me, qui dum Diuino beneficio ſacro fonte abluerer, D. Hieronymi nomine ſum uocatus, ad ipſos templi fores, Euſebii; qui D. Hieronymi pater, ac diſcipulus fuit; nomine appellarunt: patre ſic iubente, pro inſigni ſua in D. Hieronymum Stridonenſem religione. In ſolemni Miſſæ ſacrificio, ex Euangelio, & ſacris aliis libris lectiones; de quibus & Dionyſius idem meminit, & Alexander primus, Pontifex Max. cauit; ut ait Hugo; è ſuperiori loco haberi conſueuerant: quod & in Romana Eccleſia factum aliquando fuiſſe, in uita Sixti tertii Pont. Max. mille ducentis iam fermè annis, ſatis conſtat; & ſuggeſta in D.

Pau-

Pauli. D. Mariæ maioris. D. Ioannis in Laterano, ceteriſq. nobilioribus Romanis templis declarant. Id abrogauit, recitariq. ex æquali loco iuſſit, ut cum Romana conueniret: Quamquam cum ſacratorum uirorum exedra, ipſo templi pauimento, aliquot ſit gradibus elatior, ſeruatur adhuc Apoſtolicum, apud D. Clementem, decretum, ut ſacra lectio ex edito loco recitetur. Diebus Pentecoſtes feſtis, ad ſacrum ueſperæ officium, è templi Vrſiani appoſito ad tectū tabulato, ſtuppæ demittebantur flammia incenſæ, quæ linguas igneas; quarum ſpecie ad Apoſtolos eo die Spiritus ſanctus deſcendit, referrent: mox cum beatæ Virginis Deiparæ canticum, quando ſalutauit Eliſabetham, cantabatur, inde emiſſa columba, per ferreum filum, ui igniti, ſtrepentiſq. radii, ad caudam appoſiti, ad certum, ubi erat affixum filum, locum deuolabat. Hæc item ſuſtulit; præſertim cum certatim accurrentium puerorum turba, perſtreperet templum, & adſtantium, a Diuino cultu mens abduceretur. Idem iuſſit de roſis, liliis, ceteriſq. floribus, ac uaſis, cereis, certis precationibus expiatis, quibus uiridaria, pomariaq. formabantur: ea enim, die a Paſchate octauo, qui dies in albis dicitur, inter ueſpertina officia populo diſtribuebantur, non abſque nonnullorum clamore, & nonnumquam contentione, dum pulchriora ſibi quiſque, ac maiora depoſceret. Spoliatæ adhæc acceſſere cruces: quod bis fieri quotannis in ſupplicationibus conſueuerat: nempe die D. Marci feſto, primò quidem cum ad D. Rochi eſſet uentum; quæ tum ædicula, extra portam, quæ nunc reſtituta, Gregoriana appellatur, ad amnis Vitis ripam erat; ipſa deinde ſolo æquata, ad D. Apollinaris noui: & pridie Aſcenſionis, ad Crucis ſacellum, quod propè D. Ioannis Euangeliſtæ extat. Geminæ, in iis ſupplicationibus, a Rauennatis Eccleſiæ choro, cruces præferebantur: altera maior, quæ operoſo, bracteatoq. argento, ac ſanctorum uirorum imaginibus cælato, incruſtata, manu geſtabatur, Agnelliq. Archiepiſcopi opus creditur: minor altera, haſtili longo præfixa, pendente ab ea uelo, pannove nōnumquam aureo, quandoq. ſerico, quo modo paſſim utimur, & iam inde a Cōſtantino magno deductum, mille iam & tercentis ferme annis, putant. Magnus enim ille Imperator, cum belli, quod in Italia contra Maxētium tyrannum moliebatur, cogitationē animo uerſaret, in ipſo itinere, quod in Gallia, cum exercitu, Italiam uerſus faciebat, poſt meridiem, Crucis ſignum ex lucis ſplendore confectum, in cælo, ſoli imminens, uidit, quod his uerbis cingebatur, *In hoc vince*: uti ſupra memorauimus; in eoq. prœlio, quod fuit deinde feliciſſimum, uexillo huiuſmodi uſus eſt: Haſtam oblongam, & rectam auro circumueſtiuit, eique tranſuerſum cornu ſic applicuit, ut crucis formam effingeret: ex cornu uerò uelum tenue lapidibus, & auro contextum ſuſpendit. In his igitur Rauennatibus ſupplicationibus, Corollis erat ex floribus diuerſorum generum Crux maior redimita, quibus minor carebat. Cum autem ad eā loca perueniſſent, ſiſtebant omnes, & Rauennatis Eccleſiæ Archipresbytero dicente, *Clamate pueri, clamate & dicite, Kyrie eleyſon*, reſpondebant omnes, *Kyrie eleyſon*: tuncq. cum minore Cruce, maiorem percutiebant: His autem tertiò repetitis, tum facto in maiorem Crucem impetu, ſertis eam, ornamentiſq. omnibus exuebant. Hunc morem iam inde a Theodori Archiepiſcopi tempore nongentis iam annis, ſeruatum ferunt: qui poſtquam, uti ſupra docuimus; Rauennatem Eccleſiam Mauri & Reparati Archiepiſcoporum perfidia, ab

Ro-

Romana alienatam, reſtituiſſet, ut ſuperioris tam ingentis, & nefarii criminis uenia, perpetuò a Deo poſtularetur, hæc inſtituerit: Eccleſiam enim Rauennatem, Exarchorum, & nonnullorum, uti uiſum eſt, Imperatorum fauore ornatam, quamq. ob id maiorem Romana, Archiepiſcopi illi falsò putauerant, maior Crux, corollis exculta & compta referebat: cum Romana, contra, minor; ut ipſi cogitauerant fallaciter; & ab Exarchorum, Imperatorumq. illorum cultu, inornatior uideretur: quæ tamen & ſublimior eſſet, ac cælo propior, quippe quæ re ipſa omnium Eccleſiarum mater, ac magiſtra, ad quam; ut inquit Ireneus, Apoſtolorum memoriæ proximus; propter potiorem principatum, neceſſe eſt omnium conuenire Eccleſiam; quæ uiuo, & expreſſo Dei uerbo, ceteris prælata Eccleſiis eſt. Hæc itaq. longe ſublimior, Rauennatem humiliorem percutiebat, quæ ob eam rem, & ſuperbis iure ſpoliabatur ornamentis, & ueniam a Deo poſtulabat. Verùm hæc, ſiue quòd non ea aliquando reuerentia, qua par eſſet, fierent, uel quòd nullis apud eum certis firmarentur auctoribus, aut quia tum ignorarentur, abrogata ſunt: ut ſtuppæ quoque incenſio, quæ die Sabbatho ſancto, mane, cum candelæ nouo Chriſti, ut canitur, lumine accenſæ tres, in ſumma arundine per templum geſtantur: in ipſo enim exedræ ferè ingreſſus, ſtuppa, quæ è catenula ferrea de tecto pendebat, illis inflammari candelis conſueuerat, iis additis uerbis, *Sic tranſit gloria mundi*. Ipſarum etiam ſupplicationum initium mutauit, cum exordiri ab ea oratione conſueſſent, qua petebatur, ut Chriſtus, agnus Dei, qui tollit peccata mundi, miſereretur noſtri: Chriſtus audiret, ac exaudiret nos, & exaudiret Deus preces noſtras, exaudiret gemitum noſtrum, adiungebaturq. *Sancte Deus, ſancte fortis, ſancte & immortalis, miſerere nobis*, quæ Græcum adhuc ſapere morem uidebantur: cum & ex Ioanne Damaſceno, & Felicis Pont. Max. ad Zenonem Imperatorem epiſtola, conſtet, Byzantii cum preces ob maximum terræmotum haberentur, Proclo ciuitatis Epiſcopo, omniq. populo ſpectante, raptum in aera puerum, canticum hoc cælitus edoctum: quod deinde Chalcedonenſis ſynodus probauit: Reliqua in ſupplicationibus more Romano, iam inde ab exordio Eccleſiæ deducta, ſequebantur: niſi quòd longiſſima ſerie prophetarum omnium nomina recenſebantur, quo modo ipſe quoque, inter ceteros, uetuſtiſſimus auctor Origenes, Iobum explicans, dicebat, *O beate Iob, ora pro nobis*. Cum autem ex antiquo more, ea nocte, quæ diem natalem feſtum D. Ioannis Baptiſtæ proximè antecedit, in eius Diui templo, uigilaret populus, agricolæ præſertim fœminæ, Iulius Archiepiſcopus fieri id uetuit, ſic enim ubi refrigeſcere cepit charitas, Elibertini Concilii patres, ut mulierum formam, famamq. multorum oculis lux clara cuſtodiret, ne fœminæ in cœmiteriis pernoctarent, prohibuere: ſic D. Monicam D. Auguſtini matrem, legimus a ſancto Ambroſio impetraſſe, ut in Eccleſia Mediolanēſi eæ nocturnæ peruigilationes ob mores corruptos ceſſarent. His igitur abrogatis Iulius Archiepiſcopus, ceteriſq. ad uſum Romanum traductis, pro eo ſtudio, quo huius dignitatem Eccleſiæ magnopere curabat, quoad eius fieri potuit, omnia ad imaginem ſacelli Pontificii, & Romanarum cerimoniarum conſtituit. Cum autem Crucem pulcherrimam argenteam in ſummo prælongo haſtili, bracteato argento incruſtato, infixam, ſacratorum Vrſianæ ædis uirorum collegio, uiuens, dono iam dediſſet, moriens uoluit ſa-

ctam

cram ſacelli ſui ſupellectilem diuidi tres in partes, & ſacræ domui Lauretanæ, Eccleſiæ Rauennati, & Vrbinati, cuique ſuam diſtribui. Quod cũ Franciſcus Maria Vrbinatium Dux fratris filius, eximia religione Princeps, effeciſſet, nunc Rauennate ſacrarium; præter ea, quæ habebat ſane egregia, nauicula, thuribuloq. argenteis, multiplicique ſacra ueſte, & aliis huiuſmodi, præclarè ornatum conſpicimus. Quæ cum optimè Rauennates perſpecta haberent, illiusq. Regiam magnitudinem animi, & Charitatẽ verè Chriſtianam memoria repeterent, nequaquam fuit mirum, ſi adeò grauiter, moleſteq. eius obitum tulerint. Vixit in Archiepiſcopatu annos duodecim, menſes ferè ſex. Poſtridie quàm ipſe Vrbini obiit, Romæ exceſſit è uita, anno ætatis ſeptuageſimo primo, Ioannes Baptiſta Rubeus Rauennas, Carmelitanorum Generalis Præfectus, patruus meus, poſt magnos, diuturnosq. ex iecoris tumoribus dolores. Eius mortẽ nõ Rauenna modò, ſed ipſe etiam ſummus Pontifex Gregorius ægrè tulit, & morienti, per Philippum Boncompagnum S. Sixti Cardinalem, fratris filium pleniſſimam peccatorum remiſſionem indulſit. Exulceratum morte Iulii Archiepiſcopi Rauennatiũ animum, altera hæc clades acriter pupugit. Sepultus eſt Ioãnes Baptiſta Romæ in D. Martini in montibus, iuſſuq. Thadæi Peruſini, uiri clariſſimi, Eremitanorum Auguſtinianorum Generalis Præfecti, a Dominico Antonino Salemitano, Siculo, eiuſdem Auguſtiniani ordinis Theologo, in funere, quod celeberrimum fuit, laudatus. Eius etiam exequiæ Rauennæ inſignes habitæ. Iulium Archiepiſcopum, felix Ambroſinus Foro Semproniẽſis, Epiſcopus Vticenſis, illius Vicarius XII. Kal. Octobris, Rauennæ moriens, Secutus eſt. Pridie autem eius diei uenerat Rauennam Ioannes Thomas Sanfelicius Neapolitanus, Epiſcopus olim Cauenſis; quamquam exactæ ætatis ſenex tamen certo ingenũ uigore, & temperata uitæ diſciplina fallens annos, a Pontifice, ut paludes, quæ ſunt ad Padum, citra Anemonem fluuium, ſiccaret, miſſus. Perſuaſum enim Pontifici fuerat, neq. rem fore admodum difficilem, & magnum inde ad ærariũ Pontificium uenturum fructum. Ceterum Matthæus Faber medicinæ arte, ætate noſtra, longè clariſſimus, & eloquentisſimus, Alexander Sopranus iuriſconſultus, Bonifacius Spretus eques, Hieronymus Portus, Baldaſſar Ginannus, & Vincentius Gordus delecti a Senatu ad id munus, Epiſcopum adhibent, oſtendunt rem hanc alias tentatam, nequaquã ex ſententia ſucceſſiſſe: aquis ex Apennino, ac finitimis regionibus, locum neceſſarò depresſius ad mare præbendum, atque hinc in omnibus regionibus, iuxta mare paludes eſſe; quibus ſiccatis, fore, ut aquæ in agros cultos irrũpant: neque. n. fieri poſſe, quin noſtri maris æſtu, tum ſuapte natura, tum uentis Aquilonibus, & ſubſolanis intumeſcente, defluentes tñ in paludes aquæ, uel deductis foſsis, exonerari niſi in campos posſint: ipſum etiam Procopiũ Gothorum bella ſcribentem, aſſerere, maxima eſſe in hoc ſinu maris incremẽta. Sanfelicius multo rerũ uſu, & ſpectata prudentia ſenex; quippe qui & urbes Eccleſiaſticæ ditionis Principes, rexerit, & in aula Romana magna negocia tractauerit, his auditis, cõtrà, docere, certum eſſe maritimi æſtus terminũ, ſupra quẽ non efferretur: ab eo tunc repleri potius paludes, quàm ut deſcendẽtibus ex ſuperioribus locis, aquis, locũ cederet. Eæ ſi per riuos, foſſasq. deducantur, facile ſupra accedẽtes fluctus, in mare delapſuras. Hac ratione multos uiros Principes ueteri, ac recẽti memoria, paludes ſiccaſſe: in quorũ numero Coſmus Medices, magnus Dux Etruriæ, Diuino Princeps ingenio, Piſanũ omnẽ agrum ſtagnantẽ, ſiccauerit, fertilioreq. reddiderit, multis foſsis per eũ ductis, quibus aqua deriuaretur, ſimulq. cæli ſalubritati, Princeps natus beneficiis in alios cõferendis, conſuluerit. Hoc ipſum, C. quoq. Cæſarẽ cogitaſſe, qui Põptinas ſiccare paludes habebat in animo, quod tamẽ Italiæ toti ualde opportunũ conſiliũ, ad exitum non perduxerit, ſed ne incœperit quidẽ, morte ſublatus. His atq aliis vtrimq. dictis, in ſequentibusq. ſæpe diebus, repetitis, Sãfelicius duplicẽ cõſtruere ex ceſpite aggerẽ, & paludes circũdare, ducta inter utrũq. foſſa quæ defluentes ex ſuperioribus locis, aquas exciperet, paullò poſt cœpit. Flaminiã interea, ſacrã Lauretanã domũ, religionis cauſa, adiens, ex eaq. rediens, Chriſtierna, Lothoringiæ, quæ Belgii eſt pars, Dux, uia militari, peragrauit, & per Ghisleriũ Præſidẽ, qui illi obuiã proceſſerat, comitẽq. tota Prouincia ſe adiũxerat, a Republ. noſtra magnopere

cõtendit,ut Dertonenſes,ſuæ ditionis homines, Rauēna immunes tranſire decerneret.Patres in Senatum V. Non.Octobris coacti, Dertonenſes, magno numero quotannis Rauenna tranſire ſolitos,ut nobiliſſimæ Principi petenti ſatisfacerēt, & animi inſitam nobilitatē ſignificarent,præclaro Senatus cõſulto, ĩmunes, pedites,equitesve tranſire ſanxerunt.Paucis poſt diebus;fuit autē Id. Octobr.Gregorius Pont.Chriſtophorũ Boncõpagnum,Bononienſē,fratris filius,iuriſconſultũ, qui leges aliquandiu fuerat in Bononiēſi Gymnaſio interpretatus,Ancona;cuius ad eam diem urbis Moderator fuerat; Romam accitũ,Archiepiſcopũ Rauennatibus dedit.Quo Rauennam allato nuncio,ſtatim Legati decreti,Gaſpar Pignatta iuriſconſultus,& eques,Bononiam,qui Boncõpagno; id illi a familia nomen erat; Chriſtophori patri, ciuitatis nomine gratularetur: Põponius Spretus.,& Galeotus Raſponus Romam,ad agendas Põtifici gratias, quòd tam arcta ſibi ſanguinis propinquitate coniunctũ Antiſtitē præbuerit. Hos & libentiſſimè audiit Põtifex, & haud ita diu poſt in patriam redeuntes,equeſtri dignitate inſigniuit:cũ ipſi etiã Archiepiſcopo gratulationē feciſſent,& obſequiũ præſtitiſſent.Archiepiſcopus V. Id.Nouẽbr. Romæ,ab Alexandro Cardinale Riario,Bononienſe,cõſecratus.Legati cum mandata feciſſent, Rauennã redeuntes,Gaſpari Silingardo,iuriſcõſulto Mutinenſi; quem Pontifex, multis, & Mediolani apud Carolũ Cardinalē Borromeũ,& Placentiæ,ac Neapoli,ubi Pauli Aretii Cardinalis,& earum ciuitatũ Antiſtitis Vicarius fuerat,rebus præclarè geſtis ſpectatiſſimũ,Chriſtophori item Vicariũ Rauennam mittebat;ſeſe itineris ſocios præbuerunt. Britonoriũ poſtero menſe,XI.kal.Ian.Alberto Pio,qui illius,uti & Leonellus pater,fuerat Moderator,redANN. M. DLXXXIX. dente, ad Prouincialē adminiſtrationē adiunctum. Inſequentis anni Carneualibus diebus,Ghiſlerio Præſide iubente,ludi equeſtres viri Cæſenatis uiſi, qui in equo ſuo,uelociſſimè laxatis habenis currente,modò pedes rectã ſtans,modo capite in ephippiũ demiſſo,pedibusq.in aera ſublatis,ſtadiũ in foro percurrebat:cum autē ſedebat,currens,tũ bis terve ex equo deſilire,& equũ cõſcendere,gladium in curuum expedire, uibrare, in aera proiectum recipere, in uaginam cõdere, ſagittas ante, & poſt ſe ex arcu ad ſcopum emittere: quæ vir ille diu apud Turcas captiuus,exercitatione didicerat.Sic ut mirandũ minus fuerit,quod tradunt de Totila Gothorum Rege,cum,ut Narſetem moraretur a conferendis cũ ſuis tantiſper dum reliquæ copiæ accederent manibus,in medium campum, armis auro cælatis indutum,in equo, lanceam manu geſtantem proceſſiſſe,incitatoq. calcaribus modò huc,modò illuc equo,nunc currentē,nunc in medio illum inhibentē curſu, & aliquando dextrorſum,nonnumquam ſiniſtrorſum circũ agentem,in ipſo uelociſſimo curſu,lanceam:qua terram,nuſquã offendens,penè radebat; in auras deinde proiectam,atq.inde ad terram delatam,nullo,ut uidebatur,corporis incommodo, collegiſſe,ſeq. ſuper currentem ſupinaſſe equum,& uiciſſim ad terram,& ad latera inclinaſſe: quæ nunc omnia in magnũ uſum belli frequentiſſima ſunt apud Turcas, ut erat olim apud Numidas eorũ ſaltuum ratio,de qua Liuius ſcribit,ad Iberam in Hiſpania ab Aſdrubale dũ aduerſus Romanam aciem, ſuam inſtrueret,eos Numidas in dextro locatos cornu fuiſſe,quibus deſultorum in modũ,binos trahentibus equos,inter acerrimam ſæpe pugnam,in recentem equum,ex feſſo, armatis tranſultare mos erat:tanta uelocitas ipſis,inquit Liuius,tamq. docile equorũ genus eſt. Hi plurimum ludi nobilitatem noſtram incitarunt,ad equeſtrem acrius,alacriusq. diſciplinam acquirendam,cui per hoſce dies,ex more,propoſito a Repub. premio, operam nauabat:eòq.maiore animi contentione,quò & Ghiſlerius Præſes nobile

aliud

aliud premiū propoſuerat, inuitatiq. fuerant propinquarū ciuitatū nobiles iu uenes,&nobiliſſimus,Regiaq. plane indole iuuenis Andræas Auſtriacus,Car dinalis, Ferraria Romam rediens, biduò hic, ſeptimo, & ſexto Id. Febr. apud Ghislerium fuit, & luſtrata ciuitate, hos etiam ſua præſentia cohoneſtauit Ra uennatis iuuentutis ludos,quibus ipſa,ut Principi ſuo, in expeditionibus belli cis,tyrocinium ponat,ſeſe aſſiduè, ſed hoc maximè tempore, ſingulis annis ex ercere conſueuit.Per eoſdem ferè dies III.kal.Mart.Ghisleriꝰ Præſes,eiusq. ſi qui eſſent,fratres,fratrumq. ac ſororum filii, ciues, Senatoresq. Rauennates creati ſunt: Poſtero menſe Chriſtophorus Archiepiſcopus VI.kal.April.Ra uennam,nulla pompa; ita illi præſcribente Gregorio Pontifice, patruo: pe nè improuiſus, primum ingreſſus eſt: cumq. ſecum detuliſſet Pomponii Spre ti, & Galeoti Raſponi, Legatorum, de equeſtri, quem diximus, ordine, a Pontifice diplomata,ea Magiſtratui cuius gerebat Principem Pompeius Rugi nus eques aſſignauit, qui Senatu habito, recitari illa publicè, per Dominicum Guarinum & Petrum Beltraminum ſcribas Reipub. iuſſerunt, ac deinde illis, reddiderunt. Scholæ autem doctrinæ Chriſtianæ,curante Archiepiſcopo, Ra uennæ ſunt in primis cultæ:nam menſe Ianuario, antequam Roma is abiret,a Pontifice Gregorio, præter eas pœnæ peccatis debitæ condonationes, quas Pius V.primùm,mox idē Gregorius,iis omnibus indulſerant,qui in eo ſancto opere elaborarent,alias etiam Rauennatibus proprias impetrauit. Inde Rauē nam acciuit,qui eas inſtruerēt,ſocietatis Ieſu Patres, quorum opera profecere plurimum:Si quidem ad ingentes ſuas in Republica Chriſtiana utilitates,eam etiam præſtantes illi uiri perpetuo,ac pio inſtituto,iam inde ab Ignatio Loyo la eorum auctore;quem nos præclarum hominem Romæ nouimus,cum in eius collegio Græcis litteris dabamus operam, ducto, adiunxerunt, ut pueritiam, nullis tum aliis accōmodatam uſibus,quæ ſeges omnium rerum publicarū eſt, bonas diſciplinas edoceant. Tēplum & cœnobiū D.Nicolai reſtituere hoc an no Rauennæ adortus, Hieronymus Curialis Rauēnas,Eremita Auguſtinianus, eius Præfectus cœnobii,oſſa B.Franciſcini omnia, extra caput,in ſacello,quod eſt aræ maximæ ad dexteram, in arca marmorea, in ſublimi ſacelli pariete in ſtrata,reperit,depoſitāq.arcam,ſub ipſius aram ſacelli cū oſſibus locauit, cū in ſacrario eius tēpli,ſeruari caput affirment. Fuerat B. Franciſchinus,Rauēnas, eiuſdem Eremitani ordinis inſtitutū profeſſus,ipſiusq.cœnobii ſacerdos,&ali quando ianitor: cuius cū plures,inſignes admodū,fuerint Chriſtianæ uirtutes, tum uerò,ſilētio religioſè ſeruando plurimū inclaruit: & cum eius multa feran tur miracula,illud eſt in primis celebre,quod ciui Rauēnati cōtigit,quivndiq. æger,quòd uehementer eius artus laborarent,ſic ut moueri nō poſſet,ad illius ſepulchrū deuehi ſe carpento curauit: ubi ſtatim ſanus factus,domū pedibus rediit,carpentūq.ad beneficii memoriam ibidem reliquit,ut Ioannes Saxo te ſtatur,eiuſdē ordinis ſacerdos,in libro de uita fratrū, quem nuper Auguſtinus Fiuizanus,eiuſdē item ordinis Theologus, Sacrario Pōtificio Præfectus,in lucē edidit: Huius eiuſdem anni Autūno, cum inſignis Peſtilentiæ ſuſpicio incre buiſſet,non in Gallia modo,ſed etiam in Liguribus,ut ferebatur, vagantis,pro tinus ne in permagni momēti re,cuius maximū afferret mora uel minima peri culum, ceſſaretur,Senatores creati ſunt,qui accuratè omnia prouiderēt, quat tuor,Cancianus Zanzius, cognomento Scapuccinus, iuriſconſultus, Petrus

Piccininins, Marius Carrarius equites, & Vincentius Abocconus: ab ipſis diligentiſſimè curata ſunt omnia, quibus tanti mali arceretur labes: quæ quam
ANN. M. DLXXX. quam Ligures deinde afflixerit, minime tamen ſeſe effudit latius. Nobilis, proximo anno, Camaldulenſis pars ædificii, a Petro Bagnolo Bagnacauallenſi, Abbate, ſeptimum iam annum cœpta abſoluta eſt, triclinium præſertim, multo ornatu, ſed inſigni maximè pictura, eius cenæ, in qua Chriſtus Deus ad nuptias, aquam in uinum vertit, præclarum. Eam pinxere Lucas Longus pater, & Franciſcus filius, Rauennates: inducendis ille coloribus, & imaginibus hominum effingendis, planè ſingularis, hic rerum inuentione, & uariis corporum, ac linearum flexibus repræſentandis; quæ principes habētur picturæ partes, plurimum præſtans. Carpenſibus XIIII. kal. Maii, per urbem Rauennam, agrūq. tranſeuntibus, immunitas, ut ſatisfieret ipſis id petentibus, Senatus cō ſulto data. Tertio autem Non. Maii, Diœceſanam ſynodum Chriſtophorus Archiepiſcopus in æde Vrſiana habuit, diligentiſſimeq mores, uitamq. omnium inueſtigauit, & leges edidit plurimum ſalutares. Acceſſere paulò poſt inſignes e capite deſtillationes, menſibus Iulio, Auguſtoque, longe maiore moleſtia, quàm periculo, ea potiſſimum de cauſa, inuadentes, quòd præſeferrent contagionem, in antiquorū morbis, etiam peſtilentibus, aut nullam, aut ita exiguū, ut de illa ueteres medici Hippocrates, & Galenus, aut nihil, aut parciſſimè dixerint. Vbi autem hic morbus unum è familia arripuiſſet, continuò migrabat in ceteros, ut omnes quandoq. ſimul ægrotarent. Initio, Medicis peſtilentiam Thucydidis memoria repetentibus, terrorem attulit, cum oculos, faucesq. rubentes, cum febre, tuſſi, inſigniq. cibi ſatietate, ac faſtidio intuerentur, maxima potiſſimum ciuitatis parte, eodem tempore ægrotante: ſed docuit euentus ſalubrem eſſe morbum, ſolis cucurbitulis ad humeros conciſa ante ſcalpello cute, impoſitis, & aqua hordeacea, & ubi mali ſucci haud multi eſſent, leui deiectione, triduo, aut ad ſummum quatriduò cedentem: cum ab initio ferè cocta facile expuerent. Ceterum cùm uniuerſam deinde Italiam, ac potius Europā peruaſiſſet; noſtra enim ciuitas, licet prima non fuerit, a primis tamen in Italia haud multum abfuit; nō una uſi ſunt, Medici, curandi methodo: alicubi enim, præſertim in Flaminia, ſi mitteretur inciſa uena ſanguis, moriebantur ægroti: in alis locis, magno cōmodo hoc auxilii genus uſurpatum, ferunt. Qui aquam, quiq. uinum bibere, etiam generoſum, & Romæ, conualuere, credo, quia ſuapte natura ſalubris morbus erat: adducente habenas præpotente Deo, ne altius progrederetur, qui ſi fuiſſet mortifer, abſumpſiſſet totum penè orbem. A nulla manifeſta aeris intemperie; quæ enim tot diuerſis terrarum partibus eſſe communis potuiſſet? cum in Aſiam etiam tandem & in Africam penetrarit; ſed a leui aeris corruptela cælitus demiſſa ortum habuiſſe tradunt: quæ tamen neque ingentes æſtus, neque extrema frigora; inducias, & finem etiam quandoque magnis peſtilentiis præbere ſolita; metuerit: ut uerum eſſe uideatur, quod plerique ſcribunt grauiſſimi Medici, naturam adhuc peſtilentiæ neſciri, & certam non habere, qua carere nequeat, idæam, ſed primos in ea, ſi audaces nimium ſint, perire medicos: cum autem incipit ſuapte ſponte, Deo iubente, ceſſare, tum prodeſſe remedia, à quibus tamen numquam ceſſandum eſſe, Chriſtiana ratio perſuadet. Ex hoc populari morbo pauci admodum Rauennæ interiere, iiq. aut imbecilles antea erant, aut deſtillationibus plurimum obnoxii;

angu-

anguſtoque thorace, & praua admodum ratione uictus, in ipſo potiſſimum morbo uſi: cum tamen tuſſis pleroſq. & laſſitudo,& cibi faſtidium multos dein de a febre dies, malè haberent: Hunc alii alio appellarunt nomine: nos matto nem,quaſi Sannionem,& deſipientem, Veneti montonem, id autem eſt, Arietem, Caſtronem Romani, quæ uox latinè ueruecem exprimit. Latius autem eius explicauimus hiſtoriam,ut ſi quando deinceps occurrat, non omnino incidat nouus,atque ignotus. Sed ciuitatem ita moleſto afflictam morbo,aduentus Alexandri Sfortiæ Cardinalis plurimum recreauit. Eum Gregorius Ponti fex Legatum uniuerſæ ditionis Pontificiæ,in Italia,fecerat,extra Bononiam, cui præfecerat Legatum Petrum Donatum Cæſium Cardinalem; multis exulum,& damnatorum; quibus ipſa ditionis,ac omnis potius Italiæ,loca cõplebantur; flagitiis adductus. Itaque cum Sfortia,poſtquam in Vmbria,ab Piceno ſeueritate uſus, & pleroſq. mulctauit, & ceteros in concordiam adduxit, Octobri menſe,iter hanc in urbem inſtituit. Tum Rauennates magnopere laborantes,ut tantæ Legatum iuriſdictionis,adminiſtrationisq. maiore quo poſſent ſtudio,exciperent,Senatores quattuor huic negocio præfecerunt,Bernardinum Mengolum,Gaſparem Pignattam,Põponium Spretum equites,& Cæſarem Amadutium: cum familiæ, quæ ampla admodum,& nobilis erat, uariis armorum,& togæ honoribus claris uiris refertæ,per ciuium domos pro dignita te diſtribuendæ;neque enim Prætorium capax fore illius omnis conſtabat;munus Cantiano Scapuccino iuriſconſulto,Iuſtino Spreto equiti, & Mario Artẽgo fuiſſet datum. Ingreſſus eſt Prouinciam III. Non.Nouembr.cum illi Ghiſlerius Præſes,Fanum uſque,obuiam proceſſiſſet.Poſtridie ad Cæſenaticum oppidum, uigeſimo ab hac urbe lapide,uenit: Nonis,iter Rauennam intendit: & cum illum ad amnem Sapim Chriſtophorus Boncompagnus Archiepiſcopus, & Hieronymus eius frater, Rauennati nobilitate comitati,adhibuiſſent,ueſperi, maiore familiæ parte, cum Archiepiſcopo,& noſtris, Rauennam dimiſſa, ſubſtitit in cœnobio Claſſenſi: eoq. tum Magiſtratus Ciuitatis,cum quateruiris delectis,ad ſalutandum illum,obſequiumq. præſtandum ſe contulere. Noctem in eo cœnobio Sfortia Legatus traduxit: poſtridie a prandio,cum ad cœnobium patricii ferè ordinis omnes Rauennates,& ipſius familia Legati, agreſtisq.militia Vincentio Magnano Bononiẽſe,Præfecto, præeunte,& Nonagin tauirum Rauennatium aſſeclæ,uocant adhærentes; egregiè armati,iam peruenissent,domo egreſſus,& multis ſclopettorum diſploſionibus militariter ſalutatus,quadriga propè portam deuehitur,& in propinqua Lelii Claretti domo, Pontificia ueſte,galeroq.ſumptis,mulam conſcendit,& nobili iuuenum noſtrorum; quorum erat Federicus Lunardus Dux; manu ſtipatus,ad portam Gregorianam accedit. Præibant poſt ſeruum,qui in equo Legati clauam geſtabat; patricii Rauennates ſanè complures, inde eius familia omnis, quam Ludouicus Martianus,Comes,equitatus Præfectus,Guido Aſcanius è monte,Marius Raſponus Rauennas,cum ſua quiſque ala equitum, & Petrus Franciſcus Boſius,eques Fauentinus; cuius ala Maceratæ remanſerat; ſequebantur. Has enim alas quattuor,Pontifex, ut Legato ad omnem ditionẽ ab exulibus expurgandam,ſubſidio eſſent,cõſcribendas iuſſerat. Acceſſere ad hos Nonagintauirũ Rauennatum aſſeclæ,tercenti circiter præclaris armis ornati, Antonio Veſio Rauennate Duce. Secundũ hos, longo, inſigniq. inſtructo agmine, omnes

ſacratorum virorum ordines: quorum poſtremas Chriſtophorus Archiepiſcopus, in ſacra ueſte,& crucem ipſi iam ad portam genibus innixo, oſculandam præbuit, & concinentibus ædis Vrſianæ cantoribus, certisq. precationibus recitatis, Hieronymus Guaccimannus iuriſconſultus, Magiſtratus Princeps, claues urbis obtulit. Inde ſub umbella,mulam conſcenſus,in pompa,urbem ingreditur, uiis undique viridi iunipero cōtectis, & innumera omnis ætatis, ſexusq. non Rauennatium modò, ſed totius Prouinciæ turba completis. Sequebatur illum Hieronymus Boncompagnus,Gregorii Pontificis,fratris filius,Archiepiſcopi frater,Ghislerius Præſes, Odoardus Gualandus,Epiſcopus Cæſenas,inſigni uir eruditione ſpectatiſſimus, Ioannes Ludouicus Pius S. Petri ad Vincula in agro Rauennati,Abbas,Ioannes Baptiſta Boncompagnus arcis Rauennæ Præfectus,Franciſcus Maria è Marchionibus montis,Abbas,Fabricius Cōtiguidus,Balnei Marchio,Horatius Benedictus Callienſis,Legati Vicarius, Innocentius Maluaſia Bononienſis,Prouinciæ Quæſtor,Iudices Præſidis Ghiſlerii omnes,multiq.præterea nobiles ex eius familia,ex omniq. Prouincia uiri: Multas obuias habuit portas triumphales,emblematibus,carminibusq. ornatas elegantiſſimis, in quibus tum ipſius Alexandri Legati uirtus, ac geſta,tum Sfortiadum familiæ Regna, Imperiaq. & ſacræ Præfecturæ, præclaris additis elogiis,picturisq. ac ſtatuis,magna ſpectantium uoluptate legebantur. Vbi ad Vrſianam ædem peruentum eſt, umbella, mulaq. ex more data,ac recepta, ad aram maximam ſumma cantus, ſoniq. alacritate ſupplicauit,& populo benedixit,in præalta ſede,Senatorem Rauennatem,ut pro uiribus,tantum Legatū ex dignitate exciperent,a Senatu dicere iuſſum,audiuit, latina oratione, eius laudes,& Rauennatis lætitiam populi,è ſuperiore loco,nomine ciuitatis explicantem. Hanc autem Rauennatum gratulationem,cum pro ea,qua erat præditus humanitate,plurimum probaſſet, iuuenes quos nobili ueſtitu indutos obuios habuerat, equeſtri dignitate ornauit,& totum ſe ad conformandam, pacandamq. Prouinciam dedit. Diſceſſit hoc tempore Romam Ghislerius Præſes,cum ſuperiore anno Nonagintauirum Pacificatorum numerum,annuente Gregorio Pontifice,reſtitutasq. eius iuſſu,illius ordinis leges,confirmaſſet,ſiccatisq. in Ceruienſi paludibus,ac extructis Salinis,opidum,portumq.Cæſenaticum,turri egregia, in qua ſpeculatores aduerſus Piratas aſſiduè haberentur, & horologio,& columnis è marmore præſtantiſſimis,Rauenna deductis ornaſ-

ANN. M. DLXXXI. ſet. Inſequens annus ſacrarum Virginum,Franciſcani ordinis,è D. Pauli cœnobio,quod multos iam annos incoluerant,migrationem attulit: nam quia popularium undique domibus,ac hortis circumdabantur,Iulius Archiepiſcopus primò,mox Chriſtophorus,eas, quæ tum duæ ſupra uiginti erant, illinc amouendas,& in cœnobium D.Claræ ſatis amplum transferendas,iure optimo cēſuerant: quod, facultate à Gregorio Pontifice,per eius litteras Romæ hoc anno,pridie Non.April. ſcriptas,impetrata,Chriſtophorus Archiepiſcopus confecit. In illud autem cœnobium,ſacrarum Virginum commodo uendituma; iubente Pontifice, ut piis addiceretur uſibus, unà cum templo; Seminarium puerorum inductum eſt. Lampas, ac potius pila ignea, ſereno cælo, poſt ſolis occaſum, ad caudam maioris Vrſæ V I. kalen. Auguſti magnopere refulſit, celeri ab occidente in Orientem curſu labens, & per ſtrepens: extincta autem flamma, alba remanſit, anguem referens, nubes: inde uariæ nubium

nunc

nunc crocei, modo pallido coloris figuræ conſecutæ. Ad VII. Idus Aug. Se-
natorius locus Iacobo Boncompagno, Soræ Duci: ad. III. Kal. Nouembr.
Hieronymo Boncompagno, Archiepiſcopi fratri, datus eſt. Obiit hoc anno
Maceratæ, menſe Iunio Alexander Sfortia Cardinalis Legatus, magna uir-
tute, & rerum uſu, inſignis: quemadmodum autem Gregorius Pontifex bien-
nio poſt, in eadem ſacræ purpuræ dignitate, illi Franciſcum Sfortiam Marchio
nem fratris filium, ſubrogauit, præſtanti, & acuto ingenio, optimaq. indole,
& præclara eruditione iuuenem, Cardinalemq. fecit, ita hoc eodem anno no
uum præfecit huic Prouinciæ Legatum, Guidum Ferrerium Vercellenſem,
Cardinalem: qui Rauennam Septimo Id. Decembris, ingenti occurſu ſacra
torum uirorum, & ciuitatis ex more ſub umbella ſolemniter iniuit: egregium
pompæ & uiarum apparatum ſumma cura procurantibus, quattuor Senatori-
bus, Pomponio Spreto; Dionyſio Columbo, cognomento Luppatello, equi-
tibus, Vincentio Bellino iuriſconſulto, & Cæſare Amadutio, a Senatu de-
lectis. Ingredientem, Magiſtratus Princeps Opizo Monaldinus iuriſcon-
ſultus, ad Gregorianam portam, oblatis clauibus, breuiq. & apta oratione
accepit. Vbi uerò ad Vrſianam eſt ædem peruentum; Senatori Rauennati
apud eum, latinè, nomine Ciuitatis peroranti; ipſi iam deſcendere è ſugge-
ſtu parato, manu innuens, ut conſiſteret, grauibus, ornatiſſimisq. uerbis, ut
erat excellenti litterarum cultu perpolitus, breuiter, latinè reſpondit, gratiſ-
ſimum ſibi accidiſſe, quod ex ea oratione cognouerat, conſilium ſummi &
optimi Pontificis Gregorii, Rauennatibus & ceteræ Prouinciæ uehementer
probari. Quod uerò ſe ad id munus, ex tot ampliſſimis patribus Pontifex
delegiſſet, id dare illi beneuolentiæ, quam ſemper erga ſe in Pontifice per-
ſpexerat. Venire autem ad nos, ut D. Ambroſio, cuius Archiepiſcopatus in-
euntis is tum dies feſtus agebatur; dixit Probus; non ut Iudicem, ſed perinde
ac Epiſcopum: filiorum a nobis obſequium expectare, ut omnia nobis pater-
na ipſe officia prolixe pollicebatur. Quod ſi quid ſecus in nobis accidiſſet;
tum piè ſæuire conſilium erat, nec quærere quæ ſua eſſent, ſed quæ face-
rent ad noſtram incolumitatem, amplecti ſe hanc potiſſimum noſtram Ci-
uitatem ſuam Regiam, eius ſe defenſurum perpetuò dignitatem, neque
paſſurum, ut aliqua uſquam ratione imminueretur. Ab his uerbis ſumma cum
dignitate pronunciatis, ipſius nequaquam facta diſſenſere, maximam in iu-
ſtitiæ, & oppreſſorum defenſione laudem deinceps conſecutus. Proxi-
mo anno, quod iam diu fuerat, ut intermiſſum, ita optatum, tandem ad exi- ANN. M. DLXXXII.
tum perductum eſt tabularium publicum, uocatum hodie Græco nomine,
Archium, in quo teſtamentorum tabulæ, rerumq. inter ipſos contractarum, a
noſtris hominibus, fideliter cuſtodirentur: cum prius ſæpe contingeret, ut
ipſæ negligentius aſſeruatæ, perirent, & multarum cauſa litium, ueritatisq. oc
cultandæ forent. Illi Senatus conſulto. XII. kal. Febr. primus præfectus eſt,
qui & eius ædificationi, curator, præfuerat, Marius Carrarius, eximia ſcribæ
diligentia, intelligentiaq. & eques: Cum interea Guido quoque Legatus, ædi
ficandi percupidus, quippe qui magnam ex ea re uoluptatem caperet, in om-
nibus Prouinciæ Ciuitatibus, noua ædificia, eademq. ad ornatum earum &
commodum facientia, excitarit. Sed cum Rauennæ in æde Vrſiana ſacellum
inſtituerit, portam Iuliam propius arcem admouerit, aperueritque, uiam ab

illa deductam, cum Gregoriana, deiecto ſacrarum Virginum D. Ioannis Euangeliſtæ templo, coniunxerit, nouum, longeq. nobilius templum, ipſis ſacris uirginibus incœperit, maximè tamen moleſtum noſtris, accidit, quòd portam auream, mille iam, & quingentis quadraginta annis a Tiberio Claudio Cæſare, uti docuimus, exciratam, ex urbis muro, ubi erat, in uentum Africum uerſo, ut ea marmora ad ceteras, quas moliebatur, ſubſtructiones adhiberet detraxiſſet. Magnifici, ac planè Regii ſumptus, atque artificii opus: Vtrinque ad maximas porras, quæ duæ erant, minores aderanr portæ, ſupra quas uidebantur inſigni arte præcellentium artificum, uario linearum, quaſi capreolorum, ac foliorum flexu, inciſi orbes, tunc uacui, ſed quæ ſpecula continere dicebantur, ea forte de cauſa, ut triumphantes Duces, dum ingrederentur, ſe ipſos in pompa, & ſequentes ſpectarent. Maximarum portarum arcubus, reticulato opere, præclaro artificio intus elaboratis, fuiſſe aurum inductum; niſi me coniectura fallit, ueſtigia declarabant: & cum labentia iam, ac planè corrupta uetuſtate ea marmora crederentur, ubi tamen dirui porta cœpta eſt, & marmora detrahi, ea firma, integra, & intus candidiſſima reperta ſunt. Concilium hoc anno Prouinciale, Rauennæ, in æde Vrſiana, Chriſtophorus Archiepiſcopus, ſubiunctorum ſibi Epiſcoporum habuit: cum autem eos liberaliter excepiſſet, in Archiepiſcopi Prætorium, ſtata die, quæ fuit IIII. Idus Maii, mane, cum ipſo Chriſtophoro Archiepiſcopo conuenerunt. Fuere autē Gabriel Cardinalis Paleottus, ciuis, & Epiſcopus Bononienſis: Iulius Canaņus Ferrarienſis, Hadrianorum: Hercules Sacratus Ferrarienſis, Cymaclienſium: Ferdinandus Farneſius Romanus, Parmenſium: Angelus Perutius, Saſſinatum: Benedictus Mangiolus Mutinenſis, Regienſium: Ioannes Andræas Calligarius, Breſichellenſis Britonorianorum: Ioannes Franciſcus Canobius Bononienſis, Forliuianorum: In eo priuato congreſſu Chriſtophorus Archiepiſcopus eorum aduentu collaudato, & explicata neceſſitate Synodi celebrandæ, hortatus eſt, ut Deo bene iuuante, de corrigendis, publicis, priuatisq. moribus, & ſacris in Prouincia rebus conſtituendis, unà ſecum conſilium inirent, ac decernerent: Quibus reſpondere Patres, ad eam Synodum libenri animo ſe ueniſſe, & Diuini ſpiritus inſtinctu, ad ea ſe facienda paratos, quæ facerent ad Dei gloriam, animarumq. ſalutem: cum tamen antea ex ipſis plerique, & nonnulli ceterorum abſentium procuratores, in Archiepiſcopi cubiculo, teſtati fuiſſent, ſe non perinde ac ſubiunctos ueniſſe, ſed quòd hanc ciuitatem ſponte elegiſſent: quibus ab Archiepiſcopo ita reſponſum eſt, ut omnino ſubditos appellaret, atque eos, niſi ut Rauennati ſubiunctos Eccleſiæ, in Concilio non admitteret. Ipſe mox Archiepiſcopus, Epiſcopis approbantibus, Synodo a ſecretis, Bonum Chieſam, iuriſconſultum Cremonenſem, cauſarum apud ſe iudicem: Promotorem, Leonardum Moriſium iuriſconſultum Rauennatem: Qui poſtulata, & ſupplices libellos ad Patres referret, Vincentium Carrarium, iuriſconſultum item Rauennatem dicit, & ceteros deinde adminiſtros inſtituit. Inde de eorumdem Epiſcoporum ſententia, pro inſigni ſuo, ſacræq. ipſius Synodi, ſingulorumq. Epiſcoporum, in Romanam Eccleſiam, eiusque magiſtratus, atque miniſtros cultu, ſciuit, uti Annibal Graſſus Bononienſis, Epiſcopus Fauentinus, huius Prolegatus Prouinciæ, perinde ac eius Pontificii ſolii adminiſter, & Guidi Car-

dinalis

dinalis Legati perſonam referens, ceteros in ea Synodo Epiſcopos perpetuò anteiret: ne uerò id in futurum exemplo traheretur, Pontificium eſſe folium conſulendum, ex cuius reſponſo, in poſterum: ſi is alias accideret caſus, omnino ageretur. Nemini quidquam præiudicii, ex huius Synodi conſenſu, aliisve actibus fieri ſanxit: neque ulli abire, ante confectum Concilium, licere. In publicis congreſſibus, procuratores conuentuum ſacratorum uirorum; uocant Capitula; iuxta Epiſcoporum ſuorum ordinem ſederent, Epiſcoporum uerò abſentium procuratoribus, Epiſcopis præſentibus a tergo, daretur locus, ſed ſuffragiorum illis ius nullum eſſet, excuſationem abſentium Epiſcoporum, iudicium, ad Hadrianum & Parmenſem Epiſcopos eſt integrum reiectum. Delationibus nominum, & poſtulationibus, ſi quæ forent, præfecit Saſſinatem & Britonorianum. Qui profeſſionem fidei non feciſſent, ut in proxima ſeſſione ex Pii Quarti præſcripto facerent, & Cõcilii Tridentini decreta, de reſidentia recitarentur, mandauit, & generalem conuentum in horam eiuſdem diei decimam nonam indixit. Quæ cum eſſent acta, certis a Paleoto Cardinale precibus pronunciatis, diſceſſum eſt. Coiuere in aulam, ad id paratam, ubi uetuſtum, & domeſticum Archiepiſcopi ſacellum eſt, ſtatuta hora, patres, & ſub eadem vmbella, cum Archiepiſcopo, Cardinalis Paleotus conſedit, pronunciatiſq. a Paleoto, ex libro rituali, precibus; cum adeſſent Epiſcoporum, Canonicorum, & ceterorum abſentium procuratores, & ipſi Rauennatis Eccleſiæ Canonici, ſacratiq. alii uiri Rauennates, exteri complures, multiq. populares, nobilitate & litteris inſignes, Chriſtophorus Archiepiſcopus latina oratione cauſam aperuit, quamobrem ad eos conuocandos, habendumq. Concilium fuiſſet impulſus: Quibus dictis, introductiſq. nunciis, ii fuere Petrus Ioannes Mercatus, & Iacobus Philippus Moriſius ſcribæ ſolertiſſimi; qui, uti erat ab Archiepiſcopo imperatum, ſecitaſſe Epiſcopos, Eccleſiæ Rauennati ſubiectos, eorumque ſacratorum uirorum conuentus, ſigillatim, retulere, abſentium Epiſcoporum procuratores, & conuentum item ſacratorum uirorum, uocantur, qui ſe adeſſe cum mandatis reſponderunt, hoc ordine Paulus Emilius Ioanninus, Picens, Philoſophus, & iuriſconſultus, Odoardi Gualandi Piſani, Cæſenatium: Alexander Soprarius iuriſconſultus Rauennas, Franciſci Ruſticutii Faneſtris, Faneſtrium: Ioannesbaptiſta Valentinus, Sixti Vicedomini Nouocomenſis, Mutinenſium: Alexander Canalius, Pauli Leonii Patauini, Ferrarienſium: Fabius Tempeſtinus Alexandri Muſotti, Bononienſis, ForoCornelianorum: Bartholomæus Baſſus, iuriſconſultus, & Præpoſitus Rauennas, Laurentii Campegii Bononienſis, Ceruienſium: Hieronymo Nerius, Abbatis Vangaditiani. Vbi autem Bonus Chieſa, mandato Archiepiſcopi, ſi quid a quoquam dicendum, aut in publico proponendum eſſet, is ut accederet, edixit, neque quiſquam in medium prodiit, abire omnes iuſſi ſunt, extra Epiſcopos. Itaque ianua clauſa, aliquot matutini congreſſus decreta repetita ſunt, poſt quæ, finem Conuentus habuit. Poſtridie mane, eiuſdem iuſſu Archiepiſcopi, in Vrſianam ædem Metropolitanam egregiè aulæis, & periſtromatis, uelisq. excultam conuenerunt omnes, ipſeq. Archiepiſcopus, ad aram maximam, Pontificio habitu, Cardinalis autem Paleotus ad aram ſacratiſſimæ Euchariſtiæ, purpurea ſolemni ueſte præfulgens, ſub vmbella conſedit: reliquis, ſuo cuique ordine,

Epiſcopis, in palliis rubris, & mitra alba, erant in exedra, inſtratæ tapetis egregiè pictis, ſedes. Fecit rem Diuinam de ſpiritu ſancto concinentibus admirabili arte, Muſicorum Principis, Conſtantii Portæ, cantoribus, Archiepiſcopus, deinde, de celebranda Synodo, latinè dicere ingreſſus, ea ſubtexuit, quæ ad conſerendas in mentibus populorum, pias & ſanctas rationes, & ad eorum mores confirmandos fieri oportere cenſeret, cum affirmaret iuſtiores multò & grauiores cauſæ eſſe agēdi omnibus Epiſcopis aliquid, quàm ceſſandi, illisq. omnia pro fidei ac religionis in ſuis populis tutela ac propugnatione facienda ſemper eſſe & ſubeūda, acriq. cura ac uigilia ad ea elaborandum, quæ ad muniendam Euangelicarum uirtutum uiam, & ad doctrinā beatæ uitæ pertinent: Nam doctoris noſtri Chriſti exemplo, monitisq. edoctis, in procuratione aliorum utilitatis, præclaram eſſe ſpem adipiſcendæ felicitatis poſitam: quando uirtutes ipſas, quæ præeunt nobis, & magiſtræ ſunt ad beatam uitam, non cognitione ſolum atque ſcientia, comprehendere, uerùm etiam uſu & fructu oporteat, cum præſertim ea eſſe uideatur temporum ratio, ut plerique carne in omnem licentiam ſoluta & libera, dent operam non ut ſpiritus liber ſit, ſed ut peccato ſeruiat. Quæ quantum, inquit, & fugienda in nobis ſint, & ne in noſtris populis figantur, ſit curandum, uos comprehendere omnes puto, & is facile intelliget, qui adminiſtrationem, ad quam nos uocauit Dominus, perpendet, & paſcua illa æterna mente complectetur, in quæ nobis præmittendæ oues ſunt, ut illas ſequamur: felicia paſcua, domiciliumque beatum: cuius ſi imago, uel pertenuis, tantum uoluptatis in animis mortalium excitat, quos re ipſa amores ingenerare, quæ immenſa, & captum omnem excedentia gaudia, eademq. ſempiterna afferre cogitandum eſſet, ſi ulla contineri cogitatione poſſent? Fatebor quod res eſt, dicamq. id planè quod ſentio, Patres grauiſſimi: Conuenientibus uobis in vnum, ſacris iſtis ueſtimentis, totoq. habitu, ac facie præclarè compoſitis, hoc templo inſigni, neque admodum incompto, reſonantibus vndique lætiſſimis uocibus, organisq. muſicis, cæli temperatione planè uerna, florente vndique uiridiſſimo terra ueſtitu, non Eccleſia ſeſe mihi offert militans, in ærumnis & aduerſis uiuens, peregrina a Domino, ſed illa urbs beata Hieruſalem, cuius ex auro muri, cuius portæ margaritis nitent, ubi uer aſſiduum, & ſecura quies, & neſcia fallere uita, quam uiginti quattuor ſeniores, ueſtimentis albis induti, coronis cincti capita aureis, cohoneſtant. Quamobrem iure ac meritò hodie Eccleſia Rauennas, feſtiua; ut Eſaiæ uerbis utar; tota gaudens, & compta proceſſit, induit ſe tunicam iucunditatis ſuæ, & ſicut ſponſa, impoſuit ſibi mitram, ac uario ſe compoſuit ac decorauit ornatu. Alacri igitur animo, fratres amantiſſimi, patres filiis: paſtores, ouibus conſulamus, ſalutis uiam oſtendamus, & tam præclaro facinore, ſancto inſtituto, amabiliq. labore, fidei & charitatis lumine præluceamus. Quid enim eſſe aut amabilius poteſt, aut illuſtrius, aut denique ſanctius, quam laborare ea cauſa, qua Chriſtus Deus, Dominus noſter laborauit, & ut laboraret, è perpetua, ſummaq. illa, ac propria felicitate, ubi, beatus, lumine induebatur, ut ueſtimento, ad quærendas redimēdasq. oues, quæ perierant, deſcendit? His, atque aliisq. in hanc ferè ſententiam ab Archiepiſcopo dictis, ſolemnis omnium ordinum, cum ſupplicatione, pompa, per vrbem, incredibili populi frequentia

quentia deducta eſt, inde ad ædem Vrſianam reditum. Vbi autem conſedere omnes, Marcus Antonius Granellus, ciuis, & Canonicus Rauennas, diſertiſſimè de utilitate Conciliorum, e ſuperiore loco, diſſeruit. Eo tacente, placuit Patribus, Bono Chieſa interrogante, qui erat, uti docuimus, à ſecretis, inchoari Concilium. Tum repetita tertio ſunt ab Archiepiſcopo, aliquot, quæ in priuatis fuerant congreſſibus conſtituta, decreta, eaque recitata, quæ de reſidentia, & de profeſſione fidei, in ſacroſancta Tridentina Synodo habentur: Mox accuſantur a Leonardo Moriſio promotore, de contumacia abſente Epiſcopi, deditq. Archiepiſcopus, ut adeſſe iuberentur. Indicta autem in diem XVI. kal. Iunii, altera ſeſſione, & pronunciatis ex more precibus, prima abſoluta eſt. Congregauere ſe priuato iterum conuentu. XVII. kal. Iunii, mane, Patres, promulgataq. ſunt, quæ referrentur ad Synodum, decreta: eorum multa accepta, emendata nonnulla, pleraq. reiecta omnino. Eodem die, ueſperi, generalis in aula Prætorii, uti ſupra, conuentus eſt habitus, & facultate omnibus ad dicendum data, cum aliqui ſacrati uiri, atque etiam populares, laicos Græce, uulgò appellant: per Vincentium Carrarium, ſupplices libellos & alia porrexiſſent, de illis ſacra Synodus, ex æquo & iure conſtituit. Clauſa mox ianua, promulgantur decreta iterum, quæ ſibi placere Patres reſponderunt, ea condicione, ut eorum immutandorum facultas, uſque ad poſtremam ſeſſionem, iusq. ſibi eſſet, intereaq. in proxima ſeſſione recitarentur. Itaque cum hora decima poſtridie in ædem Vrſianam conueniſſent, ſacris ab Epiſcopo Britonoriano peractis, abſolutisq. ex rituali libro ceremoniis, poſtquam Simon Caſſola, ciuis, & Canonicus Parmenſis, latinè, præclareq. concio natus fuit de habendæ Synodi ratione, indutis, ſedentibusq. ut in priore ſeſſione, Epiſcopis, Bonus Chieſa, accepit de Archiepiſcopi manu librum, decretorumq. partem è ſuggeſtu recitauit: quæ cum ſibi placere, Patres reſpondiſſent, indicta eſt in XIII. kal. Iunii, tertia ſeſſio, rogatiq. ſunt a Leonardo Moriſio, ſcribæ, ea ut acta in tabulas referrent, tandemq. finis Seſſioni, ex ritualis libri præſcripto, impoſitus eſt. Ad XIIII. deinde kal. mane, in priuato congreſſu, decreta examinarunt, ſingulis diligenter excuſſis. Veſperi, cum nullus eſſet, qui, facta poteſtate, in medium quidquam proferret, occluſis foribus, reliqua, lubente Archiepiſcopo, decreta promulgantur, Patresq. ea ſibi placere, condicione ſupraſcripta, & poſtridie in Seſſione recitanda eſſe reſponderunt: mox decreuerunt, ut ſingulo triennio, quo Prouincialis eſt habenda Synodus, Epiſcopi, tribus antè menſibus, quotquot in ſuis diœceſibus abuſus eſſent, & quæ emendatione egerent, renunciarent Archiepiſcopo, ipſe contra Archiepiſcopus, decreta, quæq. in Synodo tractanda duceret omnia, antea ad illos per menſem mitteret, ut conſultius agi de re tota, ac decerni poſſet. Placuit item, ut liceret Archiepiſcopo, huius decreta Synodi, ſtylo elegantiori; nihil tamen immutata eorum ſententia; perpolire. Quæ cum eſſent in generali ueſpertino congreſſu acta, poſtridie, ſummo mane, ante Seſſionem, conuenere iterum, multisq. de iis, quæ facerent ad perficiendam Synodum, uerbis inter ſe habitis, mandarunt uocari abſentium Epiſcoporum procuratores, & abſentiæ ab illis conquiſitis cauſis, ualde moleſtam ſibi illam accidiſſe, præſetulerunt: & cum celebrandæ iam Synodi eſſet hora, ſimul in Vrſianam ædem ſe recepere, ubi ſacra ſolemnia, operante Forli-

uiano

uiano Epiſcopo, inchoantur: lectoq. Euangelio, cunctis, ſuo quiſque loco, conſidentibus, Iacobus Curlus iuriſconſultus Argentanus, latina oratione laudem Synodi, copioſè, atque ornatè explicauit: Sacris abſolutis, quod reliquum erat decretorum, a Bonò Chieſa, accepto de manu Archiepiſcopi libro, recitatum eſt: quæ decreta cum Patres probaſſent, & imponi finem Synodo, ſibi placere, reſpondiſſent, Archiepiſcopus per ipſum Bonum Chieſam edixit, ne cui Epiſcopo, Epiſcoporumve procuratori, inde abire, niſi ſubſcriptis prius decretis, liceret. Tum omnes Epiſcopi, extra Paleotum Cardinalem, qui ſuo ſe loco non mouit, ad Archiepiſcopum ſigillatim adierunt, ipſeq. eos benigne complexus eſt. Poſtquam autem Moriſius promotor, diem abſentibus dici inſtitit, Archiepiſcopus, qui et admiſit, quatenus oporteret, latina oratione, ad ea, quæ decreta eſſent, accuratè ſeruanda, Epiſcopos magnoperè hortatus eſt: Inde toto tẽplo indicta ſupplicatio præcedentibus ſacratis uiris, mox abſentium procuratoribus, quos Canonici ſequebantur Rauennates, poſt hos in pluuiali ueſte Hoſtaſius Ginannus Archidiaconus, & omnes ſecundum illum Epiſcopi, ipſeq. cum Paleoto Cardinale, Archiepiſcopus: Ea autem abſoluta, cum eſſent omnes in exedra, Archiepiſcopus, recitatis certis ex rituali libro precibus, ita ut erat in ſacra ueſte, mitratus, cum ſiniſtram manum admouiſſet ad lituum, dextra in crucis effigiem ducta, omnibus benedixit: ſtatimq. ab Archidiacono, abire omnes iuſſi ſunt, reſpondentibus omnibus, *In nomine Domini*: Quæ omnia in tabulas a ſcribis referri, Moriſius Promotor rogauit. Quoniam uerò præclarum in hoc Concilio Gaſparis Silingardi, Vicarii, ſtudium extitit, paulopoſt Gregorius Pontifex Epiſcopum illum fecit Ripæ Tranſoniæ in Piceno 1 isq. Septembri menſe. V. Idus, in æde Vrſiana, Ioanne Andræa Caligario Britonorianorum, Ioanne Franciſco Canobio Forliuianorum Epiſcopis aſſiſtentibus, a Chriſtophoro Archiepiſcopo conſecratus, haud ita diu poſt, ad Epiſcopatum ſe contulit. In eius locum Chriſtophorus Archiepiſcopus Vicarium ſuffecit ſibi, Bonum Chieſam, quem diximus, iuriſconſultum Cremonenſem, præſtanti uirum eruditione. Gregorius Pont. hoc tempore, in ſacra D. Apollinaris, primi Rauennatum Archiepiſcopi æde, Romæ, collegiũ Germanicum ſtabiliuit: addidit & Hungaricum, ampliſſimisq. domibus, & uectigalibus auxit, idq. Diuino conſilio, ad reparandas ingentes clades Germanarum Eccleſia tũ ab hæreticis illatas: ut Cæſar Baronus, Soranus, uir probitate, ac eruditione inſignis, in ſuis ad Martyrologium Romanum notationibus, præclarè docet. Cum autem per id tempus Guidus Cardinalis legatus, Hadrianam vrbis portam, ſpectantem in Septemtriones, ad Occidentem Solem uertiſſet, uiam militarem Fantinam rectà excipientem, quo etiam fuerat loco, antequam Hieronymus Capoferreus Cardinalis Legatus, propugnaculo ibidem, ob nonnullas belli ſuſpiciones, excitato, iam loco dimouiſſet, ut aliqua ex parte Rauennates leniret, Portam illam, Auream nouam voluit appellari, quòd ex eius portæ marmoribus ædificaretur tota, atque ornaretur: neque verò paruo id ſumptu: in quem Rauennates, petenti Legato ſatisfacturi ſummam pecuniæ uim, contulerunt. Menſe Octobri, magna in anno mutatio, Gregorio Pontifice emendante, ac iubente, facta eſt: quam Rauennates libentiſſimè acceperunt, nequaquam ignorantes, dies iam multos ab ea corre-

ctione

ctione procurriſſe, quam C. Iulius Cæſar, ſuo. III. & M. Aemilii Lepidi conſulatu; uti etiam Cenſorinus de Die natali ſcribens, docet; conſtituerat. Itaq. eã magnoperè iam diu deſiderauerant, ut certa tandẽ æquinoctii uerni, & XIIII. Lunæ primi menſis, Paſchatisq. dies haberetur; quod ſæpius a ſuperioribus Pontificibus tentatum, ſemper exoptatum, numquam ad exitum perductum fuerat, ob inextricabiles penè difficultates, quas pariebant, & cæleſtium motuum ſubobſcura ratio, vnde magna erant petenda fundamenta; & antiqui Eccleſiæ ritus, qui omninò ſeruandi uidebantur: Nã qui proponebantur, a Cœleſtium conuerſionum peritis, modi, ex iis plerique, perennes non erant, alii religiones ſui cuiusq. menſis ſummouebant, pars ritus Eccleſiæ uetuſtiſſimos minime tuebantur. Cum autẽ Aloiſii Lilii hoc argumẽto ſcriptus liber, fuiſſet ad Gregorium Pontificem allatus, & a ſcopo nequaquam longiſſime aberrare iudicaretur, accitis Gregorius Romam ex primariis Chriſtiani orbis nationibus, uiris doctis, ex illorum demum ſententia, eo emendato Aloiſii libro, & æquinoctio uerno ad XII. Kal. April. dieq. XIIII. lunæ primi menſis iuxta tempus Concilii Niceni cõſtituto, cum eſſet etiã prouiſum in futurum ne aberraretur, & cautũ ne is præriperetur terminus, detrahi iuſſit de menſe Octobri hoc anno tantũ, dies decem: ſic ut poſt IIII. Non. ſtatim Idibus diceretur. Cum aliquot antea menſibus, hanc ad ſe a Gregorio Pont. miſſam, corrigendi anni rationẽ, Chriſtiani Principes & celeberrima Gymnaſia, magna cũ cura & diligentia examinatam probaſſent. Sed tot Concilii, & optimæ legationis, ac conſtituti anni uoluptates, vna obruit, oppreſſitq. ab eodẽ Gregorio Pont. Max. moleſtia, qui Gabrielis Paleoti Cardinalis, Bononienſisq. Epiſcopi ſtudio adductus, & Quadragintauirum, aliorũq. Magiſtratuũ eius ciuitatis ſupplicibus precibus incitatus, & ſua in patriam, opibus ac dignitate florentem, illectus beneuolentia, nullo neq. audito, neq. adeſſe iuſſo, neq. uerò citato, aut cõmonefacto Eccleſiæ Rauennatis, aut Rauennatium procuratore, Bononienſem Eccleſiam, Archiepiſcopalem fecit, atq. ei Placentinã, Parmenſem, Regienſem, Mutinenſem, Forò Cornelianam & Ceruienſem, Archiepiſcopatus Rauennatis Eccleſias. IIII. Idus Decembris, Metropolitico iure ſubiecit, adiecta etiam; quæ Rauennatis Eccleſiæ non erat, Cremonenſi, ſuperiore anno Epiſcopatu inſignitã. Non alio poterat magis hæc ciuitas nuncio conſternari, ſtatimq. immutata urbis facies, & ſumma repentè omnes triſtitia inuaſit. Aegrotabat tum forte, febre oppreſſus, Chriſtophorus Archiepiſcopus. Rauennates conſilia habere, accuratè rem tractare, moliri multa, ut res ex ſententia procederet: eſſe enim ſibi cum Pontifice Maximo, de illius patriæ dignitate tractandũ, eamq. urbẽ, potentiſſimis, & magna dignitate præſtantibus uiris multis plurimũ uigere: Quæ quamquã maximas undique, ac inextricabiles afferre difficultates uidebantur, tamen ſibi ne deeſſent, magna etiam charitate patriæ impulſi, poſtquam priuatim & publice, intentiſſimis ſuis, religioſorumq. uirorũ ac mulierum precibus, a Deo, Diuisq. Archiepiſcopis Rauẽnatibus, in ſacra potiſſimum Spiritus ſancti æde, ſubſidium flagitaſſent, IIII. Idus Februarii, inſequentis anni, qui fuit a Chriſto nato, milleſimus quingenteſimus octuageſimus tertius, Oratores ad Pontificem duos ex Senatoribus ſuis decernunt, Galeotum Raſponum equitem, & Cæſarem Amadutium: Et quoniam Raſponus tum Romæ legitimè impeditus huic ſe operam dare, ut uoluiſſet, non poſſe uidebat, idq. per litteras ſignificauit, in eius locum Blaſius Oſſius iuriſconſultus ſuffectus eſt, ANN. M.D. LXXXIII.

nihil molas accommodaſſent,nihil efficere de aqua eo modo in vrbem ducen-
da potuerunt. Allatæ per hoſce dies ſunt Rauennam, argenteo ſigno,& aureis
aliquot notis ſcriptæ, Chriſternæ,Lothoringiæ Ducis, & Dertonenſiũ litteræ:
ſuis Chriſtierna,tranſeuntes Dertone Rauennates,ut par pari referret, immu-
nes iubet eſſe: earum hoc erat initium. *Chriſtierna Dei gratia, Regina Daniæ,*
Noruegiæ, Suetiæ,Gothorum,Sclauorum.& Vandalorum: Duciſſa Scleſuici,Holſatiæ,
Stormariæ, Dietmarſiæ,Mediolani, Lotaringiæ. & Barri: Comitiſſa Oldemburgi, Del-
menhorſti,& Albimontis,ac Domina Dertonæ. Hæc enim, Iſabella Caroli V. Cæ-
ſaris ſorore genita,patrem habuerat Daciæ,atque Noruegiæ Regem Chriſtier-
num: cuius etiam erant ditionis Cymbri, in continentis Cherſoneſo ſiti, eos
indigenæ Holſatios, & Danos uocant;terribiles quondam Romanis, ſub bina
cæde,Marianisq.uictoriis deleti,hoc demum ſæculo,non admodum celebres.
Nupſerat Chriſtierna primum Franciſco Sfortiæ, poſtremo Mediolanẽſium
Ducis, inde alteri Franciſco, Lotharingorum, ex quo titulum, filiosq. cón-
ceperat. Dertonenſes; quia ſeruus à ſecretis Reginæ, cui diploma Rauenna-
tium, de immunitate Dertonenſium, ſeruandum traditum fuerat, abfuiſſet
longius,neque ante diem III.kal.Octobr.ſuperioris anni,in eorum fuiſſet Con-
cilio recitatum; Rauennates omnes XVIII. kal. Maii, hoc anno ciuitate do-
narunt: ea lege, ut ſi quis ex noſtris,immobilem aliquam rem,in vrbe aut agro
Dertonenſi acquireret,habitaret in ditione Mediolanẽſi,ad Regii decreti præ-
ſcriptum. Ineunte autumno,cum Guidus Legatus,Vercellas abire decreuiſſet,
ut res ibidem familiares ob fratris, mortem; quæ paucis ante menſibus con-
tigerat; labantes confirmaret, miſſionem a Pontifice impetrauit, cum præ-
clara relinqueret, non Rauennæ modò,ſed in omnibus Prouinciæ ciuitatibus
egregiè adminiſtratæ Legationis,& paterni in populos animi,ueſtigia. Et cum
pleraque in ſingulis ædificari Ciuitatibus, ad earum commodum, curaſſet;
Cæſenates in primis aqua è pago Valeriano, altero ab vrbe lapide, per aquæ-
ductus fictiles, in forum deducta, fruuntur, cum eam optimam eſſe, multis
rationibus probet Nicolaus Maſinus Cæſenas,præcellenti medicus eruditio-
ne,eo libro, quem ſcripſit de gelidi potus abuſu. Succeſſorem habuit Guidus
Legatus, Chriſtophorum Boncompagnum, Archiepiſcopum Rauennatem,
Præſidem Prouinciæ a Gregorio patruo Pont. Max. creatum: cuius rei nun-
cius, ineunte Octobri Rauennam allatus,ſupra quam dici poſſit, gratus ciui-
bus accidit. Illi Pontifex adminiſtrum dedit uirum magno rerum uſu,& ſum-
mi ingenii dexteritate præditũ, Fabium Menichinum iuriſconſultum, è colle
ueteri,Sabinorum opido,&Propræſidis titulo decorauit. Exitu anni Rauenna-
tes, maximis incitati, ac perpetuis Petri Donati Cæſii Cardinalis, beneficiis,
maioraq. ſibi in dies neceſſaria fore intelligentes,ut etiam ne quid prætermit-
terent, vnde ſeſe oſtenderent, beneficiorum minime immemores, frequenti
Senatu. IIII.kal. Ianuar. communi omnium uoto, omnibusq. ſuffragiis,Patro-
num illum ciuitatis adoptarunt. Poſtero anno maxime ciuitatem recreauit de ANN. M.D.
Octauii Abbioſi Rauennatis Epiſcopatu nuncius: quem ſuperiore Decembri LXXXIIII.
menſe, Gregorius Pontifex ex Abbate S. Saluatoris è Sylua munda ad Cor-
nanum Aretinæ diœceſis, Epiſcopum Almurenſem fecerat,& Lactantio Epi-
ſcopo Piſtorienſi,deuexa admodum ætate ſeni,adiutorem dederat. Is igitur
hoc anno, menſe Februario, cum inſigni apparatu, Florentiæ, in D.Fridiani

ab Alexandro Mediceo Cardinale, ciue & Archiepiſcopo Florentino, aſſiſtentibus Boncio, & Feſulano Epiſcopis, conſecratur. Audita eſt menſe Aprili, magna uoluptate Gabrielis Flammæ Veneti, Clugienſium Epiſcopi, concio: qui paulo ante eo Epiſcopatu a Gregorio Pontifice ornatus, conuenire tamen ad ſuorum Canonicorum Portuenſium generalia Comitia, quæ tum in hac ciuitate habebantur, à Galeoto Monaldino hoſpitio acceptus, uoluit: ne in quo ordine multos annos cum laude uixiſſet, & quem aliquando Generali Præfectura rexiſſet, ab eius repente diuelli beneuolentiæ ſignificatione uideretur. Cumque, ex more, doctiſſimi, diſertiſſimiq. eius conſociationis Theologi, quibus ipſa in omne tempus abundauit, abundatque; quotidie in Vrſiano templo conciones haberent; ipſe ſæpiſſimè alias, in eo ordine uiuens, a Rauennatibus auditus, uoluit etiam, in eorum numero, iam factus Epiſcopus, die D. Vitalis, huius Ciuitatis patroni, feſto, concionari. Erat ipſe iam diu tota Italia, ab eloquentiæ & doctrinæ laude celeberrimus, & ſummam dicendi non laudem modò, ſed admirationem fuerat conſecutus, verum hæc illius, de ocio uitando oratio, & ordine: nam illi, fuit in hac Ciuitate poſtrema; & elegantia, fuit planè cygnea: & cum antea magna dicere contentione ac uehementia conſueſſet, in hac, pleraque leniter, multa aſperè, ſed omnia ita grauiter pronunciauit, ut appoſitè ſeruauerit dignam Epiſcopo auctoritatẽ, & digna omnino uiſa ſit, quæ hoc loco a nobis ſcriberetur. Moritur eodem hoc anno, nono kal. Decembr. Rauennæ, Fabius Menichinus Propræſes, cuius magna pompa; Hermete filio, qui aderat, & huius Moderatorem vrbis gerebat, curante; celebratũ poſtridie funus eſt: nam præter omnes omnium religioſorum cucullatorum ordines, ipſosq. Vrſianæ, maximæ ædis ſacratos omnes uiros, iuriſconſultorũ Rauennatium collegium; ſingulis incenſum funale ære proprio, ut maior in eum appareret cultus, comparatum, manu geſtantibus, adfuit, interfuereq. cauſarum procuratores, non Rauennates modò, ſed totius etiam Prouinciæ, qui Præſidis aulam ſequi conſueuerunt. Ipſe etiam Chriſtophorus Archiepiſcopus & Præſes, feretrum honoris gratia proſequebatur, & poſt eum ciues Rauennates innumeri: atque hoc ordine, plurimis ardentibus facibus, ſub ipſas aduẽtantis noctis tenebras, a Prætorio, ad ſacram ædem maximam proceſſum eſt: ubi Marcus Antonius Granellus ciuis & Canonicus Rauennas, luculenta eum oratione laudauit. Petente mox Archiepiſcopo Præſide, ſubrogauit Menichino, Pontifex, Propræſidem, Gaſparem Silingardum Ripæ Traſonæ Epiſcopum. Sed accidit haud ita multis poſt menſibus:

ANN. M. DLXXXV. fuit autem IIII. Idus Aprilis, repentina ferè ex deſtillatione ipſius Gregorii Pontificis mors, de qua litteræ a ſacro purpuratorum Patrum collegio ad Chriſtophorum Archiepiſcopum & Præſidem latinè, elegantiſſimeq; ſcriptæ ſunt, tanti Pontificis conquerentium interitum, eumq. in tam acerbo, grauiq. maximi Patrui caſu conſolantium, & demum hortantium, ut Prouinciam adminiſtrare, ea, qua conſueſſet, prudentia & æquitate pergeret. Exequiæ Gregorii ſumma pompa, in Vrſiana æde celebratæ ſunt, cum ad reliquum eius templi funebrem apparatum, acceſſiſſet medio in templo quadrata atque excelſa pyramis, egregio Franciſci Valle, ciuis & Canonici Rauennatis, & ipſi Archiepiſcopo à ceremoniis, ingenio, præclarè elaborata. Videbatur in ipſius medio pyramidis, ſex a terra cubitis elatum,

tum, quattuor inter ſe peruiis utrinque portis, aureo panno contectum feretrum, & in eo, Pontificis ſimulacrum adeò appoſitum, ut expreſſam eius imaginem referret: & cum innumerabilis funalium ardentium copia, lugubrem machinæ ac templi habitum illuſtraret: maximè tamen illuſtrem reddidere pompam, certis ſtatutæ locis, quæ uirtutes Pontificis repræſentabant, inſignes ſtatuæ, adiectis etiam elogiis, quæ præclara eius in Pontificatu facta, breuibus uerbis explicabant: tot præſertim, ab eo uariarum nationum inſtituta Romæ, aliisq. locis collegia, Pontificii iuris libros in candorem priſtinum reſtitutos: Genuenſium & Melitenſium equitum ſimultates; æquiſſimo iure ſublatas: Polonos inter & Moſchos amicitiam ſtabili fœdere conciliatam: Iobeleum, tanta eorum, qui accederent, commoditate, & inſtitutis, religioſisq. inuentis, ad inflammandam peregrinorum pietatem, celebratum: Emendatum annum: Ab Inſulis Iaponiis primam poſt Chriſti Principatum ac Hierarchiam, præclara Patrum Societatis Ieſu; quos egregiè de re Chriſtiana meritos, maxime fouebat; opera, Legationem. Ipſe uerò Archiepiſcopus, fratris filius in ſacra ueſte, & fecit rem Diuinam, & deinde circa machinam, æternam patruo Pontifici requiem, ex uetuſtiſſimo Eccleſiæ more, iam inde ab Apoſtolis; quòd Areopagites Dionyſius docet; deducto, cum uniuerſo ſacratorum uirorum cœtu, ſacris precibus a Deo poſtulauit, cum Pontificem Bernardinus Giangrandes, ciuis & Canonicus Rauennas, ſacræ Theologiæ Doctor, latina oratione laudaſſet. Interim Cardinales Romæ in Conclaue ſecedunt, & ſtatim magno conſenſu. IX. kal. Maii, Pontificem Maximum renunciant Felicem Perettum, Picentem è Monte alto, quem Franciſcani ordinis præſtantiſſimum ac omnibus numeris abſolutiſſimum Theologum, Pius Quinctus Cardinalem fecerat. Is autem Sixti Quincti nomen aſſumpſit, & ſui Pontificatus nuncio, Rauennam allato, hanc plurimum ciuitatem exhilarauit, quæ adueniſſe tempus putabat, cum ſibi a Gregorio Pontifice ademptì Epiſcopatus reſtituerentur. Itaque triduò poſtquam is eſt nuncius Rauennam allatus; cum magna undique lætitiæ ſignificatio priuatim & publicè ederetur; conuocato concilio, decernuntur oratores ad illum tres, qui Romam illico conuolarunt, Galeottus Raſponus eques, Vincentius Bellinus iuriſconſultus, & Bartholomæus Gordus: ii ad Pontificem, cum Alexandro Fuſcono iuriſconſulto, Ciue & Canonico Rauennate, Chriſtophori Archiepiſcopi procuratore, Romæ degente, admiſſi, poſt præſtitũ nomine Ciuitatis obſequium, mãdata de cauſa Archiepiſcopatus exhauriunt: Multis autẽ ultro, citroq. habitis uerbis, tandẽ a Pontifice, Syngraphũ Nicolao è Pelue, Cardinali, Gallo, Archiepiſcopo Senonenſi, ex iis vno, qui erant, Epiſcoporũ cauſis à Pontifice Præfecti, ad memoriã præbere iubentur. Quod cũ ipſi effeciſſent, & Cardinalis magni rẽ eſſe momenti dixiſſet, Raſponus & Gordus, reuocati, in patriam ſe cõtulere, Bellinus ad perſequendã Romæ cauſam, manere iuſſus. Hoc interim ſpatio Sixtus Pontifex primã ſibi, eandemq. principẽ curam ducens, exules, capiteq. damnatos, tota Eccleſiaſtica ditione, ac omni potius Italia, ferè ad ludibriũ Principũ, magno bonorum incõmodo, furentes ac bacchantes, qui agros, uias, vrbes, atq. adeò ipſam Romã indignis cædibus cruentauerant, è medio tollere, cũ multa in eã rẽ edixiſſet, uiros ampliſſimos è ſacro Cardinaliũ cœtu ſelegit, quos in Prouincias Legatos dimiſit. Cumq. Marcũ Antonium Colum-

nam, Latii, Andræã Spinolam Vmbriæ, Alfonſum Geſualdũ Piceni, Antoniũ Mariam Saluiatũ Bononiæ, Legatos legiſſet Flaminiam credidit Iulio Canano Ferrarienſi, cuius integritas magnã in omnibus ſpem quietis, ac tranquillitatis excitauit. Delecti qui ingredientem ipſum in pompa hanc vrbem, præclaro apparatu exciperent, a Senatu. XI. Kal. Iunii, quattuor Senatores, Petrus Picininus, Dionyſius Columbus, cognomento Lupatellus, Bonifacius Spretus, equites, & Cæſar Amadutius. Ipſe. XVI. Kal. Iunii, ſolemni ingreſſu in vrbem uenit, ab uniuerſa occurrente ciuitate, ſacratorum in primis uirorum inſtructo longo ordine, ex more, ingenti omnium plauſu, clauesq. illi urbis Aloiſio Sgropulo equite, Magiſtratus Principe, deferente, acceptus, & ad Vrſianam ædem in pompa deductus. Ibi Senatorem Rauennatem illi, ac ciuitati, uniuerſæq. Prouinciæ latina oratione gratulantem audiuit, & eo tacente, latinè reſpondit, debere ſanè omnes plurimum ſummo Pontifici Sixto Quinto, qui diurnas, nocturnasq. in eo curas, cogitationesq. ſuas defigeret, ut Chriſtiana Reſpubl. degeret pacatè, neque perturbationibus agitaretur: nihil illi gratius accidere, quiete populorum, nihil grauius incommodis: Itaque cum ſuperioribus annis, ſeditioſorum quorumdam audacia, ac temeritate, Eccleſiaſticæ ditionis Prouincias perturbari uidiſſet, multipliciaq. adhibita remediorum genera, peſtem illam minime reſtinxiſſe, decreuiſſe tandem potenti, ac præualido auxilio, tot malis occurrere, è latere ſuo miſſis in Prouincias ex venerabilium Patrum, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, numero, Legatis, quæ res magna fuiſſet ipſorum Patrum approbatione, ad exitum deducta, laudatumq. uehementer optimi Pontificis conſilium. Ceterùm cum ad id ſanctum munus, conſtituti eſſent præſtantiſſimi Cardinales quattuor, & omni uirtute, ac laude cumulatiſſimi; de quinto, id autem eſt, de ſe quid diceret, habere planè nihil. In ſuis exiguis meritis, in imbecillitate uirium, in uirtute, quæ aut nulla eſſet, aut certe ita puſilla, ut uerisſimè dici, haberiq. nulla poſſet, uenerari tantum incredibilem uigilantiſſimi Pontificis beneuolentiam, & Patrum humanitatem. In hanc Prouinciam, Deo iuuante, ueniſſe; &, niſi illum falleret teſtimonium conſcientiæ ſuæ, animi ſenſum optimum, pacisq. ac tranquillitatis plenum intuliſſe. Illud nos omnes chariſſimos ſuos filios hortari etiam atq. etiam, ne noſtro deeſſemus muneri: unam ſibi propoſitam eſſe noſtram animarum, & corporum ſalutem, eam ſi rectè agendo ſeruaremus, futuros nos gaudium ſuum, & coronam miniſterii ſui in Domino, ſin contra, ſuas fore partes edere in eos exempla; & cum optaret eos ſanari, ſerpentia, putreſcentiave ulcera, quæ non ſanauerit medicamentum, ſanaturum ferrum, quæ ferrum non ſanauerit, ſanaturum ignem; neque uerò id abſque inſigni animi ſui moleſtia. Hæc cum dixiſſet, in Prætorium, magna comitatus ciuitatis parte, diſceſſit. Per eoſdem dies Vincentius Bellinus Romæ Orator, nihil omittens, quod ad procurandã cauſam facere uideretur, cum Quintiliano Mandoſio, iuriſconſulto Romano, magno cauſarum patrono, & multis editis de iure libris clariſſimo, plurima tractauit, ſæpeq. Nicolaum Pelueum, Cardinalem adiens, ad conficiendam rem incitauit. Sed cum aduentantes ingentes æſtatis calores, negocia penè omnia excluderent, conſulente etiam ciuitatis Patrono, Cæſio Cardinale, remigrauit Rauennam. Verum haud ita diu poſt, petenti per internuncios, atque efflagitanti Car-

dinali

dinali Paleoto, & Bononienſibus etiam ciuibus urgentibus, Pontifex dedit, ut in poſterum annum, indicere Bononiam Concilium Prouinciale ſubiunctorum ſibi, ut aiebant, Epiſcoporum poſſet. Quæ res ubi Rauennæ innotuit, ſtatim coacto Nonis Auguſti Senatu, qui huius negocium cauſæ cum magna auctoritate ſuſciperent, ac tractarent, quinque Senatores creati ſunt, Opizo Monaldinus, Vincentius Bellinus iuriſconſulti, Cæſar Amadutius, Drudo Raccus iuriſconſultus, & Pomponius Spretus eques: paucisq. poſt diebus ſacrati quoque Vrſianæ ædis viri, ad id munus ex Canonicis ſuis Auguſtinum Rubulum, Ioannem Antonium Piazzam, Opizonem Elephantutium Abbatem, & Vincentium Carrarium ciues Rauennates, & iuriſconſultos præter Elephantutium, qui ſacræ Theologiæ Doctor eſt, deſignarunt: & proximo menſe, cum Leonardus Moriſius iuriſconſultus, a Senatu fuiſſet hac de cauſa orator ad Pontificem creatus, conuenere & ipſi ſacrati viri delecti, in Archiepiſcopi cubiculum, interfuereq. Bonus Chieſa, Vicarius, Hoſtaſius Ginannus Rauennatis Eccleſiæ Archidiaconus, Bartholomæus Baſſus Præpoſitus, iuriſconſulti. Ibi Chriſtophorus Archiepiſcopus, Bartholomæum ipſum Baſſum, ſacrati uiri Opizonem Elephantutium, quem diximus, Oratores ſuos fecerunt, qui unà cum Moriſio Romam proficiſcerentur, & coniunctim cauſam agerent apud Pontificem. Ceterùm cum illos Pontifex in aula Conſtantiniana, quò multi conuenerant, Oratoribus ipſis noſtris medius inambulans, omnium primos audiret, iamq. Bartholomæus Baſſus, Archiepiſcopi nomine, diſſereret accuratè de cauſa, peteretq. a Pontifice, ne tam nobilem, tam antiquam, tam hactenus Pontificibus Maximis charam, addictamq. Eccleſiam, indicta cauſa, penitus inſontem, tam male haberi pateretur. Eo tacente Opizo Elephantutius, numquam hactenus, inquit, Beatiſſime Pater Archiepiſcopus noſter, & ſacrati uiri Rauennates, de hac cauſa apud ſanctitatem ueſtram egerunt hoc modo: tempus adhuc, locusq. noſtris audiendis iuribus, cum ſanctitati ueſtræ, ut ſperatur, placuerit; eſſeq poteſt: Nam Gregorio Pontifici, patriæ ſuæ gratificari cupienti, quo id faceret, neque tamen Eccleſiam noſtram iuriſdictione ſpoliaret ſua ueruſtiſſima a tot Pontificibus Maximis, ac ſanctiſſimis, longiſſima annorum, ac diplomatum ſerie probata, aditus minime erat interclusus, neque deeſſe modus potuit. Nihil tum eſſe, quod poſſet, reſpondit Pontifex, Paleotoq. Cardinali, ut Prouinciale Concilium haberet, iam dediſſe: Hoc loco, Moriſius eam orationem ingreſſus, ut affirmaret, rem eſſe adhuc integram, Paleotum Cardinalem Concilium adhuc non habuiſſe nouam hanc Rauennatium Legationem, aliquo poſſe impedimento eſſe habendo Concilio, ſi ipſe aſſentiret Pontifex; cumq. peteret ſibi dari, ut liceret hanc cauſam dicere apud iudices, Pontifex nihil ſe, contrà quàm conceſſiſſet, ſcripturum de Concilio dixit: de reliquis, darent memoriæ cauſa libellum, ſe cum Cæſio Cardinale, Rauennatium patrono locuturum: Quod & paulò poſt fecit, noſtrosq. Oratores, Cæſius, ad perſequendam alacri animo cauſam plurimum incitauit: Inde ut primum occaſio data eſt, cum Pontifice uerba faciens, quamquam eadem, quæ fuerant Oratoribus dicta, reportauit, tamen eò adduxit Pontificem, ut temperamenti ſe alicuius rationem habiturum polliceretur, cum tamen interea nihil ſe decernere uelle diceret. Verùm hæc dum procurantur, in patriam fuit remigran-

dum

dum Bartholomæo Baſſo, & Opizoni Elephantutio, acerrimo Pontificis pro nunciato edicto, quo omnes, quibus eſſent ſacerdotia, præſentiam poſtulantia, ad illa ſe conferre intra quindecim dies iubebantur, Romanamq. uel hanc unam ob cauſam, commorationem petentibus, noſtris, Pontifex negauerat. Abeuntes, ſubſtituunt Paulum Emilium Ioanninum, Canonicum olim Rauennatem, doctrina, & prudentia inſignem. Ceterum cum urgentibus aſſiduè Pontificem Oratoribus, ipſe ſe quidquam tum conficere aliud omninò negaret, Moriſius, cõſulentibus nouemuiris Rauennatibus, quos huic præfectos cauſæ memorauimus; eam agere uia iuris operæ pretium ducens, adit Quinctilianum Mandoſium, aliquotq. explicatis antiquorum Pontificum diplomatibus, quæ Typographorum prœlo Rauennæ imprimenda fuerat curatũ, petit, ut quid ſibi etiam de iure uideretur, reſponderet, non enim deſuerant ex nouemuiris noſtris, qui rem & accuratè antea perſpexiſſent, & poſtea, uti ſe ferebat occaſio, conſulerent; ipſiq. in primis Opizo Monaldinus, & Vincentius Carrarius. Cum autem eſſet Carrarius antiquitatis peritiſſimus, iamque nobilium familiarum Rauennatum; quaſi alter Atticus, originem libello ſubtexuiſſet, propagineſq. deſcripſiſſet, ac Hiſtoriam Flaminiam, & Rauennatis Chronicon Eccleſiæ adornaret, luculentam huius cauſæ defenſionẽ exarauit, & de iure deinceps ſæpe reſpondit. Itaque ubi retulit Mandoſius, ſummum Eccleſiæ, ciuitatiq. noſtræ ius eſſe, illiusq. reſponſum ad nouemuiros Rauennates miſſum, & ad Cardinalem Cæſium allatum, Pontifici, dum ſupplices, Cæſio præſente, libelli ex æquo ſignarentur, reddendum eſſet, maximis noui Pontificatus negociis factum eſt, ut res diu proferretur: nam undique Principes, & Oratores ad præſtandum Pontifici Maximo ſolemne obſequium accurrebant: in quibus Veneti Oratores tres, Rauennam ingredientes, dum Romam proficiſcerentur, illius dignitatis aliquam ſpeciem præbuere; quam deinde Romæ longè maximam, tum iuſto pompæ apparatu, tum ſua ipſorum perſona, qui erant ex omni Veneta nobilitate, ampliſſimi Senatores, & rebus geſtis clariſſimi, præſtiterunt. Rauennam primus XI. kal. Octobris, Camillo Peregrino iuriſconſulto præſtantiſſimo, patricio Veronenſe huius Prouinciæ Prolegato, & noſtra nobilitate extra urbem illi obuiam profectis, ingreſſus eſt, præeunte, pulcherrimo inſtructa ordine, nobiliſſimiſq. ornata uiris patritiis, familia, Marcus Antonius Barbarus, qui domum Raphaelis Raſponi, tribuni militum, ſplendidiſſimè receptus, diuertit, & præclaro plurimorum nobiliſſimorum uirorum obſequio, a Raſpono cultus eſt. Poſtridie urbem, nequaquam minore magnificentia, iniuit Iacobus Fuſcarinus; eodem Prolegato, ceteriſq. Rauennatibus, occurrentibus, atque ipſo etiam Oratore Barbaro, qui cum negocia haberet ſibi cum Fuſcarino tractanda, eodem reuectus carpento, ad ædes illum Andreæ Indiuini, cognomento Salii, tribuni militum, magnificentisſimo Fuſcatinum hoſpitio accipientis, deduxit, inde rectà, in uiam ſeſe Romam uerſus, dedit. Cum interea Fuſcarinus, ab ipſo Andrea Salio, Franciſco Lunardo, tribuno item militum, & a multis præterea nobilisſimis uiris, egregiè coleretur. Ingreſſus eſt ſimili occurrentium & familiæ pompa ac cultu, præeunte etiam tubicine, die poſtero, Marinus Grimanus, qui ad Portuenſe ſe contulit cœnobium, cum eodem die Fuſcarinus Romam diſcesſiſſet, poſtridie a Grimano ſequutus. Leonardus Do-

natus,

natus, quartus orator, ſuperius, uia militari, iter faciens, Rauennam non attigit. Per eoſdem dies litterarum promoturus ſtudia Pontifex, Gymnaſium Romanum, & ædificiis ornandum, & optimis inſtruendum Doctoribus cura uit: cumq. duas potiſſimum ſacræ Theologiæ inſtituiſſet ſcholas, illi, quæ Franciſcano fuerat ordini addicta, Octauianus Strambiatus Rauennas, ſummus eiuſdem ordinis Theologus, qui in Academia etiam Taurinate ſacras antea litteras explicauerat, præfectus eſt, cum in eodem Romano Gymnaſio Ioachinus Thomaius Rauennas medicus, Medicinam præclare profiteretur. Sed Strambiatum haud ita diu poſt, Pontifex ei Collegio præfecit, quod egregia, in ordinem ſuum, & Rempubl. Chriſtianam pietate, Romæ, ad DD. duodecim Apoſtolorum, Franciſcanæ familiæ cœnobium, excitauit, titulo D. Bonauenturæ: quo titulo appellauit, quia opera explicari ibidem deberent, eius potiſſimum Theologi, qui ſanctitate, doctrina, & dignitate; fuit enim Cardinalis; longe præſtitit. Aduentante autem interea Bononienſis Cōcilii tempore, quamquam de illo ſtudioſè apud Pontificem agebat Ioannes Antonius Fachinettus Bononienſis, Cardinalis tamen Paleotus per litteras denuò Pontificis ſenſum, poſtquam tot tentata a Rauennatibus fuerant, explorat: reſpondit autem XVI. kal. Maii, per Decium Azzolinum Firmanum, Cardinalem, ſibi a ſecretis, Pontifex, uti pergeret, ac ex Pontificii iuris decretis, iure uteretur ſuo: ſi, quos citaſſet Epiſcopos, edicto minime parerent, aut alia exciperent, ſe pro eo ac deberet, nequaquam iuſtitiæ defuturum. Sub id tempus ex improuiſo, Parmæ, Regii, ac Mutinæ Oratores, qui ciuitates ſuas nihilò Bononiæ inferiores dignitate, putabant; Moriſium Romæ conueniunt, & unà ſecum magnoperè laboraturos, ne Concilium illud haberetur; ſuorum quiſque Epiſcoporum nomine, recipiunt: ad Rauennatis Eccleſiæ, uetuſtiſſimæ eorum Metropolis, ſynodum, multò libentius ſe acceſſuros, & eadem de re uerba apud Pontificem facturos, confirmant. Quibus, atque huiuſmodi aliis Moriſius auditis, adiit continuò ad Pontificem; illumque ad habendam dignitatis noſtræ rationem, orat, atque obteſtatur. Itaque Pontifex, cum etiam Cæſium Cardinalem, pro ciuitate ſæpius eadem dicentem, ac poſtulantem ſenſiſſet, tandem aſſenſit, ut Romæ apud Cardinales Epiſcopalibus cauſis Præfectos, & Bononiæ in Concilio, Rauennatibus, quæ pro Rauennati Eccleſia facerent, pronunciare, ac teſtari fas eſſet. Moriſius igitur id Romæ, cum ſocium haberet Mandoſium, fecit, palam affirmans, Bononienſe Concilium habendum non eſſe, quòd omni id iuri repugnaret. Quod uerò attuliſſent plerique Gregorii XIII. Pont. Max. diploma, illud gratiæ cauſa Bononienſibus id maxime efflagitantibus, & tenero patriæ affectu permotum Pontificem dediſſe: adhæc multa in eo fuiſſe prætermiſſa, alia in illud præter Pontificis intentionem obrepſiſſe. Quòd ſi Concilium omninò haberetur, prædicere, ſe illi nuſquam aſſentiri, neque ullum inde Rauennati Eccleſiæ, ac ciuitati præiudicium irrogari debere. Cardinales, Amorinum Paleoti Cardinalis procuratorem accerſiri iubent: cui pœnas, ac mulctas in diplomate Gregorii XIII. ſcriptas proponenti, Muriſius eas obiecit, quæ D. Gregorius primus, ſuo & ipſe pro Eccleſia Rauennate, ad Marinianum Archiepiſcopum diplomate, de quo ſupra diximus, illi imponit, qui contradicerent. His reiectis contentionibus grauiſſimi Patres, pronunciarunt, ſe, quæ teſtata fuiſſent, audiuiſ-

ANN. M. DLXXXVI.

audiuiſſe, & ſeruari interim diploma iubere. De quo ſtatim, ſcriptis Rauennam litteris, nouemuiris certiores a Moriſio facti: Ab iis decretum eſt, ut fuerat etiam Romæ conſultum, idem Bononiæ apud Cardinalem Paleotum, ipſo ineunte Concilio, fieri, deſignatique in eam rem Legati, Archiepiſcopi, & ſacratorum uirorum, Opizo Elephantutius, Canonicus, ſacræ Theologiæ Doctor, & Abbas, Ciuitatis, Drudus Raccus iuriſconſultus: Qui Bononiã profecti, quamquam ſecum Maphæum Gaianum, Rauennatum ſcribam peritiſſimum adduxerant, tamen ut maioris eſſent auctoritatis acta; ab eius Ciuitatis Legato; quem primum omnium, officii cauſa, ſalutauerant; dari ſibi alium ſcribam, qui coniunctim, cum Gaiano eadem acta perſcriberet, poſtularunt. Legatus erat Antonius Maria Saluiatus Cardinalis, quem optimis Romæ, & Patauii præſertim, excultum diſciplinis, eximiaq. prudentia, & aſſidua maximarum rerum tractatione clariſſimum, ob præſtantem, ac planè admirabilem eius ciuitatis adminiſtrationem, ad omnia quamuis ardua, & implicata expedienda, & ad regendos populos, natum, omnes prædicabant; ciuemq. ac patricium Rauennatem ſuperioribus annis factum fuiſſe docuimus. Is igitur quem uellent eligendi optionem illis facit, hortatuq. ut ex æquo & bono, cũ ampliſſimo Cardinale Paleoto rem tractent: ipſi Ioannem Baptiſtam Capellum Saſſinatem elegerunt a maleficiis ſcribam, mox ſe ad Epiſcopium conferunt. In ſuburbanum tum forte rus, animi cauſa, & ut infirmam adhuc ex diuturno, ancipitiq. morbo ualetudinem confirmaret, Paleotus aberat, eodem tamen die, qui IX. kal. Maii fuit, ueſperi rediturus. Quod cum accidiſſet, illiq. ad aulæ fores adhuc exiſtenti ſeſe in conſpectum Oratores Rauennates dediſſent, ipſe Rauennatum audito nomine, ſtatim petiit, ut humanitatis ergò ſuſtinerent tantiſper, dum eſſet in cubiculo, cui ſeſe Legati comites præbuerunt: Tum Cardinalis perſuadere illis nitebatur, ut in craſtinum rem differrent, neque enim ſe ullum eis impedimentum allaturum, ſed de reſponſione cogitaturum accuratius; interea benigna, atque hoſpitali inuitatione petere, ut apud ſe familiariter eſſent, hoc ſibi illos gratius facere nihil poſſe: Verùm noſtri maximis illis actis gratiis, cum iam ſecum reputaſſent animo, quot illis occurrere difficultates poſſent, in ipſa præſertim aduerſariorum potenti ciuitate, tandem impetrarunt, ut pronunciare illis, palamq. teſtari, quod uellent, liceret: id enim; quando Rauennatis Eccleſiæ iurium ſeruandorum tantum cauſa fieret, nequaquam fore illi moleſtum debere. Itaque Vicatio, iudice, procuratore, & ſcribis Bononienſis Eccleſiæ ipſius iuſſu Paleoti accitis, Oratores Rauennates edicunt ferè idem ex formula, quod Romæ apud Cardinales pronunciatum memorauimus: reſpondentiq. Bononienſi procuratori, a noſtris etiam reſponſum eſt: demumq. ita diſceſſum, ut diceret Paleotus, ſe poſtridiè mane, magis accuratè, cogitateq. reſponſurum. Stata hora Rauennates tametſi reſponſum aliud ſibi minime expectandum ducerent; tamen in aula magna Epiſcopii adfuere; quam, & alias earum ædium multas partes in elegantiorem formam ipſe Paleotus redegerat, & nouas etiam magna impenſa adiecerat; intereaq. multos Aduocatos, procuratores, & ipſius Cardinalis, ac Quadragintauirum adminiſtros accerſiri, magnas accidere conſultationes, omnem denique uideri commotam ciuitatem. Quæ cum aliquot horas perduraſſent, ſedemq. deinde ſublimem, ſerico purpureo panno contectam, ſub umbel-

umbella, in ipſa aula parari noſtri Legati intuerentur, & eius Canonicos Eccleſiæ, & familiæ magiſtratus accitos, iamq. in pompa, magno cinctum aduocatorum & ceterorum nobilium uirorum comitatu aduentare acciperent, ueriti id quod erat, ſenſim recipiunt ſeſe in porticum aulæ prætentam: Vnde paulò poſt a Ludouico Nutio, ſpectata probitate uiro, ipſi Cardinali a ſecretis, in aulam uocati, cum negaſſent, quòd nihil ſibi rei eo in loco eſſe dicerent, denuò illos procurator ad audiendum Cardinalis reſponſum inuitat, cui eadem affirmant, reuertentiq. & rurſus inuitanti illos procuratori Grato, eadem reſpondent, & adeſſe aiunt ſcribas, qui Cardinalis uerba in tabulas referant, quibus ſi reſpondendum quidquam eſſet, ſe deinde reſponſuros. Idem iudici Cardinalis repetunt, ad illos eadem ferenti. Hoc autem a noſtris eſt factum, ne quem pridie ueſperi Archiepiſcopum negaſſent, ei cum cruce, & pallio, ac ceteris Archiepiſcopatus inſignibus ſedenti, teſtes adeſſent. Accuſauit illos Cardinalis de contumacia, cui reſponſum deinde accuſationi in ſcriptis eſt, ut omne, ſi quod fuiſſet, præiudicium tolleretur. Ceterum cum interea, quæ ad Concilium habendum facerent, compararentur ſumma diligentia, inſignisq. planè, pro eo, quo Cardinalis ipſe eſt præditus excellenti religionis ſtudio; in D. Petri ſacra æde ornatus inſtitueretur, locatis etiam ueterum Epiſcoporum circa templum ſtatuis, & exedra ſacratorum uirorum ſtructura laxiore, ab eodem Paleoto, ſuſpenſa, picturisq. egregiis & auro undique perpolita, in eam magnificentiam, quæ urbis, atque Eccleſiæ magnitudinem adæquabant; ipſo Concilii die; fuit autem V. Kal. Maii, mane, in Cardinalis cubiculo, Parmæ, Regii, ac Mutinæ Epiſcoporum ac Ciuitatum procuratores, uiri præſtantiſſimi, apud ipſum Paleotum ad ſacra facienda, in tēplum deſcendere iam paratum, pronunciarunt, ſuos Epiſcopos, quòd ſubditos ſe negarent, accedere nequaquam uoluiſſe: iis eò acerbius a Paleoto reſponſum fuit, quàm Rauennatibus, quò iuriſdictionem in illos, perinde ac in ſubiunctos ſibi eſſe arbitrabatur. Inchoantur paulò poſt ſacra ſolemnia, cum ſolus adeſſet in Epiſcopali ueſte, mitratus, Ioannes Iacobus Diedus Venetus, primus Cremæ Epiſcopus: interfuit & ForoCorneliani Epiſcopi Vicarius, qui pridie ueſperi teſtatus apud ipſum fuerat, ſe minime ut ſubiectum, ſed ut illud ſibi, ad quod accederet, Concilium eligentem, aduenifſe. Philippi etiam Vaſtauillani Cardinalis, Abbatis Nonantulani, Rauennatiq. ob id Eccleſiæ ſubiuncti, ſeſe dederat in conſpectum, Vicarius, cum tamen nulla de eo in Gregorii XIII. diplomate fuiſſet mentio. Ad omnes autem Archiepiſcopales, ut uidebatur, actus, Rauennates Oratores; qui apto ſe loco poſuerant; ne quod Eccleſiæ, ac ciuitati Rauennati præiudicium fieret, coram honeſtis uiris teſtati ſunt: peractisq. ſacris, per ſacerdotem, qui erat Cardinali a ceremoniis, petierunt, facultatem a Cardinali ſibi dari, eorum repetendorum, quæ ad tuenda Rauennatis Eccleſiæ & ciuitatis iura, in cubiculo, nudius quartus, edixiſſent. Cardinali autem tempus tunc idoneum non eſſe, ſed poſt ſupplicationem, affirmante, ea abſoluta, ſedenteq. iam in ea ſede, quam Faldiſtorium uocant, & tacente Cardinali, proq. ara maxima conſiſtentibus, ipſius Cardinalis, & Quadragintauirum aduocatis, procuratoribus, ſcribis, charta, atque atramento inſtructis, quaſi ea quæ a noſtris & ceteris pronunciarent, eſſent excepturi, Rauennates Rauennatis iura Eccleſiæ

pro-

profeſſi ſunt,eaq. a Maphæo Giano Rauennate ſcriba, pleniore uoce ex ſcripto recitata. Abeuntibus autem propter loci uenerationem, ne contendere ibi uelle uiderentur, noſtris, nec reſponſum Cardinalis; uti poſtulati, & ter uocati a ſcriba Concilii fuerant; expectantibus,quod ſua parum intereſſe ducerent, Gaianus ut reſponſionem Raimundi Ramponi ſyndici & ipſius decretum Paleoti Cardinalis ſcriberet, retentus eſt. Confeſtim autem omnia noſtri ad Legatum Saluiatum referunt, & quidem opportunè, quando ex Quadragintauiris tres, eodem die, de noſtris cum illo grauiter conqueſti ſunt, qua ſi nullam rationem habuiſſent, neque Quadragintauiratus, neque Magiſtratuum omnium, neque ceterorum nobiliſſimorum ciuium Bononienſium, qui frequentiſſimi in eo ampliſſimo conſeſſu aderant. Verùm neque hac contenti Bononienſes quærimonia,Oratorem Romam,ad omnia Pontifici ſignificanda mittunt. Rediit paulò poſt Rauennam, miſſione impetrata, quòd grauiter è pedibus laboraret, Leonardus Moriſius, menſe Maio: Et cum per hoſce dies Chriſtophorus Archiepiſcopus profectionem Romam pararet, eò etiam incitatus diplomate, quo ueterum Pontificum renouans decreta Sixtus Pontifex,iuſſerat, ut Italici Epiſcopi tribus quibuſque annis, Tranſalpini in Europa ſingulo quadriennio, Africani quinquennio, Aſiatici & nouarum Prouinciarum decennio, limina Apoſtolorum inuiſerent, VIII. Id. Maii, Alexander Sopranus iuriſconſultus Orator creatus eſt, qui Reipubl. nomine, unà cum Archiepiſcopo, apud Pontificem, cauſam perſequeretur. Interea Romæ Ioannes Baptiſta Rota iuriſconſultus Rauennas, qui negocia ciuitatis publica procurabat, Quinctiliano Mandoſio conſulente, præſcribenteque, tentauit a Cardinalibus, de eo quod ſeruari diploma mandaſſent, audiri: nam cum multa a plurimis Pontificibus Maximis diplomata manaſſent, petere, uti antea executerentur, hoc præſertim Gregorii XIII. in quod multa irrepſiſſent, de quibus uere Pontifex edoctus non fuiſſet. Sed reiecere Cardinales hominem, eumq. ſe, niſi nouo Pontificis iuſſu, audituros negarunt. Cum autem hæc agerentur, ſcripſit Rota, Paleotum Cardinalem, diplomata, quibus in Archiepiſcopatus poſſeſſionem ex more mitteretur, nequaquam adhuc habere,& cum ea a Pontifice petiiſſet, non impetraſſe: quod magni ad cauſam momenti æſtimabatur. Ceterum cum Rauenna Archiepiſcopus, ad IIII. Id. Maii diſceſſiſſet, Romæ peruenit, unà cum Bartholomæo Baſſo, Præpoſito, ſacratorum uirorum Legato, & Alexandro Soprano XIII. kal. Iunii. triduoque poſt, ad X. kal. ueſperi a cæna ad Pontificem introductus eſt. Poſtquam autem omni, uti debebat, officii genere Pontificem coluiſſet, Archiepiſcopatus illi cauſam magnoperè commendauit: ſe apud Gregorium agere nihil potuiſſe, neque etiam, ut uidebatur, debuiſſe, quando & patruus fuiſſet, cuius uel hac ratione, ſummum eſſet in fratris filium imperium, & illum tam amplo ſacerdotio cohoneſtaſſet, ut planè ineptum, atque adeò ingratum eſſet, conqueri partem illius ablatam deinde eſſe, cuius antea omnem dediſſet, quam & alia uia compenſare, augenda potiſſimum Rauennatis Eccleſiæ ſuæ dignitate, ſi ſuppeditauiſſet uita, ſperari facile potuiſſet. At quoniam mors Gregorii patrui anteuertiſſet conſilia, & acriter Bononienſes cauſam ſuam tuerentur, ſe, quamquam Bononiæ natum, atque educatum, tamen quia relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit ſponſæ ſuæ, iterum

atque

atque tertiò, Rauennatis Eccleſiæ ſuæ antiquiſſimè decus, quod ſemper Pontifices Maximi, plurimi feciſſent, magnoperè cõmendare: nullam eſſe neq. ſuam, neque Eccleſiæ ſuæ culpam, ſe nuſquam auditum, aut uocatum: neque uerò æquum eſſe, quempiam indicta cauſa iudicari. Ad hæc Pontifex, benignè admodum Archiepiſcopum complexus, breui reſpondit, ſuis ſe nuſquam partibus defuturum, mandaturumq. ius ut cuique ſuum redderetur. Secundum Archiepiſcopum, Bartholomæus Baſſus, & Alexander Sopranus, qui cum Archiepiſcopo fuerant in ipſius cubiculum Pontificis admiſſi, abiecti ad illius pedes, idem ſupplices obſecrarunt: quibus Pontifex, ſe de eodem ab Archiepiſcopo rogatum cum dixiſſet, quodq. Archiepiſcopo reſponſum datum audiuerant, repetiiſſet, daturum ſe aliquot Cardinales ſubdidit, qui de cauſa cognoſcerent: petenti autem Soprano, ne quis in eorum numero Bononienſis eſſet, de eo ne quidquam metuerent, reſpondit: id curandum ſibi relinquerent, futuros enim prudentia, doctrinaque, ac integritate præſtantiſſimos. Aliquot poſt diebus, ut ii deligerentur Cardinales, cum & ipſi per ſe Oratores, & per Cæſium Cardinalem patronum, urgerent, Pontifex uidere ſe Bononienſis acta Cõcilii prius uelle dixit: itaque tantiſper expectarent, dum mitterentur. Quæ cum tandem adueniſſent extremo menſe Iunio, non huic Pontifex cauſæ cognoſcendæ. VI. kal. Iulii quinque præfecit Cardinales, quorum tum maximè conſilium enitebat, & integritas, Ioannem Hieronymum Albanum, Ioannem Baptiſtam Caſtaneum, Scipionem Lancellottum, Ferdinandum Medicẽ; qui nunc eſt magnus etiam Etruriæ Dux; & Ioannem Baptiſtam Caſtrutium. Per id tempus Cananus Legatus, quem Pontifex poſtulantem, ac flagitantem tandem dimiſerat, maximo omnis Prouinciæ, ſed maximè Rauennatis nobilitatis comitatu cinctus, ſe receperat Ferrariam, Legatus maximis ſanè celeberrimus partibus: ſed integritate, & charitate planè ſingularis: cum enim per illuſtria reliquit ſuarum uirtutum ueſtigia, tum illud in primis celebre, quòd affluentem in hac urbe rerum omnium, potiſſimum autem tritici copiam conſeruauit. Quod uerò ſubleuauit ſummoperè omnes, potiſſimumq. agricolas, fuit repreſſa lictorum audacia, cum ad agricolas diuertũt: cauit enim, illorum hoſpitio, lictores ne uterentur: quod ſi neceſſitate ducti id facerent, quæcumque ſuis & equorum uſibus abſumerent, omnia accuratè, & præſenti pecunia ſoluerent. Sola autem ſui nominis reuerentia, cum illum metuerent, & amarent, abſq. armis Prouinciæ urbes, atq. agros pacatos plurimum habuit. Monti pietatis, ab frequenti egentium concurſu pecunia exhauſto, magnum ipſe pecuniæ numerum, primus, ad eorum inopiam ſubleuandam mutuauerit, & ut plerique noſtri ciues idem facerent auctor fuit. Magalottas quoq. leges, in quas abuſus multi irrepſerant, Rauennam accitis ciuitatum, atq. opidorum huius Prouinciæ delectis hominibus, iuris peritis, req. omni diligentiſſimè ſæpius tractata, declarauit, conformauitque, easq. ad Pontificem declarationes, ac correctiones, ut firmiori auctoritate niterentur, miſit. His atq. aliis rebus præclarè geſtis, de ſe, deq. omni Prouincia optimè meritum Legatum, Rauennates, ciuitate donarunt, & in Senatum, unà cum illius fratribus, grati animi ergo, cooptarunt. Succeſſorem illi Pontifex, extremo menſe Iulio, cum magna ac planè ſingulari auctoritate tribuit Dominicum Pinellum patricium Genuenſẽ, eximia iuris ſciẽtia præditũ, quippe qui in clariſſimis Italiæ Gymnaſiis uerſatus, iuriſconſultorum lauream

n Academia Patauina ſumma cum laude multo ante fuerat adeptus: cumque per omnes forenſium Romanæ aulæ honorum gradus, in quibus eius doctrina, ingenium, induſtria præclarè elaborauit, euectum, Gregorius XIII Firmanum Epiſcopum, inde Cameræ, ut aiunt, clericum fecerat, & Syxtus V. eius fidem, uirtutemq. & ſpectatam in agendis rebus prudentiam expertus Pontifex ſuperiore menſe Decembri, in Cardinalium Collegium cooptauerat. Is igitur Idibus Auguſti, Rauennam, omni pompæ apparatu repudiato, uenit. Romæ Archiepiſcopatus negocium agi cœptum eſt diligentiſſimè, ipſo præſertim procurante Chriſtophoro Archiepiſcopo, tametſi immatura per hos dies Philippi Boncompagni Cardinalis, eius fratris, mors, hominem maximè perturbaſſet. Apud delectos Cardinales Mandoſius ſcriptis cauſam adortus, oſtendit, Pontificium Gregorii XIII. diploma, neque ſuapte ſponte, a Pontifice factum, neque ea intentione, ut de Rauennati quidquam Eccleſia detraheretur, ſimul plurimis refertam, quæ longè ſecus, ac ſe res habeat, in illud irrepſiſſent: neque enim cenſendum, optimum Pontificem, & iuriſconſultiſſimum, opprimere, contra ius, faſque duplici onere Rauennatem Eccleſiam, uetuſtiſſima Exarchatus ditione inſignem, tum Bononia ab ea eximenda, tum ſex aliis ſubiunctis illi Epiſcopis abducendis, idq. nulla culpa, uoluiſſe. Summum Pontificem, abſq. ullo crimine, fidelem ciuitatem, tam grauiter, umquam affeciſſe, nullis neque Iuris Pontificii, neque Hiſtoriarum exemplis conſtare. Itaque principem huius Rauennatis incommodi, calamitatisq. fuiſſe cauſam, illa, quæ falsò narrata Gregorio Pontifici fuiſſent, Bononienſem Eccleſiam, nullo medio, Romanæ ſubiunctam: cui & uetuſta monumenta, & recens Prouinciale Concilium ab Iulio Ruuereo Cardinale, Rauennate Archiepiſcopo habitum, abunde repugnarent. Cum autem quæ narrantur Pontifici, ad impetrandam gratiam, omnia probari neceſſe ſit, qua umquam ratione comprobabitur à Bononienſibus, quod in eo diplomate affirmant, Bononienſem Eccleſiam ſedis eſſe Apoſtolicæ primogenitam? cum id tamen Rauennati uetuſtiſſimorum auctorum teſtimonio, qui illam etiam thronum Apoſtolicum appellant, omniumq. conſenſu tribuatur. Explicantur quidem ibidem congreſſus Cæſarum, ſanctorum uirorum reliquiæ, ſuſcepta pro, Eccleſia tuenda, negocia, quæ Bononiam cohoneſtant, & utrum'ne uera ſint, ampliſſimi uiderint Cardinales, ſed Rauenna tacetur Occidentalis Imperii, & tot Regum ſedes, ommittuntur infinita penè ſanctorum uirorum corpora, quibus hæc urbs mirificè ornatur: ſilentio inuoluitur beatorum martyrum effuſus pro Chriſti fide, pro religione ſanguis, quo huius uiæ ciuitatis, omniſque undiq. tellus madet, & purpuraſcit: Vbi tot a Pontificibus Maximis, quæ huius urbis ampliſſimè confirmant dignitatem, priuilegia recenſentur? vbi obſidiones, ubi propugnationes, ubi direptiones, magno, eodemque præſenti animo, multis Rauennatium, ac ferè innumeris cædibus exantlatæ numerantur? Ceterum quod uideri longè deterius poteſt, addunt, aliorum id exemplo ſummorum Pontificum factum, cuius tamen ab ortu naſcentis Eccleſiæ ad hæc tempora, nullum dari compertiſſimum eſt: Neque tamen negari a nobis urbem litteris, armis, uirtutibus, dignitate potentē, ac maximè inſignem Bononiam eſſe, & ampliſſimo Quadragintauirum Senatu ornatiſſimam, illiusq. Antiſtitem Paleotū Cardinalem, uirum religione, ac doctrina lon-

gè

gè clariſſimum,ſed quid hæc eò faciunt,ut Rauenna nobilisſima urbs, iam inde ferè a Noe condita, Pontificio ſolio perpetuò addictisſima, & ob martyrum frequentiam, ac cruorem, a Pontificibus ſancta appellata, nulla cauſa, dignitate nudetur? Quod an fiat ad vniuerſalis Eccleſiæ ſubuectionem, ac elationem, ut in eo diplomate aiunt, aliorum fuerit iudicium. Cum igitur cognita nequaquam cauſa, & iis acceptis, quæ uera non eſſent illud Pontifex diploma petentibus dederit, facile quanti ſit ponderis, patere: præſertim, cum, hæc fortaſſe ueritus Pontifex, eam clauſulam non addiderit, qua ſolet ſecus iudicandi facultas tolli: quæ tamen licet in eo eſſet diplomate, quo triginta iam annis Paulus Quartus, Marco Antonio Columnæ opida, ditionemque omnem, ſuapte ſponte, ademerat, quia tamen uera non erant ea, quibus Pontifex ſibi narratis, ad ea adimenda fuerat incitatus, duodecimuiri Romani litibus iudicandis, reſtituendam Columnio ditionem ſanxerunt: Ipſorum quoque Imperatorum Auguſtales tabulas, atque ſententias, iiſdem de cauſis, nihil omninò ualere grauisſimos iurisconſultos tradere. Has Mandoſii rationes ſuis quoque ſcriptis, Tiberius Ceraſius Romanus, doctisſimus diſertisſimusq. cauſarum patronus, pleriſq. aliis cõfirmat, quibus potisſimum probabatur, utique in ius antea uocandos Rauennates, illisq. dicendum diem fuiſſe, cum hic non Metropolis fiat Bononia modò, ſed etiam Epiſcopi a Rauennate Eccleſia, quæ eſſet Bononienſi antiquior, eximantur, atque abducantur. Quòd ſi cauſa, uel una, falſa, beneficium etiam ſuapte ſponte a Pontifice collatum corrumpit, quanto magis ſi fuerit aliorum rogatu datum? Hæc ſimiliaq. argumenta alia, ſuis contra adductis tollere, iurisconſultus præſtantiſſimus, & multis ſcriptis libris clariſſimus Sebaſtianus Medices, Florentinus, Paleoti Vicarius, nixus eſt, cum ſcriberet, quamquam rogatu Bononienſium Pontifex id Gregorius fecit, principem tamen locum habuiſſe incitatum ſuopte ſtudio animum, in eam præſertim ciuitatem, quæ illi patria eſſet, & de purpuratorum etiam patrum ſententia: Cum uerò in ipſis litteris Põtifex, quidquid contra ageretur, irritum decernat, næ illis uerbis, omnem tollere ſecus iudicandi facultatem: neque ob id duplici preſſam onere, ſed leuatam potius Rauennatem Eccleſiam dici, quæ eſſet tot Eccleſiarum cura & ſollicitudine liberata: quæ tametſi fuiſſet multiplici oppreſſa, tamen Pontifici pro poteſtate agenti; quod ſuis ipſe litteris teſtatur; reſponderi nihil poſſe, neque ſe minime citatum conqueri: præſertim quòd iam annos ſupra ducentos, nulla in Bononienſem Eccleſiam a Rauennati iurisdictio fuiſſet, ipſumq. Cardinalem Paleotum, ad Concilium Rauennate, perinde, ac exemptum; quod & teſtatus eſſet; ex Concilii Tridentini præſcripto, ſe contuliſſe: Bononiam primogenitam dici, non antiquitate, ſed dignitatis cauſa, ac beneuolentiæ, qua illam Pontifices amplectuntur. Ceterum has non fuiſſe, quæ Pontificem impulerint, cauſas, ſed patriæ merita, ſed charitatem, propter quam Pius Secundus etiam, Senas, unde oriundus erat, eadem dignitate ornauerit. Ad hæc accedere, quòd longè commodius Galliæ Ciſalpinæ Epiſcopi, Bononiam finitimam Ciuitatẽ, quàm Rauennam multo remotiorem accederent. Hæc Medices; ad quæ addidit etiam; pro eo ac ſe debere fatebatur; Archidiaconus Bononienſis, complura, quæ tum Medicei ſententiam cõfirmabant, tum oſtendebant, idem, quattuor iam & uiginti, ante hanc Bononienſẽ,

annos, pro Teate, ciuitate Marrucinorum, a Duodecimuiris Romanis fuiſſe iudicatum: Cum enim illam Clemens ſeptimus Pont.Max.ſuapte ſponte, multis de cauſis, Metropolitanam feciſſet, ciuitas Lancianenſis; hanc Anxanum Ferentanorum opidum fuiſſe putant; quæ ſub illa erat Metropoli ſubiicienda, repugnare inſtitit, atque affirmare, cauſas a Pontifice in litteris expreſſas, non eſſe ueras, neque de quorum ſententia id ſe feciſſe teſtabatur Pōtifex, ſubſcripſiſſe, decretum tamen eſt, ſubſiſtere eam Metropolim, & ſufficere, ſi quæ ſaltem ex adductis a Pontifice, cauſæ, ueræ eſſent: Itaque cum Pontifex Bononiæ in lucem editus, & iuriſconſultorum ibidem laurea inſignitus, illius optimè noſſet urbis amplitudinem, & nullo medio Romanæ Eccleſiæ ſubiectam, licet ſe rogatum dicat, tamen ea ſcientem, prudentemq. narraſſe, & conceſſiſſe, easq. ſibi propoſuiſſe, non ut cauſas, quibus moueretur, ſed ut fines, ac ſcopos, quo ſpectaret. Hinc ſatis conſtare ius illum Rauennatis Eccleſiæ auferre omninò uoluiſſe, id unum ſibi habuiſſe propoſitum, neque tamen dicendū illam premere, cum iure ſuo uteretur: idq. eò magis, quoniam quo tempore Metropolitanam Bononienſem fecit, fuiſſe tum Rauennati ſubiectam Eccleſiæ nulla acta teſtentur. De Columniis quod dicitur, id eſſe longè diuerſum, cum ſit illud prophanum planè negocium. hoc uerò ſacrum, & ad religionem, Diuinumq. cultum conducat. Has reſponſiones cum ineunte Septembri Cardinalibus Bononienſes dediſſent, conuentu Cardinales V.Kal. Octobris habito, Kalendis, ad Pontificem retulere. Sciri quid retuliſſent, nuſquam potuit, niſi, nullum Rauennati Eccleſiæ præiudicium fuiſſe factum. Conantibus verò noſtris aliqua reſpondere, & contradicere, nihil apud ſe amplius dicendum, reſpōderunt. Moritur ſub id tempus, Romæ, Petrus Donatus Cæſius, Cardinalis, Rauennæ patronus: quo autem Rauennatium mœrore, pro eo cultu, quo illū Rauennates, proſequebantur; cum præſertim tam alieno, propter hanc de Archiepiſcopatu cauſam, tempore, deceſſerit; iudicari poteſt Rauennæ in templo Boni Ieſu; quod ille, dum hic eſſet Præſes frequentare plurimum conſueuerat, III. Idus Octobris, magnificis parētalibus honoratus eſt, & copioſa, quæ extat, Oratiōne laudatus. Paulò poſt, eodē menſe Octobri, miſit Pontifex in Picenū, illius Prouinciæ capitalibus, ac ciuilibus cauſis præfectū, Alexandrum Sopranum, ciuē, & Oratorē noſtrū: A Senatu ſtatim, in eius locū, Senatores alii duo ſufficiūtur, Drudus Raccus, & Baldaſſar Ginannus: quo multis negociis diſtricto, acceptaq. illius excuſatione, ſolus Drudus, uir impiger, & cauſæ ſtudioſus, miſſus eſt: ſub eos ferè dies, cum Chriſtophorus Archiepiſcopus, Roma profectus, Firmū ſe, ad Boncōpagnū patrem, eius ad eam diē ciuitatis, Sixto V. Pōtifice tradente, Moderatorē, cōtulerat, & Bononiā, abſoluto Magiſtratu, redeūtē, fuerat comitatus: Reuerſus eſt autē Rauennā Archiepiſcopus XVII. kal. Decēbr. Aduenēre paulò poſt in hanc urbē, ſacerdotes duo, doctrina & probitate præſtantes iuuenes, Roma profecti, è Britānico collegio: litteras attulerūt Sixti V. Pon.Max. quibus collegiū Britannorū Rhemēſe laborans difficultate nummaria, cōmendabatur. In illud enim, pietate planè ſingulari & conſtantia Gulielmi Alani Britanni, Theologi clariſſimi; quē nuper Sixtus idem quinctus Pont.Max. in ſacroſanctum purpuratorum Patrum Senatum adſciuit; iam diu conuenerant Britanniæ præclara lumina ſanè complura, & egregius flos nobilitatis, ac iuuentutis, fugientes tempeſtatem, & turbines ab Eliſabetha,

 Edoar-

Edouardi Regis filia; ſi filia fuit; excitatos: quæ cum priuata Regno a Pio V. Pont.Max. fuiſſet, ac diris deuota, ob ſcelera, ac flagitia, & tetram hæreſeos labem, qua ſupremi Eccleſiæ capitis locum in omni ea inſula, eiusq. præcipuam auctoritatem, atque iuriſdictionem monſtroſè uſurparat, ita furere, ita ſæuire cœperat, præſertim quòd hoc iudicium non ab alio Pontifice profectum eſſet, quam ab eo, qui omnium bonorum ſententia, ſanctiſſimus, & ipſorum etiam Proteſtantium; id enim ſibi iam diu nomen Hæretici induerant; opinione, in optimis multorum ſæculorum Pontificibus habebatur; ut Catholici undique uiri conquirerentur, carcere, tormentis, ipſaq. tandem nece, acerbiſſimè afficerentur: Quibus autem dederat, dabatq. Deus, ut crudeles eius immanis belluæ, & impias manus effugerent, maximam partem uiri in patria locupletes & abundantes, omnibus tum bonis exuti, in Rhemenſe illud collegium potiſſimum contulerant ſeſe, & conferebant in dies: indeq. Catholicis imbuti diſciplina, ac moribus, in Britanniam quotidie, felici auſu, redeuntes, ad ceteros in Catholica fide, & obſequio Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum principis, & magiſtræ, confirmandos, præclaram nauatæ operæ frugem colligebant, colliguntque, & multi glorioſo coronati martyrio, uetera fortiſſimorum martyrum certamina, hac ætate nobis reddunt. Itaq. creſcente Eliſabethæ rabie, quam ex libris Nicolai Sanderi, de SchiſmateAnglico per Edouardum Riſthonum auctis, latiſſimè licet cognoſcere; cum numerus aſſiduè confluentium ad illud collegium augeretur, neque iam ſatis eſſent, quæ Pontifex Max. ſingulis menſibus, piè in idem opus impendit, confugiendum fuit ad fideles reliquos, toto orbe fuſos, eorumq. depoſcenda liberalitas, quod non abſque Apoſtolicis, quas diximus, litteris & hortationibus factum eſt. Complexi ſunt Rauennates amantiſſimè Britãnos iuuenes, coactoq. Senatu, pecunia illi publica, non parua, curata, cum neq. deeſſent ciues ſanequàm multi, qui perpetuo Catholicæ fidei incenſi ſtudio, priuatim pecuniam conferrent, idemq. ſacrati uiri facerent, exemplo etiam ducti Pinelli Cardinalis Legati, & Chriſtophori Archiepiſcopi, qui eos religioſa benignitate, liberaliſſimè pecunia iuuerunt. Interim Romæ, Drudo, Cardinales, quos diximus a Pontifice cauſæ iam Præfectos, unà cum Mandoſio Aduocato, conuenit, qui cum ſe ſcripta ulla accipere negarent, & ad Pontificem iam retuliſſe affirmarent, ad Pontificem, eodem comitatus Mandoſio adit, libellumq. memoriæ cauſa, illi benignè accipienti, in manus dedit. Eo petebatur; ſi quidquam Rauennati Eccleſiæ aduerſum, Cardinales, fortè retuliſſent; ut denuo audiretur: nondum uiſas ad ſcripta Bononienſium noſtras reſponſiones fuiſſe, & adhuc ſupereſſe multas pro Rauẽnatibus, eaſdemq. præclaras rationes. Decius Azzolinus, Firmanus, Cardinalis, Pontifici a ſecretis, uocari per ſeruum a pedibus, III. Non. Decẽbr. Drudũ Oratorẽ iubet, narrat, Pontificẽ, lecto libello, ita ſtatuere, ut in ſe omnis ſit cauſa ſita: ſe eo tẽpore, ac modo illam explicaturũ, quem iam animo cõcepiſſet. itaq. cum nullis eſſet amplius Oratoribus, aut procuratoribus locus, illi eſſe integrũ Rauennam proficiſci: Dicenti autem Drudo, nouas adeſſe, quæ uiſæ nõ fuiſſent, rationes, neq. adhuc Bononiẽſibus reſponſum eſſe, aliaq. habere a Rauẽnate Republ. mandata, ad Põtificẽ, & omninò ſibi acerbũ uideri, Bononiẽſes Oratores, nullam cauſam, & minus æquam tuentes, Romæ eſſe, ſe qui iuſtiſsimã defenderet, abire iuſſum, tandem reſpõdit Azzolinus, ut illis de rebus

libellum ad memoriam Pontifici reddendum, ſcriberet, deferretque ad ſe, qui cum eſſet Epiſcopus Ceruienſis, Eccleſiæ Rauennati ſubiectus omninò eſſe, & Rauennam ad Concilium proficiſci decreuiſſet. Hoc eodem die, Romam peruenit, ut præſens cauſam ageret, Paleotus Cardinalis, ſecumque magnum Bononienſium numerum adduxerat: In iis, Oratores Reipubl. nomine è Quadragintauiris, duos: totidem Canonicos, ſacratorum uirorum collegii, unum. Hi omnes, Paleoto Cardinale præeunte, poſtero anno IIII. Id. Februarii introducti, idem quod Drudus, reſponſum retulerunt, iura ſe optimè illorum noſſe, itaque abirent, ſe finem cauſæ, in tempore, daturum. Ceterum precibus, ut putatur, Bononienſium fatigatus; iam diu enim tacebāt noſtri; paulò poſt, tribus Cardinalibus, iuris intelligentia præſtantiſſimis; qui in Romano duodecimuirali litibus iudicandis magiſtratu, ante Cardinalatum, cum laude uixiſſent; cauſam denuò mandauit. ita tamen, ut ne quid graue, magniq. momenti, ſe inconſulto, decernerent, ii fuere, Proſper ſancta crucius, Scipio Lancellottus, & Hippolytus Aldobrandinus. Statim autē pro Bononienſibus, Gregorii XIII. producitur diploma, & Cardinalis Paleoti inſtinctu, Epiſcopis Mutinenſi, & Regienſi dies dicitur. Rauennates Latinis ad ipſum Pontificem litteris ſcriptis, agunt quàm maximas gratias, quòd huius penè miſeri & afflicti Archiepiſcopatus cauſam, tam benignè complexus, illius denuò cognitionem doctiſſimis Cardinalibus mandare uoluiſſet: in quo tantum ſe beneficii hæc accepiſſe ciuitas profitebatur; ſperans etiam fore, ut pro ſummo iure, quo ſe uti intelligit, cetera ex ſententia procederent, & priſtinam dignitatem obtineret, ut ſempiternis litterarum monimentis, ſūmaq. ac ſingulari, qua poterit, grati animi ſignificatione ſe teſtaturam prolixè polliceretur: cuperetq. obeliſcum ſibi dari, Cæſariano illo, decuplo maiorem, quem ipſe Pontifex, cum inaudita laudum gloria, in D. Petri forum tranſtulerat, erexeratque, ut huius memoriam benificii, maioribus, quàm triumphales ſunt litteris in eo incideret, eòq. pertinerent, nō illæ ſolum uiæ, quibus ipſe nouis, ac pulcherrimis urbem Romam mirificè exornabat, ſed quacumq. uel ex ipſis Indorum, Americorumq. regionibus itur, ut omnes id gentes, populiq cognoſcerent, & eius fontis inſtar, cuius aquam maximo vrbis, eiusq. præſertim Quirinalis, & ceterorum montium uſui, cōmoditatiq. Romam, poſt mille amplius annos, quibus diruti aquæductus ueterum fuerant, deducebat, laudū nō fontes modò, ſed flumina, ſed maria omnium aures circumſonarent: ut in communi, non Pontificiæ ſolum ditionis, ſed totius Italiæ quiete, ſublatis admirabili ipſius opera, ſemeſtri ſpatio latronibus, ac ſicariis, Rauennates, qui penè ſoli, tam inſigni Archiepiſcopatus ſui iactura, afflicti iacebant; læti, atq. alacres, Sixto V. Pōtifici Max. perpetuo ſuo, poſterorūq. ſuorum cultu addicti, uiuerent. Addidere alteras ad Cardinales delectos, latinè item ſcriptas litteras, quibus tantos uiros, dignitate, ac doctrina, omniū cōſenſu, probatiſſimos ſuæ præfectos cauſæ gratulabantur, unde tribui ius unicuiq. ſuū ſperare vrbs Rauēna poterat, multis aliquando tēporum iniuriis malè affecta; ſed hoc uno ſēper reſpirare remedio uiſa, quòd a Romana Eccleſia, ſingulari quodam amoris ſēſu, ſeſe cōplexam ſentiebat: quod & ampliſſima a Pōtificibus Max. priuilegia, & ipſi in eam ſeſe recipientes, & eius ſalutem, propria poſthabita, procurantes, declarabant: Innocentius potiſſimum, qui Roma a Gothis obſeſſa, huc confugit:

fugit: Zacharias, qui ut hanc tueretur a Longobardis, ardente media æſtate cæ
lo Roma Rauennam, & Rauenna Ticinum, profectus eſt. Quanquam uerò &
Patrum ſententiæ, & Concilia, ac diplomata, resq. geſtæ, eius cauſam ſatis
commendatam facere uidebantur, tamen nullis hoc tempore patrociniis ful-
ta, nulla gratia, auctoritateve excellenti munita, in vna Sixti V. Pont. Max.
benignitate, eorumq. integritate ac iudicio nixa, penè nuda ac deformata, nul-
la culpa, mœrens, lacrymisq. confecta, eorum fidem ſupplex obteſtabatur. Ex
D. Clementis Pont. Max. Epiſtolis, atque item Anacleti, & ſcriptorum alio
rum antiquorum teſtimonio cognoſci poſſe, Rauennam, in hac omni Exarcha
tus & Aemiliæ regione, fuiſſe Principem, ſecundamq. in Italia Romam, &
eius Antiſtitem, ſecundum, poſt Romanum, Archiereum appellari: ad cuius
conuenire concilia, Placentinus, Parmenſis, Regienſis, Mutinenſis, Bono-
nienſis; ut reliqui taceantur; Epiſcopi iure conſueſſent. Hinc iam mille & du-
centis annis Innocentium, Leonem, Gelaſium, Agapitum, Gregorium, ſum
mos Pontifices, his nominibus, primos, omnia illa confirmaſſe: quod poſte-
riores deinde Pontifices, uſque ad Sixtum Quartum, & Leonem Decimum
latiſſimè probarint. Hinc ſummũ Pontificem, Gregorium magnum, Catholi-
cæ Doctorem Eccleſiæ, affirmare, ſe; quamquam Ioanni Archiepiſco Rauen
nati factus iratior, quod pallio, quà non deceret, uteretur; tamen poſtquam
acri pœna ſe in illum acturum minitatus eſſet; nihil detrahere de huius digni-
tate Eccleſiæ uoluiſſe: ſimul neque iis contentus, & ne in eam partem, quæ di-
xerat, acciperentur, ueritus, hæc adſcripſiſſe uerba. *Abſit ut per me Rauennatis honor Eccleſiæ in aliquo imminui uideatur.* Hinc cum ob Gibertum Archiepiſco
pum, Paſchalis Pont. Max. quos memorauimus, Galliæ Ciſalpinæ Epiſcopos,
ab Archiepiſcopatu Rauennati exemiſſet, & Pontificio ſolio aſciuiſſet, Gela-
ſium Pontificem eos, ampliſſimo diplomate reſtituiſſe, eoſdem Calliſtum, Ho-
norium ſecundum, Innocentium ſecundum, Honorium tertium, Gregorium
nonum, & multos præterea alios ſummos Pontifices confirmaſſe. uti etiam uir
doctiſſimus, præſtantiſſimusq. Theologus Petrus Galeſinius, in ſuis ad Marty
rologium notationibus docet. & antiquitatis cognitione, ac doctrina, elo-
quentiaq. clariſſimus Carolus Sigonius, in libro, quem ſcripſit de Bononienſi-
bus Epiſcopis, præclare innuit. Hæc & pleraque alia in hanc ſententiam, Ra-
uennates. Dum autẽ mittuntur, conuenere delecti Cardinales. IIII. Non. Fe-
br. in Sanctacrucii domum, duabusq. amplius horis collocuti, inter ſe, noſtro
Oratore, & Bononienſibus, foris expectantibus, nullo cuiquam illorum dicto
uerbo, abiere, cum antea cubicularii, oratoribus Bononienſibus ut introdu-
cerentur, efflagitantibus, reſpondiſſent, Dominos dicere, ſi quid opus illis
eſſet, ut introducerentur mandaturos: Vbi uerò diſceſſere Cardinales, Bono
nienſes ad Sanctacrucium introducti ſunt, pauluſũq. morati, exiere, poſt quos
& Rauennas admiſſus in cubiculum, accepit a Cardinale, ſibi poſtridie abeun
dum ex urbe eſſe, rediturum intra triduum: ſtatimque ſcribam conſtituturos,
apud quem ſcripta iura deponerent, ut accuratè uiderentur. Hæc autem cum
accepiſſent nouemuiri Rauennates, indoluere plurimum, quod uiderent, uia
litis inchoari cauſam: itaque monere Drudum oratorem, omnino efficeret,
id ne ſequeretur; magnas eſſe Bononienſium opes, diuturnitatemq. illos tem
poris poſſe facilius ſuſtinere. Per hoſce autem dies ſacrati uiri Rauennates,

Alexan-

Alexandrum Fuſconum, ciuem,& Canonicum ſuum Romæ degentem,atque ipſum etiam Drudum Oratorem, procuratores ſuos fecere. Drudus.VII.kal. Martii, mane, cum Pontifici explicaſſet noſtrorum ſuſpicionem, addidiſſetq. cauſas, reſpondit,litigari omnino nolle, tantum de iure Cardinales docerentur, reliqua ſe confecturum: idem Sanctacrucius Cardinalis confirmauit, cum illi Pontifex libellum, quod ſibi memoriæ cauſa Drudus reliquerat, reddendum iuſſiſſet. Sed interea Bononienſes, ut acuto inuento iuuarent ſuam cauſam, petere a Cardinalibus, ne ſe unos aduerſus duos, duplicemq. cauſam, eamq. omnino diuerſam, ac potius aduerſam, eodem agere tempore paterentur. Bononienſem Eccleſiam, agere, ut mulctarentur, in Parmenſem, Regienſem,& reliquas, perinde ac ſibi ſubiunctas, quia non paruiſſent, & hac cauſa actorem eſſe, in Rauennati uerò ream: itaque decerneretur antea cum Parmenſibus,& reliquis negocium, ſe libenter,& æquo animo ad Rauennatem deinde reſponſuros. Sed ſenſere noſtri machinam, intellexeruntq. pedem Bononienſes ponere in poſſeſſionem niti, itaque oſtenderunt noſtrates,& Mandoſius,ac Ceraſius Aduocati, morari hæc omnia cauſam, & conteſtari litem hac ratione,atque in infinitũ produci,fieriq. omnino contra ac uellet Pontifex, qui noſſe tantum cuperet, diploma'ne Pontificium Gregorii XIII.contra Eccleſiam Rauennatem,iure ualeret: nuſquam litigari de ceteris: cum autem de Gregorii diplomate ſibi Pontifex ſeruaſſet decernendum, hæq. duæ cauſæ ita copulatæ, connexæq. ſint, ut altera conſtituta,reliqua pateat, nihil iuris eſſe,cur ſeorſum agantur: præſertim cum tot ſuſpenſis,atque incertis ciuitatibus, celerem negocium expeditionem poſtulet. Reiectus fuit a Pontifice, Cardinalibusq. is cauſæ tractandæ tentatus a Bononienſibus modus, quamobrem Aduocati noſtri ad prima Bononienſium ſcripta, reſponderunt. Hæc autem cum eſſent acta menſe Martio, poſtero ad pie uiſitandam Lauretanam domum SanctaCrucio abeunte, ceſſarunt. Paleotus tamen propoſitis Pontifici copioſiſſimis Synodi Bononienſis decretis,inſtitit,utPõtificia probarentur auctoritate, atque ut ad præfectos Epiſcopalibus cauſis Cardinales referrentur, impetrauit. Ceterum Drudus, ad Pontificis, in hortis ſuis ad D. Mariæ maioris tum commorantis, ineunte Maio,pedes abiectus, docet,accedere inde ad Rauennatem Eccleſiam præiudicium poſſe,quaſi Concilium probaretur. Sed reſpondit Pontifex, nihil tale ſucceſſurum,quæ magis omnia confirmauit Ioannes Antonius Pizzonus Piſaurenſis, libellis ad memoriam a Pontifice præpoſitus, cum ueſperi uocari ad ſe Drudum iuſſiſſet. Remigrauit Sancticrucius Romam.X.Kal.Iunii, cumque denuo Epiſcopus Regienſis in ius a Paleoti procuratoribus fuiſſet uocatus, aditum eſt ad Pontificem qui iuſſit, de poſſeſſione quod prius agi Bononienſes cuperent, unico cum eo quod a Rauennatibus peteretur contextu cognoſcendum. Itaque initio menſis Iunii dubitandum Cardinales cenſuerunt, de Gregorii XIII. diplomate, utrum'ne in eo uera fuiſſent ſilentio inuoluta, & falſa Pontifici explicata. Quod ita eſſe Rauennates Aduocati, ea ratione monſtrarunt, quia ibi negaretur, Bononienſem Eccleſiam, Rauennati ſubiungi, cum tamen id conſtet ex libro Prouinciali, cui in iis, quæ non ſunt immutata, maxima habetur fides: & ex prouocationibus, quæ ad Rauennatem Eccleſiam a Bononienſi, uſque ad annum humanæ ſalutis milleſimum quingenteſimum,oſtenſæ iam fuerunt.Ipſum quo-

que

que Ioannem Andræam, clariſſimum iuris interpretem, in additamentis ad Speculatorem, cum de litis conteſtatione ſcribit, idem planiſſimè affirmare: Quo efficiebatur, cum omnino Pontificis deficiat, intentio diploma irritum cenſeri: neque enim; ſi uera fuiſſent Pontifici propoſita, putandum eſſe, uoluiſſe ipſum tam acerbè mulctare fideliſſimam ciuitatem & Catholicam, idq. abſque ullo ſcelere, & ipſa inaudita: quam ſi audiiſſet, fortaſſe quæ tacentur in eo diplomate legi potuiſſent, Rauennatem Eccleſiam eſſe Romanæ primogenitam, ſanctam, orthodoxamque: Vrbem Rauennam, cum de ea perinde ac de ſimplici ciuitate in diplomate uerba fiant, tamen, quod multum intereſt, Exarchatu præditam, & multiformi ornatam dignitate: Pro religione Chriſtiana, pro Pontificio ſolio, multis afflictam calamitatibus, oppreſſam bellis, direptam hoſtibus: Ad recuperandam Pontificiam ditionem, in Flaminia præſertim, Pontificias copias milite & pecunia iuuaſſe. Quamquam autem ſuopte ſtudio a Pontifice factum, & in Cardinaliũ Senatu recitatum diploma ſcribatur, tamen neque illi ſubſcripſiſſe Pontificem, neque Cardinales, qui eam adhibuiſſe cauſæ cognitionem cenſendum eſt, quæ in diplomate recitatis, tamquam ueris niteretur. Quis enim credat, optimum Pontificem, & ampliſſimos, integerrimosq. Chriſtianæ Eccleſiæ cardines, ſi grauiſſimum ac planè uerendum Gregorii magni diploma, cognitum habuiſſent, illud tam facilè abrogaſſe? cum ex iure Pontificio ſatis conſtet, excitare Eccleſias, alterius præiudicio, Pontifices non conſueſſe, ne dum ut tot mulctet Eccleſiis: quodq. magis urget, & repetendum eſt, illa nequaquam citata. Hæc, & alia in hanc ferè ſententiam Aduocati noſtri. Bononienſes contra, ſuas ſuſtinere partes nixi, ducentis iam & quinquaginta annis omnem ſubiectionis ſignificationem intermiſſam affirmant: hincq. uerum eſſe: cum diploma dedit Gregorius XIII. qui ſtatus erat, ex iuriſconſultorum ſententia attendendus; tunc non Rauennati Eccleſiæ, ſed nullo medio Romanæ Bononienſem fuiſſe ſubiunctam, eſſeq. id ſi non iuris, ſaltem facti: atque hinc ad nouiſſima Concilia Rauennam acceſſiſſe Antiſtitem Bononienſem, prius teſtatum, ſe non ut ſubiunctũ, ſed quia ex præſcripto Tridentini Synodi eam ſibi ciuitatem delegiſſet. Verum oppoſuere iis Ceraſius & noſtri, reiectam ſigillatim & accuratiſſimè Antiſtitis Bononienſis, qua ſe minime ſubiunctum profitebatur, teſtificationem, longeq. maioris efficacitatis haberi factum, quod citatus, & uocatus acceſſiſſet, & ſuo loco conſediſſet, quàm quod contra dixiſſet, ſcripſiſſetve. Si enim accedere liber, non cogebatur, ſatis fuiſſet priuilegium adducere: ſed cum ſecus fecerit, ac dixerit, uerbis, factum non tolli, ut eſt ex iure compertiſſimum. Quod ſi ducentis atque amplius annis non uenit ad Synodum, probet aliquam Rauennæ fuiſſe habitam, & ad illam neque ueniſſe, neque miſiſſe, uocatum: id fortaſſe aliquid probauerit. Nunc cum ob peſtilentiam & bella Italica, fuerint huiuſmodi intermiſſa Concilia, quod & omni Italia accidit: profecto neque ipſe, neque alii acceſſerũt ſubiuncti Epiſcopi, præterquam quòd in diplomate ſuo Pontifex non de ultimo ſtatu ſe loqui dicat, cum tamen ubi de altero præiudicium fit, omnia ſigillatim adducenda eſſe, conclament iura, & præſcribi, niſi centum annis, Rauennatis iura Eccleſiæ nequeant. Dum hæc Romæ aguntur, Rauennæ, exequiæ Boncompagni, Archiepiſcopi noſtri, patris, qui annos natus quattuor & octuaginta, mortem obierat, celebres in Vrſianæ æde habitæ, ipſo abſente Archiepiſcopo, qui Bononiam, nuncio de morbo

patris

Patris accepto, conuolarat. Hebræi item Rauennam, permittente Pontifice, introducti. Legatio interea Romam miſſa, ob cauſam, & numerum oratorum, nequaquam, quæ hoc loco prætermittatur, digna. Emere enim certum frumenti numerum, Rauennæ, plerique adminiſtri, Romamq. adducere, ut ferebatur, parauerant, & ne triticum, niſi certo pretio, ueniret, neu cuiquam illud, niſi uictus tantum cauſa, emere, fas eſſet, acri propoſito edicto, cauerant. Quæ res cum dignitatem, atque adeò uitam ciuium, maximè omnium oppugnare uideretur, conuocato tandem conſilio, pridie Non. Iuliis, Oratores creantur è Senatoribus ſex, qui ad Pontificis pedes, futuram dubio procul ruinam, aut auerterent, aut, ſi non liceret aliud, deplorarent. Fuere ii, Tiberius Cilla, & Opizo Monaldinus iuriſconſulti, Iacobus Biſſulcius, & Bartholomæus Gordius; qui cum legum ſtudio operam nauaſſent, optimeq; eas noſſent, hac nobili ampliſſimæ urbis occaſione ducti, ab Romano iuriſconſultorum collegio, antequam Roma proficiſcerentur, certamine litterario præclarè abſoluto, iuriſconſultorum laurea, ac dignitate ornati ſunt; acceſſere ad hos, Balthaſſar Ginannus, & Chriſtophorus Portus. Ex ipſis nonnulli, cum occupati, ſatisfacere ſe huic muneri non poſſe dicerent, Pinelli Cardinalis Legati iuſſu; qui amotionem a Senatu, & alias recuſantibus mulctas minitabatur; dedere ſe in uiam, Vbi Romam. XI. kal. Aug. peruenere, per Hieronymū Ruſticutium Cardinalem, Pontifici a ſecretis, illius animū pertentarunt, quod ipſius etiam dexteritate Ruſticutii, ſucceſſit ex ſententia, factaq. accedendi poteſtate, mandata ſupplices ciuitatis ſunt perſecuti. Vbi autem reſpondiſſet Pōtifex, Romanæ ſe inopiæ, & egentium Rauennatium neceſſitatis ſubleuandæ cauſa eam coemptionem curare, reiecit illos ad Cardinales annonæ Præpoſitos. Erant ii Antonius maria Saluiatus, Antonius maria Gallus, & Benedictus Iuſtinianus. In Saluiati autē ædes tandem conuenerunt, cum pauculos aliquot dies eſſet prorogatus conuentus, quod Philippus Vaſtauillanus Cardinalis, ſummum gerens Romanæ Quæſturæ magiſtratum; Camerarium uocant; qui intereſſe etiam debuerat, ægrotaret, & conualeſcere iam ferebatur: ſed tamen neque interfuit, neque conualuit è morbo, ſed paulo poſt, quamquam iuuenis, & firmo membrorum robore prævalidus, uitam cum morte commutauit. Adfuere in eo congreſſu, præter Cardinales, Guido Pepolus Quæſtor, Iulius Vitellius annonæ Præfectus, & Ioſredus Lomellinus, cauſarum ærarii Pontificii iudex, Commiſſarium uocant Cameræ. Admiſſi Oratores, nihil ſe, aiunt, neque Pontifici repugnare, triticum imperanti, neque egentibus aduerſari, quorum ſemper maximam curam vrbs Rauenna, perpetua, eademq. propria laude geſſiſſet: ſed potius ita cauſam agere eorum, qui eſſent in egeſtate, ut vnus ſit huius Legationis ſcopus, id quærere, ut egentibus ſuccurratur, & qui nonnullas habere opes uiderentur, ii ne adducerentur ad egeſtatem, quod plane fieret, ſi frumentario eſſet illis negocio interdictum. Nulli mercaturæ, apud ciues Rauennates, neque operam dari, neque uerò locum eſſe; vna tritici ſuis ex prædiis meſſe, & alere familiam, & tributa Pontifici pendere, & cetera, quæ in dies imponerentur, expedire. Si negociatores aditu libero, & mercatu prohiberentur, tanti non poſſe uendi, uix ut uictui ſatis eſſe queat: ceteris uerò & tributis, & uectigalibus, quo modo ſatisfieri poſſit, omninò facultatem nullam ſuppetere. Quod autem magis referebat, cum finitima, aliorum Prin

[illegible] cipum;

cipum, loca, longè maiori illud precio uendant, atque emant, ex ipſis penè innumeros ad panem, ac triticum, ut ſe occaſio fert, coemendũm clam huc certatim concurrere, & ex noſtris aliquos, ut conſtans rumor eſt, ferè deſperatione adductos, pars ne moriantur, alii ne ad inopiam, ac miſeriam; quæ uidetur ingenuo animo morte ipſa durior, atque acerbior, vnà cum filiolis, omniq. familia, ac poſteritate redigantur, illud uel cum uitæ diſcrimine, atque utinam non cum ipſius quoque ſalutis animæ periculo, exportare; vnde etiam ad Quæſtorem in hac Prouincia Pontificium damnum manaret, qui triticum illud, educi palam, perſoluto ſibi illius extrahendi tributo, permitteret: Paratos ſe, in totum annum, ad uſum, commodumq. egentium, frumentum uiliori precio congerere: Quod reliquum eſſet, illius petere liberam eſſe uendendi in ciuitate, emendique facultatem. His Cardinales auditis, vnam eſſe dixerunt curam optimi Pontificis, ut indigentiũ haberetur ratio: hac cõſtituta, nullam putare ſe apud Pontificem difficultatem fore; relaturos ſe tamen ad ipſum, & ex eius ſententia reſponſuros. Itaque in poſteriore conuentu, medio ipſo menſe Auguſto, in iiſdem Saluiati ædibus habito, explicarunt, frumenti apotheca egentibus apparata, liberum eſſe Rauennæ frumentarium negocium Pontificem iubere: quamobrem abirent. Antequam uerò Roma proficiſcerentur, Opizo Monaldinus, ad cauſam Archiepiſcopatus, uti ſupra docuimus, delectus, vnà cum Drudo Oratore, Mandoſium primo, & Ceraſium aduocatos, mox Cardinales ipſos conuenit, & ut eſt uir in dicendo ſuauis, & ornatus, ac inter principes & ipſe huius ciuitatis & Prouinciæ iuriſconſultos, inſignis, cauſam illis magnopere commendauit, & de illa diſſeruit. Hoc autem de libertate negocii frumentarii Rauennates nuncio magnoperè læti, dederunt ſe ad eam diligentius cogendam pecuniam, quam Pontifex in triremes conſtruendas imperauerat: Si quidem ille poſtquam omnes ex Pontificia ditione exules, partim eiecerat, partim in remotiſſimas licet regiones fuga elapſos, tamen habitos, morte mulctauerat, omnia denique terra feliciſſimè pacauerat, uerterat ſe in mare, quod Turcæ piratæ circum excurſionibus, & latrociniis latè iamdiu faciebant infeſtum: eoq. maiore ſtudio, id curabat, quia iam circiter quinctum annum piratæ Mauri, triremes Pontificias, quæ erant quattuor, cepiſſent: itaque damnum duplo atque amplius reſarciturus excelſo Pontifex animo, triremes Prouinciis, conſtruẽdas diſtribuerat, cum urbi Fano biremem imperaſſet. Dominicus Pinellus Cardinalis, Prouinciæ Legatus, XVIII. kal. Septembr. abſoluta legatione, Rauenna, mane diſceſſit. magno ſui deſiderio in omni hominum ordine relicto. Nam Prouinciam, præclara rerum omnium copia, iuſtiſſimè, ſummaq. pacis tranquillitate rexerat, omnibus æqualiter gratiſſimus, nimirum qui benignè, omnes, & peramanter audiret, repelleret neminem, quotidie quattuor minimum horas, iis audiendis, qui ad ſe uenirent, publicè inſumeret. Forenſes cauſas ſummatim, & pro poteſtate, adeò doctè, & certo, quauis ex tempore, finiret, ut in ſui admirationem iuriſperitorum ac patronorum animos conuerteret, eosq. ſtimularet, ad illa diligenter conſideranda, de quibus erant ad eum relaturi. Acerrime exules, Decoctores, & eos, qui incertis uagabantur ſedibus, inſectatus eſt, a quibus cum expurgaſſet Prouinciam, ac illius ſtatum in ſummam tranquillitatem adduxiſſet, plurimis extinctis ciuium ſimultatibus, paceq. inter eos prudenter

com-

compoſita, petiit, & magnis a Pontifice precibus contendit, ut per eum ſibi liceret, relicta Legatione, ad urbem redire. Id autem cum impetraſſet, dici uix poteſt, quanto mœrore fuerit confecta uniuerſa Prouincia. Diſceſſit igitur Rauenna, cum comitantibus, Chriſtophoro huius vrbis Archiepiſcopo, qui pridie kal. Septemb. Rauennam redierat; Magiſtratibus Sapientum, ac ex omnibus prouinciæ ciuitatibus, legatis, qui officii cauſa ad eum, hanc in urbem, conuenerant, publico nomine conceptum ex eius diſceſſu dolorem ſignificantes: & cum illi omnem ſuam ipſorum operam, omneq. ſtudium offerrent ex animo, contrà, ipſius tutelam & patrocinium implorabant. In primis verò Rauenna in perpetuum grati animi monumentum, Cardinalē, omnemq. eius familiam ampliſſimo priuilegio, ciuitate ac Senatu donauit, & inſigne illius gentilitium præclaro addito elogio portam, quam propius ad arcem admotam diximus, apponendum iuſſit. Quod ſecuta exemplum Cæſena, concurrentibus in eandem ſententiam omnium nobilium ſuffragiis, Reipubl. ſuæ, patronum illum, Protectorem appellant, elegit. Succeſſor illi, ex Peruſina adminiſtratione, poſtquam etiam fuiſſet vrbis Romæ Senator, & vnus ex annonæ Romanæ, Vmbriæq. & Piceni curatoribus, Ioannes Pellicanus Maceratenſis, iuriſconſultus doctiſſimus, cuius fuerat domus, totius penè Oraculum Piceni; VI. kal. Octobr. Rauennam ingreſſus eſt: paucisq. poſt diebus, pridie kal. Alexander Centurionus Genuenſis, Marci, Aſtapæ in Hiſpania Marchionis, filius, Adami, celeberrimi prudentia, opibus, atque auctoritate uiri, nepos, huc etiam ſe contulit. Is autem cum ueniſſet in Senatum, oſtendit Sixtum Pontificem, populorum ſuorum ac ciuitatum amantiſſimum, ne quid detrimenti caperent, & benè, beateq. uiuerent, aliquot Decēuiralis Quæſturæ Magiſtratus, in Prouincias dimiſiſſe, qui; quod eorum muneris, iā inde a Iulio II. & Leone X. ſummis Pontificibus eſſet; recenſenda Rerumpublicarum adminiſtratione, ditionem omnem Pontificiam inuiſerent: Et cum Alexandrum Glorierium Romanum, in Latium: Innocentium Maluaſiam Bononienſem, Peruſiam & in Vmbriam, Annibalem Graſſum, item Bononieſem, in Picenum, Franciſcum Corneum Peruſinum, Bononiam, collegas ſuos, uiros præſtantiſſimos miſiſſet, Prouinciam ſibi Flaminiam tradidiſſe: Itaque hortari, ut edictis ſuis, quæ etiam ad reliquas eſſet ciuitates Prouinciæ tranſmiſſurus, ipſi libenter parerent, & quando caput eſſent omnis Prouinciæ, ceteris obſequio, & diligentia præſtarent: interea deligerent homines, quibuſcum eſſet agendum, & de re tota conſtituendum. Senatus gratiis Antiſtiti tam humaniter ac præclarè loquenti plurimis actis, Senatores, qui de his tractarent, creauit, Leonardum Moriſium, Gaſparem Lotum iuriſconſultos, Baldaſſarem Ginnannum, Cæſarem Amadutium, & Chriſtophorū Portum: Sed cum maior quotidie eius negocii moles appareret, Centurione potiſſimum, omnium uectigalium, ac tributorum, quæ Reſpubl. Rauennas imponeret, aut exigeret, exordia, iusq. ipſum diligentiſſime perſequentes, ad hos additi ſunt Opizo Monaldinus, Hieronymus Guaccimanus, Iacobus Biffulcius iuriſconſulti, Franciſcus Mazzolanus, & Dominicus Butrighellus: qui duo, cum referendarum in libros rationum munus, cui Scribano dicitur, gererent, aſſidua opera, acceptum & expenſum clariſſimè explicabant. De uectigalibus diſſerendi, ceteri collegæ reiecerunt ad Gaſparem Lo

tum

tum curam, qui cum per XIII. annos, Guidubaldi Ruuerei primum, inde Franciſci Mariæ filii, Vrbini Ducum, Conſiliarius fuiſſet, & omni illorum ditione ciuilium cauſarum iudex, nuper reuerterat in patriam. Itaque pro ea, qua præditus eſt, ſumma iuris intelligentia, ita rem omnem, luculento ſcripto commentario, declarauit, vt magnam laudem ab ipſo etiam Centurione, viro acutiſſimi ingenii, & inſignis doctrinæ, fuerit conſecutus. Huius exitu anni, Tertio Idus Decembris, Lactantio Epiſcopo Piſtorienſi mortuo, Octauius Abbioſus Rauennas; quem illius fuiſſe adiutorem diximus; ſucceſſor tributus eſt. Gabriel Volonderus Ianinenſis, Ocridæ: quam ueteribus Hormam, fuiſſe putant; Archiepiſcopus. VII. Kal. Ianuar. Rauennam uenit. Patebat autem ex ampliſſimo Amurathis Turcarum Principis, ſeu, ut ibidem ſcribitur, Sultani, diplomata, die nono lunæ Septembris, alternis notarum aurearum, cærulearumq. ordinibus, Conſtantinopoli ſcripto, anno DCCCC. XCV. qui eſt humanæ ſalutis milleſimus quingenteſimus octuageſimus ſeptimus, illum Græcis omnibus Chriſtianis Epiri, Myſiæ, & Macedoniæ; Albanenſes, Seruianos, & Boſnenſes uocat; ita præfectum, ut Archiepiſcoporum etiam, Epiſcoporum, Abbatum, ac ceterorum religioſorum, earum regionum, uirorum, fœminarumque, Patronus, & Patriarcha appelletur, iubeanturq. omnes earum Prouinciarum Antiſtites, in iis, quæ ad ſanctiſſimam Chriſti Dei fidem ſpectant; quam impiiſſimo ille, impuriſſimoq. ore, impiam ſectam dicere audet, illi parere. Quoniam uero in ærarium ille Principis cechinos mille; id nomen eſt aureæ monetæ Venetæ; intuliſſet: & quotannis totidem, ſimulq. Aſpros, quod eſt minutioris Turcicæ monetæ genus; quinquaginta millia, inferre fuiſſet pollicitus, mandat ut ipſi deinceps Gabrieli tributũ penderent, quod aulæ ſuæ; quã uocat Portam, ſoluere quotannis ad eam diem cõſueſſent. Cauet, autẽ diligentiſſime, ne earum Prouinciarũ Moderatores, legumq. periti; quos Sangiaccos & Cadios dicunt; neu qui alii iudices, aut adminiſtri, aliquo illi impedimento ſint, moleſtiamve inferant. Ex religioſis, qui ſupra dicti ſunt, uiris, ſi quis decederet abſque hæredibus, neque eius hæreditas aſpros excederet quinquies mille, ad ipſum ea Gabrielem ueniret: ſi ſuperaret eam ſummam in Principis ærarium referretur. Caſtigare religioſos uiros illos, punire, mulctare, Gabrieli liceret, illorumq. omnino eſſet iudex. Quicumque impius, ita Chriſtianos Græcos, impiiſſimus Tyrannus appellat, matrimonium primum contraheret, penderet aſpros duodecim: Secundis nuptiis, uigintiquattuor; octo & quadraginta, tertiis. Addidit ad hæc, ut omni ea ditione ſinguli ſacerdotes ſoluerent duodecim, & ſingula, totidem, templa. Cui ſacerdoti, uillæ, aut uici eſſent, in ſingulos is uicos, duodecim aſpros numeraret. Duos vnaquæque domus, cenſus fumi nomine penderet. Latini uici plerique, quod ſe Romano Pontifici tributum conferre prædicent, id expedire recuſantes, Gabrieli etiam idẽ perſoluerent, & pertinaces Sangiachi, iudicesq. regionis adigerent. Ipſi, eiusq. familiaribus, in itinere, omnia deferre armorum genera, fas eſſet: & ubi locorum diſcrimina apparerent, milites illi, ex uicinis ciuitatibus, cuſtodiæ cauſa, darentur. neque illi quiſquam uel ex ipſius adminiſtris Principis, quocumque prætextu, equos aut iumenta auferret. Manſit hic, Gabriel apud Chriſtophorum Archiepiſcopum, qui liberali hominem, ſuosq. omnes, hoſpitio accepit, triduum, comitemq. perpetuum, ab ipſo Chriſto-

phoro traditum, habuit Franciſcum Vallam, Ciuem & Canonicum Rauennatem, qui per vrbem illum deduceret, carpento uectum, templaque, & Diuorum reliquias oſtendendas curaret: quas ſumma Gabriel uoluptate, religioneque uidit, ac ueneratus eſt. Hoc tempore, ſanctiſſima Natalitiorum Domini nocte, in nouo, nobiliſſimoque Portuenſi templo ſacra ſolemnia, Ambroſio Pordano Rauennate, eius cœnobii Abbate, operante, primum peracta ſunt: cum eius cura Abbatis, & Pacifici Foreſterii item Rauennatis eiuſdem cœnobii Canonici, & rei familiaris adminiſtratoris diligentia, eo deducta dimidia pars eius templi foret, ut ſacra in ea fieri, & commodè frequentari poſſint. Ioannes Pellicanus Præſes adminiſtrationem ingreſſus Prouinciæ, ſtatim edixit; ut Magalottæ leges ſeruarentur, ipſeque primus eas, quæ ad Prouinciæ Rectorem ſpectant, ſeruauit: nec multis poſt menſibus, Roma, eæ miſſæ ſunt, egregio Pontificis diplomate confirmatæ: poſtquam eas, eiuſdem iuſſu Pontificis Proſper SanctaCrucius Cardinalis, & Ioſredus Lomellinus, Pontificii ærarii iudex, diligenter uidiſſent, & parum aut planè nihil immutaſſent. Adhæc Præſes nonnullas exulum in Prouincia aduentantes denuò reliquias perſequebatur diligentiſſimè: cum Ferdinandus Medices, Cardinalis, Magnus Etruriæ Dux; qui ſuperioribus menſibus Franciſco fratri mortuo ſucceſſerat, & ad immortalem Coſmi patris gloriam maximis iam inſtitutis rebus properabat, per Beccariã equitem, è ſuo quoque imperio exules, damnatosq. deturbans, in hanc ditionem, libentiſſimo permittente Pontifice, excurreret, eodemq. ad eos circumuallandos, huius Prouinciæ agreſtium armatorum militia, & moderatores ciuitatum, cum ciuibus quiſque ſuis, Præſidis iuſſu, accurrerent. Interea tamen non fuerat intermiſſum Romæ Archiepiſcopatus negocium, ſed cum mandaſſent Cardinales Bononienſibus, ut doceretur, quo tempore diploma a Gregorio XIII. Eccleſiæ Bononienſi conceſſum, eſt eam Rauennati non fuiſſe ſubiectam, Camillus Caſtellanus eorum aduocatus, aſſeruit, ex Pontificiis id Rainutio Farneſio Cardinali, & ipſi Paleoto conceſſis litteris, cum Epiſcopatus illis Bononienſis adminiſtrandus eſt traditus, patere, in quibus nulla ſit de Archiepiſcopo Rauennate mentio: perpetuum autem eſſe aulæ Romanæ uſum, ut ad Metropolitanum litteræ ſcribantur, ſi binæ dentur, aut de Metropolitano meminerint, ſi unis expediatur. Nullam adeſſe, nonaginta iam annos, in Bononienſem Eccleſiam, Rauennatis, in prouocationibus, & huiuſmodi ceteris, iuriſdictionem, quæ tamen in reliquas illi ſubiunctas apparet. Dies feſtos, ex Prouincialis Concilii Rauennatis decreto, non celebrari Bononiæ. Archiepiſcopum Rauennatem, nullam cum Bononiæ fuit, Metropolitani iuris ſignificationem dediſſe: cuius rei teſtimonia ad perpetuam memoriam, conſtarent. Bononienſem Antiſtitem, cum ſe in Concilio exemptum teſtaretur, nequaquam coactum ab Archiepiſcopo Rauennate, & ut adeſſet tamquam ſubiunctus, neque in eum quidquam ob id deinde actum. De ipſo autem Gregorii XIII. ſummi Pontificis diplomate, eiusq. ſenſu, haud obſcuram intelligentiam eſſe, quando vnis non contentus Pontifex litteris, alteras etiam dediſſet, quibus ſeruari priores iubebantur. Reſponſum eſt ad hæc, ex noſtrorum delectorum & aduocatorum ſententia, neque eos teſtes ex formula examinatos, neque Archiepiſcopum noſtrum,

ſtrum publico Archiepiſcopatus nomine, ſed priuatim ob negocia domeſtica Bononiæ fuiſſe, neque tandem; licet publico quoque ſe nomine ita geſsiſſet; obeſſe ipſum Rauennati Eccleſiæ, & ſucceſſoribus potuiſſe. Cetera adducta, modeſtiam potius oſtẽdere Rauennatis Archiepiſcopi, quàm ut quidquam ad cauſam momenti pro Bononienſibus afferant. De diplomate ſatis ſupra eſſe diſputatum, multaque ſcripta fuiſſe, quibus nihil, quæ modò dicerentur, officerent. Vſum Pontificiarum litterarum, quem afferrent, non eſſe perpetuum, quod declarare multa, uel recentiſſima, poſſent: eaq. eſſe iam in manibus. Quod autem omittendis huiuſmodi ad Metropolitanum, uel de Metropolitano litteris, error eſſet, & an ſubiuncta ſit Eccleſia, & cui ſubiuncta, ex Prouinciali libro cognoſceretur, & ſi ibi deſit, ex poſtremis haberetur Pontificiis diplomatibus, legitimè confectis, ipſi diplomatibus conficiendis Præfecti, Abbreuiatores uocant; Ioanne Barengo, & Octauio Pamphilio ſubſcribentibus; poſtero incunte anno, teſtati ſunt. Cum uerò per hoſce dies ANN.M.D Pontifex, Cardinales ita diſtribuerit, ut uariis ferè omnes negociis delecti LXXXIII. præeſſent, in horum numero, erigendis potiſſimum Metropolitanis præfecit, Alexandrum Farneſium, Romanum: Gabrielem Paleotum Bononienſem: Ludouicum Madrutium Germanum: Petrum Dezam Hiſpanum: & Franciſcum Gioioſam Gallum: Itaque cum Drudus Orator ad Sanctacrucium & reliquos Cardinales, quod de uſu Pontificiarum litterarum habuerat, attuliſſet, negarunt ſe audire amplius ea de re quidquam poſſe: iam nouos fuiſſe a Pontifice ad huiuſmodi cauſas, Cardinales delectos. Id maxime noſtrorum animos perturbauit. Ceterum quamquam rem ita eſſe aliquã ſignificationem dediſſet Pontifex, tamen conſulentibus etiam nouemuiris Rauennatibus, V. kal. Mart. ad eius pedes ſe proiicit Drudus, cum eſſet Pontifex in hortis ſuis, propè D. Mariæ maioris: qua in æde, cum adhuc Cardinalis eſſet nobiliſſimum Nicolao. IIII. Pont. Max. extruxit ſepulcrum, mox ſummus Pontifex factus, auguſtiſſimum Præſepis Domini ſacellum ædificauit, & Pii. V. ſummi Pontificis in eo ſtatuam è marmore poſuit, eiusque è Vaticano transferri, & ibidem collocari cadauer cum magna gratiſſimi animi laude, iuſſit. Drudum autem, deplorantem huius iacturam, Eccleſiæ a ciuitatis, eoque maiorem, quo, quæ iam poſt diuturnos labores, magnaque impendia, ad exitum deducta cauſa putabatur, ea nunc eſſet denuò apud nouos Cardinales ordienda, humaniſſimè intuens Pontifex, ſatis ſe illi facere uelle reſpondit, rurſusq. cauſam ad Sanctacrucium, Lancellotum, & Aldobrandinum reiecit. Per id autem tempus, Pontifex, diem beatiſſimæ Virginis Deiparæ feſtum, quo die ipſa non dum mater Dei, angelo nunciante, effecta, in templum, præſens, adducta eſt, celebrari ab antiquiſſimis uſque temporibus, ſumma ubiq. gentium cum ueneratione, ſolitum; nam extant de ea, conſtitutio Emanuelis Cæſaris græca, & priſcorum patrum, Gregorij præſertim Nyſeni, Germani Conſtantinopolitani, & Gregorii Nicomedienſis, conciones; XI. kal. Decembr. agi, idq. duplici officio, iuſſit. Adhæc uetuſtiſsimam ab Apoſtolicis uſque temporibus ductam; uti ſupra memorauimus; ſacrarum Romæ ſtationum conſuetudinem, in quibus fidelium multitudo ad Apoſtolorum ſepulcra, & fortiſsimorum martyrum memorias conueniens, hymnis piis, & canticis Deum in ſanctis ſuis mirabilem laudabat, &

ſalutaribus immaculatæ hoſtiæ ſacrificiis placabat, & aduerſus multiplices antiqui hoſtis oppugnationes, tamquam in caſtris Dei, ſtatione tutiſſima conſiſtebat reſtituit ea ratione, ut & ipſe neque deterritus ſenectute, neque multis maximisq. Pontificatus curis retardatus, ad eas in baſilicis potiſſimum ſeptem nobilioribus, ad quas iam latas, ornatasq. uias recta duxerat, celebrandas, ſacraq. ibidem ſolemnia obeunda cum Cardinalibus ſe contulerit, & id ut deinceps fieret, elegantiſſimis, doctiſſimiſque, ut ſolet, litteris cauerit. Sacroſanctum etiam purpuratorum patrum collegium, ad ſeptuaginta uoluit conſtitui, ac antiquo Clementis, Anacleti, Euariſti, Alexandri, & aliorum ſanctorum Pontificum adducto more, quem per ſexcentos & amplius annos, continenti ſerie obſeruatum ſcribit, ut tantum menſe Decembri, diebus ieiuniorum Cardinales crearentur, decreuit: titulosq. eorum conformauit, ac nouos addidit decem. Hoſpitalem domum, in qua mendici alerentur, maxima charitate, uectigalibus conſtitutis, excitauit, ut illud ſeruaret, quod Deus Iſraeli per Moiſem mandauit, cum diceret, *omnino indigens & mendicus non erit inter nos:* cum inter Chriſti fideles, in ipſo naſcentis Eccleſiæ initio, idem plenè ſeruatum fuiſſe, eorumdem acta Apoſtolorum teſtentur: *neque enim*, inquiunt, *quiſquam egens erat inter illos*. Harum & multarum præterea ſimilium rerum præclarè geſtarum, Rauennates, & hoc perpetuo animi Pontificis ſenſu ducti, ad eum ſcripſerunt, ut poſtquam uenerandam antiquitatem tam religioſè nobis reſtituebat, poſtquam illorum Pontificum inſtituta tam præclarè renouabat, ac confirmabat, poſtquam reuocabat, ac planè referebat felicem illam ueterum ſummorum Pontificum ætatem, idem efficeret in cauſa Rauennatis Eccleſiæ, quam ueteres illi celeberrimi ſummi Pontifices maximè amauerunt, & ornaruntque. Quod ſi ipſe, cum ad exornandam nouis ædificiis Lateranenſem baſilicam, animum adieciſſet, nonnullis demoliendis peruetuſtis eius aulæ, ac penè collabentibus parietibus, reperta complura antiqua uariis recondita locis, ex auro puriſſimo, numiſmata, in quibus, hinc ſalutiferæ crucis ſignum, aut eadem inſignita cruce imago cernebatur, illinc ueterum, qui ante annos mille floruerunt, Imperatorum Auguſtorum expreſſæ effigies, vultusque, nempe, Theodoſii ſenioris, duorum eius filiorum, Arcadii, & Honorii, necnon Theodoſii iunioris, Valentiniani Tertii, Martiani, Leonis, Iuſtini, Iuſtiniani, Tiberii, Mauritii, Phocæ, & Heraclii, præclaro proſequutus eſt elógio, & certam pœnæ peccatis debitæ remiſſionem, iis, qui ea geſtarent, & opera quædam præſcripta exequerentur, indulſit, ut aliquam auguſtiſſimæ eorum Imperatorum memoriæ, qui ſingularem ſuam religionē, & perpetuam erga S. Romanam Eccleſiam, pietatem, hoc etiam inſigni apud poſteros teſtimonio, comprobarunt, referret gratiam, eaq. tum Rodulfo Cæſari, tum Regibus, ac uiris aliis Principibus dono miſit, haud diſpari ratione, uellet Rauennatis dignitatem eccleſiæ tueri, quam, perinde ac Romanæ Eccleſiæ primogenitam, iidem Imperatores, & Auguſtalibus ſuis litteris diplomatibusq. uti D. Gregorius teſtatur, & ampliſſima Chriſtianæ pietatis ſignificatione decorarūt, cum præſertim hac in urbe Valentinianus tertius ſit natus, Honorius perpetuò ferè uixerit, & maximam earum legum partem, in hæreticos ſcripſerit, quas D. Auguſtinus, eximius Eccleſiæ Doctor, tantopere extollit. Ad

has

has litteras Pontifex, per Alexandrum Perettum Cardinalem Montaltum, pronepotem ſuum humaniſſimè reſpondit. Interea tranquillatis admirabili felicitate mediterraneis Eccleſiaſticæ ditionis locis, cum ora adhuc maritima a piratis plurimum uexaretur, decemq. ob id triremes inſtituiſſet, certis ipſius ditionis Eccleſiaſticæ locis, tributo, quod ad eas ædificandas, ornandasq. faceret, impoſito, triremis illius, in quam Prouincia Flaminia contulerat, honoris, & dignitatis, ergo, quòd eſſet Rauenna, inſigni vrbs dignitate, & Prouinciæ metropolis, uoluit Rauennatem eſſe Præfectum: itaque Rauennates, Tarquinium Oſſium, cohortium ductorem, ciuē ſuum deligunt, Romamq. miſſum, eum per litteras, Pontifici, & Cardinalibus parandæ ſeruādæq. claſſi a Pontifice Præfectis, commendant: Erant autem ii, Inicus Aualus Aragonius, Marcus Sciticus Altaempſius, Antonius Saulius, Franciſcus Sfortia, & Vgo Lubex Verdala, a quibus, annuente magnopere Pontifice, Oſſius Neapolim, ad ornandam triremim ſuam Pontificiam, ea in vrbe ædificatā, mittitur: quod ubi confeciſſet, Centum cellas cum reliquis adnauigat: eò Pontifex profectus, quæ inſtructæ erant, triremes, ſacris precibus, ac cerimoniis expiauit. Sub id tempus Cardinale Paleoto Bononiam reuerſo, dedit, ut prolatis rebus, nihil in cauſa, uſq. dum remigraret Paleotus Romam, ageretur. Drudus & ipſe reuerterat Rauennam, attuleratq. diploma, quo Pontifex dato prope D. Marcum. VI. kal. Mart. quæcumq. ad eam diem pro conſeruandis Pinetis, ſuperiores Pontifices, Iulius potiſſimum Secundus, Clemens. VII. & nouiſſimè Pius IIII. diplomata dederant, quæq. edicta, Gregorii XIII. & ipſius Sixti iuſſu, Franciſcus Sangeorgius, & Ioannes Petrus Ghiſlerius, Præſides, Iulius Cananus, & Dominicus Pinellus Cardinales Legati promulgauerāt, accuratè confirmauit, rataq. habuit, acerrimeq. cauit, præſenti, iis, qui contra facerent, maioris anathematis pœna propoſita, a qua eximi, niſi a Pontificibus Max. non poſſent, ne uirides, aut aridas incidere Pinus, cuiquam, neque ipſis etiam aut Præſidibus, Legatisve Prouinciæ, aut dominis, aut denique aliis fas eſſet. Tantum liceret dominis, quæ exiccatæ omnino, & aridæ Pinus eſſent, ipſorumq. ſolum dominorum uſibus, a Conſeruatoribus prius uiſas, cædere: qui tamen eum quotannis fererent nucleorum pineorum numerum, qui Prouinciæ, Rectori, & Conſeruatoribus uideretur. Picem aut carbones conficere nucleos pineos, igne, neque in Pinetis ipſis, neque alibi, ex Pinuum lignis, aut radicibus educi prorſus noluit: Capras in Pinetis paſcere, uepres ſecari ac ſpinas, & dumeta uetuit: & cum harum ſiluarum certos a Dominis cuſtodes fieri, a Rectore Prouinciæ, & Conſeruatoribus, ſi uidebitur, confirmandos, permittat, iubet tamen eligi a Republ. Rauennate, Conſeruatores: Idq. ſe facere Pontifex, & ſuperiores item curaſſe Pontifices teſtatur, *tum propter ipſius ciuitatis*; Rauennam autem ſuis his uerbis intelligit: *ac totius Italiæ decorem, & ornatum, tum etiam propter magnam, eiuſdem ciuitatis, & multi alij populi fructuum ipſarum arborum Pinorum exinde percipiunt utilitatem:* Neque uerò iniuria, quando non minorem hoc neruis præbeat uſum, quam uoluptatem: hic enim ueſtitus tetræ uiridiſſimus numquam nō cernitur, & in naturali ferè, eademq. iucūdiſſima porticu, & Xyſto, inter Pinus celſiſſimas ambulare, ſub ipſis colloqui; cōſidereque, hieme uel media, quaſi in altera Tēpe, licet: hic uoluptarius exercere uenatus & piſcatus poteſt, non ad litus maris modo, ſed in aquis etiā intra

anguſtos Euripi terminos coarctatis: Maris hic, terræq. nauium, arborum, piſcium, armentorum terreſtrium proſpectus, incredibili delectatione, perfundit oculos atq. animum: Vt ipſas, quæ amœniſſimam ſiluam efficiunt, Pinus prætercam, è quarum conflatur potiſſimum radicibus, igni ciendo, ad medicamentaq. & palpebrarum ornatum ualde efficax, teda, educiturq. oblinendis aptiſſima nauigiis, pix, eodem pæne modo, quo illam urere olim Macedones conſueſſe, grauiſſimus auctor Theophraſtus docet: cum e trunco reſina etiam manet liquidior, multis medicorum laudibus, ad morbos & uulnera celebris. Quid frondes memorem aculeatas, aſſidue uirentes? quid uel corticem tanti uſus ad tingenda, capiendis piſcibus, retia, & ad ulcera delicatulorum potiſſimum, & ambuſta? Ceterum nuclei pinei commendatiſſimam ſoli ipſi, facere hanc ſiluam facile queunt, quorum eſt uſus tota Italia æque iucundus, ac ſalubris: maximè enim reſolutis, & coxarum doloribus proſunt, urinam cient, acrimonias in renibus, & ueſica hebetant, ſtomachi roſiones leniunt, & quod maxime omnium expetendum in ualetudine uidetur, uirium infirmitatem roborant, & corruptorum obtundunt humorum labem, præſertim ſi repurgati, & recentes, aut aqua tepida prius macerati mandantur: creduntur q. ut Auenzoar ſcribit, conſeruare pingue humidum, quo uita conſtat, aqueum abſumere; tandem cerebro, iecori, renibus, neruis, uiſui, auditui, eſſe plurimum accommodati, ſi in uentre coquantur, qua re nonnihil putantur difficiles eſſe, & craſſiorem ſuccum gignere. Templum hoc anno, Rauennæ, in ſuburbio portæ Vrſicinæ ædificatum eſt, & D. Rocho dicatum, cum magnam pecuniæ partem Chriſtophorus Archiepiſcopus contuliſſet, qui aliud in Caſa murata, ſua impenſa, titulo D. Ioannis baptiſtæ, fecerat, atque ornauerat. Fundamenta etiã in Hadriano ſuburbio ſacræ ædis iacta ſunt, eodem loco, ubi alia fuerat, aliquot ante annis ſolo æquata: His autem ſacris ædibus excitandis extra urbem & populorum commoditati, conſultum eſt, quibus difficilis erat, noctu præſertim, in urbem ad parochos, aditus, & ſacro Tridentino Concilio id iubenti, ſatisfactum. Academia quoque inſtituta eſt, in qua de politioribus, philoſophicisq. litteris ageretur. Hactenus in eam, præter noſtrates, cooptati ſunt, non Prouinciales modo uiri doctiſſimi, Ariminenſes, Cæſenates, Fauentini, Bagnacauallenſes Maſſenſes, ſed Mediolanenſes plerique, Cremonenſes, Ferrarienſes, Picentes, Spoletini, Euolitani, Caietani, ac Siculi. Primus eius conuentus eſt habitus. VII. kal. Iunii, qui dies propter anniuerſariam eius diei, quo Chriſtus Deus aſcendit in cælum, memoriam, celeberrimus fuit, in ædibus Gaſparis Loti, iuriſconſulti Rauennatis: Adfuere Chriſtophorus Archiepiſcopus, Ioannes Pellicanus Prouinciæ Præſes, Magiſtratus, frequentesq. præterea nobilitate & doctrina inſignes uiri: Ornatiſſimam orationem latinè habuit, renunciatus, in ſex menſes Academiæ Princeps, Lucius Philippus Ferrarienſis, Archiepiſcopo a ſecretis. Paucis poſt diebus, ut ceteros magis incitaret, primus omnium, de retinenda conſtantia & perſeuerantia doctiſſimè, politiſsimèque diſſeruit unus ex Academicis, Iulius Macerinus, Siculus, Panormita, è nobiliſſima ſocietate Ieſu, Theologus, is qui ſuperiore tota quadrageſima in Vrſiana æde, attentiſsimè auditus, de rebus ſacris, deque iis, quæ ad bene, beateque uiuendum facerent,

ſin-

ſingulari cumulatus eloquentiæ, ac doctrinæ laude, concionatus fuerat. Sextili menſe ineunte, cum Romam abiiſſet Pellicanus Præſes, prouinciam VII. Idus ingreſſus eſt, Quincto, Rauennam uenit, illi a Pontifice ſucceſſor tributus, Iulius Sclafonatus Mediolanenſis, cuius olim abaui fratrem, Ioannem Iacobum, Sixtus Quartus Cardinalem fecerat. Poſt Præfecturas autem, Gregorio XIII. Pont. Max. regnante ab eo in Eccleſiaſtica ditione geſtas, illum hic Pontifex, initio Pontificatus, Præſidem fecerat Montis alti, quod ſuum eſt, in Piceno, natale ſolum quodq. ipſe non hac ſolum honeſtauit nobili Præfectura, ſed Canonicatibus, & ceteris dignitatibus auctum, ciuitatem fecit, primumq. illi Epiſcopum, Paulum Aemilium Ioanninum, quem diximus, dedit, aſſidueq. habitatoribus, & mœnibus reddere maius ſtudet. Eo abſoluto magiſtratu, omni Iulium præfecerat Piceno, illudq. tum adminiſtrabat, Iulius cum Præſidem, in hanc eum Prouinciam Pontifex miſit. Sub finem Autumni, redeunte Paleoto Cardinale Romam, eodem reuerſus eſt & Drudus Orator, ut Archiepiſcopalem potiſſimum cauſam urgeret: cum enim ſuperioribus menſibus Aldobrandinus Cardinalis in Poloniam Legatus a Pontifice fuiſſet miſſus, in eius locum Pontifex Dominicum Pinellum Cardinalem ſuffecerat.

INDEX SCRIPTVRARVM,

QVAE IN TABVLARIO,

ſeu Archiuo Romano habentur, ſpectantium ad Archiepiſcopatum, eccleſiamq. Rauennatem.

CONSTANTINI, HERACLII.

PRIVILEGIVM Conſtantini, Heraclii, Tiberii, Imperatorum, ad Maurum Archiepiſcopum Rauennæ, in ampliando exarchatu Rauennati, ſub data Syracuſæ.

Priuilegium Valentiniani, Conſtantini, Heraclii, Tiberii Imperatorum, confirmat nominat. epiſcopat. ciuitat. & caſtella, in una carta.

Priuilegium Cæſaris Flauii Conſtantini, & Caroli Auguſti, uetuſtum.

OTHONVM.

PRIVILEGIVM Othonis primi correctum propter uetuſtatem.

Priuilegium Othonis ſecundi conceſſum de caſa roſaria, graditia, & plebis Quinti, & de aliis menſis, & de bonis Lamberti Comitis.

993 Priuilegium Othonis tertii de moneta cudenda. 993.

994 Eiuſdem de monaſterio Sancta Maria. in aula regia. 994.

994 Eiuſdem de fundamentis ſalinarum in Comaclo. 994.

995 Eiuſdem ſuper conceſſione Cæſenæ, & Ceruiæ, & aliorum. 995.

995 Eiuſdem confirmat. Eccleſ. Rauennæ nominata omnia, diffunditq. ſe per limites & confinia, necnon approbat priuilegia conceſſa a Ioanne XVII. Papa & Gregorio. & eſt autenticum de anno 995. Copia de anno 997.

Eiuſdem, confirmat. Eccleſ. Rauen. omnia loca nominatim, ut ſupra.

Idem concedit Rauennatibus, quod nullus audeat ædificare caſtrum a ciuitate Fauentiæ, Foroliuien. Populien. ac Cæſenat. uſque Rauennam.

Idem confert plura Eccleſiæ, Rauennæ, & auget, atque confirmat aliorum prædeceſſorum priuilegia.

1000 Idem donando confirmat monaſteriũ ſanctæ Mariæ de Bangariſia anno. 1000.

1209 Priuilegium Othonis Quarti an. 1209. amplum & auctenticum confirmat omnia nominau. ut ſupra, epiſcopatus, ciuitates, & caſtella: & ratificat omnia Priuilegia Imperatorum prædeceſſorum, & de præſcrip. etiam centũ annorum: & concedit Archiepiſcopo Rauennæ auctoritatem reſcindendi omnes contractus iniuſtos; & de moneta cudenda.

Eiuſdem

Eiuſdem confirmat. omnium ſupradictorum. 1209.
Eiuſdem ampluin.
Omnia priuilegia Othonum ſunt numero XV.

CHVNRADI.

1028 Privilegivm Chunradi ſecundi auctenticum. 1028. confirmat omnes res mobiles, & immobiles Eccleſ. Rauennat. & priuilegia conceſſa a prædeceſſoribus Imperatoribus, & Pontificibus, dilatando ad utrumque mare, & nominat omnes ciuitates, & caſtella.
Eiuſdem ſuper Comitatu Fauentino, donatio Archiepiſcopo.
Priuilegia Chunradi. num. 11.

FRIDERICORVM.

1160 Privilegivm Friderici primi, confirmat Eccleſ. Rauennat. omnes epiſcopatus, monaſteria, eccleſias, ciuitates, caſtella, monetamq. cudendi, & de caſtro Argentæ, cum aliis caſtris nominat. 1160.
Idem confirmat loca ſubdita Eccleſiæ Rauennat. 1160.
Idem confirmat omnia, ut ſupra in pergameno. 1160.
Idem confirmat, ut ſupra. 1160.
1160 Tranſumptum Friderici pro Archiepiſcopo. 1160. ſuper omnia loca, ut ſupra, cum ſigillo; product. 1494.
1162 Idem confirmat eadem 1162. & eſt in papiro.
1195 Fridericus primus 1195. conceſſit priuilegia nominata ſuper recuperatione Hieruſalem, & ſpecialiter litteræ Friderici Archiepiſcopi Rauennat. pro fedro. 1234.
1195 Priuilegium Friderici multarum immunitatum, conceſſum Archiepiſcopo Rauennæ, in Marchia, & Romandiola terra, & hominum, & rerum.
Priuilegium Friderici, extract. cars. VIII.
1217 Priuilegium Friderici Imperatoris confirmatio Eccleſ. Rauen. de pluribus caſtris, & ciuitatibus. 1217.
1219 Priuilegium conceſſum Eccleſ. Rauennat. ann. 1219. per Fridericum ſecundum: confirmatio de Comitatu Cæſenatenſi, cum caſtro uetere, & nouo, & comitatu Ficoclen. cum Epiſcopat. & ripa, & Riuerſano, Epiſcopa. Reginum cum dono, & conſecratione, & comitatu Bobii, cum pluribus aliis ciuitatibus, caſtris.
1220 Idem confirmat Eccleſiæ Rauennaten. omnes epiſcopatus, monaſteria, Eccleſias, ciuitates, caſtella, monetamq. cudend. ann. 1220. & de caſtro Argentæ, cum aliis caſtris nominat.
Fridericus ſecundus Imperator cõfirmat ſupradicta. 1220. & eſt autenticum. 1309. 1315. 1496. exempla.
Priuilegium Friderici II. confirmatio pro Eccleſia Rauennat.
Priuilegium Friderici de non recipien. Papam ſchiſmaticum.
1221 Priuilegium Friderici II. conceſſum Gotfredo Comiti de Blandrato.
Priuilegium eiuſdem, quod quicumque uaſalli, qui non recognouerint in annum & diem anni Archiepiſcopum Rauen. cadant a iure ſuo.

Priui-

Priuilegia uero prædictorum Fridericorum Imperatorum ſunt num. XVII.

HENRICORVM.

1063 Privilegivm Henrici. 4. 1063.
1100 Eiuſdem conceſſio ſuper fedro ſiue penſione quadam, pro Archiepiſcopo.
1114 Priuilegium Henrici V. confirmat epiſcopatus, ciuitates, & caſtra; & antiqua priuilegia pro eccleſia Rauenn. 1114.
Eiuſdem pro monaſterio ſancti Sepulchri, quod dicitur Nodenti.
1192 Priuilegium Henrici VI. de toto Comitatu Argentæ, plebe de portu, & Capite Sandali, Groſalo, Ripa, Perſico, Virgundino, Cauallo, Maturio, & plebe ſancti Viti, cum hominibus ſuis, & quicquid Eccleſia Rauen. habet, cum Pado ripariis, piſcariis, paludibus, &c. 1192.
Priuilegium ſiue confirmatio Henrici VI. de Polla, ſuper certis poſſeſſionibus.
1195 Priuilegium Henrici VI. ſub anno 1195.
Eiuſdem in quo remittit 26. den. Archiepiſcopo, quos debet habere ex Imperio.
Priuilegia Henricorum ſunt num. VIII.
Priuilegium quoddam Gualterii Archiepiſcopi.
Priuilegium quoddam uetus, licet mancum, ſuper rebus intus & extra.
1014 Priuilegium quoddam Imperatorum pro Archiepiſcopo, Henrici. 1014.
Primus, 841. Secund. 1117. Priuilegium Hlotharii ampliſſimum; confirmat illud Conſtantini; continet quod de monaſteriis in Italia uigintiquattuor, in Francia quattuordecim, de litore maris, marmoribus, columnis &c. pro Eccleſia Rauen.
Priuilegium Berengarii, & Adalberti pro his, qui fidelitatem iurarunt.
1508 PriuilegiumPhyliaſii enorme, quod conceſſit hominibus de Saraceno, Taibo, Piaia, monte ſaxo, caſtro colonata, & Paderno. 1508.
Priuilegia conceſſa Cæſenæ, quod non præiudicent Eccleſiæ Rauennæ.
Priuilegia ſcribantur in curia Communitatis prouinciæ.
Priuilegium Archiepiſcopi de curte, de molino, de ſalinis, & de haurione.
Priuilegium Symeonis Archiepiſcopi, conceſſum hominibus Aurioli de pluribus locis, & fundis in Auriolo, & in riuo Conſignani; quæ omnia ſunt iurium Eccleſiæ Rauennæ.
1466 Bulla ſeu priuilegium Pauli habet quod monaſterium ſancti Hilarii territorii Populienſis ſpectet ad Eccleſiam Rauen. & uocat monaſterium Galiatæ.
Paulus II. Bulla Paulina de non alienandis bonis Eccleſ.
1227 Bulla Gregorii noni ſuper iuriſdictione Porti, & aliorum, in territorio Ferrarienſi.
Bulla Gregorii ſuper Auriolo, Lugo, Potito, pro Archiepiſcopo.
Bulla Gregorii IX. ſuper reditibus ſalis & pedagiis.
Bulla eiuſdem contra Cæſenates.
Bulla eiuſdem ſuper iuriſdictione Eccleſiæ Rauennæ.
Bulla eiuſdem: dat auctoritatem Archiepiſcopo diſtribuendi poſſeſſiones in territorio Ariminenſi, caſtraq.
Bulla eiuſdem ſuper Rauennat. & Ceruienſ.
Bulla eiuſdem quod Ariminenſes non recipiant homines Coriolani; qui ſubſunt

ſunt Archiepiſcopo, in ciues.

Bulla eiuſdem quod Ariminenſes non recipiant homines; Marazani in ciues; nam ſubſunt Archiepiſcopo.

1228 Bulla eiuſdem 1228. conceſſionis & confirmationis Eccleſiæ Rauennat. ampliſſima, & continet omnes facultates Archiepiſcoporum Rauennatum: necnon ciuitates, caſtra, monaſteria, ad eandem eccleſiam pertinentia.

Bulla eiuſdem pro correctione clericorum.

Bulla eiuſdem confirmariua omnium priuilegiorum Pontificum, & Imperatorum, olim conceſſorum Eccleſiæ Rauennæ; necnon Epiſcopatus & conſtitur. omnium.

Bulla eiuſdem ſuper Epiſcopatu Feretrano, qui cum omni integritate ſua eſt eccleſiæ Rauen.

Bulla eiuſdem contra Fauentinos ſuper Auriolo, pro Archiepiſcopo.

Bulla Gregorii IX. contra Ariminenſes, quod in ciues receperint &c.

Bulla eiuſdem contra Rauennates ſuper conduct. pro Archiepiſcopo.

Bulla eiuſdem pro monaſterio ſancti Michaelis de caſtro Briton. pro Abbate.

Bulla eiuſdem contra Bononienſes, pro Archiepiſcopo.

Bulla eiuſdem contra Fanenſes & Senagallien.

1295 Bulla Bonifacii VIII. quod caſtrum Argentæ occupat. per Eſtenſes, eſt & ſpectat ad eccleſiam Rauenn.

Bulla eiuſdem contra Eſtenſes ſuper caſtro Argentæ.

Bulla eiuſdem continens idem ut ſupra.

Bulla eiuſdem, qui teneantur ſoluere decimas et pen. & pro quibus.

Bulla Bonifacii IX. de electione Archiepiſcopi Rauennæ, & quod prouiſiones cathedralium ſpectant ad Papam, ex conſtitutione Vrbani VI.

Bulla reuocat. Bonifacii IX. olim pro Ordelaphis, de Auriolo.

PIVS II.

Bvlla Pii II. pro redemptione caſtrorum Colonaræ, Montiſſaxi, Taibî, Piagiæ, Paterni, & aliorum locorum.

EVGENIVS III.

1149 Bvlla Eugenii III. an. 1149. quod Epiſcopus Placentinus eſt ſuffraganeus Archiepiſcopi Rauennæ.

1152 Bulla eiuſdem 1152. ſuper maſſa Firmiana: duplicata, eodem anno.

Bulla eiuſdem ſuper eccleſia Placentina.

HONORIVS III.

Bvlla Honorii III. confirmat. XV. Epiſcopat. Exarchat. Rauenn. & monaſter. Pompoſiani, quod eſt Eccleſ. Rauenn.

Bulla eiuſdem conceſſa Archiepiſcopo de commutando poſſeſſiones.

Bulla eiuſdem contra Ceruienſes.

Bulla eiuſdem pro Ceruia contra Archiepiſcopum.

Bulla eiuſdem in cauſa Ceruiæ & Archiepiſcopi.

Bulla eiuſdem contra Piſaurienſes.

Bulla eiuſdem contra Abbatem ſanctæ Mariæ in Coſmodim, quia alienauit.

Bulla eiuſdẽ cõtra Comitẽ Romãdiolæ ſuper caſtro Meldolæ, pro Archiepiſc.

Bulla

Bulla contra Ceruienſes quoſdam ſuper poſſeſſionibus, pro Archiepiſcopo.
Bulla eiuſdem conceſſa Archiepiſcopo ſuper * & tintinnabula.
Bulla eiuſdem contra Cæſenates.
Bulla eiuſdem contra ciuitates Marchiæ Anconitanæ.

HADRIANVS.

Bvlla Hadriani ſuper maſſa Firmiana.
Lucius III. Bulla Lucii ſuper rebus Argentæ.
Item de Federico Vicecomite Argentæ.
Item duo quinterniones ante & poſt diminuti; in pluribus tamen foliis inueſtiturarum Argentæ Petrocini Archiepiſcopi.
Protocollum inſtrumentorum Archiepiſcopi Rauennæ, Argentæ per Albertum de Curlo.

IOANNES XXII.

Bvlla Ioannis Papæ ſuper maſſis Campilii & Fiſcaliæ.
1320 Bulla Ioannis 22. 1320. contra Marchiones Eſtenſes, quod Ferraria cum comitatu ſpectat ad eccleſ. Rauennæ.
Bulla eiuſdem ſuper caſtro Medicinæ.
Bulla eiuſdem contra Venetos, occaſione Fani, pro Malateſtis.
Bulla eiuſdem contra Eſtenſes ſuper Ferraria.

AGAPITVS.

947 Bvlla Agapiti Papæ ſuper facto Ceruiæ.

STEPHANVS.

Bvlla Stephani Papæ, quòd eccleſ. Rauen. Placentina eccleſia eſt ſubdita.

MARTINVS IIII.

1281 Bvlla Martini. 4. contra Archiepiſcopum, qui caſtra eccleſiæ Romanæ occupauerat in Romandiola.

INNOCENTIVS III.

1198 Bvlla Innocentii ad multas vniuerſitates, ut redeant ad Romanã eccleſiam.
Bulla eiuſdem, quòd Archiepiſcopus poſſit uti Argenta, & toto ſaltu, ſicut poterat ante deſtruct. Argentæ, non obſtante pacto Rauen. & Ferrarien.
Bulla eiuſdẽ quod Britonoriũ cũ Romandiola, ſpectat ad eccleſiam Romanã.

INNOCENTIVS IIII.

Bvlla Innocẽtii quarti plũbea, cõſilio Bonon. pro defenſione Archiepiſcopi.
Bulla Innocẽtii. 4. ſuper poſſeſſionibus in Marchia Ancon. pro eccleſia Rauen.
Bulla Indulgentiæ conceſſæ Archiepiſcopo Rauen. per Clemen. VI.
Bulla eiuſdem contra Eſtenſes, quod caſtrum Argentæ ſpectat ad Rauennatẽ eccleſiam pleno iure, cum mixto & mero imperio: & ibi plene de Argenta.
Bulla eiuſdem, quod caſtrum Tudurani ſuberat Archiepiſcopo.
Bulla eiuſdem, quod nullus capellanus clericus Rauennas recipiat. 4. partem decimarum.
Bulla ſiue ſententia eiuſdem, quod nullus capellanus, clericus Rauen. 4. partem decimarum cum Canonicis ſortiatur.

NICOLAVS IIII.

Bvlla Nicolai IIII. ſuper epiſcopatu Regien. in . . . . . de Fliſco.
Bulla eiuſdem pro ſancta Maria in portu, ſuper poſſeſſione Longaſtrini.

INNOCENTIVS III.

1198 Bulla Innocentii III. ſuper monaſterio ſancti Adelberti ſupra Padum, quod eſt eccleſ. Rauen.
Bulla eiuſdem quod monaſterium Claſſen. ſit ſubditum eccleſ. Rauen.

INNOCENTIVS IIII.

1243 Bulla eiuſdem ſuper pluralitate beneficiorum.
Bulla eiuſdem Indulgent. conceſſ. Archiepiſcopo.
Bulla eiuſdem pro Regno Siciliæ.
1038 Teſtamentum Hugonis Comitis de Britonorio eſt 1038.
1039 Idem teſtameutum Hugonis Comitis caſtri Britonorii. 1039.
1039 Teſtamentum Hugonis Comitis caſtri Britonorii. 1039.
1024 Refutatio epiſcopi Ceruienſis pro Archiepiſcopo. 1024.
Statutum inter Archiepiſcopum & homines Ceruiæ.
897 Donatio facta Petro Rauennati eccleſiæ Diacono de Mutigliano, & aliis multis locis 897.
1031 Inſtrumentum de Turdutano. 1031.
1068 Refutatio Almerici ducis. 1068.
1290 Teſtamentum Bonifacii Archiepiſcopi, ubi diſponit Argentam ſpectare ad eccleſiam Rauenn. 1290.
1369 Teſtamentum Petrocini Archiepiſcopi. 1369.
1062 Teſtamentum Girardi Comitis Britonorii. 1062.
1178 Teſtamenta duo Io. Ducis. 1178.
1182 Teſtamentum Tignoli. 1182.
1132 Teſtamentum Petti Ducis. 1132.
1379 Bulla Vrbani V. mandat quod Vicecomites Mediolani pro annuo cenſu caſtri Vghi dioc. Imolen. ſoluant pro nouem annis Archiepiſcopo Rauen. 4500. florenos auri.
Bulla eiuſdem, quod Britonorienſes non impediant Abbatem & Monachos de Vrano, quin honorem impendant Archiepiſcopo.
Bulla eiuſdem, concedit temporalem iuriſdictionem in Romandiola.
Bulla eiuſdem, electionis in Papam, ſub dat. Auenioni.
Bulla eiuſdem contra Camaldulenſes. i. Claſſenſes.
1137 Locatio Britonorii per Archiepiſcopum Comiti Caualcanti. 1137.
1142 De eodem obligatio 1142. & locatio de eodem caſtro pro Archiepiſcopo. 1137. & inſtrumentum traditionis de eodem caſtro per Hugonem Archiepiſcopo Rauen. & recognitionis. 1011.
1144 In carta locationis ſuperioris de anno 1137. adeſt etiam compoſitio firma de eodem caſtro. 1144.
1144 Sententia lata contra caſtrum Britonorii, pro Archiepiſcopo. 1144.
1160 Bulla Alexandri. III. quod Britonorium eſt eccleſ. Rauen. in qua de exarchatu, & Ducatu, in quo continetur Britonorium; tum etiam ex teſtamento Hugonis eiuſdem eccleſiæ.
1330 Britonorii territorio tertæ emptæ pro Archiepiſcopo. 1330. inſtrumentum.

IVRA ARGENTAE.

1206 Iuramentum hominum de Argenta pro locat...... cum pertinentiis pro piſcando. 1206.

Zzz In-

1277 Inſtrumenta duo eiuſdem territorii. 1277. de concordia inter Archiepiſcopum, & Marchionem & cõmune Ferrariæ, de reſtituen. Archiepiſcopo Terram Caualli, & portum, & plebatum, & Maderiam, necnon caſtrum Argentæ, & comitatum eius.
1348 Capitula inter Archiepiſcopum, & homines de Argenta.
1348 Locatio Argentæ. 1348.
Locatio Argentæ per Archiepiſcopum, Opizoni Eſtenſi pro ſingulis annis pro duobus millibus florenis de Florentia. 1348.
Introitus ex poſſeſſionibus Argentæ, & conuentiones cum hominibus, & deſignatio terminorum territoriorum.
Minutæ duæ pro Argenta contra Eſtenſes.
1321 Copia inueſtituræ Marchioni Nicolao Eſtenſi de Argenta, & Pauiola in pergameno. 1421.
Locatio in fundo Porti, Andreæ de Rubeis filio comitis Beltrandi de Parma. car. 2. in papiro. 1421.
1472 Bulla Sixti 4. confirmat eccleſ. Rauen. omnia antiqua priuilegia prædeceſſorum illi conceſſa. 1472.
1472 Bulla Sixti 4. concedit & confirmat Eccleſ. Rauenn. omnia priuilegia Caliſti, Gregorii, Honorii, Gelaſii, necnon Epiſcopatus, ciuitates, & caſtella a principio Comitatus Argentæ, uſque Rauennam; & de pallio ferendo; limitat tẽpora, & declarat quæ oportet erga Archiepiſcopum. 1472.
1497 Copia inueſtituræ Ducis Herculis ab Archiepiſcopo, de Argenta, Lugo, & caſtro Potito. 1497.
Locatio in fundo Porti. car. 4. in papiro. 1506.
Recolleƈt. Argentæ in papiro. car. 24.
Liber ſuper colleƈtis caſtaldionum Argentæ.
Inſtrumentum ſuper beneficio Vicecomitis Argentæ.
Quinternus inueſtitutarum Petrocini Archiepiſcopi.
Locatio terræ in terra Vigi in plebatu ſanƈti Prancalis. 1444. per Archiepiſcopum, auƈtentica. car. 2.
Scripturæ pro fabrica capellæ apud ſanƈtum Franciſcum. car. 2.
Scripturæ ſcholæ Godariæ in quinternis ſanƈti Pancratii, poſtarum. 9. car. 2.
Sententia contra Fauentinos ſuper Lugo & Potito, per Innoc. Pap.
1336 Proceſſus & ſententia ſuper caſtro Aurioli. 1336.
1209 Locatio in Auriolo quorundam dominorum. 1209.
1218 Inſtrumentum ſolutionis debiti caſtri Aurioli. 1218.
1219 Libelli quorundam hominum de Auriolo. 1219.
1229 Sententia pacis inter Rauennates, lata per Archiepiſcopum, tempore Gregorii Papæ an. 1229.
1279 Lugum eſt iuriſdiƈtionis Rauennæ. 1279.
1273 Auriolum eſt Eccleſiæ Rauennæ. 1273.
Confiſcatio bonorum contra Comites de Cunio, pro Lugo.
1308 Aurioli locationes in una carta pergamena magna. 1308.
1290 Inſtrumentum conuentionis inter Archiepiſcopum, & homines de Auriolo de 500. mezinis grani. 1290.
1306 Inſtrumentum obligationis faƈtæ Eccleſiæ Rauennæ per homines de Auriolo in pergameno.

1302 Inſtrumentum ſecuritatis Mercualdorum de Auriolo.1307.
Inſtrumentum contra Mercualdos de Auriolo.1307.
1308 Inſtrumentum locationis factæ de multis terrenis in . . . . . de Auriolo.
1310 Inſtrumentum ſuper facto Aurioli. 1310.
1407 Inſtrumentum locationis Aurioli, per Archiepiſcopum, auctenticum. 1407.
Pu blicatio citationis factæ Ordelaphis.
1348 Inquiſitio contra Ordelaphos pro Archiepiſcopo Rauen. uulnerato in caſtro Aurioli, quod ſpectat ad Eccleſiam Rauennæ. 1347.
1455 Aurioli caſtri locationis copia, Ordelaphis. 1458.
Maſſæ Firmianæ confirmatio, & de plebe ſancti Stephani, facta per Hadrianũ Pap. ſalua iuriſdictione Eccleſ. Rauen.
Sententia ſuper fundo Firmiano in fauorem Archiepiſcopi, ſedente Victore Pap. & Henrico Imperatore.
1190 Cauſa inter Archiepiſcopum Rauen. & Epiſcopum Ferrarien. ſuper plebe ſancti Stephani, & Maſſa Firmiana. 1190.
1306 Sẽtẽtia auctẽtica pro Archiepiſc. ſuper Maſſa Auximana, & Firmiana. 1306.
Allegationes pro Archiepiſcopo contra Auximan. ſuper principali.
1362 Traditio pallii Archiepiſcopo, per epiſcopum Imolen. & Fauentinum, & forma iuramenti fidelitatis tradita eidem per Innocentium V I. 1362.
1296 In collina Græcorum donatio hominum in monte Antignani, in caſtro nouo a deſcẽden. Eccleſiæ Rauẽnæ, per Alemanũ, Salinguerrã & Ruſticellũ. 1196
Plebis Quincti permutatio.
Priuilegia Imperatorum nulla ſunt, quo ad Ceruiam.
Statutum Curiæ & Archiepiſcopi Rauennæ.
1223 Sententia lata contra Ceruienſes Romæ. 1223.
Lauritiæ locatio territorio Ceruiæ.
1196 Salinæ locatio territorio Ficoclenſi. 1196.
1197 Concordia inter Archiepiſcopum, & commune Ceruiæ. 1197.
1217 Iuramentum fidelitatis hominum Ceruiæ, ipſi Archiepiſcopo. 1217.
1212 Concordia inter Archiepiſcopum & Commune Ceruiæ, cum inſtrumento incluſo ſuper catena Ceruiæ. 1212.
Statutum Rauennæ & Epiſcopi ſuper ſale Ceruiæ.
1181 Breuiarium de penſionibus, quas Eccleſia Rauennas habet. 1181. in pluribus locis, Rauennæ duo, & unum Ceruiæ.
Inſtrumentum Ceruiæ hominum ſoluentium ſalem Archiepiſcopo.
1141 Inſtrumentum reintegrationis de Ceruia, ac Meldula. 1411.
Inſtrumenta plura in una carta, ſub pluribus annis de Ficoclenſi, & de hominibus de Ceruia, qui iurarunt fidelitatẽ Archiepiſcopis Rauen. ſub pœna &c.
Rotulus maximus, quod Ceruien. conſueuerunt dare Archiepiſcopis receptum de tribus comeſtionibus, & diſcordia eorum deinde dabant unum ducatum de tertio in tertium annum: & Archiepiſcopus habebat condemnationes, quæ fiebant in Ceruia; & iudex erat pro Archiepiſcopo in Ceruia, & omni anno dabant duas collectas ſalis Archiepiſcopo, & ad tumbam portabant: & omni anno pro qualibet familia dabant duo ſtaria annonæ, & unum panem, & unum pullum; & Vicecomes erat in Ceruia pro Archiepiſcopo, & Archiepiſcopus habebat tertiam partẽ catenæ: Et ſub ipſo rotulo ſunt ſcholæ multæ, & de quiliano duæ, & iuramenta fidelitatis duo.

1224 Rotulus communis inter Archiepiſcopum, & Commune Ceruiæ.1224.
Indulgentia cõceſſa Archiepō Rauen.ut poſſit celebrare officium prædicatorū.
1474 Ordo miſſarum dicen. in Rauennati eccleſia.1474.
Inuentarium bonorum manſionis de Bononia.
1253 Donatio facta Archiepiſcopo de caſtro facto & faciendo, & a porta Sancti Mammæ.1253.
Compromiſſum de eligenda Prioriſſa ſancti Seuerini Rauennæ.
Priuatio Euſtachii de ſancto Laurentio de Poſterla Rauen.per Archiepiſcopū.
1300 Conſtitutio facta per Archiepiſcopum ſuper diuiſione cereorum & candelarum in funere.1300.
Proceſſus & ſententia Potiti pro Archiepiſcopo: duæ chartæ ſimul.
Numerus quorundam redditaum Ferrariæ.
Iuramentum pro eccleſia Rauennati ſuper penſione, per quendam, librarum trium de auro optimo.
Inſtrumentum conuentionis per Archiepiſcopum & clerum.
Sententia inter Archiepiſcopum & Archipresbyterum Bagnacaualli.
1023 Sententia pro Archiepiſcopo, contra Archipresbyterū de Bagnacauallo.1023
Obedientia Comitis de Bagnacauallo Archiepiſcopo: in copia.
1187 Inſtrumentum fidelitatis feudi Comitis Maluicini, pro Bagnacauallo.1187.
Teſtes pro Archiepiſcopo, contra Archipresbyterum de Bagnacauallo.
Caſtrum Bouarium ſubeſt Archiepiſcopo, ut patet ex tribus bullis.
1237 Petitiones ſuperſuriola.1237.
Inuentarium de manſis Suriuoli, & montis circuli, & aliorum.
Supplicatio quædam Archiepiſcopi Mediolanenſis.
1290 Iuramentum fidelitatis Abbatis Vrani.
Inſtrumentū ſyndicatus inter eccleſiam Rauen. Caſelacchi & Rudiliani.1290
1156 Emphyteoſis inter duos de Caſalcello maiore & minore.
Inſtrumenta diuidentia partes hominum pro eccleſia Rauen.1156.
Cōſtitutiones in pergameno quo ad eccleſiam Rauen.in celebrandis diuinis.
1302 Sententia lata pro Cantica eccleſ. Rauen.1302.
1310 Sententia lata pro præbendis in eccleſia Rauen. 1310.
1310 Electio de Archidiacono Rauennæ.1310.
Inuentario de rebus eccleſiæ ſanctæ Margaritæ.
Locatio terrarum in plebe ſancti Zachariæ.
Locatio terrarum in plebe ſancti Caſſiani.
Sententia & laudum inter Archiepiſcopum, & homines de Lugo.
Inſtrumentum pro eccleſia Rauennæ, de Cento, & Potito.
1197 Penſio eccleſiæ Sanctæ Mariæ de Burgo, unius libræ ceræ.1197.
Litteræ Archiepiſcopi, ſuffraganeis, ut interſint Lughi.
Sacramentum epiſcopi Foriliuien. aucttenticum.
1302 Obedientia epiſcopi Parmen. Archiepiſcopo.1302.
1309 Litteræ epiſcopi Placentini de cruce portanda.1309.
Iuramentum fidelitatis Epiſcopi Bonon.
1309 Litteræ Bononien. Epiſcopi ſuper cruce portanda.1309.
Cauſa ſuper plebe Sancti Proſperi de Imola, rotulus.
Inquiſitio ſuper pluribus parochialibus Fauentinis.
Iuramenta duo fidelitatis hominum de caſa murata, Archiepiſcopo.
Inſtru-

Inſtrumentum de pluribus fundis caſæ muratæ.
Libelli tres de caſa murata. car. 64.
Liber rationum caſæ muratæ. car. 80.
1469 Inſtrumẽtũ de caſa murata, Pino de Ordelaphis, cũ ſigillo Archiepiſcopi. 1469.
1459 Locatio uillæ caſæ muratæ per Archiepiſcopum. 1459. auctenticum; cum alio inſtrumento affixus in papiro, autentico de dicta caſa murata, pro ducat. 47. auri, quolibet anno.
Prouiſio & confirmatio Eccleſiæ ſancti Bartholomæi in caſa murata, & conceſſio manſi de reſtaldo, per archiepiſcopum.
Penſiones de caſtris Ariminen. Marenzani, & Gemani. (nouem. 1284.
1284 Litteræ iuſtitiæ Legati Latini in cauſa Rauẽnatum, & Ariminen. ſuper caſtris
1212 Renouationes hominum de monte Gemano nominat. 1212.
1153 Locatio Burgi caſtri de Sauignano. 1153.
1212 Deſcriptio hominum Ceriolani ſoluentium Archiepiſcopo penſionem. 1212.
Cedula penſionum Gemani.
Sententia pro Archiepiſcopo. 1220. ſuper caſtro Maranzani, Galbole, Granaroli, & Legabizze.
1080 Priuilegium Archiepiſcopi de Granarola. 1080.
Priuilegium de Legabizze, Granarolo, montis Coruini, Crucis, & aliorum.
1263 Glazoli locatio per Archiepiſcopum Rauennat. 1263.
1263 Locationes ſex in una magna carta, diſtinctæ, de Legabizze. 1263.
1264 Locationes octo diſtinctæ in una carta de Legabizze. 1264.
1264 Locationes. XIIII. diſtinctæ de Legabizze. 1264.
Innouationes penſionum de caſtro medio, & de Legabizze. 1314.
1466 Donatio Glazoli, p̃ benedictũ Papã Archiepiſcopo; & cõfirmata, & autẽ. 1466
1297 Inſtrumẽtũ renouationis Cõmunis Piſauri, de mõte & fundo Cagnano. 1297.
1268 Locatio ſeu prouiſio eccleſ. S. Vitalis in Legabizze, pro tribus libris ceræ. 1268
1356 Procuratoriũ pro affictã. Malateſtis caſtra quidam, & uillas Arimini, & Piſau-
1324 Renouatio caſtri Glazoli. 1324. (ri. 1356.
1433 Inſtrumentum molendinorum Rauennæ, & aliarum rerum, & poſſeſſionum de iure menſali Rauennæ. 1433.
1138 Plura monaſteria in locis diuerſis, per Archiepiſcopum Camaldulen. 1138.
1302 Pacta inter Archiepiſcopum, & Priorem Camaldulen. 1302. ſuper monaſterio
1361 Inuentarium Sancti Stephani de oliuis de Rauenna. 1361. (Claſſenſi.
1305 Conceſſio de mercato faciendo in molino uecchio. 1305.
1362 Stipulatio pro cuſtodia caſtrorum Taibi, Tudurani, Cuglia, Zironi, caſtri noui, cum ſalario cuſtodum pro eccleſia Rauen. 1362.
1220 Permutatio inter Marcoaldum Ducem Rauennæ, & Comitem Vbertum de caſtro nouo, & caſtro Meldolæ, confirmata per Imperatorem. 1229.
Commutatio de Meldola & de caſtro nouo. (iurat
Caſtri noui uniuerſitas Vberto Comiti iuſſu Friderici Imperatoris fidelitatem
1212 Inuentarium bonorum caſtri noui, in territorio Foroliuien. 1212.
Venditio terrarum inter duos in caſtro nouo.
Inſtrumentum uenditionis pro eccleſia Rauennate de caſtro Dogario, & de caſtro nouo cum aliis.
1157 Diuiſio caſtri noui inter Archiepiſcopum, & Comitem Lambertum. 1157.
Locatio caſtri Offani, cũ fontana ſua, & introitu, pro eccleſia Rauẽnate. 1196.

1335 Locatio in fundo Lacumæ. 1336. 1335.
1314 In fundo Lacumæ. 1314.
1327 In Lacuma, in loco detto Rouerſo. 1327.
1326 In plano Lacumæ. 1326. in Lacuma. 1331.
Donatio facta eccleſ. Lacumæ, de tertia parte caſtri Lacumæ, & centū maſſis.
1164 Inſtrumentum de caſtro nouo pro Imperatore, contra Archiepiſcopum. 1164.
Locatio de caſtro Seguni, & permutatio caſtri de Rangle.
1324 Recognitio & commiſſio de monaſterio Galiatæ. 1324.
1062 Locatio in Galiata. 1062.
1200 1276 Conceſſiones factæ Abbati Galiatæ de Ciuitella, & aliis rebus Rauen. 1200.
1326 Sacramētū fidelitatis præſtitū eccleſiæ Rauen. per hoīes de mōte Acutio. 1276
Locatio terrarum in Ruſpinoſo, triplicat. 1326. 1328. 1331.
Locatio terrarum in ſancto Clemente, quadruplicat.
1336 Item triplicata. 1337. item etiam 1336. duplicata.
1324 Locatio eccleſiæ S. Clementis in Foropopulien. pro Archiepiſcopo. 1324.
1214 Locatio terrarum in Ruſſi. 1214. alia. 1223.
1304 Innouatio terrarum in Ruſſi. 1304.
1307 Locatio terrarum in caſſina. 1307.
1326 Locatio terrarum in ualle de Nuce. 1326.
1030 Renouatio de ualle de Nuce territorii Populien. 1030.
1225 Inſtrumētū fidelitatis Epiſcopi Comaclen. & aliorū, Archiepō Rauen. 1225.
Donatio per Archiepiſcopum de duobus monaſteriis, Sancti Mercurialis, & Sancti Gregorii, extra muros, cuidam monacho.
1226 Conſtitutio quod ſæculares clerici portent habitum, & tonſuram. 1226.
Concordia inter eccleſiam & commune Rauennæ.
Venditio medietatis caſtri Fabanci, & eius curtis. 1084.
1084 Inſtrumentum uenditionis bonorum ex teſtamento Archiepiſ. Opizoni de La(uania. 1295.
1295 Locatio burgi caſtri de Sauignano.
1294 Conceſſio faciendi mercati in curia Tudurani. 1294.
Copia hominū de Sagliano iurantium fidelitatē, & de redditibus dicti caſtri.
1226 Inſtrumentum emptionis pro eccleſ. Rauen. pro medio caſtro Fixæ. 1226.
1317 Electi epiſcopi Hadrien. per Archiepiſcopum confirmata, & ratificata. 1317.
1226 Emptio per Archiepiſcopum ſuper. 4. parte totius caſtri Fixæ, cū domo. 1226.
1270 Interdictum & ſententia excommunicationis contra omnes, qui contra eccleſiam Rauennatem ..... latam per Archiepiſcopum & capitulum & clerum Rauennæ. 1270. & publicatum Cæſenæ.
Petitiones contra Petrum de Aragonia, qui Regnum Siciliæ tenebat cenſuale ab eccleſia Rauennæ.
Vniuerſitas caſtri noui iuſſu Friderici iurat ſupra.
Repertorium uocabulorum. cart. 62.
Laudatio ī Vgolinū Piſanū, & Leonardi in Carolo zeno, & epithal. ſimul. c. 18.
Inſtrumentum conuentionis inter Archiepiſcopum & eius clerum.
1326 Locationes duæ in battizucco. 1326. 1327.
1299 Locatio 1299. de caſaſcto in Valfredola. 1304.
Locatio in fundo Turlani.
1332 Locatio in coſta de uinci. 1332.
1064 Locatio domus hoſpitalis ſuper flumen. 1064.

Locatio

1314 Locatio copãrii unius libræ ceræ. 1314. duplicat.
1342 Locatio in runcatio. 1332.
1198 Concordia ſuper iure caſtri noui. 1198.
Forma ſeruando in petendo inueſtituram.
Locatio de molendino roticulato canonicis.
1314 Locatio in Val de pondo, & in Valle Treboli. 1314.
1314 Locatio in fundo Seræ. 1314.
1137 Locationes duæ lacumæ. 1137.
1104 Priuilegium Archiepiſcopi de domo hoſpitalis. 1104.
1226 Cartæ promiſſionis inter Archiepiſcopum & Abbatẽ S. Io. Euãgeliſtæ. 1226.
Executoriales cum ſententia, contra Priorem & conuentum Sancti Ioannis euãgeliſtæ de Rauẽna, pro Archiepiſcopo & canonicis, de annuo debito, cũ duabus cedulis in papiro incluſis: una, nomine Iuſti, procuratoris d. Prioris & conuentus, confitentes annuum cẽſum Archiepiſcopo XL. barilarũ uini.
1496 Conſtitutiones domini Latini, & domini Bernardi. i. concilia.
Prouincialia concilia producta. 1496. in pergameno. cart. 42.
1193 Locatio Sancti Marci de Poſterla. 1193.
1205 Locatio Candriana. 1205.
1285 Sententia pro Archiepiſcopo, contra Forliuienſes 25. librarum Rauennæ pro ſatisfactione damnorum. 1285.
1266 Locatio ſancti Laurentii in Cæſarea. 1266.
Monaſterium ſancti Laurentii reformatur in fratres ſancti Auguſtini.
1231 Vicecomitatus Argentæ conceſſio & extra. 1131.
Copia hoĩum Laſtagnani, Culinæ, Caſalecchi, qui iurarũt fidelitatẽ Archiep.
1336 Hoſpitalis Simonis & Iudæ collatio per Archiepiſcopum. 1336.
1225 Excõmunicatio facta ab Archiepiſcopo de uolũtate Epiſcoporũ, & Abbatũ.
Concordia inter Commune Bononiæ & Rauennæ.
1216 Cellæ uolanæ locatio. 1216. Innouatio eius. 1123.
Hoſtiariæ officii conceſſio.
Inſtrumenta ſimul theſaurorum quorumdam Eccleſiarum Rauennæ.
Iuramenta & pacta hominum de Caſtro Hubaldi de monte Cerno, & Offano, qui laborant de maſſa Auxiana.
1309 Inſtrumentum locationis Bagnacaualli. 1309.
1216 Manſorum omnium & poſſeſſionum reditus, inſtrumentum. 1216.
1138 Inſtrumẽta monaſteriorũ in luminata, in comitatu Peruſino, cellas quinque; Eugulio, Comitatu Firmiano, Fanen. Senogallien. & aliis Epiſcopatibus, Eccleſiæ Rauennæ ſubditis, conceſſ. per Archiepiſcopum, Camaldulen. 1138.
1293 Inſtrumentum depoſiti pro debito 2000. librarum Eccleſiæ Rauennæ pro caſtro emendo, ubi &c. 1293.
1294 Pacta inter Eccleſiam Rauennatem, & Commune Forliuii. 1264.
Poſitiones factæ per Bartholinum de ſancta Agatha procuratorem monaſterii Claſſen. contra Archiepiſcopum Rauennæ.
Prouiſio electionis Archiepiſcopi Rauennæ per Papam Gregorium propter diſcordiam Canonicorũ quibus erat ius eligẽdi; & deuoluitur ad Papam.
1279 Inuentarium bonorum Ioannis de monte Saxo. 1279.
1199 Locatio terrarum poſtæ de Salice pro Eccleſia Rauennæ. 1199.
1193 Sanctæ Mariæ in portu renouatio in pergameno pro eccleſia Rauẽnate. 1193.

Inſtrumentum

1327 Inſtrumentum penſionis pro monaſterio ſancti Benedicti in alpibus de Fauentia, in pergameno pro eccleſia Rauennæ. 1327.
1293 Locatio terræ in Sagliano de Cæſena. 1293.
1308 Locatio alia in Sagliano. 1308.
1068 Donatio Comitis Vberti in monaſterium ſancti Apollinaris noui, in fundo Francoli, ſancti Clementis de Lacuma, & in aliis locis. 1068.
Locatio cum tenimento Foropopulien. diœceſ. in pergameno.
1455 Inſtrumēta locationis nu. 19. in pergameno in faciſculo ligato, & autētico. 1455
Locationes in pergameno cart. VIII. in papiro cart. 30. & 38.
1485 Protocollum inſtrumentorum, cum coperta pergamena. cart. 24. 1485.
Chronicæ Pontificum in pergameno. cart. 86. cum duabus aliis in principio.
Repertorium Alphabeticum. cart. 56.
Articuli & bullæ plures contra hæreticos.
Bulla electionis epiſcopi Regienſis, per Canonicos: Nicolai. V.
1314 Liber de acceptis eccleſiarum, & monaſteriorum diœceſ. Rauen.
1223 Liber de acceptis eccleſiæ Rauennæ, in reale, coopertum totum. 451. cum litteris executorialibus, & ſententia contra fratres ſancti Ioannis Euangeliſtæ, præpoſit. 1223. tempore Honorii Papæ, & Frederici. II.
Liber de acceptis communitatis Ceruiæ, eo pert. in membrana: cart. 99.
Liber de acceptis Arimini, & Sauignani, in papiro, cū coperta mēbrana. 226.
Liber de acceptis caſtri Ruffi in papiro coper. in membrana: & aliorum locorum. cart. 133.
Liber penſionum eccleſiarum, & aliorum locorum, & hominum ſine coperta, in papiro. cart. 297.
Liber eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum locorum, in papiro. 162.
Liber penſionum eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum hominum & locorum, in papiro, cum tabulis & fundello. car. 304.
Liber eccleſiarum in papiro, ſine coperta. cart. 32.
1312 Liber monaſteriorum, & aliorum, in papiro. car. 30. anno. 1312.
Liber actorum in papiro. car. 28.
Liber actorum, conſiliorum, & priuilegiorum Gregorii Papæ, & aliorum in papiro: car. 268.
Liber cauſarum in papiro. car. 36.
Liber inſtrumentorum in papiro. car. 40.
Liber eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum locorum in papiro: cum tabulis. car. 151.
1513 Liber poſſeſſionum de Britonorio in papiro, car. 102. cum quibuſdam aliis cartis ſex cū litteris Philiaſii ad afflict. ad tres annos, ſigillo ſuo munitis. 1513.
Liber rationum incipit a caſa murata in papiro. car. 80. cum alio libro, in quo ſunt ſtatuta, & eccleſiæ ſancti Ioannis Baptiſtæ de Rauenna. car. 24.
1300 Liber præſentationum & actorum in papiro. car. 26.
Liber protocollorum Regiſtri & ſententiarum. car. 32. anno. 1300.
Liber emptionum. car. 20.
Liber debit. eccleſiarum, monaſteriorum &c. car. 52.
1480 Repert. alphabeticum. car. 20.
Liber emptionis Taibi, & poderis; & conſilia & inſtrumenta; Vnum. 1480. cum copia donationis eccleſ. ſanct. Coſmi & Damiani, ſpectant. monaſterio ſan-

ctæ

ctæ Mariæ de Vrbe. cart. 21. cum materia frumenti. car. 18. cum aliis cartis 32. del dare & hauere.

Liber actorum in papiro. car. 82.

1359 Liber renouat. car. 80. 1359. in quo libro magno pergameno car. 8. eiuſdem materiæ ſunt incluſæ.

1366 Liber renouatus in pergameno car. 39. anno. 1366. in quo ſunt incluſæ aliæ cartæ eiuſdem tenoris num. 363. & in papiro car. 29.

Inueſtituræ car. 26. & libelli tres de caſamurata car. 64. pro ſupranumerariis Canonicis aliæ cartæ, & aliæ pro ſententia Archiepiſcopatus, & cum faſciculo præceptorum contra Iacobum Tractum.

Inuentarium terrarum de Legabizze, territorio Piſauri.

Bulla Henrici ſuper quæſtione ſanctæ Mariæ in portu Rauēnæ. car. 4. in papiro.

1228 Priuilegiū Gregorii. 9. car. 4. 1228. cofirmans oīa nominat. ſubditæ Rauēnæ.

Conſilium quod Archidiaconum debet præcedere Vicarius.

1160 Priuilegiū Friderici Imperatoris, confirmat nominat. omnia ſubdita eccleſiæ Rauennæ. car. 2. 1160.

Inuentarium poſtarum quartæ gagii car. 2.

Faſciculi.

Rauenna.	63	Forumliuii.	1
Argenta.	11	Cæſena.	50
Ferraria.	2	Ariminum.	51
Bononia.	1	Piſaurum.	38
Imola.	1	Catholica.	4
Fauentia.	4	Fanum.	2
Auriolum.	49	Senogalia.	1
ForoPompilii.	19	Ancona.	1

Sunt alia quædam retenta per Cardinalem Fel. recor.

Sequuntur libri in iure, qui ſunt in Archiuis Rauennæ, & in ſacra ſcriptura.

IVRA CASTRI ROVERSANI.

1163 Sacramentum hominum de Reuerſano, pro eccleſia Rauen. 1163.

1298 Loca potii ſeu Tumbæ caſtiglioni, poſit. in curia Reuerſani. 1298.

Inſtrumentum locationis non autenticum, de cenſu quorundam manſorum de Montigliano.

1297 Inſtrumentum pro cuſtodia caſtri Reuerſani. 1297. & cuſtodientibus illud pro Eccleſia Rauennate aſſignare molendinum territorii Cæſenæ, in curia bori, cum ponzata, & aliis terris.

Inſtrumentum fidelitatis hominum de Reuerſano, pro eccleſia Rauen.

1286 Deputatio Caſtellani in Reuerſano. 1286.

1288 Proceſſus & ſententia probans, quod ad eccleſiam Rauennatem caſtrum Reuerſani, Aurioli, & molini & Vecchi pertinet. 1288.

1275 Locatio terræ pro eccleſia Rau. ī curte Mōtigliani, in fundo Corigliani. 1275.

1283 Proclámata facta contra aliquos de Reuerſano. 1283.

1157 Abſolutio facta hominibus de Reuerſano per communitates de Panigo, quod præſtent fidelitatis iuramentum, & plenam obedientiam Archiepiſcopo.

1150 Inſtrumentum poſſeſſionis caſtri Rouerſanī, pro eccleſia Rauen. 1150.

Coniuratio hominum de Rouerſano.

Carta

Carta pro omnibus ſeruitiis de Rouerſano.

Sententia lata per Archiepiſcopũ Rauennæ, ſuper diſcordiis quorundam hominum de Rouerſano.

1320 Locatio terrarũ in diœceſi Arimin. in curia Mõtigliani, & mõtis noui. 1320.

1144 Donatio facta de caſtro Riuerſani, & eius curte, eccleſiæ Rauen. 1144.

Appellatio per ſindicum Rouerſani, Laſtagnani, Borii, & Ronchi ad Papam, pro collectis ſibi a maſſario Cæſenæ impoſitis.

1258 Locatio terrarum in Montigliano pro eccleſia Rauen. 1258.

1296 Inſtrumentum per quod probatur de iuriſdictione Rouerſani, quod ſpectat ad eccleſiã Rauennæ, per mandata facta, & cautiones captas ab hominibus de Rouerſano. 1296.

1296 Sacramentum fidelitatis hominum de Riuerſano, & aliæ promiſſiones factæ eccleſiæ Rauennæ, 1296.

1298 Sententiæ. 1298. ſuper maleficiis, plene continentes, quod molendinum uetus ſpectat ad eccleſiam Rauennæ.

1157 Emptio caſtri cũ fortilitiis & curte de duabus Reu erſani, pro ecc. Rau. 1157.

1333 Inſtrumentũ procurationis cuiuſdam uniuerſitatis de caſtro Rouerſani ſuper collectis ſoluendis communi Cæſenæ. 1333.

1291 Iuriſdictio caſtri Reuerſani confeſſionis factæ de fidelitate eiuſdẽ caſtri. 1291.

1276 Litteræ Archiepiſcopi quod Forliuii non moleſtent, nec exigant condemnationes iniuſte factas occaſione exercitus Glazoli, ab hominibus de Tudurano, Bagnolo, Quiliano, Valle põdo, Foſſa, molin uecchio, & mente abbate, quod ſubeſt eccleſiæ Rauennæ. 1276.

1296 Pacta promiſſa per dominum Hugolinum de Valle de nuce, pro cuſtodia caſtri Reuerſani 1296. ualde utilia, per quæ probatur quod iuriſdictio caſtri ſpectat ad eccleſiam Rauennæ.

1296 Inſtrumentum concordiæ de Reuerſano, per quod probatur dominium & proprietatem pertinere Eccleſ. Rauen. & aliqua pacta cum multis iuribus. 1296. quæ omnia utilia ſunt pro Archiepiſcopo Rauennæ.

1299 Locatio potii ſeu Tumbæ Caſtiglioni in diœceſi Cæſenaten. in curia Reuerſani, ab Eccleſia Rauennæ. 1299.

1238 Locatio terrarum. 1238. in curia caſtri Montigliani in Carquizano, &c. ab Archiepiſcopo Rauennæ.

Proteſtationes & exceptiones per Sindicũ, Reuerſani, Mõtis caualli, Borii, & Rochi, qui ſoluũt collectas maſſario Ceſenæ, pro expẽſis p exercitu Ferrariæ.

1248 Inſtrumentum præcepti facti cõmuni Cæſenæ pro hominibus Rouerſani, ſubditis Eccleſiæ Rauennæ.

1297 Locatio terrarum & fundorum in territorio Cæſenæ, facta ab Archiepiſ. Rauẽ. cum onere, ut ſoluant etiam ſuis ſucceſſoribus, exercitus, caualcatas, & collectas, & alia 1297. reſeruata per iuriſdictionem Eccleſiæ Rauennæ.

Sacramentum fidelitatis, quod debent facere homines Riuerſani, & aliorum locorum, Rauennati Eccleſiæ. eſt ibi tantum ſuper caſtro Riuerſani, & eius curte, Sauignani, Montigliani; montis noui; Saliani; montis uecchii, Soriole, Valguarde, Caſarecle, & eorum curtibus, Archiepiſcopo & ſucceſſoribus.

1362 Conſignationes opidorum infraſcriptorũ Eccleſiæ Rauẽnæ, Caſtellanis diſtributæ anno 1362. per Reuerendiſſimũ D. Epiſcopũ Sabinẽ. Apoſtolicæ Sedis legatũ, & terrarũ in Italia conſiſtentiũ, Vicariũ Generalẽ, pro Archiepiſcopo Rauennæ

Rauēnæ futuro, dicta Eccleſia Rauēnate uacāte, inſtāte Epiſcopo Fauentino.
Rocha caſtri Aurioli cum fortilitiis ſuis.
Caſtrum molendini ueteris.
Fortilitia Zironis & caſtri Aquiliani.
Caſtrum montis Abbatis deſtructum.
Fortilicia caſtri noui Gothifredi.
Fortilitia caſtri Tudurani, & Rocca.
Caſtrum Montis caualli deſtruct. Balneo.
Fortilitia caſtri Morii.
Iura burghi ſancti Damiani.
Iura mercatalis Saraceni.
Fortilitia paterni caſtri, cum omnibus iuribus ſuis.
Fortilitia caſtri Collinaltæ.
Fortilitia caſtri Montis ſaxi.
Fortilitia & claues caſtri Plagiæ, cum iuribus ſuis
Fortilitia & claues caſtri Maſtri.
Fortilitia caſtri Gabii.
Caſtrum Mazzette deſtruct.
Montis Glottoni claues & fortilitia.
Fortilitia & claues Zironis & caſtri Taibi.
Fortilitia & claues montis Acuti.
Fortilitia montis Borii.
Fortilitia montis Roſidiani.
Fortilitia caſtri della Guarda.
Fortilitia Zironis & caſtri Suriuoli.
Fortilitia Montigliani.
Fortilitia & claues Sagliani.
Iura caſtri Reuerſani deſtructi.
Inſtrumenta omnium ſupradictorum caſtrorum eſt autenticum.

IVRA CASTRI MONTIGLIANI.

LOCATIO terrarum in plebatu ſancti Petri, curiæ Montigliani, in fundo Canali, per Archiepiſcopum Rauennæ.

1314 Locatio terrarum in eodem plebatu, in fundo Orſalis. 1314.

1317 Locatio terrarum in eodem plebatu, in fundo Arzane. 1317.

1320 Locatio terrarum in eodem plebatu, in fundo Pini. 1320.

1270 Locatio terrarū in curia Mōtigliani, ī fundo Ginzeori, & in fundo crucis. 1270.

Iuramentum fidelitatis exhibitum nominat. per homines de Montigliano d. Theodorico Archiepiſcopo Rauennæ.

Breue recordationis de reditibus, & ſeruitiis, quæ Eccleſia Rauennæ debet annuatim & nominatim habere de caſtro Montigliano, & eius curte, & de omnibus menſis.

1220 Compromiſſum inter Archiepiſcopum Rauennæ, & homines de Montigliano 1220 pro muran. Montigliano: tempore Honorii Papæ.

Locatio terrarum in plebatu ſancti Petri, in curia Montigliani.

Inſtrumentum concordiæ. 1502. inter Archiepiſcopum Rauen. & congregationē ſanctæ Iuſtinæ de Padua, ordinis ſancti Benedicti, ſiue Abbates pro tēpore, monaſteriorum ſancti Vitalis, & ſanctæ Mariæ in Rotundo, de Rauen

na, unitorum, nomine ipſorum monaſteriorum ſuper differentia barilorum 84. uini ſingulo anno pro ambobus monaſteriis; pro quolibet 42. debeant ſoluere Archiepiſcopo.

Item litteræ citatoriæ cum executione, pro Archiepiſcopo, contra d. congregationem monaſteriorum, quia deſtiterūt a ſolutione dictorum barilorum 84.

VALOR PECVNIARVM.

Byzantivs ualet duas partes floreni.
Vncia auri, ualet quinque florenos in argento alias 8.
Libra ceræ ualet ſecundum conſuetudinem regionis.
Obolus auri, ualet ſex toronenſes argenti.
Milichinus ualet ſex Toronenſes argenti. alias unum florenum.
Toronenſis argenti ualet 40. bonon. paruos.
Solidus Sequiſinorum ualet duos ſolidos Imperalium.
Viginti ſolidi Lucenſium, ualent unum florenum.
Duo ſolidi Papienſes ualent unum Turonenſium argenti.
Libra auri, ualet 96. florenos auri.
Venen. de Roma, & manſarutus de Alba, ualent unum florenum.
XVIII. ſolidi Imperalium, ualent unum florenum auri.
Libra argenti ualet ſex florenos, & duos quartarios auri.
Solidus auri ualet medium florenum; & tertiam partem alterius.
XII. Turonenſes ualent unum florenum.
Marabotini ſiue Marabatini qui ſint, uide in c. cū olim. de priuileg. & apud Ludouicum Gomes in commentario in Regulas cancellariæ, in fine.

PRIVILEGIA CONCESSA PER ſummos Pontifices.

Hadrianus III.	886.
Stephanus VI.	899.
Honorius. III.	*
Eugenius III.	*
Alexander III.	1160.
Innocentius III.	1198.
Gregorius IX.	1227.
Innocentius IIII.	1243.
Lucius. III.	*
Martinus IIII.	1282.
Bonifacius VIII.	1298.
Nicolaus IIII.	*
Ioannes XXII.	1320
Innocentius V.	1353.
Vrbanus V.	*
Bonifacius IX.	1391.
Paulus II.	1466.
Pius II.	*
Xyſtus IIII.	1472.

FINIS.

CONCILIA PROVINCIALIA RAVENN. ANTIQVA QVATTVOR.

QVEMADMODVM *hæc Decreta Conciliorum prouincialium Ranennatum, ne longius interrumperetur hiſtoricæ narrationis ſeries, quam par eſſet, ſuis in hiſtoria locis noluimus reponere, ita ne deperiret memoria, huc illa tranſtulimus: Vtilitas enim tanta eſt Conciliorum prouincialium, vt Concilium Oecumenicum & generale Nicænum, inde Pontifex Max Ormiſda, annis ea ſingulis, bis haberi iuſſerint: Concilium autem Lateranenſe, quotannis ſemel: Tridentinum, horum temporum habita ratione, cum intermiſſa diutiſſimè fuiſſent, ad triennium adduxerit: Quippe, quòd ſint prouincialia Concilia, quaſi rota in medio rotæ, de quibus magnus ille vates Ezechiel,* ad locum, *inquit,* ad quem ire declinabat, quæ prima erat, ſequebantur & ceteræ: *Nam quò rotæ illæ magnæ, orbes illi Chriſtiani, ſacra Oecumenica generalia Concilia, Pontificis Max. auctoritate cœpta, & abſoluta, tendunt, eò tendere minores hæ rotæ debent: ex illis ſi velint exire, quò curſus intenditur, non attingunt ſcopum, ac potius corruunt, ac confringuntur: cum non ignoremus, hæc Prouincialia, ſæpè à generalibus, & à Pontificibus Max. corrigi: Quod in ijs, quæ nunc proponimus, cum acciderit, aliquot notare locis voluimus. In aliquibus aliarum prouinciarum, non in ijs ſolum, quæ ſpectant ad ritus, ſed etiam in fidei dogmatibus, & religionis ſubſtantia accidiſſe perſpicuum eſt, vt Carthaginenſe ſub D. Cypriano, & Mileuitanum præclarè teſtantur. Ceterum ſi quid in ijs erit, quæ modo exhibemus, quod prodeſſe poſſit, non inutiliter omninò operam nos poſuiſſe lætabimur.*

CONCILIVM . PRIMVM.
ANNO . MCCLXXXVI.

Infraſcriptæ ſunt conſtitutiones, ſtatuta, & ordinamenta edita, & facta per Prouinciale Concilium ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, uidelicet, per Ven. Patrem D. Bonifacium, Diuina gratia. S. Rau. Eccl. Archiepiſcopum, & ſuffraganeos eius ſufficienter requiſitos, & conſentientes per ſe, aut per idoneos procuratores.

Ne clerici, ioculatores, uel hiſtriones a laicis tranſmiſſos recipiant. Rubr. I.

NON ſine temeritate, conſuetudines inducuntur, quæ lege damnantur: Cum igitur laicorum importunitate, qui clericis plurimum ſunt infeſti, conſuetudo; quæ potius eſt dicenda corruptela, uel abuſus, uideatur induci, non ſine animarum clericorum Prouinciæ noſtræ periculo; ut cum laici decorantur cingulo militari, ſeu nuptias contrahunt, ioculatores, & hiſtriones tranſmittunt ad clericos, ut eis prouideant; prout & idem laici faciunt inter ſe, ex quo contingit, ut cum clerici de Eccleſiarum communiter facultatibus ſuſtententur; ſuo patrimonio proprio conſanguineis reſeruato, ipſas facultates Eccleſiarum pia fidelium deuotione collatas Eccleſiis, ex quibus debent pauperes ſuſtentari, diſtribuant, ſeu potius effundant in huiuſmodi uſus illicitos, propter quæ multum denigratur clericorum honeſtas: Tale autem, & tantum uolentes remouere abuſum, ſtatuimus, ut nullus clericorum noſtræ Prouinciæ, quocumq. fungatur honore, uel ſtatu, a talibus ioculatores, uel hiſtriones tranſmiſſos recipiat, ſeu prouideat aliquid propter uictum, etiam tranſeundo. Si quis autem contrafecerit, duplum eius, quod dederit ioculatori, uel hiſtrioni, reſtituere Eccleſiæ, a qua habet beneficium, teneatur, per ipſum in uſus pauperum conuertendum.

De pauperibus alendis, & veſtiendis. Rub. II.

DOCTORIS illius præcipui, prædicatoris egregii inſtitutione freti, ad pietatis exercitium, noſtræ Prouinciæ clericos, cum remuneratione theſauri Dominici, inuitamus, & præſertim Prælatos, qui quanto plura a mundi auctore accepiſſe cernuntur, tanto ad plurima tenentur obnoxii: quia cum dona augentur, rationes etiam creſcunt donorum. Hoc non attendentes quam plures Eccleſiarum Prælati, quotidie epulantur ſplendide, & cibis delicatis ſuperfluè utuntur ad uelle ac quadruplicata ſibi indumenta conſeruant: & oſtiis clauſis, a foris, ex

Chriſti

Chriſti pauperibus, alii cupientes ſaturari de micis quæ cadunt de menſa ipſorum, clamant ad oſtium, & nemo aperit, alii uerecunde in eorum domibus ſe includunt, uel quia carnem ſuam, uili etiam indumento cooperire non poſſunt, ſeu quia uerecundum eſt eis, propter condiciones quæ inſunt, publicè mendicare, dum nemo illis manum porrigit adiutricem: iſti ſemper eſuriunt, & illi abundat, & cibi, quibus tales pauperes ali deberent, neglecti, in domo corrumpuntur, & diſſipantur, & eorum indumenta, tinea comedun tur. Quantum autem in præmiſſis excedant, cui Dominus plus diſcretionis donauerit, plus aduertat, quia amplius requiretur ab eo. Porro uolentes ipſos, tam pœnarum timore, quàm premiorum retributione excitare, & inducere ad opera pietatis, hoc laudabili Concilio ordinamus, ut per Prouinciæ noſtræ Prælatos, & Clericos uniuerſos; prout eis ſuppetunt facultates; neceſſaria pauperibus miniſtrentur. Is autem ſuffraganeorum noſtrorum, qui per totam ſeptimanam, quattuor, ſemel in die, refecerit pauperes: Abbatum, qui duos: Archidiaconorum, Præpoſitorum, Archipresbyterorum, & aliorum Prælatorum, qui unum, ac aliorum clericorum, qui ſemel in die, in ſeptimana refecerit pauperes, de pœnitentiis iniunctis eidem, unius anni indulgentiam habeat. Hanc etiam indulgentiam illi concedimus, qui nouum pauperi dederit indumentum. Si autem antiquum, quadraginta dierum indulgentiam de iniuncta ei pœnitentia relaxamus. NOTATIO. *Huius moderationem rubricæ, uide infra Concilio IIII. Rubr. XX.*

De honeſtate, & habitu clericorum. Rubr. III.

DICET ſit Canonica ſanctione ſtatutum, ut excommunicentur Clerici arma portantes, & ut habitum, coronam, & tonſuram, deferant congruentem, & ſæpe ab Eccleſiarum Prælatis, iuriſdictionem habentibus, clerici noſtræ Prouinciæ moneantur, ne in præmiſſis excedant, eorum tamen paruipendentes monitionem, nôn uidentur de excommunicatione curare. Volentes, prædictos, ſpiritualia uincula contemnentes, temporali pœna ab his compeſci, propter quæ non modicè derogatur Eccleſiaſticæ honeſtati, ſtatuimus, ut ſi quis de cetero, poſt publicationem huius Concilii, inuentus fuerit publicè arma portare, abſque inſta & manifeſta cauſa, ac licentia, ſui Diœceſani, pro quolibet armorum, a ſuo Prælato iuriſdictionem habente, condemnetur in ſolidos quadraginta, ad minus: nec Prælati ipſorum, ex quo ſine cauſa & licentia ſui Prælati fuerint reperti culpabiles, poſſint omittere, quin condemnent, & exigant, prout culpa ipſorum requiret: cum hoc ſtatuamus in fauorem Eccleſiaſticæ honeſtatis; Qui autem compertus fuerit habitum coronam, uel tonſuram incongruentem portare notabiliter, pro uice qualibet in quinquaginta ſolidos condemnetur. NOTATIO. *Maiori pœna mulctat clericos, congruenti nequaquam habitu incedentes ſacrum generale Concilium Tridentinum Seſſ. XIIII. cap. VI.*

De promotione habentium parochiales Eccleſias. Rub. IIII.

ETSI ad regimen parochialium Eccleſiarum aſſumpti, ante generale Concilium Lugdunenſe, quod incipit *Licet Canon*, ex quo præfixo a Canonibus tẽpore ſe non fecerint in presbyteros ordinari, de iure a miniſterio, ſiue ab officio eis commiſſo remoueri poſſint, & debeant, & aliis eorum Eccleſiæ concedi, quia tamen in executione memorati iuris, ſe multi exhibent negligentes, Nos ipſorum negligentiam hoc ſalubri Concilio ſupplere uolentes, Statuimus, ut infra proximum feſtum Reſurrectionis Dominicæ ſe faciant in presbyteros ordinari: Quod ſi infra tempus præfatum, ſe in presbyteros promoueri non fecerint, nulla alia monitione præmiſſa, omni iure, quod in ipſis Eccleſiis habebant, decernimus fore priuatos: licet generale Concilium Lugdunenſe, aſſumptos, poſt ipſum Concilium, ad regimen Eccleſiarum parochialium, nulla etiam præmiſſa monitione, decernat eſſe priuatos ipſis Eccleſiis, niſi ſe fecerint a ſibi commiſſi regiminis tempore in presbyteros ordinari, ſunt tamen quidam, qui mentem dicti Concilii circunueniunt, facientes ſe in fine anni, poſtquam priuati fuerint, eligi iterato; contra doloſos tales, prouidere uolentes, ſtatuimus, ut ſiue per dolum, ſiue per negligentiam ſteterint, ſeu alio fraudulento modo quocunque, quòd promoti non fuerint, infra annum, ipſo facto quoad Rectorias ipſarum Eccleſiarum, uel ad quas ſe neglexerint facere promoueri, quantum ad electiones, quæ in ipſis Eccleſiis primò occurrerint faciendæ, inhibere indicamus.

De quotidianis diſtributionibus. Rub. V.

DIGNVM eſt, ut quos ad vitæ decora, domeſticæ laudis exempla non reuocant, ſaltem correctionis medicina compeſcat. Sanè relatu comperimus plurimorum, in nonnullis Eccleſiis noſtræ Prouinciæ, conſuetudine obſeruari, & in aliquibus aliis conſtitutione firmatum, ut præter redditus beneficiorum, & præbendarum; de quibus nihil ad præſens uolumus immutari; prout quotidie reſident, redditus aliquos alios, tantum in Eccleſia reſidentes, pro rata reſidentiæ, quam in Eccleſia faciunt, percipiant: & quòd ad huiuſmodi conſuetudinem, & ſtatutum, quidam praua interpretatione obaudientes, ac minus, quæ Dei ſunt, cogitantes, in animarum ſuarum periculo; dum tamen in camera ſua reſideant; dato quod intrent Eccleſiam ad Diuinum officium celebrandum, tantum ſemel in menſe, ipſos redditus ſpecialiter ob fauorem reſidentiæ deputatos, ut Deo, & Eccleſiæ ſeruiatur, & Diuinæ laudis organa, in ipſa, horis ſingulis decantentur, ſibi uſurpant: propter quæ generatur grande ſcandalum proximorum, qui Eccleſiæ militant, prout debent, ac refrigeſcit in eis laudabile propoſitum, quod habebant. Ne igitur culparum illorum efficiamur participes, ipſa praua interpretatione ſummota, ac tali conſuetudine obſeruata, ſtatuimus declarando, & ſtatuendo declaramus, ut illi tantum dicantur in Eccleſia reſidentes, quo ad præmiſſos redditus qui, diſtribuuntur, prout quotidie reſident, ſeu ſit bladum, ſeu uinum, ſiue ſint pecuniæ, uel alia bona; qui in Eccleſia ſua confratribus aliis horis debitis penſum ſeruitutis, noſtræ, uidelicet

Ma-

Matutinum,Laudes, Primam,Tertiam,Sextam, Nonam,Veſperas,Completoriumq. perſoluerint: alioquin nihil percipiant ex ipſis redditibus, niſi prout ſeruierint Eccleſiæ, iuxta ordinationem noſtram, infra proximè annotatam. Et ut hæc conſtitutio inuiolabiliter obſeruetur, uolumus, & ſub excommunicationis pœna mandamus, ut infra duos menſes a die publicationis præſentis Concilii computandos, omnes & ſinguli Clerici Eccleſiarum noſtræ Prouinciæ, ubi ſunt plures Clerici ordinati, & tales ſunt redditus, de quibus ſupra præmiſimus, hanc teneantur conſtitutionem ſacramento firmare, & omnes etiam qui in poſterum aſſumentur, antequam ad redditus admittantur. Vbi uerò in Eccleſia redditus tales non ſunt, Diœceſani locorum in Synodis ſuis, quas eos contigerit celebrare, prouideant, prout ſecundum Deum melius poterunt, ne in ipſis Eccleſiis, horis Canonicis, officium negligatur. Quod ſi maior de Capitulo, uel ubi omnes ſunt pares, qui proximo ipſis clericis præeſt, non fecerit hoc ſacramentum præſtari, ſui beneficii periculo ſubiacebit, mulctandus per Prouinciale Concilium, ſeu ſuperiorem ipſius, uel per alium, qui hoc poſſit. NOTATIO. *Sacroſanctum Oecumenicum & generale Concilium Tridentinum ſeſſ. XXI. cap. III. Vbi nullæ aut tenues ſunt diſtributiones, ſtatuit, tertiam partem fructuum bis aſsignari debere, & ſeſſ. XXIIII. cap. XV. aliquot beneficia ſimplicia ab Epiſcopo vniri, aut Canonicatus ſupprimi.*

Proximum ſupraſcriptum Concilium, in quantum rite poſſumus, ordinare, & declarare uolentes, ſtatuimus, ut infra duorum menſium ſpatium, a die publicationis huius Concilii, ordinetur, quod, & quantum habere debeat, qui Matutino interfuerit, & aliis horis Canonicis, ex redditibus, de quibus ſupra, proximo Concilio eſt præmiſſum, ubi tales ſunt redditus. Et quia in ſpecie dare in hoc doctrinam non poſſumus, cum aliquæ Eccleſiæ plus abundent, aliæ uerò minus, prout poſſumus, prouidemus hoc modo, uidelicet, ut qui Matutino interfuerit, duplum eius habeat, quod habebit, qui erit in miſſa. Qui autem Tertiæ, & Sextæ, medietatem eius habeat, quod ei fuerit datum in miſſa: & idem in Nona ſeruetur, quod eſt in Tertia & Sexta præmiſſum: Qui autem in Veſperis & Completorio, tantum habeat, quantum qui Miſſæ interfuerit, ſecundum præmiſſa. Vt clarè intelligas, ſuppone quod decem ſint denarii, diſtribuendi in die, pro quolibet Canonico: De ipſis decem denariis, dabis ei, qui interfuerit Matutino, denarios quattuor: qui Miſſæ, duos: qui Tertiæ & Sextæ, vnum: & vnum, qui interfuerit Nonæ: & qui interfuerit Veſperis, & Completorio, dabis duos denarios, ut dediſti in Miſſa.

Verum quia nec ſic eſt, ſecundum quod præmiſſum eſt, ad plenum contra doloſos prouiſum, quia uenire poſſent ad horas Canonicas, non tamen hora debita, & ſi in hora debita, non tamen ſtarent, quouſque officium compleretur, contra eos ſtatuimus, ut is dicatur Matutino intereſſe, qui ad Eccleſiam ueneriti, antequam, *Venite*, cum hymno cantetur, cum hymnus dicitur: alias cum dicetur, *Venite*, cum primo Pſalmo; ex quo hymnus tunc non cantatur; & ſteterit quouſque Prima completa fuerit. Qui Miſſæ, antequã cantetur *Kyrie eleyſon*, & ſteterit, quouſq. fuerit finita Miſſa. Qui Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperis, & Completorio, antequam Pſalmi incipiantur, & ſteterint quouſq. fuerint dictæ horæ perfectæ: aliter nihil percipiant. Quicumq. autem

contra fecerit, præter reatum periurii, teneatur ad duplum illius, quod perce perit: reſtituendum Eccleſiæ, cui ſeruitium debitum eſt ſubtractum, conuertendum in ornamenta ipſius Eccleſiæ. In aliis autem Eccleſiis ubi redditus nō ſunt tales, locorum Ordinarii in quantum commodè poterunt, remedium ſalubre adhibeant, ut ipſis ſeruiatur Eccleſiis prout decet. Et ne per præſentes aliqua fiat fraus, ordinamus, quòd Campanæ horarum in nocte & die tantum pulſentur, quòd omnes confratres ſe poſſint parare ad intrandum Eccleſiam, nec incipiatur officium, antequam Campana pulſare ceſſauerit.

Vt miſericordia temperemus rigorem, ſtatuimus, & ordinamus, ut illi etiam reſidere dicantur, quo ad ſupraſcriptos redditus, dato quòd non interſint horis Diuinis; qui ſolemnem medicinam receperint, per tres dies proximè ſubſequentes: & qui minutionem celebrauerit, per duos dies: & alii etiam qui infirmitate grauati, abſque læſione graui ſuæ perſonæ uenire non poſſunt: illi etiam, qui dicta de cauſa exeunt. Item uel illi, qui ad ſuperfluitatem corporis deponendam exeunt, dum tamen ſic cito redeant, quòd contra huius Concilii, & ſupraſcriptorum Conciliorum mentem non notentur feciſſe: & propterea uolumus, & mandamus, quòd omnes iſtæ tres conſtitutiones iuramento firmentur, quod contra ipſas, uel earum aliquam non committetur fraus, uel dolus per eos.

De teſtamento Vſurariorum. *Rub. VI.*

COGNOSCENTES ſalubrem conſtitutionem generalis Concilii Lugdunenſis, quæ incipit, *Quamquam uſurarij manifeſti*, ac uolentes ipſam intra Prouinciæ noſtræ terminos ab omnibus inuiolabiliter obſeruari; ſtatuimus, quòd nullus Notarius noſtræ Prouinciæ, alicuius uſurarii teſtamentum conficiat, ſeu ubi conficiatur, interſit, niſi presbyter parochialis ſit præſens, cuius eſt parochianus teſtator: & ante omnia ſi dictus presbyter poſtulauerit, quòd forma fuerit dicti Concilii obſeruata. Si quis autem Notarius dictæ Prouinciæ contrarium ſcienter attentauerit, in ipſum per hanc noſtram conſtitutionem, excommunicationis ſententiam promulgamus. Et ne parochiales presbyteri in tenore prædicti Concilii aliquo decipiantur errore, uolumus, & mandamus, quòd omnes præfati presbyteri tenorem dicti Concilii teneantur habere: Et quòd locorum ordinarii in Epiſcopalibus Synodis annuatim per ſingulas Diœceſes celebrandis, per ſe, uel per aliam perſonam ſufficientem, dictum Concilium ſuo Clero exponant, & aperiant ita clare, quòd nullus habeat, iuſtam cauſam ignorandi ea, quæ continentur in eo.

De Decimis. *Rub. VII.*

CVM iure Diuino, & humano Decimæ debeantur, & in ſignum uniuerſalis dominii ſibi ipſas Dominus reſeruauerit, exactionem ipſarū præterire non poſſumus, nec debemus, abſque animarum periculo nobis ſubiectarum, & Eccleſiarum noſtrarum læſione enormi: Proinde ſtatuimus, ut Eccleſiarū Prælati, & Clerici uniuerſi noſtræ Prouinciæ, quibus debentur

tur Decimæ de conſuetudine, uel de iure, ſint ſolliciti exigere Decimas ab iis, qui eis tenẽtur: ac Diœceſani ipſorum ſe pronos exhibeant abſq. damno moræ in monitionibus, & coactionibus inferendis: ut, uidelicet, monitione præmiſſa canonica, excommunicent Decimas non ſoluentes: nec negligant, uel retardent, quæ in hoc caſu fuerint facienda de iure. Quod ſi aliquis contemnens Decimas ſoluere, excommunicationis fuerit ligatus ſententia, & eam per menſem ſuſtinuerit animo indurato, contra ipſum contumacem, quoties Diœceſanus fuerit requiſitus, teneatur inuocare cum effectu ſollicitè auxiliũ brachii ſæcularis. Si quis ſuffraganeorum noſtrorum in executione huius ſtatuti fuerit negligens, uel remiſſus, per ſuum Metropolitanum, uel per Concilium Prouinciale, ſubſequenti tempore celebrandum, duriſſimè redarguatur, & etiam puniatur.

De Criminibus, & delictis ſpecialiter Epiſcopis reſeruandis. Rub. VIII.

NE ducatum præbeat cœcus cœco, caſus, in quibus uolumus ſolos adiri Epiſcopos, per hanc noſtram conſtitutionem, Eccleſiarum Rectoribus noſtræ Prouinciæ intimamus: diſtrictè eis, ſub excommunicationis pœna, mandantes, ne de his ſe ullatenus intromittant, ſed illos ad ſuum, in his caſibus, Diœceſanum remittant, qui in his, uel eorum aliquo eis uoluerint confiteri. Caſus autem ſunt hi, Videlicet. Cum quis petit abſolui ab excommunicatione maiori lata, uel inducta ab homine, uel a iure: Itẽ, incendio, & crimine publico; ſicut in Blaſphemante Deum, uel ſanctos: item in uotó qualitercumque emiſſo: & cum illis, qui filios oppreſſerunt ex propoſito, ſiue caſu: & cum quibuslibet homicidis, & ſacrilegis, falſariis, uiolatoribus Eccleſiarum, & immunitatum Eccleſiaſticæ libertatis, & ſortilegis: itẽ, cũ iis, qui cum brutis libidine polluuntur: item cum inceſtuoſis, & corruptoribus ſanctimonialium: & in omni occupatione, uſurpatione, & detentione rei alienæ, ubi cui reſtitutio fieri debeat, non inueniri poteſt: Item cum periuris, & clandeſtinè matrimonium contrahentibus, ex quo matrimonio dubitatio oriatur, uel oriri poſſit: Et in omnibus aliis criminibus, delictis, & exceſſibus, in quibus de conſuetudine generali, uel ſpeciali Epiſcopis reſeruatur confeſſio.

De immunitate Eccleſiarum. Rub. IX.

QVONIAM quidam perditionis filii, libertatem Eccleſiæ attributam nituntur infringere, quinimò etſi aſſiduè plura ordinentur remedia; ſemper tamen de malo prolabuntur in peius, ac in ſua pertinacia durius confirmantur, oportet nos uigilanti ſtudio intendere ad reprimendam ipſorum malitiam peruerſorum: attendentes igitur, quòd licet ſinguli, qui ſtatuta edita, & conſuetudines introductas contra Eccleſiæ libertatem, ſeruari fecerunt, uel fecerint, quive ſecundum eadem ſtatuta, ſeu conſuetudines præſumpſerunt, uel præſumpſerint iudicare: necnon ſtatutarii, & ſcriptores ſtatutorum ipſorum, Poteſtates, Conſules, & Rectores locorum, ubi de cetero huiuſmodi ſtatuta, uel conſuetudines introductæ fuerint, editæ, uel ſeruatæ, maioris excommunicationis ſint ligati ſententia; hi tamen ipſa excommunicationis

cationis ſententia uilipenſa, in ipſorum animæ detrimentum, perceptioni ſacramentorum, & participationi fidelium ſe immiſcent; hoc non ualentes tolerare, uel diſſimulare diutius, abſque Eccleſiarum noſtræ Prouinciæ læſione enormi; uolumus, & mandamus, ut annis ſingulis in Natiuitate, & Paſchate Reſurrectionis Domini, ac in ſolemnitate ſanctorum omnium, coram fideli populo denuncietur publicè in miſſarum ſolemniis, Omnes & ſingulos ſupraſcriptos, in maioribus Eccleſiis Ciuitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum, ubi ſunt conuentuales, uel Collegiatæ Eccleſiæ noſtræ Prouinciæ, maioris excommunicationis uinculo fore ligatos. Inſuper monemus Poteſtates, & Rectores, Antianos, Conſiliarios, & Officiales, quibuſcumque nominibus nuncupentur, Ciuitatum, Caſtrorum, & locorum Prouinciæ noſtræ, quòd ipſa ſtatuta, infra menſes duos, a die publicationis præſentis Concilii computandos, de capitulariis ſuis deleri faciant. Et quoniam contemptu creſcente, pœna debet augeri, ad priuationem omnium honorum, officiorum, gratiarum, immunitatum, priuilegiorum omnium, ac inſuper feudorum, & bonorum omnium aliorum, quæ ab eccleſiis noſtræ Prouinciæ tenent, procedemus, prout crediderimus eſſe de iure, niſi ipſa ſtatuta de ſuis capitularibus deleri fecerint, ut ſuperius eſt præmiſſum, infra terminum ſupraſcriptum. Quòd ſi nec ſic a tam nequam propoſito curauerint reſilire, a quocumque cuius interſit, denunciatione facta Metropolitano, qui erit pro tempore, in ſequenti Prouinciali Concilio, ante omnia teneantur in Concilio Præſidentes, ſuper hoc, prætermiſſis aliis, cura ſollicita prouidere.

Lectæ, & publicatæ fuerunt prædictæ conſtitutiones, ſtatuta, & ordinamenta in choro ſuperiori ſancti Mercurialis Foroliuien. & ordinatæ, & confirmatæ per ſupraſcriptos Ven. Patres, Dominum Archiepiſcopum, & ſuffraganeos eius, ſcilicet. Dominum. S. Epiſcopum Imolen. Domn. Y. Dei gratia Epiſcopum Fauentinum. Domin. R. Dei gratia Epiſcop. Forliuien. Dom. Thadæum Dei gratia Epiſc. Forlipopilien. Dom. Aymericum Dei gratia Epiſc. Cæſenat. Dom. Henricum Dei gratia Epiſc. Saxenat. & Dom. B. Dei gratia Epiſc. Adrien. Et procuratores Epiſc. Bonon. Epiſc. Ceruien. Epiſc. Mutin. Epiſcop. Parmea: ſub anno Domin. Milleſimo ducenteſimo octuageſimo ſexto, Indict. XIIII. die VIII. men. Iuli. Præſente multitudine Clericorum.

Die prædicto, in Palatio populi communis Forliuii, quod in habitat. D. Comes Romandiolæ, Ven. Pater dictus D. Archiepiſcopus, commiſit & mandauit D. Michaeli Archidiacono Rauenn. ut in præſentia prædictorum Epiſcoporum, & de ipſorum concilio definiret, quòd per ipſum D. Archiepiſcopum deberet reiterari uiſitatio per Prouinciam Eccleſiæ Rauen. Actum &c. In nomine Domini, Amen. Iniuncti a Domino noſtro Bonifacio Archiepiſcopo Rauen. officii cura ſollicitat, ut his quæ a ſanctis Patribus inſtituta cognouit, ſtudio uigilanti intendat: Cum ergo per omnes Prouinciæ eiuſdem decretæ diœceſes uiſitationem perfecerit; pro ut Deo annuente, ſecurè potuit, eiq. liceat uiſitationem per eandem reiterare Prouinciam, ſupraſcriptorum ſuffraganeorum requiſito conſilio, de ſpeciali mandato, & commiſſione ipſius D. Archiepiſcopi, nobis. M. Archidiacono Rauen. facta, definimus, uiſitationem per eandem Prouinciam reiterari debere per D. Archiepiſcopum ſupra ſcriptum. Facta fuit definitio. &c.

CON-

CONCILIVM. SECVNDVM.

ANNO · MCCCXI.

IN NOMINE DOMINI, Amen.

CONSTITVTIONES editæ in Concilio Prouinciali, celebrato in Eccleſia Rauennat. & conuocato per Ven. Patrem D. Rainaldum, permiſſione Diuina S. Rau. Ec. Archiepiſcopum: Ad honorem omnipotentis Dei, & glorioſæ Virginis Mariæ, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, Beati Apollinaris martyris, Patroni ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ, beatorum martyrum Vitalis & Vrſicini, & ceterorum, quorum reliquias, patrocinia complectimur in ipſa Metropoli Eccleſia, & ad reſtaurationem Eccleſiarum, & reformationem morum Eccleſiaſticarum, & ſecularium perſonarum, & pro ſalute animarum in hoc ſancto Prouinciali Concilio, cui, auctore Deo, præſidemus, unà cum Ven. Patribus, Dei gratia, Dominis. V. Bon. H. Regien. M. Ceruien. & P. Foropopilien. Epiſcopis: & Fr. Hugolino electo Fauentin. Sanctæ Rauen. Eccleſiæ ſuffraganeis: & procuratoribus uidelicet Dominorum P. Parmen. R. Forliuien. I. Ceſenat. Fratrum P. Comaclen. I. Adrien. & V. Saxenatis, Epiſcoporum ſuffraganeorum abſentium, quaſdam conſtitutiones Conciliorum, Synodorum, Canonum, & Decretalium Epiſtolarũ, & aliorum iurium antiquorum, & antiquatorum per obliuionem, & negligentiam inobſeruata: rememoratorias, & executorias rediuiua repetitione edendas præuidimus, quas in ſubditis recenſemus, & publicari mandamus: Volentes, & mandantes, quòd Sacri Canones, & ſedis Apoſtolicæ decretales, & Legatorum eius conſtitutiones, & Decreta ſanctorum Patrum; quantum poſſibile fuerit; ab omnibus ſubditis debeant efficaciter obſeruari, & infraſcriptæ conſtitutiones.

De Orationibus fundendis ad Deum, pro celeri ordinatione uacantium Eccleſiarum, & alijs Diuinis officijs. Rub. I.

QVIA inter cetera, quæ pericula, & diſcrimina afferunt, & inducunt, eſt diuturna uacatio Eccleſiarum Cathedralium, cui uolentes ſuccurrere, quòd ſtatutum eſt fieri pro celeri ordinatione S. Romanæ Eccleſiæ, cum uacauerit, per conſtitutionem Gregorianam: *Vbi periculum*. Statuimus, mandamus, & obſeruari præcipimus pro celeri ordinatione Rauen. Eccleſiæ, uel alterius Eccleſiæ Cathedralis de Prouincia, cum uacauerit, ita quòd pro ordinatione ipſius Rauenn. Eccleſiæ, fiant orationes, & proceſſiones ad Dominum, & alia bona ſpiritualia, a Clero, & populo uniuerſo, per totam Rauennatem Prouinciam, donec ipſa electio fuerit celebrata. Et in qualibet ciuitate, & Eccleſia Cathedrali eiuſdem Prouinciæ, uacante, a ſuis clero, & populo, pro celeri ordinatione eiuſdem Eccleſiæ Cathedralis; Et idem fiat in Eccleſiis Conuentualibus uacantibus, pro celeri, & concordi electione ipſorum, ab iis, qui ſunt de Conuentibus, & capitulis ipſarum; Et ut hæc celerius adimpleantur, Archidiaconus, Præpoſitus, & chorus Eccleſiæ

cleſiæ Rauennat. ſtatim cum Eccleſia ipſa uacauerit, procurent omnibus, & ſingulis ſuffraganeis uacationem ipſam notificare: Et capitula Eccleſiarum Cathedralium idem obſeruent, & faciant in ſuis ciuitatibus, & diœceſibus, cum ſuas Eccleſias paſtore contingerit uacare. NOTATIO. *Statuit ſacroſancta Tridentina generalis ſynodus ſeſſ. XXIIII. cap. I. ut cum primum Eccleſia uacauerit, ſupplicationes, ac preces publicè priuatimq. habeantur: atque a capitulo per ciuitatem ac Diœceſim indicantur.*

De exequijs Epiſcoporum decedentium. Rub. II.

QVIA ſecundum Apoſtolum, qui benè præſunt presbyteri, duplici honore habendi ſunt digni, in uita ſcilicet, & in morte, Statuimus, & firmamus, quòd quando contigerit aliquem comprouincialium Epiſcoporum, præſentium, uel futurorum, de hac luce, Deo uocante, migrare, induatur Pontificalibus, & cum eiſdem, ſolemnibus exequi is præcedentibus, cum ſolemni miſſa pro defuncto, ſepeliatur, & quàm citius fieri poterit, ceteris comprouincialibus Epiſcopis, ipſius obitus intimetur per capitulum ipſius Eccleſiæ Cathedralis, ut orent pro epiſcopo defuncto. Et quilibet coepiſcoporum dici faciat XXX. continuas miſſas a die notificationis obitus ipſius, uſque ad trigeſimum diem; & refici qualibet die, tres pauperes: & in qualibet Eccleſia Cathedrali, & conuentuali, una miſſa pro ipſius animæ expiatione celebretur ſolemniter.

De anniuerſarijs Epiſcoporum. Rubr. III.

QVIA inter cetera remedia, quæ proficiunt ad expiationem animarum fidelium defunctorum, ſunt, orationes, & eleemoſynæ: & illis maxime in his teneamur obnoxii, a quibus nos recognoſcimus, uerbi & operis beneficia recepiſſe; in quorum numero prædeceſſores noſtri meritò poſſunt adſcribi; Statuimus, & perpetua ſtabilitate firmamus, quòd de cetero, ſemel in anno, vigilia feſti ſanctæ Praxedis, quod eſt XX. Iulii, in tota Prouincia Rauenn. per ſingulos coepiſcopos, & capitula Eccleſiarum Cathedralium, fiat ſolemne anniuerſarium pro defunctis coepiſcopis totius Prouinciæ: ad quod clerus & populus conuocetur: & die prædicta quilibet Epiſcopus comprouincialium prædictorum XII. pauperes, ad minus, refici faciat pro animarum expiatione celeri prædictorum. Si autem ipſa dies caderet in Dominica, fiat præcedenti die, uel ſubſequenti feriata die, quàm commodius poterit.

De anniuerſarijs patronorum, & benefactorum Eccleſiarum. Rubr. IIII.

ADIICIMVS inſuper, quòd de cetero, ſeml in anno, ſcilicet, quarta die Iunii, uel in proxima ſubſequenti feria, ſi feſtum incideret die illa, fiat ſolemne anniuerſarium per coepiſcopos in tota Prouincia, pro expiatione animarum fidelium defunctorum, patronorũ, & Eccleſiarum benefactorum: Ad quod, ſicut dictum eſt, de anniuerſario Epiſcoporum, clerus

clerus & populus conuocetur, & ipſa die pauperes reficiantur, ut etiam per hoc fideles ad beneficentiam prouocentur, & animentur.

De reliquijs ſanctorum, & earumdem ueneratione. Rub. V.

STATVIMVS, quòd ſi in Eccleſiis Cathedralibus, collegiatis, conuentualibus, & ceteris, extra altaria reliquiæ habeantur, de ipſarũ ueritate, & certitudine, quorum ſanctorum ſint, per ſingulos comprouinciales Epiſcopos, in ſingulis eorum ciuitatibus, & diœceſibus, cum diligentia exquiratur, quatenus de ipſis habita certitudine, deuotè ueneren tur, & publicentur populis, & uenerari mandentur. De quibus uerò nulla certitudo poſſit haberi, in altaribus, uel alibi, ſicut uiſum fuerit, recondantur, nec de cetero populis exponantur: & qui contra fecerit, ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi puniatur.

De ſacramentis Eccleſiaſticis. Rubr. VI.

CVM Sacramenta Eccleſiaſtica debeant cum debita reuerentia, & ueneratione, & gratis tractari, ſuſcipi, & conferri, ſtatuimus, quòd omnia ſacramenta Eccleſiaſtica, quantum poſſibile fuerit, a ieiunis miniſtrentur, cum ornamentis neceſſariis, ſeu paramentis: & gratis: illud rememorantes attentius; *quod gratis accepiſtis, gratis date*. Qui contra fecerit; præter Diuinam offenſam, quam ex hoc contrahit, & incurrit, & pœnas a Canonibus cõſtitutas; in ſubſequenti Prouinciali Cõcilio acrius puniatur.

De cuſtodia Euchariſtiæ, Chriſmatis, & olei ſancti. Rubr. VII.

STATVIMVS, quòd Euchariſtia, uiaticum, ſiue corpus Chriſti, Chriſma, oleum ſanctum, & oleum infirmorum, ſic deuotè, tutè, & ſecretè cuſtodiantur, & reponantur in Eccleſiis, uel ſacriſtiis, in locis ad hoc deputatis, & aptis, quòd ad ea non poſſit manus nefaria accedere, ſeu ſacrilega, & maximè mulierum: Et quòd Euchariſtia, ſeu uiaticum, quod pro infirmis reſeruatur, frequentius innouetur: Et qui in prædictis negligens fuerit, uel remiſſus, præter indignationem Dei, quam ex contemptu ſacramentorum eiuſdem, & ſuæ ſalutis, contrahit, & incurrit, ab ordinario ſuo arctius puniatur.

De utenſilibus, paramentis, & libris, & ceteris ornamentis Eccleſiaſticis. Rubr. VIII.

CVM non ſolum miniſtri Eccleſiaſtici mundi eſſe debeant, ſed utenſilia pro Diuino cultu, munda, & mundè teneri, & tractari, præmonente Prophetæ, *Mundamini, qui fertis uaſa Domini,* ſtatuimus, quòd corporalia, pallæ, tobaleæ, & cetera ſacerdotum, & altarium ornamenta, munda ſint, & cum omni munditia conſeruentur: & calices habeantur argen tei, ſi commodè fieri poterit, & Eccleſiarum ſuppetant facultates: & ſufficiẽ

tes,

tes libri pro Diuinis officiis, & paramenta: ſuper quibus uolumus & mandamus diligentem & ſolertem per Diœceſanos curam & ſolicitudinem adhiberi, & terminum congruum, non habentibus, ſtatuere, ad habendum prædicta: Et ubi in prædictis habendis, Eccleſiarum non ſufficiant facultates, moneantur laici, & maximè parochiani, & ſollicitè inducantur, ut componant, & contribuant ſaltem pro dimidia in prædictis.

Cum inter cetera utenſilia, pro Diuino miniſterio, ſit Cāpana utilis & neceſſaria, ad cuius ſonum maximè fideles excitantur ad Diuinum cultū, & Dæmones propelluntur, ſtatuimus, quòd de cetero, Campanæ quæ fient de nouo, benedicantur ea ſolēnitate, quæ in Pontificali inſcribitur, in Eccleſiis Cathedralibus ciuit. ſingulis, & collegiatis, & plebibus, & cōuentualibus ſingulis Diœceſum.

De informatione miniſtrorum, & celebratione miſſarum. Rubr. IX.

STATVIMVS, quòd quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi informare debeat ſacerdotes, & miniſtros, nouos maximè, uel a ſcientibus expertis faciat informari in ſuis officiis, & miniſteriis, & Eccleſiaſticis ſacramentis, & ipſorum collatione, ſeu diſpenſatione, ſcilicet, in Cathechizando, Baptizando, conficiendo corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti, & quæ ſunt confectionis uerba, ſeu conſecrationis, & confitentes ſeu pœnitentes abſoluendo, & formam & modum abſolutionis, & Diuinis aliis.

Cum iuxta Canonicas ſanctiones, unicuique ſacerdoti, quantumcumq. digno, unam miſſam tantum in die ſufficiat celebrare, & ualde felix ſit, qui dignè celebrat unam, diſtrictius prohibemus, ne quis de cetero niſi unam tantum in die celebret miſſam, niſi in caſibus a iure permiſſis: & quòd nullus alienigena audeat prædicare, uel celebrare, uel in ſacro ordine miniſtrare, niſi fuerit prius præſentatus ordinario, & eidem de ipſius ordinatione facta fuerit plena fides. NOTATIO. ***Nullum clericū peregrinum admitti ab Epiſcopo debere ad Diuina celebranda, & ſacramenta adminiſtranda, ſine cōmendatitijs ſui ordinarij litteris, ſtatuit ſancta œcumenica & generalis ſynodus Trid. ſeſſ. XXIII. cap. XVI.***

Monemus omnes inſuper, & ſingulos ſacerdotes, parochiales maximè, quòd quando omnibus diebus Dominicis celebrare debuerint, alba cocta ſiue & ſtola induti, aquam exorcizent, ſeu benedicant cum ſale: & aqua, altare Eccleſiarum, & populum, antequam celebrent, aſpergant, cum Antiphona, ***Aſperges me Domine***, uel alia, quæ pro tempore occurret, & Pſalmo uel Verſū. ***Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam.***

Monemus inſuper omnes & ſingulos parochianos, cuiuſcumq. parochialis Eccleſiæ, quòd ſaltem in diebus Dominicis audiant miſſam integram in ſua parochiali Eccleſia, a qua prius non recedant, quam benedictionem poſt miſſam receperint: & quicumq. contrafecerit, tertiò admonitus, excommunicationis ſententia percellatur.

De annunciatione feſtorum, & celebratione ipſorum, & obſeruatione ieiuniorum Rubr. X.

STATVIMVS inſuper, quòd feſta ſanctorum Patronorum Eccleſiarum Cathedralium Prouinciæ Rauen. ſemper die in qua occurrunt, denuncient celebrantes officia, & ſtudeant celebrare, & clero & populo

pulo ciuitatis, & Dioeceſis eiuſdem præcipiant celebrari in tota Prouincia Rauen. & quòd de feſto beati Apollinaris, & de omnibus ſanctis Præſulibus Rauen. per columbam electis, fiant feſta per totam Prouinciam Rauen. ſuis diebus. Et ut in hoc errare non poſſint, ipſa feſta in ſuis kalendariis inſcribi faciant, & apponant: &, ut præmittitur, denuncientur.

Monemus omnes & ſingulos ſacerdotes, parochiales maximè, ut omnibus diebus Dominicis, quando debuerint miſſas celebrare, populis, lecto Euangelio, & offertorio, uel cantato, feſta celebranda, & ferianda iuxta conſuetudinẽ, & ipſorum uigilias ieiunandas; ſi qua ſcilicet habuerint; & certa ieiunia, ſi occurrerint, debeant nunciare, uel indicere ipſas debere feſtari, ieiunari præcipere. Et ut in prædictis errare non poſſint, ſtudeant feſta omnia, uigilias & ieiunia in ſcriptis habere, infra duos menſes a publicatione præſentium, in ſuis kalendariis, ſiue Martyrologiis conſcribere, ſeu conſcribi facere, & qui in prædictis negligẽtes fuerint, uel remiſſi, per ſuos Epiſcopos acrius puniantur.

De ſacramento Baptiſmi, & forma conferen. Rubr. X I.

CVM ſacramentum baptiſmi omnium ſacramentorum ſit principium, & fundamentum: & ideò propter ſummam neceſſitatem, forma eiuſdem a Chriſto inſtitutore tradita, a nullo fidelium maximè debeant ignorari, ipſam formam, quæ infraſcriptis uerbis complectitur, recenſemus. *Petre uel Maria, ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritusſancti;* ſub trina aſperſione, uel immerſione, nihil interpoſito, uel detracto. Quam ſi quidem formam, ſacros Canones imitantes, mandamus & præcipimus de cetero ab omnibus baptizantibus irrefragabiliter obſeruari, & ne de ipſius ignorantia quis ualeat excuſari, ter in anno, ſcilicet, in die Epiphaniæ Domini, uel eius octaua: in die Reſurrectionis, & in die Pentecoſtes, per Epiſcopos, per ſe, uel alios, in Eccleſiis Cathedralibus, per Archipresbyteros in baptiſmalibus, & per Rectores in parochialibus, in miſſarum ſolemniis, uel prædicationibus, publicè, & diſtrictè præcipimus diuulgari.

De munditia Eccleſiarum, & ne fiant in eis mercimonia, uel publica parlamenta. Rubr. X I I.

CVM domum Dei deceat ſanctitudo, dicente Domino, *Domus mea, domus orationis uocabitur*, & ualde indignum ſit, & deuotioni cultus contrarium, quòd in Eccleſiis fiant mercata, tractatus, & mercimonia laicorum, & ponantur in eis uaſa, & alia, non deputata ad exequutionem, & obſequium Diuinorum, ſtatuimus, & arctius prohibemus, ne de cetero in Eccleſiis, fiant mercata, ſiue teneantur uaſa, uel mercimonia laicorum nec iudicialia tractentur temporalia, nec fiant in eis coadunationes uiciniæ, uel tractatus, ſeu publica parlamenta: niſi forte ex neceſſitate, tempore guerrarum, hæc fieri contigerit. Et qui contrafecerit, Dioeceſani arbitrio puniatur.

De Prædicatoribus verbi Dei. Rubr. XIII.

CVM prædicandi officium priuilegiatum exiſtat, ad cuius executionem exigitur induſtria perſonarum pollentium ætate, grauitate morum, uitæ ſanctitate, ſcientia, & ſermone: & indifferenter alicubi admittantur, & recipiantur tales, ex quorum receptione, ſcandalum, & animarum periculum dicitur proueniſſe, ſtatuimus, & diſtrictius prohibemus, quod ad prædicationis miniſterium, qui trigeſimum, ad minus, non attingit annum, cuiuſcumq. religionis exiſtat, de cetero in aliqua Eccleſia nullatenus admittatur: nec etiam quæſtuarii recipiantur ad id officium.

De ſtatu Regularium & ipſorum reformatione. Rubr. XIIII.

STATVIMVS, & perpetua ſtabilitate firmamus, quòd de cetero, quolibet anno, tempore magis apto, & loco, fiat capitulum Prouinciale Abbatum & Priorum ordinis S. Benedicti, non exemptorum, iuxta inſtitutiones Canonicas. Et ſi ex cauſa legitima, non poſſet dictum Capitulum Prouinciale fieri, ſaltem ſinguli Abbates, & Priores, cuiuſcumque Diœceſis, pro reformatione conueniant certo tempore, loco, & die, ſicut melius uiderint expedire. Et hoc de Prioribus, & Præpoſitis Canonicorũ Regularium mandamus in omnibus & per omnia obſeruari.

De pœnitentijs. Rubr. XV.

MONEMVS omnes & ſingulos ſacerdotes, parochiales maximè, quatenus Decretalem, ex. De pœnitentiis, *Omnis utriuſque ſexus*. in ſuis parochialibus Eccleſiis, intra miſſarum ſolemnia ſuis parochianis ſtudeant publicare, & exponere in uulgari: in Aduentu Domini: & in Quadrageſima ne aliquis de ipſius ignorantia ſe ualeat excuſare. Et qui negligens fuerit in præmiſſis, per ſuum Epiſcopum arctius puniatur, dicendo, quòd peccant mortaliter, non confirendo, & Corpus Chriſti ſaltem in anno ſemel non ſuſcipiendo: niſi de conſilio ſacerdotis abſtinuerint, a communicatione, ſacramento, & receptione corporis Ieſu Chriſti.

Monemus omnes inſuper medicos, quòd quando uocati fuerint ad infirmos non ulterius redire debeant, nec curare eoſdem, niſi prius eis conſtiterit, quòd ipſi infirmi prædicti medicum aduocauerint animarum, & eis fuerit de animarum ſalute prouiſum: Et ſi quis medicorum, huius monitionis contemptor extiterit, & tranſgreſſor, tamdiu ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec de tranſgreſſione huiuſmodi, ad arbitrium ordinarii, ſatisfecerit competenter.

De beneficijs, & præbendis Eccleſiaſticis, & idoneitate, & ſufficientia miniſtrorum. Rubr. XVI.

CVM indignum ſit, quòd beneficia Eccleſiaſtica pro Diuinorum officiorum obſequiis deputata, conferantur illiteratis, ignotis, inſufficientibus, & indignis, ſtatuimus, & diſtrictius prohibemus, ne parochia-

rochialis Eccleſia de cetero conferatur, ſeu detur, niſi tali, qui competenter ſciat legere, & cantare, & Diuinum officium. Nec Canonicatus conferatur alicui in Eccleſia Cathedrali, niſi tali, qui ſciat legere, & cantare, & competenter conſtruere, & X V. annum attigerit. Nec Canonicatus, uel præbenda, & Clericatus in Eccleſia collegiata, ubi tres, uel plures fuerint in congregatione, niſi ſciat competenter legere & cantare, & X I I. compleuerit annum: Nec aliud rurale, & ſimplex beneficium, alicui prorſus illiterato, ſed qui ſciat aliqualiter legere: & ſi contrafactum fuerit, ſit irritum ipſo iure.

NOTATIO. *Concilium generale Tridentinum ſeſſ. X X I I I I. cap. X I I. decreuit, neminem ad animarum curam promouendum niſi qui doctrina ad ſuum munus èxequendum neceſſaria, ac morum integritate, commendetur, iuxta conſtitutionem Alexandri I I I. Archidiaconi, ubi fieri poterit, ſint magiſtri in Theologia, ſeu Doctores, aut licentiati in iure Canonico.*

De Monacis, ut omnes eiuſdem ordinis, in Diuinis officijs ſint conformes. Rubr. XVII.

MONEMVS omnes Abbates, Priores, Conuentus, & Monachos ordinis S. Benedicti, quatenus in reſponſoriis, & aliis Diuinis officiis, ſe debeant de cetero conformare: cum honori Eccleſiæ ſit ualde contrarium, & ut plurimum ſcandalorum, quòd profeſſi eiuſdem religionis & ordinis, ſiut diſſoni uel ignari, maximè in Diuinis officiis, iuxta Canonica inſtituta.

Quod ſinguli comprouinciales Epiſcopi ſemel in anno ſynodum facere teneantur. Rubr. XVIII.

CVM decreuerint ſancti Patres; ſynodos per ſingulas ciuitates fieri, pro reformatione ſtatus Eccleſiarum, Eccleſiaſticarum, & ſæculariũ perſonarum, quod eſt permaximè neceſſarium, ut paſtores gregis Dominici, de ipſius gregis paſcuis euellant, & ædificent, & plantent in eis, hoc conſiderantes ſaluberrimum & iuri non diſſonum, quod in qualibet Ciuitate, uel Diœceſi, ubi Diœceſanus commodius & utilius uiderit expedire ſemel conuocet ſynodum, & faciat annuatim, hoc præſenti Concilio Prouinciali fieri declaramus; & Cathedraticum ſoluatur.

De clandeſtina deſponſatione, & matrimonio contracto contra interdictum Eccleſiæ. Rubr. XIX.

MONEMVS omnes & ſingulos, qui de cetero uoluerint matrimonium contrahere; quòd ante contractum matrimonii, ſiue ante ſponſalia, per duas Dominicas ſucceſſiuè faciant in Eccleſiis Ciuitatis, uel loci, ubi ſpõſalia fuerint celebranda, & in Eccleſiis parochiarũ, ad quas debuerint ſponſæ traduci, proponi banna, ſiue edicta per ſacerdotes parochiales eorũdem, quòd infra octo dies proximè ſubſequentes, ſi ſit aliquis, qui ſciat aliquod impedimentum legitimum inter eos, qui ad inuicem contrahere uoluerint,

illud opponat: & ipſi presbyteri nihilominus inueſtigent, utrum aliquod impedimentum ſubſiſtat, iuxta formam Concilii generalis: & ipſi parochiales presbyteri ad requiſitionem prædictorum hoc facere teneantur. Quod ſi omiſſum fuerit ex negligentia, uel malitia prædictorum contrahentium, ultra pœnas in prædicto Concilio declaratas, non recipiantur ad benedictionem ſolemnem ſponſaliorum per dictos presbyteros, ſeu quoſcumq. alios, & uſq. ad ſatisfactionem condignam, & traductione, & carnali commercio ſeu conſortio ſint ſuſpenſi. Et pœna ſimili puniantur, qui contra interdictum Eccleſiæ, nuptias duxerint celebrandas. Et ut tempora interdicta ad celebrandum nuptias non poſſint aliquando ex ignorantia excuſare, monemus omnes ſacerdotes, parochiales maximè, quatenus dicta tempora, Dominica ante Aduentum, & Dominica ante ſeptuageſimam, & Dominica ante Octauam Aſcenſionis Domini ſtudeant publicè in miſſarum ſolemniis nunciare, quòd nullus celebret nuptias temporibus ab Eccleſia interdictis, ſcilicet, a prima Dominica de Aduentu, uſque poſt Epiphaniam: & à Dominica de Septuageſima, uſque in octauam Paſchæ: & a tribus diebus ante Aſcenſionem, uſque ad Octauam Pentecoſtes. NOTATIO. *Veſtigijs Lateranenſis Concilij ſub Innocentio III. inhærens Trident. item generalis ſynodus ſeſſ. XXIIII. cap. 1. decreuit, ut antequam matrimonium contrahatur, ter publicè denuncietur, inter quos ſit contrahendum. Et cap. X. ſanxit, ut ab Aduentu Domini, uſq. ad diem Epiphaniæ, & a feria IIII. cinerum, ad Octauam Paſchæ, prohibitiones nuptiarum obſeruentur; alijs temporibus poſſe celebrari permittit.*

De intruſis & electis per poteſtatem Laicorum. *Rubr.* XX.

CVM, ſecundum Apoſtolum, nemo ſibi debeat honorem aſſumere, niſi tamquam Aaron a Deo fuerit uocatus, hoc minus conſiderant, & attendunt, ſuæ ſalutis obliti, qui ſe intrudunt ad dignitates Eccleſiaſticas, uel beneficia, & eligi & intrudi procurant per potentiam laicalem: Volentes igitur talibus & ſimilibus, remediis quibus poſſumus, obuiare, ſtatuimus, & diſtrictius prohibemus, ne quis talia de cetero præſumat attentare, uel attentari ſuſtineat, uel procuret. Et ſi quis contra fecerit, non ſolum non confirmetur, nec inſtituatur, ſed omni ſpe promotionis, in tota Rauenn. Prouincia, per Diœceſanum ſimiliter exuatur: & nihilominus ipſo facto ſit excommunicatus, & omni priuilegio Eccleſiaſticæ protectionis, ac defenſionis exutus ſit: a qua ſententia non poſſit abſolui, niſi per Prouinciale Concilium, ſatisfactione plenaria prius præſtita, de patratis exceſſibus, & commiſſis: & damnis illatis: & etiam ſit inhabilis ad Eccleſiaſticum beneficium obtinendum.

De

De contumacibus, & rebellibus ſubditis, contra debitam obedientiam Prælatorum. Rubr. XXI.

CVm, iuxta Propheticum Oraculum, melior ſit obedientia, quam uictimæ, & inobedientium culpa, cognoſcatur ex pœna inflicta talibus ex nouo & ueteri teſtamento, hoc minus conſiderant, honeſtatis Eccleſiaſticæ, & famæ prodigi, qui Prælatis ſuis, in ſuperbiam elati; Beemoth in ſua malitia & ſuperbia imitantes; contra Prælatos ſuos, ſe erigunt, & contumaciter, & pertinaciter eiſdem obedire recuſant, &; quod eſt durius; ipſis detrahunt, & hoſtiliter eos impugnant: Statuimus ergo, & arctius prohibemus, ne quis Clericus ſæcularis, uel religioſus de cetero contra Prælatum ſuum ſe debeat ſuperbe erigere, ſed in iis, quæ Dei ſunt maximè debeat humiliter obedire: & qui contra fecerit, & tertiò monitus non deſtiterit, cum Dathan & Abiron; quos propter inobedientiam terra uiuos abſorbuit; partem conſequantur, & ſortem: & nihilominus durante contumacia, poſtquam publicè denunciatus fuerit, ab omnibus, & in omnibus euitetur, & ab officio & beneficio, donec reſipuerit, & plenariè ſatisfecerit, & ad mandata Prælatorum ſuorum redierit, ſit ſuſpenſus.

De Apoſtatis. Rubr. XXII.

CVm, ſecundum Canonicas ſanctiones, unuſquiſque in uocatione, qua uocatus ſe dignoſcitur, debeat permanere, hoc minus conſiderant Sarabaytæ & apoſtatæ, ordinum mendicantium maximè, qui plerumque in ſuarum animarum periculum, religionum & obſeruantiarũ, & fidelium ſcandalum, de ipſis religionibus exeunt, & ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica ſe ingerunt impudenter. Volentes igitur talium ſaluti ſuccurrere, & ſalutari remedio prouidere, ſtatuimus, & diſtrictè prohibemus, ut nulli apoſtatæ, & maximè mendicantium ordinum, de cetero admittantur, uel recipiantur, uel eligantur in Eccleſiis ſæcularibus, uel regularibus, ſeu ad Diuinum officium, non obſtante, ſeu eis alicuius excuſationis patrocinium afferente, quòd ab obſeruantia ſuorum ordinum fuerint abſoluti, uel datam eis licentiam quamcumque a Prælatis eorum habuerint, ad religiones alias, uel obſeruantias tranſeundi, uel beneficium curatum acceptandi, ſiue obtinendi. Et qui contra fecerint, ipſo iure ab officio & beneficio ſint ſuſpenſi; a qua ſuſpenſione non poſſint abſolui, niſi in Concilio Prouinciali, prius ſatisfactione præſtita, cum effectu, ad Metropolitani arbitrium: & talium receptio, ſiue ipſius facta promiſſio, ſit irrita ipſo iure: & ab ipſis beneficiis, dignitatibus, perſonatibus, Rectoriis, miniſteriis Eccleſiaſticis, & congregationibus dicti apoſtatæ prorſus abiiciantur, & repellantur, & de prædictis, aliis perſonis prouideatur idoneis; nec prædicti apoſtatæ, dum in apoſtaſia permanſerint, aliquo priuilegio Eccleſiaſticæ immunitatis, uel defenſionis gaudeant, ſed eo ſint exuti omnino, nec per Eccleſiam, uel uiros Eccleſiaſticos, in aliquo defendantur, ſed ſicut membra putrida a corpore Eccleſiaſticæ unitatis reiiciantur omninò, ut talibus præſumptionibus tollatur temeritas, de ſuis religionibus ſeu ordinibus exeundi, & exeuntibus detur

materia ad profeſſas regulares obſeruantias redeundi. Idem intelligatur de aliis religioſis monachis, & Canonicis ordinis S. Auguſtini.

De Iudæis. Rubr. XXIII.

ETSI Iudæi de miſericordia, & ad teſtimonium incredulitatis eorum, debeant ab Eccleſia & fidelibus in ſuis ritibus tolerari, quia tamen ex ipſorum conuerſatione permixta, multa mala ſcandala proueniſſe noſcuntur, ſtatuimus, & perpetua ſtabilitate firmamus, quòd Iudæi portent in pannis ſuperioribus, certum ſignum, ſcilicet rotam panni crocei coloris: & mulieres eorum in capite; ſic a Chriſtianis poſſint diſcerni. Nec recipiantur alicubi, ultra menſem, ad habitandum, niſi in locis in quibus habuerint Synagogas.

De exceſſibus Prælatorum. Rubr. XXIIII.

CVM nemo debeat falcem in alterius meſſem mittere, nec alicuius paſtoris gregem, ſeu ſubditos concitare, ſtatuimus, & perpetua ſtabilitate firmamus, quòd nullus Epiſcopus in alterius Diœceſi aliquam iuriſdictionem exerceat, uel utatur Pontificalibus, niſi de licentia ordinarii loci. Item ſtatuimus, quòd nullus clericus ſæcularis, uel regularis admittatur ad ordines per aliquem Epiſcopum de Prouincia Rauen. ſine licentia, uel litteris diœceſani Epiſcopi, unde fuerit oriundus, uel domicilium, ſeu beneficia obtineat in eodem: niſi ſit de ordinibus mendicantium, uel aliorum priuilegiatorum de quibus conſtet. NOTATIO. *Nullum ab alio, quam ſuo Epiſcopo promoueri debere ad ordines, ſciuit ſacrum Concilium Tridentinum ſeſſ. XXIII. Cap. VIII. niſi eius probitas, ac mores ordinarij ſui teſtimonio commendentur.*

Cum unuſquiſque paſtor cultum pecori ſui diligenter attendere debeat, & ipſum pro meritis paſcuis arcere Dominicis, & ad ipſa introducere, ualde indignum eſt, iuri Eccleſiæ & honeſtati contrarium, quòd admittantur & recipiantur ad Epiſcopalia exercenda, ignoti, & uagabundi Epiſcopi, & maximè lingua & ritu diſſoni, ex quorum ordinatione; ſicut experientia docuit; proueniunt duo mala, quia promouentur incogniti, inhabiles, & indigni, & etiam de ipſorum rita ordinatione dubitatur: Vnde ſtatuimus, & perpetua ſtabilitate firmamus, quòd nullus Epiſcopus uagabundus, uel ignotus, ad exercenda Pontificalia admittatur, niſi prius Metropolitano conſtiterit de ipſius Canonicis ordinatione, conſecratione, & titulo: & tunc etiam prædicta Pontificalia exercere non poſſit, niſi de uoluntate, uel licentia Diœceſani Epiſcopi, in cuius ciuitate, uel Diœceſi uoluerit talia exercere. Et ſi quis talis, Epiſcopum ſe prætendens facere contra præſumpſerit, a Pontificalibus, & officio ſit ipſo iure ſuſpenſus, per hanc noſtram conſtitutionem: Et Epiſcopus Diœceſanus, in cuius Diœoceſi, & iniuria, talia exercuerit, ſiue præſumpſerit, Epiſcopum a prædictis poſſit facere denunciari ſuſpenſum. Et omnes comprouinciales Epiſcopi teneantur eum facere denunciari ſimiliter, ad petitionem & requiſitionem diœceſani prædicti, & ipſum penitus euita-

euitare: & quoſcumq. ordinabit in ordinatione ſic præſumpta, nullus Coepiſcoporum recipiat eos in ordinibus ſic ſuſceptis, nec eiſdem Eccleſias, præbendas, uel beneficia Eccleſiaſtica conferant, ſed exequutione ſic ſuſceptorum ordinum careant, donec per eum, qui de iure poterit, cum eis fuerit diſpenſatum. NOTATIO. *Idem arctiſsime prohibet ac punit Concilium Trident. ſeſſ. VI. cap. V. & ſeſſ. XIIII. cap. II.*

De Rectoribus hoſpitalium. *Rubr.* XXV.

ITEM cum Hoſpitalium bona conſumentur, deuaſtentur, & occupentur, etiam per laicos, & ſæpe ſine aliquo titulo uſurpata detineantur, & eorum redditus in pauperes non conuertantur, ad quod deputata ſunt, ſtatuimus, quod hoſpitalia alicui non concedantur, nec aliqui inſtituantur in eis, nec ea qui habent, ualeant detinere, niſi ſint religioſi, & ſine uxore, & tales, quod profiteantur perpetuo ibidem pauperibus deſeruire, & tonſuram & hoſpitalitatẽ teneant, & reſidentiam faciant in eiſdem. Et qui contra fecerit, reddatur inhabilis ad ordines ſuſcipiendos, & beneficia quæcumque Eccleſiaſtica obtinenda, & ea amittant. Et qui hodie detinent; niſi infra tres menſes, poſt publicationem præſentis conſtitutionis reſederint, & habitum receperint ordinatum, uel Ordinandum, ex nunc, auctoritate præſentis Concilii, & conſtitutionis, priuamus eoſdem, & ipſo iure intelligantur eſſe priuati a beneficio prædictorum. NOTATIO. *Vltra triennium concedi administrationem cuiquam minime debere: & ſi peregrini aut ægroti non adſint quid agendum, preclarè docet ſacroſancta œcumenica & generalis Synodus Tridentina ſeſſ. XXV. cap. VIII.*

De iniurijs, & damno dato. *Rubr.* XXVI.

REx omnipotens, cuius imperio ſubiacent uniuerſa, decreuit, & docuit, Epiſcopali præditos dignitate, & ceteros eidẽ in Eccleſiaſticis ordinibus militantes, ab omnibus honorari, & iniurioſè per neminem numquam lædi, dum aſſerit per Prophetam, *nolite tangere Chriſtos meos, & in prophetis meis nolite malignari*, & alibi ipſe idem, *qui uos audit, me audit; & qui uos ſpernit, me ſpernit, & qui uos recipit, me recipit*: Epiſcopi enim Apoſtolorum typum tenent, & presbyteri ſeptuaginta duorum diſcipulorum locum, in Eccleſia militante: Quod quidem plerique minime attendentes, non ſolum ad improperia, ſed ad uinculationes, trucidationes, contra illos inſurgunt, & ad uulnera inferenda, non ſine magna contumelia creatoris: & propter tranſgreſſores huiuſmodi, uolentes pœnas præfixas a Canonibus augumentare, ut pœnarum multiplicium, timore, ad talia prorumpere pertimeſcant, præſenti Concilio approbante, ſtatuimus, & ſancimus, quod quælibet perſona cuiuſcumque dignitatis, uel ſtatus extiterit, quæ intra noſtram Rauennat. Prouinciam in aliquem Archipræſulem, ſiue Epiſcopum per ſe, uel per alium, ſeu alios, uſque ad ſanguinis effuſionem, uel alias cum gladio, uel fuſte manus iniecerit temere uiolentas, aut ceperit, ſeu capi fecerit, uel captum detineri iuſſerit,

rit, ſiue expreſsè conſenſerit, non ſolum incurrat excommunicationis laqueum ipſo iure, ſed in obitum, ad aliorum metum, careat Eccleſiaſtica ſepultura; & eius familiares, ſiue familia, qui habitauerint cum eodem quouſque plenè ſatisfecerit; non recipiantur, in pœnam illius, ad Diuina, & Eccleſiaſtico ſubiaceant interdicto: & ipſum tranſgreſſorem, eiusq. filios & nepotes decernimus inhabiles ad Eccleſiaſticum honorem, & beneficium Eccleſiaſticum obtinendum: ex nunc priuantes eoſdem omni iure patronatus, feudis, priuilegiis, beneficiis Eccleſiaſticis, & honore. Electiones, prouiſiones, & collationes factas in tales, irritas decernentes: Electores, & præſentatores, & prouiſores alicuius ex prædictis, eligendi, prouidendi, & conferendi poteſtate, ex nunc, illa uice priuamus: Vniuerſitatem ſiue communitatem infra cuius iuriſdictionem aliquid ex iis contigerit perpetrari, quæ expreſſe conſenſerit, ut prædictorum exceſſuum aliquis committatur, uel quæ nō punierit legitimè præmiſſorum aliquod perpetrantes, infra menſem, poſtquam eius Maioribus, ſeu Rectori, uel maiori, parti eiuſdem innotuerit, ſeu aliàs fuerit manifeſtum, aut etiam nunciatum, extante poſſibilitate, ex nunc Eccleſiaſtico, & eius terram & locum ſupponimus interdicto: Rectores, officiales, & conſiliarios eiuſdem excommunicationis uinculo innodamus. Illum autem qui Prælatum inferiorem, uidelicet Abbatem, uel clericum alium in dignitate, uel perſonatu in aliqua Cathedrali Eccleſia conſtitutum, clericaliter uiuentem, & ſe enormitatibus, & ſecularibus, & negociationibus publicè minimè immiſcentem, ubi non permittitur ſibi a iure, per ſe, uel per alium interfecerit, uel mutilauerit, ſeu alias inhabilem, uel deformem reddiderit ad miſſarum ſolemnia, uel Diuina officia celebranda, uel carceratum detinuerit, per Diœceſanum, uel eius Vicarium ſuper relaxatione ipſius requiſitus, ſi beneficiatus extiterit, ex nunc omni beneficio priuamus perpetuò, & ipſum inhabilem reddimus ad aliud obtinendum: Si uerò laicus fuerit, priuamus in obitu, Eccleſiaſtica ſepultura, & ipſum, eiuſq. filios, & nepotes non poſſe ad Eccleſiaſticum beneficium eligi, uel aſſumi: & Electores, & prouiſores alicuius talium perſonarum ex nunc ſuſpendimus à Diuinis: electiones, prouiſiones, & poſtulationes, factas de talibus, irritas decernentes. Illos autem, qui clericum inferiorem alium, in quauis dignitate, uel ſacro ordine conſtitutum, clericaliter tamen uiuentem, & ſe enormitatibus publicè non immiſcentem occiderint, multilauerint, uel reddiderint inhabilem, uel deformem ad Diuinum officium celebrandum, ſi Clerici fuerint, omnibus beneficiis Eccleſiaſticis, priuamus perpetuò, & inhabiles reddimus ad alia beneficia Eccleſiaſtica obtinenda: ſi fuerint laici, eos, & eorum filios inhabiles ad Eccleſiaſticum honorem, & beneficium iudicamus, & in obitu priuamus Eccleſiaſtica ſepultura.

Plerumque contingit, quod Tyrannica rabie, ſeu populi ſæuitia, uel partialitate uigente alicubi faciente, Antiſtes proprius a ſede ſua repellitur, & in ciuitate, ſeu Diœceſi propria reſidere prohibitus, cogitur exulare: quandoque uerò bonis, & rebus propriis dignitatis ſpoliatus, mendicare compellitur, in opprobrium non ſolum Pontificalis dignitatis, ſed totius clericalis ordinis: Quo circa compatientes huiuſmodi ſic eiectis, & etiam ſpoliatis, & eiectionibus, & ſpoliationibus, & ſceleribus occurrere, in quantum poſſumus, cupientes,

cupientes, ſtatuimus & firmamus, noſtro Concilio Prouinciali approbante, quod ſi aliqua Ciuitas, uniuerſitas, ſiue Communitas conſenſerit expreſſe, uel ipſius maior pars, ſiue Rector aut Dominus temporalis eiuſdem, uel mandauerit, Antiſtitem proprium a propria ſede, uel Ciuitate repelli, aut eundem in illa reſidere formidantem, propter minas, uel timorem, aut potentiam alicuius Domini temporalis, uel aliquorum tunc gubernantium terram ipſam, exulare permiſerit extra illam, & infra duos menſes eundem non reuocauerit, & ſibi plenè prouiderit, quod in Ciuitate ipſa uel ſaltem in Diœceſi, in loco idoneo, & ſecuro ualeat reſidere, & liberè iuriſdictione, & officio ſuo fungi, poſtquam ei notum fuerit, hoc, aut etiam intimatum: uel ipſi Antiſtiti non fecerit de ipſius dignitatis iuribus & redditibus reſponderi, ex nunc, vniuerſitatem eandem, eiusq. terram, & locum, Eccleſiaſtico ſubiacere decernimus interdicto. Conſiliarios uerò, credendarios, & præſidentes ipſi Ciuitati, & potentes; quorum facto, uel conſilio, ſeu ſtudio prædicta fuerint attentata, uel alias procurata, ipſorumq. filios & nepotes, ex nunc inhabiles decernimus ad beneficia Eccleſiaſtica obtinenda: Ipſum quoque Præſulem exulantem decernimus honorificè debere recipi, & adiuuari in qualibet Ciuitate, & Diœceſi Prouinciæ Rauen. ad reſidendum, niſi iuſta euidens cauſa notoria ſubſit; ubi uoluerit reſidere; exulatione huiuſmodi perdurante; Ipſum quoque iuriſdictione ſua inter ſubditos ſuos, & ipſius bonis ac iuribus inibi liberè poſſe uti: Ciuitatem uero & terram eandem ad habitandum in ipſa, uel Diœceſi recipere contemnentem, & eius uniuerſitatem, ex nunc Eccleſiaſtico interdicto decernimus ſubiacere, quam cito idem Epiſcopus publicè dixerit, ex hoc ſibi, & Eccleſiæ Dei iniuriam irrogari: niſi locus ille ex aliqua cauſa rationabili, & manifeſta, ab eius receptione ualeat excuſari: Illos uerò, qui conſpirationem, ſeu colligationem, uel coniurationem, ſeu ligam, uel confœderationem, aut tractatum fecerint, uel fieri procurauerint, ut proprius Antiſtes, ſiue alius Prælatus inferior non permittatur, ſeu non poſſit in ſede propria, uel Diœceſi reſidere, aut libere officio ſuo uti, ſiue quod illi uel eius officialibus de ſuis bonis, & redditibus non reſpondeatur, uel contra ſtatus eius pacifici ſubuerſionem, aut honoris debiti, & ſoliti diminutionem, ex nunc excommunicationis uinculo innodamus, & beneficiis Eccleſiaſticis; ſi clerici fuerint; priuamus perpetuò, aliis liberè conferendis: Si uero extiterint laici, excommunicationis laqueum ipſo facto incurrant: & ipſos, ipſorumq. filios, & nepotes, inhabiles iudicamus ad Eccleſiaſtica beneficia obtinenda: & promotores talium perſonarum ad illa, ſuſpendimus a Diuinis, ac priuamus poteſtate eligendi & prouidendi etiam illa uice: Necnon omni feudo Eccleſiaſtico, iure patronatus, & honore priuamus perpetuò. Prædictas quoque pœnas, illos etiam incurrere decernimus ipſo facto, qui inhibuerint, uel mandauerint, ſeu expreſsè conſenſerint, uel tacitè, ubi ad eos uiolentias pertinuerit prohibere, quòd ipſi Pontifici, uel Prælato alicui; niſi hoc ſibi concedatur legitime, ab homine, uel a iure; de ſuis bonis, uel redditibus non reſpondeatur per eos, ad quos pertinet reſpondere: Vel impedierint ne aliquis Antiſtes per ſe, uel per alium, iuriſdictionem ſuam poſſit liberè exercere, aut procurare plenariè iura ſua. His tamen pœnis, Epiſcopos, eorumq. officiales, & delegatos iudices ſedis Apoſtolicæ, uel eius auctoritate,

ritate, decernimus minime comprehendi, circa hæc, iuriſdictione ſua fungentes. Perſonas uerò, quæ aliquem Pontificem, uel Prælatum, uel aliquam aliam Eccleſiaſticam perſonam aliquo caſtro, uilla, uel uico, ſeu eius Iuriſdictione, uel poſſeſſione eiuſdem, aut aliquo prædio, ſeu domo ſpoliauerint temeritate propria, ex nunc uinculo excommunicationis innodamus: ipſasq. & earum filios, & nepotes reddimus inhabiles ad Eccleſiaſtica beneficia obtinenda: & electores ac prouiſores talium perſonarum, ſuſpendimus a Diuinis: in præmiſſis enim & ea contingentibus, decernimus poſſe procedi ad ipſorum cognitionem, & executionem de plano, & abſque ſtrepitu iudicii & figura.

Si quiſque Catholicus iubetur patienti neceſſitatem aperire uiſcera Charitatis, quamquam alienigenæ, uel ignoto, quanto fortius coepiſcopi ſuper Coepiſcopum manifeſte indigentem, ceteriq. inferiores Prælati, & clerici ſuper eum tenentur ad ſubuentionem eius dexteram aperire? & erga illum, coantiſtites, charitatem fraternam, & inferiores, Charitatiuam deuotionem gerere? Idcirco ad ipſius Charitatis fraternæ, & deuotionis charitatiuæ uinculum conſeruandum, & Cleri opprobrium propellendum, ſalubriter prouidemus, & ſtatuimus, noſtro Prouinciali Concilio approbante, quòd ſi contigerit aliquem Præſulem Prouinciæ Rauen. tyrannica peſte, uel ſæuitia populi, abſque ipſius culpa euidenti, & notoria, extra ſedem propriam, uel ciuitatem & Dioceſim exulare, & illi de redditibus, & iuribus ſuæ dignitatis & Eccleſiæ minime reſponderi, uel non de maiori parte reddituum eorundem, omnes Coepiſcopi, cum ſuo clero teneantur ad ſubuentionem illi faciendam, modo uidelicet infraſcripto, de communi collecta perſonarum Eccleſiaſticarum ſuffraganeorum, & clericorum Prouinciæ prælibatæ: uidelicet, quod Metropolitanus, uel duo ex coepiſcopis; quos exulans ad hoc aſſumpſerit; in unum ſine difficultate conueniant, & ipſe, coram eis, notariis præſentibus, & teſtibus fide dignis, iuret ad ſancta Dei Euangelia, coram ſe expoſita, ſed non tacta, quod ei ſubtrahitur maior pars illorum reddituum, quos percipere conſueuit, ſiue quòd de illis non permittitur reſponderi: ſacramento ſuo ualorem æſtimans ſubtractorum: Quibus in ſcripturis redactis, per ipſos duos coepiſcopos, auctoritate præſentis Concilii, ſingulis annis, quibus ille ſic exulauerit, & manſerit ſpoliatus, pro ſubuentione ipſius exulantis, auctoritate præſentis Concilii, collectam communem imponat, pro rata, tam ſibi ipſis, quàm ceteris ſuffraganeis, Archipræſuli, illorumq. Cleris, & Eccleſiis, & Clero ipſius exulantis, uſque ad dimidiam partem ualoris reddituum prædictorum: diuidentes eandem ſecundum ſolutionem ſolitam procurationum Cardinalium Legatorum: & exigentes infra duos menſes, poſtquam per illum ſæpe fuerint requiſiti, cum iuſtis & moderatis expenſis, & exactam, ſine difficultate conſignent Pontifici exulanti: Quoslibet uerò Pontifices in his difficiles, pœna debita puniemus: alios uerò inferiores Prælatos, & clericos excommunicationis uinculo innodamus: qui in ſolutione portionis ſupradictarum collectarum eis, uel clericis ſuis impoſitæ, aut etiam imponendæ, negligentes fuerint, uel rebelles, aut alias ſe difficiles exhibuerint in præmiſſis: quos per totam noſtram Prouinciam, uſque ad integram ſatisfactionem, in uirtute diſtrictæ obedientiæ, excommunicatos aſſiduè per Eccleſias, publicè, ex cauſa prædicta, præcipimus nunciari. Capitula etiam, & conuentus, quæ in iis difficultatem, uel militiam adhibuerint,

buerint, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto. Suſtinentes uerò excommunicationem eadem ultra ſex menſes, poſtquam excommunicati fuerint, propter hoc publicè, nunciati, beneficiis Eccleſiaſticis cenſemus poſſe priuari.

Statuimus inſuper, & firmamus, quòd aliqui Clerici, uel laici noſtræ Prouinciæ, ad Ciuitatem, ſeu terram non debeant perſonaliter accedere in fauorem interdictorum, quamdiu ſuppoſita fuerint interdicto, & ſuſtinuerint interdictum, propter ſui Pontificis exulationem, uel bonorum eius omnium, ſeu maioris partis ſpoliationem, uel uſurpationem: & quod aliquem ſeu aliquos de Ciuitate ſic interdicta non recipiant in domos proprias, ſiue loca; niſi forte pro commodo proprio eos recipiant. Delinquentes uerò in aliquo præmiſſorum, poſtquam per Diœceſanum proprium, uel eius auctoritate facta fuerit publicatio, & generalis admonitio ſuper iis, ad participationem Diuinorum, uel ad ingreſſum Eccleſiæ nullatenus admittantur: & ſæpiſſimè ſic interdicti, poſtquam moniti fuerint, per Eccleſias publicè nuncientur: Et ad inſtantiam ipſius exulantis, quilibet Antiſtes, perſonas illas, de quibus exulanti uidebitur, admoneat nominatim, quod illi ciuitati interdictæ, uel alicui ex eius ciuibus non præſtent conſilium, auxilium, uel fauorem, uel participent cum eiſdem: Quod ſi contra fecerint, ex nunc innodamus eos excommunicationis uinculo in his ſcriptis, & tamquam excõmunicatos, ex cauſa prædicta, præcipimus per Eccleſias publicè nunciari, exulante huiuſmodi requirente. Huic etiam adiicimus, quòd ſi propter partialitatis rabiem, ſiue peſtem tyrannicam, Prælatum inferiorem alicuius Eccleſiæ, uel Canonicum Eccleſiæ Cathedralis, ſeu alterius Collegiatæ ſæcularis exulare contigerit; ſua culpa manifeſta & notoria hoc minime faciente, aut auctoritate iudicis competentis; quòd Capitulum & Conuentus eiuſdem ſæcularis fructus & redditus dignitatis ipſius, uel præbendæ exigere teneatur, & ipſi Prælato, aut Canonico ſic exulanti, duas partes eorumdem reddituum, quos ex ipſa licite percipere conſueuit, ſi redditus ipſos Capitulum ipſum perceperit, uel maior pars eius, uel percipere poterit; ſine difficultate aſſignent, & exhibeant exulanti ſingulis annis, quibus ipſum ſic contigerit exulare. Capitula uerò & Conuentus, quæ in iis, iuſto & manifeſto impedimento ceſſante, difficultatem uel malitiam adhibuerint, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto: & nihilominus ipſos conueniri, & teneri decernimus ad ſolutionem huiuſmodi faciendam. Regularibus uerò Prælatis, prouideatur de illis, iuxta Diœceſani proprii iuſſionem huiuſmodi: In præmiſſis namque, & ipſorum cognitione, & exactione, & eorũ occaſione, procedi poſſe ſancimus ſine ſtrepitu, & ordine iudicii, & figura.

Effrenata cupiditas ſuis terminis non contenta, adeo quorumdam oculos excæcauit, quòd non ſolum ad bona profana rapienda & occupanda, ſed etiam Eccleſiaſtica, manus extendere non formidant, quæ ſunt miniſtrorum Eccleſiarum, & pauperum Chriſti uſibus deputata.

Quapropter uolentes eius appetitus noxios refrenare præſenti approbante Concilio, ſtatuimus tam prouidè, quàm conſultè, quòd qui de cetero Eccleſiaſa aliquam, uel aliquem pium locum inuaſerit, uel occupauerit, ſeu occupatum detinuerit, uel aliquod prædium ruſticum, uel vrbanum; ſeu quæuis bona Eccleſiaſtica, ſiue iura perpetua, ad aliquem locum uenerabilem pertinentia uel Eccleſiam aliquam, ſeu pium locum ſpoliauerit, uel ſpoliatum detinuerit,

tinuerit, aliquibus bonis immobilibus, ſiue iuribus perpetuis, aut iuriſdictione, diſtrictu, uel honore alicuius caſtri, terræ, uel loci, ſeu communitatis, uel poſſeſſionis decimas colligendi, leuandi pedagia, ſeu eligendi, uel Eccleſiæ prouidendi, aut cenſus annuos percipiendi, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat. Et ſi admonitus, non deſtiterit, & integrè non ſatisfecerit ſine difficultate, ex nunc, tam ipſum, quàm eius filios, & deſcendentes, uſque ad quartam generationem, omnibus feudis, honoribus, & beneficiis eccleſiaſticis priuamus perpetuò, & inhabiles reddimus ad beneficium Eccleſiaſticum obtinendum: Statuentes, electiones, prouiſiones, collationes, præſentationes, & quaſuis poſtulationes, quas attentare contigerit ad Eccleſiaſticum beneficium, de aliquo præmiſſorum, irritas, & inanes: & eligentes, poſtulantes, & prouidentes, ſeu conferentes, poteſtate eligendi, prouidendi, conferendi, & poſtulandi decernimus illa uice fore priuatos, ad ſuperiorem proximum deuoluendum. Clericos uerò, qui alienum beneficium, ſeu dignitatem, uel Eccleſiam occupauerint, uel detinuerint abſque auctoritate iudicis competentis, ſeu quemquam ſpoliauerint eius beneficio, uel præbenda, ſuperioris legitimi iudicis non interueniente licentia, uel mandato, uel poſſeſſione maioris partis bonorum eiuſdem, ex nunc, excommunicationis uinculo innodamus, & omnibus beneficiis, quæ intra noſtram Prouinciam obtinuerint, priuamus perpetuò: aliis, liberè conferendis: Et ſi admoniti, non deſtiterint, inhabiles iudicamus ad aliqua beneficia Eccleſiaſtica obtinenda, & gaudendum immunitate Eccleſiaſtica, uel priuilegio clericali: Vniuerſitatem autem, interdicti, & maiores de ipſa uniuerſitate, excommunicationis ſententias incurrere uolumus ipſo facto, ſi requiſita ipſa Vniuerſitas, uel ipſius Rector, ſiue Rectores, uel iurati, poſtquam eis de ipſa uiolentia, occupatione, ſeu ſpoliatione, uel uſurpatione manifeſtum extiterit, non compulerint ſine difficultate, aut compellere neglexerint huiuſmodi occupatorē, inuaſorem, ſpoliatorem, uel uſurpatorem, ad rem occupatam, inuaſam, uel ſpoliatam, & uſurpatam, ſiue ut iuriſdictio, ſiue quidquam ius aliud liberè dimittendam ipſi Eccleſiæ, per eam pacificè poſſidendam. Si uerò Vniuerſitas ipſa, aut Communitas, ſiue Maiores de ipſa Vniuerſitate, uel eius Rector, aut Dominus temporalis huiuſmodi occupationem, ſeu inuaſionem, uſurpationem, uel ſpoliationem fecerint de aliquo præmiſſorum, Conſiliarios, & Maiores eiuſdem, ac Rectorem, ſeu Rectores, in iis ſcriptis excommunicationis uinculo innodamus, & ipſam Vniuerſitatem, & ſingulos de ipſa Vniuerſitate, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto: Mandantes, ipſas ſententias per totam noſtram Prouinciam ſæpiſſimè publicari: & illos excommunicatos, & interdictos publicè nunciari: Et ſi prædictas ſententias excommunicationis, & interdicti, ipſa Vniuerſitas, Conſiliarii, & Maiores eiuſdem, ultra ſex menſes ſuſtinuerint poſt denunciationem publicè factam, ex nunc ipſos Conſiliarios, & Maiores, & eos per quos terra ipſa regetur, ipſorumq. filios, & nepotes inhabiles reddimus ad honores Eccleſiaſticos, & beneficia obtinenda: ipſoſq. feudis Eccleſiaſticis priuamus perpetuò, & in obitu prohibemus, aliquem Clericum, & presbyterum, ſepulturæ talium intereſſe, niſi primo integrè ſatisfecerit Eccleſiæ taliter ſpoliatæ, uel læſæ, de damnis, intereſſe, & iniuriis, & de omni quod perceperint, occupationis, uel ſpoliationis, aut uſurpationis

pationis huiuſmodi ratione. Et ad præmiſſorum cognitionem, & executionem, ſtatuimus poſſe procedi ſine figura, & ordine iudicii, per quemlibet iudicem competentem. Quæ omnia ſimiliter obtinere uolumus, & ſtatuimus contra illas perſonas, quæ ab uno anno citra inuaſerunt, & occupauerunt Eccleſiaſtica iura Prouinciæ Rauen. & hodie detinent inuaſa, & occupata. NOTATIO. *Quacumque arte, aut prætextu occupantes huiuſmodi, aut impedientes, etiam ſi Imperatoria, uel Regia dignitate fulgeant, anathemati ſubiecit, quamdiu reſtituant, atque deinde a Romano Pontifice abſolutionem obtineant: & ſi patroni fuerint, eo iure priuentur. Seſſ. XXII. cap. XI.*

De exceſſibus laicorum blaſphemantium Deum, uel ſanctis. Rubr. XXVII.

CVm præcipiat Apoſtolus, *benedicentes, nolite maledicere*, minus hoc conſiderant, & attendunt, qui in Deum, beatam Virginem, & ſanctos eius, in blaſphemiã ora impudica exſoluunt: Statuimus igitur ad prædictorum impudentiam compeſcendam, quod quicumque hoc præſumpſerit de cetero, ultra pœnam, & pœnitentiam, quæ talibus eſt per Canones imponenda, a liminibus Eccleſiæ arceatur per menſem: & ſi pluries correctus, ſe non emendauerit, in morte denegetur ſibi Eccleſiaſtica ſepultura, ut iuxta Propheticum oraculum, cum benedicentibus Deum, conſortium non habeat in eadem.

De pœna illorum, qui excommunicationem contemnunt. Rubr. XXVIII.

CVm proprii paſtoris, ſiue iudicis ſententia ſit timenda, hoc minus conſiderant, & attendunt, qui excommunicationis ſententiam maximè contemnentes, in ſua obſtinata, & pertinaci contumacia indureſcunt, nec curant, ſatisfactione præſtita in commiſſis abſolutionis beneficium impetrare: uolentes talium cancerato morbo ſuccurrere medicamine ſalutari, ſtatuimus, & perpetua ſtabilitate firmamus, quod quicumque de cetero, excommunicationis, uel ſuſpenſionis, uel interdicti ſententiam, animo ſuſtinuerit per annum indurato, etſi in morte beneficium abſolutionis, ſatisfactione præſtita, meruerit, obtinere, nihilominus tamen in pœnam contumaciæ, Eccleſiaſtica careat ſepultura: ſalua illorum pœna, qui pro hæreſi, uel ipſius ſuſpicione, arctius percelluntur, iuxta Canonicas ſanctiones. Etiam propter hoc in pœnam centum ſolidorum, denar. monetæ ipſius ciuitatis, cuius larem fouent, incurrant ipſo facto.

De pœna Adulterorum. Rubr. XXIX.

CVm de matrimonio loquens dicat Apoſtolus, *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ*, hoc minus recogitant, & attẽdunt qui propria temeritate, repulſis uxoribus, uel, quod eſt ſceleſtius; ipſis retentis, ſuper inducunt adulteras, & cum eiſdẽ habitant impudicè, in Domini inſtitutoris matrimonii offenſam, animarum ſua-

rum periculum, & fidelium ſcandalum, & maximè uicinorum: Ad quorum impudicam contumaciam radicitus extirpandam, ſtatuimus, & perpetua ſtabilitate firmamus, quod niſi tales, moniti ſeorſum per proprium ſacerdotem, reſipuerint cum effectu repulſis prorſus adulteris, ad denunciationem ſacerdotis, uel parochialis prædicti, Diœceſanus teneatur ex officio procedere contra eos per cenſuram Eccleſiaſticam, uſque ad excommunicationis ſententiam: Quam ſi ſuſtinuerint per menſem, animo indurato, adulteris non repulſis, & ſi in morte de prædictis ſatisfecerint cum effectu, nihilominus tamen in ipſorum contemptum, & pœnam, Eccleſiaſtica careant ſepultura. Per hoc tamen non intelligatur eis permiſſum, quod tenere poſſint focarias, etiam ſolutas, illud rememorantes, quod ſcriptum eſt, *Fornicatores & adulteros iudicabit Dominus*, ſed contra tales ad arbitrium Ordinarii procedatur. NOTATIO. *Mulieres etiam publicè adulteras, inobedientes, extra locum, uel Diœceſim, ſi ordinario uidebitur, eijciendas ſtatuit ſacroſancta Tridentina Synodus Seſſ. XXIIII. cap. VIII. ſed acrius animaduertunt ſanctiſsimi Pontifices Max. Pius. V. & Sixtus. V.*

De eleemoſynarum largitione. Rubr. XXX.

CVM iuxta Prophetam, *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*, & Dominus dicat in Euangelio, *Date eleemoſynam, & omnia munda erunt*, & bona Eccleſiarum ſint pauperum, ſtatuimus, quod de cetero, & prout ſæpius, & melius poterit, fiant, iuxta poſſibilitatem, eleemoſynæ generales per Epiſcopos, & Capitula Cathedralium Eccleſiarum: Et Abbates, ſeu Conuentus monaſteriorum habentium ſufficientes redditus ad ea: Et quilibet etiam Epiſcopus ſecundum ſuum beneplacitum, & poſſibilitatem, quotidie in prandium reficiat aliquos pauperes. Et ut pauperibus uerecundis ualeat prouideri, in quolibet quarterio, uel ſexterio cuiuslibet Ciuitatis, & aliis inſignibus locis noſtræ Prouinciæ, quolibet anno eligantur quattuor, uel ſex; ſicut uidebitur Epiſcopis eſſe ſufficiens; Catholici, & deuoti, & honorabiles uiri, qui quæſtam requirant, pro Eleemoſyna huiuſmodi pauperibus facienda, & diuidant, prout diſcretioni eorum uidebitur expedire. Et quicumque laborauerit, uel dederit eleemoſynam ſecundum ſui poſſibilitatem, pro hoc ei indulgentia quadraginta dierum conceditur per hoc Concilium, illa die; Si uerè fuerit pœnitens, & confeſſus.

Cum Dominus, tamquam precioſius, in ultimis, Diſcipulis ſuis dixerit, *Pacem meam do uobis, pacem relinquo uobis*, & ex guerris, amiſſio, & perditio animarum & corporum, & conſumptio bonorum, ac odia, ſcandala, & crimina innumerabilia oriantur, Statuimus, quod quotieſcumque inter aliquas Ciuitates Prouinciæ Rauenn. ueriſimile uideatur diſcordiam oriri, duo de Prouincia Epiſcopi cum Ordinario conueniant; quos Ordinarius duxerit requirendos, in loco, & ubi tutius, & commodius ad tractandum conuenire, poſſint de compoſitione, ſi commodè fieri poſſit: Et ſi eis per octo dies, ad plus laborantibus, non uideretur, quòd poſſent proficere, ſignificetur Coepiſcopis per Prouinciam, quòd donec diſcordia huiuſmodi durabit, dicatur collecta

pro

pro pace: & quicumque pro eis laboraret, & oraret, ſi foret uerè pœnitens & confeſſus, quadraginta dies de iniunctis ſibi pœnitentiis relaxentur præſentis Concilii auctoritate.

De Teſtamentis. *Rubr.* XXXI.

QVONIAM deficientium uoluntates pro legibus ſunt obſeruandæ & exequutores teſtamentorum ultimas deficientium uoluntates exequi negligunt, in graue animarum ipſarum periculum, ſtatuimus quòd notarii, qui teſtamentum, ſeu quamlibet ultimam uoluntatem, uel cedulam ad piam cauſam ſcripſerint, eam infra menſem Epiſcopo ordinario, uel eius Vicario præſentent, & aſſignent, & tradant, alioquin ſententiam excommunicationis incurrant: ita quòd de cetero fides inſtrumentis per eum confectis non adhibeatur. Et exequutores poſt legitimum tempus, hoc eſt, annum, niſi fuerint exequuti, ulterius ſe non poſſint intromittere, ſed Epiſcopi ordinarii ea exequantur: & nihilominus tales de cetero ſint inhabiles ad exequutiones alias ſuſcipiendas, ut in eo, quod deliquerunt puniantur.

De ſalarijs, & ſolutionibus ſcripturarum. *Rubr.* XXXII.

ITEM cum indebitæ exactiones a Notariis, & ſigilliferis Dominorum Epiſcoporum taxentur, & moderentur in omnibus, præſertim in ordinationibus, ut ultra duos Venetos non poſſint accipere pro ſcriptura, charta, cedula, cera, & ſigillo, nec aliis quam in ipſis habent facere: nec grauent ultra in aliis actis, uidelicet citationibus, & edictis, monitionibus, & aliis ſcripturis, ſed cum taxatione, & moderatione Dominorum Epiſcoporum reſtringantur, & taxentur. Et ſi querela ſuper hoc referatur ulterius, niſi ordinarius ſuper hoc remedium præbuerit, ipſi Notarius officialis ſuſpendatur in dicta curia Epiſcopali, uſque ad aliud Concilium Prouinciale, ab officio ſuo.

Lectæ & publicatæ fuerunt ſupraſcriptæ con ſtitutiones, ſtatuta, & ordinamenta, in choro maioris Eccleſiæ Rauenn. & ordinatæ, & firmatæ in Concilio Prouinciali memorato, Præſentibus Dei gratia Dominis Huberto Bononien. H. Regino. M. Ceruien. & P. Foropopilien. & Fr. V. electo Fauentin. & præſentibus procuratoribus, uidelicet Dominorũ P. Parmen. R. Forliuien. L. Cæſen. Fratrum. P. Clom. I. Adrien. & V. Saxenat. Epiſcoporum ſuffraganeorum abſentium. &c. R. Archidiacono, & Ioanne Andreæ Præpoſito, Nicolao, presbytero Cardinale, & Guidone Boninſegna, Thomaſio Cambio, & Benedicto Cantoribus Eccleſiæ Rauen. præſentibus pluribus Abbatibus, & aliis teſtibus ad hæc conuocatis: anno Domini milleſimo tercenteſimo vndecimo, indictione nona, die Lunæ, uigeſimo primo menſis Iunii.

Lectæ & publicatæ, & pronunciatæ fuerunt ſupraſcriptæ conſtitutiones, ſtatuta, & ordinamenta in Epiſcopali palatio Mutinen. per Ven. patrem Bonadanum Dei gratia Epiſcopum Mutinen. in plena Synodo cleri Ciuitatis Mutin. in præſentia Ven. & Reuer. uirorum, dominorum Iacobi Abbatis Monaſterii S. Petri: Bonincõtri Archipresbyteri Eccleſiæ Mutin. Barnabei & Iacobi Cano

nicorum dictæ Muti. Eccleſiæ: Iacobi Prioris S. Trinitatis: Simonis Prioris de Gena: fratris Benedicti, Prioris S. Catherinæ: Lanfranchi arch. de Saliceto: Iacobi presbyteri Eccleſiæ S. Barnabei: presbyteri Ioannis Eccleſiæ S. Agathæ: presbyteri Ritii Eccleſiæ S. Michaelis: presbyteri Ioannis Eccleſiæ S. Marci: presbyteri Bartholomæi Eccleſiæ S. Georgii, & ceterorum capellanorum Ciuitatis Mutinæ, & burgorum, & aliorum prælatorum, presbyterorum, & clericorum Eccleſiarum Ciuitatis, & Diœceſis Mutinæ, & præſentibus teſtibus uocatis, & rogatis. D. presbytero Rodulfo beneficiato in Eccleſia Mutin. Petro de Florano, & Geminiano manſionariis Eccleſiæ Mutin. prædictæ: Gerardino de Boſchettis, Guillelmo de Polixina, Lanfranco de Petrazanis, & aliis, in milleſimo tercenteſimo vndecimo, indict. nona: die Veneris, decimo intrante menſe Septembris.

CONCILIVM · TERTIVM.

ANNO . MCCCXIIII.

Conſtitutiones D. Rainaldi edita in Concilio celebrato Argenta.

IN CHRISTI NOMINE, Amen.

QVIA inundatio, & abundantia peccatorum, facit homines in tenebris ambulare, & permanere, ita quod ſuperioribus debita non exhibetur reuerentia, nec inferioribus ſollicita, & charitatiua impenditur cura, ex quibus, inordinationes, & confuſiones, nedum in clero, imo & in populo innumeræ pullularunt, ob quæ apparent, ex occulto Dei iudicio, naufragia, & tempeſtates, idcirco nos Rainaldus permiſſione Diuina, & Apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Rauenn. Eccleſiæ Archiepiſcopus, ad honorem omnipotentis Dei, beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, beati Apollinaris patroni, ſanctorum martyrum Vitalis, & Vrſicini, ac aliorum martyrum, & confeſſorum, quorum meritis, & precibus, nedum ipſa Eccleſia Rauen. imo omnes Cathedrales Eccleſiæ, ac aliæ uenerabiles de Prouincia ſunt fundatæ, & dotatæ: Ad reformationem deuotionum, honeſtorum morum, perſonarum Eccleſiaſticarum, religioſorum, ſecularium, & laicorum, & ſalutem omnium animarum, defenſionem, & recuperationem rerum Eccleſiaſticarum, hoc ſacro Concilio, in Eccleſia beati Nicolai, caſtri Argentæ, Eccleſiæ, & Diœceſis Rauen. conuocato, & congregato, ſub anno Domini milleſimo tercenteſimo decimo quarto. indictione XII. decimo die menſis Octobris, præſentibus Ven. fratribus Dominis Dei gratia fr. M. Imolen. fr. P. Clomaclen. P. Foropompilien. fr. V. Fauen. I. que Cæſenatæ Epiſcopis: & procuratoribus Ven. Patr. Bonon. Adrien & Regin. Epiſcoporum, ac Capituli Mutinen. cum Eccleſia ipſa uacet ad præſens, Chriſti nomine inuocato, de approbatione ipſius Concilii, cui, Deo permittente, præſidemus, infraſcriptas conſtitutiones duximus edendas, promulgandas, ac publicandas. Et ne contra eas aliquid poſſit fieri, uel ignorantia aliqua prætendi, eas, poſt tres menſes proximè ſubſequentes, mandamus & ſtatuimus ab omnibus ſubditis prouinciæ Rauen. inuiolabiliter obſeruari.

Quòd

Quod conſtituti in ſacris, tantum habeant uocem in Capitulo. Rubr. I.

QVu ordines ſacri, ſancto afflante ſpiritu, ſint ad augmentum gratiæ ſuſcipientium illos maximè conſtituti, & ob hoc conferendi ſint præci puè uiris, ſcientia, & uitæ ſanctitate præditis, a criminibus, & infamia alienis, quia Apoſtolis & Diſcipulis ſuis, quorum uicem hi tenent, Dominus ſecretiora reuelauit clarius, ſtatuimus, quòd ſolummodo conſtituti in ſacris or dinibus, & non alii, ad Capitula uocentur, & uocem habeant in capitulo. Et hæc intelligimus de ſæcularium clericorum capitulis, non de conuentibus re ligioſorum. NOTATIO. *Etiam de regularibus idem uidetur decernere ſacroſanctum Concilium Trident. Seſſ. XXII. cap. IIII.*

De ætate & qualitate ordinandorum. Rubr. II.

QVONIAM Dominus ordinem leuitarum; quorum locum obtinent clerici; uoluit, & mandauit eſſe diſcretum a populo, ut coram eo ſta rent ſemper, & audirent ſapientiam eius: & ſpecies cæli eſt gloria ſtellarum, & in antiquis eſt prudentia, cum nemo eligat tyrones, quos non conſtat eſſe prudentes, ſtatuimus, ſeu ſtatutum eſſe declaramus, quòd nul lus ad ſacerdotium ordinetur, niſi uigeſimum quintum: ad Diaconatum, niſi uigeſimum: ad ſubdiaconatum, niſi ſextum decimum annum ætatis atti gerit. Nec ad ordinandum aliquem alterius Diœceſis, ad quoſcumque ordi nes, uel officia, ſufficiant litteræ ſimpliciter præſentatoriæ, ſeu dimiſſoriæ, niſi fuerint & teſtimoniales ſuper uita, & litteratura eiuſdem, & per duos dies ſal tem, ante diem ordinationis, fuerit ordinatori præſentatus: Nec in hoc alte rius litteræ ualeant, quam Ordinarii Epiſcopi, uel Vicarii eius, cum longè in remotis ageret idem Epiſcopus: Et hoc niſi ſint de ordinibus mendicantium, uel aliorum exemptorum priuilegiatorum, de quorum priuilegiis conſtet. Et ſi quis aliter fuerit ordinatus, non poſſit miniſtrare in ordinibus ſic ſuſceptis, donec cum eo per ſedem Apoſtolicam, uel Prouinciale Concilium fuerit miſe ricorditer diſpenſatum. NOTATIO. *Ex ſacro Concilio Trident. Seſſ. XXIII. cap. XII. Nullus in poſterum ad ſubdiaconatus ordinem ante. XXII. ad Diaconatus ante. XXIII. ad presbyteratus ante XXV. ætatis annum promoueatur.*

De non conſecrandis in Epiſcopos peregrinis, & ignotis: & quod aliquis ſuffraganeus non uadat extra Prouinciam pro conſecratione facienda. Rubr. III.

AD hoc, quia Dominus, reſpectu gregis, Epiſcopos, nominauit Pa ſtores, & eos, qui ad hoc uocantur, oportet eſſe irrepræhenſibiles, & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris etiam ſunt, ſtatui mus, prohibemus, & inuiolabiliter obſeruari præcipimus, ne ali qui, præſertim peregrini, & ignoti, in Prouincia noſtra ordinentur, ſeu con ſecrentur in Epiſcopos, nec etiam aliqui alii noti in Prouincia, niſi de licen tia Archiepiſcopi, & requiſitis comprouincialibus Epiſcopis, prout Canones uolunt, & fieri eſt conſuetum, in ſuffraganeis conſecrandis: Nec etiam aliquis, uel aliqui de Epiſcopis ſuffraganeis, ſine licentia Archiepiſcopi, exeat Pro uinciam Rauenn. pro aliquo conſecrando; ſalua ſedis Apoſtolicæ auctoritate,

& mandato. Quòd ſi quis contrafecerit pœnam ſacrorum Canonum incurrat ipſo facto: & nihilominus auctoritate præſentis Concilii, prohibemus, ne ad ordinationem ſeu conſecrationem alicuius ſe immiſceat, nec per confratres admittatur: ut ſic, in eo in quo deliquit, puniatur, niſi per nos fuerit cum eo dem, in quantum poſſumus, diſpenſatum. Et nihilominus ſic conſecratus, a Pontificialibus, ſit, in Prouincia Rauen. ſuſpenſus tota liter, donec per ſedem Apoſtolicam cum eo fuerit diſpenſatum.

De peregrinis & ignotis Epiſcopis non admittendis. Rubr. IIII.

ETIAM exhortamur pro unitate fidei, & honore ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, & affectuosè rogamus, ac attentius requirimus omnes & ſingulos exemptos intra Rauen. Prouinciam conſtitutos, ut nullos Epiſcopos peregrinos, uel ignotos, & populum ſubditum citra mare non habentes, inuitent, ſeu admittant ad ordinationes tenendas, ſeu alia Pontificalia exercenda in ipſorum Eccleſiis, monaſteriis, uel locis. Quod ſi contrafecerint, uolumus eos priuilegiis, beneficiis, & fauoribus præſentis Concilii: & omnium aliorum Conciliorum Rauennatis Prouinciæ, ipſo facto, eſſe priuatos.

De delegatis, uel legatis, ut faciant fidem ſuæ legationis. Rubr. V.

CVM ex proceſſibus aliquorum, qui ſe aſſeruerunt a ſede Apoſtolica Legatos, uel delegatos, uel alios nuncios, quocumque nomine cenſeantur, in Prouincia Rauen. & maxime in Romaniola, plurima ſcandala hactenus ſint exorta, ſtatuimus, auctoritate præſen tis Concilii, quod nullius de cetero, qui ſe dicat Legatum, delegatum, uel Apoſtolicæ ſedis Nuncium, in Prouincia Rauen. & maximè in Romaniola, uel aliqua Ciuitate eiuſdem, ſtetur proceſſibus, niſi prius fecerit indubitatam, & plenam de iuriſdictione fidem, quam aſſerit ſe habere, coram nobis, uel coram ordinario, in cuius ciuitate, uel Diœceſi dictam iuriſdictionem uoluerit exercere. Et quòd quilibet ordinarius poſſit, nomine & uice huius Concilii, dictæ delegationis copiam requirere, petere, & recipere: Quam ſi talis facere recuſauerit, ſeu neglexerit; in nullo ei pareat, nec ſtetur eius proceſſibus, nec eidem obediatur, imo reputetur, iuriſdictionem aliquam non habere. Hoc tamen non intelligimus ad Legatos ex latere ullo modo, uel ad delegatos ad certas, & ſpeciales cauſas, uel ad prouiſores, ſeu exequutores beneficiorum datos, extendi: cum tunc parti facere fidem ſufficiat.

De maioritate, & obedientia, ac honorificentia Prælatorum, & pœna non obedientium ſuperioribus ſuis. Rubr. VI.

CVM Epiſcopalis dignitas præ ceteris ſit ſublimior, & aliæ nullam cõparationẽ recipiant, ad eandẽ; & in hoc ſæculo, nil excellentius Sacerdotibus, & nil ſublimius Epiſcopis ualeat reperiri; cum in eis, & per eos Chriſtus per omnia habeat præſentari, idcirco pro Diuina deuotione, & reuerentia, ac honorificentia dignitatis, & ordinis Epiſco-

ſcopalis, & popu'i deuotione augenda, ſacro approbante Concilio, mandamus & ſtatuimus, quòd quotieſcumque Epiſcopi per ſuas ciuitates & Diœceſes tranſierint, Rectores, ſeu Clerici Eccleſiarum, qui ſciuerint eos per ſuas parochias tranſire, campanas pulſent, ſeu pulſari faciant, ita quòd populus audire poſſit, & exire, & genua flectere ad benedictionem ſuſcipiendam. Quod ſi quis facere omiſerit, ipſo facto incidat in pœnam quinque ſolidorum Rauennatum, diſtribuendorum in pauperes, infra tres dies. Quam pœnam ſi ſoluere neglexerit, poſtquam fuerit ſemel monitus, pro qualibet duplicetur, in pietatem ſimilem conuertenda: Et multo hoc amplius extendatur ad monaſteria, & alia loca religioſa. Eadem præſidentia, & approbatione mandamus, & ſtatuimus, quòd quotieſcumque Epiſcopi accedent ad Eccleſias locorum, ubi ſunt capitula, uel conuentus, certioratis illis de ſuo aduentu, campanis pulſatis, cum coctis, & pluuialibus, ſi habuerint, aqua benedicta, & incenſo, & cruce, pſallendo, ſeu cantando, proceſſionaliter, & deuotè, eis obuiam reuerenter occurant, uſque ad portam Eccleſiæ, uel uſque ad limen cemiterii. & ipſi Domini Epiſcopi ſuper ſe proſtratos ante altare, dicta cum cantu per ſacerdotem oratione, ſurgentes, oſculati fuerint altare, impendant benedictionem ſolemnem. NOTATIO. *De dignitate, & poteſtate Epiſcopali, uide quæ præclare docent auctores præſtantiſsimi Thomas Vualdelſis Tomo. I. Libr. 2. art. III. & Alfonſus è caſtro libro aduerſus Hereſes tit.* Epiſcopus. *Summus Pontifex eſt Epiſcopus, & ſacerdos, ideo inſcribit ſe Epiſcopum: ſed eſt ſummus Epiſcopus, ut colligi poteſt ex D. Cypriano ad Iubaianum, & Antonianum lib. IIII. Epiſtol. 2. & ad Florentium Pupianum lib. 4. Epiſt. 9. eſt q. princeps Epiſcoporum, ut dicet. D. Bernardus de conſider. eſt etiam ſummus ſacerdos, ut D. Hieronymus ſcribit contra Luciferianos: pro quo legendus eſt uir doctiſsimus Ioannes de Turre cremata, in Concilium Florentinum.*

Item ſtatuimus, eodem approbante Concilio, quòd omnes Epiſcopi ſuffraganei in tota Prouincia, cum eos ſuam Diœceſim exire contigerit, poſſint, & debeant impendere publicam benedictionem: celebrare in pontificalibus, prædicare, & indulgentias, ſic celebrando, concedere: & hoc intendimus, ubi Epiſcopi huiuſmodi non contraherent ibi moram, ſcilicet longiorem decem dierum, ſed quaſi tranſeuntes eſſent ibi, ut eis in tali tranſitu, & aduentu honor deferatur, ſi ordinarius non ſit præſens: alias ideò ſi ultra decem dies moram contraheret, uel Diœceſano præſente in ciuitate, uel loco, tunc præmiſſa eis facere prohibemus, niſi ad inuitationem ipſius ordinarii, ne eius honori uideatur in aliquo derogari.

Quia ſublimiores maiori honore digni ſunt, & maior reuerentia, & promptior obedientia debetur, & maioribus ſuffragiis indigent, quia uigilare habent tamquam pro animarum omnium ſubditorum ſalute rationem reddituri, & quantò caput nobilius, tanto nobiliora membra ei habent correſpondere, ideò hortamur, & perſuademus in Domino, ut quotieſcumque Legatum ex latere ſedis Apoſtolicæ, uel Archiepiſcopum ſanctæ Rauenn. Eccleſiæ ſolemniter celebrare, uel celebrari facere per Epiſcopum in Pontificalibus contigerit, in aliqua ciuitate prouinciæ Rauennatis, omnes Epiſcopi, Abbates, & Priores Prouinciæ Rauen. qui fuerint in eo loco præſentes, & hoc ſciuerint, ſeu certiorati fuerint, uenire & conuenire debeant ad Eccleſiam,

ubi miſſa huiuſmodi debeat celebrari: & in miſſa parati coctis, amictis, pluuialibus, mitris, & baculis paſtoralibus, quibus hæc competunt, Miſſæ intereſſe debeant, & perſeuerare uſq. ad finem, ut per hoc Deus, & adſtantes huiuſmodi honorentur, & populi deuotio augeatur.

Cum Apoſtolus dicat, *Serui, eſtote ſubditi dominis ueſtris*, ut per hæc ad humilitatem, & obedientiam informaremur, ſtatuimus, quòd quicumque monitus a Prælato, ſeu Prælatis ſuperioribus ſuis, in iis, quæ ſpectant ad correctionem, contumaciter renuerit obedire, ne ex hoc damnetur cum Dathan & Abiron, quos, propter inobedientiam, cum familiis terra uiuos abſorbuit, ſit ipſo facto ſuſpenſus: Quam quidem ſuſpenſionem ſi ſuſtinuerit per menſem animo indurato, ſententiam excommunicationis incurrat: a qua non poſſit abſolui, niſi ſatisfactione præſtita ſuo ſuperiori, quem contempſit, uel eius ſucceſſori.

De inſtrumentis conficiendis, & non retinendis per aduocatos, notarios, ſeu procuratores. Rubr. VII.

VOLENTES Eccleſiarum indemnitatibus, induſtria, qua poſſumus, occurrere, & malignantium ſubterfugiis obuiare, ſtatuimus, quòd quiſque notarius Clericus, uel laicus, rogatus eſt, uel fuerit in futurum conficere inſtrumentum publicum, uel ſcripturam quamcumque per aliquam perſonam Eccleſiaſticam, ſuper aliquo contractu, conceſſione, diſpoſitione, ſeu ſuper alio quocumque negocio, uel facto, teneatur dictum inſtrumentum, uel ſcripturam, ſaltem infra decem dies, poſtquam fuerit requiſitus ab eo, qui rogauerit, procuratore, uel ſucceſſore eius in publicam formam redigere, & recepto ſalario conuento, uel alias competenti, aut ei oblato, & ſecundum iura depoſito, illud inſtrumentum, uel ſcripturam tradere illi, uel illis, qui confici rogauerat, & duplicatum, ſi de conſuetudine uel de iure poſſit, uel debeat duplicari. Quòd ſi non fecerit, ut præmittitur, & poſt adhuc expectatus per alios decem dies, non compleuerit, & ſatiſfecerit de damnis, quæ propter hoc incurriſſet Eccleſia, ſententiam excommunicationis incurrat ipſo facto: a qua ſententia non poſſit abſolui, niſi dicto inſtrumento, ut ſupra, reddito, & alias ſatisfactione præſtita de damno prædicto. De quo damno, & ipſius quantitate, credatur, & ſtetur iuramento Prælati, uel Rectoris Eccleſiæ, uel alterius perſonæ Eccleſiaſticæ, ad quam pertineat: a iudice tamen ſuper hoc taxatione præmiſſa.

Inſuper ſtatuimus, quòd durante dicta excommunicatione, nulla perſona Eccleſiaſtica debeat dictum notarium rogare, uel aſſumere ad aliquam ſcripturam, ſeu publicum inſtrumentum conficiendum, ſuper aliquo contractu, negocio, diſpoſitione, uel cauſa Eccleſiaſticis. Quòd ſi contra quis ſcienter fecerit, ipſum uolumus ipſo facto incurrere pœnam decem librarum Rauenn. pro quolibet Inſtrumento, uel ſcriptura, quod, uel quam poſtea fecerit, mandauerit, uel rogauerit: Quam pœnam conuerti præcipimus in eleemoſynas pauperum, Diœceſano diſponente. Statuimus etiam, quòd quicumque Aduocatus, Procurator, ſeu officialis deputatus ad acta ſcribenda, uel alia quæcumque perſona aliquod priuilegium, uel inſtrumentum, uel ſcriptu-

ptu-

pturam publicam alicuius Eccleſiæ, uel Eccleſiaſticæ perſonæ receperit, ſeu alias ad eum peruenerit, infra tres dies poſtquam fuerit requiſitus, ab eo, a quo accepit dictum priuilegium, inſtrumentum, uel ſcripturam, reſtituere teneatur, & debeat, nec poſſit ea retinere prætextu alicuius debiti. Quòd ſi requiſitus, infra dictum tempus reſtituere diſtulerit, ſtatuimus, quòd pœnam, ſeu pœnas ſupra ſtatutas contra Notarios conficientes, ſeu conficere debentes inſtrumenta, incurrat ipſo facto: & ab his non poſſit abſolui, niſi inſtrumenta reſtituerit, cum emendatione damnorum, ſuper quibus credatur eodem modo, repetentis huiuſmodi inſtrumenta ſacramento. Nihilominus ſancientes, quòd nulla perſona Eccleſiaſtica a dicto tempore in antea, uſque ad quinque annos, poſſit, uel debeat dictos aduocatum, procuratorem, officialem, uel aliquam talem perſonam quocumque nomine nominatam, in ſuum aduocatum, procuratorem œconomum, ſyndicum, uel officialem eligere, recipere, uel tenere. Quòd ſi fecerit, ipſo facto, uolumus, eam, incidere pœnam decem librarum Rauenn. quam pœnam conuerti præcipimus in eleemoſynas pauperum, Diœceſano diſponente.

De præſcriptionibus, & quòd nullus, prætextu alicuius temporis, poſſit ſe defendere, quin uiſitetur. Rubr. VIII.

ITem ſtatuimus, & auctoritate eiuſdem Concilii, prohibemus, quòd nulli religioſi, uel ſæculares prædictæ prouinciæ Rauenn. prætextu, ſeu occaſione lapſus temporis, deſuetudinis, uel præſcriptionis, ſuis ordinariis, & Prælatis uiſitantibus, ſeu uiſitare uolentibus, repugnare, uel contradicere audeant, uel præſumant: alioquin præter pœnas a iure ſtatutas, in perſonas contradicentum, & eiſdem ſcienter facientium, excommunicationis: in Eccleſias uerò interdicti ſententias, auctoritate præſentis Concilii, proferimus.

De appellationibus, & pœna non proſequentium appellationem ab excommunicatione interpoſitam. Rubr. IX.

SI quis excommunicatus, appellationem interpoſitam ab excommunicatione huiuſmodi proſequi neglexerit, & poſtea Diuinis, ut prius, ſe immiſcuerit, omnibus beneficiis, quæ intra Prouinciam obtinebat, eo ipſo, auctoritate præſentis Concilii, ſit priuatus.

De uita, & honeſtate Clericorum, ac ornatu eorum. Rubr. X.

QVONIAM ſacerdotium ex indiſciplinatione populi apparet non ſanum, & propter laſciuias, & diſſolutiones Clericorum & religioſorum, detrahitur Diuino honori, ac ordini clericali, populiq. minus fiunt ex hoc deuoti, in tantum, ut etiam iura Eccleſiarum retinere, & aliquando temerarie inuadere non uereantur, cum inceſſus, habitus, & ueſtimẽta clericorum & religioſorum, in grauitate, forma, ac colore diſtincta, ſæpius non uideantur ab habitu laicorum, quemadmodum eſſe deberent, proinde ſtatuimus & mandamus pro honeſtate ordinis clericalis, quòd nullus religio-

ligioſus, uel clericus portet arma, nec ueſtimenta alterius coloris, quàm iure permiſſi: quæ deſuper clauſa ſint, atque talaria. Coronam etiam condecentem portent, per quam deſignetur Regalis eſſe generis, & ſperare ſe aſſequi debere partem hæreditatis Diuinæ. quæ ſcilicet ſit rotunda, & ita tonſi ſint inferius, quòd aures pateant: ita quòd ſi in ſacris fuerit, aut beneficiatus in Eccleſia Cathedrali uel collegiata uenerabili ſecundum condecentiam ſui ſtatus portet latiorem, alii uerò mediocrem, uel minorem, ſuis ſtatibus condecentem. Capita cooperiant pileo, uel bireto, uel armutia oblonga ad aures. Laicorum conuiuia non frequentent: in domibus Eccleſiarum ſtudeant habitare. Prælati, ſacerdotes, & alii in dignitatibus, & perſonatibus conſtituti, ac Canonici Cathedralium Eccleſiarum in ſacris conſtituti, ſacerdotes, & Rectores Eccleſiarum ciuitatum, & ſuburbiorum, per ciuitates incedentes, decentem habitum portent, uidelicet, cappas, uel chlamydes. Sacerdotes uero extra ciuitates, & ſuburbia, & alii in ſacris conſtituti, ſaltem tabardos talares portent. In Eccleſia uerò utantur cappis nigris, uel ſaltem cotis albis. Loca turpia nullo modo ingrediantur, nec tabernas, niſi forte in neceſſitate in itinere conſtituti, pro cibo, uel potu, uel pro hoſpitio compellantur intrare. Tabernas, uel merces illicitas, aut perſonas ſuſpectas in Eccleſiis, uel domibus Eccleſiarum, quæ ſint intra clauſtrum, uel ad uſum Clericorum, & miniſtrorum deputatæ, nullo modo permittant teneri, uel cō morari. Quòd ſi quis contra aliquod præmiſſorum fecerit, pœnam decem ſolid. Rauen. incurrat ipſo facto: quam ſi non ſoluerit infra menſem, poſtquam ſemel monitus fuerit, & ipſe excommunicatus exiſtat. Si uerò fuerit religioſus, per menſem ieiunet bis in hebdomada in pane & aqua, comedendo publicè coram fratribus, quando alii fratres reficiuntur: ad quam quidem pœnam condemnamus ex nunc contrafacientes. Quam pœnam ſi non inchoauerit infra menſem, poſtquam ſemel monitus fuerit, ut ſupra, & incohatam compleat, ut debet, ex nunc ipſo facto excommunicatus exiſtat, & nihilominus, contrafacientes, priuati ſint, ipſo iure, priuilegiis, & fauoribus huius Concilii, & omnium aliorum Prouincialium Conciliorum: cum non ſit miles reputandus, qui ſtigmata non habet: & fruſtra legis imploret auxilium, qui committit in legem.

Quòd nullus accedat ad monaſteria monialium, & quòd moniales non exeant clauſtrum. Rubr. XI.

CVM expediat, Chriſti ancillas, quæ ſe clauſtralibus ergaſtulis, ſeu monaſteriis dedicarunt, a conuerſatione hominum eſſe ſemotas, ſtatuimus, præcipimus, & mandamus, quatenus ad ipſa ergaſtula, ſeu monaſteria nullus uir accedat, ſine petita licentia, & obtenta ſui Epiſcopi. Si quis autem contrafecerit, pœnam uiginti ſolidorum incurrat ipſo facto, etiam ſi non intret intra clauſtrum, monialibus, tantum modo deputatum: quam pœnam ſi non ſoluerit infra menſem, poſtquam ad monaſterium monialium acceſſum habuerit, excommunicatus ipſo facto exiſtat. Si uerò fuerit religioſus, per menſem ieiunet in pane & aqua bis in hebdomada, publicè comedendo coram fratribus, hora refectionis communis. Quòd ſi pœnitentiam

tentiam prædictam non inchoauerit infra menſem, poſtquam ad monaſterium monialium acceſſum habuerit, uel inchoatam, ut præmiſſum eſt, non compleat, eo ipſo, excommunicatus exiſtat, & nihilominus ad dictum ieiunium teneatur. Si autem intra clauſtrum, ſeu locum monialibus deputatum intrauerit, ſit ipſo facto excommunicatus; Monialis uerò, quæ exierit clauſtrũ, ſeu locum ei ſpecialiter deputatum, ſine licentia habita, & obtenta ſui Epiſcopi, licet clauſuram ſui monaſterii non exierit, per menſem carceri deputetur, in quo de commiſſo pœnitentiam agat. Si autem clauſuram ipſam exierit monaſterii, pœnæ prædictæ ſubiaceat, & tamdiu plus in carcere remaneat, quàm diu ſtetit extra monaſterium: & nihilominus in hoc caſu perpetuo ſit ultima ſemper in choro, nullamq. cum aliis habeat in capitulo uocem. NOTATIO. *Pius V. & Gregorius XIII. ſummi Pontifices, confirmantes quæ in ſacro Concilio Trid. habentur ſeſſ. XXV. cap. V. arctius eadem prohibuerunt.*

De beneficijs ordines ſacros requirentibus, & de pœna eorum, qui negligunt ad ipſos ordines promoueri: & de præbendis in Eccleſijs Cathedralibus abſque ordinibus ſacris non retinendis. Rubr. XII.

CVM ſæpe in non matura ætate conſtituti, per cupiditatem, & auaritiam parentum ſuorum, dignitates, officia, beneficia, uel præbendas, ad quæ minus ſunt idonei, nonnumquam de facto adipiſcantur, ſtatuimus, quòd ſi quis infra ætatem ſexdecim annorum conſtitutus, ex diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ fuerit beneficium adeptus, quod requirat ſacerdotalem, uel ſacrum ordinem, aut etiam præbendam in Eccleſia Cathedrali prouinciæ Rauen. niſi, cum attigerit ſextumdecimum annum ætatis, ſe fecerit ad ſubdiaconatum promoueri infra annum, & alias poſtea promoueatur ſecundum ætatem, prout requirit onus ipſius beneficii, ex nunc & ipſo beneficio, ſeu præbenda huiuſmodi ſit priuatus. Adulti uerò ſecundum iura, & onera beneficiorum huiuſmodi, poſtquam fuerint huiuſmodi beneficia, aut in Eccleſiis Cathedralibus præbendas adepti, ſub pœna, & priuatione conſimili, quàm citius commodè poterunt, uel ſaltem infra annum, ad ordines ipſos ſtudeant promoueri, alioquin eos, ut ſupra, beneficiis huiuſmodi priuamus, & præbendis. NOTATIO. *De ætate ſuſcipiendorum ordinum, ſupra ex ſacro Concilio Trident. notatum eſt rub. 2. de tempore idem ſanxit ipſum Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 4.*

De celebratione miſſarum, & pœna non celebrantium. Rubr. XIII.

CVM nonnulli religioſi, & ſæculares Clerici imprudenter ad ſacerdotium ſe faciant promoueri, poſt promotionem huiuſmodi, miſſas celebrare, ac alias ſacerdotale officium exercere non curantes, nec animaduertentes, quòd quemadmodum quotidie pro populi peccato, ita & pro ſuo debet offerre ſacerdos, & quòd hic ſit panis, quem Deus quotidie peti, & miniſtrari mandauit: nec conſiderantes, quod in oblatione ſacræ hoſtiæ non tantum id quod cum fide, & deuotione petitur, imò beneficia conce-

duntur

duntur ampliora, ſicuti in oblatione Abel, Abrahæ, & Zachariæ patet, ſacerdotale ſic miniſterium uilipendere uidetur, non abſque plurium ſcandalo, & in detrimentum animarum ſuarum, ideo præſentis Concilii auctoritate, & approbatione ſtatuimus, quòd ſi aliquis iam promotus ſit ad ſacerdotium, aut in futurum quemquam promoueri contigerit, a die ſuæ promotionis, aut a die publicatæ huius conſtitutionis, infra tres menſes, celebrare debeat primam miſſam, & deinde; prout poterit; miſſarum ſolemnia frequentare, uel ſaltem ſemel in anno: alioquin beneficiis omnibus, quæ obtinet in prouincia Rauenn. ſit eo ipſo priuatus, ſi ſæcularis eſt: Religioſus uerò ex tunc ſit ineligibilis actiuè, & paſſiuè, & ultimus in choro, & in refectorio habeatur. NOTATIO. *Concilium œcumenicum & generale Tridentinum ſeſſ. XXIII. cap. XIIII. ſanxit, ut curet Epiſcopus, Miſſas ab ijs celebrari ſaltem diebus Dominicis, & feſtis ſolēnibus: ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant.*

Quoniam omnis ſapientia a Domino Deo eſt petenda, & in bonis, & benedictione iuſtorum exaltatur Eccleſia, ſtatuimus, quòd quibuslibet diebus Mercurii, uel Iouis dicatur ſpecialis collecta, in miſſa, pro ſtudentibus: ut vaſa ipſorum recipiant manna, hoc eſt ſapientiam ſanctam. Collecta autem ſit, *Deus qui per coæternam*: vel ſit de Spiritus ſancto, cum ſua ſecreta, & poſt comm. Adhæc, eodem approbante Concilio, monemus, mandamus, ac ſtatuimus, quòd durante uacatione præſenti Romanæ ſanctæ Eccleſiæ, in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus, qualibet die, & in aliis Eccleſiis collegiatis, vel conuentualibus, ſaltem ſemel in ſeptimana, ad hoc ut Deus prouideat Eccleſiæ ſuæ ſanctæ de paſtore ſecundum cor ſuum, vna miſſa celebretur, ſeu dicatur, in honorem beatæ Virginis, de Spiritus ſancto, vel de Trinitate.

De baptiſmo, & eius forma. Rubr. XIIII.

QVIA damnabile eſt, iis præſertim ad quos ſpectat ex officii debito baptizare, formam ſacramenti baptiſmatis ignorare, atque aliis periculoſum, propterea ut ipſius baptiſmi ſubſtantialia uerba nota ſint, ipſa in præſenti Concilio duximus exprimenda: & ſunt iſta, prout a Saluatore traduntur. *Ego te baptizo in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti.* Et nē quis ea poſſit deinceps ignorare, mandamus quòd quilibet Rector, ſeu ſacerdos ſuum populum debeat, & teneatur, ter ſaltem in anno inſtruere in prædictis, uidelicet in octaua Epiphaniæ Domini, in Sabbatho ſancto Paſchæ, & in Sabbatho Pentecoſtes.

De veneratione ſanctorum in confeſſione habenda. Rubr. XV.

QVONIAM deuotio, & pulchritudo demonſtratur in uniformitate Eccleſiæ, quæ ſub ſpecie unius columbæ deſcribitur, & in confeſſionibus, quæ fiunt publicè in introitu miſſæ, & alias, uarii perfunctoriè & diuerſimodè confitentur, ſtatuimus, & de cetero obſeruari præcipimus per totam prouinciam Rauen. confeſſione huiuſmodi fieri ſub hac forma. *Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Ioanni baptiſtæ, ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, & omnibus ſanctis.*

De obſeruantia ieiuniorum facienda tempore conuocandorum Conciliorum. Rubr. XVI.

CVm certo certius ſit, quòd Deus propter orationum inſtantiam, ieiuniorum obſeruantiam, & eleemoſynarum largitionem maximè ſua beneficia elargitur, & ſi quolibet tempore ſit pietatis operibus indulgendum, feruentius tamen hæc fieri debent tempore Conciliorum: quo ſcilicet tempore nos oportet quælibet Dei beneficia, gratiam, & miſericordiam, & in agendis directionem inſtantius, atque deuotius implorare: Vt igitur ad impetrandum & obtinendum prædicta melius diſpoſiti inueniantur fideles, ſtatuimus, quòd quotieſcumque Prouinciale Concilium conuocari contigerit, omnes & ſinguli ad prædictum Concilium conuocati, per tres dies ante ipſius inceptionem, ſeu primam Seſſionem, plus tunc ſolito orationibus, & eleemoſynis inſiſtentes, omnibus diebus debeant ieiunare. Ceteros uerò Clericos, & laicos de prouincia noſtra, ad prædictas orationes, eleemoſynas, & ieiunia, ſicut poſſumus, exhortamur in Domino Ieſu Chriſto. Nihilominus Ven. Patres ſuffraganei per ſe alios hortentur ad prædicta pietatis opera, hortariq. faciant ſuos ſubditos, & induci.

De raptoribus & inuaſoribus bonorum Eccleſiaſticorum mobilium. Rub. XVII.

AD reprimendum malitiam, ambitionem, & auaritiam peruerſorum, & maximè Communitatum, ſeu Vniuerſitatum, & earumdem officialium, ac potentum aliorum, qui Eccleſias, Prælatos, & Eccleſiaſticas perſonas frequenter grauare præſumunt, auctoritate præſentis Concilii monemus, & ſub pœna excommunicationis præcipimus, ac diſtrictius prohibemus quòd nulla Vniuerſitas, nullus Capitaneus, Rector, Vicarius, ſeu officialis, quocumque nomine cenſeatur, aut Conſiliarius, ſeu alia quæcumque perſona cuiuſcumque ſtatus, gradus, & condicionis exiſtat, de cetero audeat, uel præſumat, bona mobilia, uel ſe mouentia, redditus, uel prouentus Eccleſiarum, Prælatorum inuadere, occupare, rapere, prædari, uel tollere quoquo modo, prætextu, uel quæſito colore, per ſe, alium, ſeu alios: Et qui contra fecerit, niſi infra decem dies emendauerit cum effectu, ab omnibus ſacramentis Eccleſiaſticis ſit ipſo facto excluſus, uſq. ad ſatisfactionem debitam, & condignam. Et ſi dictam excluſionis pœnam, animo indurato, per menſem duxerit in contemptũ ſuſtinere, non ſatisfaciendo plenariè de ſubtractis, & acceptis; ſi cõmunitas, uel Vniuerſitas fuerit, eo ipſo, Eccleſiaſtico ciuitas, caſtrum, uel Villa ipſorum ſubiaceat interdicto. Si ſingularis ſit perſona, ſententiam excommunicationis incurrat, a qua nullatenus poſſit abſolui, niſi prædictas Eccleſias, Prælatos, & Eccleſiaſticas perſonas, quas in prædictis grauauerit, indemnes reddiderit, cum effectu, & aliàs ſatisfecerit de temeritate, & contemptu ad arbitrium Ordinarii loci, ſeu Officialis eiuſdem. Et ſi prædictas ſententias, & pœnas iterum, per menſem, animo ſuſtinuerit indurato, ipſum, & ipſos ſtatuimus, & decernimus incurrere pœnas impoſitas, & promulgatas in alio Concilio prouinciali proximè per nos celebrato Rauennæ, contra inuaſores bonorum immobilium Eccleſiarum. Quas

ſiquidem ſententias & pœnas ad requiſitionem ordinarii loci, uel eiuſdem officialis, teneantur comprouinciales denunciare, ſeu denunciari facere, & ſeruari per ciuitates, & Diœceſes eiſdem commiſſas, ſicut prædicto ordinario requirenti, uel officiali ipſius uidebitur expedire. NOTATIO. *De hoc ſupra dictum eſt Concilio II. Rubr. XXVI.*

De obtinentibus Eccleſiaſtica beneficia ſpectantia ad menſam Prælatorum. Rubr. XVIII.

SACRO approbante Concilio, hac irrefragabili conſtitutione ſancimus, quòd nullus religioſus, uel ſæcularis clericus prætextu litterarum, ueritate tacita, obtentarum a ſede Apoſtolica, uel Legato ipſius, aut quouis alio titulo non Canonico, uel quæſito colore, dignitates, perſonatus, officia, uel beneficia quæcumque Eccleſiaſtica Prouinciæ Rauenn. ad menſam alicuius Epiſcopi, monaſterii, Capituli, uel Eccleſiæ pertinentia, hactenus occupata, ſeu in facto poſſeſſa, uel inuaſa detinere audeat, uel præſumat, aut de cetero occupare, colore huiuſmodi, in periculum animarum, & præiudicium alicuius: alioquin ſi ſic dictas dignitates, perſonatus, officia, uel beneficia, ſeu Eccleſias taliter occupatas detinere, monitus, contenderit, & eas uel ea non dimiſerit, & liberè relaxauerit cum effectu, cum fructibus inde perceptis, eiſdem Prælatis, Eccleſiis, uel Epiſcopatibus, monaſteriis, uel Capitulis ad quos ſpectant, ex nunc, auctoritate præſentis Concilii, in occupatores & detentores, eoſdem, excommunicationis ſententiam proferimus, dictis nihilominns beneficiis Eccleſiaſticis ſententialiter; in quantum de facto tenent; priuantes eoſdem.

De ſententijs interdicti, pro pecuniarijs cauſis, minime proferendis. Rubr. XIX.

QVONIAM ex ſententiis interdicti non eſt dubium multa oriri ſcandala, ex quibus non ſolum ſæpe puniuntur inſontes, imò excreſcit indeuotio populi, pullulant hæreſes, ac Eccleſiis, & Eccleſiaſticis perſonis, ſine culpa earum, debita ſubtrahuntur obſequia, propterea non debent ſine urgenti neceſſitate proferri: & ideo ſtatuimus, & diſtrictius prohibemus, ne pro cauſis mere pecuniariis huiuſmodi ſententiæ interdicti de cetero proferantur: & ſi prolatæ fuerint, eas decernimus non tenere, & hoc niſi Vniuerſitas deliquiſſet, aut per tres menſes ſuſtinuiſſet contumaciam, inobedientiam, uel rebellionem ſuorum Rectorum, uel officialium quorumcumque, qui ob contemptum, uel delictum ipſorum forent excommunicati. NOTATIO. *Videndum pro hoc loco eſt ſacrum Concilium generale Tridentinum Seſſ. XXV. Cap. III. de Reformatione: Vbi non alias, quàm ex re non uulgari decerni excommunicationes edicit: docetq. quomodo in ciuilibus cauſis, ubi executio realis, uel perſonalis fieri non poterit, ſitq. erga iudicem contumacia, anathematis mucrone ſit ab Epiſcopo feriendum.*

De

De indulgentiis reuocatis. *Rubr.* XX.

QVIA propter petentium importunitatem, nos, & alii prouinciales Epiſcopi nonnullis perſonis religioſis conceſſimus, ut indulgentias quando prædicarent, uel alias poſſent annunciare, & aliquando non nulli talium, ex priuilegiis, quæ aſſerunt ordinibus, uel locis ſuis, ſeu perſonis propriis a ſede Apoſtolica, uel a Prælatis conceſſa, annuncient indulgentias ampliores, quàm ſit Ordinariis ipſis a iure ſcripto permiſſum, ac per hoc apud populos Pontificalis auctoritas, & poteſtas minui quodammodo, & uileſcere uideatur, ideò, auctoritate præſentis Concilii, tales conceſſiones de indulgentiis annunciandis factas a nobis, & a comprouincialibus ceteris, reuocamus omnino, ac eiſdem uti de cetero ſic reuocatis, aut de cetero ſic concedi, penitus prohibemus.

CONCILIVM. QVARTVM.

A N N O. M. C C C X V I I.

Conſtitutiones Concilij Bononienſis.

IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Amen.

QVANTA ſint ueneratione digna ſacrorum Conciliorum ſtatuta, maximè Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, & Chalcedonenſis, quæ, ſicut quattuor Euangelia, ſuſcipere, & uenerari tenemur, ac ſanctorum Patrum aliorum Concilia, & ſtatuta, qui Spiritu ſancto illuminati fuerunt, nemo eſt qui ignoret. Cum igitur ab ipſis ſanctis Patribus, in ipſis ſacris Conciliis, inter cetera, fuerit præordinatum, & ſalubriter conſtitutum, prouincialia Concilia fieri debere, ut ea quæ correctione & reformatione egent, nullatenus negligantur, ita quòd nec præceptis Euangelicis contrarium, nec decretis ſanctorum Patrum obſeruaretur aduerſum: idcirco nos Rainaldus permiſſione Diuina, & Apoſtolicæ ſedis gratia ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ Archiepiſcopus, conſiderantes quòd quamplures maximè uiri Eccleſiaſtici, tum ex temporum tempeſtate, tum ex morum corruptione & leuitate, tum ex elatione & uanitate, tum ex tenaci & auida cupiditate, tum ex craſſa ignorantia, & negligentia, tum ex ſuperbia & irreuerenti inobedientia, uiam cohæredum Chriſti circa grauitatem & honeſtatẽ, habitum & inceſſum Eccleſiaſticæ religioni condecentes, & quam fideles, & Catholici habere debent, exorbitabant, pro his, quantũ Deus annuerit, reformandis, ad ſalutem animarum, quam uehementius zelamus pro Diuina reuerentia, Catholicæ fidei unitate, & honore, prouinciale Concilium, circa hæc reformanda, duximus conuocandum, & congregandũ apud Bononiam: In quo, primò, conſtitutiones editas & promulgatas per bonæ memoriæ fratrem Latinum, tunc Apoſtolicæ ſedis Legatum in his partibus, & alias per fratrem Bonifacium prædeceſſorem noſtrum, Forliuii, & nos Rauennæ, & Argentæ in pro

uincialibus Conciliis legi fecimus, ac deinde, ipſo ſacro approbante Concilio, conſtitutiones infraſcriptas duximus ſtatuendas. NOTATIO. *ſacroſanctum Tridentinum Concilium Seſſ. XXIIII. cap. II. quolibet ſaltem triennio Prouincialia Concilia, ſicubi omiſſa ſunt, pro moderandis moribus, corrigendis exceſsibus, controuerſiis componendis, aliiſq. ex ſacris Canonibus permiſsis, renouari ſciuit.*

Quòd Epiſcopus ponat œconomum ad cuſtodiam rerum uacantium Eccleſiarum. Rubr. I.

CVM Eccleſiarum uacantium prouentuum & redditUum, ac bonorum ipſorum diſpoſitio, ad eorum ordinarios de iure pertineat, proinde duximus ſtatuendum, quòd uacanti Eccleſiæ ſtatim per ipſius Epiſcopum Oeconomus debeat deputari diligens, & diſcretus, qui redditus, & prouentus, ac bona ipſius colligat, & conſeruet ad eiuſdem Eccleſiæ, & ſucceſſoris defuncti Rectoris ipſius utilitatem, & ſtatum. Prohibentes diſtrictè Canonicis, clericis, ſeu patrono Eccleſiæ ſic uacantis, quòd de redditibus & prouentibus, ac bonis ipſius Eccleſiæ, ſe intromittere, uel diſponere nullo modo præſumant, nec Oeconomum; ut prædiximus; ibidem per ipſum deputandum, impediant, uel moleſtent, quò minus ſibi iniunctum officium liberè exequatur: nec aliter alicui eorum competat de conſuetudine approbata, uel priuilegio ſpeciali. Quòd ſi ſecus iidem Canonici, uel clerici, ſeu patroni agere præſumpſerint, eoſdem Canonicos, & Clericos, ac patronos, præſentis auctoritate Concilii, priuamus illa uice iure eligendi, ſeu præſentandi: Decernentes electionem ſeu præſentationem ſecus & aliter attentatam, ipſo iure nullius eſſe momenti.

Quòd nullus præſumat in ſpiritualibus miniſtrare, niſi prius ab Epiſcopo loci ſibi fuerit animarum cura commiſſa. Rubr. II.

CVM de iure, nullus ſacerdos, alteri ſubditum, ſine ſui ſuperioris commiſſione, ſeu licentia, ſoluere ualeat, uel ligare; nos quandam conſuetudinem, ſeu potius abuſionem, animarum plenam periculis, quòd uidelicet ſacerdotes aliqui per nonnullos prælatos ſæculares ſeu regulares, quibus, in certis Eccleſiis parochialibus, Rectorum inſtitutio de conſuetudine competit, in eiſdem Eccleſiis inſtituti, ſine ſui Epiſcopi auctoritate, commiſſione, uel licentia parochialis Eccleſiarum ipſarum, qui ipſius Epiſcopi ſubditi eſſe noſcuntur, præſumunt ſoluere & ligare, in ſuarum præiudicium animarum, cupientes penitus extirpare, hoc ſacro approbante Concilio, ſub priuationis & excommunicationis pœnis, inhibemus ſacerdotibus memoratis, quòd nullo modo præſumant in Eccleſiis, in quibus modo prædicto, & per prædictos fuerint inſtituti, in ſpiritualibus miniſtrare, niſi prius ab Epiſcopo loci; pro ut iura uolunt; eis cura commiſſa fuerit animarum, de quibus idem Epiſcopus tenetur Chriſto reddere rationem, tamquam de ouibus ſibi commiſſis.

Quòd

Quòd quilibet ſe faciat promoueri infra annum ad ordinem, quem requirit beneficium ſuum. Rubr. III.

SOllicite penſantes, quantum officii paſtoralis debitum Prælatos aſtringat curis ſollicitis & continuis intendere, & per remedia ſalubria prouidere, in iis præcipuè, per quæ ſaluti animarum conſulitur & prouidetur: & quòd parum eſt iura condere, niſi ſit qui ea mandet executioni. Volentes igitur Pictauienſe Concilium innouare, & debitæ executioni demandare, ſtatuimus, & ordinamus, hoc ſacro approbante Concilio, & nihilominus in virtute ſanctæ obedientiæ, monemus, & peremptoriè, quòd Abbates, Decani, Archipresbyteri, Præpoſiti, ſeu quocumque alio nomine cenſeantur, ad ordinem ſacerdotalem ſe faciant promoueri. Archidiaconi uerò ad ordinem Diaconatus: inferiores autem beneficiati in Eccleſiis noſtræ prouinciæ Rauenn. inſtituti, ad ordines ſacros, ſecundum quòd onus cuiuſcumque beneficii requirit, infra annum ſe faciant promoueri. Si qui verò prædictorum, animo indurato, promotionem ſuam diſtulerint, & hanc noſtram monitionem, ſtatutum, & ordinationem adimplere neglexerint, auctoritate præſentis Concilii, ipſo iure ſint priuati omnibus beneficiis ſacros ordines requirentibus; pro quibus promoueri tenebantur, quæ obtinent in noſtra prouincia, niſi cum eis, uel aliquo eorum prædictorum, fuerit diſpenſatum, uel in futurum diſpenſetur, uel niſi iuſto impedimento detenti fuerint, quo minus promoueri potuerint: & tunc impedimento ceſſante, procurent, quam cito poterunt, ſe ad ordines, ut præmittitur, facere promoueri. Vt autem hoc ſalubre prouinciale ſtatutum leuius, & plenius, debitum ſortiatur effectum, & prætextu ignorantiæ, quantumcumque craſſæ, non poſſint inobedientes, deſides, & negligentes aliqualem prætendere excuſationem, adiicientes, ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet Epiſcopus, ſanctæ Rauennatis Eccleſiæ ſuffraganeus, teneatur infra ſex menſes, ſynodum celebrare, in qua quidem hoc ſalubre ſtatutum legi faciat. Et de nuò omnes, ut ſupra præmittitur, ſuæ Ciuitatis & Diœceſis moneat, & inducat, cum prædicta pœna, ad ordines ſacros recipiendos. Item quòd in dicta ſynodo declarent, omnes Rectores præſentes & futuros parochialium Eccleſiarum, quæ curam animarum habent, nec ſunt collegiatæ, non promotus ad ordinem ſacerdotalem, infra annum a iure ſtatutum in Concilio Lugdunenſi, ipſo iure fore priuatos, niſi cum eis fuerit diſpenſatum, uel in futurum diſpenſetur. Et ſi de nouo electi fuerint ad eaſdem Eccleſias, cum hæc ſint contra conſtitutionem bo.me.Bonifacii Papæ Octaui. Quos Rectores, & nos priuamus, ſeu priuatos declaramus auctoritate præſentis Concilii. Si qui uerò in futurum dignitates, uel beneficia ſimilia adepti fuerint teneantur ſe promoueri facere infra annum, ad ſacros ordines, ſecundum quòd requirit onus ſuæ dignitatis, uel beneficii: alioquin ſint ptiuati ipſo iure, auctoritate præſentis Concilii, beneficiis omnibus, pro quibus promoueri tenentur, quæ in noſtra obtinent Prouincia, niſi & cum talibus diſpenſetur per ſuperiorem ſuum.

De vita, & honeſtate Clericorum, & ornatu eorum. *Rubr.* IIII.

QVONIAM ſacerdotium ex indiſciplinatione populi apparet non ſanum, & propter laſciuias, & diſſolutiones clericorum & religioſorum detrahitur Diuino honori, & ordini clericali, populiq. minus ex hoc fiunt deuoti, in tantum, ut etiam iura Eccleſiarum retinere, & alii quandoque temerariè inuadere non uereantur, cum inceſſus, habitus, & ueſtimentta clericorum, & religioſorum in grauitate, forma, ac colore diſtincta ſæpius non videantur ab habitu laicorum, quemadmodum eſſe deberent, proinde ſtatuimus, & mandamus, ſacro approbante Concilio, pro honeſtate ordinis clericalis, quòd nullus religioſus, uel clericus portet arma, nec veſtimentum alterius coloris, quàm a iure permiſſi: quæ deſuper clauſa ſint, atque talaria. Coronam etiam condecentem portent, per quam deſignetur, regalis eſſe generis, & ſperare ſe debere aſſequi partem hæreditatis Diuinæ: quæ ſcilicet ſit rotunda: & ita tonſi ſint inferius, quòd aures pateant, ita quòd ſi in ſacris fuerint, aut beneficiati in Eccleſia Cathedrali, uel collegiata uenerabili, ſecundum condicionem ſui ſtatus, portent latiorem: alii uerò mediocrem, uel minorem, ſuis ſtatibus condecentem. Capita cooperiant pileo, uel bireto, uel armutia oblonga ad aures. Laicorum conuiuia non frequentent. In domibus Eccleſiarum ſtudeant habitare. Prælati, ſacerdotes, & alii in dignitatibus, uel perſonatibus conſtituti, ac Canonici Cathedraliũ Eccleſiarum in ſacris ordinibus cõſtituti, Sacerdotes & Rectores Eccleſiarum ciuitatum & ſuburbiorum, per ciuitatem incedentes, decentem habitum portent, uidelicet cappas, chlamydes, uel tabardos. Sacerdotes uerò extra ciuitatem, & ſuburbia, & alii in ſacris ordinibus conſtituti, ſaltem tabardos talares, ſeu condecentes portent. In Eccleſiis uerò utantur cappis, uel cottis albis. Loca turpia nullo modo ingrediantur, nec tabernas, niſi forte in neceſſitate in itinere conſtituti, pro cibo, uel potu, uel hoſpitio compellantur intrare. Tabernas, merces illicitas, aut perſonas ſuſpectas, in Eccleſiis, uel domibus Eccleſiarum, quæ ſint intra clauſtrum, uel ad uſum clericorum, uel miniſtrorum deputatæ, ſeu in domibus contiguis ipſi Eccleſiæ, nullo modo permittant teneri, uel commorari. Si quis autem inuentus fuerit arma portare cuiuſcumq. generis, pœnam incurrat XL. ſolid. Rauenn. Si uerò habitum, uel tonſuram incongruentem portauerit, XL. ſolid. pœnam incurrat. Si autem ingreſſus fuerit tabernas, niſi ſit in itinere conſtitutus; uel merces illicitas contraxerit emendo uel uendendo, per ſe uel alium, præſertim ſi uinum uendiderit, uel uendi fecerit, uel paſſus fuerit, quòd in dictis domibus quoquo modo vendantur, uidelicet in domibus Eccleſiarum, in quibus miniſtri Eccleſiæ conſueuerunt habitare, vel aliter ipſis Eccleſiis contiguis, pœnam X. librarum incurrat: Et eandem pœnam incurrant tenentes mulieres ſuſpectas in domibus prædict. uel teneri facientes: Idem & ſi teneri, uel habitare patiantur. Si quis uerò ſine cappa, uel ſaltem cotta alba interfuerit Diuinis officiis, pœnam quinque ſolid. ſe nouerit incurriſſe: & eandem pœnam incurrant non portantes chlamydem, uel tabardum, incedendo per ciuitatem, niſi euidens paupertas rationabiliter aliquem, uel aliquos excuſaret: Et ſimilem pœnam incurrant, conuiuia Laicorum frequentantes, & alii qui capiti-

bus

bus diſcoopertis incedunt, uel incedent. Quas pœnas declaramus clericos ſæculares tantum incurrere, & eas teneantur Prælati eorum exigere, in uſus pauperum conuertendas, nec ipſis ullo modo remittere poſſit, cum hoc ſtatuatur in fauorem Eccleſiaſticæ honeſtatis. Si uerò fuerit religioſus, qui in prædictis, uel in aliquo prædictorũ delinquat, ieiunet bis in hebdomada, in pane & aqua, publicè cum fratribus comedendo, & ſedendo in terra. Quam pœnitentiam ſi non inchoauerit infra menſem, & inchoatam non perfecerit, eum, ex nunc, Capituli uoce priuamus, & ultimum in choro uolumus eum eſſe. Et hanc pœnam patiatur, quouſque dictam pœnitentiam inchoauerit, & inchoatam perfeciſſe noſcatur. Et nihilominus contra facientes priuati ſint ipſo iure priuilegiis, & fauoribus Concilii huiuſmodi, & omnium aliorum Conciliorum prouincialium, quia fruſtra legis implorat auxilium, qui committit in legem. Omnes autem alias conſtitutiones noſtras, & prædeceſſorum noſtrorum, prouinciales, poſitas ſub titulo, *De uita & honeſtate clericorum*, caſſamus & irritamus, & eas nullius momenti eſſe uolumus, & præſentem ſolummodo conſtitutionem remanere in ſui roboris firmitate. NOTATIO. *Huiuſmodi clericos, qui, moniti habitum decentem non geſtant, ſacrum Concilium Trident. Seſſ. XIIII. cap. VI. per ſuſpenſionem ab ordinibus; & officio ac beneficio, ac fructibus ipſorum, necnon ſi ſemel correpti, denuo deliquerint, etiam per priuationem officiorum ac beneficiorum coerceri poſſe & debere decreuit.*

Quod nullus de cetero recipiatur in Canonicum Cathedralis Eccleſiæ, uel in monachum, ſeu fratrem alicuius monaſterij ſeu regularis Eccleſiæ, ſine licentia ſpeciali ſui ordinarij. Rubr. V.

QVONIAM experientia docente, quæ rerum eſt efficax magiſtra, manifeſtè cognouimus, ut plurimum perſonas inſufficientes, illiteratas, & alias indignas ad Eccleſiaſtica beneficia obtinenda, inſtitutas in Eccleſiis & monaſteriis noſtræ prouinciæ Rauenn. Ad hæc neceſſitate quadam urgente, illos, ad quos ſpectat electio, ſeu receptio Canonicorum, & monachorum in dictis Eccleſiis, & monaſteriis, hoc ſæpius inducente nimia laicorum importunitate, interdum affinitate aliqua, ſeu conſanguinitate, uel alias ſingulari & inordinata dilectione, quæ ſæpius homines inducunt, ut omiſſo rationis iudicio, carnalitatis ſequantur affectum, & dignis prætermiſſis, indignos, ad honores Eccleſiaſticos aſſumant, ex quibus plurima damna proueniunt Eccleſiis, & Diuinus cultus minuitur, quem ſummoperè deſideramus augeri, Cupientes igitur huic peſtifero morbo, quantum poſſumus, obuiare, & de ſalubri remedio Eccleſiis & monaſteriis prouidere, præſenti approbante Concilio, ſtatuimus, & ordinamus, quòd de cetero nullus inſtituatur, uel recipiatur in fratrem, & Canonicum alicuius Cathedralis Eccleſiæ, uel Collegiatæ, uel monachum alicuius monaſterii, uel Canonicum regularem, ſine licentia ſpeciali Ordinarii loci, ac Metropolitani, ſi uideatur opportunum Ordinario loci, ſuper quo conſcientiam ipſius oneramus. Decernentes ex nunc, prout ex tunc, irritum & inane, quidquid contra factum fuerit, ſeu attentatum. Hoc autem ſtatutum durare uolumus uſque ad triennium, ſeu ſe-

quens Concilium: infra quod æſtimationes bonorum, & redditũum fient, ita quod pro eorum facultatibus, competens numerus miniſtrantium poterit taxari, & ſtatui prout iura requirunt. NOTATIO. *Per examinatores idoneos, doctos, & iuratos, eligere Epiſcopos ad beneficia magis idoneos debere, ſanctiſſimè, ut omnia alia, decreuit Concilium Trident. Seſſ. XXV. cap. XVIII.*

Quòd nullus recipiatur in aliquo monaſterio, ſeu regulari loco per potentiam laicorum. Rubr. VI.

PLERVMQVE contingit, quòd propter minas & potentiam laicorum, nonnulli religioſi Prælati noſtræ Prouinciæ, coguntur indebitè, nonnullos in ſuorum locorum fratres recipere, uel conuerſos, ex quo, Prælatis ipſis, & eorum locis grauamina multa prouenire noſcuntur. Cupientes igitur laicorum in hac parte temeritates excludere, prædictorum Prælatorum, ac ipſorum locorum indemnitatibus prouidere, hoc ſacro approbante Concilio, prouidè duximus ſtatuendum, ſeu declarandum, quòd modo prædicto recepti in fratres, ſeu Conuerſos quorumcumque locorum, ad eligendum tam actiuè, quàm paſſiuè fiant inhabiles: nec ad tractatus quoslibet admittantur, nec eiſdem in ueſtimentis, per locorum Prælatos, modo aliquo debeat prouideri. Quod & in receptis in monialium monaſteriis modo prædicto uolumus habere uigorem.

De denunciatione fienda Metropolitano de beneficijs uacantibus, ad eum deuolutis. Rubr. VII.

QVONIAM ex diutina uacatione damna plurima in ſpiritualibus, & temporalibus, Eccleſiis ſolent prouenire, ſicut iura teſtantur, & rerũ experientia manifeſtat, uolentes itaque iuxta debitum officii noſtri Eccleſiis in prouincia Rauen. conſtitutis, contra diſpendioſas uacationes, de ſalubri remedio prouidere, hortamur in Domino omnes fratres Coepiſcopos noſtros, præſentes & abſentes, ac alios inferiores Prælatos, & clericos cuiuſcumq. ſtatus, & gradus, uel conditionis exiſtant, quatenus, pro Dei honore, & ſalute animarum ſuarum, & populi, ſalubriter & celeriter uacantibus Eccleſiis de perſonis idoneis prouidere procurent, ne lupus rapax gregem Dominicum inuaderet, & ne bona dilapidentur. Nihilominus, ſacro approbante Concilio, ſtatuentes, quòd ſi quando contingat propter deſidiam, ſeu negligentiam, ad nos collationem dignitatis alicuius, uel beneficii, ſeu præbendæ cum cura reuolui, teneantur Prælatus & Capitulum, & Clerici Eccleſiæ, in qua dignitas, beneficium, uel præbenda huiuſmodi, tanto tempore uacauerit, quod ad nos ſit collatio deuoluta, infra menſem a tempore ſcientiæ deuolutionis huius, hoc nobis intimare, ſeu Vicario noſtro; nobis in remotis agentibus: ne; quod abſit; Eccleſiæ diu maneant deſolatæ, & nos noſtro defraudemur deſiderio. Illud idem ſtatuimus circa fratres Coepiſcopos omnes prouinciæ Rauenn. Suffraganeos, quando de ipſis ad Capitula collatio deuoluetur. Quod & de patronis auctoritate eadem uolumus, & ſtatuimus intelligi debere. Negligentes & remiſſi hoc ſalubre ſtatutum adimplere,

plere & ſequenti Concilio arguantur, & pœnæ debita caſtigentur.

Quod certus Canonicorum numerus ſtatuatur in Eccleſiis cathedralibus & collegiatis, ubi non eſt ab antiquo ſtatutus. *Rubr. VIII.*

ETsi deceat, & ſatis conſonet rationi, & iuri, quibuſcumque clericis collegiatarum Eccleſiarum certũ & determinatum numerũ habere clericorum, tantò magis Canonicis Cathedralium Eccleſiarum hoc competit, quantò tamquam caput aliorum in ſe ipſos debent oſtendere, qualiter inferiores in Domo Dei conuerſari debeant: non plures in quibuſcumque Eccleſiis debent inſtitui, quam ex bonis ipſarum uiuere poſſint: hoc maximè in Cathedralibus ſeruari debet, ne propter inordinatam conſtitutionem, cogantur ipſorum Canonici, in opprobrium totius cleri, miſerabiliter mendicare. Volentes ergo inordinatis receptionibus factis, & fiendis in prouincia noſtra, quantum poſſumus, prouidere, hoc ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, & ordinamus, quòd ubicumque in Cathedralibus, uel collegiatis Eccleſiis determinatus eſt numerus Canonicorum, uel Clericorũ, ſtatuto, uel conſuetudine, ille ſeruetur, nec augeatur, quocumque quæſito colore, niſi iuſta de cauſa, & de licentia ordinariorum ſuorum. Vbi autem numerus certus, determinatus non eſt, præcipimus ſtatui & firmari iuxta facultatem Eccleſiarum, & hoc infra ſex menſes a publicatione conſtitutionis præſentis numerandos. Sed quia non eſt reprehenſibile iudicandum, ſed laudandum, ſi ſecundum varietates temporum, uarientur etiam humana ſtatuta, & ſæpius ſit inueniri, quòd Eccleſiæ antiquo numero Canonicorum ſtatuto grauantur, idcirco ſtatuimus, quòd ſi aliquæ Eccleſiæ collegiatæ, vel Cathedrales inueniantur antiquo ſtatuto numero in præſenti rationabiliter prægrauari, volumus quòd Canonici ipſarum Eccleſiarum, de licentia ſuorum Ordinariorum, ſeu ipſi Ordinarij; ubi ad eos ſolos ſpectat; reducant, ſeu ſtatuant talem numerum iuxta facultatem ipſarum Eccleſiarum: ita quòd cedentibus, uel decedentibus Canonicis, nullus de nouo; loco cedentis, uel decedentis inſtituatur, quouſq. peruenerit ad numerũ ſic ab antiquo ſtatutum, uel de nouo ſtatuẽdum. Et quia nonnulli tam Epiſcopi, quàm alii, prouinciæ noſtræ, præteriti & præſentes; ut fide dignorũ relatione audiuimus; Eccleſias Cathedrales, uel collegiatas, quarum inſtitutio, uel ordinatio ad eos ſpectabat, uel ad ſe ſpectare prætendebant de conſuetudine, uel priuilegio, aggrauant, & aggrauarunt indebito & inordinato numero clericorum, & tali, quòd nullo modo Eccleſiæ prædictæ ſic inſtitutis, & ordinatis, in neceſſariis prouidere potuerunt, nec poſſunt; quod cedit in uituperium, ne dum eorum, ſed totius cleri; & cum tales clerici non poſſint Eccleſiis deſeruire, & cogantur quodammodo mendicare, idcirco volentes tali morbo debitam adhibere medelam, ſtatuimus & ordinamus, quòd nec Epiſcopi, nec alii poſſint, vel debeant in Eccleſiis Cathedralibus, collegiatis, uel aliis in quibus inſtitutio, uel ordinatio ad ipſos noſcitur pertinere, aliquem uel aliquos ultra numerum præſentem de nouo inſtituere, ſine licentia ſui ſuperioris: & ſi contra fieret ſit irritum ipſo iure. Volumus etiam & eis præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, quòd numerum ſic ordinatum in prædictis Eccleſiis ſic inſtitutum redigere debeant

ad

ad debitum congruentem numerum. Et quia qui altari ſeruit, de altari uiuere debet, & qui ad onus eligitur, a mercede repelli non debet, ſtatuimus & ordinamus, quòd prædicti Ordinatores, deficientibus propriis redditibus Eccleſiarum, in quibus indebitam ordinationem fecerint in futurum teneantur ſic inſtitutis per ipſos, reſidentibus in Eccleſiis, in quibus inſtituti ſunt, ipſis Eccleſiis in Diuinis & aliis deſeruientibus, neceſſaria procurare, & tam in uictu, quàm in ueſtitu & aliis neceſſariis, iuxta earum exigentiam facultatum.

NOTATIO. De Cathedralibus, & parochialibus Eccleſiis, tenuioribus quàm pro ſumptu & dignitate, deceat; præclara decreuit ſancta vniuerſalis Tridentina Synodus Seſſ. XXIIII. cap. XIII. Decreti de Reform.

De clericis non reſidentibus. Rubr. IX.

QVORVMDAM Clericorum deſidiam, & periculoſam negligentiam radicitus extirpare uolentes, qui in eorum Eccleſiis reſidere negligunt, in graue præiudicium animarum ipſorum, & ſcandalum plurimorum, propter quod Eccleſiæ ſæpius Diuinis defraudantur officiis, cultusque Diuinus minuitur, quem ſummo cordis deſiderio augeri deſideramus; hoc ſacro approbante Concilio, citamus & requirimus, & monemus omnes clericos noſtræ prouinciæ, cuiuſcumq. ordinis, dignitatis, & ſtatus, & condicionis exiſtant, quatenus infra ſex menſes a die præſentis citationis, monitionis, & requiſitionis numerandos; quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, reliquos duos pro tertio peremptorio eis aſſignamus; redire debeant ad continuam reſidentiam faciendam in eorum Eccleſiis: eodem ſacro approbante Concilio ſtatuentes & ordinantes, quòd ſi quis, uel ſi qui clerici abſentes hanc noſtram monitionem contempſerint, uel in futurum ſe abſentauerint ab eorum Eccleſiis, ultra XV. dies, ſine ſpeciali petita licentia, & obtenta ab ordinario loci, uel eius Vicario; ipſo Ordinario extra Ciuitatem agente; ipſo iure ſint priuati beneficiis omnibus, quæ in noſtra prouincia obtinent: niſi per ſuperiorem ſuper iis fuerit cum eiſdem miſericorditer diſpenſatum.

NOTATIO. Reſidere negligentes, præter reatum peccati mortalis, pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos non facere decernit ſacroſanctum Concilium Tridentinum Seſſ. XXV. cap. I. decreti de reform. & obtineri licentiam diſcedendi; ultra bimeſtre tempus, niſi ex graui cauſa, non poſſe.

De quotidianis diſtributionibus. Rubr. X.

QVIA parum eſt iura condere, niſi executioni debitæ demandentur, & per bo. me. fratrem Bonifacium prædeceſſorem noſtrum; in Concilio per ipſum Forliuii celebrato; inter cetera ſtatutum extiterit, quòd ubi ſtatutæ non eſſent, in Cathedralibus, uel collegiatis Eccleſiis, quotidianæ diſtributiones, in Synodis proximè faciẽdis per ſingulos Suffraganeos Rauenn. Eccleſiæ proinde ſtatuerentur, ut per hoc ipſis Eccleſiis, ſingulis horis, in Diuinis melius ſeruiretur: & attendentes, Patres Coepiſcopos noſtros in exequutione conſtitutionis prædictæ, ut plurimum hucuſque negligentes fuiſſe, uolentes igitur dictam conſtitutionem, tamquam rationabilem,

execu-

executioni debitæ demandare, hoc ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet Suffraganeorum noſtrorum, ſub pœna inobedientiæ, teneatur ſic prouidere, quòd in Cathedralibus, uel collegiatis Eccleſiis dictæ quotidianæ diſtributiones fiant, & menſa communis deputetur: uel ubi dictæ diſtributiones ſeu menſa commodè ordinari non poſſent, ſic per eoſdem Ordinarios prouideatur, quòd decenter & deuotè, in Diuinis officiis, Eccleſiis ipſis deſeruiatur: ut ſic cultus Diuinus non minuatur, ſed potius, ut cupimus, augeatur. Si quis autem Suffraganeorum prædicta non obſeruauerit, pœnam ſtatutam contra tranſgreſſores Canonum, poterit formidare, & nihilominus in ſequenti Concilio durius increpetur.

De Cenſibus & Collectis imponendis. Rubr. XI.

CVM imponendis & exigendis collectis talis modus & diuiſio debeat obſeruari, ut nulla Eccleſia, ſeu Eccleſiaſtica perſona ſe indebitè prægrauari, ex iis, rationabiliter conqueri poſſit, ac ſæpe contingat dominos Suffraganeos Eccleſiæ Rauenn. debere Rauennat. Eccleſiam uiſitare, pro feſtiuitatibus ſanctorum martyrum Apollinaris, Vitalis, uel aliis ex cauſis in prouincia emergentibus, a nobis euocari, quos non oportet, pro factis prouinciæ, propriis ſtipendiis militare, uolentes hoc adhiberé remedium opportunum, ſtatuimus & ordinamus, hoc ſacro approbante Concilio, quòd quilibet Epiſcopus noſtræ prouinciæ, in Ciuitate & Diœceſi ſua, & de conſenſu cleri ad hoc ſpecialiter conuocati, perſonas ſufficientes & idoneas deputet, & ordinet, infra tres menſes, a publicatione præſentis conſtitutionis, quæ omnes redditus & prouentus Eccleſiarum omnium, monaſteriorum, & aliorum locorum religioſorum, cuiuſcumque ſtatus, uel condicionis exiſtant; diſcutiant & examinent diligenter, & deſcribant, ſeu deſcribi faciant, per publicum notarium; iuſtam æſtimationem & debitam, unicuique Eccleſiæ imponentes: Et hoc in monaſteriis, Prioratibus, Eccleſiis, ſeu locis Eccleſiaſticis aliis, ubi a decem annis citra non eſt facta æſtimatio antedicta. De qua quidem taxatione, & æſtimatione teneatur quilibet Epiſcopus, ad expenſas cleri ſui, per ſcripturam publicam, Archiepiſcopali curiæ facere fidem infra tres menſes, ex quo dicta æſtimatio facta fuit: ſecundum quam æſtimationem & taxationem ſtatuimus & ordinamus, omnia onera noſtræ Rauenn. Eccleſ. prouinciæ imminentia ad præſens, uel in futurum, debere diuidi & partiri inter Prælatos, & clerum Rauenn. prouinciæ. Idem modus etiam & diuiſio per ipſos obſeruetur in diuidendis & diſtribuendis oneribus ſpecialiter impoſitis clero ſuæ Ciuitatis & diœceſis. Circa Ven. quoque patres & Coepiſcopos noſtros, ducimus ſtatuendum, uolentes parcere grauaminibus ſubditorum, quòd ſi quando eos laborare contingat, pro factis prouinciæ Rauenn. quindecim equitaturis, ſeu euectionibus ad plus ſint contenti, & minus: ut minores non doleant, & iuſtè conqueri poſſint, ſe indebitè prægrauari: & ipſorum procurationibus. XII. ſolid. Bonon. pro quolibet equo: pro palafreno uero domini, vnum florenum auri pro qualibet legali dieta, ſeu die, quo laborauerit, taxamus. Si uero pro præfatis cauſis contingeret Abbates, & Prælatos aliquos, ſeu Canonicos Cathedralis Eccleſiæ, aut clericos, laborare,

borare, Abbatibus, & Prælatis, quattuor equos, Canonicis Eccleſiæ Cathedralis, tres, clerico uerò, unum taxamus. Et pro unoquoque equo, decem ſolid. Bonon. habere debeant a Clero, & nõ ultra: & in hoc ſint taciti, & contenti. Clericus uerò ſiue laicus, qui ſine equo mitteretur, a clero, ſeu iret occaſione cleri, ſex ſolid. Bonon. pro qualibet competenti eis dieta taxamus.

De celebratione miſſarum. Rubr. XII.

ETSI propheta teſtante, doceamur pſallere Deo, & ſingulis horis pſallere ſapienter, multo fortius hoc debemus attendere, quando Miſſa præſertim ſolemniter celebratur, ubi Angelicæ hierarchiæ inuocantur, & in tali tanto myſterio, ut ſancti teſtatur, aſſiſtunt; debemus uoce, ſpiritu, & mente pſallere humiliter, & deuote. Cum igitur Miſſa in aliqua Eccleſia noſtræ prouinciæ, in nota celebratur, debeant omnes maxime ſacerdotes, & Clerici, in Eccleſia ipſa, quantum poſſunt aſſiſtere celebranti, ac omnis clamor, ſtrepitus, & tumultus in eadem Eccleſia conquieſcere. Quidam uerò non debito modo conſiderantes, prædictam Miſſam, quæ in nota cantatur, irreuerenter prætereunt, ſe ſacris induere, miſſas uno concurſu cum ſacerdote celebrare uolentes, ex quo populorum concurſus, ac pedũ ſtrepitus per Eccleſiam fit, cum quodam ſonoroſo clamore: & ſic Miſſa, quæ celebratur in nota, per indirectum quodammodo impeditur, ſeu minus deuotè attenditur: Volentes igitur huic indiſcreto actui, neceſſariam adhibebere medelam; ſacro approbante Concilio; monemus omnes ſacerdotes tam ſæculares, quàm regulares noſtræ prouinciæ, atque ſtatuimus, quatenus cum Miſſa celebratur in nota, in aliqua Eccleſia, nullus alius ſacerdos Miſſam celebret in eadem, donec Miſſa præfata fuerit plenè completa. Qui autem contra fecerit, ſui Ordinarii arbitrio puniatur, ac durius increpetur: Pœnas etiam contra inobedientes latas meritò poterit formidare.

Quòd nullus Archipresbyter, Præpoſitus, uel Prælatus inferior Epiſcopo, poſſit in Eccleſiis ſibi ſubiectis, inquiſitiones formare, accuſationes admittere, uel ad priuationem procedere contra clericos earundem Eccleſiarum. Rubr. XIII.

QVIA nonnulli Abbates, Priores, Præpoſiti, Archipresbyteri, & alii Eccleſiarum inferiores Prælati; prout eſt huic ſacro Concilio intimatum; contra Rectores, & Clericos Eccleſiarum ſubiectarum Prælatis eiſdem, Ordinario iure, inquiſitiones formant, accuſationes admittunt, ac ad priuationem & pœnas alias procedere non uerentur; & per hoc, tam iuri communi, quàm Pontificali dignitati plurimum detrahunt, ſtatuimus præſentis auctoritate Concilii, quòd nullus Abbas, Prior, Præpoſitus, Archipresbyter, ſeu alius Prælatus inferior Epiſcopo, contra Rectores, ſeu Clericos Eccleſiarum ſubiectarum eiſdem inquiſitionem formare, accuſationem admittere, uel ad priuationem procedere quoquo modo præſumant. Decernentes irritum & inane; quidquid contra hoc ſtatutum per talem fuerit

atten-

attentatum, niſi de ſpeciali priuilegio, uel conſuetudine legitimè præſcripta, eis hoc competere dignoſcatur. Ordo namque Eccleſiaſticus confuſioni pateret, ſi Pontificalis iuriſdictio non ſeruaretur.

De Iudæis. Rubr. XIIII.

QVAMQVAM Iudæi per Eccleſiam tolerentur, non tamen debent in fidelium detrimentum, ſeu graue diſpendium tolerari: quod ſæpius Chriſtianis accedit, pro gratia contumeliam, & pro familiaritate contemptum reddendo: Ideoque olim prouinciale concilium Rauennæ celebratum, conſiderans ex ipſorum cum Chriſtianis permixta conuerſatione multa ſcandala proueniſſe, ſtatuit, ac perpetua ſtabilitate firmauit, quod ipſi rotam panni crocei coloris in ueſtibus ſuperioribus, ac mulieres ipſorum conſimilem rotam in capite deberent portare, ut ſic a Chriſtianis poſſent diſcerni: & quòd ad habitandum alicubi ultra menſem recipi non deberent, niſi in locis in quibus obtinent Synagogas. Sed quia nonnulli neſcientes a uetitis abſtinere, ſtatutum ſalubre præfati Concilii uilipendunt, ignorantia affectata, pœna docente, poterunt cognoſcere, quàm ſit graue conſtitutiones Eccleſiaſticas præterire, ideoque ſacro approbante Concilio, uolentes huic morbo ſalubriter prouidere, monemus omnes tam Clericos, quàm laicos noſtræ prouinciæ, atque ſtatuimus, quatenus nullus de cetero locet domos ipſis Iudæis, nec locatas dimittat, aut uendat, ſeu quocumque colore concedat, uel inhabitare permittat ultra duos menſes a publicatione præſentis conſtitutionis. Qui uerò contrafecerit, ipſo facto excommunicationis incurrat ſententiam, a qua abſolui non poſſit, niſi plenè ſatisfecerit in prædictis.

De cautione recipienda ab Vſurarijs, & de pœnis recipientium Vſurarios ad Eccleſiaſtica ſacramenta, ſeu ſepulturam. Rubr. XV.

VSVRARVM uoraginem utriuſque teſtamenti pagina reprobatam, in noſtra prouincia reprimere cupientes, denunciamus, ſeu declaramus, hoc ſacro approbante Concilio, omnes Vſurarios manifeſtos, donec de uſuris, prout patiuntur facultates eorum, plenariè ſatisfecerint, uel de ſatisfaciendo pro ſuarum uiribus facultatum, idoneam præſtent cautionem, fore communione altaris, & Eccleſiaſtica ſepultura priuatos: eorumque oblationes recipi non debere, nec ipſos abſolui poſſe: teſtamenta quoque ipſorum non ualere, ſed eſſe irrita ipſo iure. Omnes etiam, qui huiuſmodi uſurariis communionem altaris, ac corpus Chriſti tradiderint; aut eos ad Eccleſiaſticam admiſerint ſepulturam, donec ad arbitrium Ordinarii loci ſatisfecerint, ab officii ſui, executione decernimus ſeu declaramus eſſe ſuſpenſos. Adiicientes, ut pœnæ huiuſmodi ſubiaceant omnes, qui tales uſurarios abſoluerint, aut ad communionem altaris admiſerint, ſiue teſtamẽtis, aut ſepulturæ interfuerint eorumdem. Tabelliones quoque de mutuis & contractibus uſurariis, uel in fraudem uſurarũ initis, inſtrumenta conficientes, uel recipientes ſcienter, quibus uſurarii pœnis, ſubia

ceant, ipſo facto. Ceterum in recipienda ab uſurariis pœnitentibus, de uſuris reſtituendis, cautione prædicta, hanc haberi uolumus, & obſeruari cautelam, ut ante omnia per confeſſionem uſurarii, uel per librum, uel libros rationum eius, aut per teſtes, ſiue inſtrumentum, uel aliquo alio modo fiat certa, & manifeſta, ſi poterit, receptarum quantitas uſurarum, non earum tantum, quæ ab incertis, uerum etiam quæ ſunt a certis vniuerſitatibus, & perſonis extortæ. Si uerò id non ſit poſſibile, arbitretur, & moderetur quantitatem huiuſmodi, is, qui ex uigore præſentis conſtitutionis recepturus fuerit cautionem huiuſmodi, ſecundum rectam conſcientiam, ex fama, ſeu uicinorum teſtimoniis, aut ex coniecturis aliis uerisimilibus informandam. Vbi uerò per poſtas libri uſurarii non apparuerit, per petentem ſibi uſuras reſtitui de uſuris ſolutis, ſi petens habuerit inſtrumenta originalia, uel exemplaria ſumpta de Originalibus communis Ciuitatis, uel loci illius, in quo contractum fuerit debitum mutui recepti ab uſurario, aut alterius obligationis cum illo contractæ, uel cum alio pro eodem, & inſtrumentum ſolutionis, ſeu liberationis, uel confeſſionis, ſolutio uſurarum præſumatur, & iudicetur: & ipſo mutuo, uel obligatione a die contracti debiti ſeu obligationis, uſque ad diem inſtrumenti confecti ſolutionis: & ab illo extorſiſſe uſuras, tot denarios pro libra ſingulis menſibus, quot declarare uoluerit Diœceſanus Epiſcopus, aut eius Vicarius, uel Pœnitentiarius, ſi ipſe vſurarius in dicta cautione non declarauit, & dixit quot denarios accipiebat pro libra menſibus ſingulis. Quando autem ſolutionis inſtrumentum, aut ſcriptura non apparuerit, tunc iudicetur, uſuras per ſex menſes uſurarium extorſiſſe ab illo, ex illo mutuo, ſeu obligatione ſecundum rationem, & taxationem prædictam, pro menſe quolibet: dummodo appareat per poſtas libri, uel alio modo legitimo, mutuum, uel obligationem fuiſſe contractam: Quo facto, promittat ſolemniter, & iuret uſurarius, ei qui; ut præmittitur; hanc receperit cautionem curiæ Ordinarii loci, ubi vſurarius fuerit, omnium, quorum intereſt, uel intererit nomine, quòd ipſe, ſi poterit, per ſe ipſum, uel alium, ſeu alios, & in præſentia Vicarii Ordinarii prædicti, uel eius pœnitentiarii, uel alterius de curiæ licentia, ſine difficultate qualibet, de uſuris a ſe receptis, & a patre ſuo, ceteriſq. perſonis, quorum hæreditas ad ipſum peruenerit, & de aliis male ablatis, & illicitè acquiſitis per uſurariam prauitatem, uſque in quantitatem æſtimatam, & etiam maiorem, ſi de maiore conſtiterit, ſatisfaciet, eis, a quibus eas ipſe, uel illi receperunt, aut eorum hæredibus, ſi poterint reperiri: & reſiduum, de quo, cui reſtitui debeat, non conſtabit, Ordinario, uel Vicario, ſeu pœnitentiario ipſius Ordinarii liberè aſſignabit, pauperibus erogandum, iuxta Ordinarii arbitrium, ſine ſtrepitu iudicii, & figura. Et quòd nihil dicet, uel allegabit, uel faciet per ſe, ſiue per alium, propter quod ipſius curiæ proceſſus, ſententiæ, uel præcepta impediantur, aut quomodolibet retardentur circa ipſarum uſurarum, & illicitè acquiſitorum modo prædicto reſtitutionem: ſpeciali pacto ſe, & ſuos hæredes, & bona obligans ad prædicta, & renuncians expreſsè, ſpecialiter, & generaliter omnibus exceptionibus, iuribus, & defenſionibus, ſecundum libitum, & expreſſionem recipientis huiuſmodi cautionem. Sed pro his attendendis, & reſtitutione, & aſſignatione; ut præmittitur: faciendis; obliget omnia bona ſua, illa ſe

conſtituens

conſtituens precario nomine dictæ cutiæ poſſidere: omnimodam licentiam concedens, & liberam poteſtatem ipſi Curiæ, & recipienti cautionem prædictam, pro ea, apprehendendi, diſtrahendi, & alienandi de ipſius bonis liberè, ac impunè, auctoritate propria, & contradictione nō obſtante cuiuſquam, quicquid & quantum, & ubi uoluerit ipſa Curia, uſque ad integram reſtitutionem, & ſatisfactionem prædictorum. Et eorum occaſione renunciet etiam uſuris, & ſibi promiſſas remittat, ac iuramenta ſibi pro eis ſoluendis, uel non recipiendis, ſeu repetendis præſtita, relaxet, reddat, aut ſaltem reddere promittat: & iuret, quòd libros, & quaternos rationum ſuarum, & inſtrumenta uſuraria, quæ habebit; uel habere poterit, abſque dolo, uel fraude, diminutione, ſiue ſubtractione, Ordinario, uel eius Vicario, ſeu certo nuncio dabit, & conſignabit per ſe, uel alios, pro eodem. Aſſignet etiam pecuniam quam habet, uel faciat depoſitum, ſi poterit, ad arbitrium ordinarii, ſeu uicarii, uel pœnitentiarii ipſius: quod quidem in cautione ipſa uenire cenſemus. Damnet etiam hæredes ſuos futuros, ſub pœna hæreditatis amittendæ, ad eadem facienda: & ipſi hæredes, ſi præſentes fuerint, eadem ſe facturos ſub pœna, & ſub religione promittant, & iurent. Det præterea, ſi poterit, pignora, uel ſaltem fideiuſſores idoneos, qui ad prædicta eodem modo, & ſub eiſdem pœnis, & tenoribus obligent principaliter ſe, & ſua, conſtituentes ſe principales debitores in prædictis, renunciantes epiſtolæ Diui Hadriani, beneficio nouarum conſtitutionum de fideiuſſoribus, & omni alii defenſioni, & iuri, ad arbitrium recipientis cautionem eandem, ex pacto ſpeciali præſtantes ſimile iuramentum. Hæc autem præcipimus fieri coram ſacerdote parochiali, & teſtibus fide dignis, ac notario publico, de Ordinarii, uel Vicarii, aut pœnitentiarii ipſius mandato, qui recipiat prædictas promiſſionem, & obligationem, renunciationem, & cautionem, & cetera ſupradicta, de his conficiens inſtrumentum. Denique cautionem ipſam per ſingulas Ordinariorum Diœceſes, ubi Ordinarius, uel eius Vicarius præſens non adeſſet, recipiat Rector parochialis Eccleſiæ, in qua uſurarius habitabat, uel notarius publicus in ſacerdotis defectum: qui infra menſem teneatur hoc denunciare loci Ordinario, uel eius Vicario. In Ciuitate uerò nullus omnino abſque ordinarii, uel Vicarii, ſeu pœnitentiarii ipſius licentia ſpeciali, niſi forte parochialis ſacerdos, ubi non poterit requiri ad hæc curia Ordinarii, ſuperueniente ſubito caſu mortis, de illa recipienda ſe intromittere præſumat: alioquin pœnam X. librar. Rauenn. incurrat, abſque ſatisfactione debita minime relaxandam. Illos namque, quo ad prædicta, declaramus uſurarios manifeſtos, de quibus per parochiam: quam inhabitauerint, uel ubi moterentur, fama fuerit extorſiſſe uſuras, uel ipſorum confeſſione, aut peridonea argumenta, ſeu alio modo legitimo apparebit. Conſtitutionem quoque præſentem, omnes parochialium Eccleſiarum Rectores; etiam ſi collegiatæ fuerint; habeant, legant, & intelligant: uſurariorum pœnas prædictas frequentius in ſuis Eccleſiis publicantes, & ſuas cautius euitantes, ſi Diuinam, & noſtram effugere cupiunt ultionem.

De pœna procurantium malè ablata incerta legari ſub alio nomine, ſeu modo. Rubr. XVI.

QVORVMDAM fraudibus legis præuaricatorum occurrere intendentes, qui dum malè ablata habent, de quibus ignoratur, cui ſit reſtitutio facienda; quæ eſſent per locorum Epiſcopos, aut ipſorum auctoritate, inter pauperes prouide diſpenſanda; legant, uel legare procurant, malè ablatorum prætextu, de illis non facta mentione, aliquam pecuniæ quantitatem per executores, ſeu alios, excluſo fraudulenter Ordinario Epiſcopo, diſpenſandam, hoc ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, quod de cetero quælibet perſona, quæ reſtituere, ſeu reſtitui uoluerit aliqua malè ablata incerta, ſiue de quibus, cui facienda ſit reſtitutio, ignoretur, in ſuo teſtamento, codicillo, uel ultima uoluntate expreſsè dicat, & clarè, *Relinquo iſtud, uel illud, ſeu tantum de malè ablatis incertis, ſeu reſtitutioni ipſorum*: nec dicat; *relinquo pro remedio animæ meæ, ſeu parentum meorum*: neque aliquid aliud inſeratur, propter quod, quæ ſunt ipſius malè ablata incerta, non plenariè cognoſcatur: ſub pœna X. librarum Rauenn. quas in uſus pauperum conuertendas decernimus. Rectoribus, Capellanis Eccleſiarum mandantes ſub excommunicationis pœna, quòd aliquorum ultimis uoluntatibus non interſint, ſeu ordinationibus eorumdem, quos ſciuerint, uel crediderint, contra mentem attentare cõſtitutionis huiuſmodi, uel in fraudem: & quòd exponant infirmis, & ipſorum hæredibus, ut niſi nominatim, & expreſsè legauerint malè ablata incerta reſtituenda, non habebunt Eccleſiaſticam ſepulturam. Quoslibet uerò clericos, religioſos, uel ſæculares, qui circa hoc fraudem aliquam procurauerint obſeruari, ab ingreſſu Eccleſiæ, & participatione ſacramentorum ſuſpendimus in his ſcriptis.

Quòd Clerici & religioſi a uenationibus ſe abſtineant. Rubr. XVII.

LICET ex dictis ſanctorum, & ex ſcriptis Conciliorum, omnibus ſeruis Dei uenationes cum canibus, & auibus ſint interdictæ, nonnulli tamen religioſi; ſicut fide dignorum relatione accepimus; hoc minus penſantes, honeſtatis laxatis habenis, monachali modeſtia prorſus abiecta, monaſterii clauſtrum abhorrentes, ſine quo monachus uita carere deſcribitur, ſicut piſces uita carent, ſine aqua; more laicorum, ipſis intendunt, in graue religionis offenſam, opprobrium, & ſcandalum plurimorum. Volentes igitur prædictorum ſtatui periculoſo, & deteſtabili ſalubriter occurrere, hoc ſacro approbante Concilio, diſtrictius inhibemus religioſis omnibus cuiuſcumque ſtatus, condicionis, religionis, uel ordinis exiſtant, ne de cetero uenari, ſeu ad uenandum exire, præſumant. Si quidem Abbates, Priores, uel Præpoſiti, ſeu aliàs adminiſtrationes habentes fuerint, per annum, ipſo facto, ſint ſuſpenſi ab omni adminiſtratione, donec ad mandatum Ordinarii, plenè ſatisfecerint. Inferiores uerò ſint ineligibiles, & ultimi ſemper in choro habeantur, donec ad mandatum Abbatis, Prioris, uel Præpoſiti ſufficienter pœnitentiam egerint de commiſſis.

De pœna iudicum ſæcularium, qui clericos repertos cum armis, uel in alijs maleficiis deprehenſos, detentos retinent, uel ad ſuum iudicem opprobrioſè remittunt. Rubr. XVIII.

SAECVLARES poteſtates, ſeu Rectores, uel iudices quorumcumque locorum prouinciæ Rauenn. qui Clericos, per ipſos, ſeu ipſorum familias cum armis, uel alias exceſſiſſe, & maximè in habitu clericali repertos, detentos retinent, & ad Diœceſanum Epiſcopum remittere denegant, requiſiti; ſeu qui Clericos ipſos, ſi eoſdem remitti per eos forte contigerit, in ſcandalum, & opprobrium ordinis clericalis, tubis præcedentibus, & tubantibus, armis apud ipſos inuentis, ad eorum collum appenſis, & cum multitudine armatorum, ſeu alias inhoneſtè ad eundem tranſmittunt Epiſcopum: declaramus præſentis auctoritate Concilii, excommunicationis uinculo innodatos, & eorum ſententias, & proceſſus per ipſos, ſeu auctoritate ipſorum latos & factos, ex tunc fore cenſemus inualidos, donec ſatisfactione præſtita, a prædicta, excommunicationis ſententia, per ſedem Apoſtolicam dumtaxat, abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

Quòd nullus pro eodem delicto debeat duplici pœna puniri. Rubr. XIX.

CVM nullus pro eodem delicto debeat duplici pœna puniri, ſtatuimus, & ordinamus, hoc ſacro approbante Concilio, quòd ſi qua alia pœna ſtatuta eſſet in conſtitutionibus Synodalibus noſtris, uel ſuffraganeorum noſtrorum, quàm in noſtris conſtitutionibus prouincialibus, uel prædeceſſorum noſtrorum ſtatutum circa idem factum reperiatur, quòd altera ipſarum ſit contentus loci ordinarius: & una electa, & impoſita per ipſum, ſeu eius Vicarium, alteram infligere, ſeu inflictam exigere non poſſit.

De Indulgentiis ſeu remiſſionibus. Rubr. XX.

CVM inferior ſuperioris legem habeat obſeruare, nec eam poſſit infringere, ſeu etiam abolere; & in iure contineatur, quòd Epiſcopi plures, uel unus non poſſint concedere indulgentiam, ultra numerum quadraginta dierum; excepto in ſola Eccleſiarum conſecratione: quòd de uno anno ſtatutum fuit in Concilio Forliuii celebrato per bo. me. fr. Bonifacium prædeceſſorem noſtrum, circa Prælatos eleemoſynarios, ſub rubrica de pauperibus alendis, limitamus, & reducimus ad numerum XL. dierum, hoc ſacro approbante Concilio: Ad hoc diligenter conſiderantes, quòd qui aliis præſunt, lenitatem cum ſeueritate miſcere debent, & cum ſubditis miſericorditer agere, ita tamen, quòd honeſtas, & diſciplina Clericalis non deſtituatur, aliam noſtram conſtitutionem prouincialem editam, & promulgatam per nos in Concilio Argentæ celebrato, poſitam ſub titulo, de ætate, & qualitate ordinandorum, duximus moderandam, eodem ſacro approbante concilio ſtatuentes, quòd non obſtante cóſtitutione prædicta, nos & quilibet Epiſcopus cum ſuis ſubditis diſpenſare poſſimus, qui contra

tenorem & formam dictæ conſtitutionis, ad ordines ſunt promoti, uel in futurum promouerentur. Hortamur tamen, pro reuerentia Dei, dictos dominos Epiſcopos, quòd conſtitutionem ipſam ſic ſalubriter ſtatutam obſeruent, & mandent a ſubditis obſeruari, ne per proper uel alias, perſonas indignas, & minus ſufficientes ad ordines promoueri contingat: quod ſolum mens dictæ conſtitutionis requirit. NOTATIO. *Epiſcopi poſſunt dare indulgentiam. XL. dierum. c. cum ex eo. de pœ. & re. In dedicatione uerò Eccleſiæ unum annum. ibid. De ætate ordinandorum, ſupra notatum eſt.*

De exequijs Epiſcoporum nunciandis per Capitula Eccleſiarum Cathedralium Archiepiſcopo & ſuffraganeis, ut deuotè ab omnibus celebrentur. Rub. XXI.

ITEM cum negligentia, ſeu contumacia indeuotorum, pœna condecenti debeat puniri, & in Concilio Rauennæ per nos celebrato, inter alia, fuerit ſtatutum, quòd Capitula Eccleſiarum Cathedralium quàm citius commodè poſſent, obitum ſuorum Epiſcoporum, ſingulis comprouincialibus Epiſcopis deberent nunciare: & ſi ſuper hoc fuerint negligentes, uel remiſſi, hoc ſacro approbante Concilio, ſtatuimus, quòd Capitula ipſa, infra X. dies, poſtquam ſciuerint ſuum Epiſcopum defunctum fore, Archiepiſcopo, & ſingulis Suffraganeis teneantur nunciare: alioquin pœnam X. libra. Rauenn. ipſo facto incurrant, diſtribuendarum in uſus pios Metropolitani arbitrio.

De beneficijs & indulgentijs conceſſis in Concilio, & de poteſtate diſpenſandi & interpretandi conſtitutiones Concilij. Rubr. XXII.

DESIDERABILITER affectantes in iis, per quæ ſaluti conſulitur animarum, humanæ fragilitati, quæ facile declinat ad malum, uia ſalutifera prouidere, auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ac approbatione huius ſacri Concilii, abſoluimus, ſeu abſoluendos decernimus omnes & ſingulos ſubditos noſtros, & ſuffraganeorum noſtrorum, & Eccleſiæ Rauen. qui pœnas aliquas, ſeu pœnam contentas, uel contentam in ſacris conſtitutionibus noſtris, ſeu prædeceſſorum noſtrorum, prouincialibus, ſeu Synodalibus noſtris, uel Suffraganeorum noſtrorũ, uel qui notam inobedientiæ incurriſſent mandatis noſtris, ſeu Ordinarii, uel Vicarii noſtri, ſeu Ordinarii eiuſdem non parendo, ſi contriti confiteantur infra unius menſis ſpatium a notitia præſentis, & ad mandata Ordinarii, læſo ſecundum formam Eccleſiæ ſatisfaciant, ſeu eius Vicarii, eo in remotis agente, uel Vicarii Capituli ubi Eccleſia uacat: ſuper hoc nobis reſeruantes auctoritatem plenariam abſoluendi, & diſpenſandi, etiam ſi in conſtitutione ſpecialiter reſeruatur abſolutio & diſpenſatio Concilio prouinciali: eandem auctoritatem concedentes, & ſpecialiter committentes, præſentis auctoritate Concilii, locorum Ordinarii, ſeu eorum Vicariis, ipſis in remotis agentibus, & Vicariis Capituli, ubi Eccleſia uacat. Hortamur etiam, & in Domino obſecramus Ven. patres, & Coepiſcopos noſtros præſentes & abſentes, ut pro Diuina pietate, & reuerentia huius ſacri

Concilii,

Concilii, relaxati faciant, quos Epiſcopi, uel alii de eorum mandato ſeu auctoritate detinent carceratos; dum modo ſcandalum inde non oriatur; ac orationes frequententent, ſeu frequentari mandent in miſſis pro pace, & contra perſecutores Eccleſiæ, uidelicet orationem, *Eccleſiæ tuæ*, ubi non dicitur Oratio, *A cunctis*. Relaxamus quoque eadem auctoritate, omnibus & ſingulis verè pœnitentibus & confeſſis, qui ad hoc ſacrum Concilium acceſſerunt, uel pro eo laborauerunt, de iniunctis pœnitentiis XL. dies, pro ſingulis diebus, quibus laborauerunt, uel laborabunt, uſq. ad feſtum omnium ſanctorum incluſiuè. Reſeruamus inſuper nobis, hoc ſacro approbante Concilio, arbitrium puniendi,& abſoluendi, quos de iure poſſumus,contemptores, & tranſgreſſores ſacrorum Canonum, cuiuſcumque ordinis, præeminentiæ, dignitatis, uel ſtatus exiſtant. Ad hæc, eodem ſacro approbante Concilio, nobis ſpecialiter reſeruamus auctoritatem & poteſtatem declarandi, interpretandi, temperandi, ſeu minuendi dictas ptouinciales conſtitutiones, ſeu pœnas in eis contentas, & ſuper dictis pœnis miſericorditer diſpenſandi cum omnibus & ſingulis ſubditis noſtris, & ſuffraganeorum noſtrorum, prout qualitas negociorum, & conditio perſonarum requireret.

Lectæ & publicatæ fuerunt prædictæ conſtitutiones per Reuerendiſſ. patrem, Dominum. R. permiſſione Diuina ſanctæ Rauenn. Eccleſiæ Archiepiſcopum, in Eccleſia Cathedrali Bononiæ: aſſidentibus Ven. patribus & Dominis, dominis, Vberto Bonon. fratre Petro Clomaclen. Petro Foropopilien. Ioanne Cæſen. Guidone Regin. pro ſe, & Eccleſia ſua,& pro fratre Simone Parmen. Epiſcopo,qui poſt ſecundam ſeſſionem, ex rationabili cauſa ſe abſentans, in omnibus & per omnia commiſit uices ſuas eidem, & conſenſit omnibus, quæ terminarentur in ipſo Concilio. Rimbaldo Imolen. Guidone Ceruien. Epiſcopis, ac procuratoribus fratris Huguizonis Saſſen. Fr. Hugolini Fauentini, Salionis Adrien. Epiſcoporum abſentium: Mutinen. propter infirmitatem ſe Canonicè excuſante, ſeu ordinandis,& ſtatuendis pro ſe & ſuo clero reuerent. conſentiente. Procuratoribus Archid. & Capituli Forliuienſis; cum Eccleſia ipſa, ad præſens, paſtore uacet; & Capitulorum Cathedralium Eccleſiarum prouinciæ Rauenn. Præſentibus etiam religioſis, & Ven. viris Abbatibus,Prioribus, Præpoſitis, Archipresbyteris, & aliis quàm pluribus ad Concilium ipſum conuocatis: Huguizone Præpoſito, Catia preſbytero, Gerardino ſubdiacono Cardinal. Boninſegna presbytero, & Albertino ſubdiacono Cantoribus ſanctæ Rauenn. Eccleſiæ: Guidone ſanctorum Fabiani & Sebaſtiani, Petro S. Petri in curte, Ioanne S. Euphemiæ Eccleſiarum Rectoribus, conuentus clericorum Rauennæ: Fratre Andrea Priore S. Pelagiæ de Cremona, Vicario ipſius D. Archiepiſcopi: Conrado Archipreſbytero Paduano, & quampluribus aliis: ſub annis Domini. MCCCXVII. Indict. XV. die XXVII. Octobris.

De Monialibus. *Rubr.* XXIIII.

NOs Rainaldus permiſſione Diuina, & Apoſtolicæ ſedis gratia, ſanctæ Rauenn. Eccleſiæ Archiepiſcopus, dudum uolentes executioni debitæ, demandare conſtitutionem piæ memoriæ Bonifacii Pa-

pæ

pæ VIII. quam edidit, & promulgauit ſuper clauſura monialium, & in qua expreſſe ſtatuit, omnes, & ſingulas moniales, cuiuſcumque religionis, ſtatus, uel conditionis exiſterent, ſub perpetua clauſura debere manere, nulliq. perſonæ, ad eas, ingreſſum patere in obedientiæ notam, ac maledictionem æternam effugere cupientes, eaſdem moniales, ubi ad nos ſpectat, mandauimus, & fecimus includi, ac quaſdam conſtitutiones addidimus ſynodales, & prouinciales, in quibus, omnibus indiſtinctè, tam clericis, quàm laicis prohibuimus ingreſſum monaſteriorum, & ad eaſdem acceſſum, ſine noſtra, ſeu Vicarii noſtri, uel aliàs ordinarii loci, ſeu eius Vicarii; nobis, ſeu ordinario loci in remotis agentibus; licentia ſpeciali, pœnas pecuniarias, & ſententias excommunicationis certo modo in contrafacientes promulgantes: Verùm quia a pluribus perſonis fide dignis, maturis, & honeſtate præditis ſæpius audiuimus, quòd dictæ noſtræ conſtitutiones, quas pro ſalubri remedio animarum, intentionis noſtræ erat edidiſſe, ad ruinam, & periculum animarum multorum tendere uiderentur, cupientes, quantum nobis ex alto conceſſum eſt, ſemper auctore Deo, de ſalubri remedio, animarum ſaluti conſulere: ſuper hæc etiam ſollicitati ſæpius, & requiſiti, conſtitutiones ipſas, auctoritate nobis conceſſa in Concilio, Bononiæ per nos celebrato, declarandi, interpretandi, minuendi, moderandi, & mitigandi cõſtitutiones prouinciales noſtras, & prædeceſſorũ noſtrorum, & pœnas in eis inſertas, moderamus, & declaramus ac declarando, ac mitigando ſtatuimus, quòd nullus de cetero pœnas in dictis conſtitutionibus contentas incurrat pro ingreſſu monaſterii; dummodo locũ monialibus pro clauſura deputatum per locorum Ordinarios, non ingrediantur, in quo caſu firmæ, & illibatæ dictæ conſtitutiones permaneant: Concedimus etiam, quòd quælibet perſona, quæ non ſit notabiliter ſuſpecta, poſſit loqui monialibus memoratis, ſine metu pœnæ, ad cratem, ſeu feneſtram ferream, de licentia Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, uel eius locum tenentis: præſentibus tamen ſemper duabus ex monialibus ab Abbatiſſa, uel Prioriſſa, uel ea rum uicem tenente; ut præmittitur; ſpecialiter deputatis: quæ ſemper uidere poſſint, & audire ſororem, ſeu monialem ad feneſtram uocatam.

De ſalarijs notariorum, & ſigilliferorum. *Rubr.* XXIIII.

CVM ad præſidentis officium pertineat, exactiones illicitas prohibere, & operantibus, de premio, ſeu mercede condigna, iuxta qualitates laborum, facere prouideri, & in Concilio dudum per nos Rauennæ celebrato, contineatur, ut ſalaria notariorum, & ſigilliferorum dominorum Epiſcoporum taxarentur, & moderarentur, & quàm plures querelæ ad nos deuenerint, ſuper indebitis extorſionibus, & oneribus exactis ab eiſdem, ſuper hocq. in ſacro Concilio per nos nuper Bononiæ celebrato, collatio inter nos, & ſuffraganeos noſtros, qui in dicto Concilio interfuerunt, habita fuerit: & cum dictum fuerit debere ſuper hoc prouideri de remedio opportuno; ſed quia multitudine negociorum in dicto Concilio terminandorum occupati, non potuimus plenè tunc temporis circa hoc intendere, ſicut deſiderabamus, per præſentem paginam duximus ordinandum, & hortandum dominos Epiſcopos, ſuffraganeos Eccleſiæ Rauenn. quatenus quilibet

eorum in ſua Curia limitare, taxare, & moderari debeat, ad omne ſcandalum tollendum, quantum notarii, ſeu ſcriptores eorum, uel officialium ipſorum percipere debeant pro quolibet inſtrumento ſeu ſcriptura publica, uel priuata, & quantum ſigillifer pro ſigillo; Nosq. ex poteſtate nobis in dicto Concilio tradita declarandi conſtitutiones prouinciales noſtras, & prædeceſſorum noſtrorum, & omni modo, quo melius poſſumus, uolentes quantum in nobis eſt, dictam conſtitutionem obſeruare, & executioni debitæ demandare, ordinamus, & taxamus, quòd in ſolutione facienda notariis pro ſcripturis, & ſigilliferis pro ſigillo, modus infraſcriptus debeat obſeruari.

In primis recipere poſſit notarius de litteris citationis ſimplicibus, ſeu breuibus, cum regiſtratione X I I. den. Rauen. uel Bonon. & ſigillifer pro ſigillo V I. den. De litteris citatoriis, cum narratione prolixa I I. ſol. & pro ſigillo V I. den. De citatione per nuncios, ſine litteris, uidelicet pro commiſſione, & relatione X I I. den. Si uerò citarentur duo aut plures, recipere poſſit I I. den. pro quolibet, ultra dictos X I I. den. De comparitione, ſeu præſentatione I I I I. den. De conſignatione termini, ſeu pro rogatione, I I. den. pro parte. De licentia, parte abſente I I I I. den. De accuſatione contumaciæ, cum proteſtatione expen. V I. den. De proteſtatione ſine ſcriptis V I. den. De proteſtatione in ſcriptis, ſi fuerit prolixa, ſoluatur ad modum folii regiſtri, ſicut infra continetur, in ſimplici copia. De oblatione libelli I I I. den. De exceptionibus in ſcriptis I I. den. pro qualibet, uel aliter ad modum regiſtri. De replicationibus recipiat idem. De litis conteſtatione, & iuramento, a qualibet parte X I I. den. De regiſtratione libelli recipiat ab actore, tantum, quantum pro regiſtro, in ſimplici copia, ut ſupra. De petitionibus; pro unaquaque recipiat a ponente I I I. den. & a reſpondente I. den. De articulis recipiat ab exhibente, ad modum regiſtri, ut ſupra. De copia articulorum, recipiat tantundem. De teſtibus, pro examinatione, & ſcriptura, de quibus folio continente ad minus X X V. lineas pro pagina, & X I I. dictiones pro linea, quæ eſt forma regiſtri I I. ſol. de copia in publica forma, tantundem. De ſimplici copia X V I. den. De regiſtratione inſtrumentorum; & aliorum productorum, recipiat ad modum folii regiſtri. De ſimplici copia; ut ſupra continetur X V I. den. Si inſtrumenta, & alia producta regiſtrari non contingat ex cauſa, tunc de ſcriptura, ſeu annotatione, ſicut ſunt producta, pro quolibet inſtrumento I I I I. den. De concluſione in cauſa, a qualibet parte X I I. den. De exhibitione ſuſpectorum, & confidentium, & aſſumptione ſapientium ad conſulen. a qualibet parte V I. den. De articulo quæſtionis, ſuper quo debeat conſuli, ſi formabitur, pro parte qualibet X I I. den. & pro ſigillo X. den. De ſententia definitiua lata ex cauſa pecuniaria, uel more ciuili, quæ æſtimationem recipiat, recipiat pro prima libra I I. ſol. & pro ſingulis libris, uſque ad X. libr. X I I. den. pro libr. & ab inde ſupra, uſque ad quinquaginta libr. ultra dictam taxationem I I I. den. pro libra. Vltra uerò dictas quantitates, uſque ad centum I I. den. pro libr. & ab inde ſupra I. den. pro libra qualibet, ultra omnes prædictas taxationes: & pro ſigillo pendente, ſi fuerit pendens, V I. ſolid. ad plus: ſi non fuerit pendens, I I. ſol. Bonon. De interlocutoria, I I. ſol. uel plus, uel minus arbitrio iudicantis; pro ſigillo pendente, I I. ſol. & pro non pendente X I I.

den. Item ſi appelletur ab ea, tantumdem recipiat: ſi detur in forma publica, & idem de ſigillo, ut in prox. De appellatione uiua uoce a diffinitiua ſententia V I. den. De appellatione in ſcriptis oblata recipiat ad modum regiſtri, in ſimplici copia: & ſi fiat in publica, recipiat tantum, quantum habuerit de ſententia. De ſigillo ſoluatur ut pro ſententia definitiua. Pro ſententia ſuper iure decimarum, uel patronatus, ſi ſuper eo conſilium habeatur, recipiat notarius quartam partem eius, quod conſultori. Si autem ſuper cauſa matrimoniali etiam requiratur conſilium, uel ſuper præmiſſis, uel conſimilibus conſilium non haberetur, iudex arbitretur, penſatis ſtatu, condicionibus, & facultatibus perſonarum, & qualitate cauſarum, prout æquum, & iuſtum uidebitur, religioni & pauperibus compatiendo.

De ſolutionibus, quæ occurrunt circa collationes beneficiorum, in primis, ſi ponatur edictum de Rectoria Capellæ ruralis, uel urbanæ, pro ſcriptura, commiſſione, & relatione I I I. ſolid. pro ſigillo X I I. den. Pro inſtrumento, confirmatione, collatione, ſeu inueſtitura eiuſdem X X X. ſolid. conſiderata tamen qualitate ipſius beneficii, & pro ſigillo I I. ſol. Si edictum ponatur pro Archipresbyteratu, uel alia dignitate, ſeu perſonatu, ſæculari, I I I I. ſolid. pro ſigillo X I I. den. pro inſtrumento confirmationis eiuſdem I I I. libr. pro ſigillo V I. ſol. Si ponatur edictum de Prioratu, ſeu de Abbatia V. ſol. pro ſigillo I I. ſolid. Pro inſtrumento confirmationis eiuſdem V I I I. libr. pro ſigillo X. ſolid. Si de Epiſcopatu ponatur edictum, X. ſolid. & pro ſigillo I I I. ſolid. Pro inſtrumento confirmationis eiuſdem X X V. libr. pro ſigillo X X. ſolid. Si autem collationes, confirmationes, uel inueſtituras huiuſmodi, ſeu cauſæ eorum alteri committi contingat, ad petitionem partis, uel partium, tunc ſoluatur notario de commiſſione tertia pars eius, quod taxatum eſt: ut nihilominus taxatio prædicta ſoluatur notario pro confirmatione. Si autem ſponte, ſeu ex arbitrio committentis fiat commiſſio, tunc tertia pars, quæ dabitur notario pro commiſſione computetur in ſalario ſupra taxato notario ſcribenti dictam commiſſionem: & detur pro ſigillo id, quod ſupra taxatum eſt. Si autem ſolam audientiam, & comminationem cauſæ committi contingat, ſoluatur pro commiſſione, duplum eius, quod datum fuerit pro edicto. Si autem certum, uel certos articulos committi contingat, ſoluetur, quod taxatum eſt pro edicto, & tantumdem pro ſigillo. De commiſſione appellationis X. ſolid. pro ſigillo pendente I I. ſolid. uel X I I. den. De litteris quæſtorum X X. ſolid. pro ſigillo pendente I I I. ſolid. aliàs I I. ſolid. De diſpenſationibus beneficiorum ætatis, uel ordinum X V. ſolid. pro ſigillo pendente I I I I. ſolid. alias X I I. De den. licentia abſentandi, ſeu non reſidendi. X. ſolid. pro ſigillo X I I. den. Pro littera præſentatoria, & teſtificatoria ad ordines V I I I. ſolid. pro ſigillo V I. den. De litteris, ſeu inſtrumentis ordinum I I I. ſolid. pro ſigillo X I I. den. Et ſi aliquis caſus contingeret, qui non uideretur in præmiſſis expreſſus, fiat taxatio eius, & reductio, ſeu reſtrictio ad arbitrium boni uiri, ſecundum formam regiſtri, ut promittitur, uel aliàs, prout æquitati, & moderatori dominorum Epiſcoporum, uel eorumdem Vicariis uidebitur conuenire, omnium ſemper æquitate librata, & quicumque hoc directè, & fideliter obſeruauerit, tamquam fidelis ſeruus Domini, mereatur præmium uitæ æternæ: cogitans

tans quod quidquid recipiet cum taxatione, moderatione, & reſtrictione prædictis, iuſtè recipiet, & licitè poterit retinere, & ſine aliquo conſcientiæ remorſu: Contra uerò facientes, nouerint ſe plecti debere, etiam pœna in conſtitutionibus comprehenſa. Et ut hæc omnibus nota fiant, in albo, ſtilo deſcribantur, ſeu clarius in membrana, in loco ubi ius redditur, affigantur, in ſingulis prætoriis, ubi ius redditur in curiis Epiſcoporum.

Et ego Rainaldus permiſſione Diuina, & Apoſtolicæ ſedis gratia, Archiepiſcopus. SS.

LECTAE & publicatæ fuerunt ſupradictæ conſtitutiones, & ſtatuta dicti Domini Archiepiſcopi Rauenn. in clero ciuitatis Mutin. conuocato in Epiſcopali palatio Mutin. per diſcretum, & ſapientem uirum dominum Floriamontem generalem Vicarium Ven. patris, domini Bonincontri Epiſcopi Mutin. de præcepto, & mandato dicti D. Epiſcopi, de uerbo ad uerbum, in milleſimo tercenteſimo, decimo octauo, a natiuitate: Indict. prima, die iouis XXIX. Decembris in præſentia domini Iacobi Saraceni, domini Bernabei de Boſchettis. D. Bei de Luca Canonicorum Eccleſiæ Mutin. D. Ioannis Præpoſiti de Limiole D. Matthæi Archipresbyteri de Campogagliano D. Lamfranchi de Saliceto, Priorum fratrum Humiliatorum, presbyteri Petri de Malclauelis: presbyteri Ioannis de Buralibus beneficiati: presbyteri Petri Boni beneficiati: presbyteri Martini beneficiati; D. Alexandri de Porta, presbyteri Ioannis Capellani D. Epiſcopi prædicti: presbyteri Biachini Capellani Eccleſiæ Mutin. Domini Adam, Domini Pauli, monachorum ſancti Petri Mutin. Ottonelli manſionarii dictæ Eccleſiæ Mutin. & præſentibus teſtibus Guidone de Querieto notario, Rainerio de Salbegnano nuncio curiæ Epiſcopalis, Nicolao Beroardo, & aliis pluribus.

Et ego Franciſcus de Aſpett. notarius Curiæ Epiſcopalis Mutin. publicationi prædictæ interfui rogatus, & SS.

HYMNI
B. PETRI. DAMIANI
RAVENNATIS S. R. E. CARDINALIS
EPISCOPI. OSTIENSIS.

In Diuum Apollinarem martyrem, primum Rauennæ Archiepiſcopum.

CONSVL æterni trabeate Regni
Mēte deuota petimus, labora
Curiam Cæli reſerare plebi
Apollinaris.
Ianitor ſummi pius hoc Olympi,
Annuat tanti famulis alumni,
Qui tuas gaudent reſonare laudes
Dulcibus hymnis.
Intimis preſſam tenebris Rauennam,
Dæmonum uariis inhiando ſacris,
Clarus Eois ueniens ab oris
Lucifer intras.
Cæcus orbati puer Hirenæi,
Te probat dextrum rutilare ſydus,
Qui patri, cordis, ſoboliq. frontis
Lumina pandis.
Nil poteſt ægræ medicina Teclæ,
Nil profanorũ numerus Deorum,
Tu cor ad cælum facis, atq. lætum
Tollere uultum.
Læta Claſſenſis mouet ora ciuis,
Viribus ſacræ reſerata linguæ,
Patris æternum reparata uerbum
Verba fatentur.
Morte defunctam duplici puellam
Reddis utrique, miſerando, uitæ:
Flatus hinc carnē, Deus inde mētē
Protinus implet.
Gloriam patri referamus illi,
Tanta qui dignis tribuit miniſtris,
Sit decus nato, flaminiq. ſancto
Omne per æuum. Amen.

IN. EVNDEM.

Chorus exultet Cælitum
Turba plaudat fidelium,
Apollinaris paſſio
Mundi ſit exultatio
Hic in feruore ſpiritus
Dum prædicat gentilibus,
Quæ eius membra perferunt,
Referri lingua nequeunt.
Chriſtum, in igne poſitus,
Summis teſtatur uocibus,
Alter nimirum coquitur,
Et alter eſt qui loquitur.
Equuleo ſuſpenditur
Torta caro diuellitur,
Iam pœna pœnam cruciat,
Et uulnus plaga uulnerat.
Igne iam membra torrida
Elixat aqua feruida,
Sic duo ſacrificia,
Ex una fiunt uictima.
Tanta Rauennæ gloria
Fertur ab Antiochia,
Hæc mittit, illa recipit,
Hæc gignit, illa perimit.
Sit Trinitati gloria,
Quæ ſic diſponit condita,
Vt antiquorum ſcelera,
Noua lucrentur ſæcula. Amen.

EIVSDEM. IN. D. VITALEM MARTYREM.

Inſigne decus martyrum,
Aſtrum, Vitalis, aureum,
Per gloriam certaminis
Orbem perfundit radiis.
Enſe præcinctus fidei
Chriſti ſuccurrit militi,
Dum lapſo manum porrigit,
Hoſtem calcare docuit.

Equuleo ſuſpenditur,
Sed pœna paruipenditur,
Amoris ardor intimi,
Non ſentit uim ſupplicii.
Terræ merſus infoditur,
Sed ſuper aſtra tollitur,
Obruitur ruderibus,
Radiat in cæleſtibus.
Nos martyr inuictiſſime,
Da poſt ruinam uincere,
Digneq. poſt uictoriam,
Ad cæli transfer gloriam.
Sit patri laus ingenito,
Sit decus unigenito
Sit utriuſque parili
Maieſtas ſumma flamini. Amen.

EIVSDEM. IN. D. VRSICINVM MARTYREM.

Dulce, martyr eximius,
Feſtum præbet Vrſicinus,
Quo uictus uictor extitit,
Et clarus aſtra petiit.
Nam pœnas poſt horrificas,
Carnis patet infirmitas,
Sed mox ad cor reuertitur,
Et lætus in ſe, cæditur.
Dignè raptor erubuit,
Rapinæ cum ſuccubuit,
Et hoſte lapſo perdidit,
Qui ſtanti uulnus intulit.
Et nos inter certamina,
Martyr inſignis adiuua,
Da diffidentes fidere,
Victoſq. rurſum uincere.
Sic animarum medicus,
Affer opem languentibus:
Hauſtu cæleſtis gratiæ
Aegræ curentur animæ.
Sit patri laus ingenito,
Sit decus unigenito,
Sit utriuſque parili
Maieſtas ſumma flamini. Amen.

Cum Gregorius XIII. Pont. Max. Collegium Romæ Germanicum, in D. Apollinaris inſtituiſſet, uti memorauimus, eiusq. inſtituendis, ac educandis in omni ſcientiarum, ac uirtutum genere, adoleſcentulis, ſocietatis Ieſu ſacerdotes; quorum fidem, diligentiam, ac doctrinam mirificè, & meritò laudat, ſuo in diplomate, ſummus Pontifex, præfeciſſet, ab eo Collegio, ad Seminarium noſtrum, hæc ode miſſa eſt: quam propter inſignem pietatem, & elegantiam, nequaquam hoc loco prætermittendam duximus.

Diuo Apollinari martyri fortiſſimo Collegium Germanicum.

Apollinaris inclyti
Lux alma mundo prodiit,
Vos de beatis ſedibus
Huc aduenite cælites.
Apollinaris, dicite,
Quàm multa geſſit fortiter,
Dum ſigna primus ætheris
Infert Rauennæ mœnibus.
Fuſtes, catenas, carceres
Et ſæua fert incendia,
Exulq. Pontum nauigat,
Madetq. totus ſanguine.
O quas Rauenna gratias
Tantò rependes Præſuli,
Qui Dæmonum ludibria
Tuis fugauit ſedibus?
Adſis benignò numine
Noſtro Deus concentui,
Qui Martyri, qui Præſuli
Ex hoſte das uictoriam.

D. Gregorius Magnus lib. 7. Regeſt. Epiſt. 76. ad Caſtorium notarium Rauennæ, pluribusq. aliis locis, ſcribit, quattuor, aut quinque litanias, antiquitus, Rauennæ haberi conſueſſe. Nos cum de aliquot ſupra meminerimus, easq. Iulium Ruuereum Cardinalem, Archiepiſcopum noſtrum abrogaſſe dixerimus, ut ad Romanum morem adduceret omnes Rauennatis Eccleſiæ cærimonias, licet has quoque ſuſtulerit, tamen ne ueteris inſtituti ueſtigium omninò deleretur, hic repoſuimus: quibus D. Gregorii ipſius Pont. Max. nomen, poſt ipſius obitum, additum fuiſſe, putandum eſt.

Litaniæ Conuentus presbyterorum parochialium ciuitatis Rauennæ, quæ de græco, in latinum translatæ ſunt.

Creator mundi, Deus. miſerere no.
Pater de Cælis, Deus. miſerere. no.
Fili redemptor mundi Deus. miſ. no.
Spiritus Sancte Deus. miſerere no.
Trinus & unus Deus. miſerere no.
Rex regum. miſerere no.
Rex exercituum. miſerere no.
Archangelorum æternitas. miſere. no.
Bonitas patriarcharum. miſerere no.
Charitas ſacerdotum. miſerere no.
Diuitiæ prophetarum. miſerere no.
Electio Apoſtolorum. miſerere no.
Fides martyrum. miſerere no.
Gloria confeſſorum. miſerere no.
Hæreditas leuitarum. miſerere no.
Iuſte iudex. miſerere no.
Chariras poteſtatum. miſerere no.
Lux gentium. miſerere no.
Miſericordia captiuorum. miſerer. no.
Nauigantium gubernator. miſere. no.
Orphanorum paſtor. miſerere no.
Pacis conditor. miſerere no.
Qui es indultor. miſerere no.
Remiſſio peccatorum. miſerere no.
Sanitas infirmantium. miſerere no.
Tutela virginum. miſerere no.
Conſolatio uiduarum. miſerere no.
Excitatio mortuorum. miſerere no.
Initium ſæculorum. miſerere no.
Zelus, & corona martyrum. miſer. no.
Saluator totius mundi. miſerere no.
Pacem, & concordiam bonam, da nobis domine.

Gratiam tuam. da nobis domine.
Sancta Maria. iij. Intercede pro.
Dei mater, & uirgo. Intercede pro.
Archangele Michael. Intercede pro.
Archangele Gabriel. Intercede pro.
Archangele Raphael. Intercede pro.
Omnes Archangeli Dei. Inrercedite.
Pater Abraam. Intercede pro no.
Pater Iſaac. Intercede pro no.
Pater Iacob. Intercede pro no.
Pater Melchiſedech. Intercede pro.
Omnes patriarchæ Dei. Intercedite.
Sancte Moyſes. Intercede pro no.
Sancte Aaron. Intercede pro no.
Sancte Helia. Intercede pro no.
Sancte Enoch. Intercede pro no.
Sancte Samuel. Intercede pro no.
Sancte Hieremia. Intercede pro no.
Sancte Iſaia. Intercede pro no.
Sancte Zacharia. Intercede pro no.
Sancte Ioannes baptiſta. Intercede.
Omnes prophetæ Dei. Intercedite.
Sancte Petre. Intercede pro no.
Sancte Paule. Intercede pro no.
Sancte Andrea. Intercede pro no.
Sancte Iacobe. Intercede pro no.
Sancte Ioannes Euangeliſta. Interce.
Sancte Philippe. Intercede pro no.
Sancte Iacobe. Intercede pro no.
Sancte Bartholomeæ. Intercede pro.
Sancte Matthеæ. Intercede pro no.
Sancte Simon. Intercede pro no.
Sancte Thadeæ. Intercede pro no.

San-

Sancte Matthia. Intercede pro no.
Sancte Barnaba. Intercede pro no.
Sancte Luca Euangeliſta. Intercede.
Sancte Marce Euangeliſta. Interced.
Omnes Apoſtoli Dei. Intercedite.
Sancte Stephane. Intercede pro no.
Sancte Apollinaris. ij. Intercede pro.
Sancte Vitalis. Intercede pro no.
Sancte Vrſicine. Intercede pro no.
Sancte Geruaſi. Intercede pro no.
Sancte Protaſi. Intercede pro no.
Sancte Laurenti. Intercede pro nob.
Sancte Vincenti. Intercede pro nob.
Sancte Ioannes. Intercede pro nob.
Sancte Paule. Intercede pro nob.
Sancte Nicander. Intercede pro nob.
Sancte Marciane. Intercede pro nob.
Omnes Sancti martyres Dei. Interc.
Sancte Sylueſter. Intercede pro nob.
Sancte Martine. Intercede pro nob.
Sancte Ambroſi. Intercede pro nob.
Sancte Gregori. Intercede pro nob.
Sancte Hieronyme. Intercede pro no.
Sancte Auguſtine. Intercede pro no.
Sancte Probe. Intercede pro no.
Sancte Procule. Intercede pro no.
Sancte Geminiane. Intercede pro no.
Sancte Seuere. Intercede pro no.
Sancte Barbatiane. Intercede pro no.
Sancte Rophille. Intercede pro no.
Sancte Mercurialis. Intercede pro no.
Sancte Ardaine. Intercede pro no.
Sancte Egidi. Intercede pro no.
Sancte Nicolae. Intercede pro no.

Omnes Sancti confeſſores Dei. Inter.
Sancta Maria Magdalena. Intercede.
Sancta Anna. Intercede pro no.
Sancta Eliſabeth. Intercede pro no.
Sancta Agatha. Intercede pro no.
Sancta Agnes. Intercede pro no.
Sancta Cecilia. Intercede pro no.
Sancta Lucia. Intercede pro no.
Sancta Chriſtina. Intercede pro no.
Sancta Valeria. Intercede pro no.
Sancta Eulalia. Intercede pro no.
Sancta Iuſtina. Intercede pro no.
Sancta Marina. Intercede pro no.
Omnes Sanctæ virgines Dei. Interc.
Omnes Sancti, & Sanctæ Dei. Interc.
Chriſte fili Dei uiui, miſerere no.
Tu es Deus omnipotens. miſerere no.
Qui in hunc mundum ueniſti. miſ. no.
Qui pro nobis flagellatus fuiſti. mi. no.
Qui in cruce pependiſti. miſerere no.
Qui mortem propter nos accepiſti. mi.
Qui in ſepulcro iacuiſti. miſere no.
Qui ad inferos deſcendiſti. miſe. no.
Qui tertia die reſurrexiſti. miſere. no.
Qui in cælos aſcendiſti. miſerere no.
Qui Spiritum paraclitum in Apoſto-
los miſiſti. miſerere no.
Qui ſedes ad dexteram patris. mi. no.
Qui uenturus es iudicare uiuos & mortuos, & ſeculum per ignem. miſerere nobis.
Miſerere nobis Domine, miſerere nobis. iij.
Kyrie eleiſon. iij.

INDEX ARCHIEPISCOPORVM RAVENNATIVM.

Numerorum autem in margine, prior, ordinem, poſterior annos Chriſti, quibus creati ſunt, indicant: interior, pagellas.

1.44. SANCTI Apollinaris Archiepiſcopus a Petro Apoſtolo Rauennam miſſus. 22. Patriarchali modo, ac dignitate. ibid. eius miracula. 22.24. docet fidem Chriſtianam. 23. ingreditur ſuper candẽtes prunas, & exulat Rauenna. 25.27. per Aemiliam Eccleſias inſtituit. ibid. uulneratur. 27. Myſiã exul peragrat. 30. Rauennam redit. ibid. interficitur. 31. eius corpus locatur. 207. nõ eſt Rauẽnæ in D. Apollinaris noui. 241.

2.74. Aderitus ſacerdos creatur. 24. Archiepiſcopus Rauennas. 32. moritur. 33. transfertur in ædem Vrſianam. 37. Aderitum. D. Apollinari ſtatim ſucceſſiſſe, præter multa antiquarum picturarum, & auctorum teſtimonia, unus Petrus Damiani ſatis modo fuerit, qui in ſermone de D. Eleocadio habet hæc uerba: *Sicut enim beatus Petrus, Apoſtolici Princeps Senatus, tres inter ceteros, coniunctiores dignoſcitur habuiſſe diſcipulos, qui ſibi poſtmodum in Pontificatus arce per ordinem ſucceſſere, primo uidelicet Linus, deinde Cletus, poſtmodum Clemens; ita nihilominus & beatus Apollinaris quatuor egregios habuit diſcipulos, poſt felicem agonem, & martyrij ſui conſummationem & gloriam ſibimet in Eccleſiaſtico regimine ſuccedentes, Aderitum uidelicet, & beatiſſimum hunc, cui præſens famulaturus eſt ſermo, Eleocadium, ſubinde Martianum, poſtremo Calocerum.* Hæc Petrus, Sed errore factum eſt, ut in primo tomo Annalium Eccleſiaſticorum Cæſaris Baroni, uiri eruditiſſimi, ſacrarumq. literarum, & antiquitatis peritiſſimi, hoc anno 1588. Romæ edito, Aderiti nomen exciderit: quod in ſecunda editione, quam Plantinus Antuerpiæ molitur, ut ipſe mihi reſcripſit Baronus, reſtituetur. Hinc etiam patet, Martianum ante Calocerum ponendum eſſe.

3.100. Eleocadius creatur Diaconus. 24. Archiepiſcopus Rauennæ. 33. moritur. 34.

4.112. Martianus creatur Diaconus. 24. Archiepiſcopus Rauennæ. 34. martyr. 35. Huius natalis dies nam unus ſcribitur, nam alii pridie Non. Mart. alii. VI. kal. April. nos XI. kal. Iunii: qui forte dies translationis eſt Rauennam.

5.127. Calocerus creatur ſacerdos. 24. D. Apollinaris Vicarius. 25. Archiepiſcopus Rauennæ. 35. moritur. ibid. transfertur in ædem Vrſianam. 37.

6.132. Proculus. 35. moritur. 36. transfertur. 37.

7.142. Probus. 36. transfertur. 36. templum illi dicatur. 36. item ara. 266.

8.175. Dathus. 37. transfertur. ibid.

9.185. Liberius. 37. moritur. 38.

10.206. Agapitus. 38. moritur. ibid.

11.232. Marcellinus. 39. moritur. 41.

12.283. Seuerus. 42. in Concilio Romano, & Sardicenſi. 51. moritur. 52. transfertur Maguntiam. 52. 237.

13.348. Agapitus. I I. 53. in Concilio Romano. ibid.
14 349. Liberius. I I. 55. eius corpus in D. Franciſci Rauennæ habetur, in ſacello, crucifixi.
15.351. Probus. I I. 56.
16.361. Florentius. 56.
17.374. Liberius. I I I. 57.
18.378. Vrſus. 58. ædificat templum. ibid. moritur. 60. ſepelitur. 61. transfertur. ibid.
19.398. Exuperantius. 61. tumultum ſedat. 70. moritur 89.
20 418 Ioannes. 90. uidet Angelum. 99. moritur. ibid.
21.433. Petrus Chryſologus. 100. dedicat ædem D. Ioannis Baptiſtæ. 103. ſepelit D. Barbatianum ibid. condit cadauer D. Germani. 104. ædificat templum D. Andreæ. 105. 106. uocem amittit. 109. moritur. 108. eius conciones ad unum congeſtæ. 215 licet autem ipſe in ſermone de generatione Chriſti ſcribat, ſe uiuere circa quingentos annos natiuitatis Chriſti, non tamen ſe illo quingenteſimo anno uiuere ait, ſed ſæculo quingenteſimi anni: quod in Hiſtoria probauimus.
22.451. Neon. 109.
23.453. Ioannes. I I. 110. placat Athilam ibid. pacem facit inter Odoacrem & Theodericum. 124. arguitur a Simplicio Pont. 121. moritur. 125.
24.494. Petrus. I I. iunior, Antiſtes. 125. in Concilio Rauennati. 130. Romano. ibid. ædificat templum Petrianum, & moritur. 133.
25.503. Aurelianus 134. moritur. 135.
26.514. Eccleſius Præfectus. 135. Theoderici ad Iuſtinum Legatus. 138. paternam domum in templum erigit. 153. moritur. 154.
27.542. Vrſicinus. 155. 157.
28.545. Victor. 157.
29.546. Maximianus. 157. Rauenna excluſus. 158. ſacrat ædem D. Vitalis. 160. D Apollinaris in claſſe. 162. ædificat. 162. 164. ſcribit hiſtoriam. ibid. munera dat Eccleſiæ. 164. moritur. 169. transfertur 238.
30.558. Agnellus. 169. expiat templa Arianorum. 170. Argentam recuperat. ibid. moritur. 171.
31.571. Petrus. I I I. ſenior. 173. 177.
32.575. Ioannes. I I I. Romanus. 178. 180. de pallio diſceptat cum Gregorio Pont. Max. 184. 185. eius nomen in miſſa recitatur. 187. eius ad Gregorium Pont. litteræ. 185. moritur. 189.
33.595. Marinianus Romanus, monachus 189. Catholicus. 192. uomit ſanguinem 196. moritur. 198.
34.606. Ioannes. I I I I. Claſſenſis. 198. 199. opidum Claſſem reſtituit. 200. captiuos redimit, & moritur. ibid.
35.630. Bonus. 200. 203.
36.648. Maurus, mittit ad Concilium Romanum. 203. eius litteræ ad Pōtificem 204. Pontifici impie aduerſus. 206. moritur. 207.
37.672. Reparatus, habet ab Imperatore priuilegia. 207.
38.677. Theodorus 208. reducit Rauennatem Eccleſiam, ad Romanam. 208 209. mittit ad Concilium Conſtantinopolit. 210. moritur ibid.
39.688. Damianus Dalmata. 211. moritur. 212.

40. 702. Felix. 212. deficit a Pont. Max. capitur, & Byzantium mittitur, cæcatusq. relegatur. 213. Catholicus factus, miracula facit. 215. reſtituitur patriæ, multa inſtaurat, & moritur 216.
41. 718. Ioannes V. dictus VI. 217. 218. 221.
42. 748. Sergius, Rauennas. 221. delatus apud Pontificem. 226. abſoluitur. ibid. ædificat templum D. Nicolai. 227. miraculum facit, & moritur. ibid.
43. 770. Leo. 227. moritur. 229.
44. 777. Ioannes. VI. dictus. VII. 229.
45. 784. Gratioſus. 229 Carolo Magno carus. 230. moritur. 231.
46. 788. Ioannes. VII. dictus. VIII. 231.
47. 807. Valerius. 235. eius oſſa translata. 386.
48. 812. Marinus, qui & Martinus. 228. 235.
49. 817. Petronax. 236. 238. moritur. 239.
50. 835. Georgius, diripit templa Rauen. 239. Legatus Pontificis. ibid. pugnans fugatur. ibid. moritur. 240.
51. 846. Deusdedit. 240.
52. 856. Ioannes. VIII. dictus. IX. 239. dignitate priuatus. 240. reſtitutus ibid.
53. 879. Romanus de Calcinaria. 244. 245.
54. 889. Dominicus Vblatella. 246. 249. moritur. 250.
55. 898. Ioannes IX. Rauennas, dictus X. 250.
56. 904. Petrus. IIII. 252.
57. 905. Ioannes. X. 252. Pontifex Max. 253 ſuperat Saracenos, ibid.
58. 914. Conſtantinus. 253.
59. 923. Petrus V. dictus. IIII. Bononienſis. 254. abdicat ſe Archiepiſcopatu. 262.
60. 971. Honeſtus, 262 habet concilium. 264. transfert ſanctorum corpora. 37.
61. 983. Ioannes. XI. Ticinenſis. 269.
62. 997. Gerbertus Gallus. 273. Pontifex Max. 276. moritur. 274.
63. 998. Hermutus, qui & Neomutus, & Neo & Leo dicitur. 276.
64. 1001. Fridericus. 276.
Adelbertus quidam ſedem Rauennatem inuaſit, & tenuit annos. XI.
65. 1014. Harnaldus. 274. concilium Prouinciale habet. ibid. moritur. 275.
66. 1019. Heribertus. 275. moritur. 278.
67. 1027. Gebehardus. 278. Vuidgerus occupauit Eccleſiam Rauenn. per duos annos, ſed ab Henrico Cæſare coactus abdicauit.
68. 1046. Hunfridus Germanus. 283. in Concilio, Archiepiſcopum Mediolanenſem præcedit. 284. a Pontifice diſſidet, & cum eo conciliatur. 289.
69. 1051. Henricus. 290.
70. 1070. Vuibertus Parmenſis, 298. in Concilio Romano. 299. dignitate priuatus. 300. pſeudopontifex. 309, 311. moritur. 315. eius cadauer proiicitur. 316.
71. 1080. R. 307.
72. 1100. Otho Buccatorta intruſus. 315. 316.
73. 1112. Hieremias. 317.
74. 1118. Gualterius. 321. multa acquirit. 324. 326. 327. donat. 323. 325. 327. moritur. 329.
75. 1144. Moiſes Vercellenſis. 329. moritur. 335.
76. 1154. Anſelmus Homel burgenſis Epiſcopus. 335.
77. 1158. Guido Blandratæ Comes. 338. 344. 347. obiit.

Gerar-

78.1170. Gerardus 349.

79.1182. Gerardus II. 354. obiit. 350.

80.1190. Guillelmus de Cauriano. 360. concordiam facit.ibid.

81.1201. Albertus 368.præfectus Venetæ claſſi.ibid.multa recuperat.370.moritur ibi.

82.1207. Egidius. 370.

83.1208. Hubaldus. 371. confirmari priuilegia ſtudet. 474. reſtituit malè ablata. 375. Argentam recuperat.376.abdicat ſe Archiepiſcopatu 378.

84.1215. Picininus. 379.

85.1217. Symeon 379. erepta repetit. 380. 382. confirmari priuilegia curat.383. 387. donat. 394. 396. moritur.396.

86.1228. Theodericus. 496.concordiam inter Rauennates,& Ceruienſes facit. 499.auget bona Archiepiſcopatus. ibid. Legatus ad Regnum Hieroſolymit. 407. capitur a Friderico Imp. 418. Rauennam recuperat pro Romana Eccleſia. 419. 421. moritur. 423.

87.1249. Philippus Fontana Ferrarienſis. 424. Conciliat Rauennates cum Foroliuianis.431. Prouinciam Pontifici Romano conciliat 426.Concilium habet Rauennæ 428.435. Legatus Pontificis.424. aduerſus Ezzelinum. 432. capitur ab Ezzelino 433. liberatur 434 inſtituit ſupplicationem cum arca Sanctorum.435. cum Forliuianis fœdus facit. 440. moritur.443.

88.1274. Frater Bonifacius de Lauania ordinis Prædicatorum. 448. arbiter diſſenſionum in Flaminia 451. bellum facit Eſtenſibus 453.Conciliatur.453. 459. in Foro Cornelio.457. Orbiti apud Pontificem.458.prætor Caſtricari 463. teſtamentum facit.464 Conciliũ habet in Foro Cornelio. 458. in Foro Liuio 464. in Galliam a Pontifice mittitur, 465 teſtamentum facit 467. 468. obiit 486. Rambertus Malateſta, electus, ſed non confirmatus.487. Guillelmus Duranti, electus, renuit.487.

89.1295. Opizo San Vitalis, Parmenſis 489. in Concilio Rauennæ 435. dat Argentam Canoſſis. 494. laborat pro Eccleſia Romana ibid. Parmam obſedit. 507. moritur. ibid.

90.1303. B. Rainaldus Concorregius Mediolanenſis, Epiſcopus Vicetinus, in Galliam internuncius. 502.Rector Flaminiæ 505 uulneratur. 506. Archiepiſcopus Rauennæ 567.568.510.Concilium hàbet Rauennæ. 512. 523. Bononiæ. 520.533. Argentæ. 530. Senator Henrici Cæſaris.521. Inquiſitor in Templarios 512. moritur. 538. miracula facit. 538 539. 545.

Rainaldus Polentanus Rauennas electus, ſed non confirmatus, a Pontifice, interficitur.539.541.

91.1323. Aimericus de caſtro Lucii Rector Ferrariæ.533. Flaminiæ.534. Archiepiſcopus Rauennæ 542.Epiſcopus Carnotenſis,& Cardinalis 551.569.

92.1332. Guido II. de Baiſio.551. moritur. 553.

93.1333. Franciſcus Michaelus Venetus.554. uulneratur.557.abdicat ſe Archiepiſcopatu. 562.

94.1342. Nicolaus Canalis Venetus 562.Argentam receperat.564.Legatus Pontificis ad Regem Anglorum 565. Patrauenſis Antiſtes 568.

95.1347. Frater Fortanerius Vaſſelli, Aquitanus 568. Patriarcha Gradenſis. 570. pacem facit inter Venetos,& Genuenſes.572.laudatur.ibid. Cardinalis 579. moritur.ibid.

Pe-

96. 1362 Petrocinus e Caſaleclo, Ferrarienſis, Rector Flaminiæ. 570. 576. Archiepiſcopus Rauen. 579. pacem inter Piſanos & Genuenſis facit. 581. obiit. 583.

97. 1370 Pileus è Prata, Foroiulienſis. 584. Cardinalis creatur. 588. captus ab Vrbano Pont. 591. fugit in Galliam. ibid. priuatur purpura. 592. reſtitutus. 595. moritur. 598.

98. 1387 Coſmatus de Melioratis Sulmonenſis 592. Cardinalis. 595. Pont. Max. 600

99. 1400 Ioannes de Melioratis. 598. Cardinalis. 600. moritur. 602.

100. 1410 Thomas Perondolus Ferrarienſis. 602. concordiam facit inter clerum & populum Rauen. 615. Eſtenſis confirmat Argentæ Vicarios. 613. moritur. 631.

101. 1446 Bartholomæus Rouerella Ferrarienſis. 632. Viterbium recuperat. 635. Cardinalis. ibid. coronat Ferdinandum Regē Neapolis. 636. 637. moritur. 640.

102. 1476 Filiaſius Rouerella. 640. confert pecuniam Monti pietatis. 643. eius geſta. 684. 685. abdicat ſe Archiepiſcopatui. ibid. moritur. 691.

103. 1516 Nicolaus Fliſcus Genuenſis, Cardinalis. 685. moritur. 689.

104. 1524 Petrus Accoltus Aretinus Cardinalis. 661. 690. moritur. 700.

105. 1532 Benedictus Accoltus Cardinalis. 690. 706. moritur. 708.

106. 1549 Rainutius Farneſius Romanus, Cardinalis. 708. Archiepiſcopatus opida Manzolis donat. 709. Rauennam primum inuiſit. 720. abdicat ſe Archiepiſcopatu. 736. Archiepiſcopatus Rauennas uacat, & interea Vicarius Pii. IIII. Pont. Max. illum adminiſtrat. 736.

107. 1566 Iulius Feltrius de Ruuere Vrbinas Cardinalis, 740. Rauennam primum ingreditur. 741. conformat ſacratos uiros, & templa. 743. in diſcrimen uitæ adductus. 744. munificus in egentes, & aſſiduus ſacris. ibid. Concilium Diœceſanum habet, & Diœceſim inuiſit. 745. Archiepiſcopium inſtaurat. ibid. Concilium Prouinciale celebrat. 745. 746. Canonicis Rauen. capparellas & Rocchettos impetrat. 749. ſacrat ædiculam in Prætorio. ibid. Tabularium Vrſianum reſtituit. ibid. Lectores Theologiæ inſtituit. ibid. ſacras Virgines D. Zachariæ honeſtior loco ponit. ibid. Capuccinos Franciſcanos Rauennam adducit. 750. collegit monumenta pro Eccleſia Rauennæ. 752. fundamenta ædis Capuccinorum lapidem ponit. 755. donat Eccleſiæ Vrſianæ. ibid. religioſa exempla præbet. 759. Iobeleum impetrat. 761. ægrotat. 765. moritur. 766. eius acta. ibid.

108. 1578 Chriſtophorus Boncompagnus Bononienſis. 770. habet Concilium Diœceſanum. 772. ſacras Virgines D. Pauli transfert. 774 habet Concilium Prouinciale. 776. Præſes Flaminiæ. 783. Gregorio XIII. Pont. Max. patruo parentat. 784. 785. cauſam agit ſui Archiepiſcopatus. 785. 787.



Mille iam & quinquaginta annis, opere teſſellato, ſunt hæc picta, Rauennæ, in ſacra æde D. Vitalis, in ſacelli maximi pariete, aræ maximæ ad dextram, integra ſeruata monachorum Caſſinenſium ſtudio, qui ſunt in Diuino officio, cultuq. diligentiſſimi, & templum incolunt. Crucem qui geſtat manibus, eſt Maximianus Archiepiſcopus: nam ſupra illius caput, ita legitur inſcriptum. MAXIMIANVS. Prope ipſum, qui uidetur offerre munus, Iuſtinianus eſt Imperator, qui tempore Maximiani uiuebat. Huius habitus, faciesq. eadẽ, eſt quæ & illi; niſi quod ea eſt ſenioris; quæ conſpicitur in D. Apollinaris noui, in hac vrbe, his inſcriptis. DN. IVSTINIANVS. Ex uetere autem hac pictura, patet habitus Imperatoris, & procerum eius ſæculi, & fortaſſe quid ſit toga picta, quid palmata, quid trabea: quodq. de Conſtantini ætate ſcribit Prudentius

——— clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis Crux addita criſtis. li.1.aduerſus Symmachum.

noſcitur poſterioribus deinde ſæculis fuiſſe ſeruatum. Hinc etiam confirmari poterit, earumdem ſacrarum ueſtium, quas nunc adhibent ſacerdotes in Miſſæ ſacrificio, quam ſit uetuſtus uſus, ab ipſis ducens Apoſtolis originem, ut præclarè deſcribit D. Dionyſius Areopagites, & auctores præterea teſtantur innumeri. Caſulam in Archiepiſcopo cognoſcimus, in Imperatore Dalmaticam. Siquidem ex Ammiano Marcellino, quamquam Chriſtianis infenſo, ſcimus Dalmaticam noſtram indumento Auguſtali fuiſſe ſimilem: Cum enim, ut ipſe refert, relatum fuiſſet Gallo Cæſari, affectare quoſdam Imperium, iamq. apud Tyrum, indumentum Regale textum occul

De Caleſti bierarchia cap. 15.

lib.14.hiſtor.

te

te fuiſſe, dum omnia, huius inueniendæ rei cauſa, perluſtraret, *poſt hæc*, inquit, *indumentum Regale quærebatur, & miniſtris fucandæ purpuræ tortis, confeſsisque pectoralem tuniculam, ſine manicis textam, Maras quidam nomine indutus eſt, ut appellabant Chriſtiani, Diaconus*. Hæc ille. Quòd autem ſine manicis dicit, id eo tendit quod ex Silueſtri Pont. Max. geſtis, ab Hugone, & Thoma Vualdenſe colligitur, deductam eſſe ab Apoſtolorum collobio Dalmaticam, ſine manicis, ad ipſius uſque Galli Cæſaris tempora, quibus Liberius Pont. Max. fuit: ſed quoniam brachiorũ culpabatur a pleriſq. nuditas, adiectas manicas fuiſſe.

Hugo lib. 2. par. 4. de ſacramẽtis lib. 13. Vualden. tomo 3. tit. 4. cap. 29.



Ad ſiniſtram aræ maximæ eiuſdem Sacelli D. Vitalis, eodem picta opere, temporeq. hæc extat imago Auguſtæ, Iuſtiniani uxoris. Hinc cognoſci Auguſtarum, & ceterarum illius ſæculi nobilium fœminarum cultus, & famulatus poteſt: & qua diligentia, ac ueneratione aquam ſale, & ſacris precibus expiatam, ac benedictam, in ipſo templi ingreſſu, iam inde a naſcente Eccleſia, conſeruari ſolitam, habuerint, uelo nobili vndique contectam: & quidem merito: nam Alexander primus Pont. Max. *aquam* ait, *Sale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur &c.* Hinc apud Caſſiodorum legimus, Marcellum Pontificem aqua benedicta aſperſa, conieciſſe in fugam Dæmones, qui Apameæ, profani delubri Iouis columnas, ab igne incolumes tutabantur, & eam aquam, haud ſecus ac oleum, illi deturbando fano, miniſtraſſe igni materiam.

D. Ma-



D.Mariæ in Coſmodim templum, Rauennæ, ſacri baptiſmatis fontem fuiſſe, & nos in hiſtoria ſcripſimus, & lapis in pauimento rotundus, & quæ adhuc ſupereſt, in eius centro teſtudinis pictura, ſatis declarant: In medio enim Chriſtus Deus in Iordane uidetur, hinc D. Ioannes baptiſta, caput eius aqua perfundens, illinc Moiſes. Circum teſtudinem ſunt duodecim Apoſtoli, munera offerentes, corollas ex floribus, qui ad aram finiunt, cuius hic imaginem damus. Eſt enim certiſſimum, aris perpetuo uſam fuiſſe Catholicam Eccleſiam: nam præterquam quod Romæ uidemus in D. Pudentianæ, aram, in qua D. Petrus Apoſtolorum Princeps ſacrificium fecit, atque item Neapoli, ipſe Chriſtus Deus cum legis Euangelicæ præcepta in monte præſcriberet, ***audiſtis***, inquit, ***quia dictum eſt antiquis, Non occides: Ego autem dico uobis &c.*** intulit, ***Si offers munus tuum ad altare***: iam conſtituens, conſtitutumq. habens, adhibenda eſſe in Euangelica lege altaria: Huius autem aræ ſimiles alias, in templis Rauennatibus, ſupra annos mille pictas, habemus. Claues Regni Cæleſtis, ab eodem Chriſto Deo, fuiſſe Petro, atque vni Petro Apoſtolorum Principi, eiuſq. ſucceſſoribus promiſſas, & traditas, probatorum omnium auctorum, & ipſius potiſſimum Euangelii ſententia, apertiſſimum eſt: Ceterum quoniam noſtri ſæculi Nouatores, ſcire ſe multa profeſſi, & plura ignorantes, deridere clauium picturam conſueuere, non in manibus modo

D.Pe-

D. Petri; ſed ſub ſacra etiam Pontificis Max. tiara, affirmantes, quod non
cerni oculis, ſed animo, & intelligētia percipi de iuriſdictione, & poteſtate ape
riendi, & claudendi, ligandi, ſoluendique debet, ad corporeas id, pictasq. cla-
ues minime eſſe deducendum, ex hac imagine, mille atque amplius annis pi
cta, uetuſtiſſimam eſſe ipſarum clauium picturam diſcant, & aliquando tan-
dem fateantur, quod ab Eccleſia Romana fit, quamquam ipſi aut originem,
aut rationem non capiant, eſſe tamen id antiquiſſimum, atque adeo ab Apo
ſtolicis ductum inſtitutis. Deo ipſo, atque Angelis quid minus corporeum eſt?
Exo. 25. tamen Diuino iuſſu Moiſes, Cherubinos aureos, ex utraque parte Oraculi,
3. Reg. 7. duos fecit, habentes alas, quibus tegerent Propitiatorium: & Salamon, qui
Diuino ſpiritu, templi opus perfecit, Cherubinos duos conſtruxit è lignis oli-
uarum, texitq. auro: & in huius Ciuitatis templis, pictos, mille & centum
iam fermè annis, uidemus, humana ſpecie, atque alatos angelos: & qua ra-
Lib. 2. de tione uidendum ſe Deus præbuit, ut D. Athanaſius ad Luciferum Epiſco-
Trinit. pum, & D. Auguſtinus oſtendunt, eadem ratione pingitur. *Quam culpam in-*
tomo 3. *currit pictor*, inquit Thomas Vualdenſis, *dans Deo oſculum, quod ſcriptura con-*
titu. 19. *ceſſit?* ita cur reprehendi pictor clauium debebit, quas Cælo, & Petro Chriſtus
cap. 155. attribuit? itaque ex hac etiam pictura collegimus; quamquam & ipſius ſit au-
ctoritate Eccleſiæ certiſſimum; imaginum apud Chriſtianos uſum, uetuſtiſſi-
mum eſſe, ſemperq. fuiſſe. Soli Petro Apoſtolorum Principi, & illius ſucceſſo
ribus, non item ceteris Apoſtolis, promiſſas, datasq. Regni celeſtis claues,
nam ſolus Petrus in hac pictura eas habet. Clauium huiuſmodi picturam eſ-
ſe in Eccleſia antiquiſſimam. Quod autem è regione D. Petri, ab alio Apoſto
lo, huic aræ offertur, Diuinæ legis eſſe libros puto: cum ſatis pateat, apud uete
res, ſolere libros in mēbranis deſcriptos, circa umbilicum, id eſt, circa lignum,
aut aliquod oſſeum, ut ait Porphyrio, uel corneum teretis formæ, uolui, vn-
de & uolumina ſunt appellata, & multis uoluminibus conſtare librum unum
plerumq. tradunt. Ita Eſdræ libros antiquiſſimos, hebraicè ſcriptos, vmbilico
inuolutos, Bononiæ, in nobiliſſima Dominicani conuentus bibliotheca: Ber-
gomi, in Dominicana item domo, admirabilem D. Thomæ Aquinatis librum
contra Gentiles, ipſa Doctoris eius Angelici manu exaratum, adhuc ſeruari
accepi.

DE . HIERONYMI . RVBEI
RAVENNATI, HISTORIA
insignium auctorum Carmina.

ALEXANDRI FVSCONI, CANONICI, & iuriſconſulti Rauennatis.

SI primaua cupis, præclaraq. geſta Rauennæ
Noſſe, adeas RVBEVM, qui tibi cuncta dabit:
Is patriæ eſt etenim præclarus conditor alter,
Quam luſtrat, renouat, reſtituitq. iterum.
Ex Græcis nemo, Auſonijſque; fatebere lector;
Tam ni::dus, cultus doctiloquusq. fuit:
Vt meritò niteat liber is celeberrimus orbe,
Vtq. RAVENNA micat, ſic grauis Hiſtoricus:
Cui utinam haud parce deducant ſtamina Parcæ
Longa, & poſt obitum ſpiritus aſtra colat.

ANTONII BEFFAE NIGRINI.

VRBS antiqua fuit ſæclis, celeberrima Regum
Imperio, ſacraq. potens ditione RAVENNA,
Mater & Heroum, quos numquam, ſanguine fuſo
Hoſtis ſæua manus; Martis vel terruit horror:
Quin tulit exuuias, ſtrata tunc gentis, opimas
Infeſtæ, ſibi cum magis, ac magis ingruit armis:
Ingenio ſimul hæc celſo iam præbuit illos
Palladis, & Phœbi aſſeclas, qui facta ſuorum,
Exteraq. eloquio poſſent protendere magna:
Scriptis hæc ROSCI mandas, ſublimia ſeruans
Inter eos, præſtant magno qui nomine, primus:
Hinc patriæ ratus atque tuum per ſæcula nomen
Aeternum duci, clarumq; ſub aſtra uagari.

BRVNI GIARDINI, ciuis & Canonici Rauennatis.

IVSSOS iam ſcimus natos ſeruare parentes,
Longius ut vitæ curſum producere poſſint:

Ergo colit RVBEVS patriam, coluiſſeq. iuuit:
Quin eadem, tantum quod iam ſuſcepit alumnum
Clarior apparet, tanto dum famine gaudet.
Quiſnam ortum, quis tempora, quis praclara RAVENNAE
Ornamenta videt? varios quem ſcire videmus
Fortunæ RVBEVS ni caſus vndique narret?
Num cedro dignus? tripodes num iure ferendi?
Tempora ſed quamuis lacerent nunc omnia dente,
Non tamen hoc nomen letheas ibit in vndas:
Sed fuerit RVBEVS ſublimis ad aſtra relatus.

CONSTANTII PLACIDI ROMANI,
Equitis aurati.

NON *ſine neſcio quo Diuorum numine ſcribit*
Ecce Rauennatem ROSCIVS hiſtoriam:
Nobilitas generis, virtus, facundia, verum,
Conueniunt vrbi, ROSCIO, & hiſtoria:
Vrbs antiqua fuit multis decorata triumphis,
Obruta nunc annis ſemiſepulta iacet:
ROSCIVS antiqua generoſos ſobbolis auſus
Temporis inſidijs exagitatus, habet.
Vt tamen illa nouo paullatim robore ſurgit
Et parit inſignes, poſt fera ſecla, viros,
Rolandos, Petroſq. auauos, ſic ROSCIVS, armis
Clares, exaquat pace, toga, & ſtudio:
Tractat & hiſtoriam, quo non antiquius ullum
Eſt ſcriptum, propria nobilitate vigens:
Quod iam conciderat, doctis celeberrima chartis
Agnelli inſcriptum, priſca RAVENNA tibi.
Fruſtra igitur ſaua, atq. atrox inuidit Erynnis,
Nec ſternunt animos triſtia bella pios,
Nec ſine neſcio quo Diuorum numine ſcribit
Ecce Rauennatem ROSCIVS hiſtoriam.

DONATI MONII TORNANIENSIS.

TYRRHENA *Aemonij truci*
Vt pulſi, patrio cum fugerent ſolo,
Qua Vitis proprias Bidens
Iungit irriguas Adriacis aquis,

Con-

Contendunt profugi, vt ferunt;
Fauſtis hícq. RAVENNA auſpicijs tua
Fundamenta locant: vbi
Non primo eximijs ſurgere, & arduis
Cœpiſti domibus. Caſa
Anguſta, atq. humilis præbet originem,
Diffuſa æquoreis aquis.
Abducta uiridi poſtea carice,
Tum limo bibulo, & putri
Hinc lembo vndiuago; ponteq. robore
Factis, & ſolido ſolo
Firmata: aerijs auctaq. mœnibus:
Talem nunc retines modum,
Certare ut ualeas inclyta gloria.
Aſt quando intereunt, ſuo
Quæ ſol hic nitido deſpicit ambitu,
Seu Natura profuderit
Fœcundo omniparens atq. ſagax ſinu,
Siue audax hominum manus,
Mortalis ſtatus eſt, quidatus eſt tibi,
Cuius ne lacrymabiles
Sint fama interitus abſque ſuperſtite,
Cœlo, ſeq. ſatum Deus
Prudens, hic genitum: Palladis alitum
Et Phœbi penetralibus
Demittit RVBEVM: qui calamo ſuo
Viuacem faciat diu.
Aura hunc ætherea dum fruitur, pijs
Vlnis excipias memor
Aeterni decoris, grataq. patria e
Nigra & poſt cole funera.
Pendentis vitream qui bibit ungula
Vndam, plectra petat: Viri
Laudes eximij, pectora concitus
Oeſtro, tollat ad æthera:
Sic famam meritis ornet honoribus.

FRANCISCI CAMERANI, RAVENNATIS.

Multorum hiſtorijs RVBEVS dum, facta recenſet,
Multorum de ſe promeret hiſtorias.

EIVSDEM.

Historias *RVBEI ſi quando renatus, habebis,*
Inuide Alexander, rurſum ſuſpiria fundes.

EIVSDEM.

Scribenti *RVBEO virgam ſerpentibus Hermes*
Nuncius implexam tradit: mirare, quid iſtud?
Iupiter ipſe parat pro tanto ſceptra labore.

FRANCISCI CORELLI, RAVENNATIS.

Si mea doctiloquo reſonarent carmina cantu
Hiſtoria ut reſonat tam benè ſcripta tua,
Sæpe tuam canerem immortali carmine laudem,
Qua cingit lauro tempora Muſa tua.
O felix ſcriptor, noſtras qui ducis ad aures
Facta patrum longo quæ tacuere die.
Perlegat hæc, qui noſſe cupit monumenta RAVENNAE,
Inde opus & nomen tollat ad aſtra tuum;
Pallida mors iſtos cum ſera oppreſſerit artus,
Tunc mage poſt cineres fama ſuperſtes erit,
Et licet illuſtris RVBEA ſis gente, niteſces,
Virtutis propriæ nobilitate magis.

HORATII TVSCANELLAE.

Littera, *quæ legitur nigro reſperſa colore;*
Hanc omnis tenuit RVBEO ſcribente figuram.
Quod nunc in nigrum RVBEVS conuertit: in aurum
Verterit ingenium, pulchriq. immenſa cupido.
Auctor, quæ potuit paucis intexere chartis,
Vix orbis capiet; ſic gens ventura fouebit;
Sic opus adueniet gratum labentibus annis.
Eſt vere felix ſcripſit qui prælia tanta,
Nomine longæuam illuſtri fecitq. RAVENNAM.
Gloria languebat penitus, decus atq. RAVENNAE:
Nunc RVBEO floret; RVBEVS florebit & ipſe,
Dum ſol occiderit, dum naſcens ſurget ab vndis.

IOANNIS GALEATII ROSCII,
Bononienſis, equitis perilluſtris,

Historiae, patriaeq. decus; doctiſſime ROSCI,
Nomine qui ſacro tollis in aſtra Vitim,
Quid maius dare vim lapſis? tibi ſedibus altis
Pinifera aſſurgit culta RAVENNA *coma,*
Vrbs antiqua, nutrix Heroum, & dia piorum
Mater, & Hadriaci gloria magna freti;
Lurida cui faciem tabes exederat aui,
Squalebantq. putri liuida membra ſolo.
Quanta tibi ROSCI *fulget pietatis imago,*
Qui patriae vindex ore, manuq. iuuas.
Quantus in arte decor, Latij tibi copia quanta eſt
Sermonis, ſuperos viſa ſonare Deos.
Interpres Moyſis ſic nomine, req. videris
Grandia priſcorum pandere geſta patrum.

IOANNIS MARIAE MAIOLI,
Rauennatis.

Magna *Ducum illuſtrant, atq. inclyta geſta ſuorum*
Vrbes praeclaras: decorantur at artibus illae
Ingenijs magis: hinc debet nunc priſca RAVENNA
Plus RVBEO*, quam illis, quorum ſunt bellica facta:*
In tenebris occulta forent namque illa, niſi inde
Nunc RVBEI *traheret praeclarum ad ſydera lumen*

IVLII MORISII, RAVENNATIS.

Dicite, quid trepidus cohibet praecordia pallor?
Non uos ſub tacita detinet ille manu.
Dicite felices, & famam acquirite tuti,
Dum pereunt alij tabe, perenne, ſua.
Et RVBEI *laudes, ſimul & cum nomine ſtirpem,*
Perpetuo vt vigeant, concelebrate mei.
Et clarae riſonent patriae praeconia ſacrae,
Alteriusq. ſit ars, arte ſepulta ſua.

MARCI ANTONII GRANELLI,
ciuis, & Canonici Rauennatis.

Traxit ab interitu RVBEVS *monumenta* RAVENNAE,
Scripta graui calamo, viua futura diu:
Et ſtudio tetigit, quæ ſunt benè digna notatu,
Veraq. præcipue: quod petit Hiſtoria.
Vrbis origo datur, multos & geſta per annos
Grata procul dubio quæ tibi lector erunt:
Scripſit & innumeras; multi documenta laboris;
Hiſtorias gentis, quæ extera Regna colit.
Hoc opus ergo legas, qui vis perdiſcere multa:
Nam lecto; dices, doctius eſſe nihil.

NATALIS COMITIS.

Res geſtas, clarosq. Duces, quam celſa RAVENNAE
Glroia in Auſonijs quondam ſeſe extulit oris,
Demonſtras RVBEI *docti facundia chartis.*

PANDVLFI ZALAMELLAE CANONIC.
& Doct. Theologi Rauennatis.

Terrarum ſi qua nunc circumfertur in orbe,
Hæc vna exiſtit nobilis Hiſtoria:
Continet hæc illam, quæ ex primis urbibus olim
Diluuio a Noe condita prima fuit:
Cuius & ex primis Idola Eccleſia ſpreuit,
Quaq. fuit Chriſti ſumere prompta iugum.
Dum veteres tabulas, veterum & monumenta recurris,
Et patriam ROSCI *perpolis, & renouas.*
Et Sophiæ tibi debebant, & Apollinis horti,
Nunc culta & florens debet & Hiſtoria:
Et genere, & virtute potens: quis plura requirit?
Tolli hac vita poteſt: fama perennis erit.

PAVLI RHAMNVSII, VENETI.

Iam caligabat nomenq. decusq. RAVENNAE,
Obrutaq. ingenti penè erat ipſa ſitu:

Non

Non tulit inſignis pietate, atque ore diſerto
ROSCIVS, & patriam uindicat interitu;
Clara refert, prima repetens ab origine, facta,
Victricíq. Ducum parta trophaea manu.
Protinus egregia effulgent monimenta, perenni
Lumine, & anteuolans Gloria carpit iter.
Artis opus magnum, potuiſſe Cyteida ſuccis
Florentes ſocero iam reuocare dies:
Maius opus, culto eloquio renouare decorem,
Perpetuoq Vrbi condere ſacla ſua.

STEPHANI LOTI, IVRISCONSVLTI RAVENNATIS.

GRAECIA *non tantum ſallaci debet Homero,*
Virgilio tantum nec pia Roma ſuo,
Quantum debetis, per ſacla futura, RAVENNAE,
Relliquiae RVBEO, qui petit aſtra micans.
Nam ſi bella canunt illi, ſiq. arma recenſent,
Hic uerè celebrat arma, togamq. ſimul.

VINCENTII CARRARII, CANONICI, & iuriſconſulti Rauennatis.

FAMA *eſt Ferretum hiſtoriam ſcripſiſſe RAVENNAE,*
Sed quae perdocte ſcripſerat ille, latent.
Nobilis at RVBEVS, patriae compulſus amore,
Ecce nouam ſcribit, candidus, hiſtoriam.
Antiquam mage qui noſcat, noſcatq. recentem,
Luſtrarıq. ſequens omnia, nullus adeſt.
Quid RVBEO at referent tanto pro munere ciues
Maxima cui dudum iam tribuiſſe licet?
Hebraeum ſcimus ſtatuam meruiſſe Ioſephum,
Quod Graecè Hebraeam ſcripſerit hiſtoriam:
Altera inaurata Actaeis erecta Beroſo eſt,
Lingua, docti loqui quae docet ora viri,
Sed RVBEVM noſtri ſtatua meliore RAVENNAE
Donabunt, quam non diruet ulla dies,
Veriloquum dicent, tribuetur fama perennis
Laudibus & ſummis nomen ad aſtra ferent.
Scriptorum pellent numero, qui falſa loquuntur,
Saepeq. ſurripiunt, quod facit alter, opus.

Vin-

VINCENTII MAIOLI RVSSIANI.

ALMA *RAVENNA uiges RVBEO nunc prædita claro,*
Pieridum ſtipat quem ſtudioſa cohors,
Qui modò te cecinit uincto pede, quiq. ſoluto,
Reddidit in longa poſteritate, decus:
Namque patrum priſcos contendit tollere honores,
Ac te ſacratis ſiſtere uerticibus.
Hinc licet omnigenum rerum cognoſcere cauſas,
Hinc licet, excuſſa nube, diſerta loqui:
Nam tibi ſurgit opus, poterit quod nulla uetuſtas
Rumpere, ſed uiuet dum mare habebit aquas.

FINIS.

Trauerſariorum propago, uti ex uetuſtis monumentis collegi, & ſunt ijdem cum Ducibus:

Paulus Dux.

hunc primum reperi de Trauerſaria fuiſſe appellatum.

Petrus.
971.
1029.

Paulus. 1017.
Petrus. 1090.
1103.

Petrus. iij.
1181

Guido

Guillelmus
1116.
1131.
1151.

Albericus
1181.

Petrus. iiij.
1225. obijt.

Paulus
1240. obijt.

Guillelmus. ij.
1248 relegatus in Apul.
1300. obiit in exilio.

Aicha 1248. relegata in Apuliam
uxor Guillelmi Franciſij Apuli.

Trauerſaria
uxor Thomæ Foliani.

Polentanorum propago, ex uetuſtis monumentis.

Guido,

Lambertus 1269. Hieremias Albericus. Hieronymus. Gualfredus.

Guido. iij. minor, poſtea magnus dictus. 1288

Guido. ij. maior, ritius dictus. 1275.

Bernardinus. Banninus. Lambertus. Hoſtaſius. Albericus. Hieremias ij. Franciſcus. ij.

Caſſo. Hoſtaſius. ij. Guido. iiij. Guido. v. nouellus & magnus. Hieremias. iij. Atio. Rainaldus Albericus. iij. Baldus

Bernardinus. ij. Pandulfus. Lambertus. iij. Hoſtaſius. iij. Lambertus. Leo iiij. Franciſcus.

Guido. vj. Ioannes Fulcus

Bernardinus. iij. Hoſtaſius. iiij. Opizo. Aldrouandinus. Azzo. Petrus. Anglicus, Bernardinus. iiij.

Guido, vij. Hoſtaſius. v.

Hieronymus.

Auctorum qui in hac Hiſtoria citantur, loca inſigniora.

Pag. Lin.

1. 14. Plinivs lib.3.cap.14.
16. Macrobius . lib. 1.cap.7.
42. Seder Olam, chronicon Hæbreorum, quod legitur poſt chronicon Giberti Gerebrardi, ab illo in latinum uerſum.
24. Geneſis cap.10.
27. Geneſis cap. 11.
2. 4. Geneſis cap.10.
33. Geneſis cap.10.
3. 7. Strabo lib.5.
8. Dionyſ.Halicarnaſſ.li.16.
4. 24. Zoſimus lib.5.
5. 38. Liuius lib.5.
39. Polybius lib.2.
6. 7. Strabo lib.5.
19. Plin lib.14 cap.2.
23. Scaliger exercit. 285.
36. Phlegon lib. de longæuis, & admirabilib.
37. Origenes lib.2. contra Celſum.
7. 2. Blondus in Italia ſua, de Rauenna.
16. Martialis in xeniis.
38. Leander in Italia ſua de Rauenna.
45. Plinius lib.3.cap.11.
8. 3. Virgil.lib.11.
9. 24. Liuius lib.15.
25. Strabo lib.5.
10. 1. Plin.lib.3.cap.15.
12. Cic.de Diuinat.lib.1.
14. Ser. Sulp. Epiſtol. famil. Cicer. lib.4.
26. Paul.Man.in epiſt.ad.Att.lib.7.
34. L. Florus lib.3.

Pag. Lin.

40. Cæſar comment. lib.7.
11. 44. Cæſar comment. de bello ciuili lib.1.
12. 38. Celius epiſt.famil.Cicer.lib.8.
13. 26. Blon. in Roma inſtaurata li.11.
30. Suetonius in Octauio.
ibid. Corn.Tacitus lib.4.
14. 20. Plinius lib.26.cap.12.
35. Panuin. lib. de ſeptem eccleſ. Romæ.
15. 16. Plinius lib.3.cap.5.
20. Suetonius in Auguſto.
16. 1. Blondus lib. 3. Hiſtor.
21. 1. Corn.Tacit.lib.2.
38. Corn.Tacit. lib.4.
26. 43. D.Ambroſ.in epiſtola ad omnes Italiæ fratres. & Petrus Damiani in eorum inuent.
45. D.Auguſt.lib. de conflictu uirtutum & uitiorum, cap. ult.
30. 14. Suetonius in Veſpaſ.
32. 23. Plinius de Rombis lib. 9. cap. 54. de Aſparag. lib. 19. cap. 4.& 8.
27. Martialis lib.5.
32. Albertus in Italia, de Rauen.
36. Martialis lib.13.
44. Martialis lib. 11.
33. 13. Horat.lib.Epodon.ode.2.
18. Gellius lib.7 cap. 10.
20. Dioſcor.lib. 3. cap.143.
46. P.Damiani in ſerm.de S.Adeſtito.
41. 12. Suetonius in Auguſto.
46. 40. Arnob. lib. 8 aduerſ. gentes.
47. 1. Galen. de differ. pulſ. lib.

Pag.Lin.

3. Clemens Conſtit. Apoſtol. lib. 6. cap. 36.
9. Optat. Mileuit. lib. 6. contra Darm.
13. Io. Chryſoſtom. lib. de fide.
24. Euſeb. lib. 9. cap. 3.
49. 23. Plinius lib. 26. cap. 1.
55. 18. Alfonſus Piſan. in præfat. Concil. Niceni.
31. Falcuinus in uita D. Pharonis.
56. 22. Seuer Sulp. hiſt. ſacr. lib. 2.
36. Ammian. Marcell. lib. 15. hiſtor.
62. 28. Vitæ patr. lib. 3. cap. 36.
75. 15. Pigna lib. 1. Hiſt. Eſtenſ.
85. 5. D. Auguſtin. lib. de hæreſib.
22. Retractat. lib. 2.
91. 12. Chryſolog. ſerm. de natiuit. Chriſti.
97. 2. Sabell. En. 8. lib. 1.
21. Blond. lib. 2. hiſtor.
106. 44. Chryſolog. ſerm. de Kal. Ianuar.
107 19. Conciones in kal. Ianuar.
21. Concil. Turon. 2. cap. 18. Cæſar auguſtan. can. 4. Burcar. lib. 19. de pœnitent.
40. Chryſolog. Serm. de conſecr. D. Proiecti.
119. 23. Hippocr. lib. de aere, aquis, & loc. cap.
25. Auicen. 2 par. doctr. 2. cap. 16.
39. Galen. lib. de bonit. aquæ, cap 3.
40. Atheneus lib. 2. cap. 2.
41. Ariſtotel. de Hiſt. animal. lib.
45. Actius, Serm. 3. cap. 165.
121. 18. Sabellicus Ennead. 8. lib. 1.
22. Otho chronic. lib. 4. cap. 20.
122. 1. Sympl. diſt. 74.
123. 28. Caſſiodor. in chronico.
41. Leo Tom. 2. Concil.
ibid. Nicolaus Tom. 3. Concil.
127. 15. Blondus } in Italia, de Rauen.
17. Leander }
130. 15. Diſt. 17. & 96.
132 41. D. Greg. Dialog. libro. 4. cap. 44.
139. 2. D. Greg. Dialog. lib. 3. cap. 22.
3. Marcellin. in chronico.

Pag.Lin.

142. 3. D. Greg. Dialog. lib. 4. cap. 28.
143. 18. Panuinius lib. de Faſtis Rom.
146. 6. Marcellinus in chronico.
149. 5. Procop. Hiſt. Goth. lib.
161. 1 Plinius lib. 35. cap. 10.
165. 23. Blond. Dec. 1. lib. 7.
28. Bernard. Iuſtini. Iſt. lib. 6.
167. 18. Liuius. 24.
26. Procopius Hiſt. Goth. lib.
171. 38. Venant. Fortunat. carminum lib. 1.
174 4. Bern. Iuſtin. Hiſt. lib. 2.
175. 24. Blond. lib. 8. Hiſt.
27. Raphael Volater. lib. 3. comment. Vrban.
28. Albertus in ſua Italia.
176. 5. D. Greg. in Regiſtro.
24. Blond. lib. 8. Hiſt.
36. Strabo lib. 17.
178. 34. Paul. Diac. lib. 3. & 6. Hiſt.
179. 43. Bernar. Iuſtin. lib. 7. Hiſt.
180 35. Blond. lib. 8. Hiſt.
40. D. Greg. in Regiſtr.
181. 17. Blondus ubi ſupra.
183. 1. }
182. 29. }
184. 44. } D. Greg. in Regiſt.
185. 15. }
17. }
187. 11. D. Dionyſ. Eccl. hierar.
13 D. Cyprianus.
191. 25. Gelaſius. tomo. 2. Concil.
26. D. Thom. ſecund. ſecundæ.
27. Vald. tomo. 1. doct. fid. lib. 2. art. 3. cap. 75.
203. 4. Blond. in Italia ſua de Rauen.
209. 10. Platina in Dono Part.
216. 22. Io. Paleonidor. lib. primo de orig. Carmelitarum cap. 4.
217. 10. Blond. lib. 10. hiſtor.
33. Iuſtinian. lib. 10. hiſt.
218. 43. Blond. lib. 10. hiſt.
223. 41. D. Luc. in actis Apoſt. cap.
43. Amm. Marcell. lib. 22.
44. Procopius lib. 6.
224. 2. Cicero in Ver. lib. 6.

10. Procop.

Pag. Lin.
10. Procop.lib.4 de ædific.Iuſtiniani.
11. Agathias lib.5.
16. Strabo lib.16.
229. 6. Liuius lib.3.
8. Blondus in Roma triumphante.
230.26. Polybius lib.2.
232.25. Gratianus. c.paſtorali.7. q.1.
27. Idem.c. Fraternitatem. diſt.71.
30. Idem.c. Relatio.21.q.1.
ibid. Gelaſius. 24. diſt. c. presbyteri
38. c.bonæ.extra.de poſtulat.prælat.
40. ca. Decreto.2. q.6. & ca. qui ſe ſcit.
44 ca. Conſtantinus. diſt.96.
134 32. Iuſtinian. lib. 14.
235.11. Agnell. in uita Valerii.
254 22. Luitprand.lib.3.cap.13.
261. 9. Martinus Polon. in cleto.
22. Ennodius in epiſtola pro Symacho.
31. Regin. lib.2. chronic.
262.11. Pigna lib.1. Hiſt. Eſtenſ. Princip.
266.33. Petr. Dam. in uita D. Romoaldi. cap.1.
274.22. Michael Ritius lib.2. de Regib. Sicil.
284.25. D.Clem.tom.1.Concil.& eſt cap. in illis.diſt. 80.
30. Anaclet cap. Prouinciæ.diſt. 99. reliquos auctores ſuperius habes citatos
291.13. Petr. Dam.Epiſt. de dimittendo Epiſcopo.
24 Pigna Hiſt.Eſten.lib.1.
293.12. Vincent.in Specu.hiſt.li.25 c.52.
297.17. Io.Tritem.in chroni Hirſangien.
315 28. Tritem.in chron. Hirſangien.
323.27. Dantes Paradiſ. cant. 21.
336. 4. Otho Friſing. lib.2. cap.20. di geſtis Friderici.
11. Can. Conc. Niceni. cap.10.
14. Sardicenſe Concil. can.6.

Pag. Lin.
337.33. Radeuic. in appendice ad Othonem.
338. 4. Gunterus lib.7.Ligurinæ.
369. 19. Innoc.lib.2. Decretal.
24. Idem in Decretal. licet cauſam. de probatio.
394. 8. Landinus in Dantis Purgat.14.
14. Boccatius fabula. 8.
473. 3. Dantes Inferni cant.5.
25. Plinius lib.3. cap.16.
474.10. Blondus in Italia.
13. Strabo lib.1.
14. Ariſtotel Meteor.lib.2.ſum.2.c.2
16. Ariſtotel.Meteor lib.1.ſum.4.c.2.
23. Polybius lib.2.
26. Plinius lib.3. cap. 16.
486.37. Dantes Purgat. can.14.
568. 9. Matthæus Villan. lib. 9. cap. 12.
576.29. Nicol. Flor. tract. 4. Sermon. 4. cap.6.&tract.3.eius.ſerm ſum. 2.cap.9.
38. Matthæus Vill.lib.9 cap.12.
635.39. Liuius lib. 27.
646.13. Ariſtotel.lib.1.Hiſtor.animal.c.1.
28. Plinius lib.2. cap.67.
32. Pomp. Mela lib.3.
ibid. Strabo lib.2.
749.11. Ammian. Marcell. lib. 27.
14. Nicepho lib 12 c.36 & lib.14 c.14
758. 2. Cicero lib.2. de nat.Deor.
12. Plinius lib.2. cap. 2.
16. Geneſis cap.26.
20. Ariſtot.lib.1.Meteor.cap.de cometis.
22. Idem lib.2.Poſter.
33. Higinus, cap de electra.
764.42. Ariſtot.li.1.Meteor.c.de cometis.
766.34. Dionyſ. Ecc.hierarch.cap.2.
767. 5. Clemens.lib.2. Apoſtolic. conſt. cap.57.
768 25. Io Damaſcen. lib.3.
32. Orig.lib.2.in Iob.
770.39. Liuius lib.23.

FINIS.

INDEX EORVM QVAE IN HAC HISTORIA HABENTVR.

Notationibus quibuſdam additis.

ABBATES. Rambertus. 486
Abbioſi. M. Antonius. 705
Auguſtinus. 741
Bulgarus. 462
Octauius. 741. Epiſcopus. 783. 805.
Abelonij hæretici. 83
Ablauius Gothus, Rauennas. 168
Abocconi. Vincentius. 772
Aborigines. 2
Academia Romana. 684
Rauennas.
Acariſij. 413. 417. 449. 453. 457. 478
Acariſius. 427
Bartolus. 521
Guido. 461
Righettus. 523
Acogna Hiſpanus, irrumpit in Rauennatē. 692
Adalualdus Rex Longobardorum. 199
Adelardi. Nicolaus. 412
Adeleis Hlotharij Cæſaris uxor. 257
Ado Treuerenſis Epiſcopus. Rauennæ. 310
Aelius Phlegon. 6
Aemilianus Cæſar. 40
Aetius. j. Etius.
Aetij medici lapſus. 119.
Aſrica quando, & quantum Chriſtiana. 84 quot Eccleſias Metropolitanas habuit. 86
Agatho Pont. Max. 208
Agapitus Pont. Max. 147
Agapitus. ij. Pont. Max. 256
D. Agathæ templum Rauennæ. 90
Agilulfi. Ioannes Angelus. 198
Agnellus hiſtoricus. l. Andræas Agnellus.
Agnes Henrici. ij. Cæſaris uxor in Rauennati peperit. 289
D. Agnetis templum Rauennæ ædificatum. 89 eſt Abbatia. 289. 601
Agricola martyr Rauen. 45
Agricolarum Rauennatum ſeditio. 622. factiones. 738
Aguſeli. Baſtardinus. 553
Iacobus. 575
Ioannes. 553. 575.
Aguſellus. 348
Aheoa martyr Rauen. 45
Aiſprandus Longobardorum Rex. 214
Aiſtulſus Longobardorum Rex. 221. Rauennam occupat. ibid. donat & auget templa Rauen. 222. obſeſſus a Pipino, ibid. fidem fallit, & Romam obſidet. ibid. reſtituit capta. ibid. moritur. 224
Alani. Guilielmus Cardinalis. 796
Alaricus Viſigothorum Rex in Italia. 63. obſidet Honorium. ibid. Stilichonem & Saulem ſuperat. 64. Romam diripit, & moritur. 78
Alaricus Viſigothorum Rex. ij. gener Theoderici Regis. 134. interficitur. ibid.
Albani. Ioannes Hieronymus Cardinalis. 793
Albericus Marchio Etruriæ. 254
Alberici. Rainerius. 398
D. Alberti, ſeu Adelberti ad Padum, templum ædificatur. 273. eſt Eccleſiæ Rauennæ. 313. 393, uicus incenſus. 521. captus ab Eſtenſibus. 342
Adelbertus Italiæ Rex, Rauennæ Regnat. 256
Albertus Magdeburgenſis Archiepiſcopus, Cæſaris Legatus in Flaminia. 386
Albi per Italiam uagantur. 598
Albinus Cæſar. 39
Alboinus Rex Longobardorum. 163. in Italiam a Narſete uocatur. 173. aduenit, 177. interficitur. ibid.
Aldigerij. Petrus. 373
Veſcouellus. 423
Aldobrãdini. Hippolytus Cardinalis. 798. 811
Aldreuandini, qui deinde Aldrouandini ſunt dicti.
Aldrouandinus. 710
Franciſca. 616
Guido. 485. 488. 497. 505
Ioannes. 616. 642
Ioannes. ij. l. Ioannes Pandulfini.
Ioannes. iij. 701. 706. 754. 755
Opizo. 638. 642
Pandulfinus. 688. 690. Petrus Maria. 660.

660. 692. Philippus Maria. 660. Petrus Paulus. 705.
Robertus. 656
Aldreuandinus Archidiaconus Rau. 443. 446
Aldrouandi. Theſeus. 723. inſtaurat ædem D. Ioannis Euangeliſtæ Rauen. 750
Alegriæ. Ino. 667. 688
Mellilous 680
Viueroes 680
Alexander Pont. Max. 35
Alexander. ij. 295
Alexander. iij. 340. quomodo fuit electus. ibid. Venetiis. 350. concedit pacem Friderico Cæſari. 351
Alexander. iiij. 430
Alexander. v. 602
Alexander. vj. 643. 651. moritur. 653
Alexander Seuerus Cæſar. 38
Alexandrini. Iulius
Alferi. Henricus generalis Franciſcan. 599
Alfianum opidum. 501
Alfonſus Rex Aragonum. 465
Alidoſii. Alidoſius. 431. 467. 478. 481. 492
Azo }
Beltramus } 580. 581. 584
Barthola. 567
Franciſcus Cardinalis. 659. 661. 662
Lippus. 563. Litus. 481. 492. Lucretia. 613
Ludouicus. 608. 612. 614
Percellus. 432
Ricciardus. 564
Vgutio. 397
Vnde originem duxerint. 277. 278. Vicarii Pontificis. 599
Alleluia annus. 404
Alliates. Gallinus. 385. 386
Alfonſus Eſtenſis claſſem Venetam ſuperat in Atheſi. 659. in Pado. 661. premitur bello a Pontifice & Venetis 660. 661. ſuppeditat Gallis tormenta. 663. ducit primum agmen Gallorum. 667. Rauennam ingreditur 672. mulieres & pueros Rauennates tuetur. 674. ſacram Euchariſtiam religioſè conſeruat. ibid. Roma fugit. 677. Rauennam oblatam reſpuit. 691
Altinum vrbs ad modum Rauennæ. 110. eius Epiſcopus Petrus. 130
Aluarez. Ferrantes, Albæ Dux. 722
Amadutii. Cæſar. 728. 730. 735. 754. 773. 775. 781. 786. 787. 804.
Amalaſuenta Theoderici Regis filia, ædificat ſepulcrum patri. 127. nubit. 135. in Regnum patri ſuccedit. 143. laudatur. ibid. tutores filij habet aduerſos. 144. eos curat occidi. 147. Theodatum facit Regni cõſortem. ibid. relegatur ab eo. 148. occiditur. ibid.
Amati Guilelmus. 401. 411.
Amizi Rauennates, patricii Veneti, finem habent. 484
Amphiteatrum Rauennæ. 127
Amulii. M. Antonius Cardinalis. 746
Anacletus Pont. Max. 34
Ananes populi Italiæ. 5
Anaſtaſii. Anaſtaſius. 422. ferè deleti. 234. pacem cum aduerſarijs faciunt. 431
Anastasius nomine tres tantum Eccleſiæ inſigniuntur. 59
Anaſtaſius Pont. Max.
Anaſtaſius. ij. 119
Anaſtaſius. iij. 253
Anaſtaſius. iiij. 335
Anaſtaſius Cæſar Orientis. 123
Anaſtaſius ij. Cæſar. 215
Anconitani pacem cum Rauẽnatibus faciunt. 395. cum eis decernunt de cudenda moneta. 423. a Gothis oppugnati. 164
Andaloi. Caſtellanus. 447
Andræas Agnellus reperit corpus Petri iunioris Archiepiſcopi. 133. & D. Maximiani Archiepiſcopi. 238. ſcribit de Archiepiſcopis Rauen. ibid. eius lapſus. 61. 168. 161
D. Andreæ maioris templum Rauennæ ædificatum. 103. 106. eius Apoſtoli reliquijs ditatum. 161. priuilegia habet. 281. 295. eius cœnobii uirgines ſacræ, in fide Friderici. ij. Cæſ. 393. donant Archiepiſcopo Rau. 440
D. Andreæ minoris templum Rauen. ædificatum. 126. deſtructum. 533
Andrioli. Petrus. 656. 705
Anemo amnis. 4. nomina & curſus. 8. ripæ ſunt Rauennatum. 477. in alueum deducitur. 607. 636. 655.
Angelini. Nicolaus. 580
Anglicus Cardinalis, Legatus Bonon. & Flaminiæ. 583. 584
Anguillaræ. Anuerſus. 635. 680
Caſſandra. 680
Anicetus Pont. Max. 36
Anſelmini. Signorellus. 471
Antaris Longobardorum Rex. 179. Brixillum diruit. 181
Antemius Cæſar. 118. obſidetur. 120. iugulatur. ibid.
Antherus Pont. Max. 39
AD. ntonij Collegium Patauij extructũ. 584
ntoninus A Pius Cæſar. 35

Antonius Rauennas uir ſanctiſſ. 45

Antonius Maria Saluiatus, Epiſcopus, fit ciuis Rauennæ.738.in Galliam internuncius. 756. Cardinalis Legatus Bononiæ. 786 eius adminiſtratio, qualis.790.annonæ præfectus. 802

Annus correctus a Gregorio. 13. Pont. Max. 780.781.

Apocriſarius, quis. 179

Appiæ. Ioannes Forliuium obſidet.459.460 ſuperatur.461. eius tituli. 462

D.Apollinaris Archiepiſcopus a Petro Apoſtolo Rauennam miſſus.22.Patriarchali modo & dignitate. ibid.eius miracula.22.24. docet fidem Chriſtianam. 23. Baptizat. ibid. ingreditur ſuper candentes prunas, & exulat. 25.27. per Aemiliam Eccleſias inſtituit. ibid. uulneraur. 27. Myſiam peragrat. 30. Rauennam redit. ibid. interficitur. 31. eius corpus locatur. 207. non eſt Rauēnæ in D.Apollinaris noui. 241

D.Apollinaris in claſſe templum ædificatur. 156.157. conſecratur.162.qua ratione adeundum.163. ad monachos adducitur.224. a Saracenis diripitur. 240.reſtituitur.249. Camaldulenſibus datur.327. ſpoliatur.633

D.Apollinaris templum Regii. 112. Romæ. 229. Venetiis. 632

D.Apollinaris noui templum cur uocatum. 241. Franciſcanis obſeruantibus datum. 676. 678

D.Apollinaris ſocietas. 405

Apollinaris hæreticus. 58

Apollinis ſimulacrum Rauennæ. 13. templum. 17

Aquæductus amnis. 7

Aquila urbs quando ædificata. 477

Aquileienſis Antiſtes. Benedictus. 63
Bertoldus. 383
Dulſus. 375
Engelfredus. 259
Fortunatianus. 54
Helias. 179
Hendelmarius. 243
Hermacoris. 30
Ludouicus Cardinalis. 625
Macedonius. 169
Maximus. 305
Peregrinus. 344
Popo. 289
Rodoaldus. 289
Seuerus. I. Seuerus Aquil.
Vuolfgerus. 374

Gradum translatus. 179

Aragonii. Alfonſus. 636
Ferdinandus. 636

Arator Rauennas Cardinalis. 152

Arca ſanctorum Rauennæ.435. direpta. 673.

Arcadius Cæſar. 59.61

Arcæ Rauennæ fiunt. 142

Archiepiſcopatus Rauennatis cauſæ progreſſus ab 785.uſq. ad 811

Archiepiſcopi Rauennæ a columba electi. 32.33

Archiepiſcopi Rauennæ donantur pallio a Valentiniano.III. Cæſare, & ſuffraganeis donantur.97.habebant eos antea. 284.confirmatur donatio a Pont. Max.112. quibus præſint Epiſcopis.97.190.231.748.eorum dominatus & exercitus.210.Rauennam adminiſtrabant, & Exarchi ſunt. 227.336. 338.349.eorum tituli.210.248.252.254. 257. ſecundum in Italia locum obtinent. 253.254.283.quæ poſſidebant. 296. 352. Proceſſiones quando faciebant. 331. ſunt Principes Imperii. 345. 362. 374. 383. 407.419.domini Rauennæ & Ceruiæ.399 electi quid agere debebant.519.quomodo Rauennam primum ingrederentur. 741. Camauro, & Campana utebantur, & cruce ſignabant. 748

Archiuium Rauennæ. 773

Arcilii Iacobus. 483

Ardabures captus Rauennæ.94. liberatur a filio.ibid. ſuperat Caſtinum. 95

Arduinus Legatus. 576. Cardinalis Legatus. 582.583

Arcanitus Macedoniæ Princeps. 710

Aretini. Leonardus. 596

Argenta ædificata, & cur ita uocata. 89. reſtituta Eccleſiæ Rauennæ. 170. muro cincta. 198. occupatur ab Iſimbardo.334. eius comitatus quæ contineat.362.365. eſt etiam Reipubl. Rauennæ.365.occupatur a Salinguerra.366. datur Azzoni Eſtenſi. 417. & cur.421. occupatur a Vicario Othonis.IIII. Imper. 376.recipitur ab Hubaldo Archiepiſcopo, & datur Eſtenſibus.376. eſt Eccleſiæ Rauennæ. 363. Azzoni Eſtenſi datur. 491. Rolandino Canoſſæ. 494. reſtituitur. 503. denuo occupatur ab Eſtenſibus. 542. 555. confirmatur illis a Pontifice. 564. ipſis data ab Archiepiſcopo. 564. 569. 613. 632. obſeſſa a Venetis. 641

Argentani capiunt Nicolaum Eſtenſem. 551. irrumpunt in Rauennate. 609.

Argo-

Argolioſi. Adeleta. 564. Aldebrandinus. 464
Arguliosus. 449. 531. Azzo. 586
Clarutius. 485.
Iacobus. 496
Ioannes. 494
Lambertutius. 496
Marcheſinus. 496. 564
Paganinus. 452
Superbus. 417. 447. 452. 483. 496
Vbertutius. 495. 496.
Arienti. Albertus. 526.
Arigoni: Iacobus. 701. Ioanne. 701. 708. 740
Ariminenſe conciliabulum. 56
Ariminenſes cum Rauennatibus conueniunt. 317. 400. a Rauẽnatibus diffidunt. 361. fœdus faciunt cum ipſis. 364. certant cũ Cæſenatibus. 379. cõpromittunt iura belli. 397. opem illis ferunt. 412. compromittunt ſua Philippo Archiepiſcopo Rauen. 427. legatos de pace Rauennam mittunt. 430. interdicti. 432. 457. opem ferunt Lambertatiis. 447. conciliantur cum ceteris Flaminiis. 451. a Malateſtis diſſentiunt. 470. tumultuantur. 476. omni dignitate priuantur. 477. opem Rauennatibus pollicentur. 731.
Ariminenſis comes. 357
Ariminenſis Epiſcopus. Alidoſius. 566
Bennus. 400
Caſtorius. 183. 195
Fridericus. 524
Guido. 548
Hugolinus. 402
Ioannes. 130. Iulius Pariſanus. 547. 557
Opizo. 313
Ventura. 372
Subiectus Archiepiſcopo Rauen. 231. 519. 524. 546.
Ariminum colonia Romanorum. 9. 56. dat ſe Theoderico. 123. a Beliſarij militibus captum. 149. a Gothis. 163. deficit a Pontifice. 553. ſub Malateſtis. ibid.
Arioſti. Franciſcus. 590
Ludouicus. 725
Thomaſinus. 449
Aritpertus Longobardorum Rex. 207. Exarchatum reſtituit Romanæ Eccleſiæ. 213
Ariulfus Spoleti Dux. 182
Arius hæreticus. 50
Arlotti. Viuianus. 423
Arminius Cattorum Princeps. 20. eius filius Rauennæ habetur. ibid.
Arnaldus Brixianus hæreticus cõbuſtus. 336
Arnulfus Cæſar. 246. 258
D. Arnulfus Turonenſis Epiſcopus, miraculum Rauennæ facit. 135
Arrenghi. Marcus. 775
Arrengus. 529
Arriclini. Agnella. 483. 492. 530. 534
Claudellus. 540. 542
Mainardinus. 544. 553
Petrus. 434
Vbertinus. 434. 575
Artuſini. Artuſinus. 487
Bernardinus. 639
Cambius. 445. 485. 510. 528
Franciſcus. 639
Homitiolus. 628. Homo ſancti Andreæ. 445.
Iacobus. 532. 569. Ioannes Antonius. 576. 678. 688.
Maſius. 639. Matthæus. 639. 640
Oſtaſius. 527. 532
Arumnus Rex. 2
Arx Rauennæ extructa. 653
Aſculum ſub Malateſtis. 568
Aſinelli. Albertus. 500. Alinerius. 439
Philippus. 548
Virundus. 462
Aſpar cum Placidia nauigat. 94. liberat patrem captiuum. ibid.
Aſparagi Rauennates. 32. De Aſparagis ita ſcribit lib. 19. cap. 4. Plinius. *Ecce altiles ſpectantur Aſparagi, & Rauenna ternis libris rependit.* Aſparages tamen Montanos licet uideatur Iuuenalis laudaſſe ſatyra. XI. dum ait

——— & montani
Aſparagi, poſito quos legit uillica fuſo.

non tamen quia optimi eſſent, & ſapore omnes præſtarent, ut interpres Valla opinatus eſt, cuius etiam rei argumento, illud adducit, quia aſparagi ab aſperitate loci, quales eſſe montes ſolent, in quo naſcantur, nomen habeant: nam neque illud eſt uerum, cum a græca uoce *ἀσφάραγον*, craſſa littera in tenuem mutata, fiant & græcè etiam, ut ex Dioſcoride, Galeno, & ipſo etiam Iulio Polluce noſſe licet *ἀσπάραγοι* dicantur: neque Iuuenalis, de cibus optimis ibi ac pretioſis, ſed potius de uilibus, & qui haud magno conſtant impendio, & de frugali cœna loquitur. Vnde Plinius, *eſt & aliud*, inquit, *genus incultius aſparagi, mitius corrudo, paſsim & in montibus naſcens, refertis ſuperioris Germaniæ campis,*

non

non infaceto Tiberii Cæſaris dicto, herbam ibi quandam naſci, ſimilimam aſparago. Hæc ille, Itaque ſuà Rauennatibus aſparagis palma remanet, Aſparagos autem ſpinas eſſe Iulius idem Pollux teſtis, eſt dum ait, καὶ τὸ ἀκάνθον ἀποτρεπόμενον βλάστημα ἀσπάραγος.

Aſpaſius Sophiſta Rauennas, 58

Aſproni. Vgo. 480

Ataulſus ſuperatur. 75. uxorem ducit Placidiam. 78

Athalaricus Gothorum Rex. 136. octennis. 143. eius acta & mors, 147

D. Athanaſius Alexandriæ Epiſcopus deiicitur de Epiſcopatu. 50. Romam abit. 51. 54

Athila Hunnorum Rex a Valentiniano. iij. Imp. placatur. 104. ſuperatur ab Aetio. 110. in Italiam uenit. ibid. Rauennæ parcit. 111. moritur. ibid. eius ſimulactum. ibid.

Attalus Cæſar. 76. priuatur, 77. capitur. 86.

Attendoli .l. Sfortiæ, 603

Clara. 603

Laurentius, 603

Micheletus. 603

Sfortia. 603

Aucuti. Ioannes. 589

Auderi. Nicolaus Generalis Carmelitanorum. 737

D. Auguſtinus Honorii Imp. leges in hæreticos iuuat. 83. eius ordo Rauennæ conformatus. 536

Auguſtorum nomen quando cepit, & deſiit. 141

Auguſtulus Rauennæ Cæſar declaratus. 121. fugit. ibid.

Auguſtus Rauennę commoratur. 13. ad Candianum claſſem habet, ibid.

Auis ſine pedibus. 646

Auitus Cæſar. 114

A. Cæcina deficit a Vitellio, 29. Rauennam uenit. ibid.

Auocati. Thebaldus. 564

Aurelianus Cæſar. 41

Aurelius filius D. Vitalis martyris. 26

Aurelius Candidus Rauennas, ſcriba Leonis primi Pont. 121. pater Caſſiodori, & Præfectus Prætorio. 152

Aureolum opidū cur ſit dictum. 89. eſt Eccleſiæ Rauennæ. 446. 511. 557. 596. uenditum Manfrediis. 639

Auriæ. Ioannes baptiſta Præſes. 727

Philippus. 662

Auſon Italiæ Rex, 8

Auſonia unde dicta. 2

Auſtriaci. Albertus Rex Romanorum. 552. Albertus Cæſar. 621. Andræas Cardinalis. 771

Carolus. j. Carolus. v. Imper.

Ferdinandus. 700. Cæſar. 740

Fridericus. 530. Fridericus. j. Fridericus. iij. Cæſar.

Ioanna. 740. Ioannes. 755

Maximilianus. j. Maximilianus Cæſar.

Philippus Rex. 755

Rodulſus Cæſar. 446

Sigiſmundus. 645

Vnde originem duxerint. 239

Aurharis. j. Antaris.

Auxellani. Vgutio. 369

Auximas Epiſcopus. Giſlerus. 280

Gentilis. 350

Auximates diris deuoti. 369. 571. diruunt opida Archiepiſcopi Rauen. 423. in iudicium uocantur. 401. 402. eorum tyrannus Andreas. 535. 540

Azzardi. Gerardus. 467

Azzolini. Buccolus. 368

Decius Cardinalis. 789. 797

Ioannes. 327

B

Bagarii. Lazarus. 471

Baccalanus e monte uiridi. 561. Rinaldus. 589

Badai. Nicolaus. 591

Badutarij. Petrus Dux Venet. 258

Stephanus. 413

Bagnacauallenſes. 33. oppugnati a Rauenn. & Fauentinis. 354. fœdus ineunt cum Fauentinis. 429. diſſident a Lugienſibus. 435. a Forliuianis obſeſſi. 450

Bagnacauallum. 128. incendio abſumptum. 570. ſub Polentanis. 606. 611. ſub Manfrediis. 517. 567. ſub Aucuto. 585. ſub Eſtenſibus. 585. ſub Manfredijs. 620. eſt Rauennæ. 628

Bagnara opidum. 386

Bagnoli. Petrus Camaldulenſis. 772

Vgo. 554. Vitalis. 482. 510

Baiſii. Guido. 569. Guido Archiepiſcopus Rauenn. Henrichettus. 446

Balbi. Aloiſius. 505

Iacobus. 534. Iacobus. ij. 617. 628. Ioannes. 471. 503. Iſacus. 534

Leucius. 479. 505

Matthæus.

Matthæus. 623.624.658
Nicolaus. 534.590
Petrus. 533.534. Poanus. 548.550.565
Verterius. 574
Baldini. Thomas. 729
Balconi. Aſtor. 755
Io Paulus. 681
Malateſta. 606
Rodulfus. 715
Baliardi. Mercurius. 710
Baptiſmatis fons primus Rauennæ. 14. eius ritus Rauenn. 766
Barbadici. Auguſtinus. 644
Barbari. M. Antonius. 788
Zacharias. 639
D. Barbatianus miracula facit, & Rauennam uenit. 95. uidet D. Io. Euangeliſtam. 102. miracula. 103. moritur. ibidem transfertur. ibid.
Barbiani. I. Cunii.
Barbianum opidum. 592. ſolo æquatum. 602.
Bardi. Nerius. 475
Galdinus. 613
Bargellini Conſtantius Epiſcopus. 782
Barancelli. Scipio. 732
Baroni. Cæſar. 780
Barotii. Angelus. 651
D. Bartholomæi in Turricula templum Rauennæ. 475. datum Camaldulenſib. 617
Barzii. Petrus. 738
Baſicomatræ. Bartholomæus. 434 449
Baſſi. Bartholomæus. Præpoſitus. 744 777. 787.792
Lucilius. 28.29
Baſſianus Syracuſanus Rauennam uenit. 59. miracula facit. 59. 60. Laudis Epiſcopus. 60. moritur. ibid.
Bationem Pannonium Ducem, ingentibus donatum premiis, Tiberius Nero, Rauennam tranſtulit, anno ante ortum Chriſti tertio gratiam referens, quod ſe biennio ante in Pannonios, Germanosq bellum gerentem; vnde & hoc anno Romæ triumphauit, ut teſtatur horum auctor in Tiberio Suetonius; cum excercitu iniquitate loci circumclusum, paſſus eſſet euadere. Rauennæ autem fuiſſe, & manſiſſe non modò Tiberium ipſum; ſed etiam Druſum eius fratrem, oſtendunt numiſmata ænea, nuper dum templi D. Laurentii ruinæ, Rauennam uerſus effoderentur, reperta, cum imagine Druſi; circa quam hæc leguntur. DRVSVS. TIB. AVG. FIL. DIVI. AVG. N.
Bazalerii. Nicolaus. 440 449
Rimbertus. 373.440.
Beatrix uxor Friderici Imp. parit. 346
Beccariæ. Caſtellinus. 566.
Iulius eques. 806.
Beccarelli. Iacobinus. 448
Bela Vngariæ Rex. 405
Beliſarius in Sicilia. 148. in Africa. ibid. Neapoli & Roma potitus, repellitur a Gothis. 149. Ariminum liberat obſidione, & Rauennam obſidet. 149.150. ſuperat Gothos. ibid. Rauennam accipit. 151. abiit. ibid. redit in Italiam. 155. reuocatur. 161. 162. moritur. 170
Bellini. Octauianus. 697.701.705.
Vincentius. 732. 754 775.785.786.787
Bellouiſi. Iacobus. 549
Belmontes. Amelius. 535
Beltramini. Petrus. 771
Beltrandus Podietto Cardinalis legatus. 545. 546.
Bembi. Bernardus. 536.641
D. Benedicti Galiatenſis opidum. 435
D. Benedicti monachi quot locis olim Rauennæ. 385. eorum familia confirmata. 536
D. Benedicti templum Venetiis. 371
Benedicti. Horatius. 774
Benedictus Pont. Max. 178
Benedictus. ij. 210
Benedictus. iij. 240.241
Benedictus. iiij. 252
Benedictus. v. 266
Benedictus. vj. 267
Benedictus. vij. 268
Benedictus. viij. 274
Benedictus. ix. 283
Benedictus. x. 291
Benedictus. xj. 307
Benedictus. xij. 556
Benedictus. xiij. pſeudo Pontifex. 601
Benincaſæ. Iocobus. 538. 548. 561
Philippus. 548. 566
Benoli. Antonius. 676
Bentioni. Guido. 630
Benſai. Bonfilius. 399
Ioannes. 446
Nicolaus. 359
Bentiuoli. Antonius. 6 7
Cornelius. 710
Ioannes. 607. 640. 642.
Ludouicus Epiſcopus. 782
Berengarius. 246. a Vidone Rege ſuperatus ibid.

ibid. Italiam turbat, & Regnum accipit. 248. fit Imperator. 252. coronatur. 253. occiſus. 254
Berengarius. ij. 256
Bergomas Epiſcopus. Laurentius, 130
Bernardi Iuſtiniani lapſus. 209
Bernardini Corii lapſus. 219.590
Bernardinus Polentanus. 450. 461. Prætor Mutinæ. 466. Mediolani. 475. Ceruiæ dominus. 517. ab eo Ceruienſes deficiunt. 527. Prætor Bononiæ. 510. Rector Ferrariæ. 518. Prætor Cæſenæ. 519. eam obſedit. 505.509
Bernardinus Polentanus. ij. a fratribus captus 567. liber eos capit. ibid. ejus tituli. 571. moritur. 576
D. Bernardinus Fertinus Franciſcanus Rauennæ. 643
Bernardus Italiæ Rex. 235. ſuperatur a Hludouico. 237
Bernardus Rubeus Parmenſium Legatus, Rauennæ. 401. Parma pulſus a Friderico Imp. 420. eius exercitũ fugat. 1421. moritur. ibi.
Bernardus Rubeus Epiſcopus Taruiſin. Flaminiæ Bræſes. 687. Bononiæ Moderator. 688. relegat ſapientes Rauennæ. Cæſenam. 689
Berti. Antonius. 684
Io. Franciſcus. 684
Bertoldus Flaminiæ comes. 456.457
Bertrandus. l. Beltrandus.
Beſſarion Cardinalis. 621.634.635.638
Betii. Cæſar. 726
Baptiſta. 664
Beuanus, & Beuanella torrentes. 15
Biſſulcii. 638.641. Iacobus. 802.804.
Biordus Aretinus. 542
Blanchi. Bennenutus. 500
Gerardus Cardinalis. 481
Vgulinus. 488
Blandratæ comites. Franciſcus Præſes Flaminiæ. 762. Gubernator Bononiæ. 764
Guido Archiepiſcopus Rauen.
Federicus. 764
Guido. 338
Gufredus comes Flaminiæ. 384
Blandus Hortæ Epiſcopus. 183
D. Blaſii ad Padum, donatur Abbati D. Ioannis Euangeliſtæ. 295
Blaſter, martyr Rauennæ. 45
Blandi. Flauius. 629. errat. 15.157
Matthæus. 629
Bobienſis Eccleſia. 295. ſubiecta Archiepiſcopo Rauen. 231. puto eãdẽ eſſe cũ Saſſinati.
Bobii. Vbertus. 412
Boccatii Rauen. 8
Boccatii Boropompilii. Almericus 484
Vitalis. 484
Boethus conſul. 134.138. interficitur a Theoderico. 139
Boii populi Italiæ. 5.6
Boldu. Andræas. 499
Bonacolſi, qui & Bonacoſſi. Guido. 510
Paſſarinus. 527
Bonamici. Nicolaus. 683
Pax. 453
Bonati. Fuſcus. 544
Guido. 440.461
Boncompagni. Boncompagnus. 782.796.801
Chriſtophorus Archiepiſcopus Rauen.
Gerardinus. 526
Hieronymus. 760.774.782
Hugo. l. Gregorius xiij. Pont. Max.
Iacobus. 760.764
Ioanninus. 526. Ioannes baptiſta. 774
Philippus Cardinalis. 760.769.794
Bondelmontes. Rainerius. 500
Bondemani. Chriſtophorus. 604
Silueſter. 757
Bondi. Nicolaus. 516
Bonhomi. Io. Antonius Abbas Nonantul. 747
Boni Ieſu Collegium Rauennæ. 699. confirmatus. 702
Bonifacius Comes Africæ. 92. deficit a Valentiniano. 97. ſuperat Duces eius. ibid. ſuperatur. ibid. in gratiam redit. 98
Bonifacius Pont. Max.
Bonifacius. ij. 146
Bonifacius. iij. 199
Bonifacius. iiij. 199
Bonifacius. v. 199
Bonifacius. vj. 248
Bonifacius. vij. 269
Bonifacius. viij. 486
Bonifacius. ix. 595
Bonifacius martyr Ruthenorum. 275
Bongiouanni, ſeu bonioannis. Dominicus. 445
Io. baptiſta. 701
Bononia a quo nomen habeat. 4. arce munita. 549. a Pontifice recepta. 577
Bononienſis Epiſcopus. 377. Adelbertus. 262.264.
Gabriel Paleotus. 747
Gerardus. 358
Henricus. 392
Iacobus. 428
Ioannes. 352

Ioan-

Ioannis:
Luminoſus. 505
Octauianus. 295
Rainutius Farneſius.l. Farneſi. 439.457
Sigiſridus. 300.312
Vbertus qui & Adelbertus. 264. Vbertus. 524.533.
Subiectus Archiepiſcopo Rauennæ. 97. 349. 356.420.519. 524.
Bononienſes inſeſti Ferrarienſibus. 262.cum Rauennatibus Forum Cornelium capiunt. 325.cum Rauẽnatibus fœdus faciunt. 335 Rauennatibus fœderati.335.367.442.cum Rauennatibus fugantur.347. ad pontem S. Proculi. 349. opem ferunt Cæſenatibus. 379. impetum faciunt in Rauennates.413. Forum Corneliũ capiunt. 386. Fauentinos obſidione liberant.413.opem ferunt Paulo Trauerſariæ.414. Mutinam circumuallant. 422. fœdus ineunt cum Rauennatibus.429 433. cum Venetis dimicant. 433. Venetos ſuperant.445. ſuperantur a Flaminiis.492. expellunt Legatum Pontificis.494.Gymnaſio priuati. 511. in libertatem ſe uindicant. 527. dant ſe Legato Pontificis, 546. illum eiiciunt.555. eum admittunt.563. ſub Pepolis. 560. 563. ſub Vicecomitibus. 570. ſtatum libertatis inſtituunt. 586. a Põtifice pacem impetrant.588.libertatis ſtatum reſtituũt.588.613. ſub Bentiuolis.599.Legatũ Pontificis plebs expellit.603.nobiles reſtituunt. ibid. denuo Legatum eiiciunt, & ſub Bentiuolis. 607. expellunt Legatum, 615. recipiuntur a Pontifice. 619.ſub Vicecomitibus.622. ſub Pontifice.613.ſub Gallis. 661. a Pontifice recepti.677.
Bonuicini. Henricus. 388
Borbonii. Carolus Romam contendit. 691
Borghini. Vincentius labitur. 19
Borgiæ. Alexander.l. Alexander.vj.Pont.Max.
Candianus.
Cæſar.l.Cæſar. 651
Borromei. Carolus Cardinalis. 733. patronus Carmelitanorum.738.Legatus Flaminiæ,& Bononiæ.739.in peſtilentia.762.Rauennæ.
Fridericus. 782
Boſchetti.Bernabos. 733
Boſii. Io. baptiſta: 523
Petrus Franciſcus. 654
Bottenghi. Sordellus. 773
Botticellæ. Franciſcus. 509
Brachila Comes Rauennæ. 695
121
Brachium forte ædicula Rauennæ. 109. forte ut illud innuatur quod ſcribitur. *O adonai, ueni ad redimendum nos in brachio extento*. & Iſaiæ cap. 51. *Conſurge, conſurge induere fortitudinem brachium Domini*.
Bragadini. Marcus.
M. Antonius. 644
Brandoli, Ioannes. 755
Tibertus. 495. 508
Braſulæ. Hieronymus. 495
Bratii. Hieronymus. 475
Io. Franciſcus. 696
M. Antonius. 635.638
Vgo. 676.679
Breſichella. 397
Britones in Italia. 739
Britonoriani cum Rauẽnatibus fœderati. 587
opem ferunt Bononienſibus. 547 549
Britonorium eſt Archiepiſcopi Rauennatis 281.295.299.325.329.340.431. Epiſcopatu ornatum. 576.770
Britonorianus Epiſcopus, Andreas Caligarius. 774
Auguſtinus Molignatus. 747
Thebaldus. 596
Subiectus Archiepiſcopo Rauennæ. 747. 776.
Brixillum opidum, 161. ſolo æquatum. 181. ciuitas. 191
Brocchi. Baltaſſar. 729
Brugnoli. Io. Maria. 755
Bruni. Nicolaus. 561
Brunorus Zampeſcus. 11. in cuſtodia habitus. 709. ponit militiæ fundamenta.724. bello Romano clarus. ibid.in Franciſcum Comiſtem a Balneo.725.in Gallia.743. eques D. Michaelis.ibid.moritur. 765
Bruſatti. Thebaldus Flaminiæ Rector. 508
Buccaferrei. Leo. 428
Buccoli. Vgolinus. 516.545.550
Vitalis. 451.471
Burgundiones Chriſtiani fiunt, 58
Butrighelli. Dominicus. 804
Franciſcus. 731
Burrium opidum Rauennæ. 9
Byzantium.l. Conſtantinopolis.

C

CABALLI. Agamẽnon poeſi clarus.726. Antonius.662.Auguſtinus. 706 Iacobus. 717
Caballini ſunt Archiepiſcopi Rauennæ. 326

Cæci-

Cæcilius Cornutus ſe ipſum interficit. 21
Cæſar Borgia omnem ferè Flaminiam occupat.649.651.652. Italiæ proceres necat, & Regno pellit.653. pellitur Regno. ibid.
Cæſarea quid fuerit. 25.176
Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, Rauennæ. 134
Cæſarum coronandorum mos antiquus. 123. 124.
Cæſena ab Odoacre poſſeſſa. 124. quo modo dicebatur. 170, incēditur. 171. eſt Rauennatium. 220. & Archiepiſcopi Rauenn. 274. arce munitur. 545. deficit a Pontifice. 553. ſub Ordelafis. 554. recipitur a Legato Pontificis. 575. cruentata a Britonis. 587. ſub Malateſtis. 590. recepta a Pontifice. 638
Cæſenas Epiſcopus. Aimericus. 464
Florus. 209. Florius. 352
Gonfredus. 257
Henuerardus. 443
Ioannes. 528.530
Leonardus. 350.352.354. Leonardus. 520
Leonidas. 488
Manzinus. 406. Maurus. Vicarius Archiepiſcopi Rauenn. in Concilio Romæ. 203. Maurus. 274
Oddo. 334. 337. Oddo. 376. 385. 386.
doardus Gualandus. 747
Seuerus. 171
Subiectus Archiepiſcopo Rauennæ. 97. 231. 519. 524.
Cæſenaticus portus extructus, & opidum. 505. 530.
Cæſenates tumultuantur. 329. Ceruiam capiunt. 367. certant cum Ariminēſibus. 379. fœderati cum Rauennatibus. 469. non obediunt Legato Pōtificis. 482. dant ſe illi. 505. obſidentur. ibid. tumultuantur. 506. 520. 544. recipiuntur a Pontificijs. 544. mittunt Rauennam ſua precioſa. 636. opem Rauennatibus pollicentur. 731
Cæſij. Andræas. 478.485.496.497
Petrus Donatus. I. Petrus Donatus.
Publius. 11
Ciues & Senatores Rauennates. 727
Caietani. Ioannes. 314.426
Benedictus Cardinalis. 508
Caius Pont. Max. 43
C. Cæſar Rauennam quotannis uenire ſolitus 10. Rauennæ exſpectat reſponſa a Senatu Romano. 11. illuc euocat tertiamdecimam legionem. 12. ſtatuam Rauennæ habet. 12. 13. habet copias Cæſareæ. 15
C. Caligula Cæſar. 21
C. Curio Tr. pl. 12
C. Iulius Alcimus Rauennas. 4
C. Marcellus Cos. 15
C. Marij ſtatua Rauen. 9. liberti ſepulcrum ibid.
C. Norbanus Cos. 20
Calbi. Antonius. 633.634
Calboli. Franciſcus. 493. Franciſcus. 539. Epiſcopus Saſſinas. 553. 556. Fulcerius. 417. 485. 556
Ioannes. 485.493.569
Nicolutius. 485.569
Paulutius. 557
Rainerius. 452.479.480.493.531
Viuianus. 530
Forliuio pulſi. 485
Calegarij. Andræas Epiſcopus Britonor. 776. 780. 782.
Saluolus. 492
Calini. Hieronymus. 518
Callienſis Eccleſia ſubiecta Rauennati. 231 748.
Callinichus Exarchus. 194. moritur. 197
Caliſtus Pont. Max. ex vrbe Rauennatum. 38
Caliſtus. ij. 323
Caliſtus. iij. 633
Caloprini Rauennates, patricij Veneti. 269. finem habent. 371
Camaldolenſis eremus. 274.396
Camaldolenſes ab Archiepiſcopo Rauennæ multis donati. 327. ubi incolant Rauennæ. 476. 617. laxiores ædes faciunt. 687. 772. Fauentiam incolunt. 331. a Friderico Cæſare in tutelam recipiuntur. 394
Camerani. Franciſcus. 726
Camini. Ricciardus. 527
Campegii. Laurentius Epiſcopus Ceruiē. 777
Campofregoſi Auguſtinus. 642
Bartholomæus. 602
Campiana uilla Rauennæ. 17
Campus Iani Rauennæ. 17
Campus Martius Bauennæ. 44.45
Canales. Albertus. 532. Alexander. 777
Guillelmus. 562
Nicolaus Archiepiſcopus Rauenn.
Canani. Iulius Epiſcopus Hadriæ. 747. 776. Cardinalis legatus Flaminiæ. 786
Cander martyr Rauennæ. 45
Candiani. I. Baduarij.
Candiani portus & palus. 15
Canis. Petrus. 423
Canobil. Io. Franciſcus Epiſcopus Forliuii. 776.

776.780.
Canonici Portuenſes.l.Portuenſes.
Canonici Rauennates mitras & mappulas deferebant.185. 355. multis donantur. 307. 319.325.347.437. eorum leges.308.Cardinalium nomen amittunt.745. rocchettis, & capparellis utuntur. 749
Canonici S. Saluatoris ueniunt habitatum Rauennam. 634
Canoſſæ. Bernardus. 410
Ioannes. 373
Rolandinus. 494.579
Simon. 608
Capelli. Franciſcus. 649
Vincentius Dominicanus. 749.757
Capitolium Rauennæ. 17.44
Capiuacij. Hieronymus. 765
Capoferrei. Hieronymus Cardinalis, Legatus Flaminiæ. 708
Capranicæ. Dominicus Epiſcopus. 615
Capuæ. Fabricius. 614
Capuccini Franciſcani Rauennæ.750.eorum ædes fundatur. 755
Caput Sandali eſt Eccleſiæ Rauenn. 262
Caracalla Cæſar. 38
Caraffæ. Antonius. 725
Carolus Cardinalis. 722
Diomedes Cardinalis. 60.61
Io. Petrus.l.Paulus.iiij. Pont.Max.
Caratioli.Io.Baptiſta. 652
Nicolaus. 521.523.527
Ottinus. 609
Carauelli. Marinus. 610
Carbonenſes. Petrus. 447
Carcioffi in Italia quando rari. 486
Cardinales Rauennatis Eccleſiæ quando inſtituti,& cur uocati.232. abrogati. 745
Cardinales Romanæ Eccleſiæ quando inſtituti, & eorum munus. 232.233
Cardonæ Raimundus. 540.683
Carentorum ſocietas. 479
Cari. Annibal. 703
Carignani Guido. 554.542
Iacobus. 556
Tereſinus. 562
Carillæ. Egidius Legatus Italiæ. 570.recipit Flaminiam. 574.575
Carinus Cæſar. 43
Cariſſimi. Ludouicus. 710
Carmelitani Rauennam habitatum ueniunt; 601. eorum comitia Romæ. 737
Carneuali. Nicolaus. 532.545.548
Carolus Martellus petit opem a Luitprando. 217.
Carolus Mannus. 220
Carolus Magnus Deſiderium Regem obſidet.228. Romæ fit patricius. ibid. Rauennæ accipitur magno apparatu. 230 Oſtiariis Rauennatis Eccleſiæ donat. 231. Imperator creatur. 233. partitur cum Cæſare Byzantij Italiam.ibid. ornamenta Rauenna abducit. 234.moritur.235.legat Eccleſiæ Rauen. ibid.
Carolus.ij. Cæſar, Caluus. 244
Carolus iij.Cæſar groſſus.245. Rauennæ.ibi.
Carolus. iiij. Boemus. 567
Carolus.v. coronatur Bononiæ. 696.Solimanumperterrefacit.700.Algerium petit.705 Placentiam occupat.709. Senas oppugnat. 712.
Carolus Dyracchinus Rex Neapolis. 589
Carolus. ij. Neapolis Rex. 469
Carolus Andegauenſis Rex Neapolis & Siciliæ. 440.441.463
Carolus Gallorum Rex Flaminiæ Rector. 504
Carolus Gallorum Rex. viij. Neapolitanum Regnum acquirit. 643
Carolus Gallorum Rex.ix.ab Hugonottis turbatur. 733
Carolus Roberti Regis Siciliæ filius. 528
Carpenſes immunes. 772
Caranzæ. Michael Carmelita. 737
Carpigni Comites.Franciſcus. 508
Guido. 411.427
Rambertus. 515. Rainaldus. 515. Raynerius. 425
Vgo. 425
Carrarij. Deſdeus. 374
Franciſcus. 588.592.597
Iacobus. 582
Marius. 772.776
Marſilius. 432.582
Nicolaus. 582
Thebaldus. 358
Vbertinus. 358.432.374.377
Vincentius.275.602. 619.726.776.779. 787.788.
Carrettorum domus unde originem ducat. 261.272.
Daniel Rector Flaminiæ. 581. 582
Leonora, } 596
Catherina. }
Carthaginienſis Antiſtes. Gratus. 54
Rufus. 55
Caruaiales. Bernardinus Cardinalis. 662
Carus Cæſar. 43

Caſamata conſociatio Piſcatorum Rauen. 508
Caſſiodorus Rauennas Siculis præeſt, 125. filius Theoderico Regi a ſecretis;ibid. Conſul & Senatu Romæ,ibid.Præfectus Prætorio. 147.monachus, 151.laudatur ab Athalarico Rege. 151.152
Caſtaneæ.Io.baptiſta Cardinalis. 793
Caſſolæ. Simon. 779
Caſtellani Camillus. 806
Caſteluitrii. Peppus. 428
Caſtilionei.Balthaſſar. 675
Caſtinus Scitha.92. captus ad Valentinianum adducitur Rauennam. 95
Caſtrocarum Florentinis datum. 599
Caſtrum Bononienſe ædificatum. 593,ſub Barbiani comitibus.600. ſub Eccleſia. 601
Caſtrutij, Io.Baptiſta Cardinalis. 793
Cataldi . Martinus. 476.477
Catanei , qui ſint. 374
Catanei . Bernardinus. 705
Catolica , eſt Eccleſiæ Rauennæ. 532. 574
Catti. Bernardinus, qui & Lydius. 650.689
Clara. 603.604
Gaſpar. 603. 604
Lazarus. 477. Laurentius. 611
Michilinus. 603.611
Venerius. 702
Caualli.l.Caballi,
Cauallarij.l.Peregrini.
Caualli opidum Eccleſiæ Rau.428.453.454
Caudiferri. Petrus. 551
Celeſtinus Pont. Max.
Celeſtinus. ij. 329
Celeſtinus.iij. 360
Celeſtinus.iiij. 418
Celeſtinus.v. 485
Ceſini. Anaſtaſius. 657.672.677.697
Celſi Rauennates, patritij Veneti. 495
Centuriones. Adamus. 804. Alexander. 804
Marcus. 804
Cetaſij. Tiberius.
Ceruia unde nomen habuerit.60. a ForoCornelianis occupata. 364. 366. maxima pars eſt Eccleſiæ Rauen. 360.363.399.capitur a Cæſenatibus.367.ſubiectaRauēnæ.375.occupata ab Ioanne Vrſarola. 402. a Venetis, 418. a Forliuianis.449.ſubPoleranis.531. eſt Eccleſiæ Rom. 564. ſub Malateſtis.590 617.ſub Venet.637.Pōtifici reſtituta.696.
Ceruienſis Epiſcopus.Albertus. 366.367
Bonus.205. Bonus. 297
Gerontius. 130.Guido. 532
Ioannes.371.Ioannes Vrſarola.402. Laurētius Cāpegius.777.Leo. 275.Lucidus. 294
Matthæus. 512. 524. 530
Paulus.610.Petrus. 334
Ruſticus. 386
Scipio Sanctacrucius . 747. Simon. 373.
Theobaldus. 358
Subiectus Archiepiſcopo Rauenn. 358. 512.519. 524.
Ceruienſes ſacramentū dicunt Rau.Archiepiſcopo.323.376.iurant fidelitatē Petro Trauerſariæ,& Deſdeo Carrario.374.quæ debebāt Archiepiſcopo Rau. 388.399. diris deuoti.392.cōcordiam ineunt cū Trauerſaria. 393. pacta cū Rauēnatibus faciūt.399
Cherecati.Io. Iacobus Carmelita. 737
Cham, Noei filius. 1
Chieſæ.Bonus.776.777.779.780.Vicarius Archiepiſcopi. ibid. 787
China, Prouincia nuper inuenta. 746
Chriſti imago Pulcherrima, eiusq. miraculum.133.134.eius Sandalia. 236
Chriſtianorum columniæ, & uitæ genus. 45. 46.nomen a Turcis. 805
Chriſtianorum clades. 27. 32.34.38.39
Chriſtianus Archiepiſcopus Maguntiæ. 350
Chriſtierna Lothoringiæ Dux.769.Rauennates reddit immunes. 783
Chunradus Cæſar. 276
Chunradus .iij.Cæſar. 328
Cicero uenit ad Cæſarem, Rauēnam.12. eius locus explicatus. 12
Cidnus Liguris filius. 2
Cillæ. Tiberius. 802
Cincij. Rainaldus. 542. 544.545
Cinræ. Martinus. 642
Cipreſſi. Cipreſſus. 483
Tibertus. 455.483
Circli. Vbaldinus. 532. 534
Tanus. 534
Circumcelliones hæretici. 83
Clarentorum ſocietas. 509
Clariti.Lælius. 771
Claſſiarij Rauennates victorem faciunt Othonem Cæſarem. 28
aſſis ad Candianum. 13.Miſeni. ibid.
Caſſis opidum a cōfluentibus ad claſſem mercatoribus factum.14.Hac autem, imò longe minore cauſa,moraq.fieri opida conſueſſe,oſtendit Liuius lib. 41.qui de Iſtrico bello ſcribens,cōueniſſeq.affirmās.l.Cornelij, & C. Furij. Duumuirum naualium naues uiginti, ad proximum lacus Timaui portum, cum onerarijs, & magno commeatu,

ſecu-

ſecutumque cum legionibus Conſulem, quinq. ferme millia a mari poſuiſſe caſtra, ſic inquit, *In portu emporium breui perfrequens factum, omniaq. hinc in caſtra ſubportabantur: & quo id tutius fieret, ſtationes ab omnibus caſtrorum partibus circumdatæ ſunt.*
Claſſis opidum quater captum. 14. a Iuliano Cæſare. 37. a Feroaldo. 178. 217. ter a Saracenis direptum, reſtituitur. 200
Claudius Cæſar. 41
Claudius Abbas, in claſſe. 194. moritur. 197
Clefis Longobardorum Rex. 177. 178
Clemens Pont. Max.
Clemens. ij. 283
Clemens. iij. 359
Clemens. iiij. 441
Clemens. v. 510. 511. 512
Clemens. vj. 561
Clemens. vij. in Cæſarem fœderatus. 691. obſeſſus ab Hiſpanis. 692. repetit a Venetis Rauennam. 694. dubius. ibid. Barcinonæ. 696. Bononiæ coronat Carolum. v. Imp. ibid. recipit Rauennam. ibid.
D Clemẽtis hoſpitiũ, & tẽplũ ad Primariũ. 385
Clodoueus, ſeu Hlodoucus Francorum Rex. 134. ſuperatur. ibid. ornat templa Romana. 139. filiam dat Theoderico Regi uxorem. 126. Chriſtianus factus. 134
Cliſſa a Turcis capta. 702
Clugienſium Legati, Rauennæ. 576
Clugienſium Epiſcopus. Gabriel Flãma. 784
Michael. 569
Cn. Lentulus accuſatus. 21
Coccapanis. Gaſpar. 728
Cœmeteria quæ, & quot, Romæ, & Rau. 47
Coioni, Bartholomæus. 640
Sozzus. 386. 398
Colinei. Cetellio. 664
Collegium fabrum militiæ Rauenn. 17
Collegium iuriſconſultorum Rauenn. 695
Collegium Bononiæ, a Pontifice. 581
Collegium Græcorum Romæ. 764. Germani cum. 780
Coloniæ primæ poſt diluuium. 1
Columba argentea in ara D. Ioannis Euangeliſtæ. 102. id autem ex uetuſto Eccleſiæ more: Nam intra columbam auream etiam reponi ſanctiſſimam Euchariſtiam conſueſſe, legitur in actis S. Baſilij, quæ Amphilochij nomine inſcripti habentur. Eidem addictas muneri columbas aureas & argẽ eas ſupra baptiſteria ſuſpenſas, Seuerus impius hæreticus ſuſtulit, ut quæſti ſunt clerus & monachi Antiocheni libello ſupplici quẽ v. ſynodo obtulerunt: quod notauit diligẽtiſſimè in 1. to. Annaliũ Eccl. doctiſs. Baronus.
Columbi. Chriſtophorus. 644
Fernandus. 645
Columbi Rauen. Angela. 705
Bartholomæus. 699. 706
Dionyſius. 775. 786
Franciſcus. 699. 706
Columna opidum ſolo æquatum. 502
Columna Soli dicata Rauennæ. 16
Columnij. Fabricius. 661. 668. 669
Ienazanus. 472. Iacobus Cardinalis. 502. Ioãnes. 426. Marchio Anconæ. 470. Ioannes. ij. captus. 477. dimiſſus. 479. Iordanes. 466
M. Antonius. 663. 664. 672. 675. 685.
M. Antonius. ij. 722. 756. M. Antonius. iii. Cardinalis. 785
Otho Martinus. v. Pont. Max. 610
Petrus Cardinalis. 481. 484. 502. Pompeius Cardinalis. 674. 689. 691. Proſper. 688
Stephanus. 472. captus. 477. dimiſſus. 479. cum Henrico. vii. Cæſare ſentiunt. 517
Comites Guidi, qui nunc a Balneo dicuntur,
Aghinulfus. 382
Bandinus. 449
Fabricius Marchio. 774
Galeotus. 552. 553. Guido. 278. Guido Guerra. 316. 324. Guido Guerra. ij. 345. 360. 379. Guillelmus. 556
Io. Franciſcus. 732. 735. 737.
Petrus. 616
Ricciardus. 616. Rogerius. 379. 392. 449.
Tancredus. 449
Tetigrinus. 259. Tigrinus. 254. Tigrinus. 449.
Comites è Romena. Aghinulfus. 451. 480
Alexander. 480
Guido. 451
Ildebrãdinus Epiſcopus Aretinus. 511. 478
Horum omnium origo. 254. 275
Commodus Cæſar. 37
Cõciliabulũ Ariminẽſe. 56. Aquileiẽſe. 169
Concilium a quo conuocandum. 130. 132
Baſileæ. 619. Byzantii quinctum. 168. ſextum. 209
Claromontanum. 314
Conſtantiæ.
Epheſi. 99
Ferrariæ. 619. Florentiæ. 620. 621
Lugduni. 418. 448
Nicææ primum. 50. in Bibliotheca Vrbana. 617 alterum. 229

Rauennæ. 130.243.244. 250
Romæ. 50 51.57.130.131.203.220.226 283.314.378.
Sardicæ. 51
Veronæ. 355
Concilium Prouinciale Rauennæ ab Arnaldo Archiepiſcopo. 274
a Bonifacio. 458.464
a Chriſtophoro Boncompagno. 776
a Giberto. 274
a Iulio Ruuereo. 747
a Philippo. 443
a Rainaldo. 512.520.524.530.533
Concordia inter populum & clerum, Rauen. uetus. 360. uetus. 618
Concordius martyr Rauen. 45
Condolmerii. Gabriel Cardinalis. 612
Conon Pont. Max. 210
Conſtantinopolis reſtituitur. 49. a Turcis capitur. 633
Conſtantinus Pont. Max. 213
Conſtantinus Cæſar. 43. in Italiam deſcendit. 47. crucem in cælo uidet 48. Silueſtrum Pont. Max. audit. ibid. baptizatur. 49 Conſtantinopolim reſtituit. 49. Romam Pontifici Max relinquit. ibid. moritur. 50. eius labarum. 486
Conſtantinus. ij. Conſtantes & Conſtantinus Cæſares. 59
Conſtantinus. iiij. Cæſar. 207. priuilegia largitur Eccleſiæ Rauenn. 208
Conſtantinus. v. 220
Conſtantinus. vj. Cæſar. 229
Conſtantius Cæſar. 43
Conſtantius, exercitus Honorij Dux. 86. Placidiam ducit uxorem. 87. Cæſar factus. 91. generat Valentinianum. iij. Cæſarem. 90. moritur. 92
Conſulum dignitas Romæ ceſſat. 175. reſtituitur in ciuitatibus Italiæ. 281. quæ deinde fuerit. 386
Contareni. Andræas. 608. Antonius. 610. Bartholomæus. 693. Bernardus. 644.
Gaſpar. 694.696
Paulus. 617.618
Contarij. Mainardinus. 425
Petrus. 324
Vgutio. 606
Corbi. Petrus. 366.372.431.
Vgulinus. 406
Corelli. Franciſcus. 726
Corlianum eſt Eccleſiæ Rauenn. 487
Cornari. Marcus. 540
Philippus. 443
Cornazani. Gerardus. 454.486. Guillel. 533
Pantaleo. 533
Cornei. Aſcanius fuſus & captus. 715. bello contra Io. Franciſcum a Balneo. 725. Rauennæ. 737
Franciſcus. 804
Cornelius Pont. Max. 39
Corni. Thdæus. 639
Coronæ ſiue Roſaria B. Virginis inſtitutæ. 314
Corporis Chriſti cœnobium Rauennæ ædificat. 687
Corrigiarij. Franciſcus. 517
Corrigij. Azo. 565
Gibertus. 507.510.512.527
Ioannes Cagnolus. 564
Thomas. 395
Coſma opidum ædificatur. 367
Coſtabiles. Paganus. 329
Vgutio. 417.423
Cotignola ædificatur. 450. ſub Aucuto. 585 ſub Eſtenſibus. ibid. permutata pro ripa fili. 596. ab Hiſpanis capta. 692
Crana, & Cranus Noci filij. 1
Cremonēſis Epiſcopus. 377.512. Euſtaſius. 130
Liuzius. 262
Nicolaus Sfondratus Cardinalis. 372.762
Cremonenſes fœderati Rauennatibus. 372.
Subſidium illis pro craſtinant. 412
Creſpoli. Simon. 700.704
Criſpoldi. Tullius. 719
Croſicij. Petrus. 702
Crotti. Aloiſius. 614
Crucesignati. 214
Cruciata inſtituta. 214
Crucifixi imaginis miraculum. 675
Cruciferi Rauennæ habitant. 359. eorum Generalis. 557
S. Crucis templum Rauennæ ædificatū. 107
S. Crucis fontis Auellanæ cœnobium. 303
Cunij. qui & Barbianij dicuntur. Albericus. 582.588.591.592.599. 600.605.612.
Alidoſius. 588. 592. Andræas. 577. 585
Balduinus. 560. Bandezatus. 487. Bernardinus 370. 440. 453. 487. 488. 498. 500. 543. 560. 577. Bernardinus malitia. 577
Franciſcus. 582
Guido. 370. Guido. ij. 577
Ioannes. 582.597
Ludouicus. 577.597.599.601.605
Manfredus. 599.601. Marcus. 560. 577
Nicolaus. 582

Rainerius. 417.435.479.487.496
Vgulinus. 541.577
Fauentia pulſi.478. deſerunt Cunium.492
Cunium ſolo æquatum. 492
Cur, quis fuerit. 2
Curli. Iacobus. 780
Curtes. Matthæus. 701
Vgutio. 412
Curtina opidum. 353
Cymaclenſis Epiſcopus. Adelbertus.
Bartholomæus. 559
Bone. 428
Cyprianus. 252
Henricus.334.Hercules Sacratus. 747
Michael. 443
Petrus. 524.530.532
Subiectus Archiepiſcopo Rauenn. 231. 519. habet templum Rauennæ. 431
Cymaclienſes ſacramentum dicuot Rauennatibus.440.461. 495. deficiunt ad Eſtenſes.498.redeunt ad Rauennates.509. recipiuntur ab Eſtenſibus. ibid. redeunt ad Rauennates. 520. 534. dant ſe Venetis. 642
Cymaclum unde dictum & ædificatum.4.ferro & igni abſumptum. 234. amiſſum a Rauennatibus. 245
D.Cypriani opera in Bibliotheca Vrſiana.617
Cyprus a Turcis capta. 755

D

Dalmatii. Degus. 517
Dalmatæ Rauennam habitatum veniunt. 13. 633.
Dalmatiæ pars a Turcis capta. 633
Damaſus Pont. Max. 57
Damaſus. ij. 289
Dandoli.Franciſcus Dux Venet. 550
Dantes Aligerius Rauennæ. 535. Polentanorum Legatus.536.moritur. ibid. eius locus declaratus. 343. defenſus. 473
Decius Cæſar. 39
Delfini.Victor. 629
Demoſthenes Rauennas patricius. 31
Dentes. Marcus. 692
Deodatus Pont.Max. 199.207
Dertonenſis Epiſcopus.Iacobus. 523
Derthonenſes Rauennæ immunes. 770. faciunt Rauennates, Ciues ſuos. 783
Deſiderius Longobardorum Rex.224.Rauennatem agrum diripit. 228.captus a Carolo Magno.ibid.
Deza. Petrus Cardinalis. 807
Diamantes mentita ſexum. 765
Diedi. Aloiſius. 655
Franciſcus. 639.640
Io.Iacobus Epiſcopus. 791
Dimilium Canale fit. 506
Dioclitianus Cæſar. 43
Diogenius filius D. Vitalis martyris. 26
Dionyſii Bittinus. 479
Dionyſius Pont. Max. 40
Diptycha quæ ſint. 135. Quam uero diximus in hac hiſtoria, Caſulam, Diptichorum imaginem referentem in ſacrario Claſſenſe ſeruari, ea è ſerico argenteo, texta eſt. in cuius anteriori parte, intra duas lineas ſurſum, ac deorſum recta deductas, deſcripta opere phrigio, in circulis habet hæc nomina. *Sigibertus Epiſcopus. Andreas Epiſcopus. Dominicus Epiſcopus. Modeſtus Epiſcopus. Clemens Epiſcopus. Valens Epiſcopus Arborius Epiſcopus. Romanus Epiſcopus. Maurus Epiſcopus. Conceſſus Epiſcopus. Petrus Epiſcopus.* Tranſuerſim uerò, ab uno humero ad alterum, intra duas item lineas, minime rectas, ſed arcus modo ſurſum flexos, eodem opere, hæc habet. *Conceſſus Epiſcopus. Verecundus Epiſcopus. Senator Epiſcopus. Iunior Epiſcopus. Lupinus Epiſcopus. Siabrinus Epiſcopus. Lucius Epiſcopus. Agapitus Epiſcopus.* In dorſo, inter duas lineas recta item, ſurſum, ac deorſum excurrentes, in medio, paulo ſupra locum, ubi ſunt renes, in circulo manus eſt aperta, tranſuerſim locata: ſupra ipſam hæc, in circulo quodq. ſuo, leguntur. *Gabriel Angelus. S.Ruſticus. Euprepius Epiſcopus. Dimilianus Epiſcopus. Simplicius. Proculus Epiſcopus.* infra manum hæc ſunt. *Michael Angelus. Heſcirmus. Petronius Epiſcopus. Innocentius Epiſcopus. Montanus Epiſcopus.* In cornu tranſuerſo, ſurſum etiam ſinuato, ita habetur. *Zeno Epiſcopus. Gricinus Epiſcopus. Lucillus Epiſcopus. Saturninus Epiſcopus. Germanus Epiſcopus. Felix Epiſcopus. Siluinus Epiſcopus. Theodorus Epiſcopus.*
Doctrula, ſeu Doctrulfius Dux Sueuus. 179. eius mors & epitaphium. 181
Domitianus Cæſar. 32
Dominicani fratres Rauennam ueniunt. 443
D.Dominicus Calaguritanus.378. eius ſancti corporis translatio. 403. eius templum Rauen. 443

Domnus Pont. Max, 266
Donati. Donatus. 625
Hieronymus. 16. 111
Leonardus. 788
Donati Rauen, Albertus. 644. Albertus, ij, 726
Ioannes. 693
Petrus. 659. 672. 676. 677. 678.
Donatiſtæ hæretici, 63. 66. 79. 83. 84
Donus Pont. Max. 208
Doroſter martyr Rauenn. 45
Douadula opidum. 338
Douariæ. Gerardus. 386
Druſus Cæſar, Cos, 20
Ducatus nomen agris impoſitum. 249
Ducatus aureus primum cudi cœptus. 177
Duces. Adelbertus. 262. Almericus. 290. 326
Andræas. 262
Guido. 370. 379
Henricus. 264
Iacobus. 427. Ioannes. 257. 262. Ioannes. ij. 331. 334 336. 337. Ioannes iij. 352. Ioannes iiij. 433
Lambertus Comes, 262
Paulus. 257. 262, 264. Petrus. 257. 262. 264
Petrus. ij. 275. Petrus. iij. 319. 324. 325
Petrus. iiij. 326. 329. 330. 331. 338. 345
Rodaldus. 264. Romoaldus. 248. 257. Romualdus. ij. 262. Romoaldus. iij. 264. I.D. Romoaldus.
Sergius. 248. Sergius. ij. 262. 264. Seuerus. 262.
Thebaldus. 278
Vgulinus, 331
Ducum dignitas quando primum in Italia. 176. 177.
Dulcichii Rauennam ueniunt. 634. Nicolaus. 719
Duſdei. Guido. 336
Petrus. 399. 455
Vbertinus fœdus facit cũ Trauerſarijs. 370

E

ECCLESIA diuitias antiquitus habuit. 49
Eccleſiarum immunitas. 80. parum uacare debent. 193
Ediſtius martyr Rauennæ. 44
Eduardus Rex Angliæ. 465. 502
Egidianæ conſtitutiones, 577
Elephantutii. Opizo. 787. 790
Pandulfus. 665
Eleutherius Pont. Max, 37
Eleutherius Exarchus. 199. trucidatur. ibid.
Emanuel Luſitaniæ Rex, 645
Emanuel Philibertus Allobrogum Dux. 748
Emiliani. Angelus. 642
Entius Friderici. ij. filius capit Antiſtites. 418
Epiſcopi & Imperatores Orientales fidem Catholicam profitentur apud Romanum Pontificem, 215
Epiſcopi quando duo in qualibet ciuitate. 202
Epiſanius Ticinenſis Antiſtes. 128
Ermengarda Italiæ moderatrix. 254
Eſtenſes. Albertus. v. 596. 597. Aldrouandinus. 314. Aldrouandinus. ii. 376. Alfonſus. I, Alfonſus. Alfõſus. ij 474. Almericus. 262 Amizo. 262. Azzo. ij. 262. Azzo. v. 314. Azzo. viij. 363, 365. 374. Azzo. ix. 417. 421. 422. Azzo. x. 299. Azzo. xij. 597
Beatrix. 429. Bertoldus. 637. Bonifacius. 291. Eliſa. 587. Franciſcus. 299. 518. Guelfus. vj. 314. Guelfus. vij. 314. Friſcus. 518. Henricus. 401. Hercules. 641. Leonellus. 632. Lucretia. 754. 782. Margherita. 615. Marinus. 245. Mathildis. I. Mathildis. Nicolaus. 551. Nicolaus. ij. 587. Nicolaus. iij. 597. 599. 610.
Opizo. v. 363. Opizo. vj. 466. Opizo. vij. 541. Opizo. viij. 587. Otho. 245. Otho. iiij. Cæſar. 374
Petrus Abbatis. 493
Rainaldus. iij. 541. 551
Thebaldus. 262. Thebaldus. 291
Anconæ Marchiones. 562
Etius captus, Rauennam adducitur. 95. ſuperat Athilam, & interficitur. 111
Euangelium quo loco recitabatur. 766
Euariſtus Pont. Max. 35
Euchariſtiæ ſanctiſſimæ miraculum. 154. 155
Eucherius Stiliconis filius. 70. interfectus, 74
Eudocia & Placidia, Valentiniani. iij. Imp. filiæ. 114
Eudoxia Valentiniani vxor capitur. 114
Euganei populi in Italia. 5
Eugenius Pont. Max. 206
Eugenius. ii. 238
Eugenius. iii. 331. 335
Eugenius. iiii, 616. oppugnatus, 618
Eugubinus Epiſcopus. Hubaldus. 378
Subiectus Archiepiſcopo Rauen. 231
D. Euphemiæ martyrium. 30. eius corpus Rauennam allatum. ibid.
D. Euphemiæ ad Arietem templum Rauẽ. 31
D. Euphemiæ ad mare, in claſſe, ædicula. 31
Euſebius Pont. Max. 44

Eucha-

Eutharicus Theoderici gener. 135. ludos Rauennæ celebrat. 136
Euritianus Pont. Max. 41
Euriches hæreticus. 107. ſcribit ad Chryſologum Archiepiſcopum Rauen. ibid.
Euthychius Exarchus. 219
Eunurcius Aurelianenſis Epiſcopus per columbam electus. 42
Exaltationis S. Crucis dies feſtus. 200
Exarchatus Rauennæ quando incepit. 175. cur ſit dictus. ibid. reſtitutus Eccleſiæ Romanæ, ab Aritperto Longobardorum Rege. 213. a Pipino. 223. a Carolo magno. 228. a Hludouico Cæſare. 236. ab Othone primo. 261. a Rodulfo. 446. quomodo finem habuit. 224
Exarchi vnde dicti. 175. quot fuere locis. 176. eorum dignitas Archiepiſcopis Rauen data. 227. quid in Archiepiſcopo ſignificet. 336.
Excellentiæ titulus, quibus datus. 175. 504
Ezzelinus Onara ſunditur. 422. quærit purgare ſe apud Pontificem. 425. occupat totam Venetiam. 432. moritur. 434

F

Fabianvs. Pont. Max. per columbam electus. 39
D. Fabiani, & Sebaſtiani templum Rauennæ ædificatur. 295
Fabri. Antonius. 651
Ioannes. 647
Matthæus. 642. Matthæus. ij. 708. 719. 769. Paulus. 683
Faſulæ vnde nomen habent. 4
Fagiolæ. Paulutius. 535
Thebaldus. 492
Vgutio. 497. 498. 504. 505
Fanum caſtrum. 354
Faneſtres a Rauennatibus oppugnati. 328. diris deuoti. 539
Fani Epiſcopus. Albertus. 387
Franciſcus Ruſticutius. 747
Subiectus Archiepiſcopo Rauenn. 231
Fantina uia & Fantinus amnis, qui. 8
Fantini. Ioannes. 427
Fanum conflagrat. 171. ſub Malateſtis. 562. receptum a Pontifice. 637
Farneſii. Alexander Cardinalis. 689. I. Paulus. iij. Pont. Max. Alexander. ij. Cardinalis. 708
Ferdinandus Epiſcopus Parmæ. 776
Horatius 711
Octauius. 708. 709. 760
P. Aloiſius. 708. 709
P. Nicolaus. 577
Farratini. Baldus Epiſcopus. 721
Fauentia eſt in Rauennati. 223. eius comitatus eſt Archiepiſcopi Rauenn. 279. capta a Friderico. ij. 417. oppugnata a Hieremiſinis. 448. capta a Guidone Polentano. 453. munita ab omnibus prouincialibus. 484. adempta Eccleſiæ. 521. occupata a Manfrediis. 545. 569. recepta a legato Pontificis. 547. 574. ſub Aucuto. 588. ſub Eſtenſibus. ibid. recepta a Manfrediis. ibid. a Vicecomitibus. 599. a Pontifice. ibid. a Manfrediis. 602
Fauentini, Rauennates ſuperant. 299. 306. 316. 324. 326. 331. Cæſenates iuuant. 329. timent Rauennates. 330. ſuperant Forliuienſes. 348. Imperatori detrectant obedire. 357. occupant opida Eccleſiæ Rauen. 369. iuuantur a Petro Trauerſaria. 370. in Rauennate excurrunt. 406. Forliuium oppugnant. 410. Rauennate uaſtant. 410. 411. diris deuoti. 386. 446. ſub Paulo Trauerſaria. 413. Rauennam ueniunt. 731
Fauentinus Epiſcopus. Albertus. 400. Annibal Graſſus. 762
Baptiſta Sighicellus. 747
Gerardus. 257. Gualterius. 428
Iacobus. 470. Ioachinus. 373. Ioannes. 360. Ioannes. ij. 559
Leontius. 205. Lotherius. 480
Matthæus. 503. 507
Rambertus. 331. 336. 345. Romanus. 254
Stephanus Bennus. 563. 568. 580
Vbaldus. 371. Vgulinus. 530. Vitalis. 259
Vitianus. 464
Subiectus Archiepiſcopo Rauen. 97. 190. 231. 322. habet ædem Rauennæ. 242.
Fauſtinus Rauennas. 33
Faxoli. Drogolus. 508
Iacobus. 436
Ioannes. 508
Federici Hieronymus Epiſcopus Martorani. 738
Felicianus martyr Rauenn.
Felix Pont. Max. 45
Felix. ij. 40
Felix. iij. 56
Felix. iiij. 122
Felix patricius Rauennas, Pentapolis Præſes. 143

58. interficitur, 98
Feltrii.l.Feretrani.
Ferdinandus Rex Neapolis, cedit. 643
Feretrani Comites. Antonius, 587.608
Boncontes. 410.457
Caualcacontes. 427. Corradus. 458.460.
Fridericus. 504.505.516.535. Fridericus. ij. 630.636.637. Galaſſus. 490. Guido. 447. 452. 457.459. 489. 490. fit monachus. 495. moritur. 499. Guido. ij. 535. Guidubaldus, 653.658
Maloſſius. 491. Monteſeltranus. 427
Nolfus. 542.556.576
Philippus, 459
Rainaldus. 460. Robertus, ibid.
Sperantia. 535.542
Thadæus. 427.457.458.460. Thadæus nouellus, 459.460
Feretranus Epiſcopus. Rolandus. 386
Vbertus. 524. Vgo ſiue Vgulinus. 427.
Subiectus Archiepiſcopo Rauenn. 231. 272.273.519.524.
Feroaldus Spoletinorum Dux Claſſem opidum capit, 217
Ferraria cur ſit dicta. 89. muro cincta, 198. Epiſcopo ornata. 206. Eſtenſibus ſubiecta. 262. ubi ædificata. 387, Azzoni. ix. tradita. 416. Venetis data. 518. obſeſſa a Pontificiis. 552.
Ferrarienſis Epiſcopus. Alfonſus Roſettus. 747.
Conſtantinus. 252
Griſo. 330. Guido, 534
Landulfus. 324. Leo. 261.264
Martinus. 257
Paulus Leonius, 777
Rolandus. 290
Vgutio. 364
Ferrerii Guido Cardinalis, legatus Flaminiæ. 775.
Ferrerti. Exuperantius, 729
Io. Petrus. l. Io. Petrus. Iulius. 707
Nicolaus. 689
Feſti dies celebrandi. 72.83
Feſtus Rauennas uir ampliſſ. 126
Firmani, dominum expellunt, 589
Fiuizani. Auguſtinus eremita, Auguſtin. 771
Flaminia eſt Romanæ Eccleſiæ. 446.456. defecit a Pontificio legato. 478
Flammæ. Gabriel Epiſcopus Clugien. 784
Fliſci. Bonifacius Archiepiſc. Rauen.
Guido. 454
Iſabella, 566
Leonardus. 507. Ludouicus Cardinalis. 602.
Magdalena. 420 Manuel. 453. Margarita, 489.
Nicolaus Cardinalis. Archiepiſc. Rauen. Percevallus. 443
Sinibaldus. l. Innocentius iiij. Pont. Max.
Sorlio. 455
Thediſius. 455
Vrbanus electus Archiepiſc. Rauen. 690.
Floronij. Cæſar. 692.694.695
Marcus. 658.664
Petrus. 639
Fluminum magnorum aqua mala. 119
Fluminum incrementa in Italia. 725
Foiſſei. Gaſto. exercitus Gallorum Imperator, fundit Venetos, & Brixiam recepit. 662. Pontificios ad pugnam prouocat, 662. 663. Ruſſium expugnat. 663 Rauennam quatit. 664. præliatur cum Hiſpanis. 670. interficitur. ibid.
Foliani. Bartholinus. 458. Bernardus. 494. Bonifacius, 458
Franciſcus. 455
Guido, 501. Guillelmus. 501
Matthæus. 455.458.476
Nicolaus. 458
Thomas. 426. 431. 455. Thomaſinus. 501
Vgulinus. 458
Regio pulſi. 457
Fontanæ, Aldigherius. 329. 444. 482.483. 503. Albertinus. 453
Bornardus. 417
Dondacius. 590
Guillelmus. 444.482 483
Iacobus. 525
Ioannes. 444 503
Raimundus. 525
Thomas. 417.427
Formoſus Pont. Max. 247.250
Foraſterii. Pacificus. 806
ForoCorneliani patriam inſtaurant. 325. obſeſſi a Bononienſibus. 333. caſtrum Imolæ capiunt. 334. opem Rauennatibus pollicentur. 731
ForoCornelianus Epiſcopus. Alexander Muſottus. 777. Barbatus. 209. Boethus. 205
Chenricus. 290. Cornelius. 105
Franciſcus Guarinus. 747
Henricus. 350
Ioannes. 257.261.264
Mainardinus. 383.394.416. Maldinus. 374
Matthæus. 330

Paulus. 278. Proiectus. 101. 109. 121. Petrus. 252. Rainaldus. 561. Rodulfus, 336
Sifredus. 464. Sinibaldus. 443. 457
Thomas. 428
Subiectus Archiepiſcopo Rauenn. 97. 190. 193. 519.
Foroliuiani fœderati Rauennatibus. 400. Fauentinos oppugnant. 345. ſuperantur. 348. parere Fauentinis pollicentur. 411. cum Archiepiſcopo Rauennæ conueniunt. 440. diris deuoti. 452. oppugnantur ab Hieremianis & Florentinis. 452. deficiunt ab Eccleſia. 459. obſidentur ab Io. Appia. 462. ſeſe dedunt Pontifici. ibid. diris deuoti, 470. populari libertate gaudent. 478. occupantur a Malateſtis & Polentanis, ibid. dant ſe Pontificiis. 551. ſub Vicecomitibus. 614. reſtituuntur Eccleſiæ Rom. 615. Rectores Eccleſiæ expellunt, & Ordelaſos uocant. 617. recipiuntur a Pontifice. 619. ſub Vicecomitibus. 622. Fauentinos reijciunt. 367. 369. Cæſenates ſuperant. 449. pacem faciunt cum Rauennatibus. 431. Ceruiam occupant. 449. Gallos ſuperant. 461. opem pollicentur Rauennatibus. 731
Forliuianus Epiſcopus. Albertus. 387. Alexander. 350. 352. Antonius Zanettus. 747.
Apollinaris. 252
Creſcentius. 205
Drudus. 334
Io. Franciſcus Canobius. 776
Rainaldus. 464. Richelmus. 428. 432. 440.
Rodulfus. 443. 469. 486. 507
Thomas. 557
Vbertus. 261 Vincentius. 209
Subiectus Archiep. ſcopo Rau. 97. 190. 519
ForoPompilianus Epiſcopus. Aimetius. 437. 440. Anſcauſus. 225
Egidius. 392. 401. 413
Gualſus. 369
Harnaldus. 257 Honeſtus. 280
Ioannes 252. Ioannes. ij. 428. 435
Lanfrando. 354
Magnus. 209
Petrus. 524. 530. 532
Rauualdinus. 443
Stephanus. 205
Thadæus. 464
Vbertellus. 385. 387
Subiectus Archiepiſcopo Rau. 97. 190. 519
ForoSempronienſis Epiſcopus, Aldrobandus. 323. Fulco. 311
Subiectus Archiepiſcopo Rauen. 231
Fortebratij. Bratius, 604. 605. 606. 608
Nicolaus. 618. 619
Forteguerri, Nicolaus Cardinalis. 636
Fortunatus, Epiſcopus Pictauienſis, Rauennæ. 163
ForumCornelium. 78. reædificatur. 177. captum a Rauennatibus. 325. 493 ſub Vicecomitibus. 614. reſtituitur Eccleſiæ Rom. 615. ſub Vicecomitibus. 618. receptum a Pontifice. 619. ſub Vicecomitibus. 622
Forumliuium deficit a Pontifice. 553. ſub Ordelafis. ibid. receptum a Pontifice 576. ſub Ordelafis. 586. 588
Sub Pontifice. 601. ſub Ordelafis. 603. ſub Vicecomitibus. 614. ſub Pontifice. 615. ſub Riariis. 641
ForumPompilium ſolo æquatum. 207. Sale ſparſum. & Epiſcopatu priuatum. 576
ForumSempronium ſub Malateſtis. 556
Foſcari. l. Fuſcari.
Franchi, Andræas. 732
Ioannes. 656
Franchini. Antonius. 652. eius lapſus. 156.
Bona, 689
Hieronymus. 738
Franciſcus. 720
Franciſij. Guillelmus. 416. 457. 459. 488. 495
Petrus. 488. 495. 502
Robertus. 505
D. Franciſcus Aſſiſias. 378. eius templum Rauen. 424
Franciſcani ordinis fratres, quando Rauennam uenerunt. 423. donantur priuilegijs ab Alex. Pont. 431. habent templum D. Petri maioris. 436
Franciſcani, obſeruantes dicti, poſſeſſionem. D. Mamæ accipiunt, 631. ibidem conſident. 643. in D. Apollinaris noui. 676. 678.
B. Franciſchinus Rauennas, Eremita Auguſtinian. 271
Franciſcus Maria Ruuereus Vrbini Dux 658. copiarum Pontificis Imperator. ibid. Ruſſio potitur, & Rauennam oppugnat. 659. Cardinalem Alidoſium interficit. 662. cum Gallis ſentit. 671. dominatu pellitur. 685. illum repetit. 686. Venetarum copiarum Imperator. 692. moritur. 703
Franciſcus Maurolycus labitur, 43
Franciſcus Sfortia Picenum occupat. 618. Imperator copiarum Pontificis, & fœderatorum. 619. in Vicecomitem ſocerum pugnat. 622. Dux Mediolani. 632
Frangipanes. 329. Otho. 358

Petrus. 477
Fregoſij. Cæſar. 702
Octauianus. 674
Fridericus Ahenobarbus Cæſar. 335. eius contra Eccleſiam acta. 339. Rauennæ. 351. Venetiis pacem a Pontifice impetrat. ibid. moritur. 360
Fridericus. ij. Siciliæ Rex pupillus. 375. Cæſar. ibid. coro canatur. 383. expers fit ſacrorum. 398, in Syriam abit. ibid. in Italiam redit, & recuperat amiſſa. 401. abit in Germaniam. 402. capit Rauennam. 416 Fauentiam & Cæſenam. 417. Imperio priuatur. 418. Parmam oppugnat. 420. 421. funditur. ibid. Rauennam ſpoliat. 418. moritur. 425
Fridericus. iij. Cæſar Rauennæ, equites & comites facit. 638
Fridericus Aragonius Siciliam occupat. 502
Frigimelicæ. Franciſcus. 718
Frugapaues Rauennates, patricij Veneti, finem habent. 563
Fulcadus accipit poſſeſſionem Rauennæ, pro Pontifice. 223
Furnarini. l. Regij.
Fuſca uirgo & martyr Rauenn. cum Maura. 39. 40
Fuſcari. Aloiſius. 695
Franciſcus Dux Venet. 610. 621. 628
Fuſcarini. Iacobus. 788
Fuſci. Cornelius. 29
Fuſconi. Alexander. 726. 785. 800
Fuſignanum a Guidone Polentano emptum. 577. ſub Cunij Comitibus. 585. a Venetis captum. 641
Fycocle. l. Phycocle.

G

GAFARI. Ricciardus. 571
Veneticus. 494
Gaiani. Maphæus. 790. 792
Galba Cæſar. 28
Galeni Medici teſtimonium de Chriſtianis. 47
Galenus Cæſar. qui & Galienus. 40
Galeotus Malateſta, eques. 542. exercitus Pontificij Dux. 552. captus. ibid. Aſculi dominus. 568. Vexillifer Eccleſiæ. 570. Crucem accipit contra Ordelafum. 574. Rector Flaminiæ. 590
Galerius Cæſar. 43
Galeſinij. Petrus. 799
Galigatenſe cœnobium. l. D. Hilari cœnobiũ.
Galla Placidia naſcitur. 59 capitur a Gothis. 78. nubit Ataulfo, ibid Conſtantio. 87. parit Valentinianum. 90. Byzantium abit. 92. Auguſta appellatur. 93. mari iactatur. 94. Romæ Barbatianum inuiſit. 95. Rauennæ D. Io. Euangeliſtæ templum ædificat. 101. uidet illum, templum conſecrantem. ibid. ædificat templum D. Io. Baptiſtæ Rauen. 103. S. Crucis. 107. S. Nazarij & Celſi. ibid. Arimini. D. Stephano. 103 D. Germanum colit. 104. cur Romam frequentat. 105. moritur. 113. eius miraculum. 558. ſtatura. 764
Galli. Antonius Maria Cardinalis. 802
Galli populi qui ſint. 2. Rauennam oppugnant. 663. diripiunt. 673
Galliæ Ciſalpinæ laus a Cicerone. 9. quando facta eſt prouincia. ibid.
Gallia Ciſpadana quæ. 5. Tranſpadana. ibid.
Gallicus morbus quãdo in Europã illatus. 644
Gallio Rauennas, Dux copiarum Valentiniani. 97
Gallus Cæſar. 40
Galopini Rauennates, patricij Veneti. 395
Galutii. Egidius. 548
Pelegrinus. 508. Petrus. 552
Rigutius. 449
Gamillaria Villa. 219. 328. Hanc aliqui Camillariam eſſe appellandam putant, addictamque fuiſſe miniſtris eorum ſacrorum, quæ falſis Dijs decepta antiquitas faciebat; Erat enim Camillus puer ingenuus miniſter ſacrorum; præſertim quòd Rauennates, in tribu Camilla fuiſſe, coniicere poſſumus ex inſcriptionibus antiquis: Nam præter duas, quæ in primo huius Hiſtoriæ libro leguntur, P. Vettii mag. mun. Rauen. & M. Coccei Dec. col. cent. M. R. adeſt etiam ad D. Mariæ in Pratello, quæ eſt agri Rauennatis uilla, Camillariæ continens, hæc inſcriptio.

O S S A
C. I V L I. C
F. C A M.
P A V L I
C O H. III. P R A
M I L.

& paucis ante diebus, cum hæc denuo Typographorum prælo, hoc anno. M D LXXXVIII. imprimeretur hiſtoria, in muro urbis, a loco ubi porta erat aurea haud procul, occidentem uerſus, repertus eſt

eſt lapis inſtratus, in quo inſculpta ſunt uiri & mulieris capita uſq. ad pectus, fœminæ capilli ita retrorſum flexi ſunt, ut circa frontem cincinnos laxiores, magnosq. efficiant: caput panno contectum, ad ſuturam coronalem. In ſiniſtræ manus digito indice, duos habet annulos, alterum inter primum & ſecundum nodum: alterum inter ſecundum & tertium. Medius digitus nullis ornatur annulis; quod infamis apud ueteres habeatur. Annularis unum habet, inter ſecundum nodum ac tertium. Minimus item unum, inter primum & ſecundum ſunt illis hæc ſubſcripta nomina.

P. LONGIDIENVS. P. F. CAM.
FABER NAVALIS SE VIVO CONSTITVIT.
ET LONGIDIENÆ. P. L. STACTINI.

Duo alia uirorum capita ſequuntur, hac item ſub ipſis inſcriptione.

P. LONGIDIENVS. P. L. RVFIO.
P. LONGIDIENVS. P. L. PILADES. POTVS
INPENSAM PATRONO DEDERVNT.

Potus autem impenſam, ait, forte, quia ut uinum honorariū Prætoribus, ita & patronis dari conſueſſet. Sequitur ad hæc nauis, roſtro nequaquam recto, ſed ſurſum in nauim inflexo, ibiq. uiri imago, ſecuri tabulam, quaſi temonem incidentis, his uerbis propinqua in tabella inciſis.

P. LONGIDIENVS
P. F. ADONVS PROPERAT.

Sed quoniam huius mentionem lapidis fecimus, addere etiam non fuerit iniocundum, alterum eodem loco, iiſdemque diebus effoſſum, optimi artificis opus: In ſummo autem lapide caput eſt mulieris, cum hac inſcriptione.

FIRMIA. L. L. PRIMA.

Duo alia ſequuntur capita, uiri, mulieriſq. manu, caput puellæ, inter ipſos mediæ, amplectentis, quibus ita ſubſcriptum eſt.

L. FIRMIO FIRMIA. L. L.
L. L. PRINCIPI APOLLONIA
LEZBIAE. FILIAE. SIBI. ET. SVIS. DE.
PECVN. S. V. F.

Poſt hæc duo alia capita uirorum, quorum eſt in pectore .V. & hæc appoſita ſubſcriptio

M. LATRONIO. SAL. LATRONIO
SAL. F. SAL. F.
SECVNDO. SATVRNINO

Tandem in imo lapide pueri caput cum pectoris parte, quemadmodum & ſuperiores his inciſis uerbis.

SPERATO
VERNA.

Hi autem lapides apud Galeotum Raſponū equitem habentur. Quamquam uero Rauennates in tribu Camilla fuiſſe puto, forte quia multos ſacrorum ſuorum miniſtros hæc ciuitas haberet: nam & hac fortaſſe de cauſa, ex Camilla gente, plurimas Veſtales a Numa collectas tradunt, tamen aliquot ex ipſis in Claudia fuiſſe tribu non negauerim: quod fieri etiam in aliis conſueſſe; qui eius uetuſtatis cognitionem habent facile intelligūt. Cum enim Florentini in tribu Scaptia eſſent, tamen Fl. Felicem, & L. Damarionem Florentinos, in Romilia fuiſſe, legimus. Qui putarent in tribu Sapinia Rauennates fuiſſe, quia Vmbri Rauennam incoluiſſent, Vmbri autem ſint in Sapinia, ij mea ſententia fallerentur, quia tribus Sapinia, non eſt Romana tribus, quod libro 31. Liuius docere uidetur his uerbis. Appium Præfectum ſocium, hac tumultuaria manu per Vmbriam, quam tribum Sapiniam uocant, agrum Baiorum inuadere iuſſit. & lib. 33. L. Furius Purpurio alter Conſul, per tribum Sapiniam in Boios uenit. Dictam autem Sapiniam, a flumine Sapi fuiſſe coniicio. Erant etiam in pleriſque ciuitatibus, tribus: & Aquileiæ XIX. fuiſſe ſcribunt. Duodecim quoque apud Hebreos numerabantur: ſed hæ nihil ad Romanas.

Garuffi. Lælius Epiſcopus. 747
Gattaluſii. Luchinus. 445
Gatti. I. Catti.
Gauardi. Alexander. 693
Gelaſius Pont. Max. 125
Gelaſius. ij. 321
Gelſi Rauennates, patricii Veneti. 495
Genarii. Antonius. 541.555.732
Benedictus. 560. Bonauentura. 557.565
Guido Vicatius Archiepiſcopi. 485.501.
Epiſcopus ceruiæ. 532.534. Guido. 548
Genſericus Romā diripit. 114. ſuperatur. 119
Gentilis Rauennas, mulier ſanctitatis opinione clara. 697.698
Genuenſes a Venetis ne lædantur. 409. Venetos oppugnant. 558
Geographicæ tabulæ quando inceperint. 474
D. Georgij templum iuxta Argentam. 170. in Ceneeda datum Canonicis Saluatoris. 634
Georgij Merulæ lapſus. 176

Georgii.

Georgij. Fantinus. 596
Marſilius. 410
Petrus. 633
Rainerius. 406
Vinciguerra. 653
Gerardus Moriſienſis Epiſcopus & martyr. 260
Germani Rauennam uſque excurrunt. 40. Hiſpaniam occupant. ibid.
Germanicum bellum a Carolo. V. factum. 700
Germanicum collegium Romæ. 780
D. Germanus Altiſiodoren. Epiſcopus, Rauennæ. 104
D. Geruaſii, hoſpitium Rauen. 320
D. Geruaſius & Protaſius. D. Vitalis filij, & martyres. 26
Geruntius Ceruiæ Epiſcopus in Concilio. 130 moritur. 131
Geſualdi. Alfonſus Cardinalis. 786
Ghetij. Baldus. 638. Bartholomæus. 658
Chunradus. 440. Corradinus. 461
Deomelſaluus. 431
Guido. 516
Ioannes. 440
Martinus. 457
Paulus. 574. Philippus. 574
Signorellus. 471.488
Thomas. 358.422.440.461
Vgo. 368.373.422
Ghiſlerij. Armaninus. 524
Io. Petrus Præſes Flamin. 765.771.774
Michael. I. Pius. V. Pont. Max.
Thomas. 446
Ghiſlerius. 268
Giardini. Brunus. 726
Gigantes qui fuerint. 4
Gildo Africam occupat. 68
Gilioli. Hercules. 475
Ginnani. Baltaſſar. 769.782.796.801.804.
Hoſtaſius Archidiaconus. 744.760.787
Michael Angelus. 683
Petrus. 683
Girardi Comitis Britonor. teſtamentum. 295
Gioioſæ. Franciſcus Cardinalis. 807
Giugni. Andræas. 607
Nicolaus. 607
Glazolum opidum. 276.370.543
Glorierij. Alexander. 804
Glycerius Senator Rauennas, a Rauennatibus Cæſar creatur. 120. Rauennam munit. ibid. fit Epiſcopus. ibid.
Goa Indiæ Orientalis vrbs. 646
Gomerus Iapheti filius. 1
Gonzagæ. 583. Aloiſius. 587
Bartholomæus. 598
Canuſinus. 585
Federicus. 656. Federicus Bozolius. 664. 667.671. Franciſcus. 587.597. Franciſcus. ij. 647
Guido. 587. Guillermus. 759
Hercules Cardinalis. 705
Ludouicus. 761
Philippinus. 551
Sigiſmundus. 677
Gordianus Cæſar. 39
Gordii. Allo 602. Antonius. 732. Bartholomæus. 785.802. Bertellus. 602
Gordus. 602
Manfredus. 602
Philippus. 681
Vbertellus. 656.703.719
Gothi erumpunt in Græciam. 40. in Dalmatiam 63. Rauennam tamquam Aſilum habent. 149.150. ibidem capiuntur. 151. omni ferè Italiæ dominantur. 163. ſuperantur. 164. eorum Regni fines in Italia. 166. eorum Regum mos, & belli ratio. 143.144. 166.167
Gozadini. Thomas. 608
Gradenici. Ioannes. 268. Ioannes. ij. 648. Iulianus. 655. Petrus Venet. Dux. 499
Græcorum collegium Romæ. 764
Granelli. M. Antonius. 726.745.778.784
Graſſi. Achilles Cardinalis. 661.689. Annibal Epiſcopus. 762. Prolegatus Flamin. 776. clericus cameræ. 804
Corradus Abbas. 41.706
Guido. 397
Hieronymus. 706
Iacobinus. 526. Ioannes. 526. Io. Antonius. 706. Petrus. 516
Graſſoni. Graſſonus. 466
Rodulfus. 553
Thomas. 580
Gratianus Cæſar. 57.58
Gregorius Romanus, Byzantii. 179. Rauennæ. 179.182. Romæ. ibid. Pontifex Max. 182. mittit Rauennam, corpora martyrum. 187. priuilegia dat Eccleſiæ Rauenn. 189. conuicia fert ab Agilulfo. 195. moritur. 198.
Gregorius. ij. 217.219
Gregorius. iij. 220
Gregorius. iiij. 238.
Gregorius. v. Rauennæ creatus. 271
Gregorius. vj. 283

Gregorius.

Gregorius. vij. 298.300
Gregorius. viij. 358
Gregorius. ix. 395
Gregorius. x. 446
Gregorius. xj 585
Gregorius. xij. 601.603
Gregorius. xiij. 757. moritur. 784. eius acta. ibid.
Griſo Italiæ Rex. 2
Grilli Petrus. 429
Grimani. Marinus. 788
Petrus. 637
Grimoaldus Beneuenti Dux. 206
Gritti. Andreas. 685
Grittus. 483.493
Groſſi. Baptiſta Epiſcopus. 747
Groſſi Rauennates. l. Floronii.
Guaccimanni. Bartholomæus. 729
Hieronymus. 648.687. Hieronymus. ij. 774.804.
Gualandi. Odoardus Epiſcopus. 747.774
Gualterii. Triuultius. 731
Guarini. Frãciſcus Epiſcopus. 747. Præſes. 750
Guarini. Alexander. 654
Dominicus. 771
Iacobus. 629
Paulus. 736
Guarinus Veronenſis. 596
Guaſtauillani. Philippus Cardinalis. 782.802
Guazzi. Laurentius. 483
Guelſorum & Gibellinorum factiones in Italia inſtitutæ. 420. Rauennæ inſtauratæ. 686
Guicciardini. Iacobus. 691
Franciſcus. 649.690.691
Guidarelli. Guidarellus. 639
Guiditioni. Ioannes Epiſcopus, Præſes. 763
Guidi Comites. l. Comites è Balneo.
Guido Comes. 259.261.274
Guido Polentanus Magnus. 435. pacem cum aduerſariis facit. 439. 446. Rauenna potitur. 449. Fauentiam capit. 453. in exercitu Appiæ. 461. Rauennæ Prætor. 477. Florentiæ. ibid. Forliuii. 485. uulneratur. ibid.
Guido Polentanus nouellus, Cymaclum recipit. 509. Prætor Rauennæ. 534. Cæſenæ. 530. Bononiæ præfectus. 541. moritur. ibi.
Guido Polentanus. vj. emit Fulignanum. 577. Vicarius Rauẽnæ Pontificius. 581. 585. ad exequias Vrbani. v. Pont. 584. pacta facit cum Rectore Flaminiæ. 585. teſtamentum facit. 594. in carcerem coniectus a filiis, moritur. 595
Guido Rauennas hiſtoricus. 257
Guidotti. Iacobus. 397
Guilelmus Durãti, internuncius in Flaminia. 456. rennit Archiepiſcopum Rauen. 487. Rector Flaminiæ. 490
Guillelmus Ferebattus, Aemiliæ princeps. 274
Guillelmus Romanorum Rex. 420.425
Guillelmus Phyſicus Rauennas. 576
Guicciardi. Parthenopeus. 417
Guizzoli. Alexander. 664.681.705.706
Bonfilius. 397
Faciolus. 492
Ioannes. 495
Gundamundus Rex Africæ. 124
Gundobadus Rex Burgundiæ. 128
Gurlinus Tombeſius pugnat ad Tarum egregiè. 647. Nouariæ munitionem incendit, & Gallos repellit. ibid. eius conſilio Piſani omnia agunt. 648. Forumiulium munit. 651. Piſani exercitus Imperator. ibid. Claſſis Venetæ legatus. 652. ad Ceſaloniam vulneratur. ibid. moritur. ibid.
Gurlottus Tombeſius triremi donatus a Maximiano Cæſare. 660. Vicetiam occupat. 685 ex prouocatione cum Gallis pugnat. ibid. opem fert Franciſco Mariæ Ruuereo. 686. in oppugnatione Parmæ. 688.
Gymnaſium Rauennæ, celeberrimum. 161 263. inſtauratum. 443

H

Hadria vnde dicta. 4
Hadrianus Pont. Max. 228.233
Hadrianus. ij. 243
Hadrianus. iij. 245
Hadrianus. iiij. 336
Hadrianus. v. 455
Hadrianus. vj 689
Hadrianus Cæſar Chriſtianis amicus. 35
Hadrianus Epiſcopus. Aſulfus. 270. Bartholomæus Rouarella. 632
Benedictus. 290. Benuenutus Borgiſinus. 548. Bonifacius. 464
Gallioniſtus. 205. Gregorius. 334
Iacobus. 448. Ioannes. 520. Iulius Cananus. 747.
Ortholinus. 458
Peregrinus. 448.454. Petrus. 377. ſubiectus Archiepiſcopo Rauen. 97. 190. 231. 322. 519. 549.

Heliſei prophetæ corpus Rauennæ, 216
Heliogabalus Cæſar. 38
Henricus Cæſar. 273.277
Henricus. ij. Barbanigra, 283.297
Henricus. iij Rauennæ. 308
Henricus. iiij. 317
Henricus. v. ſiue, vj. Rauennæ 358.360
Henricus. vij. 521
Henricus Rex Romanorum ſcribit Archiepiſcopo Rauennati. 419
Henricus Rex Poloniæ, & Galliæ in Italia. 760.
Henricus Anglorum Rex. 140 694
Heraclius Cæſar. 199
Herculani. Franciſcus, 459
 Ioannes. 496
Herculis fanum Rauennæ. 16.126
Herculis horarii ſtatua Rauennæ. 16
Hermacora Aquileiæ Antiſtes. 30
Hermolaus Rauennas, uir ſanctus, 39
Hieremiani Bononienſes ſuperantur. 447. pacem faciunt cum Lambertatiis, 457
D. Hieronymus Stridonenſis Arimini. 56. mittit Rauennam Firmum. 64. moritur. 91. eius uitæ genus. ibid.
Hieronymus Rubeus, ubi multa ex his ſcripſit. 60. litteras Innocentii. iij. dat Iulio Rupereo Cardinali. 369. ab Alfonſo. ij Eſtenſi Duce, benigne acceptus. 475. orationem habet apud Rainutium Farneſium Card. 720. Romam profectus. ibid. ſcribit de infelicitate, & felicitate Medicorum, 708. Michaelem Ghislerium Card. Nonagintauirum patronum fieri ſtudet. 740. cur hanc hiſtoriam auxerit, 752
Hieroſolyma capta. 30.359
Hieroſolymitana Eccleſia 59. expeditio ſub Guifredo Boliono. 214
D. Hilari uita, miracula & mors. 136.137
D. Hilari cœnobium 225. eſt Eccleſiæ Rauennæ. 225.273.344 425.542.556.
Hilarius Pont. Max. 118
Hildericus Rex Vandalorum Catholicus. 139
Hlotharius Galliæ Rex. 170
Hlotharius Italiæ Rex. 237. Imperator. ibid. abſtrahit lapidem è D. Apollinaris Claſſen. 238
Hlotarius Italiæ Rex. 255
Hlotarius Cæſar. 327
Hludouicus Cæſar, Rauennæ. 231.237
Hludouicus. ij. 239
Hludouicus. iij. balbus. 245.252
Hludouicus. iiij. Bauarus, 543.545
Hludouicus Andegauenſis Neapolitanum Regnum petit. 589.591
Homodei, Ariminenſes. 427.428
Honeſti. Albericus. 515. Alteclara. 515
 Bartolinus, 488.493
 Fantinus. 503
 Honeſtina. 445.503. Honeſtinus. 483. 488.493.495.516. Honeſtus. 326. 445.451
 Ioannes Dux. 488.495.516.546
 Petrus. 326.357
 Saladinus. 439. Saladinus. ij. 483.488. 493.495.515. Saracenus. 439.515
 Valeranus. 483.488
 Vincentius. 457.483.488.515
 Rauenna pulſi. 563
Honorius Pont. Max. 200
Honorius. ij. 325
Honorius. iij. 379.381.389
Honorius. iiij. 464
Honorius Cæſar. 59 61. eius itinera. 63.64 Rauennæ commoratur. 64. eam facit Imperii Occidentalis ſedem. 75. eius leges. 63.66. Romæ triumphat, 65. uxorem ducit Mariam, inde Thermantiam. 69. remittit. 71. moritur Rauennæ. 93
Honoria filia Placidiæ. 92. ſtuprata fugit Byzantium. 102. appetit Attilam maritum. 111
Horologium Rauennæ ædificatur. 657
Hoſpitalis domus Ieſu Chriſti, Rauen. 436. miſericordiæ, datur Camaldulenſibus. 617. quot domus Rauennæ. 745
Hoſtaſius Polentanus. ij. Rauennæ Prætor. 477. Cæſenæ Præfectus. 530. Rauennæ dominus. 534. interficit Rainaldum patruelem. 541. Banninum patruum. 543. captus ab Eſtenſibus. ibid. deficit a legato Pontificis. 554. Britonorij dominus. ibid. Venetis & Florentinis fœderatus. 559. cum Opizone Eſtenſe. 562. eius titulus. 563 pacta facit cum legato Pontificis, 563. pene ſuffocatur. 506. moritur. ibid.
Hoſtaſius Polentanus, v. priorem uxorem ducit. 615. fit eques. 616. alteram uxorem ducit, ibid. in partes Vicecomitis abiit. 620. eius ætas, 617. Rauennam amittit. 627. moritur exul. 618
Hugo Arelatenſis Italiæ Rex. 255
Humiliatis monachis interdicitur ab Archiepiſcopo Rauennate. 454

I

D. Iacobi ad Raſanariam templum, 336
Iacobi Empſer ſingulare certamen cum Zamudio. 670
Iacobus Siciliæ Rex. 466.469
Iacobus Rex Neapolis. 603.609
Ianigeni qui. 2
Ianus eſt Noe. 2
Iaphetus Noei filius. 1
Iaponia inſula. 646
Ieiunio quomodo uterentur Antiſtites. 196. 198
Ieſuitarum ſocietas. 771.810
IeſuChriſti hoſpitalis domus Rauen. 436
Iginius Pont. Max. 36
Ildebrandinus Epiſcopus Aret. Flaminiæ Rector 479. electus 483
Ildebrandus Rauennam capit. 217. capitur. 218. Rex. 221
Ildobrandus Rex Gothorum. 153
Imaginis Chriſti, ſanguis. 134
Imola. l. ForumCornelium.
Imperatorum antiquus titulus. 186
Imperialis auctoritas in Pontifice Romano 540. & approbatio Imperatoris electi. 543.
Indictionum uſus in numerandis annis certiſſimus. 53. Quamquam autem D. Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 28. *Per Olympiadas, inquit, & per Conſulum nomina multa ſæpe quæruntur a nobis, & ignorantia conſulatus, quo natus eſt Dominus, & quo paſſus eſt, nonnullos coegit errare*, hæc tamen intelligit, ante Indictionũ uſum, & in hiſtoricis nequaquam Chriſtianis: nam paulo ante dixerat: *Quidquid igitur de ordine temporum tranſactorum indicat ea, quæ appellatur hiſtoria, plurimum nos adiuuat ad ſanctos libros intelligendos, etiam ſi præter Eccleſiam, puerili eruditione diſcatur*. Et infra, hæc addit de Ieſu Chriſto. *Sed poſt baptiſmum, quot annos in hac uita egerit, quamquam textu ipſo actionum eius animaduerti poſſit, tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de hiſtoria gentium, collata cum Euangelio, liquidius, certiuſque colligitur*. Et inferius de D. Ambroſio loquens, inquit. *Nonne memoratus Epiſcopus, conſiderata hiſtoria gentium, cum Platonem reperiſſet Hieremiæ prophetæ temporibus, &c.* Hinc in libro Pontificum, qui Damaſi nomine circumfertur, mira in Conſulibus deſcribendis apparet confuſio, nempe quod illi non ſuo tempore, ſed poſterius additi fuerint; neque tamen ſuo loco, ut pateat, quod in hiſtoria diximus, in Eccleſiaſticis ſcriptis, nullam eſſe certiorem annorum numerandorum uiam, quam Indictionem, ubi haberi ea poſſet.
Indiuini, Andreas. 710.788
Bartholomæus. 705. Benedictus. 617
Franciſcus. 617.628
Petrus. 713.733
Vitalis. l. Vitalis.
Infortiatum Rauennæ repertum. 161
Ingentrada Rauennas Comitiſſa. 148.149
Ingoli Rauennates, patricij Veneti, finem habent. 568
Innocentius Pont. Max. Rauennæ. 75.76. 77. moritur. 88
Innocentius. ij. 325
Innocentius. iij. 364
Innocentius. iiij. 418
Innocentius. v. 451
Innocentius. vj. 570
Innocentius. vij. 600
Innocentius. viij. 643
Inuentionis ſanctorum corporum dies, ſolemnis. 241
Ioanna, Neapolis Regina. 603
D. Ioannisbaptiſtæ templum Rauennæ ædificatur. 103. Carmelitanis datur. 601
D. Io. baptiſtæ ad fontes ædicula. 109
D. Io. baptiſtæ in marmorario templum. 161.
Io. baptiſtæ Rubeus. D. Stephanum innocat. 61. Romæ in Gymnaſio publice interpretatur, & ad menſam Pauli. iij. diſputat. 707. Generalis Carmelitanorum creatur. 737. hæreticis Polonis aduerſus. 738. Commiſſarius Apoſtolicus. 746. in Hiſpania & Luſitania, Regibus cariſſimus. ibid. concionatur Olyſſipone. ibid. Rauennæ. ibid. D. Io. baptiſtæ ædem reſarcit, & prædia excolit ac auget. 750. nuncius Pontificis. 763. moritur. 769
D. Io. Euangeliſtæ miracula. 94.102.313
D. Io. Euangeliſtæ templum Rauennæ ædificatur. 101. eius dedicatio. 101. multis donatur. 250. 258. 275. 279. 181. 313. 320 331. 390. 357. datur Canonicis Saluatoris. 634

DD. Ioannis & Pauli templum Rauen. 163. direptum. 239
Ioannes Pont. Max. 138. moritur Rauenn. 141
Ioannes. ij. 152
Ioannes. iij. 173.178
Ioannes. v. 210
Ioannes. vj. 212
Ioannes. vij. 213.240
Ioannes. viij. 243
Ioannes. ix. in Concilio Rauenn. 250
Ioannes. x. Rauennas. 253
Ioannes. xj. 255
Ioannes. xij. 260
Ioannes. xiij. 261
Ioannes. xiiij. 268
Ioannes. xv. 269
Ioannes. xvj. 270
Ioannes. xvij. & xviij. 274
Ioannes. xix. & xx. 276
Ioannes. xxj. 455
Ioannes. xij. 534
Ioannes. xxiij. 602
Ioannes Imperator, Rauennæ. 93. ibi interficitur. 94
Ioannes Boemiæ Rex in Italia. 551
Ioannes Hieroſolymorum, Moderator Rauennæ, & eius Exarchatus. 398
Ioannes Lemigius Exarchus. 198
Ioannes Platon Exarchus. 210.211
Ioannes Tizocopus Exarchus Romam diripit. 215. a Rauennatibus trucidatur. ibid.
Ioannes Aldrouandinus Pandulfini filius, in bello Germanico. 706. Mirandulano. 711. aduerſus Io. Franciſcum a Balneo. 712. pacem facit cum aduerſarijs. 773. 739. Florentiæ. 740
Ioannes Andreæ. 526.555.561
Ioannes Boccatius Rauennæ. 8
Ioannes Bonus Eremita. 393
Ioannes Roffenſis Epiſcopus, moritur. 40
Io. Iacobus Medices peditum præfectus. 707. Cæſarianorum, Senenſi bello Imperator. 712.716
Ioannes Rauennas eloquentiæ reſtitutor. 596
Io. Petrus Ferretus deſcripſit Agnellum. 61. 108. ſcripſit de ædificatione templi D. Vitalis 144. de Exarchatu. 210. 723. eius lapſus. 43. 58. 61. 108. 177. 179. 210. eius mors, & ſcripta. 723
Ioannicus Rauennas. 216
Ioannini. Paulus Emilius. 777.788.811
Iocoli. Aldrouandinus. 614. Almericus. 563
Guglielminus. 375 417
Raimundinus. 396

I

Iouianus Cæſar. 57
Iodis templum Rauen. 17
Irenæ Imperatrix, filium obcæcat. 229. 231
Iſaacius Exarchus. 200. theſauros Romæ diripit. 201. moritur. 202
Iſnardi. Girardinus. 423. Guido. 417
Nannes. 549
Italia diuiſa in regiones xiii. ab Octauiano. 15. in xvii. a Conſtantino. 49
Italici Imperii diuiſio inter Pontificem, Cæſarem Orientis, & Occidentis. 235
Iubilæus annus quando primum a Pont. inſtitutus. 502. Romæ ſub Gregorio xiii. 760. Rauennæ. 761
Iudæi occiſi. 32. bello ſuperati. 35. 38. Rauennam introducti. 628. ſabbatho ne citentur, cautum. 74. 81. Chriſtianos ne alliciant. ibid. & 86. in Veneta ditione permiſſi. 638. fœnerari Rauennæ ueriti. 643. 644. eorum diruta Synagoga. 644. luterum ſignum gerunt. 679. 721. ſuperatum habitent. 721. Rauenna pulſi. 755. reuerſi. 802
D. Iulianæ uirg. & mar. corpus Rauennæ. 385
D. Iuliani templum Venetiis, conditum. 1534
Iulianus Cæſar. 37.56
Iulius Pont. Max. Concilia habet Romæ. 152
Iulius. ij. repetit vrbes Flaminiæ a Venetis. 654. fœderatus in Venetos. 657. in Eſtenſes arma mouet. 660. Bononiæ & Rauennæ. ibid. Rauennæ iterum. 661. perterritus clade Rauen. refici exercitum iubet. 674. incipit Concilium Lateran. 675. concedit aliqua Rauennatibus. 676. moritur. 677
Iulius. iij. creatur. 708. bellum infert Octauio Farneſio. 709. moritur. 720
Iuſtiniani Genuen. Benedictus Cardinalis. 803
Iuſtiniani Veneti. Nicolaus. 638
Onfredus. 640
Iuſtinianus Conſul. 137. Cæſar. 144. mortem Amalaſuentæ ulciſci parat. 148. ædificari iubet templum D. Vitalis Rauen. 153. Gothis bellum infert. 148. Rauennæ in dedicatione templi D. Vitalis. 159. leges ordinat. 161. donat & laudat Eccleſiam Rauenn. 169. 170. moritur. 170. eius imago. ibid. ubi natus. 224

Iuſtinianus.

Iuſtinianus . ij.170.impius.211. Imperio priuatus . 212. reſtitutus . 213
Iuſtinus Cæſar Arianos perſequitur. 135
Iuſtinus . ij. 178

L

LACTANTII. Lactantius Præſes Flaminiæ . 761. Epiſcopus Piſtorii . 762. obiit. 805
Laderchiæ . Io.baptiſta. 475
Ladislaus Apuliæ Rex. 601
Læti . Pomponius . 684. lapſus eius . 182
Lama foſſa quando facta. 506
Lambardani. Albertinutius. 440
Carneualis. 397
Iacobus . 397.440.Ioannes. 495
Lambardanus . 368.Lambardutius. 440
Melchiſedech . 516
Petrus . 539
Thomaſina . 539
Lambertatij Hieremianos ſuperant . 447. pacem faciunt cum illis . 457
Lambertini . Galeotus 449. Guido. 360.377. 394.400.444.
Lambertus Italiæ Rex, & Imperator. 248. Rauennæ in Concilio 250. moritur. 251
Lambertus Polentanus . ij. Fauentiæ Prætor . 478. Defenſor. 482. Borionienſis inuat. 495 Rauennæ Prætor. 518. pro Franciſco Eſtenſi pugnat . ibid. moritur. 531
Lambelci Rauennates , patricij Venet. finem habent . 587
Lamon , amnis . 8
Lampas ignea in cælo . 774
Lampugnani . Lampugnanus . 432
Lancillotti . Scipio Cardinalis . 793.798
Lando Pont. Max. 253
Landi . Petrus . 658.659
Vitalis . 635
Languſci . Philippus . 504
Laſcari . Alexius . 716.722
Lateranenſes Canonici. l. Portuenſes.
Latinus Cardinalis Legatus Flaminiæ . 456. 457
Latioſi . Ioannes . 617
Paulus . 613.617
Laudenſis Epiſcopus . Albericus . 344
Lauredani . Franciſcus . 620
D. Laurentij martyris templum iuxta Rauennam . 61
Laurentina uia Rauenn. multi martyres . 57.
Lauretina dicenda . 44
Lauretti . Laurentius . Carmelitanus Theol. 737.
Lauritius cubicularius Honorii . 61. obijt . 94.
Lauirecchi. Leſcutus . 658
Odettus . 670.685
D. Lazari templum Rauen. 475
Lazari . Barbatianus . 732. Bernardinus . 631
Bernardinus . ij. 720.760.762.773.
Geruaſius . 338
Hoſtaſius. 604
Io.baptiſta.659.Io.baptiſta.ij . 730
Vgutio. 506
Vitalis . 471.488.506
Cur Mengoli uocati . 681
Leandri Albetti lapſus . 6.7.32.127
Leges municipales Rauen. quando latæ. 545. 432
Legij . Andreas . 642.646
eius origo . 621
Lentii . Alexander Epiſcopus . 757
Laurentius Epiſcopus . 736
Leo Pont. Max. 105. placat Athilam. 111
Leo.ij. 210
Leo.iij. obcæcatus . 231. in Galliam ad Carolum . 232. Carolum coronat Auguſtum . 233. Rauennam uenit . 234. inſtaurat templum D. Apollinaris claſſen. 235. moritur . ibid.
Leo.iiij.240.Leo.v.252.Leo.vi.255.Leo vii. 256. Leo viii. 260. Leo. ix. 289. Leo. x. 678. 688 689
Leo Cæſar . 114. Leo. ii. 217. Leo. iii. 219. 226. Leo. iiii. 229. Leo v. 246
D. Leonardi ſocietas. Rauennæ. 405
Leonii. Paulus Epiſcopus . 777
Leontius Cæſar . 212. 213
Leuæ . Antonius . 669.671.688
Liberius Pont. Max. 56
Licinius Cæſar . 44
Lignani. Alexander. 759
Lippatus Auximatium Tyrannus . 535. 540
Litaniæ antiquæ Rauennates . 790
Liuiani , Bartholomæus. 649
Lomellini . Ioſredus . 802.806
Longi. Franciſcus. } pictores optimi . 750.
Lucas . } 772.
Longinus Exarchus in Italiam . 174. 176. 177

Longobardi. 20. in Italiam. 164 Gothos ſuperant. 165. 166. denuo in Italiam. 173. 174. Duces uiginti creant. 178. hæretici. 202.
Loredani. Leonardus Dux. Venet. 655
Loreni. Franciſcus Guiſæ Dux. 722
Loti. Gaſpar. 804 810
 Stephanus. 726
Luca à Narſete capta. 168. ſub Scaligeris, 559.
Lucianus Maurianorum Antiſtes. 53
Lucilius Baſſus Rauennatis claſſis ac Miſeni præfectus. 28. deficit ad Veſpaſianum. 19. captus. ibid.
Lucius Pont. Max. 40
Lucius ij. 329. Lucius. iij. 353
Ludi Rauennæ. 107. equeſtres. 770
Ludouicus Pannoniæ Rex. 568. 570
Ludouicus Raſponus ſub Io. baptiſta Sauello in Pannonia. 701. in bello Camertino, Firmano, & Peruſino, 703. Ciſalpino. 706. Mirandolano Pōtificij exercitus Legatus. 709. opem fert. Io. baptiſtæ Monti. 710. primus Farneſianos aggreditur. 711. dimittit intactum, Horatii Farneſij familiæ magiſtrum. ibid. uulneratus. ibid. Senenſi bello. 715. Romano. 722. tormenta tuetur. ibid. recuperat captiuos. ibid. moritur. 723.
Lugum. 170. ſub Archiepiſcopo Rauennæ. 405. munitum. 498. 517. ſub Polentanis 556. Cunienſib. 561. Bononięſib. ibid. Vicecomitibus. 570. 574. Archiepiſcopo Rauen. reſtitutum. 580. Eſtenſibus datum. 587 ſub Polentanis. 596. permutatum pro ripa Fili. ibid. datum Eſtenſibus. 619. 632. a Venetis captum. 641
Luitprandus Longobardorum Rex. 214. Claſſem capit, & Rauēnam obſidet. 217. in Galliam abit. ibid. Rauennam denuo obſidet. 220 moritur. 221
Lunardi. Auguſtinus. 688. Auguſtinus. ij. 726. 744
 Carolus. 759
 Domitius. 754
 Federicus. 726. 773.
 Franciſcus. 688. Franciſcus. ij. 788
 Hieronymus. 655. 688 Hieronymus. 688
 Iacobus. 739. 744. 755. 759
 Lunardus. 706. Lunardus. ij. 688
 Petrus. 644. 646. 687
 Vrſicinus. 687
 Guelfæ factionis. 686
Lupatelli. I. Columbi.
Lupi. Conradus. 533
 Manfredus. 416
 Rolandus. 454
 Vgo. 385
Luſignani Rauennates, patricii Veneti, finem habent. 367
Luterana hæreſis incipit. 686
Luteri. Martinus hæreſiarcha. 686

M

MACCARVFI. Nicolaus. 561
Macerata quando Epiſcopatus ornata. 535
Macerini. Iulius Ieſuita. 810
Madrutii. Ludouicus Cardinalis. 807
Magalottæ leges. 701. 793. 806
Maghinulfus, Rauennæ pſeudo pontifex, 316.
Maghinardus è Soſenana Prætor Fauentiæ. 478. Argentam habet. 494. bello premit Bononien. 498. Imolæ & Fauētiæ Princeps, 506. moritur. ibid.
Magnani. Vincentius. 773
Magni. Coſma. 695
 Coſmus foſſam Ticini tranſuadat. 695. Regiſolem recuperat. ibid.
Magnifici titulus. 680
Mahometes ſectam ſuam inuulgat. 200
Mainardi. Adelbertus. 278. Albergutius. 463. 479. 480. 517
 Bartolatius. 547. 554
 Henricus. 348. 397. Homodeus. 483
 Mainardinus. 413. Maleſardus. 483. Marcheſinus. 420. Marcheſus. 329. Michael. 417.
 Vbertinus. 483. Vgulinus. 431
 Zannes. 488
Maioli. Antonius. 732. Io. Maria. 726
Maiorianus, Imperator Rauennæ factus. 115. in Africam ignotus abit. 117. in Gallia m. 118. trucidatur. ibid.
Malabottæ. Albertus. 386
Malabucæ. Guido. 402. 461
Malateſtæ. Andreas. 582
 Carolus. 593. 599. in Concilio Conſtantiæ. 605. captus, 608. liber. 609. captus. 614. liber. 615
 Dominicus. 636. 638
 Eliſabetta. 604. 616. 618
 Federicus. 464. Ferrantinus. 539. 540. Ferrantinus. ij. 542. 549. 553. 556. Ferrantinus iij. 556.
 Galeotus. I. Galeotus. Galeotus. ij. 583. 588. 590.

590. Galeotus Robertus. 615. Guido. 556
Hubertus. 499.506.516.542
Ioannes. 369.370. Ioannes. 383.398. 451
467.476. Ioannes claudus. 449.470. 472
479.
Leonidas. 712
Malateſta Ariminenſis. 362. 435. 445. 447
449.
Malateſta è Verucculo. 445.450.464.467
470.476. Arimini dominatum arripit. 478
479.497. 501. Malateſta.iij. 542.544. 549
554.556. 567. 581. Malateſta. iiij. Vngarus. 574 575. Malateſta.v. 593.599. Malateſta.vj. 706. Malateſtinus. 467.470 Malateſtinus.ij. 542. 548. 552. 556
Pandulfus. 512.542.543 556. Pandulfus.ij.
583.584.593.599 Pandulfus.iij. 607.614
615. Pandulfus.iiij. 672. Pariſina. 610. Paula blanca. 588. Paulus. 445.450.472
Rãbertus. 451.486. Rãbertus.ij. 542.543.
552. Rãbertus.iij. 646. Robertus. 637.639
641. Sigiſmundus. 615. 619. 625. 632.
636.637. Vnde originem duxerint, 273.
cum Polentanis conciliantur. 476
Malauoltæ. Guillelmus. 449
Hubaldinus. 500
Malpilii. Rigutius. 488
Malraliati. Bulgarellus. 385
Maltaliadinus. 359
Rainutius. 399.436. 488
Thedericus. 359
Maltrauerſi. Trauerſus } 425
Vgutio. }
Maluaſiæ. Innocentius. 774.804
Maluetii. Albergettus. 373
Maluicini. Dondacius. 590
Ioannes. } 488
Maluicinus. }
D. Mamæ templum conſecratum. 385. datum Frãciſcinus obſeruantiæ. 631. dirutum. 676
Mandoſij. Quinctilianus. 786.788.792.794
797.800.
Mãfredij. Albergetthinus. 545. Alberghettus. 448. Albericus. 316. 447. 451. Fr. Albericus. 488.497. Aſtor. 587. 588. 599. 601.
Aſtor.ij. 618. 620. 632. Aſtor. iij. 644
Carolus. 638.699. Ceccus. 545. 552
Franciſcus. 488.517.521.530. 545.588
Galeotus. 640. Gineura. 616. 627. Guido.
316. Guido Antonius. 608.615.632. Guilelmus. 567. 573
Ioannes. 387. Ioannes.ij. 552. 564. 567.569
573. Io. Galeatius. 599.602.608.
Ludouicus. 607
Manfredus. 453
Oddo. 397. 406
Ricardus. 545.552. 555.556. Rigus. 552
Thadæus, 632.636.642
In patriam reſtituti. 457, ipſam occupant.
478.
Manfredi Regien. Paulus. 570
Manfroni, Io. Paulus. 658
Paulus. 647
Mangonæ Comes Albertus. 479. 480
Azzolinus. 480
Manichei Rauennæ. 365
Manſignani. Ioannes. 508
Mantuani cum Ferrarienſibus conueniunt,
365
Mantuanus Epiſcopus. Henricus. 365
Manucodiata auis. 646
Manurii. Aldus iunior. 45
Paulus. 10
Manzoli. Alexander. 709
Benedictus Epiſcopus. 776
Philippus. 709
Maphei. Paulus. 616
Marcaboum ædificatum. 433.436. ſolo æquatum. 520
Marcelli. Antonius. 640. Aloiſius. 658
Franciſcus. 658.659
Iacobus Antonius. 625.626
Leonardus. 655
Nicolaus. 639
Marcellinus Pont. Max. 43
Marcellus Pont. Max. 43.44
Marcellus.ij. 720
Marcheſellæ. Adelardus. 363
Guilelmus. 324.349.363
Marcheſella. 363
D. Marci templum, Rauennæ. 644
Marcoaldus Dux Rauennæ. 361
Maremontes. Io. Baptiſta Epiſcopus Vticen.
743.747.762.
Margani. Petrus. 674
Margarita Rauennas uirgo ſanctitatis opinione clara. 655
Margotti. Gueriſius. 398
Margottus. 366
D. Maria uirgo appellata [illegible] 268
D. Mariæ Betlehemitanæ templum. 521
D. Mariæ in cereſeo, ſiue cieloſco, cœnobium. 269
D. Mariæ in Coſmodim templum Rauen.
38. eſt ſub Archiepiſcopo Rauen. 393
D. Mariæ Galopes templum Rauennæ. 443

D.Mariæ maioris templum Rauenn. 153
D Mariæ in monte, templum Cæſenæ. 274
D.Mariæ in palatiolo cœnobium. 269. 387
D.Mariæ in Pompoſia.l.Pompoſianum cœnobium.
D. Mariæ in portu templum ædificatum. 321 donis auctũ. 323.324.329.336.348.358 368.371.398.417.quomodo Archiepiſcopo Rauen. ſubiectum. 389.Rauennam tranſlatum.652.nouum inceptum. 718. res in eo Diuina fieri cœpta. 806. eius religio. 378.
D. Mariæ Rotundæ templum. 127. conſecratum.385.D. Vitalis cœnobio unitum. 619.
D.Mariæ ad nadum templum Ferrariæ. 329
D.Mariæ in Vangaditia Abbas. 385
Maria quærere per Rauennam. 6
Marinarii. Antonius Carmelitanus. 737
Marinelli. Petrus. 496
Marini. Rolandus. 445
Maripetri. Paſqualis Dux Venet. 635
Troilus. 650
Marobduus Sueuorum Rex, Rauennam incolit. 20
Martellini. Egidius. 595
Sebaſtianus. 658
Martellinus. 624
Martianus Cæſar. 114
Martiani. Ludouicus. 773
Martinelli. Andræas. } 646
Cecchinus. }
Franciſcus. 705
D.Martini in exquilijs Romæ, templum. 60
D.Martini in cælo aureo templum Rauennæ, expiatum. 170
D. Martini templum in hortis Cardinalium. 528.
Martini. Andræas. 796
Io. Baptiſta. 715
Martinus Pont.Max.202. Rauennam ductus. 206.
Martinus. ij. 245
Martinus. iij. 256
Martinus. iiij. 458
Martinus.v.610. Rauennæ. 612
Martyres, quibus appellati titulis. 45
Martyrologia quando & a quibus ſcripta. 310
Maſini. Fabricius. 736
Nicolaus. 783
Maſſa. Auximana. 267
Bariſana. 328. Bignola. 327. Branchaſe. 328
Campilia. 263.180. Cornuceruina. 545. Cupatia. 537
Firminiana. 245.256 Fiſcalia eſt Eccleſiæ Romanæ. 387. Rauen. 263
Lombardorum. 388.494
Mariana. 256. Merlaria. 327. Montecauallo. 267
Quiliano. 256
Veriana. 528
Matthæus Aquaſparta Cardinalis. 503
Matthæutii. Hieronymus. 759
Mathematici ab Honorio pulſi. 73
Mathildis Eſtenſis. 291. eius tituli. 297. grandis Ducatrix. 318. nuptiæ illius, & diuortia. 314. bella. 315. mors. 319
Mattarelli. Franciſcus. 530
Maura Rauennas, martyr. 40
Mauri. Chriſtophorus Dux Venet. 637. Chriſtophorus. 642. 649
Thomas. 695
Mauritius Cæſar. impius. 192
Mauritius tyrannus Rauennæ interſectus. 202
Maurocenì.l. Moroſini.
Maxentius Cæſar. 43
Maximi. Petronius. iiij. 111.113
Maximianus Cæſar. 43
Maximianus Iſtriæ Epiſcopus. 169
Maximilianus Cæſar. 643
Maximinus Cæſar. 39
Maximinus ij. 43
Maximi Salonitani Epiſcopi cauſa Archiepiſcopo Rauen. demandata. 194
Maximus e Priuerno Flaminiæ Comes. 494
Mazzolani. Franciſcus. 525.804
Thomas. 525
Mazolini. Filiutius. 540.553
Gerardus. 504.520
Raules. 449.475.492.504
Medicei. Coſmus. 640. Coſmus. ij. magnus Dux Etruriæ. 710.714.719
Ferdinandus Cardinalis. 773. magnus Dux. 806.
Franciſcus. 740
Ioannes Cardinalis. 662.671.l Leo.x.Pont. Max. Ioannes. ij. 688. Iulius Cardinalis. 689 l. Clemens. vij. Pont. Max.
Laurentius. 680. Laurentius. ij. 685. Lucretia. 700.
Petrus. 640. 648.685
Sebaſtianus. 795
Medicei Fauentini. Andreutius. 492
Vgulinus. 487.492
Medicei Ferrarien. Galatius. 561.569
Gazolus. 423
Vgulinus. 494

Medicei

Medicei Mediolan, Io. Angelus. I. Pius. iiij.
Pont. Max.
Io. Iacobus. j. Io. Iacobus
Medicina opidum uaſtatum. 496
Mediolanenſis Archiepiſcopus. Caius. 26
Conſtantius. 186
Heribertus. 180. Honoratus. 169
Iulius. 53
Laurentius. 128
Protaſius. 54
Theobaldus. 299
Valpertus. 259. Vuido. 292
Dignitate inferior Rauennati, 284
Mediolanum ſolo æquatum. 345
Meduli. 447. 457
Melchiades Pont. Max. 44
Meldola tribuitur Eccleſiæ Rauen. 384. 338
Florentinis. 557. Zubolo. 682. Pijs. ibid.
Meliorati. Conſtantia. 615. Coſmatus Archie-
piſcopus Rauen. 592. Cardinalis. 595. Pont.
Max. 600
Ioannes Archiepiſcopus Rauen,
Ludouicus. 615
Meini. Nicolaus. 627. 631
Menghi. Cechinus. 586
Mengoli. l. Lazari.
Menichini, Fabius 755. 783. 784
Hermes. 784
Mercati. Petrus Ioannes. 777
Vitalis Abbas Pont. 732
Mercenarius Firmanus. 560. 561
Mercuriales. Hieronymus. 765
Mercurij ſtatua Rauen. 16. palatium. 456
Merlini. Aloiſius. 616
Meſola ad Padum inſula. 474
Meſſalinus Neronis Vicarius, 27. 31
Meſſania foſſa. 473
D. Michaelis templum Rauennæ ædificatur.
156. conſecratur. 142
Michaelii. Aloiſius Epiſcopus. 737
Belectus. 538
Fantinus. 610. Franciſcus. 642. Franciſcus.
Archiepiſcopus Rauen.
Guido. 408. 427
Ioannes. 597
Marcus. 560. Michael. 642
Micholi. Sentinus. 729
Milites antiquitus qui dicebantur. 506. & ij
ſunt, quos modò equites uocamus; quod
equitum uocabulum, poſtquam cum Re-
publ. Romana ceciderat, Filelfum ſuperio-
re ſæculo reſtituiſſe primum ferunt.
Menghini. Ioannes. 705. 721. 737
Lactantius. 619
Mirandulæ bellum. 709
Miſotti. Galuanus. 417. 425
Miſſæ in ſacrificio recitabantur nomina Epi-
ſcoporum. 187
Mocenici. Ioannes Venet. Dux. 640. Philippus
Archiepiſcopus Nicoſ. 757. Thomas Ve-
net. Dux. 601
Molignatti: Auguſtinus Epiſcopus. 747
Molini. Maphæus. 620
Petrus, 488
Monaldenſes. Hermannus. 470
Monaldeſca. uxor Bernardini Polentani, 561
Monaldini. Franciſcus. 621. 623. 631
Galeotus, 784. Gregorius. 637
Hieronymus. 710. 754
Ioannes. 601. Iulianus. 601. 619. 628
Laurentius. 737. 744. Lucius. 705
Malateſta. 639. Martellinus. 729. Monaldi-
nus. 740
Opizo. 623. 624. Opizo. ij. 672. Opizo. iij.
689. 690. Opizo. iiij. 775. 787. 788. 802
803. 804.
Moneta Rauennæ cuditur. 296. 422. 423
436.
Monothelitæ hæretici. 203
Mons pietatis Rauennæ erectus. 643
Montagnæ. Andreas. 477
Montes. Antonius Cardinalis. 26. 661
Io. Maria, Cardinalis, patronus Rauennæ.
762. Legatus Flaminiæ. 705. l. Iulius. iij.
Pont. Max.
Io. Baptiſta. 709. 712
Montis Marchiones. Franciſcus maria. 774
Guido aſcanius. 773
Montones amnis. 4. 7. 24. cur ita appellatus.
31. eius aqua optima. 119
Monuetuli. Antonius. 684. 697. 698. 718
Morandi. Ghirardus. 462. Guido. 545
Iacobus. 678. 689. Ioannes. 545
Morandus. 545. 736
Petrus martyr. 713
Moratini. Calbus. 586
Ioannes. 492
Morbus Caſtronus, 772
Moriſii. Homobonus. 412
Iacobus Philippus. 777. Iulius. 317. 726
Leonardus. 748. 754. 760. 762. 776. 779.
780. 787. 788. 789. 792. 804.
Moroni. Ioannes Cardinalis. 747
Moroſini. Henricus. 540
Moriſinus. 408
Thomaſina. 429. Thomaſinus, 434

Mulæ.

Mulæ. Benedictus Cardinalis. 631
Mundus interit, 148
Muſſi. Cornelius Franciſcanus Theol, 707
Muſorti. Alexander Epiſcopus, 777
Muſti. Dominicus, 696
Mutina Alberto Auſtriaco data, 512. a Bononienſibus obſeſſa. 422
Mutinenſis Epiſcopus, Albertus, 428. 432,
Arditio, 354
Baſſianus, 130. Benadamus, 526
Guido. 548
Ioannes Moronus Cardinalis, 747
Petrus. 209
Sixtus Vicedominus, 777
Vgo. 350
Subiectus Archiepiſcopo Rauen. 97. 190. 231. 322. 354. 356. 519. habet ædem Rauennæ. 242
Mutinenſes fœderati Rauennatibus, 412
Mutti. Cæſar, 722

N

NALDI. Babonus, 683. 684
Ioannes. 693
Narſes in Italiam, 163. ſuperat Gothos & templa ædificat. 166. Rauennæ, 168. moritur, ibid.
Nauale, Rauennæ. 19
Neapolis a Beliſario capta. 148, a Gothis, 155
Nepos Cæſar. 120. 121
Neptuni templum Rauennæ. 17
Nerij. Nerius. 499
Nerones. Deutiſaluus, 640
Nero Cæſar. 27. 28
Nicander martyr Rauennæ. 45
D. Nicolai templum Rauennæ ædificatur, 227 reſtituitur, 771
Nicolaus Pont. Max, 241
Nicolaus, ij. 291
Nicolaus. iij. 455
Nicolaus. iiij, 467
Nicolaus. v. 632
Nicolaus Piccininus in Rauennati. 619. 620 Polentanas, & Rauennam, Vicecomiti ſubiicit. 621. 622, 625
Nigri. Nicolaus. 732
Nili aqua optima, & cur. 319
Nobiles. Cæſar. 701
Vincentius. 709. 716
Noe in Italiam uenit. 1
Nomai. Iulianus, 583. 586
Nomaius. 459
Nonagintauiratus Rauennæ inſtitutus. 721
Nordilij, 453. 478
Norici a quo fidem Chriſtianam acceperint. 121.
Noualis martyr Rauennæ. 45
Nouarienſis Epiſcopus eijcitur. 382
Nouæ in Iſtria Epiſcopus. 104
Nouellæ cõſtitutiones Theodoſij, editæ. 104
Nucij. Paſius, 442
Numerianus Cæſar. 43
Nutij. Ludouicus, 791

O

OBO Rauennas hiſtoricus, 351
Ochinus. Bernardinus hæreticus, 705
Ocridæ Epiſcopus. Gabriel. 805
Leo. 232
Octanianus pſeudo pontifex, 341. 344
Octimeſtres pueri uiuunt. 119
Oddi. Rech, 440. 488
Vgutionus. 368
Odoacer Herulorum Rex. in Italia. 122
Offania caſtrum. 268
Olybrius Roma fugit, 114. Rauennæ Cæſar factus. 110
Olybrius Rauennas patricius, 136. monachus, 137.
Olympius Exarchus. 203. 206
Onaræ, ſeu Romani, Albertus, qui & Albericus. 422. 434
Ezzelinus. l. Ezzelinus.
Onocretali Rauenn. 32
Opilius. Macrinus Cæſar. 38
Opizi Rauennates, patricij Veneti, finem habent. 559
Opizo Polentanus patrem coniicit in carcerem. 595. Azzoni Eſtenſi fert opem, 597. militans apud Venetos, capitur a Carrario. 600, in fidem Venetorum ſe confert, 601. moritur. 615
Ordelafi. Antonius, 600. 603. 614. 617. 632. Antonius, ij. 638. 641. 642. 648
Bartholomæus, 496. 532
Ciccus. 492. 496. 540. 541, 549. Ciccus. ij. 571, 586. 588. 592. 597. 600. Ciccus. iij. 632. 638.
Franciſcus. 549. 551. 552. 553. 555. 558. diris deuotus. 561. fœderatus Vicecomitibus, 562, eques, 568. diris deuotus. 573. obijt. 576. Franciſcus. ij. 582

Georgius.602.603,612. Guillelmus. 452. 464.

Iacobus. 496, Ioannes. 494. Ioannes. 575. 593.

Ludouicus. 568. 569. 571. 572

Ordelaſfis. 496.498

Paulus. 551, Peppus.492.496.Petrus.348. Philippus.496. Pinus,492.496.532.Pinus. ij. 586. 592. 599. Pinus. iij. 632. 638.640.

Scarpetta.494.496.517.521.532.Scarpetta ij.599.Sinibaldus.492. 496. 521. Sinibaldus. 571. 575.588.592

Thebaldus.417.447,479.494.Thebaldus. ij. 575. 586.602.605.613

Oreſtes Rauennæ, 121

Organa in templis, 766

Orientales Epiſcopi, & Imperatores, fidem Catholicam profitentur apud Romanum Pontificem, 215

Orij. Petrus. 651

Orlandi. Bonauentura. 388

Ormiſda Pont. Max. 135

Oros Hercules Aegyptius, præeſt Italia. 2.3

Orſelli.l. Vrſelli.

Ortonenſis Eccleſia, ſubiecta Rauennati.526

Oſiris quis fuerit. 2

Oſſii. Blaſius. 715.733.781

Cæſar. 710.715

Ioannes.493.Io Franciſcus, 710.715

Petrus 493. Pinus. 710.729

Tarquinius. 809

Otho Cæſar.28 Rauennatum ope uincit,ibid,

Otho Germaniæ Rex in Italia Berengarium ſuperat 257. Imperator fit. 258. celebrat Paſcha Rauennæ. 261. reſtituit Exarchatum Pontifici Max.ibid.

Otho ij. Cæſar. 261. Rauennæ. 262. coronatur. 263

Otho.iij. Cæſar,269. Rauennæ. 271. coronatur. ibid. in ſynodo prouinciali. 274. donat ſororis uiro multa. 272. accipit Pomposianum cœnobium,273, moritur.ibid.

Otho.iiij.Cæſar.373. priuatus. 375

Othomani. Amurathes, 633. Amurathes. ij, 760.

Baiazethes. 649,651

Mahumetes. 633

Orchanes. 566

Selimus.763. Solimanus, 700.706

eorum origo. 503

Ottorenghi. Andreas Matthæus. } 459

P

Pacii. Angelus, 632

Carolus. 589

Guilelmus. 447

Lambertinus. 449

Rodulfus. 423.448

Pacini. Saluator, prolegatus Flaminiæ. 729

Pacorus, ſiue Saporus Perſarum Rex. 40

Padus.4. duplici ramo Rauennam alluit. 118. eius alueus inciſus. 214. aluei & oſtia. 473

Paduſa quid ſit. 8

Paganelli. Guido. 431.455

Ioannes. 368.397

Rainutius. 397

Pagani. Bandinus. 508

Iacobus Epiſcopus. 504. 505

Maghinardus. 485.492

Paganus. 492

Vgo. 512

Palatij, Barchinus. 480

Guerrerius. 397

Henricus. 544

Ioannes. 492

Paganellus. 368

Rigutius. 480

Vitalis. 544

Palatiola inſula in Rauennati, 252

Palauicini. Sfortia. 372.706

Vbertinus. 422.432

Paleologi Conſtantinus Cæſar, 633

Demetrius. 635

Ioannes, Cæſar. 619

Michael Cæſar. 448

Thomas. 635

Paleotti. Gabriel Cardinalis. 747. 776.780 788.789.790.794.798. 807.

Pallio quando utebantur Archiepiſcopi Rauen. 186. 193

Palmerij. Andreas Matthæus Cardinalis. 701 702.

Bernardus. 368

Palonij. Marcellus. 664.675

Paludes Rauennæ ſiccantur. 769

Paludij. Bonacurſius. 410

Pamfilij, Octauius. 807

Panici. Iacobus. 600

Papienſes. l. Ticinenſes.

Parcitati. l. Parzitati.

Pariſani. Iulius Epiſcopus. 747.757

Pariſij. Iacobinus. 445

Parm.

Parma capitur ab Exarcho, 196. oppugnatur a Friderico Cæſare. 420. 421. ab Hoſtaſio Polentano. 562. ab Eſtenſibus empta. 565. a Vicecomitibus. 566. ſub Farneſijs. 709
Parmenſis Epiſcopus. Alexander Sfortia Cardinalis. 740
Ferdinandus Farneſius. 776
Gratioſus. 209
Opizo Sanuitalis. 489
Papinianus. 524
Vbertus. 264. Vgulinus Rubeus. 566
Subiectus Archiepiſcopo Rauennæ. 97. 19 231. 322. 349. 519. 524.
Parmenſes fœderati Rauennatibus. 412
Parti, Zuccus. 551
Parzitati. Montagna. 476
Paracaria. 471. Parcitatus. 428
Ricciardus. 440
Vgulinus. 428. 490
Paſchalis Pont. Max. 236
Paſchalis. ij. 315
Paſſari. Benuenutus. 463
Patauini Rauennæ habitant. 197. cum Venetis pugnant. 317
Patauinus Epiſcopus Milo. 311
Patauium incenditur. 197. liberatur ab Ezzelino. 432. ſub Venetis. 600
Paula & Euſtochium. 64
Pauli Iouij lapſus. 695
Paulus Pont. Max. 224
Paulus. ij. 637
Paulus. iij. fit Pont. Max. 701. repetit Camerinum. 702. de pace agit inter Carolum Cæſarem, & Gallorum Regem. 702. 705. Rauennæ. 705. audit diſputantes quotidie ad menſam. 707. quærit reſtituere dignitatem Archiepiſcopatus Rauennatis. 708
Paulus. iiij. 720. moritur. 727
Paulus Exarchus ad Venetos fugit. 217. eorum auxilio Rauennam recipit. 218. trucidatur a Rauennatibus. 219
Paulus patriarcha Byzantius hæreticus. 203
Paulus Trauerſaria, procurator Rauennatium 397. Cremonam abit ad conuentum Friderici Cæſaris. 395. reſiſtit Fauentinis. 411. Fauentiam accipit. 413. pellitur. ibid. Rauennam recuperat. 414 obſidet Ferrariam. ibi. eius auctoritas & dignitas. 385. 395. 414. moritur. 416
Pedercini. Zacharias. 697. 704
Pedochæ. Marchus. 763
Pelagiani hæretici. 83
Pelagius. Pont. Max. 168
Pelagius. ij. 178
Pelagruæ. Arnaldus Legatus Bonon. 517
Pelaſgi Rauennam ædificant. 5
Pelicani. Ioannes Flaminiæ Præſes. 804
Pelizoni. Andreas. 524
Pentapolis quæ ſit regio. 223. ita & Decapolis dicitur, quia decem contineat urbes.
Pepoli. Guido. 602. Guido. ij. 802
Hieronymus. 760
Iacobus. 560. Ioannes. 562
Thadæus. 560. 563
Peregrinationes ſanctæ, Romam, antiquæ, 261
Peregrini. Andreas. 689. 697
Hieronymus. 730. 731. 732
Quando Rauennam uenerint. 634
Peregrini Veron. Camillus. 788
Peretti. Alexander Cardinalis. 809
Antonius. 611
Felix. I. Sixtus. v. Pont. Max.
Perendeus Vicetinorum Dux Rauennam capit. 217. 218
Pereum, inſula. 273
Pertinax. Cæſar. 37
Peru noui orbis. 645
Peruſini a Pontifice deficiunt. 586
Perutij. Angelus Epiſcopus. 776. 782
Camillus. 748
Peſari: Marcus. 471
Peſtilentia Rauennæ. 366. 588. 621. 623. 633. eius præcautio. 762
Petramalæ. Bittinus. 554
Petrarcæ. Franciſcus. 576
Petrellæ. Iacobus. 428
D. Petri in armentario templum ædificatur. 51. datur. Oſtiarijs Eccleſiæ Rauenn. 230
D. Petri maioris templum Rauen. ædificatur. 109. datur Franciſcanis. 436
P. Petri in ſuburbio Vrſicino templum. 359
D. Petri ad uincula tēplum ædificatur in agro Rauennate, 260. priuilegia habet. 355 405. monachorum mores. 444
D. Petri opidum igne crematum. 449
Petri Damiani geſta. 291. 292. 293. 294. 297 301. uſq. ad 306
D. Petri martyris, ordinis Dominicani miraculum. 424
Petrianum templum conditur. 17. 133. deiectum. 221
P. Petrus Apoſtolorum Princeps quando Romam uenerit. 22. moritur. 27
Petrus peccator. 323
Petrus Aragonum Rex. 463. priuatur Regno Siculo. ibid.

Petrus Rex Cypri. 580
Petrus Archiepiſcopus Montis Regalis, Flaminiæ Rector. 487. pacem facit inter Trauerſarios & Polentanos. 488
Petrus Cardinalis. S. Mariæ nouæ, Legatus. 494.
Petrus Nauarrus. 662.668
Petrus Rauennas Epiſcopus. 295
Petrus Trauerſaria captus, 368. Cataneus Ceruiæ. 374. donat Piſcatoribus. 376. capitur. 379. uxorem ducit. ibid. Rauennæ dominatum arripit. 381. moritur. 393
Petrus Donatus Cæſius. 26. Flaminiæ Præſes. 722. multa beneficia in Rauennates confert. 725. Rauennnatem inſtaurat, ciuitate donatur, & pater patriæ uocatur. 727. Boniæ moderator. ibid. arbiter pacis, & tu multus Rauennat. 732. Legatus Bononiæ, Cardinalis. 773. patronus Rauennæ. 783. moritur. 796
Petrutij. Alfonſus Cardinalis. 661
Pharos ad Candiani focem. 14. quæ quomodo eſſet, extructa, cognoſci ex Herodiano poteſt, qui deſcribens rogum, quo combuſta eſt imago Seueri Imperatoris cum in Diuos relatus eſt, ita libri quarti initio ſcripſit, ex uerſione Angeli Politiani, nonnullis tamen, quæ peruertere ſenſum uidebantur, immutatis uerbis. Suggeſtus quidam ſpecie quadrangula, lateribus æquis aſſurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materia compactus, in tabernaculi formam. Id quidem interius totum eſt aridis formitibus oppletum, extra autem intextis auro ſtragulis, atque eboreis ſignis, uarijsq. picturis exornatum: Supra uerò, alterum minuſculum quidem poſitum eſt, ſed forma, & ornatu perſimile, portis, ianuisq. patentibus: tertiumq. item & quartum ſemper inferiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod eſt omnium breuiſſimum, perueniatur. Poſſis eius ædificij formam comparare turribus ijs, quæ portibus imminentes, noctu igne prælato, naues in tutas ſtationes dirigunt, Pharos uulgo appellant. Hæc Herodianus. Ceterum an talis ea eſſet, quam Ptolomeus Rex Aegypti, in Pharo inſula, Alexandriæ, Soſtrato Gnidio Architecto, octingentis talentis ædificaſſe dicitur, quæ cum ab inſula eſſet ſortita nomen, ceteris huiuſmodi nomen impoſuit, adhuc mihi non ſatis conſtat. Suetonius tradit, Claudium, in portu Oſtienſi, congeſtis pilis, ſuppoſuiſſe altiſſimam turrim, quam Iuuenalis ſatyra 12. Tyrrhenam Pharon appellat. Ceterum cum ſacra turris D. Mariæ in portu Rauennati, ea ferè ædificata ratione uideatur, quam deſcribit Herodianus, facile adducor, ut coniјciam, Pharon eſſe potuiſſe.
DD. Philippi & Iacobi templum, Rauen. 259
Philippi. Lucius. 810
Philippicus Cæſar. 215
Philippus Cæſar, primus è Cæſaribus, Chriſtianus. 39
Philippus Rex Gallorum. 465.502
Philippus Auſtriacus Hiſpaniarum Rex, religioſiſſimus. 746. tuetur Regnum Neapolitanum. 722. laudat Io. Baptiſtam Rubeum. 746.
Phionus martyr Rauennæ. 45
Phocas Cæſar. 197
Phycocle. I. Ceruia.
Piazzæ. Io. Antonius. 787
Picinini. Andreas. 637
Baptiſta. 604.624
Franciſcus. 624
Gibertus. 689
Ioannes. 624
Nicolaus. I. Nicolaus.
Petrus. 639. Petrus. ij. 732.772.786
Pici. Franciſcus. 527
Galeottus. 641
Pignæ. Io. Baptiſta. 587
Pignatæ. Auguſtinus. 710
Budus. 617
Gaſpar. 617. Gaſpar. ij. 729.757. 762.770 773.782.
Hieronymus. 710
Ioannes. 705. Iulius Archidiaconus. 744
Pij Albertus. 683. Albertus. ij. 770
Carolus. 606
Galaſſus. 609. Gibertus. 600
Hercules. 737
Ioannes. 600.612. Io. Ludouicus. 774
Leonellus Flaminiæ Præſes. 696.706
Marcus. 600.609
Ciues Rauennæ. 706.737
Pilei. Guido. 477
Pinelli. Dominicus Cardinalis Legatus Flaminiæ. 793.797.803.804.811
Pineolorum uires. 810. Pinetum Rauen. 7. 123. deſcriptum. 809

Pini. Bernardinus. 743.744
Ioannes. 555
Pipinus Auſtriæ Princeps, dominatur in Gallia. 211
Pipinus Caroli Martelli filius. 220. Aiſtulfum Longobardorum Regem ſuperat. 222
Pipinus Rauennæ. 231. Italiæ Rex. 233. Rauennam facit Regni caput, & Venetos urget. 234. ſuperatur, & moritur. 235
Pirotolus portus. 623
Pirouahi. Azo. } 432
Mutius. }
Piſani. Alfonſus Ieſuita Theol. 55
Benedictus. 652
Piſaurenſis Epiſcopus. Bambo. 324
Heraclianus. 51
Subiectus Archiepiſcopo Rauen. 231
Piſaurenſes interdicti. 432. habent Rauennæ obſides. 398
Piſcatorij. Io. Baptiſta. 725
Piſtorienſis Epiſcopus. Guidalottus. 434
Lactantius Lactantius. 762
Octauius Abbioſus.
Pitti. Lucas. 640
Pius Pont. Max. 36
Pius. ij. 534
Pius. iij. 654
Pius. iiij. creatur. 725. Rauennam munit. 664. moritur. 739
Pius. v. exhilarauit Rauennates. 739. curat oram maris Hadriatici à Piratis defendi. 740. quæſtorum auaritiam coercet, & mores Eccleſiæ conformat. ibid. imagunculas expiat, 114. fœdus in Turcas conciliat. 754. moritur. 756. fuit Rauennæ. ibid.
Pizzoni. Io. Antonius. 802
Placentinus Epiſcopus. Arduinus. 332
Bernardus. 246
Ioannes. 332
Paulus. 246. Placentius. 209
Sigenſredus. 274
Vgo. 524
Subiectus Archiepiſcopo Rauen. 97. 231. 246. 272. 330. 332. 334. 524
Placidia. l. Galla Placidia.
Placidia Valentiniani. iij. filia capitur. 114. eius peregrinatio, & miracula. 139. 140
Platinæ lapſus. 209
Pocaterræ. Franciſcus. 492
Rainutius. 449
Pochepenni. Antonius. 585
Benuenutus. 577
Nerius. 585
Rainerius. 548
Conciliati cum Guidone Polentano. 577
Pœnitentia centenaria, quæ ſit. 295
Pœnitentiarius ſacerdos in Eccleſia antiquiſſimus. 106
Polentani. Albericus. 440. 450. Albericus. ij. 483. 488. 495. 508. 535. Alda. 600
Aldrouandinus. 595. 600. Aleta. 587. Aliſia. 604. Anglicus. 595. 598. Atto. 498. Azzo. 595
Baldus. 570. Banninus. 450. 530. 541. 543. 548. Beatrix. 595. 604. Bernardinus. l. Bernardinus. Bernardinus. ij. l. Bernardinus. ij. Bernardinus. iij. 590. 595
Caſſo. 561. Clara. 588. Conſtantia. 582
Franciſca. 472. Franciſca. ij. 585. Franciſcus. 488. 495. 508. 570. 604. Fridericus. 492. Fulcus. 567
Gualfredus. 405. 450. Guido. 422. 450. Guido. ij. ritius. 431. 439. 440. 446. 449. 450. 455. 457. 462. 484. Guido. iij. magnus, l. Guido Magnus. Guido. v. nouellus. l. Guido nouellus. Guido. vj. l. Guido. vj. Guillelmus. 492. 545. 551.
Hieremias. 347. 397. 406. 417. 450.
Hieremias, ij. 483. 488. 495. 508. Hiremias. iij. 498. Hieronymus. 405. 450. Hieronymus. ij. 628. Hoſtaſius. 406. 450. 461. 467. Hoſtaſius. ij. l. Hoſtaſius. Hoſtaſius. iij. 551. 582. 584. Hoſtaſius. iiij. 592. 595. 597. Hoſtaſius. v. l. Hoſtaſius. v.
Ioanna. 576. 585. 604. Ioannes. 535
Lambertus. 417. 440. 449. 450. Lambertus. ij. 450. 467. 485. Lambertus. iij. 564. 567.
Lambertus. iiij. 551. 576
Opizo. l. Opizo.
Pandulfus. 564. Petrus. 595. 597. 599. 600. Polenteſia. 543. 582. 584
Rainaldus. 498. 522. 532. 539. 541
Samaritana. 549. 571. 588. 592. 605. Sicina 595. 596
Vnde originem duxerint. 450. liberum Rauennæ dominatum affectant. 466. 467. cum Malateſtis conciliantur. 476. cum Trauerſarijs. 488. Cæſenæ Domini. 430. Guelfæ factionis. 539. Romanæ Eccleſiæ Vicarij. 597. patricij Veneti. 600. Venetis ſe dant. 601. eorum domus finis. 628
Pompoſianum cœnobium. 273
Pontes. Federicus. 479
Guillelmus. 495

Pon-

Pontianus Pont. Max. 39
Pontifices Maximi, ceteros Antiſtites auctoritate antecellunt. 56. gubernant Orientem per Epiſcopos. 123. ſunt ſupra Concilium. 151.152. eius ſubditi, quales. 660
Pontifices Capitolij Rauennæ, 17
Pontiroli. Ludouicus. 459
Porci. Ioannes. 368
Pordani. Ambroſius Abbas Port. 806
Porta Anaſtaſia. 230. Aſiana. 13. Aurea. 13.15 ſpoliatur. 418. diruitur. 776. deſcribitur. ibid.
Clauſa. 628
Iulia. 629.726
Portæ Rauennæ quatuordecim. 629
Portæ. Conſtantius, muſicus præſtans. 743. 745.778.
Porti. Baltaſſar. 729. in bello Crepacorij ſtrenue militat. 710
Chriſtophorus. 732.757.802.804
Hieronymus. 733.769
M. Antonius. 656
Paulus. 714
Portilium portus Rauennæ. 7
Portuenſe cœnobium S. D. Mariæ in portu.
Portuenſes Canonici confirmati. 319.321. Rauennam redeunt. 632.657
S. Potiti uilla eſt Eccleſiæ Rauennæ. 370
Prendipartes. Albertus. 549
Guidottinus. 459
Preti. Blaſius. 649
Pompilius. 646
Pritelli. Aloiſius. 656
Petrus Antonius. 664
Probus Cæſar. 43
Prælium Rauennas celeberrimum. 667.668
Proſper Raſponus in Senenſi bello. 715. diſcrimen mortis a Ludouico fratre arcet. ibid. repellit Gallos ex area Hiſpanorum caſtrorũ. 717. ſuos milites ſeruat incolumes. 718. bello Romano. 723. ſpeculatur hoſtium caſtra, & aliquos capit. 724. perluſtrat ubi noctu hoſtes fuerint. ibid. bello Gallico. 733. Mambrunij affinem interficit, & egregie pugnat. 734. conſulitur a Sorbellono. ibid. ſuſtinet impetum Hugonotorum. 735. equitem ſuum defendit. 736. Rauennam reuertitur. ibid.
Ptolomei lapſus. 6
Pulcij. Simbaldus. 480
Puliti. Bonſardus. } 502
Manettus. }
Pungetti. PRainerius.
Petrus. 516.586
Puntiroli. Andreas. 551
Pupienus Cæſar Rauennæ. 39. Pupienus Rauennæ cum eſſet, & pararet aduerſus Maximinum copias, & ex urbe, ac Italia contraheret milites, ac Germanorum auxiliares, qui beneuolentiæ nomine publicè a populo ribus miſſi fuerant, quibus olim Maximus cum Imperio diligentiſſimè præfuerat, capita accepit Maximini, & eius filij, ſibi oblatum ab equitibus, victoriam nunciantibus, & rerum proſperos ſucceſſus, conſenſumq; exercitus & populi, ad eoſdem colendos Principes, quos Senatus elegiſſet. His igitur præter ſpem nunciatis, ſtatim ad aras ſacrificatum diſcurritur, victoriam canentibus uniuerſis, quam citra pulueris iactum ſibi pepererat. Enimuerò Maximus, peracto ſacrificio, Romam dimittit equites, ut rem geſtam populo narrarent, & capita illa perferrent. Hæc Herodianus lib. viij. in fine.
Puſterlæ. Baldus. 278
Hoſtaſius. 488.492.493
Putei. Iacobus Cardinalis. 737
Putei. Bartolinus. 521
Petrus Maria. 654
Puzzoni. Albertus. 386

Q

QVINTIANVS Præſes. 39
Quirini. Romeus. 408.409
Q. Vibij Sereni filius, Rauennæ. 21

R

RACCHI. Antonius. 705.708
Bartolinus. 427
Drudus. 787.790.796.797
Hieronymus. 659
Rachis Rex Longobardorum. 221
Radagaiſus ſuperatur. 66.68
Raſanarium opidum. 386.406
Raſanarius amnis. 8.636. I. Anemo.
Rainutij. Paulus. 729
Raiſij. Hoſtaſius. 639.644
Iacobus. 617.619.624
Ramazottus Dux ſtrenuus. 680
Rambaldi. Clarellus. 319
Guido. 368.397

Rambaldus. 451
Petrus. 899
Ramberti. Guido. 349
Vgo. 414
Rampani. Nicolaus. 534
Ramponi. Philippus. 498
Raimundus. 798
Ranæ Rauennæ abundabant. 64
Rangoni. Balthaſſar. 721. 733
Ghirardus. 462. Ghirardus. ij. 577. Guido. 695. Guillelmus. 367
Iacobinus. 432. 455. 578
Raphaellis Volaterrani lapſus. 175
Raus Medici lapſus. 179
Raſponi. Cæſar. 700. 703. 705. 706. 708. 710. 733. 737. 739. 740. 744. 755. 759. 760. 762. 782.
Eliſabetha. 616. Eugenia Ludouici filia. 733. Eugenia Raphaellis filia. 733
Felicia Abbatiſſa. 369. Franciſcus. 558. 561. 565. Franciſcus. ij. 644
Galeotus. 770. 771. 781. 785
Hieronymus. 733. Hoſtaſius. 315. Hoſtaſius. ij. 698. 678
Ioannes Præpoſitus. 744. Iulius. 708
Ludouicus. 720. I. Ludouicus.
Marius. 774
Nerinus. 619. 638
Paulus. 604. 606. 611. 612. 616
Raphael. 664. 679. 682. Raphael. ij. 703. 705. 729. 732. Raphael. iij. 788. Raſponus. 688. 690. 694
Ratti. Dionyſius. 769
Ratti. Diegus. 539
Ranaldi. Guido. 516. 545. 548. 550
Rauenna urbs a quibus, & quando ædificata. 1. 3. Vmbrorum Colonia. 3. cur ſit dicta. 4. Regaliopolis. 592. quinque Fluminibus circumdata. ibid. a Senonibus occupata. 5. deſcripta a Strabone. 6. a Sidonio. 118. a Procopio. 149. quando in poteſtatem Romanorum uenerit. 9. urbs maxima. 6. 10. Piceni caput. 11. a ciuibus Romanis frequentata. ibid. muris cincta. 15. fidelis & potens. 16. Secunda Roma. 22. ſώτηρα, & Apoſtolicus thronus uocata. 24. primogenita Eccleſiæ Romanæ. ibid. habet regiones ſeptem. 41. ſedes Imperij occidentalis. 75. caput Italiæ poſt Romam. 98. ab Athila intacta. 111. Regia Gothorum ſedes. 150. obſeſſa a Beliſario. 148. acquiſita. 150. capta & direpta a Iuſtiniani. ij. Ducibus. 214. a Longobardis, 217. recepta ab Exarcho. 217. capta ab Aſtulfo. 221. Pōtifici Max. reſtituta. 222. 228. Sedes Regni Pipini. 234. quando, & cur dignitate minui cœpta. 236. munita propugnaculis. 311. diuiſa in XIIII. regiones. 357. 629. occupata a Friderico. ij. Cæſare. 416. recipitur a Pontifice. 421. eſt Eccleſiæ Romanæ. 456. 548. ſub Polentanis. 449. 581. 585. Venetis tradita. 627. Pontifice reſtituta. 659. iterum ſub Venetis. 692. 693. reddita Pontifici. 696
Rauennæ lacus in Liguribus. 5. Prætura in Armenia. ibid.
Rauennas ager quo pertinebat. 163
Rauennas Eccleſia. primogenita Romanæ. 29. 190. eius filia ſpecialis. 330. 332. ſecunda poſt Romam. 253. 339. nobilis, famoſa, ortodoxa. 389. 398. 500. cur uocata Ἀυτοκέφαλος 58. 59. 100. 296. habet patrimoniũ in Sicilia. 59. poſſeſſiones in Bononienſi. 122. in Pola. Autocephalus dicta. 209. priuilegijs donata. 97. 189. 271. 273. 296. 310. 344. 356. a Gregorio Magno plurimi facta. 180. priuata ſuffraganeis. 316. reſtituta. 321. Pontificibus Max. cura. 798. 799. a Gregorio XIII. 781
Rauennates fœderati Romanis. 1. 13. timentur a Cæſare. 12. in ſuffragijs Romanorum ius habent. 13. infames & ingrates non ſerunt. 21. quando primum Chriſtiani facti. 43. 24. Othonem Cæſarem uictorem faciunt. 28. Claſſis proceres. ibid. eorũ maxime ſtudio Veſpaſianus fit Imperat. 28. 29. Conſtantinum Imp. elogio laudant. 48. Vitellij Imp. imagines inuadunt. 29. Cæſares creant & interficiunt. 114. 115. Ioannem Lemigium Exarchum trucidant. 198. 199. a Longobardis Cæſi ad ſeptem millia. 203. detrectant obedire Pontifici. 213. ueniam implorant. 767. in exiliũ proceres miſſi. 214. trucidant Ioãnem Tizocopon Exarchum. 215. Paulum. 219. ſuadent Pontifici ut deleat Imperium Orientalis. ibid. cum Pipino in Venetos pugnant, & ſuperantur. 235. moleſtant Ferrarienſes. 264. annulos in digitis geſtant. 299. Ferrariam cum Mathilde recuperant. 315. Fauentinos exules nobiles iuuant. 316. Ferrarienſibus fœderati. 319. cum Patauinis cladem a Venetis accipiunt. 317. cum Ariminenſibus conueniunt. ibid. cum Foroliuianis 325. Faneſtribus bellum inferũt. 328. cũ Ferrarieſibus fœdus ineũt. 329. terrent Fauẽtinos. 330. 367. Forliuieſibus opẽ ferunt. 345. 410. iuuant Fridericũ Imp. 350. pacem cum illo ineunt. 355. cum Bononiẽſibus Forum

Cornelij capiunt. 325. cum Foro Cornelianis iuncti, 332. 334 fœderati Bononienſibus. 325. 326. 347. 367. bellum Ferrarienſibus inferunt, & Argentam amittunt. 348. pugnant & fœdus faciunt cum Ariminenſibus. 261. 264. a Salinguerrianis capti & catenati. 366. cum Cæſenatibus certant. 368. 410. Azoni Eſtenſi opem ferunt. 376 indicunt bellum Fauentinis. 377. in bellum ſacrum eunt. 381. milites bellicoſi. ibid. ſacramentum dicunt Friderico. 11. Cæſari. 386. opem ferunt Bononienſibus. 400. Cæſenatibus bellum faciunt. 406. a Bononienſibus diſſident. 412. Pontificem iuuant ad recuperandam Flaminiam. 421. milites Parmæ habent. 422. diuiſi in duas Reſpublicas. 426. 427. pacem cum Forliuianis faciunt. 431. cum Venetis conueniunt. 408. 439. Bononienſes iuuant in Venetos, & Venetos loco pellunt. 445. conciliantur cum ceteris Flaminijs. 451. Hieremianis opem ferunt. 451. Pontifici Romano fideles. 459. 494. Forliuium capiunt. ibid. ſtipendia militibus ſoluunt, pro recuperanda Flaminia, obſidenda Ferraria, & cuſtodienda Rauenna. 552. cum Foroliuianis conueniunt de finibus. 540. a Ioanne Pont. Max. laudantur. ibid. iurant, fideles ſe fore Romanæ Eccleſiæ. 574. 575. ludos celebres faciunt. 642. factionibus diſſident. 686. a Pio iiij. Pōt. Max. laudati. 728. pacem inter ſe faciunt. 729

Rauennates iuuenes pugnam priorem, pro patria poſtulant. 663

Rauennates ſacrati uiri mittūt Legatum ad Concilium. 448. confirmant Epiſcopum Hadriæ deſignatum. ibid.

Rauennatibus Ducibus plurimum fidit Maximilianus Imp. 660

Rauennatibus militibus ineſt pietas, & religio. 211. 212

Rauennas Senatus gratus, & magnificus. 695

Rauennatium ciuitas, & porta, Romæ. 14

Rauignani. Atto, Conſtantia. } 458

Recanatenſes priuati Epiſcopatu. 535

Regienſis Epiſcopus. Albericus. 350. Albertus. 345

Baptiſta Groſſus. 747 Benedictus Mangiolus. 776

Guillelmus. 446. 455

Henricus. 524

Laurentius Pinottus. 580

Mauritius. 209

Nicolaus. 416

Proſper. 112

Thomas. 112

Subiectus Archiepiſcopo Rauenn. 97. 190. 231. 274. 322. 455. 501. 519. 524. 580

Regienſes immunes Rauennæ. 700

Regij. Hieronymus Furnarinus. 725

Regis Solis ſtatua Rauennæ. 127. 234. quando Ticinum allata. 218

Reliquiæ ſanctorum quando, & quomodo Romæ conſueuerunt mitti. 188

Remigius Rhemorum Archiepiſcopus. 134

Remiſcus Rauennæ occiſus. 115

Reſurrectionis, ſeu Ἀναςάσεως titulus, tribus tantum Eccleſijs impoſitus. 59. 99. 100. Quod de prima earum dedicatione accipiendum eſt: alioqui eſſent dicendæ quattuor: nam de Conſtantinopolitana Eccleſia, ex Sozomeno lib. 9. hiſtoriæ Tripartitæ, cap. 8. & 9. Caſſiodorus ita ſcribit. *Tunc igitur Gregorius Nazianzenus communi decreto multorum Epiſcoporum, in Conſtantinopoli tranſmutatus, intra Ciuitatem in paruo Oratorio ſacra celebrabat: cui loco poſtea Principes baſilicam maximam copulantes, eam uocauerunt Anaſtaſiam. Quæ uerò non ſolum pulchritudine, & magnitudine, uerum apertiſſima apparitione dignoſcitur illuſtrari: Illic enim Diuina uirtus, in ſomnis & apertè plurimis, & frequenter, multisq. languentibus, & interim in rerum periculis conſtitutis ſubueniſſe dignoſcitur, ita ut crederetur ab aliquibus, ſanctam Mariam Chriſti matrem uirginem hanc eſſe: cum tali namque habitu multis oſtenditur. Quam baſilicam, ideò Anaſtaſiam uocant, ſicuti reor, eò quòd dogma Nicæni Concilij in Conſtantinopoli, quaſi iam mortuum, eo loco, expoſitionibus Gregorij reſurrexerit. Ego tamen audiui quoſdam ueriloquos retuliſſe, quòd dum populus illic congregaretur ad miſſas, mulier prægnans, de ſuperiore porticu cadens, defuncta eſt. Tunc communi oratione facta ſuper eum, reuixit, & cum partu ſaluata eſt. Quamobrem nimis inopinabile Anaſtaſiæ nomen, id eſt, Reſurrectionis accepit. Hæc ibi.*

Rhombi Rauennates. 32. 33. De Rhombis quod dixi, apud Horatium nō eſſe unà cum Scaris, ab Oriente optimos, nequaquam ita accipiendum, ut Rhombi etiam ab Oriente, Meotide præſertim palude, inſignes non haberentur, ſed quòd illis non cederent Rauennates, id autem eſt, ut ego in-

terpretatus ſum, Hadriatici: quando totum hoc litus hac de cauſa dici Rauennas poſſit: niſi aſſeramus, hoc omni litore magnos haberi, ſed Rauennates, ſapore longè præſtare ceteris: quod affirmat Plinius. De magnitudine autem Hadriaticorum Rhomborum, ita Iuuenalis ſatyra. 4. ait.
Incidit Hadriatici ſpatium admirabile Rhõbi,
& Martialis.
Quamuis lata gerat patella Rhombum,
Rhombus latior eſt tamen patella.
Riarij. Alexander Cardinalis. 770
Hieronymus. 641
Ricimer Sueuus. 111. 115. Rauennam uenit. 118. obſidet ſocerum. 120. moritur. ibid.
Ricobaldus Canonicus Rauennas, digeſſit Archiepiſcopos Rauen. 171. ſcripſit Pomerium Eccleſiæ Rauenn. 482
Rinuccini. Andreas. 692
Ritij. Maſinus. 712
Riuerſanum, eſt Eccleſiæ Rauennæ. 317. 331 336. 344. 360. 376. 469. 478. 495
Robertus Cæſar. 601
Robertus Siciliæ & Neapolis Rex Regno mulctatus. 521. Flaminiæ Rector. 521
Robuſti. Nicolaus Carmelita Theol. 737
D. Rochi templum Rauen. ædificatur. 810
Rodulſus Rex Burgundionum in Italia. 254 255.
Rolæ. Antonius. 757
Roma, Pontifici Max. data. 49. religionis cauſa uiſitata. 38. 44. 26 t. 320. laudata. 129. priuatur ſede Imperij occidentalis. 75. capta a Gothis. 77. a Vãdalis. 114. ab Hiſpanis. 692
Romagna unde hoc habeat nomen. 228
Romana Eccleſia. 58. 205. 209. 359. 768. habet patrimonium in Sicilia. 59
Romana ſedes in Galliam tranſlata. 510. Romam reuecta. 583. 587
Romani unde orti. 2. habent uillas & hortos Rauennæ. 11. captabant gratiam Rauennatium. 13
Romanum bellum ſub Paulo. iiij. 722. 724
Romanus Pont. Max. 249
Romanus Exarchus. 182. occupat urbes Longobardorum. 187. moritur. 194
Romoaldus Beneuenti Dux. 207
Romoaldus Dux Sergij filius. 248
D. Romoaldus, eiusq. uita & miracula. 266. uſq. ad 276. 277. feſtus dies. 703
Roncus amnis. 7
Rondinelli. Bartholomæus. 398
Malius. 549
Roſæ. Manfredus. 466
Roſari. Geneſius Carmelita. Theol. 737
Roſetti. Alfonſus Epiſcopus. 747
Roſimunda interfici Alboinum maritum curat. 177. Rauennam uenit, ibi. moritur. ibid.
Rotæ. Io. Baptiſta. 792
Rotaris Rex Longobardorum. 202
Rouarellæ. Bartholomæus. l. Bartholomæus Archiepiſcop.
Florius. 638
Ioannes. 637
Laurentius. 638
Nicolaus. 638
Petrus. 640. Phyliaſius Archiepiſcopus Rauen.
Rubei. Bernardus. l. Bernardus. Bernardus Epiſcopus. Flaminiæ Præſes. 687
Dominicus. 674
Franciſcus. l. in Præfatione.
Guido. 642. 687
Hieronymus. l. Hieronymus. Hippolytus Cardinalis. 762
Iacobus. 422. Io. Baptiſta. l. Io. Baptiſta Petrus Ioannes. 674. Petrus maria. 711. Philippus maria. 688. 689
Rolandus. 401. 421
Troilus. 711
Vgo. 412
Vgolinus. l. Vgolinus. Vgolinus. ij. 412. Vgolinus. iij. Epiſcopus. 566
Parmam obſident. 528. auctoris progenitores quando Parma pulſi. 599
Rubei Ariminen. Albertus. 427
Diuus. 509
Guido. 476
Lambertus. 476
Signorellus. 427
Rubei Bononien. Martinus }
Petrizolus. } 445
Rodaldus. 336
Rubei Ferrarien. Guillelmus. 580
Rubei Florentin. Pinus. 510
Rubei Forliuien. Deumeldeus. 492
Hieremias. 479
Iacobus. 492. 496. Ioannes. 492. 496
Rainerius. 496
Rubei Rauen. Albertus. 326
Ioannes. }
Petrus. } 516
Rubia Rauennæ. 33
Rubuli. Antonius. 692. Auguſtinus, relegatus Cæſenam. 689. ſubſidium ad tuendam Rauennam a Venetis petit. 692. purgat ſe

ſe apud Pontificem, & equeſtri dignitate ornatur. 696. Prætor Britonorij. 697. moritur. 725. Auguſtinus. ij. 787
Franciſcus. 692
Vantianus. 417
Rufina uirgo ſacrata a D. Apollinari. 27
Rufus patricius Rauennas. 27. fit Chriſtianus, & Capuæ Epiſcopus, ibid. interficitur. 31.
Rugini. Auguſtinus. 730
Hieronymus. 619. 697. 708. 719. 720. 727.
Ruſſium. 299. ſub Polentanis. 612. ſub Venetis. 654. dictum longopreſſum. 655. a Gallis direptum. 663 eſt Reipubl. Rauennatis. 628. 759
Ruſtici. Ioannes. 365
Ruſticutij. Franciſcus Epiſcopus. 747
Hieronymus Cardinalis. 755. 802
Ruuerei. Franciſcus Maria. l. Franciſcus Maria. Franciſcus Maria. ij. 750. 760
GuidVbaldus. 760
Hieronymus Cardinalis. 754
Ioannes. 455. Iulianus. l. Iulius. ij. Pont. Max. Iulius Cardinalis. Archiepiſcopus Rauen.
Leucius. 348. 350. 358. 359. 436. 440
Sixtus. iiij. Pont. Max. l. Sixtus. iiij.

S

SABATIVS Saga Vicarius Noei, in Italia. 2
Sabelli. l. Sauelli.
Sabini Rauennam incolunt, & Vmbri appellantur. 11
S. Sabini opidum, in tutela S. Vitalis. 26
Sabinianus Pont. Max. 198
Sacrati. Hercules Epiſcopus. 747. 776
Salæ. Albertus. 449
Guronus. 549
Ioannes. 597
Paulus. 571. 572
Salianum opidum ſolo æquatum. 528
Salij. l. Indiuinij.
Salinguerra. 524. 334. 363. 374. Torellus. 363. Bononiæ. 412. præſtat obſequium Eccleſiæ Romanæ. 415. Ferrarienſem dominatum occupat. 414. obſidetur. ibid. capitur & moritur. 416
Salamonii. Gaſpar. 644
Marius. 728
Vgulinus. 359
Salaronis templum incenſum. 32
Saltarelli. Lapus. 480
Saluagiani. Antonius. 720
Saluiati 699. Antonius Maria. l. Antonius Maria. Bernardus. 718
Ioannes Cardinalis. 718
Laurentius. 699
D. Saluatoris templum Rauen. 126
Samaritani. Bonifacius. 456. Bornius. 442.
Franciſcus. 499
Rainerius. 440. Rambertanus. 449
Sanctæ Crucii. Proſper Cardinalis. 798. 805
Scipio Epiſcopus. 747
Sanderi. Nicolaus. 797
Sanfelicij. Io. Thomas Epiſcopus. 701. 769
Sangeorgij. l. Blandratæ Comites.
Sanſeuerini. Calatiæ comes Rauennæ. 691.
Federicus Cardinalis. 665. 667. 671
Robertus. 645
Santernus amnis. 8
Santilli. Gibertus. Roberti Regis Vicarius. 527. 530
Sanuitalij. Gibertus. 565. 566. Guarinus. 489.
Opizo Archiepiſcopus Rauennæ. l. in Archiepiſc. Rogerius. 490. 494
Thediſius. 480
Sanuti. Nicolaus. 632
Sapientes quando Rauennæ inſtituti. 498. eorum uariatio. 687. 688. 697. 701. 703
Sapis amnis. 4. ad Candianum fluebat. 13
Saraceni. Iacobus. 523
Petrus. 498
Thebaldus. 386
Saraceni depopulantur templum D. Apollinaris Claſſenſis. 240. naufragio demerſi. ibid. profliganturs. 253
Saſſetti. Albericus. 397
Saſſinas Epiſcopus. Albericus Bobienſis. 350. Albertus. 371. 387. Angelus Perutius. 776. Apollinaris. 252
Donatus. 205
Franciſcus Calbolus. 553
Gratia. 443. Guido. 442
Henricus. 290. Henricus. ij. 488. Hubertus Bobienſium. 334
Ioannes. 432
Lælius Garuffus. 747
Stephanus. 209
Vgulinus. 533
Subiectus Archiepiſcopo Rauen. 97. 190. 231. 322. 510. 519. idem cum Bobienſi putatur, & illi unitus.
Sauelli. Federicus. 754
Iacobus. l. Honorius. iiij. Pont. Max. Io. baptiſta. 701
Paulus.

Paulus. 600
Troilus. 675.676
Sauignani Bonifacius. 577
Sauignanum eſt Eccleſiæ Rauennatis. 377. 487.765.
Sauina uirgo ſancta. 44
S. Sauini Epiſcopi & martyris corpus. Rauen, 442
Saulii. Antonius Cardinalis. Bendinellus Cardinalis. 661
ſaxatelli. 492. Vgutio. 499
ſaxatellum ſolo æquatum. 492
Saxi Arconus. 372.397
Franciſchinus. 449.488
Lothoringus. 358
Peppus. 413
Romoaldus. 639
Vbaldus. 449. 455. 457. Vgo. 290. 352. 357.358.359. Vgo. ij. 413. 440. Vitalis. 440.449.455.457.
Rauenna pulſi. 563
Saxi Lucius. 739
Saxoli. Ioannes. 488
Manfredus. 512
Thomaſinus. 494
Scalarum ſocietas. 541
Scalæ. Cautibranca. 541
Lances. 548
Scaligeri. Albertus. 555. Alboinus. 510. Antonius. 588. 591. 592.593.
Canegrandis. 527. Canſignorius. 591
Iulius Cæſar. 6
Lucia. 591
Maſtinus. 437.551.555
Scanabicci. Albericus. 368
Guido. 368.461
Scapuccini. l. Zangij.
Schſenati. Io. Iacobus. 811. Iulius Præſes Flaminiæ. 811
Scholaſticus Exarchus. 215
Scoti, Paris. 667
D. Sebaſtiani templum, datum ordini Seruorum. 691
Seghæ. Philippus Flaminiæ Præſes. 750. Rector Piceni. 761
Seminarium Rauennæ. 745
Senatores & patricij Rauennates. 17. eorum Senatus duplex ordo. 17.506.703
Senecæ lapſus. 119
Senenſe bellum. 712
Senogallienſis Epiſcopus. Henricus, 369
Sentinus mons. 268
Septimius Seuerus Cæſar. 37
Sepulturæ ratio. Rauen. 503
Serena Stilichonis uxor. 69
Sergius Pont. Max. 211
Sergius. ij. 240
Sergius. iij. 252
Sergius. iiij. 274
Serughi. Ginulfus. 710
Seruorum ordo Rauennæ, 691
Seruerianus Rauennæ Imperium arripit. 118.
Seuerinus Pont. Max. 201
Seuerinus Rauennas, cæcum ſanat. 155
Seuerinus Rauennas, Epiſcopus, Noricos fidem Chriſti docet. 121. Hunc Iſidorus, de uiris illuſtribus cap. 14. ex Eugippo eius æquali, qui libro ſingulari uitam eius eſt complexus; ut eſt apud doctiſſimum Surium, tomo primo; Abbatem dicit fuiſſe, non epiſcopum, & Vaticinio longe clariſſimum, ſumma populi Neapolitani frequentia ad Lucullanum a Victore Epiſcopo translatum, ut aſſerit etiam eruditiſſimus uir Petrus Galeſinius.
Seueroli Farolfus. 398
Iuſtinianus. 714
Lippus. 529
Seuerus Cæſar. 37
Seuerus Rauennas, martyr. 43
Seuerus Aquileienſis Antiſtes. 180
Sfondrati. Iulia. 700
Nicolaus Epiſcopus, & Cardinalis. 372. 762
Sfortiæ. l. Attendoli.
Alexander Cardinalis in Concilio Rauenn. 747. legatus. 753.773. Rauennam ingreditur. 773. moritur. 775
Catherina. 648.649. Conſtantius. 642
Franciſcus. l. Franciſcus. Franciſcus. ij. 688. Franciſcus. iij. Cardinalis. 775. 809
Galeatius. 640
Io. Galeatius, 643
Ludouicus. 643.648.649
Maximilianus. 660.678.683
Sfortia. 603. 609. 614. Sfortia. ij. 715. 716.717.
Senatores Rauennates. 756
Sgropoli. Aloiſius. 660.786
Cæſar. 702
Fabricius. 707
Sicilia eſt Romani Pontificis. 360
Siculæ Veſperæ. 458
Siculi Diui, Rauennæ in honore habiti. 60

Sighi-

Sighicelli. Baptiſta Epiſcopus, 747
Sigiſmundus Cæſar in Italia. 616. Rauennæ Hortaſium Polentanum equitem facit, ibid.
Signorelli. Drudo. 431.436
Guido. 368
Lancilottus. 494
Signorellus. 516
Vbaldinus. 471. Ygulinus, 440
Sigonij. Carolus. 799
Siluanus Razzus Camaldolenſis, 319
Siluerius Pont. Max. 148
Siluester Pont. Max. 44
Siluester. ij. 276
Simon Italiæ Comes. 413
D. D. Simonis & Thadæi templum Rauennæ. 295
Simplicius Pont. Max. 118.121
Sirletti. Guillelmus Cardinalis. 746
Sirinius Pont. Max. 213
Sixtus Pont. Max. 35
Sixtus, ij. 42
Sixtus. iij. 100
Sixtus. iiij, 639. confirmat priuilegia Eccleſiæ Rauennæ. ibid.
Sixtus. v. 785. Archiepiſcopatus Rauennatis cauſam committit. ibid. reſidentiam iubet. 788. Gymnaſium Romanum ornat, & auget. 789. Collegium D. Bonauenturæ inſtituit. ibid. Obeliſcum Cæſarianum erigit. 793. aquam Romam deducit. ibid. uias nouas aperit. 798. 808. latrones & ſicarios ſuſtulit. 798. Italiæ quietem reddit. 798. 803. 809. triremes ædificat. 803. 809. adminiſtrationem ſuarum ciuitatum inueſtigat. 804. ſepulcrum extruxit Nicolai. iiij. 807. Sacellum ad D. Mariæ maioris ædificat. ibid. Pij. v. ſtatuam erigit, & cadauer transfert; honorificeq. locat. ibid. Præſentationis feſtum celebrari iubet. ibid. ſtationes Romanas renouat. ibid. Cardinalium numerum, titulos, creationis tempus decernit. 808. Hoſpitale pauperum inſtituit. ibid. Lateranenſe palatium a fundamétis inſtaurat. ibid. patriam ſuam Præfectura & Epiſcopatu honeſtat. 811. populorum ſuorum amantiſſimus. 804. Princeps gratiſſimus. 807. ſcribit literas doctiſſimas & elegantiſſimas. 808. charitate præſtat. ibid. pauperum curam gerit. 802.803
Societas magna militaris. 562. 571
Soderini. Franciſcus Cardinalis. 689
Nicolaus. 640
Solarolum opidum. 761
D. Solutor martyr Rauennæ. 45. eius templum. 126
Sophia Narſem aduerſa. 173
S. Sophiæ opidum, in mare deuectum 725
S. Sophiæ templum Byzantij. 145
Soprani. Alexander. 728. 729. 737. 740. 754 777. 781. 791. 793. 796.
Sorbolloni. Fabricius. 733
Sorbolongi, Innocentius. 754
Sordellus Mantuanus. 509
Sorinolum opidum eſt Eccleſiæ Rauennæ. 262. ab ea abſtractum. 687
Sotheres Pont. Max. 36
Spadolatini. Iacobus. 708.720.727
Spinæ theſauri, Delphum allati. 7
Spinei, Carolus, 664
Spineticum Padi oſtium, 6
Spinolæ. Andreas Cardinalis. 786
Vincentius Carmelita, Theol. 737
Spiritus ſancti templum Rauenn. 35.38
Spoletini exules, 545
Spreti, Antonius. 594. 595. Arardus. 594. 595. Arardus. ij. 594.595
Boniſacius. 760.761.769.781.786
Deſiderius, 601, Deſiderius, ij. 634. 695. eius lapſus, 169. 214. 433. ſcripſit autem iam ſenex, De aduentu Meſſiæ, contra Iudæos, libellum ornato, ac preſſo genere orationis.
Hieronymus, 660
Ioánes. 601. Io. baptiſta. 644. 649. 654. Iuſtinus. 741.773
Pomponius. 726. 740. 754. 770. 771. 773. 775. 787.
Timotheus. 735
Valeria, 684. Vrbanus. 640
Stagna Hadriatica quæ ſint. 8
Stanghæ. Andreas. 757
Stationes Romanæ. 807
Stella noua in cælo. 757
Stendardi. Matthæus. 723
D. Stephani templum, Rauennæ. 164.539
Stephanus Pont. Max. 40
Stephanus. ij. 221. a Pipino ſubſidium impetrat. 222. eius iter. 225
Stephanus. iij. Concilium habet Romæ. 326
Stephanus. iiij. Rauennæ ſacra facit, & reliquias oſtendit. 236
Stephanus. v. 246. Stephanus. vj. 248. Stephanus vij. 255. Stephanus. viij. 255. Stephanus ix, 291.

Stephanus

Stephanus Rex Vngarorum, 160
Stephanus Regis Pannoniæ filius, ciuis Rauennæ. 429.439
Stilicho egregiè pugnat. 63. cum Honorio triumphat. 65 Rauennæ occiſus. 70.71
Strabo Rauennam deſcribit. 6
Strambiatis Albertus, 282
Gerardus. 282. Guido Abbas, 282. 283. 289. Octauianus Franciſcanus Theol. 789.
Strigoni. Guido, 642
Strozzæ. Petrus, 706.710
Sucij. Petrus, 545
Suetonius Paulinus Neronis Vicarius. 25. occidit D. Vrſicinum. ibid. D. Vitalem. 26
Sulpitius Archidiaconus Rauennas, cum D. Vrſula interfectus. 100
Superantij. Ioannes. 519
Victor, 641
Simmachus Pont. Max. 129
Simmachus patricius Cos. 138. interficitur a Theoderico. 139
Synaletica. 62. Hæc a Nicephoro Calliſto lib. 8. cap. 4. Syncletica dicitur, & eius uitam a D. Athanaſio Epiſcopo Alexandrino ſcriptam fuiſſe, ut fœminis eſſet exemplo, quemadmodum ea, quam ſcripſit D. Antonij, uiris fuit. Conſtantini tempore hanc uixiſſe, plerique confirmant; & alteram hoc nomine, a Sedulio, ſuo tempore florentem, celebratam, ex eius operibus conſtat, ſed hæc, quam nos exhibemus, inſcriptio, Conſtantini magis tempora, quam Sedulij, ſapit.
Syngledia Placidiæ neptis. 107
Syrous Rauennas patricius. 39.40

T

TAIBANVM opidum. 269. 280. 345. 448.
Taliaferri. Gabriel. } 710
Paulus. }
Talmudici libri combuſti. 718
Tarlati. Maſius. 492
Petrus Sacconus. 535
Taruiſinus Epiſcopus. Bernardus Rubei.
Gilinus. 374
Rolandus. 311
Taio Dux Tuſciæ, Rauennæ occiſus. 201
Tauernarii. 439
Taurelli. Guido 603
Iacobus. 565
Lambertus. 510
Petrus. 412.505
Salinguerra. 504. l. Salinguerra.
Taurus iudex Rauennas, 31. fit Chriſtianus. ibid.
Teleſphorus Pont. Max. 35
Tempeſtini. Fabius, 777
Templa Rauennæ cur in Orientem uerſa. 101.
Templariorum cauſa, Rauennæ agitata. 512. 513. 514. 515. 524. 525
Tencararii. Iacobus. 505. 526
Nicolaus. 449
Tenera familia Rauennas, Venetijs patricia. 528.
Teupuli, Iacobus Dux. 408. Ioannes. 454
Ioannes. ij. 695
Laurentius Dux. 442
Theias Gothorum Rex. 166
Theodahatus Gothorum Rex. 147.148
Theodelinda religioſa Regina. 182
Theodemir Oſtrogotorum Rex. 112.120
Theodericus Gothorum in Gallia Rex. 118.
Theodericus datur a patre obſes Leoni Cæſari. 110. reſtituitur. ibid. uincit Sarmatas. ibid. Rex appellatur. 122. in Italiam uenit. ibid. Odoacrem ſuperat, 123. obſidet Rauennã, & obtinet. 124. Rauennam incolit, & reſtaurat. 126. 129. ornat templum D. Petri Romæ. 139. Arianos fouet. 138. 141. moritur. 141. 142. eius ſepulcrum dirutum. 659
Theodoli Forliuiani. 638.641
Theodora Iuſtiniani Cæſ. uxor impia. 159. 160. Rauennæ. ibid.
Theodora ſcortum Romæ. 253
D. Thedori templum Rauennæ. 35.38
Theodorus Pont. Max. 250
Theodorus Calliopa Exarchus. 203. iterum. 206. 208.
Theodorus patricius Rauennam capit. 214
Theodoſius Hiſpanus Cæſar. 58
Theodoſius. ij. 64.70
Theodoſius. iij. Adramitenus. 216
Theophano, Othonis. ij. Cæſaris uxor. 263. 269.
Theophilatus Exarchus. 212
Timotheus uir ſanctus. 95
Thomæ Mori Angli, mors Sanctiſſima, 140.
Tomaij. Camillus. 690.705.707
Ioachinus. 757.789

Laurentius. 672
Petrus, 650
Vincentius. 650
Thomaſii. Antonius, 642
Martinus. 642
Petrus. 729
Tiberiacum l. Bagnacauallum,
Ti. Claudius Rauennam muro cinxit. 15.16
Ti. Nero Cæſar. 20
Tiberius Abſimarus Cæſar, 212.213
Tiberti. Andreas. 492
Gerardus. 338. Georgius. 575
Neapoleo. 557
Palmerius. 494
Ticinenſis Epiſcopus, Dalmatius martyr. 45.
Epiphanius. 121.122.128.129
Guido. 150
Hippolytus Rubeus, Cardinalis. 762
Maximus. 130
Ticinenſes lacrymis petunt, Regiſolem è ſua urbe non detrahi, 695. immunes Rauennæ redditi. 455
Tiphernas Epiſcopus Matthæus, 400
Titus Cæſar. 32
Tizzoni. Bernardinus, 688
Franciſcus, 732
Guelſus. 616.624
Nannes, 616
Vgulinus. 427
Tomacelli, Ioannes, 606
Marinus. 606
Tombeſii. Gurlinus. l. Gurlinus,
Gurlottus. l. Gurlottus,
Iacobus. 623.624
Tonellerij. Hadrianus Carmelita Theol. 737
Torelli. l. Taurelli.
Toſinghi, Baſcheria, 452
Napus, 485.488
Petrus Paulus, 715
Totilas Rex Gothorum. 153, omni ferè Italia uictor, 154. Romam capit interficitur, 166
Toxici. Petrus. 454
Traianus Cæſar. 33
Translationis ſanctorum corporum dies ſolemnis. 241
Tranſtyberim regio Romæ, ciuitas Rauennatium. 14 Romæ fuiſſe regionem, ciuitatem Rauennatium appellatam, patet ex libro Pontificali Romano: quicumque enim illius fuerit auctor, uetuſtus certè fuit, Damaſum ferè omnes putant. In eo libro ſcribitur, Calliſtum Pont. Max. Romanum fuiſſe ex urbe Rauennatium; ceterum quæ fuerit vrbis regio, hoc appellata nomine, non omnino perſpicuum uidetur. Blondus in Romæ ſuæ inſtauratæ libro primo, ſcripſit, eam eſſe Tranſtyberim, itaque appellatam, quia, ut habetur lib. 21. Octauius Auguſtus cum locum caſtris primus omnium Principum conſtituiſſet, nullaq. alia ratione id feciſſet, quam ne milites uagi, & urbem diſperſi, tumultu & ſeditionibus vrbem complerent, hinc Rauenna tum in Ianiculo & Miſenatium, peregrinorumq. in Cælio monte, caſtra fuiſſe ab illo conſtituta, ſed quæ in hanc ſententiam impulerit Blondum, auctoritas, adhuc reperire minime datum eſt, cum potius multa contrarium ſuadeant. Primum eſt Suetonij locus in Octauio, qui poſtquam de duabus Claſſibus Rauennæ & Miſeni ab Octauio locatis ſcripſit, Ceterum, inquit, certum numerum, partim in vrbis, partim in ſui cuſtodiam adlegit: neque tamen vmquam plures quàm tres cohortes in vrbe eſſe paſſus eſt, eaſque ſine caſtris: reliquas in hiberna, & æſtiua, circa finitima opida dimittere aſſueuit. Hæc Suetonius. Præterea qui de regionibus urbis Romæ ſcripſit P. Victor, aut quicumque auctor fuerit, quem tamen conſtat poſt Veſpaſianum uixiſſe, nam meminit templi pacis, cum Tranſtyberinam omnem regionem deſcribat, nihil loquitur de Rauennatibus: quodque magis dubitationem auget, in tertia regione ſcribit Caſtra Miſenatium. Adhæc cum dicatur in libro Pontificali, Calliſtum Pont. Max. ex urbe Rauennatium fuiſſe, affirmatur ibidem paulo poſt, templum D. Mariæ Virgini illum ædificaſſe Tranſtyberim: quod forte adduxit Blondum, & qui illum ſequuti ſunt, certe eos, ut putarent, vrbem Rauennatium & Tranſtyberim, regionem eandem eſſe: mihi tamen ſuadet, Tranſtyberim eſſe ab vrbe Rauennatium diuerſam, quia perinde ac de diuerſis locis uidetur eſſe ille ſcribendi modus: præſertim etiam quia ex Philone Iudæo de legatione ad Caium, colligitur, Auguſti tempore, Iudæos Tranſtyberim habitaſſe, & uiles omnino homines, ut

ut Martialis in fine libri primi inſinuat, & qui coria aut detrahebant, aut reficiebant. nam idem ait Martialis Et detracta cani Tranſtyberina cutis. & Iuuenalis ſatyra. 4. de Tranſtyberina merce loquitur, perinde ac uiliſſima, quamquam non fuerit impoſſibile, militibus etiam, & alijs fuiſſe ibidem locum: nam ſcribit Suetonius, Domitianum, adoleſcentem, bello Vitelliano confugiſſe in Capitolium, ſed irrumpentibus aduerſariis, & ardente templo, mane Iſiaci celatum habitu, interq. ſacrificulos uanæ ſuperſtitionis, cum ſe Tranſtyberim ad condiſcipuli ſui matrem tranſtuliſſet, latuiſſe, niſi per ſacrificulos, Iudæos intelligat Suetonius.

Trauerſarij. Albericus. 353. Ambroſius. 617. 621. Aicha. 416. relegata. 421. teſtatur. 430
- Guido. 324. Guillelmus. 331. 334. 337.
- Guillelmus. ij. 421. 430. 446. 448. 455.
- Ioannes. 263
- Paulus. 275. 290. Paulus. ij. l. Paulus Trauerſaris. Petrus. 263. 267. 268. Petrus. ij. 318. 319. Petrus. iij. 336. 338. 340. 345. 348. 350. 352. 357. 359. 360, 368, Petrus. iiij. l. Petrus.
- Reginus. 336
- Sunt è familia Ducum. 263. 264. 267. 275. cum Polentaniis pacem faciunt. 457. 488. illis inſidiantur. 489

Trauerſarium opidum. 460. ſolo æquatum 506

Tridentum muro cinctum. 135

Triuiſani. Iacobus. 408. Iacobus. ij. 657
- Melchior. 652
- Stephanus. 633

Trotti. Iacobinus. 417 Ioannes. 423

Tuderti Epiſcopus, Sauinianus. 195

Tuduranum opidum eſt Eccleſiæ Rauen. 413. 562. Manzolis datum. 709

Turchi, Aldrouandinus. 444
- Franciſcus. 737
- Iulius. 444
- Lilius. 491
- Turchus. 423

Turriani. Alamanus. 428
- Felicia. 594
- Martinus. 439
- Napus. 439
- Philippus. 439
- Ricciardinus. 594

Turris ad Primarium ædificata. 759

Tuſci vnde orti. 2

Tuſſignanenſes ſundunt Maghinardum 499. fœdus faciunt. 500. ſub Barbianis. 600, ſub Eccleſia Romana. 601

V

Vainae. Guido. 662
- Iacobus. 680

Valdenucium opidum eſt Eccleſiæ Rauenn. 352.

Valderetæ templum ædificatum. 384

Valens Cæſar. 57

Valentes. Fabius. 29
- Montes Flaminiæ Præſes. 750. Moderator Romæ. 753

Valentini. Io. baptiſta. 777

Valentinianus Cæſar. 57

Valentinianus. iij. naſcitur Rauennæ. 90. Cæſar. 93. uxorem ducit. ibid. Rauennam uenit. 94. Auguſtus conclamatur Rauennæ. 95. Archiepiſcopo Rauenn. pallium donat, & duodecim Epiſcopos ſubiicit. 97. Rauennam muro circundat; & poſt Romam, Italiæ caput conſtituit. 98. nuptias celebrat. 101. Aetium occidit. 111. Rauennam munit. 110. interficitur. 113. inter Duos relatus. 114

Valentinianus patricius Rauennas, Pentapolis Præſes, occiditur. 58

Valentinus Pont. Max. 238

Valeria D. Vitalis uxor, martyr. 26

Valeriana domus. 158. 392. 393

Valerianus Cæſar. 40

Valerij. Auguſtinus, Epiſcopus & Cardinalis. 763

Vallæ. Franciſcus. 784. 806

Valorij. Bartholomæus Flaminiæ Præſes, 701.

Varanii. Gentilis. 596
- Petrus gentilis. 642
- Rodulfus. 570. 584
- a Borgia necati. 653

Vandali in Germaniam & Galliam. 69

Vaſchi. Cæſar. 744

Vbaldini. Albizus. 511. Azzo. 592. Franciſcus. 511
- Martia. 575
- Octauianus Cardinalis. 421
- Vgolinus. 484. Viuianus. 373

Vbal-

Vbaldum caſtrum. 335
Vberti. Bartholomæus. 422
Sclatta. 410
Vbertini. Zapitinus. 504.508.517
Vegii. Antonius. 773
Paulus Epiſcopus. 697
Vei populi, qui. 1
Venantii Fortunati locus. 170.172
Venerii. Benedictus. 633
Franciſcus. 653
Laurentius 607
Sebaſtianus. 756
Veneti opem Beliſario ferunt. 150. Gothos in Pado ſuperant. ibid. Romanum nomen ſumma ueneratione colunt. 180. a Pipino oppugnantur. 234. Faneſtres iuuant. 328. cum Rauennatibus conueniunt. 408. Ferrariam obſident. 414. cum Bononienſibus dimicant: 433. conſtruunt Marcaboum. ibid. cum Rauennatibus de portorio conueniunt. 436.442. 471. Ferrariam occupant. 519. Faneſtres iterum iuuant. 539. Rauennatibus infeſti. 528. Pontifici aduerſi. ibid. a Genuenſibus ſuperantur. 572. Rauennam habent. 627. iterum. 692. muniunt. 642. ad Mulinellum ſuperantur. 640. Eſtenſem Ducum oppugnant. 642. ad totius Flaminiæ dominatum aſpirant. 653. negant reſtituere vrbes Eccleſiæ. 654. ſuperantur ad Abduam. 658. iuuant Pontificem. 677
Venetiarum origo. 110
Venetorum Ducum tituli. 436.471
Veri Rauennates, patricii Veneti, finem habent. 545
Vergerii. Petrus Paulus. 596
Vermes. Iacobus. 599
Philippus. 592
Verona Theoderico ſe dat. 125. a Cæſarianis capta. 154
Veronenſis Epiſcopus. Auguſtinus Valerius Card. 763. Gerardus. 432
Veſpaſianus Cæſar. 28
Vgonis comitis Brionorii teſtamentum. 281
Vgolinus Rubeus Rauennæ. 402
Vgolinus Rubeus. ij. Federicum. ij. Cæſarem fundit & fugat. 422. Comes Flaminiæ. ibid.
Vgones. Philippus. 422
Vicecomites. 530. Azzo. 555
Bernabos. 574.577. 579. diris deuotus, & ſuperatus. 580. 482.585. Blanca. 622. 635. Brutius. 566
Galeatius. 504.546
Ioannes. 546. Ioannes. ij. 566. Io. Galeatius. 592.597
Luchinus. 546. Luchinus nouellus. 566.
Ludriſius. 561
Maphæus. 566.574. Matthæus. 504. 546.
Philippus maria. 619
Stephanus. 574
Viſcontes. 379
Duces Mediolani, creati. 597
Vicedomini. Franciſcus. 748
G. 417
Petrocinus. 423
Sixtus Epiſcopus. 777
Vicohabentia. 206
Vicohabentinus Epiſcopus. Ioannes. 205
Marcellinus. 109
Victor Pont. Max. 38
Victor. ij. 290
Victor. iij. 313
Victor martyr Rauennæ. 45. eius templum. ibid.
Victoria naualis, de Turcis, ſub Pio. V. 756.
Victoria urbs a Friderico. ij. Cæſare extructa. 421
Victorius martyr Rauennæ. 45
Victurii. Zacharias. 609
Vido fit Rex Italiæ, Rauennæ. 246. quando coronatus. 248. obſeſſus. ibid. moritur. ibid.
Vidores Rauennates, patricii Veneti, finem habent. 612
Vigiliæ ſacræ Rauennæ ſublatæ. 529. 768
Vigilius Pont. Max. 149.154.168
Vigintiquattuoruiratus Rauennæ inſtitutus. 678
Vincislaus Cæſar. 601
Vinum Rauennate. 32 Vinum aliquot loci agri Rauennatis, quaſi ſalſum, ſed tamen omnino ſapidum, atque ob id palato gratiſſimum habetur; naturaque hic ſuapte ſponte uidetur ferre, quod factitabat ars apud Græcos, qui, auctore Caſſiodoro lib. x.1. Variarum, uina ſua marinis permixtionibus inſaporabant, ut ille inquit, & quamquam

Plinius lib. 14. cap. 7. Epheſium uinum ſalubre non eſſe dicit, quoniam mari & defruto condiretur, hoc tamen noſtrate, ita temperatum eſt, ita parum habet ſalſi, ut damni plane nihil, gratiæ plurimum accerſat, longeque etiam magis proſit, quam ea uina, quæ appellat ſalſa Plinius lib. 14. cap. 8. Græci Biona dicunt, aquæ marinæ mixtione ab illis talia facta, ad ſanitatem conducentia. Tametſi medicamenta hæc potius, quàm uina dixerim, cum hoc modo apud Galenum lib. 2. de antidotis cap. 14. in antidoto Hybriſti acuti roſtri, ad omnium ſerpentium ictus uini ſalſi ſit uſus: & ante ipſum Dioſcorides lib. 5. cap. 7. ſcripſerit, Vinum aqua marina factum aluo aptum, ſed ſtomacho aduerſari, & neruis: quæ uerò marinam non recepiſſent, auſtera & alba, ad ſanorum uictus uſurpari. Ceterum hæc Rauennatia, cum ſapida ſint & gratiſſima palato, nihil tamen habent, quod uerè ſalſum appelles. Quamquam ſi Dioſcorides eodem libro, loram probat in ægris, in quibus timemus noxam uini, & a longa ualetudine ſe colligentibus, tamen in ſingulis congiis illius, adduntur bini ſalis ſextarii, idemque de uino dicit, quod uocatur adynamon, & cum aqua marina conficitur; ita ut hodie, qui apud nos. ad rei familiaris utilitatem, utque in uetuſtatem poſſit ſeruari, ſale uinum condiunt, minus ſint improbandi, multo magis Rauennatia hæc uina, tenuia, & ſatis odorata, & nequaquam ſalſa, ſed ſapida ad ſanorum uictum c⁂nenire dicendum eſt. Adde, quia eiſdem qu ibu. hæc naſcuntur uina, locis, dulcia prodeunt ex ..uis nigris, quas appellamus, aureas: quod nobiliſſimum genus uini, in Rauennate, Bagnacauallenſeque & finitimis agris, qui uno Rauennatis nomine antiquitus cenſebantur, frequens admodum habetur: non haberetur autem, niſi parua omnino huius eſſet ſo.li ſalſugo, cum uina dulcia, marinæ aquæ non miſceri, præſertim ex paſſulis, docuerit 23. Probl. 26. Ariſtoteles, ſiue Theophraſtus, quem, eius auctorem libri, in noſtro de Ventis, latius diximus. Tot autem dixiſſe uolui, ut pateat quam uerè Germanus quidam au'ctor, nuper in ſua Coſmographia ſcriptum reliquerit, Rauennam eſſe uino infeliciſſimam.

Vitæ diuturnitas. 646. Rauennæ. 6. noui ego Ianellum Aurificem, qui centeſimum & uigeſimum annum attingere: Cæciliam Pauli Artuſini, Dominicanorum Rauennæ nunc Prioris Præfecti, & Benedicti matrem: Iuliam Honeſtinam, quæ centeſimum ſuperare dicebantur: & Iulia hoc anno 1588. adhuc uiuit: hique omnes Rauennæ perpetuò fuerunt.

Vitales. Marſilius. 431

Vitalianus Pont. Max. 206

D. Vitalis hortatur Vrſicinum. 25. cum ſepelit. ibid. in foſſam coniicitur. 26

D. Vitalis templum ædificatur. Romæ. 88. Rauennæ. 153. deſcribitur. 158. 159. conſecratur. 159. Caſſinenſibus monachis reſtituitur. 604. conſociationi D. Iuſtinæ addicitur. 640. priuilegia accipit ab Henrico. iiij. Cæſare. 320. a Friderico. 394. Vitalis, non eſt Archiepiſcopus Rauennæ. 171. 172

Vitalis Indiuinus in bello Mirandulano. 711 Senenſe, primus Senatum portam attingit, & propugnacula capit. 712. defendit cohortem Hiſpanorum. 713. recipit propugnaculum Camolianum. ibid. cum Iuſtiniano Seuerolo digladiatur. 714. Illuæ Inſulæ præſidio. ibid. in Flaminia cohorti Præfectus. 704. Laudatur a Petro Strozza. ibid. Rauennæ deiiciendis ſeptis Præfectus. 704. pacem facit cum aduerſariis. 729. 730. uitat inſidias Pacini Prolegati. ibid. legatus Balthaſſaris Rangoni. 733. ſuſtinet impetum Hugonotorum. 735. Creſollam Regulum perſequitur. 736. moritur. 740

Vitelli. Ioannes. 659. Iulius. 675. 676. Iulius. ij. 802

Paulus. 649

Vitellus. 686

Vitellius Cæſar. 28

Vitiges Rex Gothorum. 148. Romam obſidet. 149. Rauennam amittit, & capitur. 151

Vitis amnis. 4. 7

Viuarienſe cœnobium, agri Rauennatis. 151

Vizzani. Franciſcus. 639

Melchior. 639

Vmbri qui ſint. 1. Rauennam incolunt. 3

Vngari qui, & unde ſint. 174. Tuſciam diripiunt. 255
Volanæ inſulæ diuiſio. 401
Volanæ portus eſt Archiepiſcopi Rauennæ. 271. 345.
Voluſianus Cæſar. 40
Vrbanus Pont. Max. 38
Vrbanus. ij. 315
Vrbanus. iij. iiij. 436
Vrbanus. v. 580. 584
Vrbanus. vj. 588
Vrbinatibus, ſacris interdicitur, 535
Vrbinum occupatum a Feltrij. 535. dat ſe Eccleſiæ Rom. 540
Vrceoli. Cæſar. 720, 728. 732, 737
Vrſelli. Guido. } Ioannes. } 459
Orſellus } Tancredus. } 492 496
Vrſeoli. Dominicus Dux Venet. 276
Petrus Dux Venet. 168. Petrus. 397
Vrſiani templi ædificatio. 58. teſtudo eius ornata. 318. ruinam minatur. 457. deſcribitur. 617
Vrſi. Miſottus. 447
Vrſicinus medicus Ligur, Rauennæ protomartyr. 25. transfertur in ædem Vrſianam. 266. 298
Vrſini. Bertoldus Flaminiæ Comes. 456
Camillus. 711. Carlottus. 716. Carolus. 681.
Gentilis. 456. 484
Io. Coradus. 679. Io. Iordanes. 681
Latinus Cardinalis. 456. Latinus. ij. 764.
Lucidus. 744
Matthæus Rubeus Cardinalis. 456
Neapoleo Cardinalis. 511. 516. Neapoleo. ij. 639
Nicolaus. 657. 681
Paulus. 599. Paulus. ij. 715. Paulus Iordanus. 740. Petrus Io. Paulus. 618
Robertus. 674
Virginius. 680. Vrſus. 614
Cum Roberto Rege ſentiunt. 527
Vrſus Venetiarum Dux Rauennam capit, & Exarcho reſtituit. 218
Vrſus Dux Venet. 243
Vua ſpinia Rauennæ. 116
Vualamir Oſtrogothorum Rex. 112. 120
Vuidemir Oſtrogothorum Rex. 112
Vuidgerus occupat Archiepiſcopatum Rauen. 283
Vuillelmus Marchio Montisferrati. 393

X

XAVERII. Franciſcus. 646
Xyſtus. I. Sixtus.

Y

YPHICVS martyr Rauen. 41

Z

ZACCARI Ceruienſes. 527
D. Zachariæ templum Rauennæ. 107
Zacharias Pont. Max. Rauennam uenit. 220 224.
Zacharias Protoſpatarius. 211
Zambeccarij. Bernardinus. 613
Zambelletti. Hieronymus. 760
Zambraſij. 478. Agnes. 582
Garatonus. 413. Guido. 582
Tibaldellus. 453. 461
Zampeſci. Antonellus. 680. Antonellus. ij. 696.
Baptiſta. 696. Brunorus. 679. 680. 685. 696 Brunorus. ij. I. Brunorus.
Caput hominis. 680
Hector. 680. 681
Italianus. 680
Meleager. 680. 681. Mutius. 680. Mutius. ij. 680
Vnde originem duxerint. 679. ciues Rauennæ. 681
Zancani. Andreas. 642
Zanotti. Antonius Epiſcopus. 747. 762
Zanzij. Cancianus. 754. 771. 773
Rainutius. 440
Zauoni. Paulus. 701. 705
Zeno Iſauricus Cæſar. 120. 122
Zeni. Aloiſius. 658
Matthæus. 408
Rainerius Dux Venet. 436
Theophilus. 408
Zephirinus Pont. Max. 37
Petrus. 278

Ziani. Sebaſtianus Venet. Dux. 350
Zmaragdus Exarchus. 179. obſidet opidum Claſſem. ibid. capit, & Longobardos trucidat. 160. uim infert Seuero Aquileienſi Antiſtiti. 180. reuocatur. 182. denuo in Italia. 197
Zorzenghi. Oddus. 582
Zoſimus Pont. Max. 88.89
Zuboli. Io. Baptiſta. 682
Vitalis. 682

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ERRATA IN HOC OPERE

Pag.	Lin.	erratum	correctum
7	46.	Meſſaniam uocatan	Meſſaniam uocata
13.	10.	careeſem	carcera
45.	15.	lege	legi
	30.	alle	illi
47.	19.	notalis	oatales
	32.	ut	&
54.	26	ipſos	ipſis
	44.	medicus	medius
55.	21.	Diuinum	Dinum
	38.	Catalonenſibus	Catalaunenſibus
57.	20.	ſancti	ſanctis
58.	41.	quadrupli	quadruplici
	46	A'γιος	A'γιαι
59.	7.	Vtiumq	Vtcumq.
62.	2	ad aroeoſibus.	adhibentibus.
68.	34.	Praſectis	Praſectus
69.	11.	aliquod	aliquot
76.	29.	prouinca	prouincia
77.	44.	appellat	appellata
72.	5.	aliquud	aliquot
79.	19.	exactione	exactionem
84.	11.	Decuriores	Decuriones
88.	15.	Metropolis	Metropoles.
90.	45.	iuſlu.	ioſſu
92.	8.	Hiſpaniam	Hiſpania
91.	12.	Auguſtum	Auguſtam
97	32.	chriſmatum	chariſmatum
106	5.	ſuoſtructionis	ſubſtructioni
110.	31.	tune	tunc
114.	2.	tametſi	tamen ſi
	32.	Eudoxia	Eudocia
116.	27.	egreſſu	egreſſa
118	29.	viuoeum	uiuoſum
119.	2.	quot	quod
121.	24.	uirum Rauennatenſium	uirum Dei, Seuerinum Rauennatenſium
	28.	Augoſtali	Auguſtali
128.	4.	Trauerienus	Traueriatius
129.	39.	fuiſſe	fuiſſet Theodericus
	49.	quinta	quanta
130.	8.	ſi res	ſi is qui res
	12.	alio	alios
131.	6.	Duis	Diui
135.	32.	fulmen	fulmen &
139.	27.	ab	ob
140.	21.	priſtino	priſtina
141.	26.	obuolotus	obuolutus
	46.	summi	Summis
142	27	ſcribent	ſcribente
141.	24.	mortuos	mortoo
144.	44.	ac cum	ad eum
145.	10.	noo	nos
147.	16	curanit	curauerit.
	20.	oona	omnes
148.	37.	iis	is
150.	27.	alti	alto
157.	5.	Maximinum	Maximianum
160.	10.	adiectum	adiectam
163	29.	Profuſus	Fuſus
165.	15.	uetuſtiſimus	uetuſtiſſimus
162.	5.	matrionia	matrimoniis
171.	5.	ut	&
	41.	Ricobaldi	Ricobaldi
	46.	Rauennatis	Rauennas
172.	28.	Rauennas	Rauennæ
174	1.	habent	habeant
176	21.	conſtituiſſem, atiq.	conſtituiſſa, matiq.
	3.	uocitum	uocatam
185.	11.	repugnantibus	repugnantibus
188	39.	palit	palut
188	10.	Conſtantinopolim	conſtantinopoli
199.	8	quoq	quoiq.
	11.	Archiepiſcopatus	Archiepiſcopatui
	45.	Riuolum	Riuolum
200.	41.	exculios	exculius
	48.	adire	exiret
205.	6.	Aquilliensis	Aquileienſis
	19.	conuenibus	conuenient
207	3.	conditiones	conditionis
209	8.	Verum Theodori	Verum tum Theodori

Pag.	Lin.	erratum	correctum
210.	12.	nihilo	nihili
211.	14.	renueres	renuere
214.	20.	dedit, & Raurn.	dedit, Rauennates
212.	12.	teſtibus	teſtibus
218.	26.	ab mare	ad mare
	41.	ornamenti	ornamentis
222.	45.	noſtri	noſtris
220.	6.	ſocceſſore	ſucceſſore
	17.	Magnum	Maonum
212.	6.	Dei, quam	Dei imaginem, quam
221.	15.	Placcotioo	a Placentino
224.	13.	Iuſtinianum	Iuſtinianam
227.	14.	Archiepiſcopatus	Archiepiſcopatu
221.	8.	Ermas	Palmas
	16.	potius	ne potius
229.	31.	tempeſtiuam	intempeſtiuam
	46.	reprehenderis	reprehendenti
231.	1.	conſecrationis	conſecrationes
	13.	nobis	nobis
	41.	conflictis	conflictis
234.	21.	augeodum	augeodam
236.	14.	Paſchalis	Paſchalea
	40.	apicus	apices
237.	17.	ſuoctæ	ſanctæ
238.	29.	permiſeo	permiſto
	31.	iogeote	ingenti
245.	3.	labeotibus	labentibus
246.	34.	ſolitu linem	ſolitudinem
249.	40	reſtituiſſe	reſtituiſſet
252	6.	ſuper	ſupero
253.	40.	auito	accito
254.	8.	felicem	filiam
255.	1.	à peruiſti	aperuiſti
		amendat	emendat
		expectas	ſi expectas
258.	9.	tyranni deliberandum	tyrannide liberandum
	39	nono	nono
262	15.	Ioannis	Ioannes
	42.	Scriuolam	Sorinolam
269	13.	primatum	priuatam
270.	6.	menſa	menſæ
271.	27.	a titulo	ac titulo
275.	19.	uenerat, ſe	uenerat, ut ſe
276.	21.	potus	potens
	25.	Syluester.	Deleantur hæc uſq ad &c.
273	23.	Pecchi	Petri
274.	30.	Honorius	Henricus
	32.	ueniente	uenienti
276.	30.	Libernaodum	hibernaodum
277.	45.	Itala	Hala
279.	17.	Fauentinum	Fauentinum
280.	33.	Marcam	Maſſam
282.	48.	Guidoni	Guidonis
289.	23.	templum, extra	templum reſtituit, extra.
292.	21.	antiquitas	antiquitas
	41.	cadeli	caduli
298	12.	Studiſſimus	Audiuimus
	26.	Heronianis	Neronianis
318.	45	Vitalis	Vitalis
312.	30.	remuneratione	remunerationem
313.	18.	a mare	ad mare
318.	3.	inſulam	ioſulam
	30.	Picenaq.	Piceooq.
319.	6.	Paſchali	Paſchalis
	14.	omni	Domus
320.	22.	Hieremia	Hierentiæ
321.	3.	extruit	extruxit
321.	19.	aut	autem
311.	43.	Noa	Noa
331.	1.	fratre	ſtates
	18.	annos	anno
335.	25.	ablato	ablatos
348.	27.	Cardinales	Cardinalibus
358	22.	Papienſes	Papienſis
357.	16.	orbem	urbem
324.	1.	Reipublicæ	Reipublica
325.	12.	Gatebanæ	Galbanę
	40.	planitie	planitiei
369.	2.	Innocentio	ab Innocentio
371.	1.	Albertos	Albertus

372. 9. mi

Pag.	Lin.	erratum	correctum
374.	9.	miſiſſe	amiſiſſe
	39.	ſubdicenda	& ſubdicenda
	43.	buſum	luſum
374.	31.	Ceruanſe	Cerulenſes
	32.	ſeptuageſimum	ad ſeptuageſimum.
376.	22.	quas	qua
	26.	quæ	qui
	37.	filija	filij
	45.	Ducis	Petri Ducis
379.	18.	fecerit	fecerint
	34.	quo	quæ
385.	15.	Gotozaga	Gonzaga
389.	29.	Canonicos	Canonicè
	42.	Imperaturum	Imperatorum
392.	24.	apud n	apud ſe
	30.	Canonico	Canonici
	34.	ſi	ſe
393.	17.	Vrſiani	Vrſiana
	46.	arcam	arcam
394.	1.	cæruleus	cæruleum
395.	23.	De	Dei
	24.	animo	anno
396.	12.	Tremaldali	Trameldulí
	43.	Rauenna, vir	Rauēn. electus eſt per ipſam D.Thed. Praepoſitus Eccleſiæ Rauen. vir
397.	21.	manus	in manus
	28.	Reipubl.	Reſpubl.
	36.	ad Padi monachum	ad Padum monachi
	42.	iuriſdictiune	iuriſdictionem
399.	8.	Patri	Pari
402.	26.	Ludi	Lugi
40 .	24.	& qui	qui
405.	3.	altaris	alteri
	39.	ſunt	ſuorum
406.	45.	ingrederetur	ingreditur
421.	9.	ſuciorum	ſociorum
422.	41.	Præuoſtus	Prauoſtus
423.	6.	fuerat	fuerant
427.	25.	totus	tatua
429.	40.	ipſam	ipſam
435.	30.	Dum	Deum
440.	32.	Donigalionis	Donigalianis
443.	20.	Paſcha	ad Paſcha
444.	39	Fantano	fontana
452.	44.	ſerpera	ſerperet
455.	8.	damnata	damna
456.	23.	opponera	apponare
	25.	eo menſe	ea menſa
	26.	fuerit	fieret
459.	16.	oete	uero
460.	46.	Fauentini	Foroliuiani
		coactis.	coactus
461.	30.	foro	in foro
463.	28.	Aragonia	aragonia
464.	43.	mutum	mutu n
468.	14.	quam	que n
467.	37.	Malateſta	Malateſtæ
483.	22.	bitum	obitum
	44.	ex Galliorum	& Gallorum
489.	8	Burdegalam	Burdegalam
479.	5.	Stephanus	Stephanum
480.	12.	præſumo	in præſona
483.	48.	ſtatui	ſtatui
484.	29	origioem	quæ originem
485.	35.	Gernayus	Gornaius
486.	2.	Gernayos	Gornaius
	41.	& opido	ex opido
491.	7.	oppugnationis	oppugnatione
492.	5.	cum an	cuneo
493	33	& tam	etiam
	36.	exilij	exilij
503.	37.	gratia	gratiam
504.	17.	Aureliaenſis	Aurelianenſis, Præfectum
	44.	efferet	efferta
505.	11.	aſſer	aſſe
	30.	Ramardus	Rainaldus
	32	creatur	creatus
	39.	Guido	Guidi

Pag.	Lin.	erratum	correctum
514.	4.	præmiſſis interrogauimus, & plenam nobis dicerent ueritatē, ſuper præmiſſis interrogauimus, & meram uſque ad.	præmiſſis meram & plenam nobis dicerent ueritatem, ſuper præmiſſis interrogauimus, & examinauimus, u.q. ad.
	29.	abſolutionem	ſi abſolutionem
515.	48.	ſemina	ſemiſſe
516.	12.	canadinum	cauzdinum
	25.	cutataros	curatiros
518.	37.	Thebaldi	Thedaldi
519.	8.	Thebaldi	Thedaldi
520.	17.	Thebaldi	Thedaldi
523.	14.	factum	factatum
526.	33.	quæ	qui
527.	31.	libertatem	libertatem conclamant
528.	40.	generis	genaribus
530.	6.	anna	annos
	20.	Regiium	Regij
534.	33	Liuij	Lucij
539.	32	ſupplex	ſupellex
552.	32.	demorſi	demenſi
556.	5.	occupaverat	occupaverat dominatum
	11.	Fulcerius	Franciſcus
557.	37.	Simoniacæ	Simoniaca
	40.	Præfectorum	Præfectis
558.	46.	Valdenuocium	Valdaoucium
559.	20.	Barbatiani	ſancti Barbatiani
560.	19.	libertua	libertas
561.	46.	coonducto	conducto
562.	30.	ſententiis	ſententia
563	32.	comites	comiter
	34.	remittente	remittente receperat
571.	25.	frumentaria	fumentaria
	46.	Ducem	Docem ſcribere,
576.	22.	Holſum	Nolſum
		Archiepiſcopus	Archiepiſcopatus
577.	7.	cum autem Monaldeſcam &c.	deleantur uſq. ad opis accedebat.
580.	29.	Legum	Lugum
581.	30.	profugarent	profugerant
583.	12.	cœnobij	cœnobia
	31.	Gotozagis	Gonzagis
	37.	Maio	Namaio
584.	20.	Pettocinus	Pileus.
585	9.	adducti	adducto
586.	18.	perturbarentur	perturbabantur
587.	42.	Ingagnalia	Ingegnalia
591.	44.	Vtrumq.	Vtcumq.
596.	24.	Cecca	Ceua
604.	3.	Polentani	Polentano
610.	27.	Nunc	Hunc
612.	41.	ad Rauannatem	ad portum Rauennatem
614.	4.	ea	eam
	8.	Georgij	Thebaldi
615.	42.	Ferondolus	Perondolus
616.	8.	C. S.	è. S.
	26.	filij	filiæ
623	25.	viderentur	uidaretur
626	36.	modeſtiam	moleſtia
627.	10.	additos	addictos
628.	36.	anno poſt	nono
632.	3.	Patia	Patio
	38.	&	ea
8.	8.	ſpoliaſſent	ſpoliaſſet
634.	38.	complecterat	complectitur
635.	8.	ſuſticitur	ſuſcitur, ut diaimna
	40.	ceterum Pius Pōtifex &c.	dele uſq ad Collegium. ſunt enim infra, ſuo loco.
637.	42.	Paulum	Paulus
638.	31.	acciperet	accipere
	15.	ita	ita
	37.	apdita	acadita
641.	17.	expectabant	occaſionem expectabant.
642.	27.	aulo	Paulo
644.	25.	Fortini	Fortini

Pag.	Lin.	erratum	correctum
645.	18.	immanita	imminuta
646.	10.	cuneo'	cuneos
654.	1	Prætori, Præfectoq.	Prætorem, Præfectumq.
	15.	ſtationem	ſtationem
653.	40.	ut	&
655.	32.	irrederetus	irrideretur
658.	35.	eſſet	eſſe
662.	19.	Cardinalatus	tum Cardinalatus
663.	46.	corrui	corruit
664.	3.	deiectum	per deiectum
	22.	Palenius	Palonius
	36.	expugnationes	expugnatione
	37.	Gallia	a Gallia
665.	28.	& propediem	ut propediem
	30.	ut	&
	36	noſtratibus	ex noſtratibus
669	15.	gloriam	gloria
674.	39.	& omni	eo omni
679.	18.	magni	magno
681.	36.	magiſtratus	a magiſtratus
687.	40.	tunc	& tunc
690.	33.	[illegible]ue	denuo ut
691.	15.	P[illegible]ectum	Præfecto
	44.	ille	illi
692.	42.	Rubuli	Rubulis
695.	34.	hiſtoriam	hiſtoria
696.	24.	Cæſari	Cæſaris
704.	9.	illi terram	illi res datum eſt. Terra
	33.	primum	primam
706	46.	percolam	paſcolam
707.	2.	ui	uia
	43.	Mediomatrium	Mediomatricum
724.	35.	ſibi	ſi
727.	30	Ioanne	Ioannes

Pag.	Lin.	erratum	correctum
729.	8.	Nicolus	Micholus
744.	1.	quam lucidum	quam poſt lucidum
	31.	uniuerſa	uniuerſæ
746.	7	Hiſpania	Hiſpaniæ
748.	16.	Parmenſia	Parmenſis
	7.	Rauennatis	Rauennati
	37.	Rauannatę	Rauennates
758.	46.	ſuum	ſuumq.
770.	36.	cum	num
773.	18.	ab	ne
	11.	Mario	Marco
774.	8.	poſtremas	poſtremus
775.	8.	pallidu	pallidi
777.	4.	conſenſu	concesſu
	37.	Hieronymo	Hieronymus
778.	7.	cauſæ	cauſas
779.	8.	abſentia	abſentes
783.	14.	Ducis	Duci
785.	36.	Syngraphum	Syngrapham
790.	2.	nouemuiris	nouemuiri
	12.	prudentiam	prudentia
788.	34.	Cremonenſi	Cremenſi
791.	46	pronunciarent,	pronunciantur,
802.	30.	conuolauit	conualuit
803.	41.	quamis	quamuis
804.	18.	portam	ad portam
805.	12.	diplomata	diplomate
806.	20.	per Beccuriam	per Iulium Beccariam
807.	14.	MDLXXXIII.	MDLXXXVIII.
808.	40.	eiuſdem	quam eiuſdem
	42	neruis	nemus
	46.	exercere	exerceri
831.	4.	Sclaſonatus	Sclaſonatum

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE